JO. LAURENTII
B E R T I
F L O R E N T I N I
FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI
O P U S
DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS
Nunc primum ſeptem voluminibus comprehenſum, & præter uberrimum, generalemque rerum indicem ad calcem appoſitum,

INTEGRA ADVERSARIORUM IN AUCTOREM OPUSCULA, QUÆ HACTENUS PRODIERUNT,

Necnon Apologeticas omnes ejuſdem Diſſertationes complectens.

E D I T I O   N O V I S S I M A

Ab Auctore recognita, aucta, & ad uſum quoque Scholæ Ægidianæ accommodata, cui præter ea omnia, quæ in antea acta noſtra addita fuerant, accedit nunc primum ejuſdem Auctoris Dissertatio in Defenſionem Encyclicæ Benedicti XIV. adverſus quatuor dubiorum conſarcinatorem.

TOMUS SECUNDUS
C O N T I N E N S

Dissertationes de Originali Peccato, de Hæresibus adversus Liberum arbitrium, et Gratiam, de ipsa Gratia Reparatoris; necnon Legum præscriptiones, humanorumque Officiorum præcepta.





R O M Æ.

MDCCLXV.

SUMPTIBUS JOSEPHI REMONDINI VENETI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

SECUNDI VOLUMINIS
PROPOSITIONES.

I. Originalis peccati transfuſio evincitur ex veteri Teſtamento. 1

II. Eadem Catholica veritas confirmatur novi Teſtamenti locupletiſſima auctoritate. 2

III. Inique ſcribit Pbereponus, Auguſtinum confidentius explicaſſe Caput v. Epiſtolæ Sancti Pauli ad Romanos. 3

IV. Ex ſcriptis veterum Patrum depromi poſſunt pro Originali peccato apertiſſima teſtimonia. 5

V. Demonſtratur ejuſdem peccati transfuſio ex Eccleſiaſticis definitionibus. 6

VI. Ex miſeriis etiam, quas modo patimur, comprobatur peccatum Originale. 8

VII. Contrahitur idem peccatum etiam a filiis Baptizatorum. 10

VIII. Originale peccatum non eſt mala quædam, ac perverſa ſubſtantia, ut affirmavit Illyricus. 11

IX. Neque eſt ipſum Adæ perſonale delictum. ibid.

X. Sed eſt concupiſcentia, cui ineſt reatus culpæ, ſeu privatio originalis juſtitiæ; adeo, ut concupiſcentia ſit originariæ culpæ quaſi materies, reatus vero ſit illud, quod Theologi appellant formale peccati. 12

XI. Contrahitur originalis noxa propagatione naturæ, eo quod concupiſcentia & libidine ſeminetur corpus, cui lege providentiæ anima a Deo inſeritur, unde hæc carnis conſortio vitiatur. 14

XII. Non ergo transfunditur in Adæ poſteros ob arbitrarium illud pactum, pro quo decertatur in Scholis. 15

XIII. Scelus Judæorum, quibus auctoribus Chriſtus affixus eſt Cruci, nequit appellari peccatum naturæ pervadens in poſteros. 18

XIV. Pueri ſine baptiſmate decedentes minime potiuntur ſupernaturalis beatitudinis. 20

XV. Fictitia eſt quoque beatitudo illa naturalis, quam benigniores quidam iiſdem infantibus pollicentur. ibid.

XVI. Hi enim parvuli morientes abſque regenerationis lavacro dolore aliquo afficiuntur. ibid.

XVII. Imo & plectuntur pœna ſenſus, licet in comparatione adultorum, mitiſſima. 21

XVIII. Hæc eſt doctrina Auguſtini refellentis hæreſim Pelagianam; cujus auctorem recte Noriſius noſter tradidit fuiſſe Origenem. 27

XIX. Rufinus, qui Pelagiano errore imbuit Cæleſtium, eſt Rufinus Aquilejenſis, non Palæſtinus, vel Syrus. 28

XX. Alter Pelagianorum Prodromus fuit Theodorus Mopſueſtenus. 29

XXI. Pelagius, qui nomen ſectæ & hæreſi dedit, fuit patria Britannus, & Monachus inſtituto. ibid.

XXII. Quæ ſcripſit Noriſius de Cæleſtio, & Juliano Pelagianis, hujuſque uxore filia Æmilii, haud merebantur recentiorum Criticorum caſtigationem. 31

XXIII. Nulla eſt hæreſis, quæ tantis anathemotiſmis & vellicationibus fuerit exagitata, quemadmodum Pelagiana. 32

XXIV. Hujus hæreſis ſtatus tres diſtinguuntur: in quorum primo admiſit Pelagius etiam legem, atque doctrinam. 33

XXV. In ſecundo autem erroris ſtatu admiſit etiam gratiam, quæ ſanctam dilectionem inſpirat, at non ut ſimpliciter neceſſariam. 34

XXVI. Tandem in tertio ſtatu admiſit Pelagius ut neceſſariam gratiam internæ illuminationis; at numquam gratiam, quæ adjuvat voluntatem per inſpirationem caritatis. ibid.

XXVII. Quartus ſtatus Pelagianæ hæreſeos, in qua agnoverit veram gratiam conſiſtentem cum indifferentia liberi arbitrii, commentum eſt Janſenianum. 36

XXVIII. Habitualem quidem gratiam Pelagius agnovit, at non ſenſu recto & Catholico. ibid.

XXIX. Præter habitualem ipſam gratiam, neceſſarium eſt ad actus ſupernaturales præmovens aliquod actuale adjutorium. 37

XXX. Adjutorium iſtud nihil aliud eſt, quam mentis illuſtratio, & inſpiratio caritatis; ſed magis in hac inſpiratione, quam in illa illuſtratione, conſiſtit. 38

XXXI. Recte ergo Gratia ab Auguſtino definitur, Eſt inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus. 39

XXXII. Dividitur hæc Gratia in ſufficientem, & efficacem; & hæc eſt inſpiratio caritatis ſuperans contrariam cupiditatem. 40

XXXIII. Habet hæc gratia gradus ſuos, ex quibus abſque ullo præjudicio abſolutæ Dei

voluntatis dignoſcitur una cum vera arbitrii noſtri libertate mirabilis ejuſdem gratiæ œconomia. 41
XXXIV. *Atque hæc ſententia recte explicata nihil habet affinitatis cum hæreſi Janſeniana, in qua victrix delectatio libertatem evertit.* 42
XXXV. *In hoc infirmitatis ſtatu admittendam eſſe Gratiam* ab intrinſeco *efficacem, demonſtratur ex ſacris literis.* 45
XXXVI. *Idem evincitur ex Orationibus Eccleſiæ.* 47
XXXVII. *Traditur eadem ſententia a Gratiæ ſtrenuiſſimo vindice S. Parente Auguſtino.* ibid.
XXXVIII. *Conſpirant in eamdem alii etiam Eccleſiæ Patres.* 50
XXXIX. *Magis, magiſque hæc ſententia firmatur ex aliarum confutatione.* ibid.
XL. *Doctrinæ de Gratia per ſe efficaci nihil præjudicii, ſed multum potius auctoritatis acceſſit tam occaſione diſſidiorum Belgii, quam ex inſtitutis Congregationibus* De Auxiliis. 51
XLI. *Fruſtra quidam nituntur demonſtrare, quod hæc doctrina liberi arbitrii poteſtatem, & indifferentiam interimat.* 53
XLII. *Eſt autem Gratia tale donum, quod ſolis operibus naturalibus nec* de condigno, *nec* de congruo *poſſumus promereri.* 56
XLIII. *Ad prævenientem gratiam nemo poteſt ſeſe viribus naturæ* poſitive *diſponere: & diſpoſitionis* negativæ *nullam Deus rationem habet in ſuorum diſpenſatione donorum.* ibid.
XLIV. *Non extat lex aliqua, aut promiſſio, per quam Deus facienti quod in ſe eſt per naturales vires arbitrii gratiam ſupernaturalem elargiatur.* ibid.
XLV. *Itaque ex gratia eſt etiam bona voluntas, quæ fidem præcedit, quidquid opinati fuerint Semipelagiani.* 59
XLVI. *Quorum errori nequaquam præluſit S. Joannes Chryſoſtomus.* 60
XLVII. *At Caſſianus ejuſdem Chryſoſtomi diſcipulus nequit a Semipelagianiſmi nota purgari.* 62
XLVIII. *Etiam Fauſtus Rejenſis fuit revera imbutus Semipelagianorum errore.* 63
XLIX. *Vincentius Lirinenſis fuit & ipſe Semipelagianus.* ibid.
L. *Quid vero de Hilario Arelatenſi dicendum eſt? De ſancto hoc viro judicium Cardinalis Noriſii grave eſt, libratum, & verum.* 65
LI. *Ad Semipelagianos declinavit etiam Gennadius.* 66
LII. *Contra eos, alioſque Chriſti Gratia ad initium fidei aſſeritur neceſſaria.* 67
LIII. *Non admiſerunt Semipelagiani neceſſariam ad fidei initia aliam gratiam, quam mentis illuſtrationem.* 68
LIV. *Debemus ſimul cum gratia defendere liberum arbitrium, & refellere quælibet perverſa dogmata hæreticorum.* 72
LV. *Itaque idem liberum arbitrium etiam in homine lapſo perſiſtit.* 73
LVI. *Tradit hoc dogma Catholicum Auguſtinus & contra Manichæos, & contra Pelagianos decertans.* 74
LVII. *Ad libertatis eſſentiam pertinet poſſe agere, & non agere; non autem poſſe peccare: quod potius defectus eſt libertatis.* 76
LVIII. *Requiritur* libertas indifferentiæ *ad meritum, vel demeritum etiam in ſtatu naturæ lapſæ.* 77
LIX. *Indifferentia liberi arbitrii non eſt mere paſſiva, ut opinantur hæretici.* ibid.
LX. *Futile eſt quidquid adverſus liberi arbitrii activam indifferentiam Lutherani, Calviniſtæ, & Janſeniani objectant.* 78
LXI. *Blaſphemum eſt appellare Deum cauſſam peccatorum.* 82
LXII. *Male de Gratia & libero arbitrio ſenſerunt Bajus, & Janſenius, & Queſnellus.* 86
LXIII. *Aſſertiones complures Baji anno 1560. revera proſcriptæ fuerunt a ſacra Facultate Pariſienſi.* 88
LXIV. *Subreptitiæ non ſunt Romanorum Pontificum adverſus eumdem Bajum Conſtitutiones.* ibid.
LXV. *In Bulla Pii V. ejuſque confirmationibus, articuli Baji vere ac proprie in ſenſu ab aſſertoribus intento reprobati fuerunt.* 89
LXVI. *Damnationi ipſorum articulorum nefas eſt refragari.* ibid.
LXVII. *Affirmavit Janſenius aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, eſſe impoſſibilia, & deeſſe illis gratiam, qua poſſibilia fiant.* 90
LXVIII. *Verum Auguſtinus oppoſitum tradidit.* 90. 91
LXIX. *Et recte propoſitio illa Janſenii declarata eſt,* Temeraria, impia, blaſphema, anathemate damnata, & hæretica. 91
LXX. *Janſenius etiam aſſeruit, interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſti.* 93
LXXI. *At Auguſtinus contrarium docuit.* ibid.
LXXII. *Meritoque ſecunda hæc Janſenii poſitio* tanquam hæretica *proſcripta eſt.* ibid.
LXXIII. *Protulit Janſenius & enunciationem illam hæreticam:* Ad merendum, & demeren-

merendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione. 95
lxxiv. *In qua aſſertione Janſenio opponitur Auguſtinus.* ibid.
lxxv. *Debuitque hæc tertia Janſenii propoſitio eadem cenſoria animadverſione damnari.* ibid.
lxxvi. *Etiam in hoc abſurdum Janſenius prolapſus eſt, ut ſcripſerit Semipelagianos admiſiſſe prævenientis gratiæ neceſſitatem etiam ad fidei initium, & in hoc fuiſſe hæreticos, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas obſiſtere, vel obtemperare.* ibid.
lxxvii. *Quod eſt plane falſum, & a doctrina S. P. Auguſtini alienum.* ibid.
lxxviii. *Ideoque hæc quarta propoſitio Janſenii recte damnata eſt* tanquam falſa & hæretica. ibid.
lxxix. *Janſeniana eſt etiam hæc enunciatio:* Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe. 96
lxxx. *Verum Auguſtinus Chriſtum pro omnibus & ſingulis pretioſum ſanguinem effudiſſe, innumeris in locis aſſeruit, & commonſtravit.* ibid.
lxxxi. Falſa *eſt autem hæc aſſertio Janſenii*, temeraria, ſcandaloſa, *aliiſque notis, quibus afficitur ab Eccleſia, jure meritoque confixa.* ibid.
lxxxii. *Quæ vero a Janſeniſtis adverſus univerſorum redemptionem objiciuntur, non ex incertis quorumdam placitis, ſed ex communi Conciliorum, & Patrum doctrina diluuntur, & refutantur.* 97
lxxxiii. *In hoc etiam Janſeniani decipiuntur, quod pugnaciter contendant judicium Romani Pontificis in* factis dogmaticis *eſſe obnoxium errori.* 100
lxxxiv. *Denique ſe obſtringunt graviſſimo perjurii crimine, qui* obſequioſo, *ut inquiunt,* ſilentio, *atque ſimulatione celebri* Formulario *ſubſcribunt.* 103
lxxxv. *Poteſt utcunque rationalis creatura veritatem aliquam naturalem ſine gratia ſcrutari.* 115
lxxxvi. *Requiritur tamen ipſa gratia, ut mens piis ſtudiis intenta juvetur ad æternam vitam capeſſendam.* ibid.
lxxxvii. *Multa fiunt etiam ab infidelibus & impiis, quæ ſi inſpiciantur officia virtutum, habent decus laudis, neque appellari debent peccata.* 116
lxxxviii. *Sunt tamen virtutes infidelium, ut plurimum, germen inutile, & marceſcent; quoniam vitio aut philautiæ, aut inhoneſtatis labefactantur.* 117
lxxxix. *Alio quoque ex capite quæ ſine Chriſti gratia ab infidelibus peraguntur, nequeunt inter virtutes connumerari; ſcilicet quia ad veram & Chriſtianam pietatem nihil conferunt.* ibid.
xc. *Quicquid igitur boni patraverunt infideles, non fuit a ſuperna gratia disjunctum.* ibid.
xci. *At neceſſaria non eſt ad non peccandum fides* habitualis, *nec gratia remiſſionis peccatorum.* ibid.
xcii. *Utrum bonum opus morale ſine gratia patratum careat vitio, diſputant in utramque partem Scholaſtici.* 119
xciii. *Petenti quid nos in hac gravi quæſtione opinemur, reſpondemus ſubſcribere utroque pollice Auguſtino, cujus ſententiam exponimus.* 121
xciv. *Ad obſervanda divina præcepta,* ut oportet, *cogimur divinum implorare auxilium.* 122
xcv. *Nec poſſumus abſque gratia Deum ſuper omnia diligere.* ibid.
xcvi. *Sine eadem gratia non poſſumus aut peccatum vitare, aut* undequaque *vincere tentationes.* 126
xcvii. *Ut vero vitentur peccata quælibet venialia, neceſſarium eſt gratiæ ſingulariſſimum beneficium.* 127
xcviii. *Finalis quoque perſeverantia eſt donum gratiæ magnum, & ſpeciale.* 129
xcix. *Deus pro omnibus ac ſingulis remedia ſalutis inſtituit, paravitque, exhibuit, & quantum eſt ex ſe, nulli prorſus mortalium denegat Gratiæ ſuæ beneficentiſſimam largitatem.* 132
c. *Non eſt de fide, quod ſinguli reapſe recipiant auxilium gratiæ omnibus miſericorditer exhibitum ac præparatum.* ibid.
ci. *Neque neceſſaria eſt ad imputationem peccati præſens & actualis inſpiratio divinæ gratiæ.* ibid.
cii. *Cuilibet fideli, niſi libere ponat obicem, adeſt gratia orationis, qua impetrare poteſt auxilium immediate ſufficiens ad implenda mandata.* 133
ciii. *At nemo abſque gratia per ſe efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu.* ibid.
civ. *Et probabilior ſententia, auxilia, quæ omnibus divina munificentia paravit, quibuſdam aliquando deeſſe ob impedimenta, quæ objicit humanum demeritum.* 134
cv. *Denegatur enim ſufficiens auxilium puerulis vita functis ante Baptiſmum.* ibid.

cvi. *Nonnullis etiam infidelibus deeſt eorum culpa ſufficiens gratia ad credendum.* ibid.

cvii. *Sunt & aliqui in ſcelera damnabili obſtinatione ruentes, quibus gratia ſufficiens aliquando ſubtrahitur.* 135

cviii. *Ceterum quiſquis non adjuvatur a Deo per ſubminiſtrationem gratiæ actualis, queri debet de prava ſua voluntate, non de ipſo Deo beneficentiſſimo gratiarum ſuarum largitore.* 136

cix. *Quod omnibus ac ſingulis hominibus nunquam denegetur ſufficiens gratia, nec Auguſtinus aſſeruit, nec Proſper, nec Oroſius, nec Sanctus Thomas.* 137

cx. *Etiamſi in Juſtis ipſa Perſona Spiritus ſancti inhabitet,* 154

cxi. Habitualis *tamen Gratia non eſt eadem Spiritus ſancti perſona.* ibid.

cxii. *Sed habitus caritatis, quæ in cordibus noſtris per ipſum Spiritum ſanctum diffunditur.* ibid.

cxiii. *Juſtificantur itaque impii per inhærentem gratiam, & non per ſolam imputationem juſtitiæ Chriſti, neque per ſolam peccatorum extrinſecam condonationem.* 155

cxiv. *Atque in iis, qui juſtificantur, vere peccata delentur; non ita teguntur, ut adhuc inquinata ſit anima.* 157

cxv. *Sanctificans gratia, & mortale peccatum nequeunt ſimul conſiſtere.* 158

cxvi. *Neque peccati macula omnino deleri poteſt abſque gratia inhærente.* ibid.

cxvii. *Diſponuntur ad juſtificationem adulti fide, timore, ſpe, dilectione, ceteriſque actibus, quos Tridentina Synodus ſingillatim enumerat.* ibid.

cxviii. *Docens itaque Apoſtolus homines gratis, & per fidem juſtificari, non excludit opera, quæ fiunt præveniente actualis gratiæ adjutorio.* 159

cxix. *Nec, ut impie ſentiunt hæretici, repetit juſtificationem a ſola fide divinarum promiſſionum, ſive firma in Chriſtum fiducia.* 160

cxx. *Opera bona nequaquam cenſenda ſunt ſordes, & animarum inquinamenta.* 162

cxxi. *Et neceſſaria omnino ſunt, ut adulti æternam ſalutem adipiſcantur.* ibid.

cxxii. *Faſtoſum non eſt, ut inquiunt hæretici, nomen* meriti, *ſed recte illo utuntur Catholici, recte illud deſcribunt & dividunt.* 163

cxxiii. *Decipiuntur vero Sectarii, dum putant primam meritorii operis conditionem eſſe, ut in ſe perfectum ſit, tam graduum, quam partium ratione.* ibid.

cxxiv. *Errant quoque ſtatuentes conditionem alteram, quod opus meritorium ſit illi, cui impenditur, prorſus indebitum.* ibid.

cxxv. *Male etiam requirunt conditionem tertiam, ut opus plane ac in primis ſit noſtrum, & nulla ratione ſit ejus, a quo expectamus mercedem.* 164

cxxvi. *Fruſtra & quartam conditionem ſtatuminant, ut opus in ſe ſpectatum habeat cum mercede proportionem æqualitatis.* ibid.

cxxvii. *His itaque conditionibus rejectis, requiritur primo ad meritum ut opus ſit bonum, ac liberum.* 165

cxxviii. *Deinde, ut fiat prævenientis gratiæ auxilio.* ibid.

cxxix. *Inſuper, ut patratum ſit in ſtatu viæ, & proficiſcatur ex caritate.* ibid.

cxxx. *Ulterius, ut interſit divina promiſſio.* 166

cxxxi. *Ad meritum denique* de condigno *requiritur habitualis gratia, per quam filii Dei conſtituimur.* ibid.

cxxxii. *Statutis autem his conditionibus, affirmandum eſt opera, quæ juſtificationem præcedunt, habere quidem meritum* de congruo, *at non* de condigno. ibid.

cxxxiii. *At quæ juſtificationem conſequuntur, non* de congruo *tantum, ſed etiam* de condigno *mereri vitam æternam.* 167

cxxxiv. *Promeretur etiam juſtus* de condigno *ſanctificantis gratiæ augmentum, ſed non ejuſdem gratiæ perſiſtentiam, & finalem perſeverantiam.* 168

cxxxv. *Quandiu juſtus mortalem hanc vitam agit, poteſt excidere a ſanctitate.* 169

cxxxvi. *Et abſque ſpeciali revelatione nequit habere de ſua juſtitia certitudinem fidei.* 171

cxxxvii. *Status denique gratiæ ſanctificantis poteſt magis perfici, atque augeri.* 172

cxxxviii. *Recta ratio imperandi & prohibendi, quam* Legem *appellant, & quæ voluntatis actum complectitur,* 175

cxxxix. *Certas, ut obſtringat, poſtulat conditiones.* ibid.

cxl. *Quæ ſi adſint, etiam juſti legibus ſubjiciuntur.* 176

cxli. *Ac primum inter leges locum tenet Æterna, ceterarum omnium fons & origo.* 177

cxlii. *Cujus participatio eſt lex naturæ menti rationalium inſcripta, &* ibid.

cxliii. *Rectam Dei, proximorumque dilectionem præſcribens.* 178

cxliv. *Hæc autem naturalis lex neque abrogari poteſt,* 179

cxlv. *Neque propriam admittit diſpenſationem.* 180

cxlvi. *Sequitur lex ſcripta, quæ Deum habet auctorem,* 182

cxlvii. *Congruis, non pravis, ut quidam hæretici commenti ſunt, conſtituta præceptis.* 183

cxlviii. *Id demonſtrans adverſus Fauſtum Auguſtinus non erravit, contra quam ſentiat Phereponus, aut exponens verba illa Deuteronomii,* Maledictus omnis, qui pendet in ligno. 186

cxlix. *Aut alia,* Erit vita tua quaſi pendens ante te. ibid.

el. Prohe-

cl. *Probabiliorem quoque ſententiam tenuit, dum ait Saram fuiſſe Abrahami neptem, & conſanguineam.* ibid.
cli. *Scriptæ legis promulgator* Moſes *hebraico appellatur vocabulo.* 187
clii. *Non fuit Polygamus.* ibid.
cliii. *Nec homicida.* ibid.
cliv. *Nec Heliopolitanus infectus lepra.* 188
clv. *Eique non tribuunt cornutam faciem Catholici, ut heretici calumniantur.* ibid.
clvi. *Non videtur fuiſſe primus literarum inventor.* 189
clvii. *In tabulis Moyſi ita diſtributus erat Decalogus, ut prima tabula tria tantum præcepta contineret, altera ſeptem reliqua.* ibid.
clviii. *Primo præcepto ſimulacra duntaxat idolorum, & imagines ad adorandum conflata, non omnes promiſcue, prohibebantur Judæis.* 190
clix. *Hoc autem, ceteriſque præceptis, ut liquet ex noſtra interpretatione, traditur rectiſſima agendarum rerum menſura.* ibid.
clx. *Ritus etiam legales, & ſecundaria Judæorum præcepta fuerunt optimo, providoque conſilio inſtituta.* 193
clxi. *Hæc, quamvis abrogata fuerunt in Chriſti morte,* 196
clxii. *Non tamen fuerunt ſtatim exitioſa, & mortifera.* ibid.
clxiii. *Eaque Apoſtoli abſque ulla ſimulatione aliquandiu uſurparunt.* 197
clxiv. *At quoniam neminem obſtringebant, recte Paulus reſtitit Cephæ: quem alium a Petro perperam quidam exiſtimans.* 200
clxv. *Veteri ſucceſſit lex nova longe præſtantior, ſuis etiam præceptis obſtringens, quicquid heretici oganniant.* 201
clxvi. *Ut obligent leges humanæ, niſi aliter ſtatuat Legislator, ſat eſt ſi ad notitiam ſubditorum pervenerint.* 203
clxvii. *Neque pendent ullo pacto a populorum acceptatione.* 204
clxviii. *Humanæ autem leges ligant quoque in interiori conſcientiæ foro.* 206
clxix. *Excepto tamen graviſſimo nocumento, proximoque vitæ diſcrimine.* 207
clxx. *Operi, quod tam in ſe inſpectum, quam attentis rerum circumſtantiis leve eſt, parvique momenti, nequit Legislator adnectere obligationem ſub pœna mortalis culpæ.* 208
clxxi. *Poteſt Eccleſia interiorem quoque actum* per ſe, ac directe *præcipere.* ibid.
clxxii. *Non habent Poteſtates ſæculares auctoritatem aliquam, aut imperium ſtatuendi leges Eccleſiaſticas.* 209
clxxiii. *Sed aliquas duntaxat leges ferre poſſunt ad Eccleſiaſticas, divinaſque promovendas, non tanquam Eccleſiæ Judices, ſed tanquam defenſores, ac vindices.* 210
clxxiv. *Eccleſiæ autem Paſtoribus non ſolum competit munus ſuadendi & declarandi; ſed etiam auctoritas & poteſtas coactiva, qua poſſunt ſuarum legum fractores vi, & impoſita neceſſitate compeſcere.* ibid.
clxxv. *Non pugnat cum ſpirituali Eccleſiæ regimine temporalis juriſdictionis regnique poteſtas.* 211
clxxvi. *Et reapſe ſummo Eccleſiæ Paſtori utraque ſimul poteſtas competit, Eccleſiaſtica videlicet, & politica.* ibid.
clxxvii. *Ad nutum Pontificis qualibet civilis poteſtas, quæ in corpore Eccleſiæ tenet imperium, deberet arma tractare, & cetera complere propria auctoritatis officia.* 212
clxxviii. *Ipſe Legislator aliquo pacto legibus a ſe latis obſtringitur.* 213
clxxix. *Advenæ, ac peregrini locorum, ad quæ accedunt, legibus ſubjiciuntur.* ibid.
clxxx. *Clerici legitime bona poſſident temporalia.* 214
clxxxi. *Neque cogi debent ad tributa ſolvenda, neque ad munia laicorum obeunda.* ibid.
clxxxii. *Immunitatem Eccleſiaſticam, quocunque jure inducta ſit, nequeunt Principes ſæculares temerare, aut minuere.* 215
clxxxiii. *Recte in Latina Vulgata connumerantur quatuor civitates aſyli in Tribu Ruben.* 216
clxxxiv. *Decretales ante Siricium Epiſtolæ, licet ſint magna ex parte ſuppoſitæ, non ſunt rejiciendæ tanquam doctrinis Apoſtolicis repugnantes.* 217
clxxxv. *Collecti a Gratiano Canones non aliam habent auctoritatem, quam fontium, locorumque, unde ſunt derivati.* 218
clxxxvi. *Definiri non poteſt Canonum Apoſtolicorum certus numerus.* 219
clxxxvii. *Tametſi aliqui a primis Eccleſiæ ſæculis obtinuerint.* ibid.
clxxxviii. *Romanorum leges ab Atticis, iſtas vero ab Hebræis derivaſſe mira ſingularum concordia demonſtrat.* ibid.
clxxxix. *Eximunt interdum a legum onere Privilegia, Diſpenſationes, Conſuetudines.* 221
cxc. *Legibus conformari debent humana Officia, quorum libertatem penitus non evertit aut metus incuſſus, aut alliciens concupiſcentia.* 224
cxci. *Sunt vero omnia, quæ cum libertate patrantur, in individuo vel honeſta, vel prava.* 225
cxcii. *Et externum opus nihil* per ſe *interiori voluntati in rem honeſtam, in quam ve deli-*

berate vergente, addit decoris, vel turpitudinis. 227
cxciii. *Virtus juxta Auguſtinum nihil eſt aliud, quam ordo amoris.* 229
cxciv. *Ac virtutis præmium, & ſempiterna felicitas, quamquam ex viſione, & amore Dei coaleſcit.* 231
cxcv. *Potiſſimum tamen ſita eſt in amore, quo Deo fruimur.* 232
cxcvi. *E contra ſcelus, & culpa eſt amoris inordinatio, & conſiſtis in rectitudinis privatione.* 233
cxcvii. *Intercedit inter peccata diſcrimen, & quædam ſunt genere ſuo venialia.* 235
cxcviii. *Quæ mortalia dicuntur, habent nequitiam moraliter infinitam.* 237
cxcix. *Non requiritur ad imputationem peccati, ut animum ſubeat ſancta cogitatio, per quam advertat ad peccati malitiam.* 238
cc. *Fictitium eſt peccatum philoſophicum.* 239
cci. *Excuſat a culpa ignorantia juris naturalis, dummodo ſit invincibilis.* 240
ccii. *Sed nullus hominum compos ſui tali ignorantia laborat quantum ad univerſalia principia, & proximas conſecutiones.* ibid.
cciii. *Ea propter ignorantia, & delectatio aliquando culpabilis cenſenda eſt, aliquando excuſanda.* 242
cciv. *Idem de conſcientia dicendum; cui tenemur morem gerere, ſi recta ſit, moraliter certa, nec voluntario errore obcæcata.* 243
ccv. *Dum in opinione verſamur, ſi tenuis adſit probabilitas, eidem adverſus legem morigerari iniquum eſt.* 248
ccvi. *Opinio quippe probabilis niſi conſcientiam moraliter certam ingeneret, haud eſt firmiſſima morum regula.* 249
ccvii. *Nefas propterea eſt ſequi opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate, in concurſu opinionis probabilioris, quæ ſtet pro lege.* 252
ccviii. *Viro Theologo non licet ex ſententia, quam ipſe oppugnat, cenſetque minus probabilem, alteri conſilium dare.* 258
ccix. *Nec homini ignaro fas eſt varios adire Caſuiſtas, eo animo, ut tandem inveniat aliquem benigniorem, affirmantem eſſe probabile, quod alii improbant, ſibique fas ſit eligere quod magis libet.* 259
ccx. *Confeſſarius pariter non debet abſolutionem impendere iis, qui ſequuntur opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate, eamque nolunt deponere.* ibid.
ccxi. *Sequi tamen poſſumus in qualibet materia, ſive juris, ſive facti, ſententiam probabilem, quæ poſt diligentem veritatis inquiſitionem appareat ſententia oppoſita probabilior.* 265
ccxii. *Atque his imbuti præceptis execramur in primis idololatriam, ac ſummam eorum dementiam, qui coluerunt maſculos Deos Conſentes.* 268
ccxiii. *Habemus eodem loco, qui in numero Deorum Conſentium locarunt feminas.* 269
ccxiv. *Riſu pariter excipienda eſt fabularis ſelectorum Deorum hiſtoria.* 270
ccxv. *Et una cum iis amandanda profana numina, quæ vetus Teſtamentum commemorat.* 271
ccxvi. *Repudianda eſt etiam, atque execrabilis religio, quæ viget apud Turcas & Mahumetanos.* ibid.
ccxvii. *Ceteris autem omnibus præferenda eſt Chriſtiana religio, quam conſtat evidentiſſime veram eſſe.* 273
ccxviii. *Ab eadem religione Chriſtiana alieni ſunt qui Chriſti divinitatem, & Incarnationem non confitentur.* 275
ccxix. *Necnon heretici omnes, & ſectæ Calviniſtarum, Lutheranorum, aliorumque Proteſtantium.* 277
ccxx. *Romanæ itaque Eccleſiæ divina gratia adſcripti, illius ſymbolum tanquam Apoſtolicum veneramur.* 278
ccxxi. *Et ab Apoſtolis revera conditum fuiſſe defendimus.* 279
ccxxii. *Nihil commentitium huic ſymbolo fuis appoſitum; ideoque propugnamus etiam Chriſti deſcenſum ad inferos.* 282
ccxxiii. *Aſſerimus expectandam eſſe univerſalem corporum reſurrectionem,* 286
ccxxiv. *Eamque futuram in eadem numero carne, quæ morte diſſolvitur.* 287
ccxxv. *Quamvis non eadem futuræ ſint omnium reſurgentium corporum affectiones.* 288
ccxxvi. *His, aliiſque a Deo revelatis aſſentimur virtute Fidei, quam recte definit Apoſtolus cap. xi. ad Hebræos.* 289
ccxxvii. *Quæ fides ſemper quoad ſubſtantiam credibilium a mundi exordio ad hæc uſque tempora fuit eadem.* 290
ccxxviii. *Statui nequit ejuſdem fidei norma, & libella in ſola humana ratione, ut contendunt Sociniani.* ibid.
ccxxix. *Neque ſufficit ad omnia dogmata definienda, ut paſſim reliqui Novatores autumant, ſcriptum Dei Verbum: quod non eſt omnibus apertum, atque perſpicuum.* 292

ccxxx. *Judicium enim de fidei quæſtionibus nequit ex ſolis Scripturis repeti, ſublata Judicis vivi auctoritate.* 293.
ccxxxi. *Nec idoneum erit judicium, ſi fiat privato ſpiritu, & intima cujuſque fidelis perſuaſione.*
ccxxxii. *Præter divinam Scripturam ſacræ quoque Traditiones ſunt admittendæ.* 294
ccxxxiii. *Fides vero Mediatoris in veteri quoque Teſtamento fuit neceſſaria, ſed non fides* explicita *in ejus divinitatem, ac individuæ Trinitatis myſterium.* 297 306.
ccxxxiv. *Verum in hoc novæ legis ſtatu ipſa* explicita *fides requiritur.* ibid.
ccxxxv. *Non ad ſalutem æternam tantummodo, ſed etiam ad juſtificationem obtinendam.* ibid.
ccxxxvi. *Requiritur & externa fidei confeſſio, & nunquam licitum eſt fidem ipſam negare.* 308.
ccxxxvii. *Immo nec religionem ſimulare profanorum rituum, ciborum, veſtium, nominumque gentium idololatrarum uſurpatione, ubi ſint ſuperſtitioſi cultus indicium.* ibid.
ccxxxviii. *Fas eſt aliquando in perſecutione fugam arripere.* 309.
ccxxxix. *At quid de Sinenſium Ritibus? Falſum eſt omnes promiſcue approbatos anno 1656. a Sacra Congregatione.* 310
ccxl. *Edictum Caroli Maigrot recte, provideque ſuperſtitioſos eliminavit.* ibid.
ccxli. *Decretum quoque Cardinalis de Tournon a Clemente XI. & Benedicto XIII. confirmatum complures jure, meritoque proſcripſit.* 311
ccxlii. *Permanet vera fides etiam in homine impio.* 312
ccxliii. *Non tamen in hæretico.* ibid.
ccxliv. *Neque in ſolutis corpore animabus, jam in termino conſiſtentibus.* 313
ccxlv. *Datur ſpes a fide, & a caritate diſtincta.* 314
ccxlvi. *Quæ in eo non perſiſteret, cui facta eſſet futuræ damnationis certiſſima revelatio.* ibid.
ccxlvii. *Spei certitudo, quamquam admodum firma, ſalutarem timorem minime excludit.* 315
ccxlviii. *Licet autem timor mundanus ſit perverſus & noxius.* ibid.
ccxlix. *Timor ſervilis eſt ſummopere utilis, ſupernaturalis, & donum Dei.* 136
ccl. *Illo tamen laudabilior eſt timor caſtus, & permanens in ſeculum ſæculi.* 317
ccli. *Ea, quæ ad ſpem pertinent, in oratione Dominica continentur.* ibid.
cclii. *Caritas omnium virtutum maxima veram paris inter Deum, & hominem amicitiam.* 319
ccliii. *Ante omnia Deus etiam interiori caritate diligendus eſt.* ibid.
ccliv. *Diligendus ſemper, actu, aut virtute.* 320
cclv. *Et diligendus ex toto corde, in tota anima, in tota mente.* ibid.
cclvi. *Animarum Dei caritate flagrantium datur aliquandiu* quies, *ſed ei, quam Molinoſius invexit, e diametro oppoſita.* 321
cclvii. *Status item* puri amoris, *in quo anima nullam gerat propriæ ſalutis curam,* fanatiſmus *eſt, non caritatis perfectio.* ibid.
cclviii. *Nec repugnat caritati ſervare legem intuitu ſempiternæ mercedis.* 322
cclix. *Proximi etiam diligendi ſunt propter Deum, ſervato ordine caritatis, parentes, filii, uxor, fratres, ac pauperes.* 323
cclx. *Atque hi ſubſidia eleemoſynarum juvandi.* 324
cclxi. *In præcepto eſt inimicorum dilectio.* ibid.
cclxii. *Tametſi liceat Chriſtianis adverſus hoſtes, ſervatis conditionibus, bellum gerere.* 325
cclxiii. *At illicitum prorſus eſt initum ex condicto ſingulare certamen.* ibid.
cclxiv. *Ut licita ſit occiſio injuſti aggreſſoris, ſequeſtrari debet a noxia cupiditate.* 326
cclxv. *Ipſa malorum origo cupiditas illicitis inhiat oblectamentis, inter quæ ſunt connumeranda Veterum Bacchanalia.* 330
cclxvi. *Hæc nequeunt conſeri honeſta, ut celebrantur ab aliquibus, qui conceſſione Principum abutuntur.* ibid.
cclxvii. *Interdum quippe, ſi non omnia, quædam ſaltem theatra ſuperare videntur Gentilium luxum, & inſanientem libidinem.* 331
cclxviii. *Et nonnullæ recentiores comœdiæ ſunt magis, quam antiquæ, deſpiciendæ.* ibid.
cclxix. *Quapropter iniquiſſimi cenſendi ſunt hiſtriones inverecundi.* ibid.
cclxx. *Graviterque delinquunt, qui ludicram ſcenam ſpectant, niſi comœdia ſit honeſtiſſima.* 332
cclxxi. *In perſonis autem, larviſque penes nonnullos improbos immoderatior eſt ætate noſtra, quam regnante ſuperſtitione, luxuries.* ibid.
cclxxii. *Deteſtabile eſt mulieres habitu virorum perſonatas incedere, & viros vicissim veſtimentis mulierum.* ibid.
cclxxiii. *Saltationes, quarum in ſacris litteris ſit mentio, damnant quamplures præſentium chorearum abuſus.* 333
cclxxiv. *Ab antiquis Ethnicis ſaltatoribus edocemur quantum dedecet inhoneſtas frequentare choreas.* ibid.

cclxxv. *Quiſquis ergo immodice choreas agit, a culpa vix erit immunis.* 334
cclxxvi. *Feſtis autem diebus a choreis, & ſaltationibus eſt omnino abſtinendum.* ibid.
cclxxvii. *Cum adæquent nonnulli cantores (probos excipimus) improbitatem veterum,* ibid.
cclxxviii. *Oportet, ut Chriſtiani aſpernentur cantum mollem, atque inverecundum.* 335
cclxxix. *Prohibentur etiam Chriſtiani figmenta legere Poetarum.* ibid.
cclxxx. *Adoleſcentibus permitti poteſt ludus latrunculorum.* 336
cclxxxi. *Ludus autem alearum, tanquam omnis nequitiæ ſeminarium, eliminandus, & abjiciendus omnino eſt.* ibid.
cclxxxii. *Inhibetur quoque Chriſtianis decurſio ludicra, vel agmen Troicum.* ibid.
cclxxxiii. *Ac deteſtanda præ ceteris ſunt ea ſpectacula, in quibus tauri & feræ agitantur in circo, maxime ſi cum illis homines congrediantur.* 337
cclxxxiv. *Conjungi ſolet venatio ſylvatica cum violatione feſtorum.* ibid.
cclxxxv. *Summopere deteſtandus eſt vigens in præſentia veſtimentorum cultus immodicus.* ibid.
cclxxxvi. *Conſuetudo autem mulierum, quæ faciem ceruſſa obliniunt, nequiſſimi flagitii complectitur turpitudinem.* ibid.
cclxxxvii. *Maxima ergo in cultu veſtium præſeferenda eſt moderatio.* 338
cclxxxviii. *Splendidus conviviorum apparatus nonniſi a luxu corruptæ Gentilitatis emanavit.* ibid.
cclxxxix. *Inebriari vino ſcelus eſt nefarium, deteſtabile, atque turpiſſimum.* ibid.
ccxc. *Argumenta, quæ Cardinalis Brancacius producit ad probandum, quod cocolatis potione Eccleſiaſticum non frangatur jejunium, non videntur frugi Theologo penitus ſatisfacere.* 339

CEN

Digitized by Google

CENSURA.

Præclariſſimus Auctor Operis inſcripti *De Theologicis Diſciplinis* in Tomis quarto & quinto, quos ex commiſſione Reverendiſſimi Patris Generalis perlegi, nedum totus Catholicus, & orthodoxus eſt, verum etiam eamdem exhibet, ac in prioribus libris nova, & gratiſſima methodo concinnatis, exquiſitam eruditionem, judicium acutiſſimum, & moderationem animi ſingularem. Quamobrem præfatas ipſius lucubrationes, & noſtratibus Theologiæ Candidatis, in quorum gratiam nunc primum prodeunt, & omnibus reconditioris doctrinæ cupidis, & ſanioris Theologiæ ſtudioſis utiliſſimas cenſeo, & Prælo digniſſimas.
Dabam Romæ die 15. Februarii, 1740.

Fr. Joannes Andreas Onofri Genuenſis Sacræ Theologiæ Magiſter Procurator Generalis Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini.

CENSURA.

Quoniam A. R. P. Magiſter Fr. Joannes Laurentius Berti hujuſce Romani Collegii Gymnaſiarchus optime de ſaniori Theologia mereri pergit in quarto, & quinto *De Theologicis Diſciplinis* Voluminibus, quæ juſſu Sapientiſſimi totius noſtri Ordinis Præſulis expendenda ſuſcepi, quos tribus prioribus magno plauſu ubique exceptis calculos adjeci, eoſdem duobus hiſce lubens adjicio. Par ſiquidem in omnibus eſt rerum delectus, judicii præſtantia, ſelectæ eruditionis copia, ac religionis integritas: quorum proinde intuitu e re publica erit, ut Typis mandentur. Ita ſentiebam ex S. P. Auguſtini de Urbe hac die 29. Februarii 1740.

Ego F. Hieronymus Auguſtinus Zazzeri publicus in Romana Sapientia Sacræ Scripturæ Interpres, Academiæ Theologicæ in Archigymnaſio Urbis Cenſor, ac S. Rituum Congregat. Conſultor.

F. FELIX LEONI
A JUVENATIO

Sacræ Theologiæ Magiſter totius Ordinis FF. Eremitarum S. P. Auguſtini Prior Generalis.

Harum ſerie literarum, & noſtri Muneris auctoritate tibi Rev. P. Magiſtro Joanni-Laurentio Berti facultatem concedimus, ut typis mandare poſſis quartum, & quintum Tomum a te latine compoſitos, quorum titulus eſt, *De Theologicis Diſciplinis*, jam a duobus Patribus Magiſtris noſtri Ordinis per Nos deputatis reviſos & approbatos; ſervatis tamen ſervandis, juxta Decretum ſacroſancti Concilii Tridentini, & noſtri Ordinis ſanctiones, obtentaque ab eis, ad quos ſpectat, facultate.
Datum in Conventu noſtro S. P. Auguſtini de Urbe die 28. Martii 1740.

F. Felix Leoni Generalis.

Noſtri mun. aff. Sig.

Magiſter Fr. Angelus-Maria de Orgio Ordinis Secretarius.

Reg. lib. 1.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Philippus Archiepiſc. Theodoſiæ Viceſg.

CEN-

CENSURA.

Reverendiſſimi Patris Aloyſii Nicolai Ridolfi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri juſſa impleturus *Theologicarum Diſciplinarum* IV., & V. Volumen ab admodum Rev. Patre Magiſtro Jo. Laurentio Berti elucubrata diligentiſſime perlegi. In quibus, haud deſciſcente a ſuperioribus, & a ſe ipſo auctore, adeo nihil diſſonum a recta norma vel fidei, vel morum offendi, ut immo eruditionem, claritatem, comptamque, ac fluidam orationem plane miratus ſim. Quare publica luce digniſſima reor.

Datum in Conventu S. Mariæ Tranſpontinæ pridie Idus Januarii, anni 1740.

Fr. Petrus Thomas Cacciari Romani Cleri Examinator, & in Collegio de Propaganda Fide Theologiæ Lector.

CENSURA.

Quartum, & quintum Volumen *De Theologicis Diſciplinis*, in quibus de Juris, & æqui Regulis, de Humanis Officiis, atque de divinæ Incarnationis Myſterio diſſerit Adm. Rev. P. Mag., & Stud. Regens Jo. Laurentius Berti Eremita Auguſtinianus, Reverendiſſimi P. Aloyſii Nicolai Ridolfi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri mandatis obſequens attente legi, idemque de illis judicium tuli, quod de prioribus libris ab eodem doctiſſimo Auctore feliciter in lucem editis. Omnia videlicet in eo ſunt Catholicæ Fidei & bonis moribus conſona, ſollerter, & ingenioſe, perſpicue, & eleganter, docte, atque erudite pertractata. Itaque digniſſima cenſeo, quæ in publicam lucem edantur.

D. Antonius Andreas Galli Ab. Canon. Regul. Sanctiſſimi Salvatoris Sac. Congr. Indicis Conſultor.

IMPRIMATUR,

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. S. P. A. Magiſter.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER DECIMUSTERTIUS,

In quo Originalis peccati ex primo Homine in poſteros demonſtratur transfuſio.

ADAMI culpa, de qua poſtremo libro diſſerui, non ſolum imitatione ac exemplo, verum etiam propagatione peccati univerſum genus humanum infecit; nam præter paterni ſceleris documentum, cui tanta vis ineſt, ut ad illud ſoleant prognati vitam, moreſque componere, ob perturbatum dominium rationis, atque inſeminatam labem concupiſcentiæ, ipſa filiorum generatio originali ſorde polluitur. Imo, quum gignendis libris operam non dederint Protoparentes ante lapſum, nec fuerint aliqui homines eorum inobedientiæ ſpectatores, imago autem, & recordatio antiquæ felicitatis, quam in tot, ac tantas calamitates commutavit Adæ tranſgreſſio, in nobis triſtitiam potius, & ægritudinem pariat, quam peccandi libidinem; non eſſet veteris delicti ad mentem revocatio tam deploranda, niſi ad nos nequitiæ turpitudinem, ac meritum pœnæ vitiata origo tranſmitteret. Quoniam itaque in iniquitate concepti ſumus, atque in nobis etiam per lavacrum regenerationis expiatis remanet ad agonem languor animi, & lacertoſa cupiditas; opus eſt, ut de Originalis peccati transfuſione, & qualitate inſtituamus Theologicam concertationem. Conſueverunt quidem Scholaſtici hoc facere, ubi de peccatis, & de virtutibus diſputatur: ſed nos huic diſceptationi hunc locum deputamus, propterea quod pertractaturi ſumus deinceps de iis virtutum, aut vitiorum officiis, quæ uſu tantum libertatis propriæ exercentur; ac præterea præſens de Transfuſione peccati diſceptatio magnam habet cum præcedenti connexionem, necnon ad intelligentiam eorum, quæ poſthac dicturi ſumus de Gratia, & de libero arbitrio, apprime eſt neceſſaria.

CAPUT I.

Peccatum Originale ab Adam in poſteros ejus transfundi, ex ſacris litteris demonſtratur.

NEMINEM ob prævaricationem Adæ naſci infectum peccato, & damnationi obnoxium primum commenti ſunt gregales Carpocratis ſecundo Eccleſiæ ſæculo ineunte, ut ſcribit in III. Strom. Clem. Alexandrinus. Deinde in eumdem errorem, in libris ſaltem Periarchon, lapſus eſt Origenes Adamantius, qui Pelagianiſmi ova fovit; quamquam is gratiam baptiſmatis fateretur ad abluenda peccata in ſuperiori vita, priuſquam anima dilaberetur in carnis ergaſtulum, perpetrata. Idem opinatus eſt Pelagius aſſerens Adamum poſteris obſuiſſe non transfuſione, ſed exemplo delicti, adeo verſipellis ut ſuffuratus ſit in Synodo Dioſpolitana a quatuordecim Epiſcopis abſolutionem. Legendus S. Pater de Peccato Origin. cap. 13. & 15. & lib. 1. contra Julianum cap. 5. Manifeſtius hanc evomuerunt blaſphemiam Cæleſtius, & Julianus; qui quinam fuerint, & quantum pro hæreſi Pelagiana pertinaciſſimi operis contulerint videbimus libro proximo. Patrocinatus eſt iis Theodorus Mopſueſtenus, ut referunt Marius Mercator in Commonitorio, & Noriſius de Hæreſi Pelagiana lib. 1. cap. IX. Armenii, Albenſes, Beguini in eodem luto pedibus conſtiterunt. Eraſmus quoque male apud plurimos audiit, quod Catholicis ſtuduerit eripere apertiſſimum Pauli teſtimonium in Epiſt. ad Rom. cap. V. 12. Ipſe tamen poſt interpretationem ſuam, de qua infra, *Ego*, inquit, *demonſtrans hunc locum ad revincendos Pelagianos non eſſe ſatis efficacem relego diſputantem ad alia loca hoc certiora. Hoc non eſt eripere telum Eccleſiæ, ſed indicare tela certiora pro parum certo: nec eſt aperire ruinam hoſtibus, ſed admonere, ne hic urgeamus hoſtem ubi poſſit elabi*. Belle quidem, & præclare nimium: aſt certiora illa tela non profert. Attamen hominem ceteris vehementer ſuſpectum neque abſolvo, neque condemno. Falſam Eraſmi expoſitionem ſecutus eſt Joannes Clericus Animadv. ad Epiſt. Auguſtini 157. olim 89. Mitto Socinianos, qui ad aliorum hæreſum colluvionem etiam Pelagianam aſciſcunt.

PROPOSITIO I. Transfuſio Originalis peccati ex veteri Teſtamento primum evincitur.

Eligam ex multis, quæ produci poſſent, tria loca duntaxat. Sit primus ex cap. XVII. Geneſ. v. 14. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit*. Ubi non ſola mors temporalis præſcribitur, ſed æterna potiſſimum; quoniam ſicut ea verba Gen. XXV. 17. *Et appoſitus eſt ad populum ſuum*, & 1. Machabæorum cap. 2. 69. *Appoſitus eſt ad patres ſuos*, vitam ſignificant ſempiternam; ita hæc, *Delebitur anima illius de populo ſuo*, demonſtrant maxime mortem animæ, & damnationem. Atque alia, *Quia pactum meum irritum fecit*, non ſolum pactum & fœdus cum Abrahamo initum deſignant, cujus violatio non eſt tenello puero imputanda, ſed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatum introivit in mundum. Quapropter Auguſtinus de Peccato Originali cap. XXX. num. 35. *Quid enim mali, quæſo*, (inquit) *parvulus propria voluntate commiſit, ut alio negligente, & eum non circumcidente ipſe damnetur damnatione tam ſevera, ut pereat anima illa de populo ſuo? Neque enim temporalis mortis terror incuſſus eſt, cum de juſtis, quando moriebantur, tunc potius diceretur, Et appoſitus eſt ad populum ſuum, vel, Appoſitus eſt ad Patres ſuos, quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur quæ illum ſeparet a populo ſuo, ſi populus ejus ipſe eſt populus Dei, &c.* Et in III. contra Julianum cap. XVIII. num. 34. *Iſaac* (inquit) *quantum ad propria peccata quid meruerat, etiamſi ex adulteris naſceretur, innocens natus, quid meruerat ut anima ejus de populo ſuo periret, niſi circumciſio ſubveniret? Noli evagari per multa obſcura, perplexa, ſuperflua; ad hoc unum apertum, ſimplex, neceſſariumque reſponde*. Legatur & de Peccatorum meritis libro 2. cap. XI. num. 24. necnon XVI. de Civit. Dei cap. 27. Ex quibus ita argumentamur: Puer, qui nondum inſtituto baptiſmate non circumcidebatur, erat excluſus a cœtu Sanctorum, atque a ſempiterna beatitudine, propterea quod divinum mandatum irritum fecerat. At puer ille octo dierum non diſſipavit teſtamentum Domini de imperata circumciſione, neque capax erat actualis peccati. Ergo irritum fecerat mandatum de ligni prohibitione, & originalis peccati reus erat.

Quoniam multi hoc argumentum aut nullum, aut infirmiſſimum putant, in eo aliquantiſper commorabor. Sunt qui dicunt verba Geneſis XVII. non pertinere ad pueros, ſed ad ſolos adultos, qui circumciſionem negligerent; & male additum *die octava*, quomodo citat perſæpe Auguſtinus. Ita Grotius. Gerardus Voſſius lib. II. Hiſt. Pelag. p. 1. theſi 2. obſervat in Hebræo eſſe זכר *Zacar*, quod virum notat; quare locus accipiendus eſt de adultis, non de infantibus. Adde τὸ *die octava* tam in Hebraico, quam

in Vulgatæ textu deſiderari. Male ergo, inquiunt, hæc verba detorquentur ad pueros.

Hæc facili negotio eliduntur. Nam verba illa *die octava* inveniuntur in textu græco, in quo legitur *τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ*; eamdemque cum Auguſtino lectionem ſequuntur Ambroſius Epiſt. 77. Origenes lib. 2. in Epiſt. ad Romanos circa finem cap. 5., aliique veteres. Nec refert quod in Hebræo, & Vulgatæ noſtræ textu minime reperiantur; eum ſubintelligi conſtet ex verſu 12. præcedenti, *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris: tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra*. Itaque proximo cap. 14. etſi non habeantur ea verba *octavo die*, illic ſubintelliguntur, maxime quod legimus indefinite, *Maſculus, &c.* Quare Græca lectio falſa non eſt, ſed addit commodam verborum interpretationem. Obſervatum a me in Polyglottis Anglis tom. 1. pag. 65. in vetuſtiſſimo textu Samaritano haberi: *Præputium autem maſculi, cujus non circumciſa fuerit caro præputii ſui in die octavo, iſtius exterminabitur anima de populis ſuis: fœdus meum fregit*. Hujus etiam lectionis adminiculo vetus ſenſus eruitur, refutatur Grotius, & argumento Auguſtini novum robur accedit. Falſiſſimum quoque eſt זכר *Zachar* ſignificare tantummodo marem grandævum; invenimus quippe ipſum vocabulum in Codice Hebræo Exodi XIII. 12. Levit. XII. 2. Eſaiæ lxvi. 7. & Jerem. xx. 15. de puero nupērrime nato: qui cum ad Patris memoriam ſervandam naſcatur, non minus, ac adultus, appellatur זכר. Textum Geneſeos de puero infante etiam Hebræi interpretantur, præſertim Aben-Eſra apud Cartwtightum.

Reſpondent alii, inter quos etiam L' Herminier Tom. 6. pag. 29. ea verba *pactum meum irritum fecit*, non ad legem Adamo datam eſſe referenda, ſed ad pactum circumciſionis, ob cujus neglectum ſignaculum Angelus in diverſorio voluit occidere Moyſen Exodi IV. 24. unde Sephora illico filii præputium circumcidit.

Verum hoc etiam admiſſo Auguſtiniana argumentatio in ſuo robore perſeverat. Vidit enim ſubterfugium iſtud perſpicax S. Patris ingenium: atque ita ex adverſo ratiocinium inſtituit lib. XVI. de Civ. Dei cap. 27. *Si enim dixiſſet quia hoc teſtamentum meum diſſipavit, nonniſi de iſta circumciſione intelligi cogeret. Nunc vero quoniam non expreſſit cujuſmodi teſtamentum parvulus diſſipaverit, liberum eſt intelligere de illo teſtamento dictum, cujus diſſipatio pertinere poſſit ad parvulum. Si autem quiſquam hoc nonniſi de iſta circumciſione dictum eſſe contendit, quod in ea teſtamentum Dei qui non eſt circumciſus diſſipaverit parvulus, quærat locutionis aliquem modum, quo non abſurde poſſit intelligi, ideo diſſipaſſe teſtamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo eſt diſſipatum. Verum ſic quoque animadvertendum eſt nulla in ſe negligentia ſua juſte interire incircumciſi animam parvuli, niſi originalis obligatione peccati*.

Tertio inquiunt illa verba, *Delebitur anima illius de populo ſuo*, vel corporalem mortem deſignare, vel temporalem hæreditatem, vel ſortem filiorum Iſrael. Sed neque hæc vim Auguſtinianæ argumentationis eludunt. Primo quoniam *apponi ad populum ſuum* hebraica phraſi demonſtrat hæreditatem Sanctorum. Igitur hac antitheſi *deleri de populo ſuo* ſignificatur hujus hæreditatis privatio. Deinde quia in Hebraico, Chaldæo, & Samaritano textu habetur plurali numero *de populis ſuis*, quibus verbis haud obſcure oſtenditur, ut animadvertit etiam Druſius, puerum incircumciſum a cœtu Sanctorum eſſe excludendum. Inſuper ſive de temporali, ſive de æterna morte, aut alia pœna, quæcunque ea demum ſit, verba illa ſumantur; urget ſemper Auguſtinianum argumentum, *Quid meruerat, ut anima ejus de populo ſuo periret, niſi circumciſio ſubveniret?* Poſtremo S. P. lib. II. contra Julianum cap. 6. num. 18. etiam auctoritate Joannis Chryſoſtomi, & Beatiſſimi Martyris Cypriani demonſtrat circumciſionem in ſignum præceptam eſſe baptiſmatis, & in remedium Originalis peccati. Quod & affirmat S. Baſilius Orat. XIII. quæ eſt hortatio ad Baptiſmum, & Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. XI. Innoc. etiam IIII. in cap. *Majores*. Quamobrem ut non baptizati nunc delentur de libro viventium, ita olim non circumciſi. At de Inſtitutione Circumciſionis alibi. Sufficiat modo demonſtraſſe argumentum Auguſtini non adverſari univerſæ Patrum traditioni in eo, quod ad Circumciſionis mandatum attinet, ut ſcribit Nicolaus L'Herminier.

Alter textus eſt Jobi XIV. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es?* Hæc verba explicat Olympiodorus pag. 274. Catenæ Græcorum Patrum: *Quorſum plura de homine dicenda ſunt, quandoquidem ipſa hominis generatio ſine illuvie, & peccato non exiſtat? Unde fit ut infantes ad eluendam ſordem, quam ex Adami tranſgreſſione contraxerunt, baptizentur*. Notanda eſt etiam Verſio lxx. quæ habet: *τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου, ἀλλ' οὐδεὶς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς*: videlicet, *Quis enim mundus erit a ſorde? Nec unus, ſi & una dies vita ejus in terra*. Hanc ſequitur Auguſtinus lib. XX. de C. D. cap. 26. Omnes ergo de immundo ſemine concipiuntur, nec eſt homo immunis a ſorde, etiamſi nunc vivere inceperit. Futilis eſt interpretatio Fratrum Polonorum, qui Jobi textum accipiunt de ſordibus & immunditiis pannorum: has enim in thermis eluunt mulierculæ cinere, aut ſmegmate, neque ſordes iſtæ contrahuntur immundo ſemine dum proles concipitur. Loquitur autem Job, ut liquet, de ſorde, quam omnes contrahunt, & quæ a nemine, niſi a Deo, poteſt ablui.

Tertius locus erit Pſalm. L. v. 7. ubi Regius vates inquit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. Quæ verba intelligi nequeunt de illicito parentum Davidis complexu; ſiquidem ut Auguſtinus ſcribit in hunc Pſalmum n. 10. *Numquid David de adulterio natus erat de Jeſſe viro juſto, & conjuge ipſius? Quid eſt quod ſe dicit in iniquitate conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam?* Multo minus cum Socinianis id acceperis de peccatis a Davide propria voluntate, poſtquam regnum obtinuit, patratis: nam Uriæ interfectio, & alieni tori violatio nullam habent connexionem cum Davidis conceptione, niſi quatenus materno ex utero traxit fomitem peccati; quod pariter eſt vitiatæ originis argumentum. Reſpondebant Pelagiani plurali illo numero *in iniquitatibus*, & *in peccatis*, aperte actualia peccata monſtrari, cum Originale unicum aſſeratur. Aſt Auguſtinus cap. 46. Enchirid. num. 13. ita cavillationem iſtam exſufflat: *Neque hic dixit in iniquitate vel peccato, cum & hoc recte dici poſſit: ſed iniquitates & peccata dicere maluit; quia & in illo uno, quod & in omnes homines pertranſiit, atque tam magnum eſt, ut eo mutaretur & converteretur in neceſſitatem mortis humana natura, reperiuntur, ſicut ſupra diſſerui, plura peccata*. Hæc plura peccata ſunt ab Auguſtino explicata præcedenti cap. 45. ſunt autem ſuperbia, ſacrilegium, homicidium, fornicatio, furtum, & avaritia. Vide lib. præcedentis cap. XII. prop. I. Ad refellendam novorum Pelagianorum audaciam addo in Hebraico textu legi: הֵן־בְּעָווֹן חוֹלָלְתִּי וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי׃ *Ecce in iniquitate formatus ſum, & in peccato calefecit me mater mea*. Ubi *iniquitas & peccatum* ſingulari numero effertur, quemadmodum in Verſione Chaldaica, Syriaca, & Arabica.

OBJECTIO REFELLITUR.

Unum eſt, quod ex veteri teſtamento Pelagianorum defenſor Julianus oppoſuit. Ezechielis XVIII. v. 20. habetur: *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum*. At ſi eſſet peccatum aliquod originale, filius portaret iniquitatem patris, & impietas impii eſſet etiam ſuper poſteros. Nullum eſt ergo peccatum iſtud originale.

Reſp. 1. Nego minorem. Propheta enim promittit gratiam novi teſtamenti, in quo regenerati majorum ſuorum pœnis non afficiuntur, ut olim in lege veteri, quando Deus viſitabat iniquitatem patrum in filios uſque in tertiam, & quartam generationem, ſicut legitur Exodi XX. 5. & Jerem. XXXII. 18. unde in Iſrael invaluit proverbium illud: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*, eodem cap. Ezech. v. 2. Deus itaque promittit hanc parabolam ulterius non futuram in proverbium in Iſrael, quoniam regenerati debita parentibus pœna minime conſtringuntur, ſed perſonalium malefactorum ſupplicio mulctantur. *Hæc per Ezechielem Prophetam promiſſio eſt novi teſtamenti, quam non intelligis, ubi Deus regeneratos a generatis, ſi jam in majoribus ætatibus ſunt, ſecundum propria facta diſcernit*: ait S. Pater lib. III. Operis Imperf. contra Jul. cap. 38. Et quidem proverbium illud nulla ratione de Originali peccato, ſed de ſolis actualibus apud Iſraelitas vigebat, cum hi tamen Originale peccatum concordiſſime agnoſcerent, & illud appellarent, auctore Aben-Eſra, *Figmentum malum, cordiſque præputium*. Primo enim Adæ peccatum non ſolum viſitat vindex Dei juſtitia uſque in quartam generationem, ſed in generationes mille; nec ſolius Sethi vel Enos, ſed noſtrum quoque dentes obſtupuerunt ob protoparentis comeſtionem. Deinde liquet ex præcedenti verſu 18. loqui Ezechielem de parentum peccatis perſonalibus, quæ ad quædam genera ſimul cum virtutibus oppoſitis reducit in ſuis Commentariis Hieronymus; ut ſunt idololatria, hæreſis, adulterium, aliaque a Propheta ibidem enumerata.

Secundo reſpondetur diſt. eamdem minorem: Filius portaret iniquitatem Patris, niſi ei fuiſſet remiſſum originale peccatum, aut actualia patraret, concedo: Si peccatum illi remiſſum foret, & juſtitiam operaretur, & cuſtodiret omnia præcepta Domini, nego. Verſu proximo 19. declarat Propheta, quod Filius non portabit iniquitatem Patris, ſi legem impleverit, aut ſi impius eſt, egerit pœnitentiam; & loquitur de Iſraelitis, quibus per circumciſionem peccatum originale deletum erat. Quo ergo jure hoc teſtimonio abuti poſſumus adverſus originalis peccati tranſfuſionem, dum ſermo inſtituitur de actuali, & ad filios Iſrael a priori illo peccato ſolutos?

PROPOSITIO II. Eadem Catholica veritas confirmatur novi Teſtamenti locupletiſſima auctoritate.

Tria pariter ex novo Teſtamento producam præ ceteris argumenta. Quorum eſto primum. Apoſtolus ad Rom. v. 12. ſcribit: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes*

homi-

Google

homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Et in 1. ad Corinth. cap. xv. 21. *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. Vindicavi a falſis hæreticorum interpretamentis utrumque locum præcedenti libro cap. 1. & cap. XIII. Addam modo, perperam a Pelagianis ita explicari, quaſi omnes moriantur anima, propterea quod imitentur prævaricatorem Adamum. Primo quoniam oſtendi agi utrobique de morte corporis, cum Apoſtolus peccatum a morte diſtinguat, & priori loco v. 14. affirmet ob Adæ delictum mortem regnaſſe etiam in parvulos, qui Adam imitari non poſſunt; in altero autem de reſurrectione corporum verba faciat. Deinde non per hominem, ſed per Angelum primo, poſthac per Evam peccatum pervaſit, *ſi de imitatione* tantummodo diſceptetur. Præterea inſtituit Apoſtolus comparationem inter Adam, & Chriſtum: & illum peccati auctorem declarat, iſtum gratiæ; illum mortis, iſtum reſurrectionis. At Chriſtus gratiæ & reſurrectionis cauſſa eſt non per imitationem duntaxat, ſed per veram propriamque participationem virtutis ſuæ in his qui juſtificantur, & in omnibus qui reſurrecturi ſunt. Adam ergo erit vere proprieque cauſſa mortis & peccati in ſingulis qui moriuntur. Legendus omnino Auguſtinus Ep. 157. olim 89. lib. 1. de Peccat. meritis c. 10. 11. de Nuptiis c. 27. lib. II. Operis Imperf. contra Julianum n. 16. &c.

Joannes Phereponus Animadv. ad Epiſt. Auguſtinianam 157. §. 1. & ad Epiſt. 176. §. 2. auſus eſt ſcribere Auguſtinum locum Pauli ad Rom. v. confidentius explicaviſſe, & ſeſe demonſtraſſe Apoſtoli proletarium Interpretem. Proletarium dicit Plautina phraſi, idest plebejum, ac pauperrimum. Etenim, inquit, hunc locum Pauli pertinere ad adultos tantum, qui peccatum Adami imitantur, oſtenderunt dudum viri doctiſſimi. Sed & hujus cenſoriæ notæ cauſſam profert ex Græco textu, in quo habetur ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, nimirum, *eo quod omnes peccaverunt*. Etenim ἐφ' ᾧ eſt *quia* vel *eo quod*; non *in quo*, ut 2. ad Corinth. v. 4. & ad Philippenſes III. 12. Hæc ex Eraſmo, qui Comment. in hunc locum ſcribit ἐπὶ jungi paterno caſui, quoties idem eſt ac *ſuper*, ut ἐπὶ τῆς γῆς, *ſuper terram*, ἐπὶ πάντων, *ſuper omnia*: idem cum tempus indicat, aut ditionem, ut ἐπὶ Καίσαρος Ὀκταβίου, *Imperante Cæſare Octavio*. Jungi autem dativo cum poteſtatem ſignificat, ut ἐπὶ τῷ βασιλεῖ, *auctoritate, vel nomine Regis*: aut cum indicat cauſſam vel eminentiam, ut ἐπὶ θανάτῳ, *ſpe mortis*; denique cum *ſupra*, ut ἐπὶ τῷ κίονι, *ſuper columnam*. At cum dativo ad ſignificandum *In* nuſquam reperitur. Ex Eraſmo tam Phereponus in Auguſtinum exſcanduit. De loco altero ex 1. ad Corinth. xv. 22. ait nihil ad rem facere. Vult enim Paulus, quod ſicut unus Adamus mortem induxit in mundum, omnibus, qui eum imitantur, morientibus; ita quoque Chriſtus beatam reſurrectionem allaturus ſit omnibus, qui ei parebunt. Nullus hic ſermo de peccato infantium, qui conditione naturæ, quia ex hominibus mortalibus nati ſunt, non quaſi ſupplicio de iis ſumpto moriuntur. Hæc Phereponus.

Novi hæreticorum, præſertim Joannis Clerici, ingenium, omnes, vel ſaltem plurimos, atque inter hos Auguſtinum, circa ſacrarum literarum expoſitionem Interpretes Catholicos vellicantium quod tantam operam non dederint literis hebraicis, græciſque, quantam Novatores impendunt. Jure ergo vindicabo Auguſtinum adverſus Pherepo-num teſtimonio & auctoritate eorum, qui hoc etiam literarum ſtudio floruerunt, maxime Proteſtantium: nam Catholici uno ore probant S. P. Auguſtini doctrinam, eique pollice utroque ſubſcribunt. Ergo Gerardus Voſſius de Hæreſi Pelag. lib. 2. p. 1. theſi 2. obſervat in teſtimonio Pauli conſiderandam particulam *Per*, quæ cauſſam efficientem ſignificat. Tum voculas ἐφ' ᾧ, *in quo*, quæ poſteros in Adam peccaſſe docent: vel ſi eas *quia*, ſive *propter quod* transferre mavis, adæquatam mortis cauſſam, quæque in infantibus quoque locum habet, oſtendunt. Ita hunc locum explicare ait memoratus Voſſius præter Auguſtinum, Scriptorem Homiliæ de Adamo & Eva, quæ tribuitur Chryſoſtomo, Theodoretum in Pſalm. 1., Proſperum de Vita contemplativa lib. III. cap. II. Sedulium in cap. IX. ad Rom. Fauſtum quoque de lib. arbitrio lib. 1. c. 11. Carthaginenſe Concilium & Arauſicanum II. utrunque Canone II. Grotius in Epiſtolam ad Rom. ἐφ' ᾧ, inquit, *in quo*, hic eſt *per quem*: quomodo ἐπὶ cum dativo ſumitur Luc. v. 5. Act. III. 16. 1. Corinth. VIII. II. Heb. IX. 17. Chryſoſtomus hoc loco: *Illo labente, & ii, qui de ligno non comederunt, per eum omnes mortales facti ſunt. In quo* vertunt, & effectricem peccati cauſſam his voculis ſignificari demonſtrant Clarius, Zegerus, & Jacobus Cappellus, quorum Comment. habentur volumine Sacrorum Criticorum ſeptimo. Idem præſtat Brianus Waltonus in Polyglottis: in quibus obſervanda eſt verſio Arabica: *Mors pervaſit in omnes homines, cum omnes jam peccaverint*. Tum Æthiopica, de qua præcedenti libro cap. 1. Utraque enim commonſtrat mortem in ſingulos pervaſiſſe, etiam in infantes, ob primum & antiquum Adæ peccatum. Smidius Bibliorum ſuorum pag. 1000. ita exponit verba Pauli: *In quo omnes homines peccaverunt, nempe in uno illo homine Adamo*. Et obſervat ἐπὶ uſurpari pro *is* Matth. 18. 5. ad Rom. IV. 18. ad Philipp. 1. 3. Affert & Scriptorum Græcorum exempla Pindari præſertim, & Heſiodi: cujus eſt pervulgatum adagium, Μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον, *Modus in omnibus rebus optimus eſt*. Poſtremo Theodorus Beza (arbitror enim iſtos ſufficere) in notis ad novum Teſtamentum pagina editionis Cantabrig. 405. hæc ad rem noſtram: *In quo homine*, ἐφ' ᾧ, *ideſt*, ἐν ᾧ, *videlicet uno illo homine, ut humani generis ſtirpe. Fuit enim omnino afferenda ratio, cur ab uno homine peccatum & mors in omnes homines pervaſerit: nec alia afferri poteſt ratio: quod tamen perſpicuitatis cauſſa exprimere non dubitavi. Novum autem non eſt, ut* ἐπὶ *pro* ἐν *accipiatur, quamvis repugnante Eraſmo, ut Marc. 2. 4. ad Hebræos IX. 17. & paſſim apud idoneos etiam auctores. Et cum* ἁμαρτία *Græcis ſit fœminini generis, non poteſt ſtare eorum ſententia, qui relativum* quo *volunt referri ad peccatum, Eraſmus* quatenus, *vel per* hoc quod, *ut mordicus tenoat errorem, quem ſemel ex Origene arripuit, hæc nimirum ad incitationis peccata pertinere: nempe, ut ſimili quoque ratione (quod recte prorſus damnavit Auguſtinus adverſus Pelagianos) in altera collationis parte ſtatuatur, nos per Chriſtum ſola quoque imitatione, non autem per ipſius ſpiritum* ἀναγεννῶν *incipere bene velle, & bene facere. Sic enim ſtatuendum eſſet, ut ſibi conſtaret antitheſis. En quid ſit a ſcopo aberrare, & errorem pertinacius tueri*. Hactenus Theodorus Beza.

Infertur ex dictis primo, quam temere & impudenter Phereponus appellat Auguſtinum *proletarium* interpretem, dum Auguſtinianam expoſitionem probant plenis calculis Concilia, Patres, & Theologi etiam Reformati linguarum peritia doctiſſimi. Secundo colligitur celeberrimos Theologos, quos contra Auguſtinum ſtare autumat, eſſe ſolum Eraſmum, & perpaucos Pelagii, Arminii, & Socini gregarios. Sequitur tertio Eraſmum aperte revinci ſacris, profaniſque teſtimoniis apertiſſimis, in quibus particula ἐπὶ cum dativo uſurpatur pro *In*, & effectricem cauſſam ſignificat. Imo ejuſdem ſignificationis eſt in duobus locis, quæ opponit Phereponus, ideſt in 2. ad Corinth. v. 4. & ad Philipp. III. 12. nam ea verba ἐφ' ᾧ, *eo quod*, in primo loco cauſſam indicant ob quam in corpore ingemiſcimus: in altero voculæ ipſæ ἐφ' ᾧ, *In quo*, demonſtrant in Chriſto Jeſu electionis noſtræ cauſſam eſſe. Rurſus conſequitur nihil efficere aut Eraſmum, aut Phereponum, etſi gratis concedatur particulam ἐπὶ ad Romanos v. idem eſſe ac, *eo quod*, vel *quatenus*. Indicat enim in hac ſignificatione omnes homines mori, *eo quod* peccaverunt. At complures ex morientibus, ut ſunt infantes, non peccaverunt actualiter: Ergo originaliter. De verbis Apoſtoli in 1. ad Corinth. cap. xv. vide quæ diximus præcedenti libro c. XIII.

Alterum argumentum ſumitur ex iis locis, in quibus oſtenditur Chriſtum Dominum univerſos Adæ poſteros redemiſſe, & pro omnibus mortuum eſſe: quod affirmat Apoſtolus ipſomet quinto ad Romanos capite verſ. 9. *Chriſtus pro nobis mortuus eſt*: & 2. ad Corinth. v. verſ. 14. *Caritas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. In qua univerſali ſententia etiam parvulos comprehendi nemo non videt. *Nega* (ita Auguſtinus Julianum premit lib. VI. cap. 4. num. 8. & cap. 12. n. 24.) *nega Chriſtum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc eſt de contagio peccatorum. Si autem & pro ipſis mortuus eſt: Ergo & ipſi mortui ſunt*. Et infra: *Si nullum trahunt peccatum parvuli, non ſunt mortui. Si non ſunt mortui, non eſt mortuus pro eis, qui non eſt mortuus niſi pro mortuis. Tu autem jam in primo tuo libro contra nos clamans dixiſti, Chriſtum etiam pro parvulis mortuum. Nullo modo igitur negare permitteris eos trahere originale peccatum. Nam mortui unde, ſi non inde: aut propter quam mortem parvulorum mortuus eſt, qui non eſt mortuus niſi pro mortuis?* Enimvero perſpicuum eſt Apoſtolum *mortuorum* nomine nequaquam intelligere illos, qui de corpore exierunt, ſed qui in delictis mortui ſunt, ut Auguſtinus demonſtrat memorato cap. 4. num. 8. ex contextu ad Col. 2. 13. *Et vos cum mortui eſſetis in delictis, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adverſum nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci*: atque citato cap. 9. num. 27. ex Epiſt. ad Hebræos cap. 2. 14. ubi Chriſtus dicitur mortuus, ut per *mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, ideſt diabolum*. Vide & Operis Imperf. lib. II. num. 175. & lib. III. num. 138.

Erit tertium argumentum depromptum ex neceſſitate baptiſmatis: de quo Joan. III. 3. legitur: *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei*. Baptizantur itaque parvuli, ut poſſint ad regnum Dei pertinere. At nemo baptizatur niſi in remiſſionem peccatorum. Habent ergo & parvuli peccatum aliquod per Sacramentum regenerationis delendum. Atque majorem propoſitionem admittunt Pelagiani tam aperto Evangelii teſtimonio coacti, diſtinguentes inter regnum cælorum & vitam æternam, ut mox dicam, doloſa ac pertinaci vafritie. Neminem vero tingi baptiſmate niſi ut moriatur peccato, Auguſtinus hac manifeſtiſſima argumentatione demonſtrat. Scribit Apoſtolus ad Rom. VI. 3. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus*. Dicendo, *Quicunque* non

utique parvulos facit exceptos. Ergo & parvuli baptizantur in Chriſti morte. Baptizari autem in Chriſti morte nihil eſt aliud, quem mori peccato, ut proximo verſu II. Paulus affirmat. *Si ergo* (adtende Auguſtini illationem lib. VI. contra Julianum cap. 3. num. 7. & cap. 4. nu. 10.) *Si ergo peccato non moriuntur parvuli, proculdubio in Chriſti morte non baptizantur. Si in Chriſti morte non baptizantur, non in Chriſto baptizantur. Quicunque enim baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus. In Chriſto autem baptizantur, peccato ergo moriuntur. Cui peccato, quæſo te, niſi quod originale traxerunt?*

Male autem a Pelagianis diſtingui Regnum Cælorum a vita æterna S. Pater pluribus argumentis demonſtrat, quorum præcipua hæc ſunt. Principio Marc. XVI. 16. apertiſſima eſt Salvatoris ſententia: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*: At qui condemnatur non eſt particeps æternæ vitæ: Ergo nequit æternam vitam conſequi quiſquis baptizatus non eſt. Inſuper Matth. XXV. 34. Chriſtus dicturus eſt electis: *Poſſidete paratum vobis regnum*: proximo autem verſu 46. legitur, *Ibunt juſti ad vitam æternam*: Regnum itaque & vita æterna idem omnino eſt. Præterea quis vitam æternam, niſi prorſus deſipiat, cogitare poteſt extra ſocietatem Chriſti, qui eſt vita animæ, ac incommutabilis veritas? Pertractat Auguſtinus hæc tria argumenta lib. III. de Peccatorum meritis cap. 3. n. 6. & 7. Quartum addit lib. III. de Origine Animæ cap. XI. num. 17. Joannes enim memorato loco expreſſe ait non baptizatos excludi a regno Dei. At regnum Dei non illud accipiendum eſt, in quo Deus poteſtatem exercet, hoc enim modo regnum Dei etiam ad inferos extenditur. Eſt itaque regnum Dei prorſus idem, ac vita æterna. Rurſus lib. VI. contra Jul. cap. 19. num. 59. oſtendit ideo ſecundam nativitatem eſſe inſtitutam, quia nativitas prima eſt damnata; & conſequenter pueros non renatos in priori damnatione manere. Poſtremo lib. III. ejuſdem Operis cap. 3. n. 8. quænam abſurda ex fictitia illa diſtinctione profluant, hiſce verbis declarat: *Non eos dicitis non debere baptizari, ſed pro magnitudine ſapientiæ veſtræ res mirabiles dicitis. In Sacramento Salvatoris baptizantur, ſed non ſalvantur: redimuntur, ſed non liberantur; lavantur, ſed non abluuntur; exorcizantur & exſufflantur, ſed a poteſtate diaboli non eruuntur. Hæc ſunt ſententiarum portenta veſtrarum, hæc inopinata myſteria dogmatum novorum, hæc paradoxa Pelagianorum hæreticorum mirabiliora quam Stoicorum Philoſophorum. Ut enim hæc dicatis, timetis audire, Si ſalvantur, quid in eis ægrotabat? Si liberantur, quid in eis ſervitutis vinculo tenebatur? Si abluuntur, quid in eis latebat immundum? Si eruuntur, quo merito erant ſub diaboli poteſtate, qui propria iniquitate non erant rei, niſi quia trahunt, quod negatis, originale peccatum?* Huc etiam ſpectant argumenta, quibus probat magnum ſupplicium eſſe excludere a regno cælorum innocentem Dei imaginem, de quibus plura in Supplemento ſuperioris libri cap. 2.

REFUTANTUR OBJECTA.

Ob. I. Ex eadem epiſtola Pauli ad Rom., unde prior argumentatio petita eſt, cap. V. verſ. 15. conſtat gratiam Chriſti in plures abundare, quam Adami delictum: *Multo magis gratia Dei* (inquit Apoſtolus) *& donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit*. Gratia, & donum in gratia, præcipuum ſaltem, quod eſt vivificatio per Chriſtum, non pertranſit in omnes. Ergo multo minus in omnes pervaſit Adæ delictum. Præterea eodem verſu legitur: *Unius delicto multi mortui ſunt*: & verſ. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituuntur multi*: Si multi: non ergo omnes. Item eodem capite verſu 18. habetur; *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ*; & in I. ad Corinth. XV. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. Atqui non omnes in Chriſto vivificantur, non omnes juſtificationem vitæ participant: Igitur neque omnes in Adam moriuntur, neque ob ejus prævaricationem obnoxii ſunt damnationi.

Reſp. ad primum Gratiam Dei multo magis abundare, quam delictum, propterea quod peccatum Adæ nobis temporalem mortem promeruit, & gratia non ſolum corporis reſurrectionem, ſed etiam vitam perennem ac feliciſſimam confert: nec ſolum originale peccatum diluit, verumetiam actualia, & quæ homo propria voluntate perpetrat: inſuper non ſolum ſufficientis gratiæ adjutorium nobis propter Chriſti merita datur, ſed etiam efficax, & eo, quod perdidit primus homo, longe præſtantius, ac tale, quod prædeſtinatos reddit perſeverantes. En ergo gratia ſuperabundans delicto. Hæc eſt reſponſio Auguſtini ſcribentis lib. II. Op. Imperf. num. 85. *Quid eſt multo magis abundavit? niſi quia omnes, qui per Chriſtum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur, propter ipſum autem Chriſtum ſine fine victuri ſunt?* Et poſt pauca. *Multo magis abundavit, dixit, non in magis multos, ideſt, non in plures. Quis enim non videt plures eſſe in genere humano, in quos non abundavit? Ut ex pluribus oſtenderetur quid univerſæ Maſſæ juſto judicio deberetur, niſi ubi vellet Spiritus ſpiraret, & Deus quos dignaretur vocaret, & quem vellet religioſum faceret.* Legito & librum II. de nuptiis cap. 27. num. 46. Atque hæc reſponſio liquet ex proximo verſ. 16. in quo Apoſtolus explicans majorem gratiæ efficaciam, *Nam judicium*, inquit, *ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem*. Quare ea verba, *multo magis gratia Dei abundavit in plures*, ad copiam ubertatemque donorum, non ad numerum filiorum Adæ quorum plurimis gratia confertur, ſunt referenda: quod & verſio Arabica exprimit apertiſſime: eſt enim, *Abundavit vehementer per gratiam, quæ unius hominis eſt Jeſu Chriſti, uberrimam in quamplurimos*. Et quidem τὸ *in plures* non demonſtrare comparationem perſonarum, etiam oſtenditur collatione Verſionum; habet enim Græca εἰς τοὺς πολλοὺς, *in multos*: atque ita etiam Syriaca, & Æthiopica.

Ad ſecundum reſpondendum eſt, *multos* qui moriuntur ob Adæ delictum eſſe omnes; nam præcedenti verſu 12. jam Apoſtolus ſcripſerat, *In omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Sunt ergo illi *multi* iſti *omnes*. Etenim etſi aliquando multorum nomine non omnes intelliguntur; *tamen ubi dicuntur omnes, vereque ſunt omnes, recte dicuntur & multi*, lib. II. Op. Imperf. n. 145. & lib. VI. num. 8. Non enim filii Adæ, in quos mors pervaſit, omnes ſimul tam exigui ſunt numeri, ut multi dici non poſſint, quomodo quinque digiti unius manus ſunt omnes, nec tamen multi, & quatuor Evangelia omnia ſane, at non multa ſunt: capilli autem omnes promiſcue omnes, multique dicuntur. Quæ exempla profert ipſemet Auguſtinus. Eadem ratione Gen. XVII. 5. dicitur Abraham *Pater multarum gentium*, quæ cap. XXII. 18. appellantur *omnes gentes terræ*. Uſurpatur etiam vocabulum primum pro altero Luc. VII. 47. Matth. XX. 28. aliiſque in locis compluribus. *Multos* ergo ſcribit Apoſtolus, ne quis crederet Adæ peccatum perpaucis obfuiſſe.

Tertium facile ex dictis diluitur; verſ. enim 18. in particula *ſicut*, & in altera *per* cauſſa damnationis in Adam, & cauſſa vivificationis in Chriſto ſignificatur; fitque comparatio inter primum hominem, qui fuit *typus* ſecundi Adam, & ipſum humani generis Redemptorem, non inter mortuos & vivos, inter damnatos ac prædeſtinatos, inter quos nulla reperitur æqualitas. Senſus eſt ergo, quem S. Pater tradidit lib. 2. de Nuptiis & Conc. cap. 27. his verbis: *Omnes autem dixit ad condemnationem per Adam, & omnes ad juſtificationem per Chriſtum; cum utique non omnes eos qui moriuntur in Adam transferat Chriſtus ad vitam: ſed omnes dixit atque omnes, quia ſicut ſine Adam nullus ad mortem, ita ſine Chriſto nullus ad vitam. Sicut dicimus de literarum Magiſtro, ſi in civitate ſolus eſt, Omnes iſte hic literas docet, non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab ipſo.* Vide etiam quæ diximus cap. XIII. præcedentis libri diſputantes de morte, & reſurrectione corporum adverſus Socinum.

Rurſus objiciunt Pelagiani: Carnalis generatio eſt ſimul ab Adamo, & Eva. Si ergo per carnalem generationem contraheretur peccatum, & per iſtud in omnes homines mors pervaderet, non diceret Apoſtolus: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*: ſed potius *per hominem ſimul ac mulierem*. Igitur peccatum generatione non contrahitur, ſed magis imitatione.

Hujus argumentationis falſa eſt minor. *Ideo enim dictum eſt, per unum hominem, non per duos, quia non a fœmina concipiente, & pariente, ſed a viro ſeminante eſt generationis exordium: aut quia jam non ſunt duo, quando per coitum una fit caro.* Ita S. P. lib. 2. Op. Imperf. numer. 83. In cujus reſponſionis confirmationem proferri poteſt alterum teſtimonium Apoſtoli ad Hebr. XI. 12. ubi de poſteris Abraham ait, *Ab uno orti ſunt*, quamquam & a Sara traherent originem. Enimvero peccatum & mortem a muliere in nos derivari alibi divinæ literæ conteſtantur, dicente David Pſalm. L. 7. *In peccatis concepit me mater mea*; & Eccl. XXV. 33. *A muliere initium factum eſt peccati, & per illum omnes morimur.*

Objiciunt ulterius. At idem Apoſtolus ad Rom. IV. 15. inquit: *Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio*; & in 2. ad Corinth. V. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Ergo in parvulis non eſt prævaricatio, cum nulla ſit lex; nec erit ſupplicium aliquod, cum in proprio corpore nihil geſſerint.

Reſpondet S. Pater Epiſtola ad Hilarium 157. num. 15. in parvulis eſſe prævaricationem legis, quæ in paradiſo data eſt: eadem enim lege prævaricata naſcitur homo ex Adam cum lege peccati, & mortis. Ad poſtremum ex 2. ad Corinth. idem Auguſtinus lib. VI. contra Jul. cap. 10. n. 29. tria reſpondet. Primo ſic adverſus Pelagianos argumentationem contorquet: *Utrum & ipſi ante tribunal Chriſti manifeſtabuntur, aut non? Si non manifeſtabuntur, quid te adjuvat iſta ſententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur cauſſa? Si autem manifeſtabuntur, quomodo reportat eorum quiſque quod geſſit, qui nihil geſſit, niſi quia pertinet ad eos, quod per corda & ora geſtantium, ſive credunt, ſive non credunt?* Deinde ait hunc locum

acci-

accipiendum eſſe principaliter de adultis: *Propria enim corporis ſui dixit, quod ad unumquemque in ſeipſo jam viventem pertinet*. Inquit demum poſſe parvulum ante tribunal Chriſti non baptizatum reportare malum, ideſt damnari, licet nihil actualis culpæ patraverit; quomodo fatentibus Pelagianis baptizatus, atſi nihil boni operis geſſerit, maximum bonum, ſcilicet, regnum cælorum a Dominn conſequitur. *Vide ergo*, ait S. Pater, *quam importune nolis parvulum de alieno peccata reportare malum, & velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecunque, ſed Dei regnum. Alienum quippe opus eſt cum credit per alterum, ſicut alienum opus fuit cum peccavit in altero*.

CAPUT II.

Patrum quoque traditione, & Sacrorum Conciliorum auctoritate commonſtrari originale peccatum.

CONFICTAM ab Auguſtino, atque priſtorum ætate inauditam originalis reatus transfuſionem objiciebant Pelagiani, qui his verbis S. Patrem audebant laceſſere: *Conſitearis ergo neceſſe eſt originale, quod finxeras, interiſſe peccatum*. Quibus in 2. de Nuptiis cap. XII. Auguſtinus reſpondet: *Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus, ſed tu, qui hoc negas, ſine dubio es novus hereticus*. De iſta ergo antiquorum fide modo videndum eſt.

PROPOSITIO I. Ex ſcriptis priorum Patrum depromi poſſunt pro originali peccam luculentiſſima teſtimonia.

In primis S. Ignatius in Epiſt. ad Trallianos hoc peccatum appellat παλαιὰν δυσσέβειαν, *impietatem ac prævaricationem antiquam*. Sequitur Dionyſius Areopagita, qui expreſſe *exitialem mortem eſſe ab Adæ peccato* ſcribit cap. III. Eccl. Hierarchiæ; ſed qui hujuſmodi opus Areopagitæ abjudicant, etiam negant illius Auctorem eſſe antiquiorem Auguſtino. Proximus eſt Juſtinus Martyr, qui in Dialogo cum Tryphone ſcribit humanum genus *per Adam in mortem, ſeductionemque ſerpentis concidiſſe*, atque inter primum & ſecundum Adam hanc conſtitnit antitheſim, *ut ſicut unius inobedientia cauſſa eſt damnationis omnibus, qui corporaliter ab eo deſcendunt; ita Chriſti obedientia confert vitam iis, qui per ipſum ſpiritualiter regenerantur*. Accedit Tatianus, qui in Orat. contra Gentes ait, *Nos propter priſcorum hominum inobedientiam ſpiritum Dei, perfectam juſtitiam, ſanctitatemque amiſiſſe*. Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi illuſtria verba produxit Auguſtinus in 1. contra Julianum libro, cap. III. num. 5. Iſte ait: *Non aliter ſalvari homines ab antiqua ſerpentis plaga, niſi credant in eum, qui ſecundum ſimilitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus a terra omnia traxit ad ſe, & vivificavit mortuos*. Sunt hæc verba lib. IV. adv. hæreſes cap. 5. Addit S. Pater alia non minus illuſtria ex libro V. cap. 19. longe plura depromi poſſunt ex lib. III. cap. 20. lib. V. cap. 14. 17. & 21. quæ in libris de Hæreſi Pelagiana collegit Gerardus Voſſius, & in ſuo Theſauro Jodocus Coccius. De Origene, etſi permulta poſſunt afferri, ut fecerunt laudatus Coccius, L' Herminier, Boucat, aliique, nulla nos angimur cura, utpote quem præluſiſſe Pelagianis perſuaſum habeamus: imo quæ citantur ex Origenis Commentariis in Epiſtolam ad Romanos, ubi de Originali peccato ediſſerit enucleatius, aliaque loca plurima adſcribenda cenſemus paraphraſtæ ejus Rufino. Atque Homiliæ in Leviticum, nnde plura promuntur, num Origenianæ ſint, controvertitur. Nos tamen contra Coccium, & Hottingerum Origenianas fatemur, aut ſaltem incerti Scriporis, nam ſtylus demonſtrat non eſſe S. Cyrilli, ut hi, aliique Remonſtrantes, opinantur. Gregorii Nazianzeni perſpicuas apertiſſimaſque ſententias affert S. Pater Auguſtinus eodem libro cap. V. num. 5. Quibus addo quæ Nazianzenus ſcribit Orat. II. in Paſcha, *Nos ab initio per peccatum lapſi ſumus*: atque Oratione ad Arianos XXV. *Omnes, qui Adamo participavimus, atque a ſerpente in fraudem inducti ſumus per peccatum mortui, ut per cæleſtem Adamum ſaluti reſtituti, atque a ligno vitæ, unde excideramus, per ignominia lignum reducti ſumus*. Baſilii ex prima Homilia de Jejunio inſignem locum vide ibidem apud Auguſtinum num. 18. Sunt alia æque illuſtria cap. 4. Conſt. Monaſtic. Hom. in XL. Martyres, & in ſermone de Paradiſo, ubi hæc eleganter: *Florida quidem eſt roſa, ſed mihi triſtitiam infligit. Nam quotieſcunque florem hunc video, peccati mei admoneor, per quod terra, ut ſpinas ac tribulos proferret, condemnata eſt*. Athanaſii Orat. 2. contra Arianos hæc ſunt verba: *Lapſo Adamo in omnes homines peccatum dimanavit*.

Agendum paullo accuratius de S. Jo. Chryſoſtomo, quem Julianus adverſus Auguſtinum produxit, aliique nonnulli temere erroris Pelagianorum inſimularunt. Qua in re abſtinebo a recitandis fragmentis ex Homilia de Adamo & Eva, ad quam nos advocant eruditi Theologi plnres, Zumel præſertim & Alvarez: cum ſint, qui exiſtimant illam centonem eſſe ex Latinorum Scriptorum poſterioris ætatis ſententiis conſutum. Ergo S. Pater Auguſtinus libro I. contra Jul. cap. 6. n. 24. & ſeq. citat hæc Chryſoſtomi ad Olympiam: *Quando enim Adam peccavit illud grave peccatum, & omne genus humanum in commune damnavit; de mærore pœnas luebat, &c*. Item hæc ex hom. X. ad Rom. *Cum dixerit tibi Judæus, quomodo unius virtute mundus ſalvatus eſt? Poſſis & dicere, quomodo & uno inobediente Adam mundus damnatus eſt?* Profert & alia plura ex Hom. de Reſurrect. Lazari, ex Hom. 9. in Gen., ex Hom. ad Neoph. &c.

Quoniam vero Eraſmus, Stapulenſis, Dallæus, aliique contendunt velle quidem Chryſoſtomum peccato Adæ corpora noſtra reddita eſſe *mortalia*; ſed animam nihil inde detrimenti ſenſiſſe, niſi in iis, qui primi hominis inobedientiam voluntate ac libertate propria imitantur; hunc errorem allatis Sancti Doctoris ſententiis præſtat refellere. Docet Chryſoſtomus Hom. XI. in cap. 6. ad Rom. non ſolam mortem in nos ob Adæ prævaricationem pervadere, ſed etiam pravorum affectuum illuviem, ad quam comprimendam, dum Chriſtus advenit, majora nobis auxilia collata ſunt. Μετὰ, inquit, τοῦ θανάτου καὶ πολὺς παθῶν εἰσῆλθεν ἑσμός. Ὥσπερ οὐδὲ σφόδρα κοῦφον ἦν πρὸς τὸν ὑπὲρ τῆς ἀρετῆς δρόμον. Οὔτε γὰρ πνεῦμα παρῆν τὸ βοηθοῦν, οὔτε βάπτισμα τὸ νεκροῦν δυνάμενον. *Una cum morte magnum etiam affectuum veluti examen introierat. Itaque corpus non valde agile erat ad eum curſum, qui ad virtutem fertur: neque enim ſpiritus aderat, qui opem deferret; neque baptiſma, quod mortificare poſſet*. Addit corpore facto mortali etiam animam ob ingreſſum illud paſſionum examen, niſi opitulante Chriſti auxilio, ruere in præceps, ὥσπερ τις ἵππος δυσήνιος, *ac eſſet equus indomitus*. Repetit eadem hom. XII. & XIII. ubi ſcribit: *Una cum morte & affectuum turba introiit. Cum enim corpus mortale effectum eſt, tum denique neceſſario admiſit & concupiſcentiam, & iracundiam, & dolorem, & cetera omnia, quæ magna admodum conſtantia, ac ſapientia indigebant, ne inundantis æſtus vis ac tempeſtas rationem in nobis obrueret, in peccati voraginem demerſam*: Μετὰ γὰρ τοῦ θανάτου, φησί, καὶ ὁ τῶν παθῶν ἐπεισῆλθεν ὄχλος. Ὅτε γὰρ θνητὸν ἐγένετο τὸ σῶμα, ἐδέξατο καὶ ἐπιθυμίαν ἀναγκαίως λοιπὸν, &c. Manifeſtum eſt ergo peccatum Adæ non ſolum corpori, ſed etiam animæ juxta Chryſoſtomum obfuiſſe, neque Eraſmum Sancti Doctoris mentem ſatis fuiſſe aſſecutum. Atque de Græcis Patribus ſatis.

Ad Scriptores Latinos accedendum eſt, quorum ducit agmen Tertullianus. Is in libro da Anima cap. XL. *Omnis anima* (inquit) *uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur: tandiu immunda, quandiu recenſeatur. Peccatrix autem, quia immunda, recipiens ignominiam ſuam ex carnis ſocietate*. Et in I. adverſus Marcionem: *Homo damnatur in mortem ob unius arbuſculæ delibationem, & exinde proſiliunt delicta cum pœnis, & pereunt jam omnes, qui paradiſi nullum ceſpitem noverunt*. Et de teſtimonin animæ cap. 3. *Per quem* (Satanam) *homo a primordio circumventus ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de ſuo ſemine infectum, ſuæ etiam damnationis traducem fecit*. Cypriani ex Epiſtola ad Fidum illuſtre teſtimonium adfert S. Pater in lib. I. contra Jnlianum, in IV. ad Bonifacium contra 2. Epiſt. Pelag. cap. 8. & Hieronym. lib. III. adverſus Pelagianos: *Infans, qui recens eſt natus, nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit. Qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata*. Reticii Auguſtodunenſis Epiſcopi, qui floruit ſub Conſtantino Magno, Olympii Hiſpani, qui vixit tempore Arcadii & Honorii, necnon Hilarii Pictavienſis collegit apertiſſima teſtimonia S. P. Auguſtinus eodem libro contra Julianum. Multa congeſſit & Ambroſii, veluti quod habet lib. 1. de Pœnit. cap. 2. *Omnes homines ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt, ſicut habes lectum, dicente David, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea*. Optatus Milevitanus lib. IV. contra Parmenianum, *Neminem fugit, quod omnis homo qui naſcitur, quamvis de Chriſtianis parentibus naſcatur, ſine ſpiritu immundo eſſe non poſſit, quem neceſſe ſit ante ſalutare lavacrum ab homine excludi ac ſeparari*. Hieronymus denique in cap. 2. Michææ: *Unuſquiſque noſtrum*, inquit, *cum Adam de Paradiſo cecidit, & in hujus mundi captivitate verſatur*: atque in cap. 4. Jonæ; *Major ætas incipit, & uſque ad minorem pervenit; Nullus enim abſque peccato, nec ſi unius quidem diei fuerit vita ejus, & innumerabiles anni vitæ illius. Si enim ſtellæ mundæ non ſunt in conſpectu Dei, quanto magis vermis, & putredo, & ii, qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii?* Affert hæc verba cum debita Hieronymi laude S. P. Auguſtinus lib. III. de Peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 6. Igitur non Auguſtinus finxit originale peccatum, ſed iſtud ad ipſa fidei pertinet fundamenta, pleniſſimaque traditione firmatur: quod perſpexit Aurelius Prudentius in Apotheoſi:

Hæc prima eſt natura animæ, ſic condita ſimplex.
Decidit in vitium per ſordida fœdera carnis.
Exin tincta malo peccamine principis Adæ,
Infecit genus omne hominum, quod pullulat inde.

Eorum autem, qui Auguſtini tempora ſubſecuti ſunt, neceſſe non eſt ſententias congerere; quum nemo de illorum conſenſione hæſitare poſſit, neque ſoleant hæretici iſtorum nobis auctoritatem opponere.

PROPOSITIO II. Ejuſdem Originalis peccati transfuſio demonſtratur Eccleſiaſticis definitionibus.

Accedunt traditioni PP. decreta ſummorum Pontificum, necnon Sanctorum Conciliorum. Extant Innocentii adverſus Pelagianos literæ, quas Cæleſtiani in caſſum tentarunt eludere. Zoſimi, qui Bonifacio ſucceſſit, Reſcriptum ad Africanum Concilium commemorant Cæleſtinus in Epiſt. ad Gallos, Auguſtinus ad Optatum, & cap. x. adv. Collatorem Beatus Proſper. Bonifacium Auguſtini contra Pelagianos reſponſa probaſſe auctor eſt idem Proſper capite laudati Operis primo & quadrageſimo. Cæleſtius originis vitium, & naturam culpa obſtrictam agnoſcit in Epiſt. ad Neſtorium, in altera ad Clerum Conſtantinopolitanum, & in ea, quam ſcripſit ad Gallos: de qua Vincentius Lirinenſis cap. Commonitorii ultimo, Proſper 42. & 43. adverſus Collatorem, & Photius in Biblioth. cap. 43. Xyſti III. ſucceſſoris Cæleſtini hæc ſunt verba lapidi octangulari in Baſilica ad Baptiſterium inſcripta:

Mergere peccator ſacro purgande fluento:
Quem veterem accipiet, proferet unda novum.
Inſons eſſe volens, iſto mundare lavacro,
Seu patrio premeris crimine, ſeu proprio.

Vide Baron. Tom. 1. pag. 440. Leonis Magni apertiſſima ſententia eſt, naſci unumquemque hominem originali vulnere ſauciatum, & niſi baptizetur reum in peccato Adæ teneri, Epiſt. 86. ad Nicetam, ſerm. II. & VI. in Nativitatem Domini cap. IV. Eadem eſt definitio Gelaſii in Epiſtola ad Piceni Epiſcopos, & Magni Gregorii lib. IV. Moral. cap. 2. nec non Epiſt. XIV. lib. V. ad Narſem Comitem, & LIII. lib. VII. ad Secundinum.

Damnavit negantes Originale peccatum Dioſpolitana, ſeu Palæſtina Synodus quatuordecim Epiſcoporum, quorum nomina habes apud Auguſtinum in I. contra Julianum: quamquam Hieronymus Epiſt. lxxix. vocat hanc Synodum *miſerabilem*, quoniam etſi non erravit in doctrina, erravit *in homine*, & Pelagium hæreſiarcham abſolvit. Videatur Auguſtinus de Peccator. mer. lib. II. cap. VIII. & IX. Habita eſt hæc Synodus anno 415. Poſthac Concilium Carthaginenſe habitum opera Oroſii, Theodoſio VII. & Palladio Coſſ., ideſt anno 416. Tum Concilium Milevitanum eodem anno, ad quod convenerunt Epiſcopi lx. Meminit hujus Concilii Auguſtinus Epiſt. 94. ad Hilarium, nunc 178. Deinde in Concilio Africæ plenario celebrato anno 418. Coſſ. Honorio XII. & Theodoſio VIII. dictum anathema iis, qui dicunt parvulos *nihil ex Adam trahere Originalis peccati*, *quod lavacro regenerationis expietur*, Can. 2. Plura de hoc Africano Concilio Cardinalis Noriſius Hiſt. Pelag. lib. I. cap. 13. ex libris Auguſtini, aliiſque vetuſtiſſimis monumentis. Etiam Epheſinum Œcumenicum coactum contra Neſtorium anno 431. can. IV. doctrinam Cæleſtii proſcripſit. Idem præſtitit Synodus Arauſicana Canone 2. quam celebratam tradunt Decio juniore Conſule, ideſt anno ІↃVIII. Quare Cæſarius Arelatenſis, qui ei præfuit, non vivebat, ut putavit Trithemius, anno ІↃCLXX. neque, ut viſum Bellarmino, pervenit tantum ad an. CCCCXCIX., ſed floruit poſt IↃ. Conſecravit catholicam contra Pelagianos veritatem Sacroſancta Tridentina Synodus ſeſſione V. Comprobatur ergo, quod demonſtrandum erat, peccatum originale Eccleſiaſticis quoque definitionibus.

AD EA QUÆ OPPONUNTUR RESPONSIO.

Oppones I. Juſtinus Martyr Quæſt. ad Orthodoxos lxxxVIII. docet petitam e Jobo ſententiam, *Nemo mundus a ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram*, ad parvulos non pertinere. Ita enim hunc locum interpretatur, ut non de vita naturali ſermo ſit, ſed de morali, quæ peragitur [illegible] ἐκ προαιρέσεως, *operibus liberis & cum deliberatione factis*. Sunt ergo parvuli ante uſum rationis, & priuſquam hoc genus vitæ agere incipiant, expertes cujuſque ſordis.

Reſp. I. Harum Quæſtionum Scriptorem, cum meminerit Irenæi, Origenis, & Manichæorum, qui annis 130. poſt Juſtinum exorti ſunt, proferatque interdum vocabula τριάδα, προσώπου, ὑπόστασιν, aliaque ad refellendos Antitrinitarios hæreticos uſu Eccleſiaſtico inducta, fuiſſe ſanctiſſimo, præclariſſimoque Martyre poſteriorem. Deinde reſpondendum eſt, Auctorem hunc, quemadmodum vitam intelligit ſtatum liberæ operationis, ita ſordes appellare, quæ contrahuntur ἐκ προαιρέσεως, ἐξ ἐξουσίας, *ex propoſito, & libertate*. Peccatum enim Originale aperte agnoſcit quæſtione CII. ubi inter Adam & Chriſtum eamdem ſtatuit ἀντίθεσιν, quam tradit Beatiſſimus Juſtinus in Dialogo cum Tryphone.

Secundo objiciunt perdifficilem Clementis Alex. locum. Is enim Encratitas conjugia damnantes hac ipſa de cauſſa, quod nefas ſit dare operam generationi, qua ſordida ac polluta natura traducitur, originarium cujus vitium ex allato Jobi teſtimonio, ex quinquageſimi Pſalmi verſu ſeptimo ſatis comprobari ſentiebant, Clemens eos, ac ejuſdem furfuris hominem Julium Caſſianum exagitans, negat primo in tertio Stromatum libro parvulos Adæ prævaricatione inquinari, dicens: *Ubi fornicatus eſt infans natus, vel quomodo ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil eſt operatus?* Deinde verba Davidis, *In peccatis concepit me mater mea*, ad ſolam Evam ſpectare his verbis declarat: *Et quando dixit David: In peccatis conceptus ſum, dicit prophetice quidem matrem ſuam, ſed Eva mater fuit viventium: & ſi in peccatis fuit conceptus, ſed non ipſe in peccato, neque vero ipſe peccatum*. Ut ergo Clemens fœdo Encratitarum errori obviam eat, non ſolum peccatum negat quod contrahitur generatione, verum etiam conterit, elevatque auctoritatem ſcripturarum, quibus potiſſimum demonſtratur.

Non illam ego adhibebo reſponſionem, qua lib. 4. de Amiſſ. Grat. cap. 9. utitur Bellarminus, Clementem ſcilicet ex ſententia Encratitarum iſta proferre. Quiſquis enim oculis non conturbatis Clementem viderit, facile dignoſcet, non eſſe hæc Julii Caſſiani objectamina, ſed hæc impugnantis reſponſio; quomodo ejuſdem hæretici ſunt conſequentia verba: *Generationem eſſe malam, non illam corporis modo, ſed etiam illam animæ, propter quam eſt & corpus*. Neque reſpondebo cum Edmundo Simonnet, ſi hæc verba Clementis ſunt, vix, ac ne vix quidem cum aliquali veriſimilitudine dici poſſe, hoc loco peccati originalis non impugnari exiſtentiam. Etenim quo argumento ducti dubitare poſſumus hæc non ſcripſiſſe Clementem Alexandrinum, cum nullus vetuſtiſſimus codex, nullaque perantiqui Scriptoris auctoritas, nulla demum ratio hæſitationem iſtam confirmet? Sed nec reſpondemus Clementem hoc tantum velle, quod infantes non cadant ſub execrationem Adæ ex vi generationis, quæ mala ſit ſuapte natura; cum labes generationi inſit per accidens, & ex eo quod natura per generationem propagata jam ſit ob primorum parentum prævaricationem vitiata. Quamquam hæc reſponſio ſatis illuſtretur a Nicolao L' Herminier, & ſecundo præſertim teſtimonio poſſit aptari. Quid ergo? Dicemus cum Gerardo Voſſio Clementem Alexandrinum non ſatis percepiſſe originale peccatum? Id vero nunquam. Tatianus, a quo Encratitæ, poſt obitum Juſtini, cujus fuerat auditor, in hæreſim Valentini, Saturnini & Marcionis prolapſus eſt, Auctore S. Irenæo libro I. capite, e diſtinctione Maſſueti, XXXVIII. Itaque non ſolum aſſerebat matrimonium eſſe corruptionem & ſtuprum; ſed illud quoque, unde tam nefarium dogma tamquam ex impuro fonte manabat, connubia a principio malo fuiſſe inſtituta, nec aliud eſſe, quam ſeminarium ac fomentum turpiſſimarum libidinum, quarum uſu anima in uno corpore fornicata, ac diviſa a ſpiritu vitæ transfunderetur in aliud corpus continuis ſordibus inquinanda. Hæc enim & Saturnini, & Marcionis, & Valentini, & Gnoſticorum ceterorum eſſe dogmata Irenæus, Epiphanius, Tertullianus, ac Veteres plerique conſentiunt. Nego itaque Julium Caſſianum, ac Tatianos reliquos a nuptiis abhorruiſſe ob originale peccatum, quale nos propugnamus, quod ſcilicet inhæret animæ creatæ de novo a Deo, atque ex conſortio carnis pollutæ contrahitur. Quare priorum verborum ſenſus eſt: *Ubi fornicatus eſt infans?* Hujus nempe parvuli anima, priuſquam in hoc intruderetur ergaſtulum, quonam in corpore ſeſe obſcœna libidine commaculaverat? Incidit quidem in execrationem Adæ: aſt, num ob anteacta flagitia? Minime: non enim aliquid, antequam huc devolveretur, boni, malive perfecit, quomodo ab Gnoſticorum phyſiologia fuiſtis edocti. Non eſt corporis generatio, nec creatio animæ mala, quod ſit inſtituta a diabolo, redeantque mortui ad carnis contubernium, ut repetitis ſordibus obſoleſcant. Hanc inſaniam Tatianus veſter ex Marcionitarum gurgite ebibit. Ait quidem David: ſe a matre in peccatis conceptum: ſed hæc ad Evam referenda ſunt, a cujus utero labes primigenia diffunditur, non ad damnatas nuptias proximæ matris ſuæ, non ad ſuperioris vitæ ſceleſtiſſimam conſuetudinem. Conceptus eſt quidem in peccato; ſed ante conceptionem ipſe in peccato non fuit. Hæc mea de verborum Clementis ſententia eſt; nec obſcura, ſi dogmata Tatianorum inſpiciantur. Ceterum Clemens I. lib. Pædagogi cap. 6. & ſub finem IV. Strom. diſerte agnoſcit animarum regenerationem *ex matrice aquæ*, ſive lavacro baptiſmatis, ideoque & originale peccatum.

Præterea opponunt verba S. Joannis Chryſoſtomi: qui hom. ad Neophytos, *Hac de cauſſa* (inquit) *& infantes baptizamus, quamvis non ſint inquinati peccato; nempe ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, & fraternitas Chriſti*. Idem Hom. X. in Epiſtolam ad Rom. cap. 5. ait: *Videtur quæſtionem non parvam habere quod dictum eſt, (ob unius inobedientiam peccatores multos eſſe conſtitutos) ſed & ſi quis accurate attenderit, & hoc quoque perfacile ſolvetur. Quænam igitur quæſtio fuerit? Illo enim peccante ac mortali affecto, & qui ex eo orti ſint, eos tales eſſe nihil abſurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitiſſe, id vero quam, obſecro, congruentiam, & conſequentiam habet? ... Quid igitur hoc loco verbum hoc peccatores ſignificat? Mihi videtur tantundem ſignificare, quantum illud ſupplicio obnoxii, ac mortis rei, quod Adam mortuo omnes ſunt mortales effecti*. Videtur ergo non male Eraſmus interpretatus Chryſoſtomum, quod is putaverit ſolam mortem, non culpam in nos hæreditario jure tranſire? Quid? Hom. 17. n. I. ad Corinth. ſcribit, *nos minime ob Adæ delictum perire*: Hom. XXXIX. in eamdem Epiſtolam

lum addit, *non omnes in Adam morte peccati mortuos eſſe*. Et Hom. xxiv. in Epiſt. ad Epheſ. nobis ob Adæ peccatum eſſe corruptibile corpus: at animam labefactari & ſuo modo corrumpi peccato, quod poſt lavacrum regenerationis committitur.

Reſpondet ad 1. S. P. Auguſtinus in 1. contra Jul. cap. vi. n. 22. loqui Chryſoſtomum de peccatis actualibus: habetur enim in græco *διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα*: *Ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes*. *Vides certe*, ait S. Pater, *non ab eo dictum eſſe parvulos non coinquinatos eſſe peccato, ſive peccatis: ſed non habere peccata: intellige propria, & nulla erit contentio. At, inquies, cur non ipſe addidit propria? Cur putamus, niſi quia diſputans in Catholica Eccleſia non ſe aliter intelligi arbitrabatur, tali quæſtione nullius pulſabatur, vobis nondum litigantibus ſecurius loquebatur?* Quæ poſtrema verba aliorum Patrum, qui nondum graſſante Pelagiana peſte floruerunt, debent ſententiis minus expreſſis aptari. Habent præterea verſiones aliquæ, Baſileenſis an. 1530. & Pariſienſis an. 1556. pag. 614. *Hac de cauſſa & jam infantulos baptizamus, ut non ſint coinquinati peccato*. Atque hæc videtur mihi valde probabilis. Cum enim quidam unicum agnoſcerent effectum baptiſmi, videlicet peccatorum remiſſionem, S. Joannes Chryſoſtomus decem connumerat, ac ſtatim ſingulos in puerulis ſacro baptiſmi lavacro regeneratis locum habere demonſtrat. Sunt autem hæc effecta baptiſmatis liberari a peccato, donari ſanctitate, juſtum reddi, adoptari in Dei filium, jus ad hæreditatem nanciſci; conſtitui Chriſti fratrem, cohæredem, membrum, templum, & organum Spiritus Sancti. *Vides*, inquit, *quot ſunt baptiſmi largitates? Multis quidem videtur cæleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſſione conſiſtere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de cauſſa & jam infantulos baptizamus* (en quomodo iterum enumeratos omnes effectus recenſet) *ut non ſint coinquinati peccato, ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint omnes, ut Spiritus habitatio fiant*. Ut ergo baptiſmus in parvulis omnes memoratos effectus producat, debet in iis primario efficere remiſſionem peccatorum, ideoque legendum eſt *ut non ſint coinquinati peccato*. Dixi autem *probabiliter*; nam Auguſtinus ad Græcos codices tunc temporis, ut arbitror, non depravatos confugit, exſcripſitque verba Chryſoſtomi, ut ſupra producta ſunt.

Illud vero, quod ſequitur, etſi perdifficile videtur, hoc tantum innuit, neminem peccatorem conſtitui per actualem Adæ inobedientiam, quaſi peccatum originale ſit ipſamet primi parentis tranſgreſſio: non enim parvuli actualiter & proprie, ſed originaliter peccatores naſcuntur, ut Auguſtinus ait xvi. de C. D. cap. 27. Sed minime Chryſoſtomus negat originalem maculam propter eamdem inobedientiam in omnes pervadere: quin hoc ipſo loco ſingulos Adami poſteros ſupplicio obnoxios, & mortis reos eſſe declarat. Neque miſeros, ac morituros duntaxat: ſed ſupplicio plectendos, mortiſque reos; ut quiſque etiam in ipſis culpam & pœnæ cauſſam dignoſcat. Quis enim reus mortis, ſupplicioque obnoxius dici poteſt, ſi nullum omnino reatum habeat? Atque hæc eo magis ſunt manifeſta, quod ſequenti Hom. xi. declarat Chryſoſtomus ſimul cum morte corporis in animam pugnas inter carnem & ſpiritum, & pravorum affectuum examen introiſſe, ut contra Eraſmum, Fabrum, & Dallæum demonſtravimus.

At cetera facillima ſunt. Nam præterquamquod de baptizatis proferuntur, in Hom. xvii. ſuper Epiſt. ad Corinth. ait nos ab ipſo peccati Adæ ſupplicio non damnum accepiſſe, ſed lucrum; quandoquidem mortalitas, quæ etiam poſt baptiſmum remanet, non eſt cauſſa peccati, imo poſſumus peccata ſolvere, *Cum corpus ſit humile, demiſſum, & diſſolvatur*. Quamobrem, ut non accuſamus frenum, ſed aurigam; ita non corpus debemus reprehendere, dum in præcipitia dilabimur, ſed perverſam & lubricam voluntatem. Abel enim, etſi corpore mortalis, ſalvus factus eſt; & Diabolus contra, quamquam incorporeus, in gehennam detruſus. Eo itaque tendit oratio, ut indomiti equi habenas, carnis ſcilicet, regere ſtudeamus non cauſando infirmitatem, quam traximus ex Adam, corruptibilis corporis, ſed illud tanquam injecto freno, admotiſque calcaribus gubernando. Quæ ſatis commode dicta ſunt, maxime ab Oratore populum alloquente, qualem Chryſoſtomum conſideremus oportet. Homilia xxxix. negat omnes mori in Adam ea morte, quam evitarunt Abraham, Job, aliique juſti, morte nimirum perpetua: profert enim horum Sanctorum exemplum. Ad ultimum ſolet reſponderi loqui Chryſoſtomum de baptizatis, in quibus eſt anima incorrupta, dummodo actualis peccati macula non contrahatur. Verum habetur in Græco *φθαρτὸν ἡμῖν τὸ σῶμα ἐστιν, ἀλλ' ἄφθαρτος ἡ ψυχή. μὴ δὴ καὶ αὐτὴν φθείρωμεν. τοῦτο ἡ ἁμαρτία εἰργάσατο ἡ πρώτη. ἡ δὲ μετὰ τὸ λουτρὸν καὶ τὴν ψυχὴν φθεῖραι δύναται*. *Corruptibile nobis eſt corpus: ſed incorruptibilis anima. Ne itaque & ipſum corrumpamus. Hoc primum peccatum fecit. Quod eſt autem poſt lavacrum poteſt pariter animam corrumpere*. Hoc ergo teſtimonio probatur, non evertitur originale peccatum: ut optime adnotatum eſt in editione Pariſienſi an. 1556. pag. 1006. Confer & Commelinianam pag. 1197.

Objicies quarto aliorum Græcorum Patrum teſtimonia, Gregorii Nyſſeni, qui infantes matura morte abreptos omnis malitiæ experies eſſe declarat, nec definire audet, num in judicio univerſali ante tribunal Judicis debeant comparere. Item magni Baſilii docentis non eſſe malam perverſamque naturam, quæ ſeminali propagatione generatur. Theodoreti demum, qui lib. v. hæret. fab. cap. 18. docet parvulos baptizari, etiamſi peccatum nondum guſtaverint.

Ad 1. reſpondetur agere Nyſſenum de infantibus baptizatis, de quibus anceps eſt, num debeant in extrema die judicari; quoniam ſi Evangelica hiſtoria nude legatur, videtur proprie judicium pertinere ad adultos, qui actualia opera exercuerunt. Quorum tamen ſortem parvulos baptizatos poſſeſſuros diſerte affirmat, licet impari quadam cum adultis retributione, cum non ſint illi ob perſonalia merita coronandi. Nam *in peccatum humanam naturam lapſam* ob Adæ prævaricationem, idque certiſſima traditione tenendum, ſcribit Nyſſenus in libro de vita Moſis. At Baſilius, de quo ſupra, ſcribit *adverſus Manichæos putantes, atque affirmantes de gente tenebrarum, quam malam naturam dicunt Deo coæternam, habere originem corpora, & eſſe etiam ipſa immutabilia mala*; ut Auguſtinus ait in 1. contra Jul. cap. v. num. 17. Theodoretus vero ſcribit adverſus Meſſalianos, qui dicebant per baptiſmum deleri actualia peccata, originale autem ſolummodo per orationem. Quare juremerito negat parvulos ablui baptiſmate in remiſſionem peccatorum, ideſt, actualium: nam hæc ſatis inſinuantur ipſis Theodoreti verbis *peccatum nondum guſtaverunt*. Agnoſcit autem originale peccatum expreſſiſſimis verbis in Expoſit. cap. v. Epiſt. ad Rom., & in Epitome divinorum decretorum cap. xi.

Poſtremo adverſus Catholicum dogma pugnant Latinorum auctoritate. Inter quos antiquiſſimus omnium, poſt Victorem & Apollonium, qui deperierunt, Tertullianus in libro de Baptiſmate, *Quid feſtinet*, inquit, *innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Atque de reſurrect. carnis cap. 47. in Adæ prævaricationem refert quidem mortem corporis, at non animarum reatum. Hilarius etiam Comment. in Epiſt. Pauli, qui tribuuntur Ambroſio, ſcribit: *Eſt & alia mors ſecunda in gehenna; quam non peccato Adæ patimur*: quo loco non dari peccatum originale probare conatus eſt Michael Servetus, ut notat Sixtus Senenſis lib. vi. Bibl. ſanctæ annot. 236. Et denique Optatus Milevitanus lib. vii. n. 1. ait, *non pertinuiſſe ad Seth filium Adæ patris admiſſum*.

His ex ordine reſponſuri primum ad ea, quæ ſupra ex Tertulliano producta ſunt, adverſarios provocamus. Deinde dicimus infantulos innocentes appellari, quod nihil boni vel mali actualiter perpetraverint, quemadmodum de Jacob & Eſau ſcribit Apoſtolus ad Rom. ix. 11. De Reſurrect. autem carnis idcirco Tertullianus ſolam corporis mortem commemorat, quia diſputat adverſus Marcionem, qui mortuos reſurrecturos eſſe negabat. Quem refellit ex eo, quod ſicut omnes, ut Apoſtolus ſcribit, moriuntur ob culpam Adæ, ita omnes reſurgent per Chriſtum, *quoniam per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*, &c. in 1. ad Corinth. xv. 21. Hilarii plura Auguſtinus contra Julianum recitat lib. 1. cap. 3. n. 9., ut quod habet in Expoſit. Pſalmi centeſimi duodevigeſimi, ad illa fere extrema verba, *Vivet anima mea, & laudabit te*, ubi ait: *Vivere ſe in hac vita non reputat, quippe qui dixerat, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea. Scit ſub peccati origine, & ſub peccati lege eſſe ſe natum*. Quibus recitatis, *Sentis ne* (inquit S. P.) *quid audias? quære ne quid dicas? Hunc virum tanta in Epiſcopis Catholicis laude præclarum, de peccato originali aude, ſi quid tibi frontis eſt, criminari*. Hilarius auctor Comment. in Epiſt. Pauli non eſt Pictavienſis, nec Arelatenſis, cum ipſe ad Timot. prim. iii. aſſerat ſcribere ſub Damaſo. Fuit autem Pictavienſis antiquior, & Arelatenſis Damaſo junior. Quare erit iſte, ut dudum Lovanienſes Theologi obſervarunt, Hilarius Diaconus, qui ſchiſmati Luciferi Calaritani adhæſit, dictus a Hieronymo, circa finem Dialogi adverſus Luciferianos, *Deucalion orbis*. Atque hujus extat pro originali peccato illuſtre teſtimonium in Auguſtini quarto ad Bonifacium libro, cap. iv. *Manifeſtum in Adam omnes peccaſſe, quaſi in maſſa. Ipſe enim per peccatum corruptus, omnes, quos genuit, nati ſunt ſub peccato*. Hæc Hilarius, quem opponit Servetus. Verbis autem in contrarium allatis tantummodo ſentire videtur originale peccatum non puniri ignis æterni cruciatibus: quod & plures Catholicorum defendunt.

Optati Milevitani non eſſe ſeptimum librum olim dubitatum eſt, quod non ſit in editione Germanica Cochlæi, & Hieronymus aſſerat nonniſi ſex libros ab eo ſcriptos; imo ipſe Optatus lib. 1. ſex tantum librorum argumenta proponat. Stylus tamen, & plura Mſs. illius genuinum opus demonſtrant, unde ab eodem Auctore creditur ſex prioribus ſuperadditus. Non tamen probamus judicium Voſſii, & Caſauboni; quorum alter ſcribat Optato non ſatis originale peccatum perſpectum fuiſſe: iſte vero ait vereri ſe, ne imprudenti & incauto hæc exciderint, quæ ſeverioris examinis acrimoniam ægre ſuſtineant. Nam conſtat Optatum de actuali peccato verba feciſſe, utpote qui ſermonem

nem

nem inſtituit de Traditoribus. Atque in libro quarto præclare de Originali peccato ſcripſerat, quod propter illud *omnis homo qui naſcitur, quamvis de Chriſtianis parentibus naſcatur, ſine ſpiritu immundo eſſe non poſſit*. Eſt ergo Patrum cum Græcorum, tum Latinorum concordiſſima traditio, quod primus homo, ut Proſper inquit in Carm. de Ingratis cap. XXVII.

Corruit, & cuncti ſimul in genitore cadente
Corruimus.

C A P U T III.

Ex hujus quoque vitæ miſeriis Originale demonſtrari peccatum.

FAMILIARE fuit Auguſtino ex morte, aliiſque cruciatibus, quibus infantes plectuntur, originale peccatum adſtruere: quod argumenti genus ne omnibus quidem Catholicis probatur, cum plures putent potuiſſe Deum pro abſoluto dominii ſui jure hominem innocentem morti, ceteriſque calamitatibus adjudicare. Vim tamen habere illas Auguſtinianas rationes fide ſuppoſita, & facta hypotheſi, quod Deus hominem rectum ac ſanctum condiderit, vix aliquis denegat. Videamus ergo quale pondus in ſe vere habeant, & num poſſint a Pelagianis eludi.

PROPOSITIO: Sive ſuppoſita fide, ſive abſolute loquendo ex miſeriis, quas modo patimur, probari poteſt originale peccatum.

Demonſtrata eſt prima pars ſuperiori libro cap. XXII. ubi oſtendimus mortem, ignorantiam, & concupiſcentiam non eſſe conditionem naturæ, ſed pœnam peccati. Confirmatur nunc 2. Canone Arauſicano, *Injuſtitiam Deo dare convincitur, qui mortem, qua eſt pœna peccati, ſine peccato, quod eſt meritum mortis, ad nos tranſiſſe dicit*. Idem docent PP. Africani in Sardiniam exules in lib. de Incarnat. & Grat. cap. 14. Gelaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Piceni, Proſper contra Collatorem cap. 20. Scriptor Hypognoſticon initio 2. libri, Anſelmus lib. 2. de Incarnat. cap. 2. & de Concept. Virg. & Peccato Origin. cap. 13. & alii apud Noriſium in Vind. cap. III. §. 3.

Probatur ſecunda pars. Vel enim non ſtatum *puræ naturæ*, non quidem abſolute, & conſiderata potentia Dei, ſed ex pura puta decentia, & ſpectata Dei providentia, atque animæ ſpiritualis natura credimus eſſe impoſſibilem; aut conſentire volumus iis, qui poſſibilem eſſe propugnant. Si arrideat ſententia prior, liquet defectus tam corporales, quam ſpirituales, etſi ex neceſſitate materiæ conſequi videantur, *conſiderata divina providentia, & dignitate ſuperioris partis humanæ naturæ*, pœnam eſſe peccati, ut alibi dictum eſt cum Angelico Doctore Thoma in IV. contra Gentiles cap. 53. Atque huc ſpectant verba Auguſtini ita Julianum refellentis in Opere poſtremo n. 81. libri I. *Propter quid ergo affliguntur parvuli, ſi nullum habent omnino peccatum? An omnipotens & juſtus Deus injuſtas pœnas a tot innocentibus prohibere non potuit?* Et n. 135. *Judicium hoc utique in parvulis injuſtum eſſet, ſi peccatum originale non eſſet*. Vide & lib. IV. contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 4. lib. IV. contra Jul. cap. 16. lib. II. Op. Imperf. cap. 119. lib. VI. cap. 9. 27. & 36.

Si vero magis placeat illorum ſententia, qui ſtatuunt *naturæ puræ* poſſibilitatem; ſunt adhuc Auguſtini argumenta ducta ex hujus vitæ miſeriis firmiſſima ac validiſſima, & perperam quiſquam niteretur illa elevare. Dato enim quod nullo ſupernaturali beneficio rationalem creaturam Deus exornaſſet, num credendum eſt illam condidiſſe tot prementibus calamitatibus ac miſeriis obnoxiam? Id quidem eſt mea ſententia falſiſſimum. Principio in eo ſtatu aut non adeſſet concupiſcentia antevertens rationem, aut certe non adeo pugnax & lacertoſa, quam nunc Adæ poſteri experiuntur captivantem in lege peccati, & turpiſſima quæque inhiantem. Tantam enim libidinem neque pecora ſentiunt, neque aſini. Errat autem qui putat potuiſſe Deum, cujus erga hominem ſingularis eſt providentia, hunc creare deterioris, quam bruta ſint, conditionis. Optime ergo ex concupiſcentia hac acerrima & bellicoſa, locis nuper laudatis, evincit magnus Auguſtinus naſci homines ſub lege peccati; & ſunt Auguſtiniana argumenta etiam non ſuppoſita elevatione hominis ad finem ſupernaturalem, quantum ad præſentes calamitates attinet, invictiſſima. Idem de ignorantia dicendum eſt, cum enim creaturæ omnes in finem ſuum providentiſſime dirigantur; in eo ſane ſtatu, in quo nulla adeſſet macula originalis, ſaltem homo perciperet quid ſibi foret agendum, & non eſſet ratio talibus tenebris obvoluta, quibus modo obcæcata plura ignorat ad ſe pertinentia, & ſæpenumero errat invita. Ex hac itaque tam ſpiſſa ac tenebricoſa ignorantia infectam eſſe humanam naturam ſatis evidenter concluditur. Quid vero de vexatione dæmonum, a quibus interdum ab ortu ſuo abripiuntur infantes, & multimodis excruciantur? Annon recte Auguſtinus in ultimo Opere lib. I. cap. 88. ſcribit adverſus Julianum? *Quando parvulum ſpiritus vexat immundus, animamque ejus & corpus affligit, ſenſus ſanitatemque pervertit, nonne univerſa ejus, quam Deus inſtituit, natura turbatur? nec invenitis omnino tanti hujus mali meritum negantes originale peccatum*.

Demus præterea potuiſſe mortem, ceteraſque corporales miſerias abſque culpa a ſupremo Domino immitti, quod nimis ægre fateor, ſi ad immortalis animæ naturam, hominiſque præſtantiam animum mentemque converto: eſt nihiloſecius homini mors tam horribilis, & quam frequenter immatura, ſæva, teterrima, ut pœnam eſſe peccati natura ipſa proclamet. Inter animalium fœtus eſt ne ullus, qui ululatibus, fletibuſque vix in lucem editus conqueratur, quemadmodum muliebris partus? *Diſpendia ergo, quæ naſcentes flendo teſtantur*, (ait de parvulis Auguſtinus eodem libro n. 113.) *dicito, quo merito ſub juſtiſſimo & omnipotentiſſimo judice eis, ſi nullum peccatum attrahant, irrogentur*. Hæc etiam Gentiles philoſophi naturali mentis acumine perceperunt. Naſcentes quippe homines contemplati, videntes ex una parte nobiliſſimum omnium animal tot miſeriis & ærumnis premi, ex alia autem ſacris literis deſtituti, aut ipſam naturam tamquam novercam damnarunt, quod ſit in homines magis, quam in beſtias, iniquior; aut opinati ſunt ob peccata ſuperioris vitæ rationalem animam his calamitatibus ſubjici. Atque horum quoque Philoſophorum placita demonſtrant, optime ipſa naturali ratione probari impoſitum jugum grave ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris; quemadmodum S. Pater acute demonſtrat ſub finem libri quarti contra Julianum. Itaque ex præſentibus animæ, corporiſque cruciatibus conſtat omnes homines peccati vinculo adſtringi, quoniam vel non potuit ſervata lege providentiæ ac juſtitiæ Deus hominem condere miſerum ac moriturum: aut, ſi potuit, nunquam creaſſet ſubjectum morti adeo nobis adverſæ atque infeſtæ, neque tam gravi & ærumnoſo jugo proſtratum.

REFELLUNTUR OPPOSITIONES.

Contra hanc propoſitionem facit primo quod legimus de cæco nato cap. IX. Joannis 2. *Neque hic peccavit, nec parentes ejus*: quemadmodum ergo cæcitas, ita calamitates reliquæ abſque ullo peccatn immitti poſſunt hominibus. Deinde nonne Chriſtus, qui peccatum non fecit, neque maculam virginali ex utero traxit, ignominioſæ mortis ſupplicio affectus eſt? Immaculata item Virgo, quam ſine labe originali conceptam totus fere Orbis veneratur, communi morte deceſſiſſe creditur, varioſque cruciatus pertuliſſe. Non eſt ergo mors corruptæ peccato originis argumentum.

Leviſſima hæc ſunt. Ac ad primum quidem de cæco nato reſponſum dedimus præcedenti libro cap. 4. Prop. I. ad 3. Poteſt & retorqueri argumentum verbis Auguſtini in III. contra Jul. cap. 6. *Neque enim de innumerabilibus parvulis, qui & in animo & in corpore cum tanta vitiorum varietate naſcuntur, hoc dici poteſt, quod Dominus ait de illo, qui cæcus eſt natus, non propter peccatum ipſius, vel parentum id eſſe factum, ſed ut manifeſtarentur opera Dei in illo. Multi quippe nec ſanantur omnino, ſed cum eiſdem vitiis, ſive in qualibet ætate, ſive in ipſa moriuntur infantia, &c.* Ad alterum idem Auguſtinus reſp. de Peccat. meritis lib. I. cap. 37. *Dicet aliquis ſi hæc natura pura non eſt, ſed vitioſa primordia, quia talis non eſt creatus Adam: cur Chriſtus longe excellentior, & certe ſine ullo peccato natus ex Virgine, in hac tamen infirmitate atque ætate procreatus apparuit? Huic propoſitioni reſpondemus: Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis præcedente peccato eſt creatus in carne peccati. Nos ideo tales, quia illius præcedente peccato nati ſumus in carne peccati. Chriſtus ideo talis, quia ut de peccato condemnaret peccatum, natus eſt in ſimilitudine carnis peccati*. Neque enim pœnæ rationem habet, quod Salvator, ut chirographum noſtrum affigeret cruci, nulla neceſſitate, ſed electione voluntatis ſuæ propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, pati dignatus eſt. De Virgine matre Romanorum Pontificum decretis inhærens, & repetens de originali labe, quod Auguſtinus lib. de nat. & Gratia cap. 36. ſcripſit de Actualibus noxis, *Propter honorem Domini noſtri nullam prorſus cum de peccatis agitur habere volo quæſtionem*; dico, licet pie credatur a peccato originis præſervata, genitam tamen eſſe ex carne vitiata & corrupta, ex qua mors corporalis conſequitur; quamquam anima ex hujus carnis conſortio non fuerit ſingulari privilegio inquinata.

Sunt autem bene multa, quæ adverſus peccati originalis tranſfuſionem ex ratione humana objiciuntur. Primum eſt quod Diabolus foret conditor hominum: Neque enim a Deo bono poteſt produci contaminata natura. Sapit ergo cum Manichæis quiſquis naſcentium originem putat eſſe vitiatam. Nec ſatisfit hujuſmodi argumentationi dicendo Deum utique bonam rectamque naturam inſtituiſſe, ſed corrupta primi prævaricatione parentis, peccatum carnis propagine contrahi. Anima enim rationalis non propagatur, ſed a Creatnre corpori tabifico infectoque inſeritur. Erit ergo ipſemet Deus hujus cauſſa peccati. Referenda ſunt enim in ipſam cauſſam efficientem quæ alicui rei ab origine primaque inſtitutione conveniunt. Præterquamquod eccur Deus rationalem animam corpori unit, ſi ſcit inde illam diaboli ancillam captivamque evaſuram, & lege peccati adſtringendam? At huic argumento cap. IV. ſuperioris libri ſatisfactum eſt. Veriſſima eſt reſponſio, ori-

ginale

ginale peccatum non eſſe ex inſtitutione Creatoris, ſed ex prævaricatione primi parentis; laudandam eſſe adverſus Manichæos hominis creationem, ſed commendandam etiam adverſus Pelagianos Salvatoris gratiam ac redemptionem. Melius quippe Dei cauſſa agitur, *cum & Creator & Salvator agnoſcitur, quam cum defenſa velut ſana, viribuſque integra creatura, opitulatio Salvatoris inanitur*: Inquit Auguſtinus de Nat. & Grat. cap. 42. Vide & lib. IV. ad Bonifac. cap. 3. Diximus etiam neceſſarium non eſſe, ut ad perdifficilem de animarum origine quæſtionem confugiamus. Etſi creentur ſingulæ a Deo, trahunt originalem maculam ex carne, *ſicut aqua in vitiato vaſe corrumpitur*. Eapropter non eſt Deus cauſſa peccati, quoniam *non ex creatione Dei eſt vitium, quod voluntario motu natura collegit: ſed etiam de vitiata per ſemetipſam natura Deus inſtitutionem ſuam quidem ſuæ creationis exequitur*; inquit Epiſt. VII. Sanctus Gelaſius. Diſpoſito autem corpore non debet Deus animorum creationem ſuſpendere, quoniam, ut ſcribit Proſper ad IV. ob. Vincentii, *Prævaricatio hominum diſpoſita a ſæculis creationis ordinem turbare non potuit*.

Deinde objiciebat Julianus lib. I. ultimi contra Auguſtinum Operis n. 59. & lib. II. n. 24. damnari in ſententia Catholicorum nuptias, neque a Deo inſtitutas fuiſſe; ſi aliquid unde damnabiles generantur ſecum habeant, & illatum uſu corrupta propagetur natura. Addebat lib. V. n. 2. parabolam Evangelicam Matth. VII. 17. a fructu arborem bonam aut malam dignoſci; & conſequenter malam eſſe ſuapte natura generationem, concubitumque virilem, ex quo fructus carpitur adeo noxius.

Et huic argumento cap. XIII. proximi libri obviam itum eſt. Nego itaque nuptias eſſe damnandas, cum non ad libidinem & peccatum fuerint inſtitutæ, ſed ad generationem, qua humana propagetur natura, inquinata ſane & corrupta, ſed non cauſſa nuptiarum, cum labes originaria in prævaricationem primi hominis ſit referenda. *Nuptiæ* (inquit S. P. lib. 2. de Nupt. cap. 26. num. 42.) *inſtitutæ ſunt cauſſa generandi, non peccandi: propter quod illa eſt a Domino benedictio nuptiarum: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. Peccatum autem, quod inde a naſcentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, ſed ad malum, quod accidit hominibus, quorum conjunctione ſunt nuptiæ*. Et Fulgentius in I. de Verit. Præd. *Deus humanæ naturæ fæcunditatis donum contulit: libidinis vero malum non eſt creatura Dei, ſed pœna peccati. Proinde de immunditia nuptiarum mundus homo non naſcitur, quia interveniente libidine ſeminatur. Quam libidinem nuptialis honeſtas utique non amat, ſed in nuptiis mortalis propagationis neceſſitas tolerat*. Non ſunt ergo damnandæ nuptiæ, quarum finis bonus eſt, humanæ videlicet naturæ conſervatio & propagatio. Imo magnum afferunt ac laudabile bonum, bonum ſcilicet uſum concupiſcentiæ malæ, qua abutuntur adulteri, & curam ordinate filios procreandi. Quare laudandæ ac celebrandæ ſunt, ut S. Pater demonſtrat memorato loco, & lib. VI. contra Jul. cap. 18. necnon libri I. Op. Imperf. n. 65. & lib. V. cap. 23. Cumque cauſſa originalis peccati ſit Adæ tranſgreſſio, nuptiarum vero fructus procreatio filiorum; erit mala Adami voluntas, non bona connubiorum inſtitutio, malæ arbori comparanda. *Nihil proinde valet ad iſtam quæſtionem ſimilitudo illa Evangelica: quia non ſunt nuptiæ cauſſa peccati, quod trahitur a naſcente, & expiatur in renaſcente; ſed voluntarium peccatum hominis primi originalis eſt cauſſa peccati*; inquit magnus Auguſtinus laudato cap. 26. de Nuptiis lib. 2. num. 43.

Ulterius argumentantur Pelagiani. Parentes baptizati peccatum originale non habent: Non ergo iſtud traducunt in poſteros. Quo enim pacto fieri poteſt, ut illud probentur tradere parentes, quo carere creduntur? Ita Julianus cap. 7. n. 18.

Reſp. In baptizatis ſoluto reatu concupiſcentiæ, quæ vinctos detinebat, ipſam ad agonem remanere; & per baptiſmum evacuari carnem peccati, *non ut in ipſa vivente carne concupiſcentia conſperſa & innata repente abſumatur & non ſit: ſed ne obſit mortuo, quæ inerat nato*: Ita Auguſtinus de Peccat. meritis lib. I. cap. ult. & lib. II. cap. 4. Porro hæc concupiſcentia ex peccato nata, & ad peccatum inclinans, eſt originalis peccati quaſi rheda atque vehiculum. Igitur nego conſequentiam. Quamvis enim gratia regeneratis carnalis concupiſcentia repugnans legi mentis remiſſa ſit, & in peccatum non reputetur, neque noceat aliquid, niſi ejus motibus ad illicita conſentiatur: attamen *Proles eorum, quia non per ſpiritalem, ſed per carnalem concupiſcentiam ſeminatur, velut ex illa oliva quidam noſtri generis oleaſter, ſic inde reatum naſcendo trahit, ut niſi renaſcendo liberari ab illa peſte non poſſit*; inquit ipſemet Auguſtinus lib. II. de Nupt. cap. 34. Ad exemplum oleaſtri, qui exoritur e bacca & ſemine oleæ, addit in VI. contra Julianum cap. 7. num. 18. alterum ex filiis circumciſorum, qui præputiati gignuntur, trahuntque ex patris ſemine quod non reperitur in patre: ac ſupra cap. 6. n. 16. aliud attulerat ex Filiis Fundani Rhetoris Carthaginenſis, qui cum accidenti vitio luſcus eſſet, luſcum filium procreavit; quo exemplo *evertitur* (inquit) *illa tua ſententia, quæ dicit naturalia per accidens non converti: accidens quippe fuit in patre, quod factum eſt in filio naturale*. Naturale autem poſſumus hoc modo appellare originale peccatum, quatenus inſitum eſt propagatione naturæ, quamquam naturale non eſt, ipſius naturæ ſubſtantia, atque inſtitutione ſpectata. Fundano autem alter filius duobus oculis de luſco natus eſt, quod & paſſim evenire conſpicimus: idque evertit alteram Pelagianorum ſententiam, qua dicunt, *Parentes in filios ea, quæ non habent, non poſſe transfundere*.

Inſuper arguunt apud Auguſtinum lib. III. de Peccator. meritis cap. 2. Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Chriſti juſtitia etiam non credentibus prodeſt. Hoc falſum eſt. Itaque & illud.

Reſp. cum Auguſtino ibidem, quod *ſicut eorum, per quos parvuli renaſcuntur, juſtitia ſpiritus trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt; ſic eorum, per quos naſcuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. Et ſicut eos vita ſpiritus in Chriſto regenerat fideles, ſic eos corpus mortis in Adam genuerat peccatores. Illa enim carnalis generatio eſt, hæc ſpiritualis, &c.* Quamobrem nego minorem & argumentationem in Pelagianos retorqueo. In ſpirituali enim generatione neceſſaria non eſt propria actualis fides in parvulis, ut per lavacrum baptiſmatis conſtituantur ſancti, ac regni cælorum hæredes. Pari ergo jure non requiritur actualis ac propriæ voluntatis tranſgreſſio, ut in carnali generatione per originem ex Adam filii iræ, mortiſque naſcantur.

Adhuc objiciunt. Non eſt peccatum niſi voluntarium: Peccatum originale infantulis voluntarium non eſt: Igitur nullum eſt in parvulis peccatum originis.

Reſpondetur, eodem modo quodlibet peccatum voluntarium eſſe, quo peccatum eſt. Actuale peccatum eſt voluntarium propria voluntate: Originale voluntarium eſt *originaliter*, videlicet comparate ad primum hominem, a quo ſumus per carnis propagationem progeniti. *Poteſt autem* (inquit Auguſtinus lib. 2. Operis imperf. cap. CXI.) *& hoc recte dici de eodem genere eſſe, ſi ad originem referatur, quia ipſum ex primi hominis voluntate manavit, quando illius peccatum intravit in mundum, & per omnes homines pertranſiit*. Et lib. IV. cap. 90. *Ad hoc peccati genus ex libera voluntate perventum eſt, non ejus propria qui naſcitur; ſed ejus, in quo omnes originaliter fuerunt, quando communem naturam mala voluntate vitiavit*. Diſtinguo itaque minorem: Peccatum originale non eſt voluntarium parvulis *actualiter* & voluntate propria, concedo: *originaliter* & voluntate Adæ, qui communem naturam infecit, nego.

Perſiſtunt hæretici: Si peccatum originale ex libera protoparentis voluntate contrahitur, apud quem impollutam innocentiam ſcelus gravavit externum? Quomodo Deus, qui adeo eſt miſericors, ut propria unicuique confitenti peccata dimittat, eſt tam crudelis, ut innocenti impingat aliena? At reſpondet Auguſtinus lib. I. Oper. Imperf. cap. LV. Pelagianos potius Deum facere iniquum atque injuſtum; nam cum videant gravi jugo miſeriæ parvulos premi, contendentes nullum eos habere peccatum, accuſant Deum ſi affliguntur immeriti, & redarguunt Eccleſiam, ſi exſufflantur a jure diabolicæ poteſtatis alieni. Et cap. 46. negat peccatum originale non eſſe ſingulis proprium, ita Julianum urgens: *Peccatis, inquis, alienis non utique perire debuerunt. Aliena ſunt, ſed paterna ſunt, ac per hoc jure ſeminationis, atque germinationis & noſtra ſunt*. Sunt ergo etiam parvuli proprio obnoxii peccato, *non ſecundum vitæ ſuæ proprietatem, ſed ſecundum communem generis humani originem*, inquit idem Auguſtinus lib. XVI. de Civit. Dei cap. 27. Quiſquis hæc non ſatis percipit, arcana enim ſunt obſcuriſſima, audiat Apoſtolum de Adamo dicentem: *In quo omnes peccaverunt*.

At, inquies iterum, cum omne peccatum ſit aliquo modo voluntarium; voluntarium autem ab intrinſeco principio efficiatur: quomodo Adæ voluntas parvulis externa, tantoque diſſita intervallo, cauſſa eſt ob quam prævaricatores ſinguli reputentur? Rurſus: Si vera eſt definitio peccati, quæ vulgo circumfertur, *Eſt dictum, factum, aut concupitum adverſus legem Dei*, dic quæſo, cur peccatum eſt in parvulis nondum ad agenda, vel appetenda illicita idoneis? Item: Si nemo damnatur ob invincibilem ignorantiam, quam habet in ſe, eo quod non ſit ei voluntaria, & nemo ob aliorum malefacta apud rectiſſimum judicem plectitur; quare ob Adæ inobedientiam erit miſera poſteritas punienda?

Tenenda eſt ſuperior regula, quod eodem modo voluntarium peccatum eſt, quo eſt peccatum. *Ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ: ad culpam vero naturæ, non requiritur niſi voluntas in natura illa*, inquit S. Thomas in 2. diſt. 30. quæſt. 2. art. 2. Ea ergo, quæ prædicta ſunt, in ſolis actualibus peccatis actum perſonæ voluntarium demonſtrant. Dum quæſtio de originali inſtituitur, ſat eſt, quod fuerit voluntarium *originaliter*. Hoc pacto non eſt externum, ut diximus, nec malefactum alienum, ſed hominum univerſorum. Eſt etiam factum & concupitum, quatenus ex primi hominis voluntate manavit.

Objicies adhuc: Per quid hoc peccatum invenitur in parvulo? Certe non peccat iſte qui naſcitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit: per quas ergo rimas peccatum iſtud ingreditur? Equidem dicendum eſt, aut illum peccaſſe qui genuit, aut illum qui condidit,

aut

Et licet hoc totum Chriſtus perſolverit in ſe
Contraxit quantum percuſſa in ſtirpe propago:
Attamen Auctoris vitio, qui debita lethi
Inſtituit, morboſque ſuis ac funera miſit,
Vivit peccati moribunda in carne cicatrix.

Alc. Avitus lib. 1. de initio Mundi cap. 1.

CAPUT V.

In quo conſiſtat Originalis peccati natura.

QUÆSTIONEM ſatis obſcuram aggredimur ob diverſas Catholicorum, atque Hæreticorum opiniones. Mathias enim Illyricus Centuriarum Magdeburgenſium præcipuus compilator, ac Lutheranorum, qui rigidiores dicuntur, anteſignanus peccatum originale aſſeruit malam eſſe ſubſtantiam. Novatores reliqui communiter illud in ipſa concupiſcentia conſtituunt, itaut in renatis, in quibus remanet fomes concupiſcentiæ, originalis reatus nequeat deleri, ſed tegatur tantummodo, nec imputetur. Ex Catholicis vero quidam affirmarunt nihil eſſe aliud, quam ipſum peccatum Adæ, a quo prævaricatores poſteri omnes denominentur: quæ eſt ſingularis Alberti Pighii & Catharini ſententia. Recentiores affirmant nihil eſſe præter privationem originalis juſtitiæ, poſt Anſelmum in lib. de Conceptu Virginis cap. 2. Noſter Ariminenſis, cui ſubſcribunt Gabriel, & Henricus de Gandavo, in 2. diſt. 30. q. 1. art. 2. ait originale peccatum eſſe ipſam concupiſcentiam cum reatu, ſive vitium ex *morbida* qualitate contractum. Thomiſtæ, præſertim Gonet diſp. 7. de Peccat. Origin. art. 5. Contenſ. diſſert. 2. de Peccat. cap. 2. ſpec. 3. Salmanticenſes Tract. XIII. diſp. XVI. dub. 4. Card. Gotti Tom. 6. Q. VIII. aliique paſſim tenent peccatum originale materialiter eſſe concupiſcentiam, formaliter vero privationem originalis juſtitiæ. Hæc ſententia, quicquid Recentiores ſcripſerint, eadem eſt cum ea, quam defendit Gregorius noſter de Arimino conſtituens peccatum originale in concupiſcentia cum reatu, tametſi ille nomen etiam *morbidæ* qualitatis adhibuit ſenſu non malo. Nec alia eſt ceterorum diſcipulorum Auguſtini doctrina, maxime Petri Manſo Tom. 2. de Orig. peccato pag. 72. Nicolai Girken in ſumma Theologica P. 2. Tract. 3. Q. 2. dub. 2. Leonardi Vanroy De Peccatis cap. ultimo, Aurelii Piette II. Parte cap. 2. quæſt. 7. aliorumque fere omnium. Ac noſtris conſentiunt Gaſpar Juenin P. VII. diſſ. 7. quæſt. 2. Eſtius in 2. diſt. XXX. paragrapho 9. aliique plurimi. Quæ ſententia nullo modo rejici debet tamquam memoratæ hæreſi affinis; nam docent Noſtrates concupiſcentiam in renatis ſeparari a reatu, illam remanere, hunc vero prorſus per baptiſmum deleri, itaut in baptizatis, in quibus adhuc illa ad agonem luctamque perſeverat, nihil ſit amplius damnationis antiquæ.

PROPOSITIO I. Originale peccatum non eſt mala ac perverſa ſubſtantia, ut affirmavit Illyricus.

Vidimus enim in primæ Partis lib. 1. cap. VIII. malum non eſſe ſubſtantiam, ut Manichæi excogitarunt, ideoque ſententia Illyrici ad horum, qui principium ſempiternum cujuſque mali temere ſtatuerunt, inſaniam proxime accedit. *Iniquitas quippe ipſa non eſt ſubſtantia; non enim iniquitas eſt natura, quam formavit Deus, ſed iniquitas eſt perverſitas, quam fecit homo.* Inquit S. P. Auguſtinus Conc. 1. in Pſal. 68. Atqui peccatum originale eſt malum & iniquitas: Ergo peccatum originale non eſt ſubſtantia. Ulterius: Subſtantia ſpiritualis, cum ſit phyſice incorruptibilis, nullam aliam mutationem patitur, quam accidentalem, affectuum ſcilicet, aut operationum ſuarum. Diabolus ergo, aut Adæ prævaricatio novam rationalem ſubſtantiam non potuit efficere. Rurſus evertitur error Illyrici ex ejuſdem principiis; docet enim poſſe hominem conſiderari phyſice ac theologice: hominis autem ſubſtantiam phyſice poſt Adæ lapſum eamdem perſeverare, atque Theologice fuiſſe mutatam. Profert ipſius teſtimonia L'Herminier tom. 6. pag. 177. At mutatio Theologica non eſt ſubſtantialis, ut liquet: Ergo per originalem reatum minime nova quædam natura producta eſt. Deinde per baptiſmum deletur peccatum; at ſubſtantiam quis ſanæ mentis dixerit auferri? Rurſus quod idem eſt, homo cum originali peccato, ac regeneratus eadem perſona eſt, unumque individuum. Remanet ergo in eo ſemper eadem *ſpecies*, eademque ſubſtantia.

Opp. 1. Homo creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei: atque hæc imago ſita eſt in facultate intelligendi & volendi, ideoque in ipſa animæ rationalis ſubſtantia. Adam peccando divinam imaginem ac ſimilitudinem perdidit. Igitur perdidit priorem ſubſtantiam. Reſp. diſt. minorem: Adam peccando amiſit divinam imaginem quantum ad characteres & ornamenta gratiarum, conc. quantum ad ipſam intellectricem naturam, nego. *Simul enim*, inquit Cyrillus in cap. 1. Evang. Joan., *& vitam creaturæ ſpiritus indidit, & ſuos characteres divinitus impreſſit. Adulterata eſt illa ſimilitudo Dei incurſu peccati, nec jam characteres erant amplius clari & ſplendidi, ſed ſubobſcuri, ac tenebris obvoluti.* Vide quæ de imagine Dei, ad quam factus eſt Adam, ſcripſimus præcedenti libro cap. VII. 1. & 2. propoſitione.

Ob. 2. Sacræ literæ exprimunt originale peccatum nonnullis notis, quæ ſignificant propriam veramque ſubſtantiam. Etenim Gen. VIII. v. 21. appellatur in Hebr. Cod. *Figmentum cordis malum*. Ad Rom. VI. 6. *Vetus homo*. Matth. XV. 19. principium efficiens malarum cogitationum, aliorumque vitiorum: & alibi *Semen ſerpentis, caro, Adam terrenus, &c.* = Reſp. hæc omnia dici metonymice, & propter vitiatæ originis effecta. Ita Gen. VIII. *figmentum* cordis accipitur pro cupiditatibus, ac deſideriis; unde recte Vulgata habet: *Senſus enim, & cogitatio hominis in malum prona ſunt*. Nec deſunt innumera exempla. Quid eſt enim ſcrutari renes, cor effundere, conglutinari animam, & cetera hujuſmodi, niſi metonymiæ, in quibus cauſſa ponitur pro effectu? Item *novus homo*, de quo Paulus ad Rom. XII. 2. & 2. ad Corinth. V. 17. ſignificare novitatem ſenſus, gratiam, juſtitiam, renovationem Spiritus Sancti, ex ipſa lectione manifeſtum eſt. Itaque nihil aliud ex adverſo connotat *homo vetus*, quam deſideria carnis, concupiſcentiam, nequitiam, & ſanctitatis & gratiæ privationem. Principium vero, a quo ſunt inordinatæ cogitationes, eſt ipſa voluntas perverſis affecta cupiditatibus, in Evangelio Matthæi *cor* eadem ratione appellata: nam operis mali cauſſa nulla alia eſt, quam ſubſtantia bona mutabilis ac deficiens. Ob pravam denique affectionem homo lapſus caro, terraque nuncupatur; quod opera carnis perficiat, non ſpiritus: in terram enim, concretionemque corpoream animum abiiſſe, nequit, ſi habet animum, Illyricus opinari.

Opp. 3. Propter originalem noxam quilibet homo naſcitur filius diaboli. Gignitur ergo a diabolo maligna ſubſtantia = Reſp. diſt. ant. Quilibet homo naſcitur filius diaboli, ſcilicet, cum peccato, quo diaboli mancipium redditur, conc. cum ſubſtantiam, quæ a diabolo generatur, nego. Cum Adimantus Manichæus conſimili argumentatione aliquam ſubſtantia malam conaretur evincere ex verbis Chriſti Joan. VIII. 44. *Vos ex Patre diabolo eſtis*; S. P. Auguſtinus in libro adverſus hunc Manichæi diſcipulum cap. 5. ait, *Tribus modis in Scripturis ſanctis filiorum nomen accipitur; uno ſecundum naturam, quomodo Iſaac dicitur filius Abrahæ: alio ſecundum doctrinam, ſicut filios ſuos appellat Apoſtolus qui ab illo didicerunt Evangelium: tertio ſecundum imitationem, ſicut filios Abrahæ nos vocat Apoſtolus, qui ejus fidem imitamur.* Qui ergo propria voluntate peccant, duobus poſtremis modis filii Diaboli nuncupantur, atque de his loquitur memorato loco Joannes. Quantum vero ſpectat ad parvulos, & ad originale peccatum, hæc reſponſio plane non ſatisfacit; nam peccatum illud non contrahitur imitatione: & tamen Gaſpar Juenin, & alii quidam hac ratione argumentum diſſolvunt. At ego dico homines naſci filios Diaboli non ſecundum naturam, non ſecundum doctrinam, non ſecundum imitationem: ſed ſecundum legem peccati, cui natura ob primi hominis tranſgreſſionem adſtringitur, quemadmodum in baptiſmo regenerantur in filios Dei, quoniam ſoluto originali reatu liberi a poteſtate dæmonis in Dei ſimilitudinem renovantur. Erit ergo triplex illa filiorum acceptio a magno Auguſtino non ſatis expoſita? Ita ſane. *Quod dixi: Tribus modis in Scripturis Sanctis filiorum nomen accipitur, minus conſiderate dictum eſt; & alios enim quoſdam modos ſine dubio prætermiſimus, ſicut dicitur filius gehennæ, vel filius adoptivus. Quæ utique nec ſecundum naturam, nec ſecundum doctrinam, nec ſecundum imitationem dicuntur.* Idem Auguſtinus in 1. Retract. cap. XXII.

Opp. ultimo. Tametſi Diabolus non ſit conditor rationalium creaturarum, poteſt tamen harum ſubſtantiam in deteriorem commutare, non minus ac vinum in acetum, lac in caſeum, & laterem in lutum convertimus: ac reapſe commutaviſſe ex eo conſtat, quod modo humana natura legi Dei eſt difformis, & a priori, quam Deus inſtituit, longe diverſa = Reſp. Subſtantiam ſpiritualem non poſſe ſuperinductis accidentibus corrumpi, & conſequenter extra orbitam Flaccum divertere ad caſearias & latericias tabernas; non enim fingitur animus ad inſtar coctilis lateris, neque ex lacte coagulatur. Sed & accurati Philoſophi negant in allatis exemplis produci novam ſubſtantiam a materiei diſpoſitione diverſam. Vitiata autem per peccatum natura primitus inſtitutæ contraria eſt, ut infirmus ſano, ut pauper diviti, ut deformis venuſto, ideſt, non quod alia ſubſtantia ſit, ſed quod infirmitati, miſeriis, & peccati inquinamento naſcatur obnoxia. Hanc appellitant Scholæ oppoſitionem privativam; nec alia ratione dicimur difformes legi, niſi quia deeſt rectitudo juſtitiæ & æquitatis in membris noſtris, legi, quæ in mente eſt, adverſantibus ob inditum languorem, & peſtem concupiſcentiæ,

Quam generi humano triſtis origo dedit,

ut ſcribit libro IX. ad Childericum Fortunatus.

PROPOSITIO II. Peccatum originale non eſt ipſum Adami perſonale delictum.

Demonſtratur 1. quoniam hæc doctrina repugnare videtur Sacroſanctæ Synodo Tridentinæ, quæ ſeſſ. V. can. 3. definit, *peccatum, quod origine unum eſt, & propagatione, non imitatione tranſfuſum, omnibus ineſſe unicuique proprium*: In ſententia autem Catharini & Pighii hoc peccatum extitiſſet in Adam re ipſa, atque in poſteris per ſolam imputationem, ideoque non eſſet cujuſque hominis proprium: Ergo hæc ſententia Sacroſanctæ Synodi decretis repugnat. II. Deleri hoc peccatum, ut eadem Synodus decernit proximo Canone V. non eſt duntaxat ipſum non imputari.

putari. Igitur contrahi hoc peccatum non eſt tantummodo idem Adæ poſteris imputari. III. Ut Apoſtolus ſcribit ad Rom. v. 12. & definit altera Synodus Arauſicana Can. 2. per Adæ prævaricationem in omne genus hominum peccatum pertranſiit: At non pertranſiit ipſummet actuale delictum Adæ, quod fuit actus immanens, & propria ejuſdem tranſgreſſio: Non eſt ergo origioaria culpa Adami actualis prævaricatio. IV. Aliquod eſt inter cauſſam ejuſque effectum diſcrimen: Peccatum Adæ, quomodo ex eodem Apoſtolo, & cit. Canone Arauſicano colligitur, originariæ culpæ cauſſa eſt; Igitur Adæ peccatum a culpa originaria diſcrepat. Poſtremo: Juſtitia, quæ nobis per Chriſtum tribuitur, non eſt quædam extrinſeca denominatio, ſed nobis revera inhæret. Ergo & inhæret vere, proprieque peccatum, quod per Adam in omnes pertranſiit; nam Apoſtolus memorato loco verſu 18. & 19. de peccato, atque de juſtitia eodem prorſus modo verba facit.

Objicies. At verſu 12. ait Apoſtolus: *In quo omnes peccaverunt*; eodemque v. 19. *Per unius in obedientiam peccatores conſtituti ſunt multi*. Auguſtinus etiam lib. 11. de peccat. meritis cap. 6. inquit: *Peccato offendentis Adam tenentur obnoxii* = Reſp. hæc de cauſſa efficiente ac prima, ob quam maculam originariam contrahimus, accipienda eſſe. Fuit autem hæc effectrix cauſſa proculdubio perverſa Adami voluntas. Et de ſenſu Apoſtoli ſatis nunc, & in ſuperioribus dictum eſt. De Auguſtino pariter liquet ex dictis præcedenti cap. 3. ad quintam, & ſextam oppoſitionem: nemo quippe negat originariam maculam ex primi hominis voluntate manaſſe. Quamobrem, ſi ita Pighium & Catharinum benigne poſſumus explicare, ut in originali peccato, quod liberum & voluntarium eſt, ſola ſit extrinſeca denominatio, inhæreat tamen ſingulis nondum regeneratis peccati macula, erit eorum ſententia catholica & vera: ſed nimis crude, & confidenter peccatum originarium in ſola imputatione conſtituerunt; quod præbuit Suareſio, aliiſque Theologis occaſionem refellendi illorum aſſertum tamquam hæreticum, aut erroneum ſaltem, & periculoſum in fide.

PROPOSITIO III. Peccatum originale nihil eſt aliud, quam concupiſcentia cum reatu, ſive vitium ex *morbida* qualitate contractum ab anima, cui ineſt reatus culpæ, ſeu privatio origioalis Juſtitiæ, adeo, ut concupiſcentia ſit originariæ culpæ quaſi materies, reatus vero ſit illud, quod appellant Theologi *formale* peccati.

Antequam ſententiam noſtram adverſus Recentiores Scholaſticos confirmare aggrediamur, animadvertendum eſt, concupiſcentiam non eſſe ſenſitivum appetitum, ejuſque vivacitatem, ſed inordinationem potentiarum animæ, unde conſurgunt motus repugnantes rationi; ut ſuperiori libro cap. XIII. fuit explicatum. Notandum etiam, quod in unoquoque peccato invenitur ſua quaſi materies, ſive ſubſtratum; & *forma*, ſive malitia, in qua primario ſita eſt ratio peccati; ut in actuali peccato eſt actio, & defectus debitæ rectitudinis, illa quaſi *materia*, hæc quaſi *forma* ejuſdem peccati. Obſervandum quoque, originale peccatum eſſe natura ſua habituale. Eſt autem diſcrimen inter actuale, & habituale peccatum, quod in illo tranſit materia, ipſa videlicet operatio, & remanet culpæ reatus, ut dum præterit actus ſacrificii idolis oblati, remanet in anima idolatriæ crimen, & macula. In peccato autem habituali etiam ablato reatu, remanet materia, videlicet prava quædam affectio & inordinatio, quæ inclinat ad iniquos pravoſque actus; ut conſtat in habitu & conſuetudine vinolentiæ. Hæc eſt Auguſtiniana doctrina in VI. contra Julianum libro cap. XVIII. num. 55. & ſola actus, habituſque perceptione deprehenditur. Quam doctrinam approbat notiſque colluſtrat eruditus Jeſuita Edmundus Simonnet tom. 1. Inſtit. tract. v. diſp. 5. art. 2. Ego tamen his paucis ex Auguſtino depromptis contentus ero.

Nunc propoſitio demonſtratur. Ac primo: Tantum abeſt, ut hæc ſententia Tridentino Concilio adverſetur, quemadmodum contendunt moderni quidam Theologi, quin hac præſertim bujus Synodi canones explicantur, muniuntur, & hæreticorum error ſententia eadem exploditur. Immerito ergo refellitur. Prob. antecedens. Inviolabile Tridentinæ Synodi decretum eſt ſeſs. v. *Tolli per baptiſmum totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet.* Item *manere in baptizatis concupiſcentiam, & fomitem.* Ruſſus hanc concupiſcentiam peccatum appellari ab Apoſtolo, *non quod vere, & proprie in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.* Atque hæc eſt expreſſa ſententia Auguſtini lib. 1. de Nuptiis & Concup. cap. 26. lib. 1. de peccator. meritis cap. 29. lib. 11. cap. 4. & 34. &c. Atqui hæc omnia propoſitione noſtra aſſeruntur, & confirmantur; dicimus enim per baptiſmum deleri concupiſcentiæ reatum, atque illud quod ratione ſua peccatum eſt, juſtitiæ ſcilicet *nuditatem*, per quam naſcimur filii iræ; remanere autem ipſam concupiſcentiam, animique languorem: quæ ſane concupiſcentia in renatis peccatum proprie non eſt, quoniam illud, quod habet in peccato habituali rationem materiæ, ſoluto reatu, & advenien
te gratia ſanctificante, remanet, ut conſtat ex prava qualibet conſuetudine: at, quamquam remanet, non imputatur in culpam, ſed ad malum adhuc inclinat, & ſi ei voluntas gratia adjuvante reſiſtat, non peccat, ſed potius meretur.

Itaque ſententia noſtra cum decretis Oecumenicæ Synodi adamuſſim congruit.

Confirmatur; nam in Congregatione habita die 21. Maji anno 1546. in qua Patres Tridentini de natura peccati originalis diſputarunt, ſolus Trevirenſis Antiſtes Pelargus aſſeruit originale peccatum ſitum eſſe in privatione originalis juſtitiæ, quod ſtatim impugnatum fuit ab Antonio Epiſcopo Canarienſi. Duæ autem aliæ ſententiæ ab Angelo Paſchali, & Balthaſſare Eredia Prædicatoribus doctiſſimis propugnatæ ſunt: quarum prior erat, perturbationem, inordinationemque facultatum, quæ ſubjiciuntur arbitrio, eſſe originariæ culpæ *materiam*, perturbationem vero ipſius arbitrii relate ad Deum eſſe *formam*; qua hujus culpæ conſtituitur natura: & altera ſententia ab hac tantummodo diſcrepabat, quod contenderet originalis peccati naturam conflari ex memorata debiti ordinis deſtitutione, ſeu facultates animi hujuſmodi ordine carentes, ac præſertim concupiſcendi vim, hoc eſt, propenſionem animi ad fluxa bona eſſe id, quod peccato originali ſubſternitur. *His* (inquit Cardin. Pallav. lib. VII. cap. 8.) *communiter aſſentiebantur*. At hoc idem nos affirmamus, imo has omnes ſimul ſententias defendimus. Ergo Tridentinorum Patrum ſenſa cum noſtris plane conveniunt.

Præterea probatur propoſitio auctoritate Auguſtini. Qui lib. 11. de peccat. merit. cap. 4. *Concupiſcentia* (inquit) *tamquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus cum parvulis naſcitur, in parvulis baptizatis a reatu ſolvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione perſequitur. Parvulos non baptizatos reos innectit, & tamquam iræ filios etiamſi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit.* Innumeris autem in locis docet per baptiſmum ſolvi hujus concupiſcentiæ *reatum*. Ita loco nuper laudato: *Soluto reatu, quo vinctos detinebat, ad agonem manet.* Tum lib. 1. de Nuptiis cap. 23. *Hæc concupiſcentia, quæ ſolo ſacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in poſteros, niſi ab illo & ipſi regeneratione ſolvantur.* Libro etiam VI. adverſus Jul. cap. 18. non ſemel repetit, *concupiſcentiam manere actu, & præterire reatu.* In libro pariter 1. Retract. cap. 15. ait: *Concupiſcentiæ reatus in baptiſmate ſolvitur, ſed infirmitas manet.* Hæc & alia plura nequeunt explicari, quod Auguſtinus tantum velit concupiſcentiam comitari originarium peccatum, non ad hujus naturam, tamquam ſubſtratum, ſive materiam ſpectare. Enimvero apertiſſima ſententia Auguſtini eſt, concupiſcentiam ſolvi a reatu: ergo reatus concupiſcentiæ ineſt ante baptiſmum. Auguſtinus ait concupiſcentiam non baptizatos reos innectere, &, ſi decedant non regenerati, ad condemnationem trahere: hæret itaque ei turpis macula, & culpa, a qua in baptiſmo ſejungitur. Repetit concupiſcentiam a reatu ſolutam manere ad agonem: inerat ergo ei vulnus mortis, & fit poſt remedium ſtimulus, & occaſio certaminis.

Accedit non ſolum auctoritas, verum etiam ratio D. Thomæ, cujus verba, ut Salmanticenſes ſcribunt memorato loco §. 4. nullam congruam explicationem in contrarium admittunt. Nam 1. 2. q. 82. art. 3. ait: *Privatio originalis juſtitiæ, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali, ſicut quiddam materiale. Inordinatio autem virium animæ in hoc præcipue attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine appellatur concupiſcentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem eſt concupiſcentia, formaliter vero eſt defectus originalis juſtitiæ.* Quod repetit in 2. ſent. diſt. 30. q. 1. art. 3. & q. 4. de malo art. 2. Falluntur autem qui cum Ludovico Habert tract. de Peccatis cap. 7. Paragrapho IV. ob illa Angelici Doctoris verba, *ſicut quiddam materiale*, arbitrantur ſatis demonſtrari, quod concupiſcentia conjungitur quidem cum originali peccato, ſed ad illius conſtitutionem non pertinet. Principio enim laudata q. 82. aſſertum ſuum ex eo probat, quod ita ſpectat ordinatio facultatum animæ ad originariam juſtitiam, ſicut illarum perturbatio ad originale peccatum. Ordinationem autem virium animæ per ſe ad originalem juſtitiam pertinuiſſe, ſatis arbitror exploratum, & traditur ab ipſo Habert cap. IV. de Creatione q. 4. Deinde in diſtinctionem XXX. 2. libri docet S. Thomas, ita peccatum originale conſiſtere in deordinationa naturæ, quomodo peccatum actuale ſitum eſt in deordinatione actus. At deordinationem actus non eſſe ſubſtratum actualis culpæ, cui ineſt peccati macula, quis homo non aſſerit? Sanctus ergo Thomas ideo concupiſcentiam non materiam abſolute, ſed *quaſi materiale* compellat, non quod minime ſpectet ad originarii peccati naturam, ſed quoniam nec corpus, nec ſenſus, nec ſubſtantia, nec materia propria eſt, ut alio in loco monſtravi. Ideo recte Salmanticenſes ajunt non poſſe teſtimonia Divi Thomæ extorqueri: & L'Herminier tom. VI. pag. 200. ingenue ſcripſit: *Hanc fuiſſe S. Thomæ ſententiam negare non poſſumus.*

Demonſtratur quoque ratione petita a D. Bonaventura 2. ſent. diſt. XXX. art. 2. Etenim originarium peccatum, ut ſupra dictum eſt, habituale eſt dicendum. Peccatum autem habituale non tantum complectitur privationem gratiæ ſanctificantis, ſed etiam immoderatam quamdam affe-

ctio-

ctionem, quæ intrinſece illud conſtituit, licet hæc poſſit a reatu ſeparari, & ſeparetur, ſi anima per gratiam ſanctificantem habitualiter convertatur in Deum, & a dominatu, quo premebatur, divinitus liberetur. Petenti enim quid ſit peccatum habituale fornicationis, aut ebrietatis, optime reſpondetur eſſe immoderetum appetitum potus, ſeu veneris, vitio per ejus *materiam* deſcriptu: quemadmodum dicitur recte eſſe privationem caſtitatis ac temperantiæ, demonſtrata ratione horum habituum *formali*. Ita ergo, inquit Seraphicus Doctor, *dum quæritur quid ſit originale peccatum, recte reſpondetur quod ſit concupiſcentia immoderata: recte etiam reſpondetur quod ſit debitæ juſtitiæ carentia: & in una iſtarum reſponſionum clauditur alia, licet una notificet ipſum habituale peccatum ratione ejus, quod eſt in ipſo habens modum converſionis; altera vero rationem privationis. Concedendum eſt igitur, ſicut rationes oſtendunt, & Magiſter dicit in litera, quod originale peccatum eſt concupiſcentia; & hæc non quæcunque, ſed concupiſcentia prout claudit in ſe debitæ juſtitiæ carentiam*. Hæc Bonaventura.

Nec male appellatur a nobis hæc Originarii peccati materia vitium ex *morbida qualitate* contractum. Ut enim ſcripſi ſuperioris libri cap. 13. deſcribitur concupiſcentia a D. Parente Auguſtino, *Affectio quædam malæ qualitatis ſicut languor*. Atque in libro XI. de Gen. ad literam cap. 32. n. 42. de protoparentibus ait: *Corpus eorum duxit morbidam & peſtiferam qualitatem*. A qua infici animam apertiſſime docet Auguſtinus lib. V. contra Julianum cap. 9. num. XIV. aliiſque in locis. His autem accedit, quod eidem Juliano objicienti non poſſe qualitatem de ſubjecto in ſubjectum migrare; expoſitiſque qualitatis generibus, ut traduntur in categoriis Ariſtotelicis, ad nullum illorum concupiſcentiam reduci; Sanctus Pater libro VI. cap. XVIII. demonſtrat ex principiis ejuſdem Juliani ſpectare ad tertiam qualitatis ſpeciem, quæ eſt affectio & affectionalis qualitas. Hanc enim cum definiſſet hæreticus, *affectionalis qualitas ex majoribus orta cauſſis ita inhæreſcit, ut aut magnis molitionibus, aut nullis omnino ſeparetur*: infert Auguſtinus concupiſcentiam eſſe qualitatem affectionalem, quoniam miſer homo clamat *adverſus talem qualitatem: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. Argumento autem Juliani occurrit dicendo, qualitatem affectionalem non emigrare de ſubſtantia in ſubſtantiam, ſed tranſire aliam ejuſdem generis *quodam operante contagio, ſicut de parentibus morbidis morbida ſoboles procreatur*. Quod lib. V. cap. XIV. num. 51. pluribus exemplis confirmat. In Auguſtiniana ergo Schola negari non poteſt concupiſcentiam, quæ originalis peccati materia eſt, rectiſſime ab Ariminenſi in 2. diſt. XXX. art. 2. concl. 3. appellari vitium derivatum ex morbida qualitate. Illud tamen non probo, quod is prope finem articuli ſupponens juxta placita Peripatetica omnem qualitatem eſſe entitatem aliquam, ait hujuſmodi vitium ac peſtem fuiſſe immiſſum flatu ac ſibilo venenoſi ſerpentis. Et nihilominus in hoc etiam errore ſtudium Ariminenſis commendo; cum ſimilia tradat Auctor librorum Hypognoſticon lib. IV. qui Auguſtino olim tribuebantur. At a ſtylo Auguſtiniano, & ſolidæ argumentationis forma illos abhorrere viderunt Critici poſteriores. Eſt ergo concupiſcentia per Auguſtinum, quaſi languor & infirmitas: videlicet non poſitiva entitas, ut probare contendit Petrus Manſo quæſt. IV. de Originali peccato §. 4. ſed prava quædam affectio, ſive vires ipſæ animi recto ordine deſtitutæ, quemadmodum languor & infirmitas valetudinis eſt mala corporis habitudo, perturbatio humorum, ſanguiniſque motus irregularis.

Per ſolam autem concupiſcentiam non conſtitoi originariæ culpæ naturam; ſed hujus *formam*, atque id, cujus cauſſa reos innectit, trahitque ad condemnationem, eſſe illius reatum, ac privationem ſanctitatis, & originalis juſtitiæ, jam comprobatum eſt D. Thomæ, & Doctoris Seraphici auctoritate. Hinc Beatus Anſelmus lib. de Conceptu Virg. cap. 26. ait: *Hoc peccatum, quod originale dicitur, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi ipſam, quam ſupra poſui, factam per inobedientiam Adæ juſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes filii ſunt iræ*. Accedit & Theologica ratio. Primo quoniam originale peccatum eſt macula, eſt injuſtitia, eſt mors animæ, quibus etiam characteribus exprimitur a Tridentino; mors vero eſt carentia vitæ, & injuſtitia & macula eſt privatio ſanctitatis ac pulchritudinis. Præter hæc in baptiſmo exornatur anima habituali caritate, per quam tollitur quicquid eſt vere ac proprie peccatum: non tollitur autem concupiſcentia, ſed remanet ad agonem; ideoque hæc non eſt ipſa ratio *formalis*, ex qua reatus culpæ conflatur. Eſt denique peccatum originis habituale, in quo præter animi languorem neceſſe eſt admittere privationem juſtitiæ; iſtam ergo *formaliter* conſtituere originarium peccatum, majori numero Theologorum nos pariter aſſentimur.

REFELLUNTUR OBJECTIONES.

Opp. 1. Per baptiſmum tollitur quicquid eſt vere & proprie peccatum. At concupiſcentia remanet in renatis. Itaque concupiſcentia vere & proprie peccatum non eſt. Inſuper; Si concupiſcentia originalis peccati eſſentiam conſtituit, conſequitur in renatis remanere originarium peccatum quantum ad eſſentiam, quod Gregorius de Arimino fateri coactus eſt, ſcribens laudata diſtinct. XXX. art. 4. *Originale peccatum tollitur quantum ad reatum, non tollitur quantum ad eſſentiam*. Quod aperte eſt contre Tridentinum definiens in regeneratis nihil damnationis manere. Rurſus ſequitur concupiſcentiam eſſe peccatum per ſeipſam & ſuapte natura, ut commenti ſunt hæretici abutentes Apoſtolicis verbis ad Rom. VII. *Jam non ego operor, ſed quod habitat in me peccatum*: cum tamen ex eodem Tridentino concupiſcentia renatorum hoc tantum ſenſu appelletur peccatum, quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.

Ad argumentum reſp. conceſſa ma. diſt. min. Concupiſcentia remanet in renatis, actu, conc. reatu, nego. Ita Auguſtinus ſupra. Solvitur autem in baptiſmate a reatu, quoniam per gratiam ſanctificantem tollitur ab anima averſio habitualis a Deo, in qua averſione macula & formalis ratio peccati ſita eſt, & per caritatem, quæ in corde baptizatorum diffunditur, anima Deo conjungitur, atque ita a captivitate dæmonis liberatur. Remanet tamen actu, quoniam manet adhuc mala affectio, ac perturbatio facultatum animæ, quæ licet non ſit mors ſpiritualis, eſt tamen quaſi animi languor, & mala animi valetudo. *Ipſa ſoluta reatus vinculo, quo illam Diabolus animam detinebat, & interclusione deſtructa, quæ hominem a ſuo Creatore ſeparabat, manet in certamine*, &c. ait Aug. lib. I. de peccat. mer. cap. ultimo. Diſtinguenda eadem ratione conſequens propoſitio: Non eſt igitur concupiſcentia vere, proprieque peccatum in renatis, in quibus evacuatur per baptiſmum caro peccati, ut Auguſtinus ibidem loquitur, & Tridentinum decernit, conc. Non eſt peccatum in nondum regeneratis, quos reos innectit, & nondum interclusione deſtructa, ob quam homo ſeparatur a Creatore, reatu, macula, & habituali averſione a bono incommutabili dehoneſtat, nego. Ita ad priorem confirmationem nego ſequelam; non enim remanet eſſentia peccati in concupiſcentia quando ab ea ſeparatur reatus, & macula, quæ eſt peccati formalis ratio, etſi concupiſcentia tamquam *materiale* quoddam idem peccatum conſtituat: quemadmodum ablata figura & elaborata diſpoſitione partium non manet ſtatua remanente ligno vel lapide, & ſeparata anima omnino mortuum eſt animal, etiamſi maneat adhuc cadaver.

Hæc eſt opinio Gregorii Ariminenſis. Qui poſt ea verba: *Originale peccatum tollitur quantum ad reatum, non tollitur quantum ad eſſentiam*, ſeſe Auguſtini verbis aperte explicat, quod poſt baptiſmum remanet vitium illud, ſive qualitas, quæ dicitur concupiſcibilitas, & quæ ante baptiſmum erat originale peccatum, in renatis, qui remiſſionem omnium peccatorum accipiunt, peccatum non eſt, Ita ut recte S. P. de concupiſcentia ſcribat libro 2. de Grat. Ch. cap. 38. poſt remiſſionem peccatorum non nocere, niſi quis ea male utatur, & mox, *Obeſſet*, inquit Auguſtinus, *iſta carnis concupiſcentia etiam tantummodo quod ineſſet, niſi peccatorum remiſſio ſic prodeſſet, ut quæ in eis eſt, & nato, & renato, nato quidem & ineſſe, & obeſſe, renato autem ineſſe quidem, ſed non obeſſe poſſit*. Quo teſtimonio recitato Ariminenſis ait: *Eſt igitur in baptizato originalis concupiſcentia, ſed ipſa non eſt in eo peccatum; ac per hoc proprie loquendo de peccato, ſcilicet culpa, nec ipſe baptizatus habet originale peccatum*. Gregorius ergo ſcribens remanere peccatum originale quantum ad eſſentiam, non de culpa, neque de ratione *formali* peccati locutus eſt, ſed de parte *materiali*, ut hominem appellamus cadaver exanime. Immerito itaque Nicolaus L'Herminier Tom. VI. de Peccatis pag. 198. ſcribit, Gregorium noſtrum tenere opinionem, quæ proxime accedit ad Hæreticorum doctrinam, cum is nec latum unguem ab Auguſtino diſcedat. Nos tamen caſtigatius loquentes, ne in hæc ſiniſtra judicia incidamus, negavimus remanere in baptizatis eſſentiam peccati, quoniam nullum peccatum eſt, ubi ſolvitur reatus, & macula abſtergitur.

Ex his liquet toto cælo Auguſtinianam doctrinam diſtare ab hæreſi Lutheranorum & Calviniſtarum. Hi enim opinantur concupiſcentiam eſſe *formaliter* peccatum originale, ideoque illud remanere in renatis. Auguſtinus contra diſtinguit concupiſcentiam in regeneratis ab ea, quæ in ceteris invenitur. In regeneratis, inquit, concupiſcentia *vocatur peccatum, non utique quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt: ſic vocatur, ſicut ſcriptura manus cujuſque dicitur, quod manus eam fecerit*. Ita lib. I. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 13. Et in I. de Nuptiis cap. 23. *Nam ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, ſed modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod peccato facta eſt, & peccatum, ſi vicerit, facit*, &c. En Auguſtini cum Tridentino perfectiſſima verborum, ac ſententiarum conſonantia. Quo ergo jure Vaſquezius p. 2. diſp. 132. c. I. ſcribere auſus eſt de Auguſtini ſententia: *Favere videtur errori eorumdem, qui aſſerunt originale tegi, & non tolli, radi, ſed non eradicari?* Sed indulgendum eſt viri hujus ingenio, maxime quod poſtea honorificentius de ipſomet Auguſtiniano dogmate loquitur. At de concupiſcentia ante baptiſmum aliter eſt diſcurrendum. Nondum enim remiſſione

ſione peccatorum accepta reatui, & culpæ ſubſternitor, non præciſe quia concupiſcentia eſt, ſed quia connectitur habituali averſioni a Deo, a qua per gratiam regenerationis ſecernitur. Quare etiam hoc titulo in renatis appellatur peccatum, quod jam peccatum quaſi materia conſtitueret, ut cadaver dicitur homo, quoniam antea, cum anima aderat, homo erat.

Dices: Si concupiſcentia peccato facta eſt, quo jure ipſa peccatum conſtituit? Rurſus fieri quidem poteſt, ut prætereunte actu maneat reatus; nam poſt immolationem factam idolis hæret animæ ſceleris reatus & macula: ſed non eſt eadem contrariorum ratio; etenim fieri non poteſt, ut deleatur idololatriæ reatus, & maneat actus ſacrilegæ immolationis.

Reſp. ad primum concupiſcentiam eſſe ſimul pœnam peccati, peccatum, & cauſſam: *pœnam peccati* comparate ad prævaricationem Adami; *peccatum* quando nondum ſoluta eſt a reatu, & mentem habituali averſione, ſive, ut Auguſtinus loquitur, *interclusione* a Deo ſeparat; *Peccati vero cauſſam*, dum conſentientem trahit ad illicita. Ita habituale peccatum, quod nihil eſt aliud quam affectionalis qualitas ad malum illiciens cum privatione juſtitiæ, eſt pœna actualis peccati: eſt peccatum, & quidem proprium, dum reatu, & carentia caritatis habitualis animam dividit a Creatore: eſt pœna peccati, quatenus etiam poſt abſolutionem ac remiſſionem ad inhoneſta pellicit, & inclinat. Supra exemplum vinolentiæ, & ſcortationis allatum eſt. Atque ex his eliditur altera oppoſitio, quæ eſt Juliani lib. VI. cap. VIII. n. 19. nam oblatio facta idolis eſt actuale peccatum, cujus materialis pars eſt actus, qui præterit: peccatum vero originarium eſt habituale, cujus materia eſt actus habitudine, & prava affectione permanens. *Hoc de ſacrificio idolis oblato* (inquit ibidem Auguſtinus) *veriſſime dicis: actus eſt enim qui opere ipſo peragitur, & non erit, & ſi iterum fit, alterum fit. Impietas vero ipſa, qua hæc fiunt, tamdiu manet, donec idolis renuncietur & credatur in Deum. Idolis itaque ſacrificatum factum eſt tranſiens, non vitium manens. Nullo modo igitur ſimile eſt quod pro ſimili ponendum putaſti. Nullo modo, inquam, ſimile eſt ſacrificium tranſiens manenti concupiſcentiæ.* Ita Auguſtinus ſolvit argumentationem Juliani, & dicta confirmat.

Opp. 2. Originale peccatum in omnibus idem eſt: concupiſcentia vero in uno, quam ſit in alio, vehementior. Rurſus in anima ante baptiſmum a corpore ſeparata univerſa, quæ ad originariam culpam attinent, perſeverant: at concupiſcentia locum non habet. E contra *in pura naturæ* afforet abſque ulla labe peccati ipſa concupiſcentia. Ex hac itaque originalis culpa nequaquam conflatur.

Reſp. hæc minima eſſe. Etenim concupiſcentia non eſt æqualis in omnibus, ſi accipiatur pro motu, qui rationi adverſatur, ſed hic motus, ut oſtendimus ſuperiori libro ex Auguſtino, *non eſt concupiſcentia, ſed actus ejus*. Verum concupiſcentia, quæ eſt perturbatio virium animæ ſoluto vinculo originalis juſtitiæ, etſi pro affectione ſubjecti non eodem pacto motus excitet, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 82. art. 4. *in omnibus eſt æqualis*. Vel reſpondetur originale peccatum idem eſſe in omnibus quantum ſpectat ad maculam, & privationem ſanctitatis, non quantum attinet ad illud, quod huic privationi ſubſternitur. In anima vero ſeparata, licet non ſit libido carnis, quam *concupiſcentiam* dicimus titulo quodam peculiari, eſſe poteſt inordinatio facultatum rationabilium, nempe voluntatis ac intellectus, atque pugna utriuſque. Atque in hac inordinatione, quæ animum carni alligatum deprimit, & ad illicita trahit, nos concupiſcentiam ſtatuimus. Hæc in ſtatu naturæ, quam *puram* vocant, aut non eſſet, aut ſubjiceretur rationi, aut ſaltem non eſſet ex voluntaria prævaricatione primi hominis. Nunc vero & eſt, & pugnax eſt, & mala eſt.

Opp. ultimo. Si reatus concupiſcentiæ, in quo macula originarii peccati a nobis conſtituta eſt, foret ipſa privatio originalis juſtitiæ, duo graviſſima ſequerentur abſurda. Primum, quod per baptiſmum non tolleretur peccatum, quoniam nulli reſtituitur originalis integritas: alterum, quod per peccatum actuale baptizati iterum originarium contraherent, quia iterum ſanctitatis & juſtitiæ jacturam faciunt.

Reſp. neutrum ex noſtra ſententia deduci. Non primum; nam juſtitia originalis plura quidem dona complectebatur, ſed quod hominem reddebat juſtum, Deoque gratum erat caritas habitualis & gratia ſanctificans. Hujus doni privatio hominem a Deo avertit, & peccatorem conſtituit. Tollitur ergo per baptiſmum peccatum originale, quoniam conſepultis in Chriſto evacuatur caro peccati, infunditur caritas habitualis, anima in Deum convertitur, & redditur juſtitia prior, non quantum ad reliquas dotes, ſed quantum ad primam ac maximam, gratiam videlicet ſanctificantem. Eſt enim macula originalis peccati privatio juſtitiæ originalis, non adæquate acceptæ, ſed ratione effectus primarii, nimirum ut importat unitionem animæ cum Deo, & habitualem voluntatis in eum converſionem. Nec ſequitur iterum per actuale peccatum baptizatos in originarium dilabi: ſiquidem privatio juſtitiæ in actuali peccato contrahitur propria perſonæ peccantis voluntate, ideoque illam innectit reatu peccati actualis. At in peccato originali iſtiuſmodi ſanctitatis privatio contrahitur ob prævaricationem Adami, neque nobis voluntaria eſt, niſi duntaxat *originaliter*. Eſt ergo privatio ſanctificantis gratiæ peccatum originarium, quatenus contrahitur origine; & peccatum actuale, quatenus contrahitur actuali hominis, ratione propria utentis, voluntate.

CAPUT VI.

Quomodo peccatum originale ſit ex Adam derivatum in poſteros.

NODUS, quem ſolvendum ſuſcipimus, implexus eſt, atque expeditu difficilis. Comparat invictiſſimus Fidei Athleta Auguſtinus Adæ poſteros noxa obſtrictos originaria, atque in communem miſerrimamque abyſſum dejectos, Epiſtola ad Magnum Hieronymum 29. nunc 167. cuidam, qui cum ruiſſet in puteum, & jam aquarum gurgite mergeretur, percunctanti qui factum eſſet, ut in fundum delaberetur, *Obſecro*, reſpondit, *cogita quomodo hinc me liberes; non quomodo huc ceciderim quæras*. Objicienti autem Juliano quomodo pueri, in quibus nullus propriæ voluntatis uſus eſt, poſſint reatum culpæ contrahere, occurrit S. P. V. libro cap. 3. *Aut utrumque*, (anima ſcilicet & caro) *vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tamquam in vitiato vaſe corrumpitur, ubi occulta juſtitia divinæ legis includitur. Quid autem horum ſit verum, libentius diſco, quam dico, ne audeam docere quod neſcio*. Cum ergo prior ratio innixa animorum propagini nequeat abſque inconſiderata temeritate præferri, ut monui capite quarto præcedentis libri, illamque Theologi ferme omnes exuerint, reliquum eſt, ut rationem aliam a Sancto Parente traditam complectamur. Ex carne ergo ſeminatrice concupiſcentia propagata anima inficitur; & ideo originaria labes in omnes pervadit, quod hæc jam polluta, & vitiata caro ſeminaliter in lumbis Adæ præexſtiterit, atque his voluntaria prævaricatione communem naturam corruperit. Atque ita originaria macula ſingulorum hominum propria eſt, ſingulisque *originaliter* voluntaria. Quamquam vero hæc eſt Auguſtini abſque ulla ambiguitate doctrina; viſum eſt ſcholaſticis plurimis novam rationem inire: quam & Auguſtino probatam permulti, fruſtra tamen, ac fallaciter arbitrantur. Nam inquiunt Adamo, qui univerſorum hominum erat morale caput, ceterorum voluntates fuiſſe alligatas a Deo, pactione quadam, & conventu, ut poſteri juſtitiam, ſi ſtaret, culpam vero, ſi caderet, participarent jure quodam hæreditario. Hoc nempe modo dum Patres ac Magiſtratuum Rectores ſeſe voto aliquo obſtringunt, eodem vinculo cives omnes tenentur, etiam in poſterum naſcituri. Ea cauſſa qui ſemel diſceptationem inſtituimus, & bene & naviter oportet eſſe litigioſos.

PROPOSITIO: Contrahitur originalis noxa propagatione naturæ, eo quod concupiſcentia & libidine ſeminetur corpus, cui lege providentiæ anima a Deo inſeritur, unde hæc carnis conſortio vitiatur: & quoniam corpus præcontinebatur in lumbis Adæ, is communem naturam infecit, ita, ut originarium peccatum ſit ob hanc præcontinentiam ſingulis proprium, & originaliter voluntarium, non quod voluntates noſtræ moraliter continerentur in Adam, aut cum eo Deus conditionem aliquam, vel pactum inierit.

Dicimus primo noxam originariam contrahi propagatione naturæ. Quod probatur primo definitione Tridentini ſeſſ. 6. cap. 3. *Revera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti; cum ea propagatione per ipſum dum concipiuntur propriam injuſtitiam contrahant, &c.* Deinde auctoritate Auguſtini, qui lib. III. de peccatorum meritis cap. 8. ait peccatum originale omnibus proprium eſſe *carnali generatione*, & lib. VI. contra Julian. cap. 12. *contagione propagationis*. Idem docet S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 1. *Peccatum originale non eſt peccatum hujus perſonæ, niſi quatenus hæc perſona recipit naturam a primo parente, unde & vocatur peccatum naturæ, ſecundum illud Epheſ. 2. Eramus natura filii iræ.*

Præterea dicimus, icciroo transfundi per generationem hoc peccatum, quod hæc generatio peragatur ſeminatrice concupiſcentia. Id vero demonſtratur primum ex verbis Jobi XIV. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* Quæ ita explicat Innoc. III. in Pſalmum 1. v. 7. *Ex ſeminibus fœdatis, & corruptis concipitur corpus corruptum pariter & fœdatum, cui anima tandem infuſa corrumpitur & fœdatur, non ab integritate & munditia quam habuit, ſed ab ea quam haberet, ſi non uniretur fœdato corpori & corrupto, quoniam & creando infunditur, & infundendo creatur.* Deinde probatur ex Auguſtino, qui lib. 1. de Nupt. & concupiſc. cap. 23. ait: *Hæc concupiſcentia, quæ ſolo Sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in poſteros.* Item lib. II. de peccat. meritis cap. 27. & 28. docet etiam filios procreatos a parentibus baptizatis naſci obnoxios peccato, quia gignuntur, *ex illa manente concupiſcentiæ vetuſtate*. Atque eodem libro cap. 25., nec non lib. V. contra Jul. cap. 15. poſtremi Operis lib. IV. cap. 103., & ſerm. 128. de temp. cap. 1. docet, ideo Chriſtum nullo obnoxium fuiſſe peccato, quoniam, cum virili non ſit conceptus ex ſemine,

liber

liber fuit a nexu ſeminatricis concupiſcentiæ. Satis autem conſtat, Auguſtinum non ſolum aſſerere concupiſcentiam eſſe ſignum naturæ corruptæ, ut Habert, aliique recentiores perperam reponunt: ſed expreſſe ſcribit per illam trajici peccati vinculum, illam nondum regeneratos innectere culpæ reatu, propter illam, qui per illam naſcuntur, peccatores conſtitui; ut liquet ex locis nuper, & præcedenti capite allatis, ex cap. 1. prioris libri de Nuptiis, atque ea libris aliis, maxime adverſus Julianum. Accedit S. Thomas, qui 1. 2. q. lxxxi. art. 4. ad 3. *Libido*, inquit, *tranſmittit peccatum originale in prolem*. Vide & Magiſtrum diſt. xxxi. n. 8.

Aſſerimus tertio animam contrahere peccati maculam ea unitione, & conſortio carnis vitiato ſemine procreatæ. Quod principio probatur ex verbis Jobi, & expoſitione Innoc. III. de quibus ſupra. Eam ob rem mulieris menſtrua Levit. xv. pro ſumma immunditia haberi, cum ſemen tritici, aliarumque rerum nuſquam vocetur immundum, animadvertit Eſtius 2. libro Sent. in diſt. 31. §. 1. Auguſtini autem hanc ipſam apertiſſimam ſententiam eſſe oſtenditur primo, quoniam in v. libro contra Julianum, & in Epiſtolis ad Hieronymum, & Optatum laudatis cap. 4. præcedentis libri, non alia ratione quæſtionem hanc expedit, niſi affirmando, vel animam ea anima propagari, vel in corpore tamquam in vitiato vaſe corrumpi. Atqui ratio prima communi conſenſione rejicitur, & de ea S. Pater tantummodo anceps extitit: altera ergo retinenda eſt, & probanda. Deinde hæc aſſertio præcedentis corollarium eſt; nam generatione carnali, qua propter manentem concupiſcentiam qui naſcitur contrahit peccatum, ſola caro traducitur. Si ergo per Auguſtinum transfunditur originaria labes carnali generatione, neceſſum eſt, ut in animam tranſeat per carnem. Præter hæc cum nonnihil difficultatis præſeferat, quomodo peccatum cujus ſubjectum eſt anima, per corporis generationem trahatur, ut ex qualitate corporali pertranſeat in ſpiritum, idque pugnaci contentione objectaret Julianus: S. Pater libro v. cap. 9. num. xiv. reſpondet, quod qualitates, licet ſubjecto inhæreant, & ſine illo eſſe nequeant, attamen *afficiendo tranſeunt, non emigrando, quemadmodum Aethiopes, qui nigri ſunt, nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorem ſuum velut tunicam transferunt, ſed ſui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt*. Demonitrat poſthac, ob arctiſſimam inter animam & corpus neceſſitudinem, etiam rerum corporalium qualitates in res incorporales tranſire, *ut formas corporum, quas videmus, haurimus quodammodo & in memoria recondimus*. Cujus rei etiam aptiſſimam cauſſam profert, nimirum quod *non ita Deus naturas creat, ut leges auferat, quas dedit motibus uniuſcujuſque naturæ*. Manifeſtum eſt ergo ſentire Auguſtinum quod carnis vitium contagio quodam ex parente tranſit in prolem, & ex carne, *ubi occulta juſtitia divinæ legis includitur*, maculam contrahit anima originariam.

In hujus aſſerti confirmationem nonnulla alia argumenta producam. Ac primum ſit: quod peccatum dicitur in ſacris literis manere in carne, non ob aliam rationem, niſi quia *ejus conſortio anima maculatur peccato*, inquit memorata diſt. xxxi. n. 4., allatis etiam Sanctorum teſtimoniis, Magiſter. Alterum depromitur ex lege, nexuque carnis & ſpiritus, quæ talis eſt, ut ex mala corporis affectione animus doleat, & ex variis illius motibus diverſas induat inclinationes; ideoque poteſt eodem pacto dum corpori infunditur, virium ac facultatum ſuarum habitualem perturbationem ſubire. Atque hac ratione utuntur eruditi, doctique viri Eſtius laudato loco, & Vanroy cap. ultimo de Peccatis Q. 5. Poſtremum argumentum eſt, quod animi vitium, qualecumque illud ſit, unam ex his cauſſis debet habere, aut ipſius animi originem, aut actus ejus, aut corporis conjunctionem. Puerorum animæ inquinari non poſſunt ob originem animæ, quoniam ſingulæ creantur a Deo: neque ob actus & operationes ipſarum, quia nondum cum libertate operantur. Reſtat ergo, ut vitium duntaxat contrahant ex carne. Atque ita ratiocinatur lib. 2. diſt. xxx. q. 1. art. 2. noſter Ariminenſis.

Dictum ulterius eſt, originale peccatum eſſe ſingulis proprium & voluntarium, quatenus omnes *ſeminaliter* fuerunt in Adam, qui propria voluntate communem naturam vitiavit. Quarta hæc aſſerti pars ſequitur ex præmiſſis. Etenim originale peccatum non eſt proprium hujus perſonæ, niſi quatenus recipit naturam a primo parente: Atqui unuſquiſque recipit naturam a primo parente, quia præceſſit *ſeminaliter* in lumbis ejus. Ergo, &c. Nihilo tamen minus demonſtratur. Primo quidem Scripturis. Etenim ex Apoſtolo ad Hebræos vii. 9. & 10. ideo Levi decimatus eſt, quia *adhuc in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchiſedech*. Igitur omnes peccaverunt in Adam, quia omnes in lumbis Adæ continebantur, quando ipſe peccando communem naturam vitiavit. Deinde ex Tridentino ſuperius laudato naſcimur injuſti, quia ſumus ex Adæ ſemine propagati. Sumus autem propagati ex Adam, quia ex femore ejus egreſſi.

Hanc vero eſſe Auguſtini mentem colligitur ex ejus verbis allatis cap. 3. ad ſextam oppoſitionem. Addimus quæ habet in 1. de peccatorum meritis cap. 10. *Alia eſſe propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata ſunt, aliud hoc unum, in quo omnes ille unus homo fuerunt*. Rurſus capite 26. Enchirid. *Stirpem quoque ſuam peccando in ſe tamquam in radice vitiaverat*. Et in poſtremo contra Julianum Opere libro iv. num. 75. omnes in Adam peccaviſſe declarat, *Quia in lumbis Adam fuit genus humanum, quando perpetravit illud grande peccatum*. Atque ne ſingula percenſeam, eodem libro num. 103. recitatis verbis Ambroſii ex libro 7. in Lucam cap. 15. *Fuit Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & omnes in illo perierunt*, hæc Auguſtinus: *Sed poterat Ambroſius hoc intelligere, quod tu non potes, non hoc dici propter arbitrium ſingulorum, ſed propter originem ſeminis, unde omnes futuri erant, ſecundum quam originem omnes in illo uno erant, & hi omnes unus ille erant, qui in ſeipſis nulli adhuc erant. Secundum hanc originem ſeminalem etiam Levi in Lumbis patris ſui Abraham fuiſſe dicitur, quando a Melchiſedech decimatus eſt Abraham: unde & ipſe Levi tunc decimatus oſtenditur, non in ſeipſo, ſed in illo, in cujus fuit lumbis: nec voluit, nec noluit decimari, quoniam nulla ejus voluntas erat, quando ſecundum ſubſtantiam ſuam nec ipſe adhuc erat; & tamen ſecundum rationem ſeminis, non mendaciter, nec inaniter dictum eſt, quod ibi fuit, & decimatus eſt*. Sane non poterat Auguſtinus melius ediſſerere, omnes peccaſſe in Adamo, quatenus omnes in ipſo fuerunt *ſecundum originem ſeminalem*.

Demonſtratur inſuper teſtimonio & ratione beati Thomæ. Qui 1. 2. q. lxxxi. art. 1. docet poſſe quidem animam propter corporis indiſpoſitionem defectus contrahere, ſicut interdum ex fatuis fatui generantur; ſed id non ſufficere ut culpa parentum revera tranſeat in prolem. Hoc itaque aliunde repetendum eſt, ex eo ſcilicet, quod univerſi homines ex Adam derivati, ſint tamquam multa membra ejuſdem corporis, non propterea quod fuerit ille morale caput poſterorum voluntates præcontinens, iſtud enim Thomas non aſſerit; ſed quoniam Adam eſt primus auctor, *qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur: & in quantum unuſquiſque recipit naturam a primo parente*. Quod profecto non eſt, eſſe humani generis morale caput tantummodo, ſed phyſicum & naturale. Profert Sanctus Doctor exemplum petitum ex peccato actuali per corporalia membra perpetrato: quod voluntarium non eſt voluntate membrorum, puta manus occidentis, oriſve blaſphemantis, ſed voluntate arbitrii, a quo hujuſmodi membra ad illicitos actus moventur: ita originale peccatum univerſæ poſteritatis Adami proprium eſt, quod is propria voluntate naturam communem vitiaverit, & motu generationis, quæ habet ab ipſo originem primam, hæc natura in ſingulos homines traducatur. Hæc ratio Divi Thomæ in Tridentino congreſſu producta a Paſchali Antiſtite Motulanenſi ab omnibus ſummo plauſu excepta eſt: cum e contra opinationem de capite morali, quam Joannes Fonſeca Epiſcopus Stabienſis colluſtrare conatus eſt exemplo Regis oppidum concedentis alicui hac lege, ut illud ipſe, ejuſque poſteri hæreditario beneficio poſſideant, dummodo a fide principis non deſciſcat, & ubi ille deſciverit, oppidi poſſeſſione ſpoliatur univerſa progenies: iſtam, inquam, opinationem (auctore Pallavic. lib. vii. H. Conc. Trid. cap. 8.) nonnullis viſum eſt haud plane ſatisfacere, quippe quæ nullatenus declaret tranſmitti poſſe culpam genitoris in poſteros, ſed ſolum pœnam. Compendio dicam: ut peccatum actuale eſt voluntarium voluntate arbitrii illud perpetrantis; ita originale voluntarium eſt ſingulis *originaliter*, nempe voluntate protoparentis, qui legem tranſgreſſus *ſtirpem quoque ſuam in ſe tamquam in radice vitiavit*.

Tandem dictum eſt non transfundi originale peccatum in poſteros Adæ ob arbitrarium illud pactum, pro quo decertatur in Scholis. Id vero primum ex præmiſſis theſibus evincitur. Si enim hoc peccatum ſit proprium poſteritatis Adæ non propter arbitrium ſingulorum, ſed propter originem ſeminis, fruſtra ad pactionem illam confugimus. Atqui peccatum iſtud ſingulorum proprium eſt ſecundum ſolam originem ſeminalem. Commentitium eſt ergo pactum illud a Deo initum cum Adamo. Deinde nullum aut in ſacris literis, aut penes Auguſtinum hujus conventionis reperitur veſtigium; ſed undequaque, ut hactenus vidimus, eliminatur. Inſuper: *Quod pœnaliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter ſequitur in naſcentibus ceteris*, ut Auguſtinus inquit xiii. de Civ. D. cap. 3. atque, ut ait S. Thomas, ideo originale peccatum appellatur peccatum naturæ, quoniam contrahitur ex quo ſinguli homines naturam a parente primo recipiant. Si *naturaliter ſequitur*, ſi ob generationem ex ſemina Adæ; quomodo vi conventionis, aut pacti? Item inter Diabolum & Deum nulla certe conditio interceſſit, & tamen ſi Diabolus filios gigneret, ob originem ſeminalem, per quam eſſet caput poſterorum ſuorum, ut Auguſtinus ſcribit in 1. contra Julianum cap. 20. gigneret filios *paterno peccato obnoxios*. Ita de Adam aſſerendum eſt.

Neque vero ſi ad conventionem hanc recurramus, facilius, ut creditur, expeditur nodus, ſed magis, magiſque implicatur. Ad pactum enim requiritur libertas ex utraque parte, & neceſſarium eſt, ut quiſquis paciſcitur, ſponte alicui conditioni ſeſe obliget. At præceptum datum Adæ, cujus tranſgreſſione peccatum in omnes pervaſit, abſolu-

tum

rum eſt, atque, ut tale eſſet, decebat ſupremum dominium Dei. Fabula eſt ergo pactio illa: *Nam quid Deus opus habebat Adæ conſenſu?* Inquit Dominicus Soto lib. 1. de natura & gratia, cap. 10. Ad hæc: Quomodo voluntas poſterorum potuit in Adami voluntate præexiſtere? Phyſice? Nequaquam; neque enim illorum voluntas erat, *quando nec ipſi ſecundum ſubſtantiam ſuam adhuc erant*. Moraliter? At mea voluntas in alio moraliter eſt, ſi in illum propria mea electione transferatur, puta monendo, præcipiendo, conſentiendo, ut ille operetur. Filii autem Adæ non potuerunt voluntatem propriam ſuamet electione in voluntatem Adami transferre. Ergo nec moraliter Adamus habuit in arbitrio ſuo poſterorum ſuorum voluntates. Deinde qui eſt caput morale ſola poteſtate ac dignitate, poteſt quidem aut legem condere, aut votum vovere, aut cum alio paciſci, & ſubditorum, filiorumque voluntatem obligare, adeo ut ſi legem frangant, aut votum non reddant, dum jam arbitrii poteſtate fruuntur, graviter peccent. At hoc minime ſatis eſt, ut nati, ſubjectique teneantur illorum tranſgreſſionis reatu. Quare in Tridentino conventu, de quo ſupra, viſum eſt illam de capite morali ſententiam pœnæ alicujus tranſmiſſionem ſalvare, non culpæ. Demum per ſolam conventionem Patris cum Chriſto, hujuſque conſtitutionem in caput morale univerſæ Eccleſiæ minime juſtificamur, ſed oportet, ut illius ſanctitatis per regenerationem ſpiritus, atque interiorem gratiam reddamur participes. Igitur per ſolam pactionem Dei cum Adamo peccatores non conſtituimur, ſed ideo in eo delinquimus, quia per ſeminalem originem, transfuſamque libidinem ab illo habemus carnem peccati, & corruptam naturam; ideoque peccatum transfundi ob arbitrariam aliquam conventionem, falſum eſt: nec ſolvit hæc opinio dubitationem majori, quam Auguſtiniana ſententia præſtat, facilitate, ut Theologi plures ſcripſerunt.

ARGUMENTA OPPOSITA REFUTANTUR.

Primum adverſus dicta argumentaberis. Etiam Chriſtus ex ſemine Adæ ſecundum carnem genitus eſt, dicente Apoſtolo ad Rom. 12. *Factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem*. Si ergo per ſeminalem originem trahitur peccatum, *Caro Chriſti, quia de Maria natus eſt, cujus Virginis caro, ſicut ceterorum omnium, ex Adam fuerat propagata, nihil diſtat a carne peccati*. Ita Julianus apud Auguſtinum libro v. cap. 15. = Reſpondeo hoc argumenti genere magis ſententiam noſtram firmari. Ideo enim Chriſtus carnem peccati non habuit, ſed carnis peccati ſimilitudinem, quia de puriſſima Virgine ſine virili ſemine, & ſine carnali concupiſcentia homo proceſſit. *Et hinc apparet illam concupiſcentiam, per quam Chriſtus concipi noluit, feciſſe in genere humano propaginem mali, quia Maria corpus, quamvis inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod non inde concepit*. Vide Auguſtinum eodem loco: & in 11. de peccatorum meritis cap. 25. nec non in libro ſupplementi quarto, cap. 103. ubi ait: *Qui licet ſit etiam ipſe ſecundum carnem ſemen Abrahæ, eo quod Virgo Maria, de qua carnem ſumpſit, ex ipſo ſemine propagata eſt: non tamen eſt obnoxius eidem ſemini, qui virili non eſt conceptus ex ſemine, liber a nexu ſeminatricis concupiſcentiæ*.

Dices: Ergo Virgo Mater, cum virili ſemine concepta ſit, eademque concupiſcentia, ſine qua nec ſanctiſſimi conjuges generant, originalem maculam ſine dubio contraxit. = Reſp. immaculatam Deiparæ conceptionem, quam pium ac religioſum eſt tenere, nefas vero & vetitum ſcripto, aut verbo impugnare, non eſſe conceptionem carnis propagatæ per ſemen, ſed inſtans illud, in quo anima creata eſt, & corpori conjuncta, ſive eam fœtus formationem, per quam humana ſubſtantia carne, animoque conſtata incœpit vivere & eſſe. Pia enim Fidelium opinio, de qua decertatum eſt diu, tenet *Virginis animam in primo inſtanti creationis & infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia, intuitu meritorum Chriſti a macula peccati originalis præſervatam, atque in hoc ſenſu ejus Conceptionis feſtivitatem ſolemni ritu celebrari*, uti declaravit Alexander VII. Conſtitutione ſua edita an. 1662. Mea itaque ſententia eſt, primam conceptionem, quæ eſt carnis propagatio per ſemen, talem fuiſſe, ut inde conſecuta eſſet originaria macula, niſi Deus animam Virginis, ne pollueretur unitione corporis, ſpeciali gratia ſervaſſet. Quare nec Virgo puriſſima a debito contrahendi communem labem a me cenſetur immunis. Quod de ipſa peccati macula nunquam auſim aſſerere propter honorem Domini, propter Eccleſiæ ſtatuta, propter ſingularem Virginis dignitatem, propter piam fovendamque Chriſtiani populi devotionem. Neque id ſummo Deiparæ honori quicquam derogat: quin potius cum permulti etiam Sanctorum, ut Anſelmus 2. libro *Cur Deus homo* cap. 16. & S. Thomas 3. p. q. 27. art. 2. videantur in oppoſitam ſententiam propendere; atque, ut ſcribit Baptiſta Mantuanus Theologus ac Poeta clariſſimus, lib. 1. Parthen.

Iſta hominum communis erat ſententia; verum
Jam ſenio exangui erigens ſua robora ſenſim
Perdit, & amiſſa jam majeſtate recedit:

hac noſtra aſſertione facilius Virginis privilegio conſulitur, dicendo veteres de conceptione ſeminis, & carnis propagatione fuiſſe locutos, ob quam Virgo Chriſti redemptione opus habuit: non qua anima peccati vinculo ſolveretur, ſed qua per corpus nullam traheret fœditatem.

Argues 2. Nec per ſemen, nec vi concupiſcentiæ originale peccatum poteſt traduci. Non per ſemen, quoniam in eo nullum peccatum eſt: non vi concupiſcentiæ; etenim ſi duo conjuges abſque ardore libidinis concumberent, gignerent filios originali peccato inquinatos. Contra in ſtatu innocentiæ fuiſſet abſque transfuſione peccati procreatio filiorum, quæ non peragitur abſque ſenſu concupiſcentiæ = Reſp. hæc jam ſatis fuiſſe contrita. Diximus enim ſupra per ſemen trahi maculam originalem, quatenus per illud propagatur caro peccati, cujus unitione anima coinquinatur. In ſemine ergo peccatum eſt, non *formaliter*, ſed *cauſſaliter*. De concupiſcentia, quæ eſt tradux peccati, dictum non ſemel, eam non eſſe motum vel actum, ſed perturbationem virium, affectionemque perverſam, quæ in ſingulis eadem eſt. Vide ſup. capitis oppoſitionem ſecundam. Hujuſmodi non futuram in ſtatu innocentiæ, niſi ad imperium nutumque rationis Auguſtinus non ſemel tradidit, ut perſpicuum eſt ex capite libri præcedentis undecimo.

Tertio oppones argumenta, quæ demonſtrant ad transfuſionem peccati neceſſarium fuiſſe aliquod pactum, vi cujus voluntates poſterorum fuerint voluntati Adæ moraliter conjunctæ. Primum eſt: Hoc pactum exploſum eſt a Janſenio lib. 1. de ſtatu nat. lapſæ cap. 6., ubi appellatur Commentum a Theologis excogitatum. Quam doctrinam Janſenius mutuatus eſt a Luthero in Pſalmum 51. & a Calvino libro 1. Inſtitutionum cap. 1. Hæc præmittit Edmundus Simonnet Tract. v. diſp. v. art. v. nam cetera, quæ profert, ſunt pervulgata & communia. Alterum eſt: Potuit Deus ſupremus univerſorum Dominus decernere, ut ſi Adam ſtetiſſet, omnes cum originali juſtitia procrearentur, ſi cecidiſſet autem, omnes culpam contraherent, ac in primo homine, tamquam morali capite noſtri generis, noſtras quoque voluntates cenſere. Temporales enim principes includunt in voluntate tutoris voluntatem pupillorum, & debita ac vota parentum, in quos filiorum arbitrium translatum eſt, in illos pertranſeunt. Cur non potuit Altiſſimus Dominator in Adam voluntates includere poſterorum? Tertium argumentum eſt: Geneſ. xvii. 14. de puero non circumciſo legitur, *Pactum meum irritum fecit*: quod de peccato originali S. Auguſtinus exponit, ut diximus capite 1. Et Oſeæ vi. 7. dicitur: *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum*. Pactum ergo a multis Theologorum aſſertum commentitium non eſt, ſed traditum in Scripturis, & Auguſtino probatum.

Ad primum reſpondetur fruſtra in nos odioſo Janſenii & hæreticorum nomine conflari apud imperitos calumniam. Traduci originale peccatum per ſeminalem originem, & concupiſcentiæ vehiculo, quod negat Simonnettus, ſcribit Auguſtinus, ſcribit Magiſter, ſcribit Sanctus Thomas, ſcribunt Theologi probatiſſimi: & pactionem, ad quam permulti confugiunt, rejiciunt Tridentini Theologi, Soto, Paſchalis, & quotquot huic differenti de hac quæſtione aſſenſerunt. Mitto Noſtrates fere omnes, & aliorum Scholaſticorum catervam. Sat enim nos a damnatis erroribus diſtare præcedenti capite evicimus; atque in iſto poſitionis noſtræ fontes uberrimos commonſtravimus. Nec Scholaſticos reliquos nobis adverſantes irridemus, ſed utimur utrinque monumentis, illi ſuis, nos noſtris, juncto adverſus Refractarios agmine, & comitatu virtutis.

Nunc ad alterum. Tametſi modo inquirimus quid factum ſit, non quid ſupremus Dominus poſſit: concedimus decreviſſe Deum hac lege hominem condere, ut eo peccante, peccarent omnes; eo ſtante, ſtarent: fatemur conſtitutum Adam ſuæ poſteritatis morale caput: annuimus latam ei, vel ab eo legem obſtringere poſteros: nemo noſtrum eſt, ut id neget, tam bardus ac ſtupidus. At Deum potuiſſe includere voluntatem meam, quæ niſi mihi intrinſeca ſit, mea non eſt, in voluntate primi hominis, & hujus voluntatis cauſſam alienum peccatum vere, intrinſece, ac proprie meum eſſe, id vero non aſſequor. Repugnantia enim eſt rerum, non defectus poteſtatis ſupremæ. Allata exempla nihil prorſus efficiunt. Non poteſt a Magiſtratu pupillorum voluntas transferri in voluntatem tutoris in ordine ad peccandum, ut peccante tutore peccet pupillus: ſed in ordine tantum ad permutationem, & alienationem bonorum, atque alia iſtiuſmodi, quæ ſunt penes Magiſtratuum juriſdictionem. Ita peccante patre, exilio mulctatur filius, quoniam natus eſt a parente, quem a ſua ditione princeps extulit; & exilium eſt filio conditio nativitatis, non proprii pœna peccati. Princeps enim poteſt damnare morti homicidam, punire ſeditioſum; at nunquam efficere, ut filius habeat in ſe homicidii, ac ſeditionis reatum, hoc ſolo, quod genitus ſit a patre talium ſcelerum auctore. Viſum proinde eſt Tridentinis Patribus, exempla quæ nobis objiciuntur demonſtrare in poſteris Adæ transfuſionem pœnæ, non culpæ.

Dices: Si filii ob parentum ſcelera exilio, aliiſque pœnis plectuntur, & nihilominus non contrahunt illorum ſcelerum maculam: eccur ex miſeriis, quibus parvuli afficiuntur, infertur hos trahere originalem nequitiam? = Reſp. oppoſitionem iſtam ad quæſtionem, quam nectimus, non ſpectare. Illam ſolvit Auguſtinus in Epiſtola ad Auxi-

lium

lium 75. nunc ordine 250. Corporali pœna inficiuntur interdum iis etiam, qui ejuſdem impietatis non fuerunt participes *ad terrorem viventium*, quoniam corpora quandoque moritura ſunt ob Adæ delictum: ſpiritualis autem pœna non poteſt ſine proprio crimine infligi, cum in Ezechielis 18. ſcriptum ſit: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur*. Infantium ergo corpora perimuntur, quoniam propter Adæ peccatum morti miſeriiſque ſubjecta ſunt, nec ſoluto etiam originariæ culpæ reatu jus habent, ut in terris vivant, neque calamitates experiantur. Nam etiam baptizatis ineſt antiqui peccati ſubſtratum, ac moriendi & ingemiſcendi neceſſitas. Ergo viſitantur quandoque a Deo peccata parentum in filiis, ut legimus 20. Exodi, temporalibus ſuppliciis; quia traxerunt ab Adam carnem peccati: non poſſunt autem puniri pœna ſpirituali, niſi etiam peccatum trahant aut imitatione, aut origine. Quare ab excluſione a regno cælorum, ab ignorantia, a libidine aliiſque animorum ſuppliciis monſtratur peccato proprio eſſe obſtrictos, niſi fuerit regeneratione expiatum. A morte autem, morbis, ceteriſque miſeriis corporum infertur, granditate primi peccati jus ad corporalem vitam perdidiſſe. Itaque filius, qui homicidium una cum patre non perpetravit, mulctatur exilio, quia jus non habet ne de muliere natus repleatur miſeriis, & poteſt indebito beneficio expoliari.

Ad argumentum tertium hæc ſit reſponſio. Omne Dei præceptum, maxime comminatione, aut promiſſione latum, appellatur *pactum* in ſacris literis. Deus enim præcipiendo quaſi de mercede, & de ſupplicio paciſcitur. Ita præcepta legis *pactum* appellantur Levitici XXVI. 15. Adam ergo prævaricatus eſt pactum, quoniam tranſgreſſus eſt legem. Quod ex ipſis verbis Oſeæ ſatis liquet; ait namque de idololatris: *Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum:* atqui pactum, quod tranſgrediuntur idololatræ, eſt Dei lex: ergo Dei lex eſt pactum illud, quod prævaricatus eſt Adam. Eadem eſt ſententia Auguſtini lib. XVI. de Civ. Dei cap. 27. ubi hæc habet: *Teſtamentum autem primum, quod factum eſt ad hominem primum, profecto illud eſt: Qua die ederitis morte moriemini. Teſtamentum enim eſt a ſæculo morte mori eos, qui tranſgrediuntur præcepta Dei*. Videas, quæſo, an hoc loco arbitrariam illam conventionem agnoverit, & compendioſe expreſſerit Auguſtinus, ut ſcribit Simonnet diſput. V. de Peccatis art. 3. an potius exploſerit, nullam aliam, præter Dei mandatum, pactionem commemorans.

Præterea objicies: Abſque hujuſmodi pacto vix, ac nec vix quidem poteſt intelligi quomodo primum Adæ peccatum ſit proprium poſterorum: quippe horum voluntates non ſunt ex Adamo per ſeminalem originem, cum anima, cujus voluntas proprietas eſt, per ſemen non traducatur. = Reſp. nec intelligi quomodo aliena voluntas, me nolente, ſit mea. Proprium eſt peccatum meæ voluntatis, animique mei, quia voluntas & animus meus per unitionem corporis contrahunt habitualem a Deo averſionem, non voluntate Dei creantis animam, ſed voluntate primi hominis, a quo eſt primus motus generationis, quod ſupra auctoritate, & exemplis ſatis eſt explicatum.

Objicies adhuc: Si per ſeminalem propagationem traheretur originale peccatum, non ſolum in nos tranſiret prima Adæ tranſgreſſio, ſed quodcumque peccatum proximorum parentum. = Reſp. neque ipſam tranſgreſſionem Adæ in nos pertranſire: quandoquidem originale peccatum non eſt ipſum peccatum Adæ nobis imputatum, ſed ſingulis proprium illud eſt. Prima illa tranſgreſſio fuit originariæ maculæ cauſſa, neque ad hanc ullatenus pertinent alia peccata, vel Adæ vel proximorum parentum. Quare? Ob primum peccatum communis natura vitiata eſt, & ſoluto vinculo originalis juſtitiæ inducta omnimoda perturbatio, anima ſeſe a Deo avertente, voluntate a ratione, ſenſuum officiis a voluntate. Hanc naturam tanta perverſitate vitiatam ſeminali propagatione recipimus: atque ita peccatum in omnes pertranſiit per unum hominem, quatenus, prima prævaricatione communem naturam vitiavit. Peccata reliqua ſive Adami, ſive proximorum parentum non induxerunt in naturam humanam tale vitium, ſed invenerunt. Per hæc jam manenti concupiſcentiæ voluntas obtemperans non inficit naturam, ſed ad iſtum, vel illum actum illicitum declinat, & cum prona ſit ob vitiatam originem ad omne malum, reddit ad unum, aut alterum procliviorem. Hæc etiam proclivitas interdum de parentibus in prolem trajicitur, quando ex ebrioſis ebrioſi, ex idololatris idololatræ generantur. Ita parentes in filiis originale peccatum quodammodo aggravant; ut ſcribit ſententia 306. Sanctus Proſper: & concupiſcentia eſt in uno, quam in alio, vehementior, actualis ſcilicet, non habitualis, cui reatus originarius ſubſternitur. Porro hujuſmodi actualium peccatorum macula, & privatio juſtitiæ nequit in poſteros pertranſire ſimul cum hac peculiari concupiſcentiæ pronitate, quia concupiſcentiæ motibus non ineſt ratio *formalis* peccati, niſi iis voluntas aſſentiatur. Ineſt tamen concupiſcentiæ habituali, non cuicunque, ſed ei tantum, quæ etiam animam a Deo avertit, ac ſeparat; & hanc per ſeminalem originem hæreditario jure contrahimus. Quapropter ubi anima per gratiam baptiſmatis *habitualiter* Deo conjungitur, tollitur peccatum, & remanet concupiſcentia. Animadverte, quod Auguſtinus, qui cap. 46. & 47. Ench. videtur dubitare an parvuli obligentur non ſolum noxa originali, ſed etiam peccatis parentum ſuorum, lib. 1. de Peccatorum meritis & rem. cap. 15. omnem dubitationem deponit, & in VI. Operis Imperf. contra Julianum n. 21. docet ſolum Adæ & Evæ peccatum mutando in deterius naturam communi reatu hæreditarii debiti obligare Chirographum, & habere ſuam vim, & meritum ſingulare. Obſerva ibidem objectionem hanc eſſe Juliani, nec dilui ab Auguſtino recurrendo ad aliquod pactum, ſed ad qualitatem, & effectum primi peccati.

Oppones ultimo cum pio, eruditoque Scriptore Joanne Nicolao Chieſa Congregationis S. Joannis ad Carbonariam Antiſtite, qui fere unus eſt ex Ordinis noſtri viventibus Theologis, qui pactum propugnat. Trahitur peccatum ex Adam non naturaliter, ſed quia ille perſonam geſſit poſterorum; Præter enim argumentum nuper productum, quod magnam vim habet, quia per primum peccatum non eſt totaliter infecta perſona, ideoque nec totaliter eſt infecta natura: & ſi peccatum contrahitur ob concupiſcentiam, quæ eſt effectus tranſgreſſionis Adæ, trahi etiam deberet ob concupiſcentiam, quæ eſt cauſſa aliorum peccatorum: præter hoc argumentum, duo ſunt, quæ hactenus dicta prorſus elidunt. Unum, quia decimatio Levi non fuit ex natura rei: ergo nec peccatum humani generis in Adam fuit ex natura rei. Deinde Auguſtinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 19. & lib. 3. cap. 2. docet parvulos dici fideles ac pœnitentes propter fidem & pœnitentiam geſtantium, quemadmodum propter Adæ prævaricationem ſunt obnoxii peccato. Atqui fides & pœnitentia geſtantium non eſt ex natura ſua fides & pœnitentia parvulorum: Ergo peccatum Adæ non eſt ex natura ſua peccatum poſterorum.

Reſp. hujus Theologi poſitionem eſſe contrariam Auguſtino ſcribenti XIII. de Civ. Dei cap. 3. *Quod pœnaliter præceſſit in peccantibus hominibus primis etiam naturaliter ſequitur in naſcentibus ceteris*. Eſt etiam objectio Juliani loco nuper laudato negantis *peccatum quod Adam commiſit, potuiſſe fieri naturale*. Originaria ergo culpa naturalis eſt, non quidem inſtitutione naturæ, quod foret blaſphemia Manichæorum, ſed transfuſa vi propagationis naturæ vitiatæ per Adam, non vi alicujus conventionis, & pacti. Inſtantiæ autem ad præcedentem argumentationem ſunt nullæ, eo quod concupiſcentia prior eſt univerſarum animi facultatum perturbatio; concupiſcentia alia eſt actualis pronitas voluntatis, aut ſenſuum, & primæ tantum ineſt averſio habitualis animi a Deo: unde hæc ſola naturam inficit, & animam labe originali commaculat. Quæ dicuntur de Levi decimatione, ſententiam noſtram corroborant. Enim vero Levi decimatus eſt non ratione pacti, ſed per ſeminalem originem, ut oſtendimus ſupra ex Auguſtino lib. IV. Operis Imperfecti cap. 103. Itaque & nos per originem ſeminalem fuimus in lumbis Adæ, & hac ratione peccavimus *originaliter*. In his, quæ ſcribit Auguſtinus de peccatorum meritis, eſt aliqua diſſimilitudo, & aliqua æquiparantia. Diſſimilitudo eſt, quod in baptiſmo eſt generatio ſpiritualis, vi Sacramenti, quod gratiam confert ex Chriſti inſtitutione: in procreatione hominis trahitur peccatum per vitium carnis, quæ traducitur generatione naturali. Paritas in eo eſt, quod ſicut gratia confertur per Sacramentum inſtitutum a Chriſto etiam parvulis nondum credentibus propria voluntate; ita originalis noxa per vitium carnis contrahitur a parvulis nondum propria voluntate peccantibus. Audias Auguſtinum lib. 3. de peccat. meritis cap. 2. *Sicut eos vita ſpiritus in Chriſto regenerat fideles, ſic eos corpus mortis in Adam generavit peccatores; illa enim carnalis generatio eſt, hæc ſpiritualis, &c.* & loco altero, qui objicitur, *Totum hoc*, inquit de regeneratione ſpiritus, *in ſpe fit vi Sacramenti, & divina gratiæ, quam donum donavit Eccleſiæ*. Inepta autem eſt conſecutio. Naturale non eſt, quod parvulis confertur per gratiam: Ergo naturale non eſt quod contrahunt per carnalem generationem. Ac de quæſtione perdifficili dictum ſit.

COROLLARIUM.

Ex noſtra ſententia ſequitur abſque ulla ambiguitate, quod perſeverante Adam, ſi Cain Dei legem prævaricatus eſſet, is communem naturam peccati inquinamento fœdaſſet, atque in poſteros per ſeminalem originem, & carnalem concupiſcentiam transfudiſſet originalem reatum. Sed ſtante Adamo exornaſſet Deus probabilius majori gratiarum cumulo univerſam cum genitore progeniem, ne ullus homo ulterius ab incommutabili bono deſciſceret.

Sequitur etiam, quod ſi Deus abſque virili ſemine hominem conderet: quoniam is non eſſet ex Adam per ſeminalem originem, non inficeretur peccato originali. Quamquam enim tota maſſa corrupta eſt, & homo ille ex hac eadem maſſa plaſmaretur; tamen caro non inficit animam, niſi in quantum eſt principium generationis, ut docet Sanctus Thomas 1. 2. q. 81. art. 4. ad 3. tum quia non fit proprium poſteris peccatum Adæ, niſi ab eo ſit motus generationis, ſicut actus corporalium membrorum non pertinent ad peccatum, niſi in quantum moventur a voluntate: tum etiam, quia nullibi, ut in ſemine, ferveſcit libido, nec cauſſaliter continetur tota ſubſtantia, quæ omnium virium

& ſenſuum, in quorum inordinatione ſtat originalis culpæ ſubſtratum, ſit ſubſidium, atque inſtrumentum.

Poſtremo conſequitur, quod, etiam ſi ſola Eva peccaſſet, vel ſolus Adam, poſteri naſcerentur obnoxii peccato. Me non latet magnum numerum Theologorum ſentire oppoſitum, quod, inquiunt, eſt homo primus generationis auctor, & principium efficiens: quod Magiſtro Beato Thoma citata quæſtione, art. 5. poteſt validiſſime propugnari. Sed opinor principium generetionis non eſſe maritum ſine uxore, neque ſemen virile abſque ſemine mulieris, quocunque modo iſtud concurrat; quod apud Philoſophos controvertitur. Quoniam ergo coeuntium ſit una caro; in ea ſeminum permixtione, ſi alterum pollutum ſit, oportet ut vitietur utrumque, & modicum fermentum totam maſſam corrumpat. Atque id fiet, etiamſi muliebria permiſceantur ad ſolam fermentationem. *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur. Sive autem a muliere, ſive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet, quoniam ſicut novimus mulier ex viro eſt, & utriuſque caro una eſt. Unde & illud quod ſcriptum eſt, & erunt duo in carne una: igitur non jam duo, inquit Dominus, ſed una caro.* Ita Auguſtinus in 1. de Peccatorum meritis cap. 16. Etſi ergo Pater præcipuus gignendorum filiorum ſit auctor, eique generetiones tribuantur, ut præclare idem Auguſtinus animadvertit lib. 3. Op. Imperfect. num. 90. nihilo tamen minus non exerit motum ad generationem idoneum, niſi complexione mulieris, ac ſeminum permixtione. Puto autem nihil referre, num aqua effluat impura ab ipſo fonte, num lutulenta efficiatur in vaſe. Sed quoniam vereor ne hæc ſententia, vel potius opinatio mea minus noſtris arrideat, quamvis illam cum Eſtio Diſt. 22. §. 8. valeam pluribus communire, non eam nimium loquax obtrudam.

CAPUT VII.

De ſingulari quadam opinione aſſerente peccatum Judæorum Crucifixionis Domini auctorum eſſe genere ſuo originale.

STATUIMUS ſupra præter originale peccatum nullum aliud ad poſteros hæreditario jure tranſire. Solus Bajus prop. 52. aſſeruit, *omne ſcelus ejus eſſe conditionis, ut ſuum auctorem & poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio:* ſive quod Bajus exiſtimaverit omnem pravum motum concupiſcentiæ eſſe *formaliter* peccatum, ſive quod nullum reatum agnoverit præter obligationem ad pœnam; quæ duo affirmavit propoſitione 75. & 56. Nam & pravam inclinationem a proximis parentibus trahimus, & viſitat quandoque Deus peccata parentum in filios corporalibus ſaltem ſuppliciis. A qua Baji doctrina, ut a media nocte meridies, abſunt ſententiæ Auguſtini. Is enim, ut ex præcedentibus liquet, in Adæ primo peccato ad mutandam in deterius naturam agnoſcit meritum ſingulare, libro VI. contra Julianum cap. 21. & in reatu concupiſcentiæ demonſtret averſionem a Deo, ſive, ut loquitur lib. 1. de peccat. meritis cap. 2. *interclusionem, quæ hominem a ſuo Creatore ſeparat*, ideoque etiam reatum culpæ. Nunc excitata eſt nova quæſtio ſcriptis Magiſtri Manſi plurimum colluſtrata, an ſaltem ſcelus Judæorum qui Matth. XXVII. 25. clamarunt, *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*, illorum progeniem inficiat. Ferunt namque Judæi illius ſceleris pœnas, eaſque graviſſimas, non ſolum captivitatem ac diſperſionem, ſed etiam inteſtinum in Dei filium odium, maximamque cordis obdurationem. Et hanc ſi dicatur comitari intima macula, quæ dici poſſit vitium naturæ, habeatque ſingulare meritum, ut prima Adæ tranſgreſſio, naturam ipſam inficiendi; nihil hæc aſſertio habebit cum erroribus Baji commune. Verſemur itaque in hac diſſertatione nuper nata, ac lepidula, ad punctum temporis.

PROPOSITIO. Scelus Judæorum, quibus auctoribus Chriſtus cruci ſuffixus eſt, nequit appellari peccatum naturæ pervadens in poſteros.

Demonſtratur 1. Ex verbis Apoſtoli ad Rom. v. 16. *Judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.* Ubi inter Adam, & Chriſtum, & inter illius inobedientiam, iſtiuſque ad mortem uſque ſingularem humiliationem hæc ſtatuitur antitheſis, quod quiſquis carnali generetione propagatur per Adam contrahit maculam originalem, & quiſquis regeneratur per Chriſtum juſtitiæ gratia exornatur: ſed *non ſicut delictum, ita & donum*, cum generatione carnali non contrahatur niſi unum delictum, gratia autem Chriſti, quæ nos juſtificat, non ſolum originarium illud diſpungit, ſed etiam actualia, quæ voluntate propria patrantur. Unum eſt ergo peccatum quod trahitur per originem & cauſſa eſt condemnationis poſterorum: Atqui non unum eſſet, ſi etiam ſcelus Judæorum pertranſiret in poſteros: Non ergo pertranſit.

Reſpondet Manſo Tom. 2. Theol. Scholaſticæ p. 514. utique peccatum originale, quo ſinguli naſcuntur obnoxii, unum eſſe; ſed quid inde ad determinata peccata hujus, vel alterius determinatæ familiæ? Sed perſiſtit adhuc præcedens argumenretio. Comparetio enim facta ab Apoſtolo inter Adam & Chriſtum eſt, quod ſicut *Chriſtus eſt unus in quo omnes juſtificantur, quia non ſola ejus imitatio juſtos facit, ſed per ſpiritum regenerans gratia: ita & Adam unus eſt, in quo omnes peccaverunt, quia non ſola ejus imitatio peccatores facit, ſed per carnem generans pœna.* Quod & tatis manifeſtum eſt, & hiſce iiſdem verbis aſſeritur ab Auguſtino in primo de peccatorum meritis cap. 15. Atqui determinata ſcelera capitis hujus, aut alterius familiæ non habent pœnam, quæ generet per carnem; non enim Judæorum pervicacitas & ferveſcens in Chriſtum invidia excitat motus, quibus propagatur natura, & carnalis generatio peragitur, ſed ii efficiuntur duntaxat carnis concupiſcentia, quæ eſt memorata *per carnem generans pœna*. Ergo determinata hujus, aut alterius familiæ ſcelere nequeunt eſſe naturæ, & genere ſuo originalia. Similiter ideo per Apoſtolum *non ſicut delictum, ita & donum*, Quia *generante carne illud tantummodo trahitur, quod eſt originale peccatum: regenerante autem ſpiritu, non ſolum originalis, ſed etiam voluntariorum ſit remiſſio peccatorum.* Ita eodem loco Auguſtinus. Atqui ſi Judæorum ſcelus pertranſiret in filios, generante carne non traheretur tantummodo illud, quod eſt originale peccatum. Igitur ſcelus Judæorum in filios nequaquam culpæ reatu pertranſit.

Accedit argumentum ex poſtremo Auguſtini contra Julianum Opere lib. VI. Num. 21. petitum. Ubi Hæretico objicienti, quod ſi primum Adæ peccatum ficret naturale, tale etiam evaderent quæ voluntas criminoſa quotidie committit, reſpondet illud ſolum *habere ſuam vim, & ſuum meritum ſingulare*, propterea quod potuit *omnium ex viro & muliere naſcentium in deterius mutare naturam.* Hoc vero potuit, quoniam ante illud peccatum, *natura illa talis fuit, ut nec mori poſſet, ſi peccare noluiſſet: natura illa talis fuit, ut in ſe diſcordiam carnis & ſpiritus non haberet: natura illa talis fuit, ut contra vitia ſua nulla certaret.* Atqui ante peccatum Judæorum in Chriſti cædem conſpirantium talis in eis natura humana non erat, ſed morti ſubjecta, diſcordiis laceſſita, affecta vitiis: Ergo illud Judæorum ſcelus non habuit vim ac meritum ſingulare, (non quidem in ſe inſpectum, ſed quoniam jam naturam vitiatam invenit) ut deberet omnes inde naſcentes inficere. Vide quæ diximus præcedenti capite ad objectionem penultimam.

Eodem loco Auguſtinus oſtendit quænam culpa ſit originalis, quænam vero actualis ex pœnis, quæ inde conſequuntur. Ut enim culpa originalis ſit, & contrahatur propagatione naturæ, neceſſe eſt, ut quiſquis illam naturam habet, iiſdem pœnis afficiatur. Nam ſi pœna non pertranſeat ad omnes, eſt peccatum actuale, quod pœnis temporalibus etiam in poſteris quandoque punitur ad terrorem malorum, pœna autem æterna non punitur niſi in iis, qui illud imitantur. Ex quo probat primum Adæ peccatum originariam labem in nos transfundere, quod pœnis, quas Deus primis hominibus fuit comminatus, ſinguli afficiuntur. Etenim *nullum hominem videmus a pœna laboris alienum: nullam parientium a ſuppliciis ſexus immunem, &c.* Si ergo ſcelus Judæorum evaſiſſet naturale, ſcilicet cum propagatione naturæ culpam trajiciens in poſteros, omnes crucifixorum Chriſti nepotes eaſdem ſpirituales pœnas luerent, quæ juxta Cl. Theologum ſunt amiſſio juris ad promiſſiones factas Abrahæ, velamen cordis, & obcæcatio, & culpa ac vindicta effuſi ſanguinis Jeſu. Atqui his pœnis non afficiuntur Judæi omnes, ſed ii ſoli, qui imitantur Majorum ſuorum flagitia; ut enim legimus Act. XXI. 20. multa millia ex Judæis crediderunt, atque auctore Apoſtolo ad Rom. XI. 25. *Cæcitas ex parte contigit in Iſrael.* Ergo ſcelus Judæorum non eſt peccatum naturæ, nec reatu pertranſit in poſteros.

AD QUÆDAM IN CONTRARIUM ARGUMENTA.

Ob. 1. Judæi, ex quo propagati ſint ex ſemine Abrahæ, peculiare jus ad divinas promiſſiones habebant. Etenim Gen. XVII. 7. Deus ſtatuit pactum cum Abraham, ut eſſet Deus *ſeminis illius*. Chriſtus Matth. 15. 24. teſtatur ſe tantum miſſum fuiſſe ad oves, *quæ perierunt ex Iſrael*: atque Lucæ XIX. 9. Zachæus ſalutem conſecutus eſt, eo quod & ipſe *filius* eſſet *Abrahæ*. Atqui poſt Domini Crucifixionem hoc jure privati ſunt, ut liquet ex parabola apud Matth. XXI. de diſperſis agricolis ob occiſionem Filii Domini ſui, nec non ex ipſa Apoſtolorum prædicatione: nam principio Matth. X. 6. præcepit eis Jeſus, ne abirent in vias gentium, at poſt mortem cap. XXVIII. 18. juſſit, ut omnes gentes docerent. Judæi ergo ob crimen Deicidii nedum ſe, ſed poſteros quoque ſuos jure ad promiſſiones divinas privaverunt. Atqui peccatum quod privat bono aliquo non ſolum perſonam, ſed ejus progeniem ex D. Thoma q. 4. de malo art. 5. eſt peccatum inficiens naturam; Judæorum ergo ſcelus peccatum naturæ eſt.

Reſp. diſt. ma. Judæi jus habent ad divinas promiſſiones ex quo ſint filii Abrahæ *ſecundum carnem*, nego: *ſecundum ſpiritum*, concedo: ait enim Apoſtolus ad Rom. 4. 13. *Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei:* & Auguſtinus in Pſ. 148. *Quiſquis imitatus fuerit Abraham, filius eſt Abrahæ: quiſquis degeneraverit a fide Abraham, perdidit progeniem Abrahæ.*

Judæi

Judæi denegaverunt; perdiderunt. Ita Chananæa non erat filia Abrahæ, quia nondum credebat, unde ei eodem cap. xv. Mat. v. 28. ob fidem conceſſum eſt quod petebat. Zachæus etiam erat filius Abrahæ *imitando finem, quia non erat in vanitate ſomniantium, ſed in fide evigilantium*, ait Auguſtinus in Pſ. 75. Alioqui ſi Zachæus non propter imitationem fidei Abrahæ ſalutem conſecutus eſſet, ſed ob carnalem propagationem, ſalvi facti eſſent Judæi omnes. Hæc ad majorem propoſitionem. Minor eadem ratione diſtinguenda eſt: Judæi privati ſunt jure promiſſionum divinarum quantum ad terram Chanaam, aliaque bona temporalia, concedo: quantum ad ſempiternum regnum Meſſiæ, ſubdiſtinguo: Judæi omnes procreati ex ſemine crucifixorum, nego: Judæi, qui horum crucifixorum imitantur infidelitatem, concedo. Enimvero poſt mortem quoque Chriſti Judæis Evangelium prædicatum eſt, & Apoſtoli converſi ſunt ad gentes, quoniam Judæi ipſi contradicebant blaſphemantes, & verbum Dei refutabant. Videantur Acta Apoſtolorum cap. XIII. 26. & 46. Diſtinguenda eſt pariter minor ſubſumpta: Eſt peccatum naturæ illud quod privat aliquo dono naturæ, ut originale quod privat originali juſtitia, & recta facultatum ac ſenſuum ordinatione atque harmonia, quale donum primitus collatum fuit Adam, trajiciendum, ſi ſtetiſſet, in omnes poſteros, eſto. Peccatum eſt naturæ, quod privat aliquo dono collato fidei, meritoque perſonæ, quale donum fuit promiſſio Abrahæ participanda ab his tantum, qui ejuſdem fidei imitatores ſunt, nego. Atque hæc etiam eſt expreſſa doctrina D. Thomæ 4. q. de malo art. 8. ubi definit peccata proximorum parentum non eſſe originaria, quoniam non auferunt *aliquod donum naturæ*, ideſt donum in ſingulos naturali generatione propagandum.

Ob. 2. Ad Rom. XI. 24. Judæi dicuntur inſerti olivæ, ideſt, Eccleſiæ fidelium *ſecundum naturam*. Cap. xv. 8. aſſeritur Chriſtum fuiſſe miniſtrum circumciſionis *ad confirmandas promiſſiones patrum*, & cap. IX. 3. 4. Apoſtolus ait Iſraelitarum eſſe adoptionem, gloriam, legiſlationem, promiſſa; de iis loquens, qui erant ejus *cognati ſecundum carnem*. Itaque naturaliter, & vi propagationis ex ſemine Abrahæ ſpectabant ad promiſſionem, a cujus jure ob mortem illatam Chriſto exciderunt.

Reſp. nego conſequentiam. Nam ad Rom. XI. Judæi dicuntur olivæ rami naturales, quia naturali propagatione erant ex radice, ſive genere Abrahæ, in quo per fidem ſervabatur Eccleſia: quemadmodum Gentes erant rami oleaſtri, quia inter eas vigebat idololatria. Ut ergo idololatria genitum non eſt peccatum originale, ſed actuale tranſiens in poſteros imitatione, non ſemine; & ita benedictio Abrahæ ſpectat ad omnes, qui imitantur illius fidem, non qui gignuntur ex ejus ſemine. Et quomodo gentes inſertæ ſunt in bonam olivam per gratiam fidei, ita rami naturales fracti ſunt *propter incredulitatem*. Ita ibidem Apoſtolus v. 20. *Propter incredulitatem*, inquit, non per ſeminalem originem. Si enim per ſeminalem originem non contigiſſet in Iſrael *cæcitas ex parte*, nec ſalvus fieret *omnis Iſrael*, ut e veſtigio addit Paulus, ideſt, *qui & ex Judæi, & ex gentibus ſecundum propoſitum vocati ſunt: ipſi verius* (ſive verus) *ſunt Iſrael*, inquit Auguſtinus Ep. 59. nunc 149. 19. Nam pœna reſpondente peccato naturæ poſteri omnes mulctantur. Ex his pateſcit ſenſus aliorum verborum, maxime quod Apoſtolus appellans Iſraelitas *cognatos ſecundum carnem* oſtendit alium modum cognationis ſecundum fidem, ut animadvertit Auguſtinus ſerm. 63. de diverſis cap. 18. De ea autem cognatione ad Rom. IX. 8. ſcriptum eſt: *Qui filii ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine*.

Ob. 3. Judæi crucifixores Domini clamaverunt Mat. XXVII. 25. *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*, ideſt, *culpa & pœna*, habet Gloſſa interlinearis: Atqui *perſeverat uſque hodie imprecatio*, ut ſcribit Hieronymus laudatus a Corn. a Lapide Comment. in hunc locum Matthæi: Ergo pertranſit ad poſteros Judæorum *culpa & pœna*.

Reſp. diſt. majorem: Clamaverunt invidentia excæcati, & neſcientes quid imprecarentur, conc. quod poſſet ſceleris ſui in filios culpa & pœna tranſire, ſubdiſt. pœna temporalis, qua ad terrorem impiorum interdum puniuntur poſteri nullum jus habentes ad terrenam felicitatem, licet ſint innocentes, concedo: pœna ſempiterna, qua puniantur Judæi, tametſi non imitentur incredulitatem patrum ſuorum, nego. Atqui perſeverat uſque hodie imprecatio, ſcilicet temporalis pœna, & abominatio prædicta a Daniele, ut inquit ibidem a Lapide, conc. pœna ſempiterna, ſi imitentur Judæi incredulitatem Majorum, eſto; niſi illam imitentur, nego.

Ob. ultimo. Scelus Judæorum appellatur a Jeremia cap. XVII. 1. *peccatum ſcriptum ſtylo ferreo in ungue adamantino*, & ab Amos II. 6. ſcelus, a quo Iſrael non convertitur. Id vero non ſolum ob temporalia ſupplicia, verum etiam ob cæcitatem ac pervicaciam, quæ in Judæis tanta eſt, ut perpauci Chriſti fidem amplectantur: & ſi quis Chriſto nomen dederit, continuo ad relapſum vehementi inclinatione excitatur. Ex ſolo lacte Judææ nutricis inſici puerulos experientia compertum eſt. At ubi pœna eſt, etiam culpa invenitur, frequenter Auguſtino Julianum interpellante: *Fatemini pœnam, culpam dicite*: Itaque in Judæos culpa Majorum trajicitur.

Reſp. peccatum Judæorum ſcriptum eſſe ſtylo ferreo; quoniam ejus cauſſa in perpetuam captivitatem ſunt deportati, & quemadmodum idololatræ amuleta Deorum ſuorum ſuſpendunt ad cor, ita Judæi diſperſi, quaſi inſignia deferunt ὡς περιάμματα patrati ſceleris. Id vero non eſt culpam contrahere, ſed quaſi ſanguinis infamiam, & infortunium natalium. Ita poſteri Cham ſecum ferunt maledictionem paternam: ita peccato Salomonis ejus filii diminutione regni puniti ſunt: ita furciferorum ac rebellium nati abſque proprii reatus macula habentur infames. Cauſſam reddidi ſuperiori capite ad 3. At, inquit Manſo, trahunt Judæi a parentibus etiam pravum habitum, cæcitatem, pervicaciam, & inclinationem ad imitandum crucifixores. Quid inde? Filii omnes, ut plurimum, pravam affectionem contrahunt parentum; & eorum artes, vitia, moreſque imitantur, maxime ſi eadem ſit parentum ac filiorum educatio. At hæc prava affectio non ſubſternitur reatui culpæ, niſi præbeat voluntas aſſenſum. Nemo quippe damnatur propterea quod inclinationem malam ob corporis diſpoſitionem induat ſemine, aut lacte. Enimvero culpæ reatus vel eſt privatio originalis juſtitiæ, vel actualis; illam privationem induxit peccatum Adæ, quia naturam vitiavit originaria juſtitia exornatam: hanc privationem efficit actualis voluntas, quia iterum animam exuit ſuperinducta juſtitia. Judæi ergo, ut generantes reliqui, in filios affectiones malas trajiciunt: quæ, ut in parentibus, ita in poſteris nequeunt eſſe proxima cauſſa damnationis, ideſt, nocere non poſſunt niſi volentibus. Qui volunt, ac pereunt, non ſunt diſcreti a maſſa perditionis, neque eis auxilia, quæ nullum durum cor reſpuit, ſunt Dei propoſito præparata. Cur ſic diſcreti non fuerint, non eſt peccatum crucifixorum, ſed illud, quod trahimus ex Adam; & qui diſcreti ſunt, velamen cordis abjiciunt, eiſque ſive Judæi ſint, ſive Gentiles, ſive mali improbique Chriſtiani; *durum eſt contra ſtimulum calcitrare*. Act. IX. 5.

CAPUT VIII.

De pœnis, quæ in altera vita originali peccato reſpondent.

PUEROS non regeneratos baptiſmate ante rationis uſum concedentes naturæ Pelagiani excludi quidem a regno cælorum ſenſerunt, ſed frui tamen felicitate quadam, ac vita perenni. Hanc Pelagianorum fuiſſe hæreſim nullus ignorat, traditque expreſſe Auguſtinus Hær. 88. de peccato origin. cap. 21. ſerm. 14. de verbis Apoſtoli, lib. II. de orig. animæ cap. 12. in v. Operis Imperf. contra Julianum num. 200. & aliis in locis compluribus. Eoſdem pueros frui naturali beatitudine, & poſt judicium extremum ſuper terram eſſe commoraturos cenſent Catharinus, Pighius, & Cardinalis Sfondratus. Puniri excluſione regni cælorum, quod ſupplicii genus dicitur pœna damni, conſentiunt uno ore Catholici. Sunt ex his nec pauci, nec infimi ordinis, qui ex hac pœna nullum animi dolorem illos experiri arbitrantur. Auguſtiniana tandem ſententia eſt, illos nedum dolore aliquo macerari, ſed etiam plecti pœna ſenſibili, licet comparate ad eos, qui actualia patrarunt, leni admodum, & mitiſſima.

Antequam hujus doctrinæ poſitiones afferam, diſſimulandum non eſt, Auguſtinianæ ſententiæ aſſertores paſſim appellari a Scholaſticorum nonnullis *Tortores puerorum*. Quibus ſi vicem rependere velimus, nihil eſt, quod facilius poſſimus præſtare. Nam Florentius Conrius Archiepiſcopus Tuamenſis, & is quidem non Auguſtiniani inſtituti, ſed Ordinis Minorum, in libro, quem de hoc argumento conſcripſit cap. 26. hos Scholaſticos ſtupendæ animoſitatis redarguit, a penetrandis Auguſtini principiis remotiſſimos eſſe pronunciat, parum Divinas Scripturas penetrare, & Romanam Eccleſiam, dum Auguſtini placitum labefactare conantur, non levi forte injuria afficere. Sed nos ab his penitus abſtinemus, hac una reſponſione contenti, tortores damnatorum eſſe dæmones; & univerſorum judicem, ante cujus tribunal etiam pueri ſiſti debent, eſſe Deum. Ipſe illorum cauſſam aperte novit; nos quæ audivimus ab Auguſtino, referemus, commiſerantes Filiorum Adæ conditionem: quæ niſi talis erit, qualem nos opinamur, gratulabimur maximopere. Næ tortores dicuntur, qui nec percutiunt, nec damnant, & commiſerantur damnatis!

Vetuſtis hiſce conviciis, quæ late expungit Noriſius in Vindiciis cap. 3. §. 5. nunc prætermiſſis, animadvertendum eſt, quod Edmundus Simonnet Jeſuita doctiſſimus Diſput. V. de peccatis art. 12. ingenue fatetur Latinos Patres poſt exortam hæreſim Pelagianorum magno conſenſu noſtram tenuiſſe ſententiam; quamquam oppoſitam poſt ſæculum XII. amplexi fuerint fere omnes Doctores Scholaſtici. Imo noſtram definitam in Concilio Florentino arbitratur Petavius alter celeberrimus Jeſuita Tom. I. Theolog. Dogmatum lib. IX. cap. 10. prope finem: quod ſine ulla hæſitatione fatetur Nicolaus L'Herminier Tom. VI. pag. 441. Quod vero de Scholaſticis dictum eſt, nos utique negare non poſſumus. Cum enim Magiſter ſententiarum ſcripſiſſet diſt. XXXIII. infantes nullam ignis materialis vel conſcientiæ vermis pœnam ſenſuros, qui primum in eum Commentaria edi-

ediderunt, fortaſſe de hac quæſtione minus ſoliciti, nec data opera Fratrum teſtimoniis expenſis Magiſtro ſubſcripſerunt, tria quoque Scholaſticorum lumina D. Thomas, Scotus, & S. Bonaventura. Ob quorum auctoritatem, abſit, ut huic aſſertioni vel minimam erroris notam nos audeamus impingere. At viciſſim immerito a nonnullis vexamur, ſi ab iſtis recedimus. Nam major pro nobis ſtat numerus & auctoritas Patrum, ſi verum eſt nobiſcum cum Auguſtino Latinos reliquos conſentire; quod num verum ſit, poſtea inquiremus. Nec deſtituimur Scholaſticorum ſuffragiis. Nam parvulos luere pœnam ignis, ſi Thomam de Argentina exceperis, tenent omnes inſtituti noſtri Doctores. Commemorandus primo Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. 33. q. 3. qui tamen quæſtionem his verbis abſolvit: *Quia hujus quæſtionis non vidi partem aliquam expreſſe determinatam ab Eccleſia, & tremendum mihi videtur negare auctoritates Sanctorum, e contra etiam non eſt tutum contraire communi opinioni, & conſenſioni Magiſtrorum noſtrorum; idcirco neutri parti alteram præferens, dijudicationem earum lectori relinquo*. Atque hanc moderationem nos tenere volumus lectoris judicium expectaturi. Sequuntur Alipius Reylof lib. VIII. de Anima cap. 2. Carolus Moreau Tom. 1. Tertul. p. 2. pag. 89. Cardinalis Noriſius in Vind. cap. 3. Gavardi de Peccat. Originali q. 2. art. 5. Petrus Manſo Tom. 2. q. XV. Nicolaus Girken Tom. 2. Tract. 3. dub. 4. q. 2. Leonardus Vanroy de Peccatis quæſt. ultima, Aurelius Piette Tom. 2. cap. 2. q. IX. atque ut omittam Muſæum, Paludanum, alioſque innumeros, Antonius Guerrero Tract. III. §. IX. prioris voluminis Operis Moralium, quod adhuc ſub prælo ſudat. Ex externis plures laudat citato loco Noriſius præſertim ex diſcipulis Scoti, ut Joannem Pontium, Patrem Macedo, Florentium Conrium, alios. Sylvius 1. 2. q. 86. art. 2. fatetur ſententiam noſtram eſſe *tum Scripturis, tum Patribus conformiorem*. Eſtius §. VIII. in diſt. 33. ſecundi libri utriuſque argumenta proponit, & affirmat hanc noſtram, in quam magnopere inclinat, poni a Fulgentio inter regulas fidei, etſi neutra tamquam fide tenenda ſit, nec poſſit e contra damnari, tamquam hæretica. Ex Sorbonicis Doctoribus luculenter pro nobis ſcripſit L' Herminier tom. 6. pag. 415. Auguſtini aliorumque Patrum Africanorum, & Gregorii Magni hanc eſſe mentem confirmat Ludovicus Habert de Peccatis cap. VII. §. 7. q. 10. Eidem aſſentitur Juvenin P. 7. diſſert. 7. cap. 2. quæſt. V. Hos commemoraſſe ſufficiat. Nunc dirimendæ controverſiæ bonis, ut inquiunt, avibus tantillum operis commodabo.

PROPOSITIO I. Pueri decedentes priuſquam ſint regenerati baptiſmate, ſupernaturali beatitudine minime potiuntur.

Hæc propoſitio eſt de fide adverſus Pelagianos definita a variis Conciliis, ut ſcribit S. P. lib. II. de Orig. animæ cap. 12. ideſt a Dioſpolitano, Carthaginenſi, & Milevitano. Quibus adde Tridentinum ſeſſ. V. can. 4. & Florentinum ſeſſ. ultima. Demonſtratur I. ex Scripturis; nam Jo. III. 3. habetur: *Niſi quis renatus fuerit, &c. non poteſt videre regnum Dei*. Quo teſtimonio perculſi Pelagiani fatebantur parvulos baptizandos eſſe *non propter ſalutem, & propter vitam æternam, ſed propter regnum cælorum*, ut Auguſtinus refert Serm. de verbis Apoſtoli quartodecimo. Atqui non ſolum a regno cælorum, ſed etiam a ſalute & vita æterna hujuſmodi parvuli excluſi ſunt. Ergo ſupernaturali beatitudine non fruuntur. Minorem probamus primo, quia commentitia eſt illa a Pelagianis excogitata inter regnum Dei, & inter æternam vitam diſtinctio, quemadmodum evici cap. I. hujus libri propoſit. 2. argum. 3. Deinde ex eodem cap. Joannis verſu 16. *Ut omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam*, ſatis apparet eos, qui habituali fide non exornantur, eſſe æterna vita privandos. Quod in eodem Evangelio repetitur cap. V. 24. 40. &c. Demonſtratur II. Patrum auctoritate, maxime Auguſtini ſcribentis laudato Serm. de verbis Apoſt. 14. *Nos dicimus aliter ſalutem, & vitam æternam non habituros, niſi baptizentur in Chriſto*. Et in II. de peccat. meritis cap. 16. *Multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apoſtolo, Judicium ex uno delicto in condemnationem*. Adſtipulantur Patres Concilii Carthaginenſis, & Milevitani in Epiſtola ad Innocentium 90. & 92. inter Auguſtinianas: illi enim ſcribunt, *Parvulos etiam propter ſalutem, quæ per Salvatorem Chriſtum datur, baptizandos* (Pelagiani) *negant. & ſic eos mortifera iſta doctrina in æternum necant: promittentes etiam ſi non baptizentur habituros vitam æternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: Venit enim filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat*. Quam Pelagianam aſſertionem ſubinde anathemate feriunt. Et Milevitani Patres: *Pueros quoque parvulos, ſi nullis innoventur Chriſtianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam nequam præſumptione contendunt, evacuantes quod dicit Apoſtolus, Per unum hominem &c.* Vide & Innocentii Epiſtolam, ejuſque ſententiam apud S. Patrem libro II. ad Bonifacium cap. 4. Nec non Gelaſiii ad Picenos Epiſcopos: Tertio refutatur hæreſis Pelagianorum ratione: nam repromiſſa beatitudo eſt Dei viſio, ut docet Apoſtolus ad Corinth. I. cap. 13. 12. & Joannes I. cap. 3. 2. H non videbunt Deum, ut eſt in ſe; Ergo privabuntur ſupernaturali beatitudine. Accedit nec Pelagianos potuiſſe percipere, quænam ſit hæc vita ſempiterna extra regnum cælorum, ut liquet ex Auguſtino cap. 21. de Peccato originali.

Advertendum obiter diſtare ab hæreſi Pelagiana opinionem Gerſonis affirmantis ſerm. de Nativ. Virginis quoſdam pueros nondum natos, ſi forte morituri ſint priuſquam ad baptiſmum fluminis pervenire valeant, & præſertim parentes aſſidue orent, & in votis habeant, ut baptizentur, baptiſmo Spiritus Sancti miſericorditer conſecrari. Cujus opinationis ſuffragator eſt Gabriel Biel in IV. diſt. 9. q. 2. & Cajetanus in III. partem q. 68. art. 1. 2. & 11. Hi enim parvulis per Chriſti gratiam abſque baptiſmo noxa originali deleta beatitatem, regnumque cælorum ſtatuminant. Sed paucos habet patronos commentum iſtud, meritoque refellitur. Primo enim diſerte Auguſtinus lib. II. de Origine Anim. cap. 12. adverſus Vincentium Victorem affirmat, neminem, qui non renatus fuerit Chriſtianæ fidei lavacro, ſolvi ab originali peccato, niſi myſterium fidei in parvulis perficiatur atque impleatur, & perperam illius peccati abolitionem promitti abſque Chriſti baptiſmate. Legatur & Epiſt. 57. ad Dardanum. Deinde non eſſe de parvulorum ſine baptiſmo decedentium damnatione dubitandum, liquet ex Epiſtola I. Siricii Papæ cap. 2. & ex Conciliis Africanis nuper laudatis, nec non ex plenariis Florentino, ac Tridentino, quæ definiunt neceſſum eſſe, ut peccatum originale lavacro regenerationis expietur, alias decedentes pueros æternam vitam non conſequi. Legito Petavium lib. IX. Theologorum Dogmatum cap. XI. Tandem ſi fide ac voto parentum poſſent pueri interiori baptiſmate conſecrari; quamplures filii fidelium in utero matrum expiarentur, neque puerulos recens natos neceſſe foret ob damnationis periculum ſacro fonte levari. Quod eſt nimium plaudere Novatoribus; a quorum dogmate Catholici omnes abhorrent.

PROPOSITIO II. Fictitia eſt illa naturalis beatitudo, quam benigniores quidam pollicentur infantibus.

Evincitur pluribus argumentis, quorum eſto primum. Hæc aſſertio nullum in Scripturis vel Patribus fundamentum habet, quin, ut viſum hactenus, eum ex illis, tuos ex his conſtat omnes ob Adæ delictum damnari, & excludi a regno, niſi lavacro regenerationis mundentur. In quo exilii ac damnationis ſtatu puerulos beatitate quadam potitos quaſi ludere, & in arundine longa equitare, nos quidem anilem fabulam arbitramur. Alterum eſt, quod ſi ad naturalem aliquam beatitudinem hujuſmodi parvuli pervenirent, foret hæc medius ille locus inter regnum cælorum, & condemnationem, quem locum commenti ſunt Pelagiani, & de quo Auguſtinus in primo de Origine animæ cap. 9. *Non baptizatis parvulis*, inquit, *nemo promittat inter damnationem, regnumque cælorum, quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quaſi medium locum, hoc enim eis hæreſis Pelagiana promiſit*. Ubi non ſolum ſupernaturalis felicitatis, ſed *cujuſlibet* parvuli, qui non renati decedunt, aſſeruntur expertes. Tertium argumentum illud eſt, quod hi parvuli non ſunt immunes a pœna & miſeria, ut ſequenti propoſitione demonſtrabitur. Nequit autem beatitudo aliqua cum oppreſſione animi, ærumniſque conſiſtere. Proximum eſt, quod hi parvuli ſtant ſub dæmonis poteſtate, ut S. Pater affirmat lib. VI. contra Julianum cap. 8. & lib. III. de Nuptiis cap. 18. quod etiam liquido colligitur ex baptizandorum exſufflationibus. Sub vexatione autem Dæmonum, *nonne univerſa, quam Deus inſtituit, natura turbatur?* ait ipſemet Auguſtinus lib. 1. Operis Imperf. cap. 88.

His accedit, quod graviſſimorum Theologorum judicio, non aliam beatitudinem parvulis decedentibus ſine baptiſmate promittebat hæreſis Pelagiana, quam naturalem felicitatem. Ita ſentit Eſtius in diſtinctionem 33. §. 7. ita Petavius lib. IX. de Prædeſt. cap. XI. n. 2. ita L' Herminier loco citato Concl. 2. & ex Noſtratibus Noriſius, & quos ſupra commemoravi. Id vero mihi ſatis compertum eſt. Nam Pelagiani duo genera vitæ diſtinguebant; unum eſt ἀναμαρτησία, ſive expers peccati animus, cujus quiſque naturæ viribus ſibimet eſſet auctor, ita ut ſine peccato vitam degens congruentem felicitatem aſſequeretur. Poſterior vita eſt adoptio, & dignitas filiorum, ad quos regnum cælorum hæreditario jure devolvitur. Atqui Pelagiani fatebantur pueros non baptizatos tali hæreditate privari: Ergo iis non aliam beatitatem pollicebantur, quam quæ naturæ viribus poſſet comparari, & nullum haberet ſupernaturalis beneficii ornamentum. Præterea Pelagiani fatebantur parvulos non eſſe vaſa in honorem, nec eis deberi vitam æternam paratam credentibus, ſed quamdam tantummodo felicitatem, in qua ſine cruciatibus vitam agerent. Ita nimirum conſtat ex Auguſtino lib. 1. de Prædeſt. Sanctorum cap. 13. lib. 1. Operis Imperf. cap. 137. lib. II. de Nat. & grat. cap. 21. Ergo Pelagiani nunquam parvulis abſque Chriſti Sacramento denatis aliam beatitatem ſpoponderunt, quam naturalem.

PROPOSITIO III. Parvuli cum originali reatu morientes dolore aliquo afficiuntur.

Mihi quidem, niſi omnino perdidi communem ſenſum, videtur hæc theſis manifeſtiſſima. Quæ eſt enim pœna, quæ damnatio, quodnam ſupplicium, ubi nullus dolor excruciat?

cruciat? Certe pœnæ ideam percipere non valeo, niſi animadverſionem, incommodum, mulctamque cui reus animo, aut corpore ſubjicitur. Nec pœnam ſubire ac luere crediderim, qui nec ſuſcipiunt, nec perferunt. At non ea eſt ceterorum perceptio. Age ergo, diſceptetur de propoſitione pauliſper. Primum ob originale peccatum pueri naſcuntur filii iræ, ut Apoſt. loquitur 2. cap. v. 3. ad Epheſ. ideſt filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ, ut lectione 1. docet S. Thomas: iram ergo, vindictam, pœnam, gehennam perferunt, ac dependent. Deinde fides docet illos damnari & arceri a regno cælorum, quod graviſſimum ſupplicium eſſe tradunt unanimi conſenſione Patres, maxime Chryſoſtomum hom. 47. & 57. ad Populum Antiochenum, & Baſilius in Pſalm. 33. Inſuper per Concilium Florent. ſeſſ. ult. definitum eſt, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas*. Quid eſt autem puniri, niſi caſtigari, plecti, ſupplicio affici?

Ex Auguſtino autem hæc delibo. Cap. 112. Enchirid. *Perire*, inquit, *a regno Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei .... tam grandis eſt pœna, ut ei nulla poſſint tormenta quæ novimus comparari, ſi illa ſit æterna*. Bene habet, inquiunt; ſed hac pœna parvuli non excruciantur. Verum S. Pater lib. VI. contra Julianum cap. x. ita hanc reſponſionem expungit: *Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipſius imaginem creantur, nihil ne mali de hac ſeparatione patientur?* Et ſerm. 294. cap. 6. *Parvum malum eſt in hominis corde, qui ſocietatem non quærit Sanctorum, qui non deſiderat regnum cælorum? Si non deſiderat, pœna eſt de perverſitate; ſi autem deſiderat, pœna eſt de fraudata caritate*. Vide etiam lib. III. contra Jul. cap. 3. & 12. & Operis Imperfecti lib. III. n. 97. Præterea S. Pater lib. primo contra 2. Epiſtolas Pelagianorum cap. 22. expreſſis verbis ſcribit parvulos *ſecundæ mortis ſubire ſupplicium*. Item lib. 1. Operis Imperfecti n. 5. non ſolum rejicit medium illum locum Pelagianorum inter regnum Dei, & gehennam, ſed etiam negat medium *inter regnum bonis, & ſupplicium malis præparatum*: & denique lib. 1. de peccatorum meritis cap. 16. & v. contra Julianum cap. 11. ait parvulos non baptizatos futuros *in damnatione mitiſſima*. At damnatio parvulorum dici non poteſt mitiſſima conſiderando in ſe pœnam damni: hoc enim ſenſu *nulla tormenta poſſunt ei comparari*, auctore ipſomet Auguſtino. Mitis eſt ergo & minus aſpera, ut conficit premitque puerulos, quorum non eſt cruciamentum egregie ſummum, omnique immanitate teterrimum, ut in adultis.

Suppetit ad auctoritatem ratio. Primum quia cruciatur quiſquis appetit quod adipiſci non poteſt: Parvulorum animus appetit quod adipiſci non poteſt, nempe Deum, ad cujus imaginem creati ſunt: Ergo excruciantur. Deinde quomodo exules a patria, ac ſub dæmonis poteſtate, ferrei ſcilicet, ac truculentiſſimi hoſtis, poſſunt non ingemiſcere, nec indolere? Rurſus adverſa opinio, ut inquit Clariſs. Theologus Eſtius cit. §. 7. diſt. 33. veritatem peccati originalis evacuat, etenim peccato proprie dicto pœna proprie dicta reſpondet: Parvuli non regenerati rei ſunt peccato proprie dicto: Ergo neceſſe eſt, ut ei pœna aliqua vera, ac propria reſpondeat. Poſtremo cur hi puerulí ſupplicium ſubire non debent? Num quod ſint innocentes? Hæc eſt vetus querimonia Pelagianorum. An quod Deus ſpeciali providentia efficit ne triſte quidquam illis accidat? Somnium iſtud eſt; nam in vaſa contumeliæ apta in interitum non talis cura exercetur, ſed ira. Fortaſſis cæleſtis regni ignorantia laborant? Sed illud amant, ergo norunt: ſunt Dei imagines, ergo illius deſiderio exardeſcunt: judicabuntur, ac ſtabunt ante Chriſti tribunal; ergo audient eſſe regnum ante mundi conſtitutionem præparatum electis. Hæc de tertia propoſitione; nunc agamus quod inſtat.

PROPOSITIO IV. Pueri cum Originali peccato decedentes plectuntur aliqua pœna ſenſus, licet in comparatione adultorum, mitiſſima.

Sit primum pro hac ſententia argumentum. Deſcribitur univerſale judicium Matth. III. 12. XIII. 36. XXV. 32. Apocalypſ. XX. 15. aliiſque in locis. Priori loco hæc verba occurrunt: *Cujus ventilabrum in manu ſua: & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Quæ verba repetuntur Lucæ cap. III. 17. Altero in loco legitur: *Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum*. In tertio habetur: *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis: & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hædos autem a ſiniſtris*: & v. 41. *Tunc dicet his, qui a ſiniſtris erunt, diſcedite maledicti in ignem æternum*. Poſtremo ita tragœdia abſolvitur: *Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*. Parvuli ſane non ſunt triticum, quod congregetur in horreum: non ſunt oves, quæ ſtatuantur a dextris: non ſunt prædeſtinati, qui ſcripti inveniuntur in libro vitæ. Sunt ergo paleæ, & zizania alliganda ad comburendum: ſunt hœdi locandi a ſiniſtris, & in gehennam trahendi: ſunt reprobi detrudendi in ſtagnum ignis. Notiſſima ſunt Auguſtini verba hoc argumenti genus mirifice comprobantis: *Venturus eſt Dominus* (inquit ſerm. 14. de verbis Apoſtoli cap. 3.) *& judicaturus de vivis & mortuis, ſicut Evangelium loquitur, duas partes facturus eſt, dexteram & ſiniſtram. Siniſtris dicturus eſt: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. Dextris dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi: hanc regnum nominat: hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus eſt medius locus, ubi ponere queas infantes*. Et paucis interjectis: *Qui non in dextera, proculdubio in ſiniſtra. Ergo qui non in regnum, proculdubio in ignem æternum*.

Contrariæ ſententiæ patroni reſpondent primo parvulos non eſſe a Chriſto judicandos. Sed hæc reſponſio evertitur validiſſimis momentis. Ac primum iiſdem, quæ produximus, literarum ſanctarum teſtimoniis. Nam Matt. XIII. 36. rogantibus diſcipulis, ut ediſſereret parabolam zizaniorum, reſpondit Dominus: *Ager eſt mundus: bonum vero ſemen, hi ſunt filii regni: zizania autem filii ſunt nequam: Inimicus autem qui ſeminavit ea, eſt diabolus. Meſſis vero conſummatio ſæculi eſt. Meſſores autem angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi*. Omnes ergo qui in agro mundi naſcuntur, ſive triticum ſint, ſive zizania, in die meſſis ſunt colligendi, atque vel in horreum congregandi, vel igne inextinguibili comburendi. Cap. autem XXV. *Congregabuntur*, inquit Evangeliſta, *ante eum omnes gentes*. Deinde futuros parvulos in ſiniſtra definit Concilium Africanum celebratum an. 418. declarat in Epiſt. ad Picenos S. Gelaſius: connumerat inter regulas fidei Auguſtinus in Epiſt. 107. ad Vitalem, ut demonſtrat laudato in loco Noriſius. Rurſus: Pater *omne judicium dedit Filio: & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt*, ut habetur Joan. V. 22. 27. nimirum ideo Chriſtus eſt judex, quia Redemptor; atque, ut explicat Auguſtinus; *totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit*. Quid ergo? Redemit omnes; omnes judicabit.

Reſpondent alii eſſe quidem parvulos judicandos, ſed non ituros in ignem. Verum hos non moror. Nam ſi judicandi creduntur, aut in dextera ſtatuendi ſunt, aut in ſiniſtra: ergo vel in regnum ibunt, vel in ignem æternum. Ibunt, inquiunt aliqui, ſed non cremabuntur. Nil ſolidius hi crepant. Enim vero *paleas comburet igni inextinguibili: Zizania alligabuntur in faſciculos ad comburendum: Ibunt in ſupplicium æternum*; clamat Evangeliſta. Habet Græcus εἰς κόλασιν αἰώνιον, *in punitionem, & cruciatum ſempiternum*. Deinde: quare hi parvuli mittuntur in ignem? Num ut inter flammas cum pueris Babylonis Deo benedicant? At inquit Regius Vates Pſ. CXIII. 17. *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum*: & pſ. VI. 6. *in inferno autem quis confitebitur tibi?* Rurſus: ne igne torqueantur, erunt flammæ ſingulari beneficio cohibendæ. Sed cur tantus amor in vaſa iræ, & vindictæ? Denique ſi fas eſt hoc pacto ſacras literas detorquere, dicamus & ſceleſtiſſimos in ignem æternum fore compingendos, non concremandos. His autem obviam it Auguſtinus in 1. de Fide & Operibus cap. 15. *Neque illud dici poteſt, in quo nonnulli ſe ſeducunt, ignem æternum dictum, non ipſam combuſtionem æternam: cum & hoc prævidens Dominus ſententiam ſuam concluſerit, ita dicens: ſic ibunt illi in combuſtionem æternam; juſti autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combuſtio, ſicut ignis*. Itaque ſi parvuli ibunt in ignem; ibunt in ſupplicium, in ambuſtionem, in operationem ignis, in cruciamentum, εἰς κόλασιν αἰώνιον.

Sunt qui reponunt cum Bellarmino, hœdos & agnos eſſe fideles, quorum unus eſt paſtor, & agrum in quo germinat triticum cum zizaniis ac paleis Eccleſiam Catholicam. Quæ facillime convelluntur. *Quid enim ſi dicatur nomine areæ intelligi etiam poſſe mundum univerſum?* ait eruditus Jeſuita Simonettus in hac quæſt. reſp. 2. ad opp. 6. Ego, quod ita intelligatur, contendo; quoniam Chriſtus parabolam illam ediſſerens ait: *Ager eſt mundus*; & Evangeliſta explicans ovium, hœdorumque magnum gregem, inquit: *Congregabuntur ante eum omnes gentes*. Animadvertit gravis & præclarus Theologus L'Herminier Tom. 6. pag. 419. Bellarminum hoc loco ſibi non conſtare, nam fatetur quod univerſali judicio *omnes omnino aderunt puſilli cum magnis, fideles cum infidelibus, juſti cum peccatoribus*. Hi ergo ſunt agni & hœdi, frumentum & paleæ, triticum & zizania.

Addam ex Scripturis nonnihil. Apocalypſeos XX. 6. legitur: *Beatus & Sanctus qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem*. Prima reſurrectio eſt animarum, ſecunda corporum: prima mors eſt ſeparatio animæ & corporis; altera animæ & corporis ab omni felicitate divulſio, & damnatio perpetua. Ita docent Auguſtinus XX. de C. D. cap. 6. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. item 6. & colligitur ex eodem loco Apocalypſeos v. 14. *Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis, hæc eſt mors ſecunda*. Itaque ſic argumentari fas eſt. Mors ſecunda habet poteſtatem in eos, qui non habent partem in reſurrectione prima. Parvuli decedentes cum originali

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mali peccato non habent partem in reſurrectione prima. Ergo in parvulos decedentes cum originali peccato mors ſecunda habet poteſtatem. Argumentum iſtud ſuppeditat mihi Auguſtinus ſcribens ſerm. de Oct. Paſch. 6. ſive 162. de Temp. *Mors autem ſecunda ipſa eſt corporis & animæ punitio ſempiterna. Per mortem vero ſecundam anima ſolius mali hominis in æternum cum corpore ſuo cruciatur. Utraque ergo mors omnem hominem tenebat obſtrictum, quia naturæ tranſgreſſio unumquemque peccatis propagat obnoxium.* Quo in loco non ſolum Auguſtinus declarat ſecundam mortem eſſe illam, qua & anima & corpus torquetur, quod etiam affirmat in capite nuper commemorato Fulgentius; ſed aſſerit quoque deberi hanc mortem originali peccato.

Inſuper probatur theſis Sanctorum auctoritate. Auguſtini nonnulla recitata ſunt: reſtant, quæ poſſent in medium afferri, longe plura: curabo manifeſtiſſima delibare. *Abſit*, inquit cap. 12. de dono perſev., *ut cauſſam parvulorum ſic relinquamus, ut eſſe nobis dicamus incertum, utrum in Chriſto regenerati ſi moriantur parvuli tranſeant in æternam ſalutem, non regenerati autem tranſeant in mortem ſecundam.* Citato ſermone de verbis Apoſt. XIV. explicata Dominica ſententia: *Ita in ignem æternum*, inquit: *Ecce expoſuit tibi, quid ſit regnum, & quid ignis æternus, ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem æternum. Regnum enim cælorum eſt vita æterna. Nec aliud etiam Paulus Apoſtolus cum terreret homines, non parvulos, non baptizatos, ſed ſceleſtos, facinoroſos, contaminatos, perditos, non eos terruit quod erunt in igne ſempiterno, quo ſine dubio ibunt, ſi non corrigantur: ſed tantum terruit quia in regno non erunt; ut cum viderint ſe perdere ſpem regni, non viderent eſſe conſequens, niſi pœnam ignis æterni.* In Epiſtola etiam 28. num. 166. ad Hieronymum: *Certus ſum, quæcumque anima* (inquit) *ſine gratia Mediatoris & Sacramento ejus, in qualibet corporis ætate de corpore exierit, & in pœna futuram, & in ultimo judicio recepturam corpus ad pœnam.* Libro V. contra Julianum cap. 8. nunc XII. aperte pronuntiat de parvulis non renatis *ignibus æternis arſuros.* Et denique in tertio Operis Imp. n. 199. ita Julianum alloquitur: *Si non eruitur a poteſtate tenebrarum, & illic remanet parvulus: quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non ſinitur?*

Quid ad tam aperta loca Adverſarii? Quidam reſpondent, Auguſtinum rem habere cum Pelagianis, & impugnare dumtaxat fictam illam beatitatem, quam hi parvulis promittebant: aſſerere, cum ceteris peccatoribus etiam pueros damnari, comparate ad carentiam viſionis Dei, & loci infernalis horrorem; abreptum denique æſtu diſputationis adhibuiſſe rigidiorem, & Scythicam orationem. Arbitror ſola librorum Auguſtinianorum lectione hæc magnorum virorum dicta refelli. Auguſtini ſententia eſt parvulos non baptizatos ire in ignem æternum, affici pœna ignis æterni, arſuros ignibus æternis: nec rejicit tantummodo medium locum confictum a Pelagianis, ſed qualemcumque inter dexteram & ſiniſtram, inter regnum electorum, malorumque ſupplicium. Ac opinione noſtra nec fallitur, quia Divinarum Scripturarum ducitur auctoritate: nec rigidiorem ſententiam amplectitur, quoniam per unum hominem peccatum in omnes pertranſiit, & qui generantur ex Adam, ſunt natura filii iræ, filii vindictæ. Debita reverentia dictum velim. Etiam Julianus Pelagianorum peſtilentiſſimus lib. 2. Op. Imperf. num. 48. ſententiam Auguſtini immanem ac funeſtam appellitat, negans Deum æternis ignibus parvulos tradere. Numquid objectum ſibi rigorem Auguſtinus emollit? Nunquid affirmat igne pueros non confici? Annuit, & agnoſcendum deprædicat *Judicium occultiſſimum quidem, ſed ſine ulla dubitatione juſtiſſimum.*

Reſpondent alii, mentem Auguſtini aliunde ex ejus libris pateſcere. Nam memorata ad Hieronymum Epiſtola, *Sed cum ad pœnas*, inquit, *ventum eſt parvulorum, magnis mihi crede coarctor anguſtiis, nec quid reſpondeam prorſus invenio.* Quibus videtur nihil S. Patrem finite pronunciaviſſe. Futuros etiam hujuſmodi parvulos in damnatione mitiſſima ſcribit libro V. contra Julian. cap. XI. in 1. de peccator. meritis cap. 16. & Ench. cap. 93. Si autem loca Auguſtini penitius inſpiciantur; his quoque aſſertum noſtrum firmatur. In Epiſtola enim illa, integra Auguſtiniana periodus eſt: *Sed cum ad pœnas ventum eſt parvulorum, magnis mihi crede coarctor anguſtiis, nec quid reſpondeam prorſus invenio, non ſolum eas pœnas dico, quas habet poſt hanc vitam illa damnatio, quo neceſſe eſt trahantur, ſi de corpore exierint ſine Chriſtianæ gratiæ Sacramento, ſed eas ipſas, quæ in hac vita dolentibus nobis verſantur ante oculos, quas enumerare ſi velim, prius tempus, quam exempla deficient.* Ergo ut in hac vita, ita in damnatione, ad quam trahuntur, parvulos pœnam dare, Auguſtinus cenſet indubitatum. Arduum putat ac perdifficile demonſtrare humana ratione quomodo traducatur peccatum, quod tantorum malorum eſt cauſſa: unde inquirit, quid de animorum origine ſentire commodius valeat; aut ſi pœnis tantis mulctari poſſunt parvuli ſine peccato, rogat ut id ei velit Hieronymus ediſſerere.

Hæc pariter de mitiſſima parvulorum damnatione in V. contra Julianum libro leguntur: *Ego autem non dico, parvulos ſine Chriſti baptiſmate morientes tanta pœna eſſe plectendos, ut eis non naſci potius expediret: Cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis, & impiiſſimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, & utique non de ſolis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur: quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium leviſſima futuros?* Itaque mitiſſima eſt parvulorum damnatio, quia non tanta pœna plectuntur, ut peccatores nequiſſimi; qualis eſt Juda, cujus immane flagitium Salvator Matth. XXVI. 24. his verbis expreſſit: *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Etenim in damnatis, ut unus altero iniquior, ita pœna magis, aut minus acerba. Adde quod Auguſtinus pœnam damni, ut propoſit. 3. dictum eſt, cenſet eſſe graviſſimam. Erit ergo mitiſſima parvulorum damnatio, non pœna damni, ſed ſenſus.

Confidentius regerunt alii, Auguſtinum proprio marte, & abſque opinionum delectu contrariam ceteris Patribus ſententiam cudiſſe. Hos detineam paullulum, opus eſt. Principio meminiſſe juvat, S. Patrem ſermonem 14. de Verbis Apoſtoli recitaviſſe Carthagine ad populum, jubente Aurelio Primate totius Africæ anno 413. ex quo recte infert Noriſius Auguſtinianam doctrinam nec novam fuiſſe, nec ſingularem. Secundo vetuſtiſſimus Auctor Hypognoſticon, ideſt, *ſubnotationum*, lib. V. cap. 5. ſic placitum, ſcitumque noſtrum confirmat: *Finge Pelagiane locum ex officina perverſi dogmatis tui, ubi alieni a Chriſti gratia vitam requiei, & gloriæ poſſidere parvuli poſſint. Dextera eſt juſti judicis ſedentis, & ſiniſtra: regnum, & gehenna: vita, & mors: juſti, & iniqui. In dextera igitur juſti ſunt conſtituti, in ſiniſtra operarii iniquitatis: in regno requies baptizatorum, in gehenna pœna incredulorum: vita ad lætitiam gloriæ, mors ad fletum & ſtridorem dentium: juſti in regno Patris cum Chriſto, iniqui in igne æterno parato diabolo, & angelis ejus.* S. Fulgentius in libro de Fide ad Petrum cap. 27. *Firmiſſime*, inquit, *tene & nullatenus dubites, non ſolum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui ſive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, ſive jam de matribus nati, ſine Sacramento ſancti baptiſmatis, quod datur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, de hoc ſæculo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos.* Quæ non proprio privato ſenſu Fulgentius ſcripſit, ſed, ut conſtat ea priore capite libri, ei ſubſcripſerunt Epiſcopi quindecim: nec ibidem contra Pelagianos diſceptat, ſed Petro Diacono clariſſimo, doctiſſimoque viro quadraginta capitula ad regulam fidei, ut ait cap. 44. pertinentia proponit. Quare Fulgentii verba ſub nomine Auguſtini a Gratiano in canonem relata ſunt de Conſ. diſt. 3. can. *Firmiſſime*. Idem confirmat Fulgentius in libro I. de verit. Prædeſt. cap. 12. & de Incarnat. & gratia Chriſti expreſſiſſimis verbis. Vide Petavium Tom. I. pag. 376. & Voſſium Tom. 6. pag. 637. & judex eſto, num Fulgentius ita poſſit exponi, *ut parvuli interminabilibus ignis æterni pœnis non crucientur.* In hæc enim verba ſtatim offendes: *Neceſſe eſt cum corpore interminabilia gehennæ ſuſtinere ſupplicia*: tum in hæc: *interminabilibus ignis æterni cruciabitur pœnis.* Quiſnam? *In originali peccato quiſquis vivere ita incipit, ut ante finiat vitam, quam ab ejus obligatione ſolvatur: Imago Dei, quæ nihil potuit per ſeipſam delinquere.* Hæc Fulgentius. Addas librum de Incarnatione editum nomine omnium Epiſcoporum in Sardinia ob fidei cauſſam exulantium.

Jam ſummatim reliqui ſunt perſtringendi. Hieronymus in fine tertii contra Pelagium Dialogi ait infantulis originaria labe inquinatis *æternæ miſeriæ cruciatus præparari.* Magnus Gregorius lib. 9. Mor. cap. 12. ſcribit: *Perpetua tormenta percipiunt.* Prudentius Tricaſſinus Antiſtes de Prædeſt. cap. 16. *Perpetua plexione damnantur.* Iſidorus Hiſpalenſis lib. I. num. 26. diff. ſp. *Cum carne communem habebunt peccatum, & pari judicio damnabuntur in ignem æternum.* Aelredus Anglus ſynchronus S. Bernardi lib. 1. ſpeculi caritatis cap. 15. *Injuſtum æſtimas, ut lignum inutile & infructuoſum ignis depaſcat? Cogita quæſo, totum humanum genus quaſi lignum aridum, lignum infructuoſum, lignum in ipſa radice viciatum, utpote veneno antiqui ſerpentis infectum, juſtiſſimis addictum flammis, igni deſtinatum, adjudicatum damnationi.* Aelredi ſententia deprompta videtur ex cap. III. Matth. verſ. 10. Alcimi Aviti in Carmine ad Fuſcinam Sororem hæc ſunt verba,

Quæ flammis tantum genuerunt pignora matres.

Plura ex his collegit primum Ariminenſis: ſelegit illuſtriora Petavius: permulta Voſſius: omnia cumulate & erudite Noriſius; hinc poſteriores deguſtarunt.

Allata ſunt propoſitione 3. verba Florentini Concilii: Horum ſenſus eſt: *Iiſdem inferni pœnis puniendas eorum, qui cum ſolo originali peccato moriuntur, animas; quibus ceterorum, qui in actuali mortali decedunt. Horum autem pœnæ ſunt combuſtio ignis, ut Auguſtinus ſupra citatus a nobis obſervat. Ut igitur quamvis eorum, qui in lethali culpa pereunt, diſſimile ſit in eadem concrematione judicium, una eſt tamen cruciantium pœna flammarum: ita parvuli inæquali quidem flammarum cruciatu torquentur; ſed torquentur tamen.* Agnoſcis, opinor, verba Petavii. Hactenus dictis ſatis ſuperque refelluntur, qui verba Auguſtini aut detorquent, aut elevant.

Digitized by Google

Sit proſtrema argumentatio a ratione; quamvis Theologo nulla validior eſt ratio, quam a Divinis Scripturis, eorumque Patrum auctoritate, qui dirimendæ controverſiæ contulerunt quantum ipſorum animo erat roboris, & nervorum. Sæpenumero dictum eſt parvulos eſſe ſub diaboli poteſtate: quod probant exſufflationes Eccleſiæ, ſcribit Auguſtinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 34. lib. 1. de Nuptiis cap. 23. lib. III. Operis Imperf. cap. 200. & definit Tridentina Synodus ſeſſ. v. de Originali peccato. Atqui Diabolus, dum ei occulta juſtitia permittitur, captivos parvulos in hac vita vexat, *animam & corpus affligit, ſenſus, ſanitatemque pervertit*, ut experimento compertum eſt, & idem Auguſtinus docet in 1. Op. Imperf. cap. 88. Jactabit ergo vehementius, affliget, peſſundabit, cum direptos, inferiſque aſſervatos vindice flamma conſtringet. Deinde ſi verum eſſet, quod Adverſarii confidentiſſime urgent, Originali peccato nullam ſenſibilem pœnam correſpondere, non poſſent abſque injuſtitia plecti morte corporis: *Habet enim aſperum ſenſum, & contra naturam vis ipſa, qua utrumque divellitur quod fuerat in vivente conjunctum atque conſertum, quandiu moratur, donec omnis adimatur ſenſus, qui ex ipſo inerat animæ carniſque complexu*, lib. XIII. de C. D. cap. 6. Atqui ob peccatum originale pueri morte corporis afficiuntur. Ergo originali peccato pœna quoque ſenſibilis correſpondet. Quidquid enim ſit de ſtatu puræ naturæ, in quo plurium ſententia homines naſcerentur morti obnoxii, indubitatum nunc eſt, mortem merito inflictam eſſe peccati. Poſtremo (videor enim ſatis de hac quæſtione diſſeruiſſe) parvuli baptizati de alieno merito reportant bona corporis, quoniam in regeneratione ſpirituali evacuatur caro peccati, & per baptiſmum adſciſcuntur in Eccleſiam Chriſti, qui ſanctificat animam, & glorificat corpora: ergo non baptizati reportant mala corporis, quia generatione corporali trahunt ex Adam carnem peccati, & per noxam originariam numerantur in familiam diaboli, in cujus domo eſt cruciatus animi, & corpus eſca flammarum. Vide quæ diximus cap. 1. hujus libri ad ultimam objectionem.

CAPUT IX.

Refelluntur oppoſita ſententiæ argumenta.

QUI arbitrantur parvulos, ſi non regenerati e vita exceſſerint, nullo ignis ſupplicio in inferis confici, primum adverſus nos literarum ſanctarum auctoritate belligerant. Apoſtolus, inquiunt, in 2. ad Corinth. v. 10. ait: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum.* Apocalypſis 18. 7. habetur: *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Et ipſe judex ad ſiniſtram poſitis dicturus eſt, Mat. xxv. 41. 42. *Ite in ignem æternum .... eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Atqui parvuli nihil mali geſſerunt, nunquam in delectamentis deliciiſque fuerunt, neque denegarunt eleemoſynam indigentibus. Igitur parvuli referre non debent mala corporis, non ſunt plectendi tormentis, nec perpetuis ignibus concremandi.

Reſp. primo hoc eſſe argumentum Juliani apud Auguſtinum lib. VI. cap. 10. quod a D. Parente adverſus callidum verſutumque dialecticum retorquetur. Nam parvuli baptizati de alieno recte facto reportant bona corporis: ergo poſſunt de alieno peccato reportare malum. Vide ob. ultimam 1. capitis. Hac ratione alia loca in adverſarios retorquentur. Quippe parvuli corporis delicias & oblectamenta non deſpexerunt, nec ſunt elargiti pauperibus obulum, minimumque teruncium; referent nihilominus gloriam corporis, regnumque electorum. Præterea reſpondetur nihil eſſe magis verum, quam mundi illecebris obſcenisque voluptatibus deberi ſenſuum afflictionem ignisque ſupplicium, & judicandum fore ſine miſericordia, qui miſericordiam non fecerit. At numquid damnati horum tantum ſcelerum pœnas dabunt? Ergo neque hæreſis, neque ambitio, nec deſperatio, aliaque bujus generis crimina abſque carnali delectamento patrata non erunt flammis ultricibus punienda? Ergo qui pauperem alit & ſtipem erogat, volutatur autem in cœno libidinum, regnum Dei poſſidebit? Ergone, quia in judicio durius agetur cum fidelibus, qui fuerunt natura aſperi, & bumanitatis expertes, infideles atque idololatræ abſolventur? Unum itaque genus peccatorum pro reliquis poſitum eſt, & maleficia magis nefaria pro noxis ceteris. Reſponſum reddo breviter & abſolute: Diſtinguo majorem; Hæc dicta ſunt ad excluſionem aliorum peccatorum, nego: ſine tali excluſione, concedo.

Opponunt 2. verba Jobi cap. 3. ubi poſteaquam ait diem nativitatis ſuæ fuiſſe atrum ac triſtem; peroptat periiſſet in utero matris, vel ſtatim in lucem editus, redditque v. 13. hanc rationem: *Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem.* Itaque parvuli decedentes ante uſum rationis nullo ſenſibili ſupplicio torquentur. = Reſp. diſt. ant. Et Job puerorum, qui immatura morte abripiuntur, dormitionem & quietem appellitat, quatenus immunes ſunt a doloribus, miſeriiſque hujus ſæculi, concedo. Quatenus ex hac vita migrantes in peccato, requie ac felicitate potiuntur, nego. De præſentis vitæ afflictione loquitur Jobus, de que & nos; dum moritur homo infortuniis miſeriiſque jactatus, licet impius ſit, dicere conſuevimus, Pœnis & calamitatibus obrui tandem aliquando ceſſavit. Nimirum ob oculos noſtros hujus vitæ conditio verſatur, non futuræ. Ita Job, qui proximo verſ. 17. ſuorum verborum ſenſum exponit: *Ibi impii* (ſcilicet in ſepulcro) *ceſſaverunt a tumultu, & ibi requieverunt feſſi labore. Et quondam vincti pariter ſine moleſtia non audierunt vocem exactoris. Parvus & magnus ibi ſunt, &c.* Quietem ergo ac dormitionem appellat mortem, que omnes ſive parvuli, ſive adulti ab anguſtiis ſæculi eximuntur. Exhibet ergo nobis miſerorum lamenta, veluti ille, qui Elegia XIII. ajebat in 3. Triſtium:

Ecce ſupervacuus, (quid enim fuit utile naſci?)
Ad ſua natalis tempora noſter adeſt.

Præterea Gregorius lib. IV. moral. cap. 3. docet, hæc verba Jobi non eſſe literaliter accipienda. Atque premuntur eadem difficultate Theologi omnes, qui ob pœnam damni cenſent parvulos contriſtari. Vide in hunc locum Hieronymum.

Tertio objiciunt auctoritatem Decreti de Baptiſmo Tit. 42. cap. 3. *Majores*: Ubi Innocentius IV. (non ut citari ſolet, III. cum ſit Reſcriptum an. 1250.) ait: *Pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei: actualis vero pœna peccati eſt gehennæ perpetuus cruciatus.* = Reſp. primo in Decretorum Codice diſt. 4. de Conſecr. c. 3. *Firmiſſime* definiri originale peccatum puniri *ignis æterni ſempiterno ſupplicio*. Hujuſmodi ergo decretum adeo perſpicuum expreſſumque alteri valde ancipiti & ambiguo eſt præferendum. Deinde non addit Pontifex particulam *Tantum*: ideoque ſi ob peccatum actuale punitur damnatus & cruciatu gehennæ & privatione viſionis Dei; plecti etiam poteſt propter originale privatione viſionis Dei, & cruciatibus gehennæ. Inſuper ibidem declarat Pontifex, pueros ante uſum rationis eſſe baptizandos, quoniam *originale quod ſine conſenſu contrahitur, ſine conſenſu per vim remittitur Sacramenti: actuale vero quod conſenſu contrahitur, ſine conſenſu minime relaxatur.* Objicienti autem cur pariter non baptizentur amentes ac dormientes, & in eis deleatur per baptiſmum originale peccatum, remanente actuali, reſpondet Pontifex primo *quod Dominus, qui totum hominem ſanum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit; & ob hoc peccata non ex parte, ſed ex toto dimittit.* Alteram dat reſponſionem, eo quod *pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei; actualis vero pœna peccati eſt gehennæ perpetuus cruciatus: unde ſi dimitteretur alicui primum altero non dimiſſo, talis non careret viſione Dei propter originale dimiſſum, & cruciaretur in gehenna propter reatum criminis actualis: ſed hæc tamquam incompoſſibilia minime patiuntur, imo ſibi mutuo adverſantur.* Quarum rationum priorem probamus: altera ab imperito Secretario, ut babetur in Gloſſa, addita eſt; conſtat enim, adultum cui dimiſſum eſt peccatum originale, & decedit cum actuali mortali, utraque pœna puniri. Vide Gregorium Ariminenſem.

Arguunt 4. auctoritate Auguſtini: qui in tertio de libero arbitrio cap. 23. ait: *Non enim metuendum eſt, ne vita eſſe potuerit media quadam inter recte factum, atque peccatum, & ſententia judicis media eſſe non poſſit inter præmium atque ſupplicium.* In eo autem loco ſermonem habet de parvulis. Rurſus in v. contra Julianum cap. XI. non ſolum ſcribit parvulos futuros *in damnatione mitiſſima*, ſed etiam negat *tanta pœna eſſe plectendos, ut eis non naſci potius expediret.* Quod falſum eſſet, ſi torquendi forent ambuſtione perpetuarum flammarum. Rurſus ſerm. 14. de verbis Apoſtoli cap. 6. ait: *Hæc illis ſola pœna eſt non eſſe in patria.* Igitur præter pœnam damni nulla alia parvulis irrogatur. Tandem Tract. 19. in Joannem aſſerit Judicis ſententiam, *Ibunt in ambuſtionem æternam*, eſſe *de quibuſdam ſiniſtris*. Non ergo ad omnes, qui in ſiniſtra erunt, eſt referenda.

Reſpondetur fruſtra hæc perpauca & contorta Auguſtini ampliſſimis ac expreſſiſſimis teſtimoniis opponi. Quæ antequam Adverſariis noſtris eripiantur, ſummam illorum erga Auguſtinum obſervantiam gratam acceptamque habeo, qui palam recedere a tanto Magiſtro erubeſcunt. Non enim probare me ſinit ingenium meum acrimoniam ſtyli, quo L'Herminier Tom. VI. p. 453. ſcribit, *At ego miratus ſum perſæpe illorum omnium audaciam, qui in opinionis ſuæ præſidium Divi Auguſtini auctoritatem ſuper hoc negocio proferunt, &c.* Non eſt audacia hæc, ſed reverentia. Jam vero ex dictis conſtat, S. Patrem damnationem parvulorum appellare *mitiſſimam* comparate ad adultos; neque de illis uſurpandam Dominicam ſententiam, *Melius erat ſi nati non fuiſſent*; quæ nec de omnibus peccatoribus, qui æterno igne cremantur, pronunciata eſt, ſed de ſceleſtiſſimis tantum, ad oſtendendam inæqualitatem tum pœnarum, cum peccatorum. Quæ ſunt Auguſtini verba legentibus manifeſta. Nam eodem cap. 92. Ench., ubi damnationem puerorum appellat *mitiſſimam*, ait: *Quicumque vero ab illa perditionis maſſa, quæ facta eſt per hominem primum, non liberantur per unum mediatorem Dei & hominum, reſurgent quidem etiam ipſi unuſquiſque cum ſua carne, ſed ut cum diabolo, & angelis ejus puniantur.* Atque hoc loco iſtud addidi, ut videant Auguſtini mentem, qui docent ignem inferni non poſſe in parvulorum corpora vim nativam exercere. Quamquam non ſatis percipio iſtiuſmodi ſubterfugiorum acumen; ſive enim ignis corpora adurat naturali virtute, ſive collata divinitus, ad præſentem controverſiam nil attinet.

tinet. Verba ex ſerm. xiv. de Verbis Apoſtoli ſunt ax conceſſis a Pelagianis illatio dogmatum Catholicorum. Illi fatebantur parvulos excludi a regno cælorum, frui tamen aliqua tranquillitate. Sic eos revincit Auguſtinus: Hoc tantum non eſſe in patria maximum ſupplicium eſt; quam ergo quietem ac beatitatem fingitis in iis, qui a Patre perpetuo exulant? Ac ſubinde probat reprobos omnes ituros in ambuſtionem æternam, ut præcedenti capite demonſtratum eſt. Tractatu in Joannem 19. n. 18. plectendos ſupplicio ignis appellat *quoſdam ſiniſtros*, relate ad omnes gentes, turbamque judicandorum univerſam. His ergo excuſſis, unum reſtat ex tertio libro de lib. arbitrio, quod jam expediam.

Agit S. Pater in hoc libro adverſus Manichæos, qui exiſtere principium malorum omnium nitebantur oſtendere argumentatione petita a parvulis. Hi enim cruciatibus corporis affliguntur, cum nullum peccatum patraverint. Cum ergo mali non ſint propria voluntate, conſequens eſt, ut tales ſint conſtitutione naturæ. Rurſus dicebant, qualis in judicio futuro deputabitur, cui neque inter juſtos locus eſt, cum nihil recte fecerit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit? Itaque oportet, ut parvulus, qui damnatur, nec ullius reus eſt iniquitatis, ſit malus conditione, ac ſubſtantia. Quid ad hæc Auguſtinus? Cum Manichæi fateri nollent originale peccatum voluntaria Adami prævaricatione tranſfuſum, conterit argutationes iſtas ex illorum aſſertionibus. Recipiebant novum Teſtamentum, ſciebantque necatos ab Herode infantes ab Eccleſia cum Martyribus honorari. *Quis ergo novit* (ait de pueris, qui doloribus ac mortibus flagellantur) *quid ipſis parvulis in ſecreto judiciorum ſuorum bonæ compenſationis reſervet Deus?* Sic explodit unam Manichæorum inſtantiam, quod ſi nullum eſt peccatum in parvulis, temporales afflictiones non erunt pœna peccati, ſed meritum occultæ retributionis. Diluit eadem ratione quod objectabant Manichæi de parvulorum judicio. Poteſt, inquit, horum parvulorum vita eſſe media inter recte factum, & peccatum? Igitur poterit etiam ſententia judicis eſſe media inter præmium, & ſupplicium; ideoque nec ex temporalibus cruciamentis, neque ex futuro parvulorum judicio infertur illorum malam eſſe ſubſtantiam. Hæc vident omnes non cæci, qui legunt laudatum caput tertium ac viceſimum: Quid ergo juvat Adverſarios noſtros locus iſte? Sequitur ne ex Auguſtiniana reſponſione parvulos morte non plecti propter Adæ peccatum? Minime. Sequitur vitam parvulorum eſſe mediam inter peccatum & recte factum? Minime. Sequitur in judicio futurum locum parvulorum inter juſtos & malos? Minime. Ergo nec ſequitur ſententiam judicis poſſe mediam eſſe inter præmium ac ſupplicium; ſed hoc ſequeretur duntaxat, ſi parvuli nullum peccatum contraherent. Addo ex hoc Auguſtini teſtimonio Adverſarios noſtros contendere S. Patrem hic admittere ſtatum *puræ naturæ* poſſibilem. Nonne hinc ſtatum illum medium inter juſtitiam & peccatum ſe evincere jactitant? Igitur, velint, nolint, fateri debent ſententiam illam *mediam* non ſpectare ad parvulos obnoxios originali peccato.

Ad hanc reſponſionem meam accedunt obſervationes Noriſii, Auguſtinum in Epiſt. ad Hieronymum 28. nunc 166. cap. 7. diſerte conteſtari, quod in iii. de lib. arbitrio nihil dixerit de damnatione eorum parvulorum, qui ſine baptiſmo emigrant de hac vita; imo cum Pelagiani, ac Maſſilienſes hunc locum S. Patri objectarent, reſpondet de dono Perſeverantiæ cap. 12. ſe minime de pœnis parvulorum dubitaſſe, & adverſus Manichæos inſtituiſſe diſputationem; ac etiamſi cum ſcripſit de libero arbitrio in hac dubitatione verſatus eſſet, neminem debere eſſe tam injuſtum, atque invidum, qui ſe *proficere prohiberet, atque in ea dubitatione remanendum eſſe judicaret*. Unde luſit operam Bellarminus ſcribens Auguſtinum numquam quæ ſcripſerat in eo cap. 23. retractaſſe. Ideo enim non retractavit quod olim docuerat de pœnis parvulorum, inquit Noriſius, quia de iiſdem non dubitaverat. Sunt qui ulterius reſpondent, quod ſicut vita parvulorum dicitur media inter recte factum atque peccatum, intelligendo peccatum actuale; ita ſententia ſit *media* inter præmium & ſupplicium, accipiendo mercedem & pœnam, quæ retribuitur meritis perſonalibus. Quemadmodum ergo pueri baptizati non habent retributionem adultorum, habent tamen animi corporiſque beatitudinem: ita non baptizati non afficiuntur cum adultis æquali ſupplicio; ſed afficiuntur tamen. Sed vera eſt reſponſio prior, quamquam & hæc contrariam argumentationem atterit & eliminat.

Opponunt 5. aliquorum Patrum auctoritatem, qui videntur ab Auguſtiniana ſententia recedere. Sunt hi Ambroſius, Gregorius Nazianzenus, Bernardus, & cum plurimis Scholaſticis D. Thomas, ac S. Bonaventura. Ambroſius libro 2. de Abraham cap. ultimo ſcribit de parvulis ſine baptiſmo ex hac vita migrantibus: *Habeant tamen illam apertam pœnarum immunitatem, neſcio an habeant regni honorem.* Nazianzenus Orat. 40. quæ eſt in Sanctum Baptiſma, eorum, qui non baptizati ex hac vita diſcedunt, ſtatuit tertium genus, ideſt parvulorum, qui lavacrum nec contempſerunt, nec conſequi poterunt: de quibus ait, *Nec cæleſti gloria, nec ſuppliciis a juſto judice afficientur, utpote qui licet ſignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint*. Habet conſimilia Nyſſenus ſcribens Orat. 1. hujuſmodi pueros *in doloribus ac triſtitia non eſſe*. Bernardus vero in Serm. de reſurrect. 3. *Ceſſet* (inquit) *voluntas propria, & infernus non erit*. Porro D. Thomæ aperta eſt ſententia 3. p. q. 1. art. 4. & q. 5. de malo art. 2. ſicut & D. Bonaventuræ in 2. diſt. 33. art. 3. q. 1. hujuſmodi pueros ſupplicium ignis evadere.

Reſp. 1. Gregorium Nazianzenum & Nyſſenum, alioſque ante exortam Pelagianam hæreſim, non tam fuiſſe in hac controverſia verſatos, quantum in ea Auguſtinus & Africani Patres ſeſe exercuerunt, unde, quemadmodum in materia de Prædeſtinatione & Gratia, ita in hac quæſtione poſt illam hæreſim ventilata, Latini Græcis præferendi ſunt, maxime quod hi tantum duo Adverſariis favere videntur, & ſi rigoroſe accipiantur, ſcribunt pueros ante baptiſmi lavacrum carere improbitate & peccato, quod falſum eſt. Pro nobis autem ſtant Auguſtinus, Fulgentius, Patres Milevitani, & Carthaginenſes, & confeſſione Petavii, & aliorum, Florentini Concilii decretum. Et nihilominus ob horum duorum, necnon D. Thomæ ac Bonaventuræ reverentiam, oppoſitam opinionem Catholice propugnari fatemur, eique nos vel unam cenſoriam virgulam minime hoc noſtro ſcripto adjicimus. Sed ſingula expendenda jam ſunt.

In Ambroſii cap. ultimo lib. 2. de Abraham opinantur PP. Benedictini Tom. 1. pag. 351. nonnulla ab aliquo hæretico fuiſſe intruſa. Nec immerito; nam ſupra num. 79. Ambroſius affirmate dixerat parvulos non baptizatos excludi a regno. Quomodo ergo poſthac ſcripſit: *Neſcio an habeant regni honorem?* Deinde ultima pars poſtremi capitis cum præcedenti nulla ratione cohæret. Inſuper abſolute aſſerere quod hi parvuli habeant immunitatem pœnarum, videtur ſapere Pelagianiſmum. Optima tamen eſt reſponſio noſtri Vanroy loqui Ambroſium per figuram conceſſionis, ſiquidem ait, *Habeant*, non, *habent*. Etenim perſpicuum eſt illum tam de adultis, quam de parvulis verba facere, & probare ſancti lavacri promiſcue neceſſitatem. Solent proferri & quædam de Ambroſii in Epiſtolas Pauli Commentariis: ſed liquet hæc perperam ſub tanto nomine celebrari. Obſervarunt in iis viri docti ſemina Pelagianiſmi: nos autem ſuſpicamur conſcripta ab Hilario Diacono, qui vixit ſub Damaſo, & Luciferianis adhæſit, ut diximus cap. 2. ad ob. ultimam. Idem aſſerendum eſt de Auctore QQ. ad Antiochum, ſcribente q. cxiv. de parvulis, qui non baptizati decedunt, *οὔτε εἰς βασιλείαν εἰσέρχονται, ἀλλ' οὔτε πάλιν εἰς κόλασιν, ἁμαρτίαν γὰρ οὐκ ἔπραξαν: Neque in regnum ingrediuntur, neque rurſus in pœnam: peccatum enim non commiſerunt*. Spuriæ ſunt enim quæſtiones illæ, licet diu Athanaſianæ habitæ ſint, & alicubi nonnulla præferant ex Athanaſio tranſlata. At continent longe plura obſcuri & imperiti Scriptoris; atque cum olim non excederent num. 35. jam extant 136. *Librariis* (inquiunt eruditi Cenſores Tom. 2. p. 252. edit. PP. S. Mauri) *novas quæſtiones ſemper addentibus*. Laudatum D. Bernardi Sermonem habitum ad adultos liquet legentibus. Teſtimonium Nyſſeni premit eos etiam, qui ob pœnam damni parvulos mœrore aliquo affici tenent, quod ſentit Adverſariorum noſtrorum pars major, & ſi perpaucos Thomiſtas excepecis, omnes propemodum. Dubitat etiam Nyſſenus an *quælibet anima ante Judicis tribunal ſiſtetur*, cum poſtea id fuerit definitum, ut cap. præcedenti dictum eſt: unde qui negat parvulos judicandos, auctore Beda in Proœmio Canticorum, *contradicit Catholicæ fidei*. Quare dicendum eſt cum Noriſio Gregorium Nyſſenum in ea quæſtione, quam appellat *difficilem atque perplexam*, dubitanter locutum eſſe: alioqui erit in hac parte ipſius opinatio penitus rejicienda.

Unus reſtat Gregorius Nazianzenus. Hunc Noſtrates ſatis commode exponunt; quod ſicut dum ait parvulos *carere improbitate, & jacturam potius pati quam facere*, loquitur de neglectu baptiſmatis: ita dum addit, *nec cæleſti gloria, nec ſupplicio illos affici*, accipiendus eſt de punitione reſpondente huic neglectui, ac deſpicientiæ; ob quam proculdubio adulti contemptores baptiſmatis ſupplicio multo acerbiori plectentur. Atque hanc reſponſionem magnorum virorum conſenſione probatam refutare non auſim. Nazianzeni tamen ſententia videri poſſet aliquibus manifeſta; nam paullo ante ſcripſerat medium quid intercedere inter gratiam, ac mortem, *γενέσθαι τι μέσον τῆς χάριτος, ἢ τῆς ἀπωλείας*. Tum poſtea, quæ nobis objiciuntur, ſcribit non propterea quemquam aliquo dignum eſſe ſupplicio, quia non meretur honorem: *οὐ γὰρ ὅστις οὐ τιμῆς, ἤδη καὶ κολάσεως*: parvulos vero ſine lavacro decedentes neque gloriæ honorem, nec ſupplicium ſubituros *μήτε δοξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι*. Inſuper Grecus illius Scholiaſtes Nicetas ad hanc ipſam Orationem ita Nazianzeni ſententiam explicat: *Nec cæleſtis regni voluptates ſentiunt, nec pœnis ullis torquentur*. In nonnullis etiam latinis editionibus, ut in Pariſienſi an. 1609. additum eſt in margine, *Parvuli nulla pœna ſenſus mulctantur*. Sed primum animadvertendum eſt Nazianzeni verba etiam eos premere, qui cenſent pueros pœnam damni ſentire. Deinde hæc ſcripta eſſe ante exorta dogmata Pelagiana; poſtea vero medium locum inter gloriam & ſupplicium a Patribus, & Conciliis fuiſſe exploſum, atque exſibilatum. Scholia autem, atque interpretationes non ſunt eadem cum textu æſtimatione probanda. Quid vero de Divo Thoma Aquinate?

nate? Is quidem communem Scholaſticorum ſui Ævi ſententiam tutatus eſt: ſed ut erat Auguſtini ſtudioſiſſimos, hujus ſparsit ubique ſemina. In 4. ſent. diſt. 46. q. 2. docet, *Peccato originali non tantum deberi carentiam viſionis pro pœna, ſed etiam ſubjecti annihilationem*: ex quo probat Godoy celebris & peracutus Thomiſta diſp. 38. de peccat. §. 3. originali peccato obnoxios etiam pœna ſenſus fuiſſe ex rigore mulctandos. Subjecti enim annihilatio eſt pœna omnium graviſſima, & ideo pœna ſenſus eſt vere pœna, quia ad ſubjecti annihilationem quodammodo tendit. Plura ſunt, quæ idem evincunt, ab eodem Auctore ex D. Thoma deprompta. Sylvius in 1. 2. q. 86. num. 6. ait, Beatum Thomam variis quidem in locis loqui juxta ſententiam ſuo tempore communem. Si tamen ſuam Summam Theologicam abſolviſſet, non deeſt ratio exiſtimandi eum in partem alteram fuiſſe declinaturum, quia lib. 115. contra Gentes cap. 156. habet pro abſurdo, quod ſint aliqui homines, qui nec beatitudinem conſequantur, nec pœnam a Deo patiantur, quod juxta Scripturam Matthæi 25. omnibus in divino judicio exiſtentibus dicetur, *Venite, poſſidete peratum vobis regnum*, vel, *diſcedite in ignem æternum*. Multo magis ad nos acceſſiſſet, ſi poſtremum contra Julianum opus datum ei eſſet perlegere, ubi ſententia noſtra traditur expreſſiſſime, lib. 1. num. 48. lib. 3. num. 200., &c. Dictum ſupra, quod in Epiſtolam ad Epheſ. lect. 5. ſcribit ob originale peccatum naſci unumquemque pœnæ, & gehennæ addictum. Verba Beati Thomæ ſunt: *Hoc eſt quod dicit, Eramus natura, ideſt per originem naturæ, non quidem naturæ, ut natura eſt, quia ſic bona eſt, & a Deo; ſed natura ut vitiata eſt, Filii iræ, ideſt vindictæ, pœnæ, & gehennæ: & hoc ſicut & ceteri, ideſt Gentiles*. Hæc pauca pro mea erga D. Thomam obſervantia ſatis ſit innuiſſe. De D. Bonaventura, omiſſa reſponſione Vanroy Tom. 1. pag. 288. tantum commemorabo Apoſtolicam ad Rom. XIV. 5. hortationem, *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, quæ nec Ovenum fugit dicere ſolitum:

His ego cenſuerim vetus hoc debere reponi,
Illa tibi placeant, dum magis iſta mihi.

Id vero non aſſero facta comparatione inter eximium Eccleſiæ Doctorem, noſque miſerrimos in ſumma ignorantia verſantes: ſed propoſitis mihi Auguſtini, ac Bonaventuræ doctrinis hac in parte pugnantibus; in utrumque obſequentiſſimus illius placita debito filii officio complector: hujus ſapientiam condignis laudibus proſequor. Atque hoc idem, ubicunque Divi alicujus oppoſitam ſententiam non ſequor, aut verba abſque interpretatione prætermitto, me profiteor ſenſu animoque tenere.

Sexto objiciunt argumenta quædam a ratione petita. Ac primum: Pœna ſenſibilis non eſt originali peccato proportionata; non ergo hac pœna mulctantur pueri e vita migrantes abſque baptiſmate. Probant antecedens I. quoniam peccatum originale non contrahitur per actum propriæ voluntatis: ergo nec illi reſpondet mulcta, ac ſupplicium proprii ſenſus. II. Peccatum illud eſt vitium naturæ, non perſonæ, igitur ejus cauſſa perſona plecti non debet. III. Pœna ſenſibilis debetur converſioni ad bonum commutabile; quæ non eſt in puerulis. IV. Ob pravam inclinationem & pronitatem ad malum, quæ ratione concupiſcentiæ poſſet ſenſui puerorum hærere, nemo damnari poteſt, niſi illius motibus obſecundet. V. Nec quiſpiam reprehendi poteſt in eo, quod nequit vitare. VI. Etiam Auguſtinus lib. de duabus Animabus cap. 11. affirmat illud impio imputandum eſſe, *unde illi liberum fuerat abſtinere*. VII. Nulla ob originale peccatum injungitur pœnitentia: non ergo ei debetur mulcta, qua animadvertitur in adultos ob actualia.

Hæc omnia placuit ſimul congerere, quoniam faciliimæ ſunt ſolutionis, ſcitumque Auguſtinianum quatere non valent, magiſque corroborant. Itaque nego antecedens. Ac priorem probationem primum in adverſarios retorqueo: Parvuli non contrahunt noxam originalem actu propriæ voluntatis, & nihilominus eorum voluntas a ſummo bono, quod appetit, cum pœna ac triſtitia divellitur: Ergo licet non deliquerint proprio ſenſu, juſte poterit illorum ſenſus flammarum cruciamenta experiri. Deinde nego conſequentiam; nam cuicunque peccato mortali, ſive origine contrahatur, ſive propria voluntate, cum diſpliceat Deo ſummo bono, debetur, ſi Deus velit, omnis pœna, etiam *infinite acerba ſi dari poſſet*, inquit S. Thomas in 2. diſt. 42. q. 1. art. 5. ad 2. Præterea peccatum quod in Adam fuit actuale, poſteris originale eſt: ideoque omnis pœna, quæ debetur peccato actuali primi hominis, infligi poteſt peccato originali ceterorum. Inſuper Doctores, qui adverſum nos hæc objectant, putant originale peccatum eſſe proprium omnibus, quia omnium voluntates cenſebantur in Adam. Si id ſufficit, ut pueri voluntate propria peccaverint, cur non ſufficit ut in proprio ſenſu tormenta percipiant? Rurſus damnari poteſt excluſione regni anima, quæ non continebatur in anima Adæ; ergo plecti poteſt ſupplicio ignis corpus, quod præexiſtebat in Adæ corpore.

Secundum ita diluitur. Primo retorquetur in Adverſarios. Quod originale peccatum ſit vitium naturæ, non perſonæ, non evincit, quin hæc perſona ſit peccatrix, debeatque damnari ad tartara: Ergo nec efficit, ut hæc perſona gehennæ cruciamentum non ſentiat. Deinde diſtinguo ant. Originaria culpa naturæ vitium eſt, non perſonæ, ideſt, inducta voluntate protoparentis, qui naturam communem vitiavit, concedo: propagata per voluntatem Adæ, itaut vere ac proprie non ſit culpa omnium poſterorum, nego antecedens.

Eſt tertium ejuſdem ſimilaginis. Principio in Auctores evibratur. Tametſi parvuli non ſunt actu voluntatis ſuæ averſi a bono incommutabili, afficiuntur pœna damni. Ergo etſi converſi non fuerunt ad commutabile bonum, plecti poterunt pœna ſenſus. Deinde diſtinguitur ant. In parvulis non eſt converſio ad bonum mutabile, actualis per determinationem arbitrii ſui ſingularem, concedo: habitualis per concupiſcentiam inſeminatam origine, nego. Et quoniam in idem recidit quod ſequitur quarto loco ſimiliter retorquetur: Ob concupiſcentiam, cui ineſt habitualis averſio a Deo, parvulus non baptizatus plectitur pœna damni: ergo ob pronitatem, cui ineſt habitualis propenſio ad illicita, mulctari poterit pœna ſenſus. Deinde diſtinguo propoſitionem: inclinatio mala non caſtigatur niſi accedente voluntatis conſenſu, ad Tribunal Magiſtratus, qui curat duntaxat externam civium politiam, concedo: ad Tribunal Dei, qui ſcrutatur renes & corda, ſubdiſtinguo; ſi pravæ inclinationi adhæreat reatus & macula peccati, ut adhæret concupiſcentiæ non baptizatorum, & habituali peccato nondum remiſſo, nego: ſi concupiſcentia, ablata interclusione, quæ ſeparabat a Deo, ſoluta ſit a reatu, ut eſt in baptizatis, atque in adultis, quibus peccatum habituale dimiſſum eſt, concedo. Vide quæ ſcripſimus ad propoſitionem 3. quinti Capitis.

Quod proxime ſequitur, recidit in caput adverſariorum. Parvuli poſita Adæ prævaricatione vitare nequeunt reatum originarium, & nihiloſecius illius cauſſa condemnabuntur. At qui poteſt damnari, poteſt etiam vituperari ac reprehendi. Ergo parvuli reprehendi poſſunt ob prævaricationem Adæ, quam evitare non potuerunt. Præterea diſtinguo antecedens: Non poteſt quis vituperari ac reprehendi ob originale peccatum, tamquam malus arbitrii electione, concedo: tamquam malus nativitate, & vitiata naturæ origine, nego. Si enim hoc pacto nequit filius Adæ objurgari; quomodo eſt natura filius iræ, filius vindictæ? Cur audient infantes, qui ſine regenerationis Sacramento extremam diem obierunt, Judicem ſic eos alloquentem: *Ite in ignem æternum?* Etiamſi flammarum tormenta vitarent, an non ignominioſum eſt, Imaginem Dei in exilium propelli, ſubire tenebras exteriores, ac degere ſub dæmonis poteſtate? Num probrum, ac ignominia non eſt, furcæ alligari, damnari ad triremes, etiamſi cervicem non frangat carnifex, nec remigare opus ſit, vitamque arreptitio pane miſerrimam agere? Compellabimus, ſi hoc verum eſt, Adverſarium noſtrum iiſdem verbis, quibus Auguſtinus alloquitur, ſerm. 54. de verbis Apoſtoli, hominem Pelagianum, *Videris tibi miſericors, quia non auſers ei vitam, damnas tamen quem ſeparas a regno cælorum. Damnas, non eum percutis, ſed in exilium mittis*. Quod ex libro Auguſtini de duabus animabus addebatur, eidem a Juliano fuit objectum: ſed reſpondit S. P. in primo Operis Imperf. n. 48. ſe ibidem definiſſe peccatum actuale, non illud quod peccatum eſt, & ſimul pœna peccati: idque neceſſarium eſt Catholicos profiteri; alioquin originale, quod infantes ante uſum libertatis contrahunt, non poſſet reputari peccatum. Atque iſtud contendont Pelagiani hac eadem fallaci argumentatione ducti, quod nemo poteſt damnari ob id, a quo liberum non eſt abſtinere.

Poſtremum argumentum poteſt ſimiliter retorqueri. Enimvero mors, & vitæ hujus calamitates, exilium, & concepta illinc amaritudo, ſunt in pœnam originalis peccati. Falſum ergo eſt filios Adæ ejuſdem peccati pœnitentiam non agere. Ad hæc Catechumenus priuſquam baptiſmate abluatur, monendus eſt, ſe inimicum eſſe Dei, ac ſub dæmonis poteſtate captivum: quod audiens, inquit Noriſius, dolore corripitur. Parvuli quoque pœnitentes ſunt modo ſuo, *cum per verba geſtantium Diabolo & huic ſæculo renunciare monſtrantur*, ait Auguſtinus in 1. de peccat. merit. cap. 19.

Oppones 7. Parvuli, cum gratia deſtituti ſint, nequeunt pœnam gehennæ patienter ſufferre: ergo in cruciatibus in impatientiam prorumpent, ac Deum blaſphemabunt. Rurſus: quis ignorat hoc Auguſtinianorum placitum feritatem, ac immanitatem olere? Denique, ut ut ſit, hujus ſententiæ promulgatio plura inter rudiores ſcandala parere, & piarum matrum animum perturbare, ac frangere poteſt.

Reſp. ad 1. Nego conſequentiam: ex quo enim ob originale peccatum gerant parvuli voluntatem a Deo averſam, non ſequitur, ut debeant mox in Dei odium, & blaſphemias prorumpere, & eamdem malitiam habeant cum peccatoribus ſceleſtiſſimis, ac ſint a dominante malitia in omne ſcelus abrepti; ut commentus eſt Bajus propoſit. 48. & 49. Urgeri etiam poteſt iſtud argumentum de pœna damni: quam ſi ægre ac moleſte ferant: blaphemabunt ne? Ad alterum dixi nuper, quod ſi carent pueri peccato, nec in eos miſericordes ſunt, qui damnant, eoſque in exilium mittunt, etſi non percutiant. Si peccatum contraxere, ut fides docet; exclamandum eſt, *Quam inſcrutabilia*

ju-

judicia Dei! Vidimus etiam ſuperiori capite, hanc eſſe veterem Juliani querimoniam. Ad poſtremum reſpondere poſſumus, fortaſſe ſi hæc noſtra divulgaretur aſſertio, nec ruſticos tam audacter cæſuros prægnantes uxores, nec tam frequenter compreſſas puellas curaturas abortus, nec allaturos conjuges interdum vel intemperantia, vel alia cauſſa filiis naſcituris interitum. Tunc enim illacrymantes clamarent: Veh in ſempiteroum ignem infantulus dejectus eſt! Dignoſceretur etiam facilius originariæ culpæ demeritum, atque ex illa, quam acerbum ſerumque ſit actualium criminum ſupplicium. Verum quandoque non expedit omnia dicere, nec in aures omnium, nec coram omnibus.

Opp. 8. Quibus ergo deſerviet terra illa nova, quæ futura prædicitur Apocalypſeos primo ac viceſimo, *Et vidi cælum novum & terram novam?* Quibus, inquam, niſi parvulis immatura morte peremptis? Hi enim licet averſi a Deo auctore ſupernaturali, naturalem ordinem ſervant, ideoque viſione quidem Dei privabuntur, at non communicatione ceterorum bonorum.

Reſpond. 1. cum S. P. Aug. 20. de Civit. Dei cap. 16. futurum novum cælum, ac novam terram, *ut mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis*. Quapropter non erit nova illa creaturæ facies pro iis, qui veterem hominem non exuerunt. Cum ſoleat præterea prophetica locutio propriis verbis metaphoras admiſcere, eo ſenſu dictum eſt *cælum novum ac terram novam*, quomodo nova creatura, novum figmentum, novus homo, atque ipſomet loco nova Jeruſalem. Illud vero, quod de averſione a Deo dictum eſt, ex præcedentibus abunde revincitur, cum in obnoxiis originario peccato ſit virium omnium inordinatio, imago Dei ſubjecta dæmoni, tota, inquit Auguſtinus, natura turbata. Rurſus nec peccatum actuale naturalia prorſus tollit, cui tamen reſpondet gehennæ ſupplicium. Ac tandem, cum naturalia bona ſint medium, ipſe autem Deus finis ultimus creaturæ rationalis, atque ut D. Thomas docet 1. 2. q. 71. art. 6. ad 3. averſio a fine omnes alias inordinationes ſecum afferat, fieri non poteſt, ut qui avertitur a Deo, in recto ordine erga res creatas ſeſe contineat.

Tandem ſunt aliqua argumenta pro illis pueris, quos optarent parentes ad baptiſmum perducere, ſed in utero matrum præfocantur, vel ſtatim ac nati ſunt moriuntur priuſquam ſacro lavacro abluantur. Quos diximus Gerſonem cum aliis perpaucis cæleſtis patriæ civibus accenſere. Pro qua opinione hæc poſſent proferri. Primum, *voluntas*, ut fert commune proloquium, *reputatur pro facto*, & aliud, *Ad impoſſibile nemo tenetur*. Inſuper: In pueris ante uſum rationis locum habet baptiſmus ſanguinis, cum inter martyres habeamus omnes infantes, quos Herodes Bethlem interemit: ita poteſt illis prodeſſe baptiſmus flaminis, ſcilicet votum, ac deſiderium parentum. Item fides Eliſabeth promeruit, ut Joannes Baptiſta ſanctificaretur in utero. Præterea liberi Judæorum ante diem octavam ſine circumciſione morientes haudquaquam divina lege damnabantur; ideoque privatio ſola ſacramenti in neceſſitate non ducit ad perditionem. Tandem effectus ſacramenti *impletur inviſibiliter, cum myſterium baptiſmi non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit*, ait Auguſtinus lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 21. Ambroſ. in Orat. de obitu Valentiniani, Innoc. III. in cap. *Apoſtolicam*, & Divus Bernardus epiſtola 77.

Jam diximus ſupra hanc Gerſonis opinionem falſam eſſe, & fere ab omnibus refutari, quoniam & Evangelium Chriſti, & Concilia, & Patres non renatos Baptiſmo excludunt a regno Dei. Nec votum parentum poteſt infantibus opitulari, quoniam ſpiritus ubi vult ſpirat, nec beneficia liberrimæ Dei voluntatis pendent ab hominum deſiderio: ſacramentis autem ſunt vi ſolius divinæ inſtitutionis conjuncta. Eam ob rem Auguſtinus jure negat connumerandos inter filios Dei pueros decedentes ſine regenerationis ſacramento, etiamſi moriantur, paratis miniſtris, ac parentibus feſtinantibus, eo quod non ſint de numero prædeſtinatorum, quos ſecundum propoſitum elegit Deus ante mundi conſtitutionem. Sed de his alibi. Nunc ad argumenta, quæ adverſus hactenus dicta de parvulorum damnatione, militant, ex ordine reſpondendum eſt. Ac prima ratio, uti excuſat parentes qui vellent filios renaſci, ita non prodeſt pueris qui voluntatem propriam non habent. Neque hi damnantur, quod non acceſſerint ſuomet neglectu ad baptiſmum, quod exequi non potuerunt, ſed quoniam traxerunt ex Adam iniquitatem. Altera eliditur, quoniam in martyrio in ſe recipiunt infantes ſtigmata Salvatoris, & ſanguinem ſuum ad confirmandam fidem effundunt, ideoque merito, ut ſuos, recipit Eccleſia fidelium. Voluntas autem parientium non eſt voluntas natorum. *Redimens enim terram Salvator per crucem, & in latere vulneratus ſanguinem & aquam emiſit; ut alii quidem pacis tempore in aqua baptizarentur, alii vero tempore perſecutionis propriis ſanguinibus baptizentur*, inquit Catecheſi III. Joannes Jeroſolymitanus. Retorquetur & illa argutatiuncula hoc pacto: Martyrium parentum nihil prodeſt natis, qui martyres non occumbunt: Igitur votum parentum non prodeſt filiis, qui votum illud minime eliciunt. De Joanne Baptiſta videtur eſſe opinio Auguſtini, fuiſſe quidem repletum Spiritu Sancto in utero, & ſanctificatum in maternis viſceribus, ut præconem Chriſti ſe gereret; ſed nondum exornatum ea ſanctitate, quæ vinculum ſolvit ſucceſſionis obnoxiæ, ideſt, repletum per Spiritus Sancti gratiam dono prophetiæ, ſed noxa originali adhuc obſtrictum, priuſquam circumcideretur octavo die. Quod Auguſtinus non ſolum ſcripſit Epiſt. 57. nunc 187. ad Dardanum, ſed etiam lib. 4. Operis Imperfecti contra Julianum num. 133. De qua ſententia perlegendæ ſunt Noriſianæ Vindiciæ cap. 5. §. 11. Reſponderi tamen poteſt, quod de Præcurſoris exultatione & prophetandi munere docet in eadem Epiſtola S. Doctor, privilegia Joannis *habenda eſſe in miraculis divinæ potentiæ, non trahenda ad humanæ exemplar naturæ, & de illo mirabiliter prædicari, quod in aliis non invenitur*.

Memorata ad Dardanum Epiſtola cap. 10. num. 33. ſingulare ſuppeditat argumentum, quo non ſolum evincitur adverſus Gerſonem vota prægnantium matrum non præſtare ſalutem pueris mortuis in utero ipſarum, ſed etiam adverſus recentiores quoſdam irritum eſſe baptiſmum eis collatum priuſquam illinc egrediantur. *Quod ſi quiſquam dicit jam eſſe natum hominem, etiam cum adhuc eſt in utero matris, teſtimoniumque adhibet ex Evangelio, quia dictum eſt ad Joſeph de prægnante Virgine Domini Matre, Quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt: numquidnam huic nativitati accedit ſecunda nativitas? Alioquin non erit jam ſecunda, ſed tertia. Dominus autem cum hinc loqueretur, Niſi quis, inquit, renatus fuerit denuo, eam ſcilicet computans primam nativitatem, qua fit matre pariente, non concipiente atque prægnante, quæ fit ex ea, non quæ fit in ea. Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tamquam iterum natus ſit, qui jam ſemel natus fuerat in utero: ſed illa nativitate non computata qua gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut poſſit renaſci ex aqua & Spiritu*. Hæc vero, cum tam aperta ſint, & duplicem quæſtionem dirimant, non erant prætermittenda. In veteri lege quemquam ſanctificatum ſine aliquo ſacramento, ſive circumciſio fuerit, ſive aliud ignotum, negat in eadem Epiſtola S. Pater. Num itaque pueri ante diem octavum decedentes ſalutem æternam conſequerentur, incertum omnino eſt: ac niſi eis ſubventum erat vel parentum ſacrificio, vel alio gratiæ inſtrumento, certiſſime credimus condamnatos. Immo ſolam in ſacris literis Circumciſionem invenimus, ob quam Deus pepercerit infantibus, ut exemplum commonſtrat filii Sephoræ, ac Moyſi, cap. IV. Exodi verſ. 25. Diximus quippe in primo capite hujus libri, non ſolum in ſignum populi Dei, verum etiam in remedium originalis peccati Circumciſionem fuiſſe inſtitutam. Nihil ergo prohibet, quin pueros omnes non circumciſos, quorum eadem erat cum decedentibus in uteris matrum originalis culpa & naturæ conditio, afferamus fuiſſe ſimili, rectiſſimoque judicio damnatos. In quarto denique libro de Baptiſmo cap. 21. docet S. Pater impleri inviſibiliter effectum baptiſmatis, cum exterius ſine contemptu prætermittitur, & valet quod ait Apoſtolus, *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*, videlicet in adultis ob fidei credulitatem & animi præparationem. Idem docet Innocentius in cap. *Apoſtolicam*, de Presbytero non baptizato, qui tamen Eccleſiæ diu humiliter miniſtraverat, eique ſe devoviſſet ſuſcipiens regenerationis lavacrum, ubi accepiſſet ſe non renatum. Eadem eſt in Epiſtola 77. doctrina Divi Bernardi. Hujuſmodi ergo teſtimoniis nequit comprobari ſalus illorum, qui gratia fidei, ac animi præparatione ſunt deſtituti. Atque hæc dicta ſint de originaria labe, & de anima non renatorum infantium:

Quæ, quia materiam peccati ex fomite carnis
Conſociata trahit, necnon ſimul ipſa ſodali
Eſt incentivum peccaminis; implicat ambas
Vindex pœna reas peccantes mente ſub una,
Peccandique cremat ſocias cruciatibus æquis.

His itaque verbis ex Prudentii Apotheoſi exſcriptis finem libro tertiodecimo conſtituimus.

Google

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER DECIMUSQUARTUS,

Qui Pelagianam Hæreſim vellicat, & refellit.

ORIGINALI peccato humanam obnoxiam eſſe naturam, atque ignorantiam & difficultatem, quam patimur ab exordio nativitatis, non conditionem inſtituti hominis, ſed pœnam eſſe damnati, negarunt Gratiæ Dei infenſiſſimi hoſtes, hæretici Pelagiani. Opinantes idcirco peccatum Adæ poſteris obfuiſſe non propagine, ſed exemplo, & voluntatem actionemque noſtram tam ad declinandum a malo, & faciendum bonum valere, ut divino non indigeant adjutorio, illud in lege ac doctrina, non in ſanctæ dilectionis inſpiratione conſtituerunt; maximumque Redemptoris beneficium, licet ſpecioſo verborum apparatu multipliciter viderentur deprædicare, coarctarunt ad revelationem, exempla, præceptorumque inſtituta. At Gratiæ Vindex Præſul Sanctiſſimus Auguſtinus, quum optime animadverteret neminem poſſe legem implere per legem, neque per doctrinam, ſed per caritatem, quæ per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris diffunditur, in omnibus fere libris contra Pelagium, Cæleſtium, & Julianum conſcriptis, curavit ut ſimul originalis culpæ propagationem, & gratiæ neceſſitatem defenderet. Æquum eſt igitur, ut qui Doctoris præclariſſimi ſectamur veſtigia, ejuſque dogmata univerſa propugnandi ſuſcepimus arduam, ampliſſimamque provinciam, poſteaquam de Originali peccato abſolvimus diſputationem, inſectantes hæreſim Pelagianorum pro Chriſti gratia, quæ ſuperabundavit ubi abundavit delictum, nervos atque vires experiamur.

CAPUT I.

De Pelagianæ hæreſeos Auctoribus Origene primum, Rufino, ac Theodoro Mopſueſteno.

JOANNES Garnerius cap. 1. diſſertationum ad Pelagianam hiſtoriam pertinentium ſcribit videri ſibi hujus ſectæ primordia referenda ad Paulum Samoſatenſem; quem negaſſe veram Chriſti divinitatem, & aſſeruiſſe poſt Incarnationem Deum factum ex profectu virtutis vitam ducendo ſtudioſam, haud obſcure colligitur ex Synodo Ariana habita Antiochiæ an. 344. apud Athanaſium in libro de Synodis, atque ex ejuſdem Athanaſii Orat. 4. contra Arianos. At Noriſius noſter Pelagianæ ſectæ auctorem facit Origenem, & hunc quidem de Gratia hæreticam tenuiſſe ſententiam, adverſus nonnullos defenſores demonſtrant alii viri clariſſimi, ut Natalis Alexander ſæc. 3. diſſert. 16. art. 3. Daniel Huetius in Origenianis lib. 2. q. 7. §. 12. Honoratus Tournelius q. 3. de Gratia, & qui primus commemorandus erat, Magnus Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem. Plura etiam de hoc argumento Janſenius lib. 6. Hiſt. Pelag. c. 13. & ſequentibus: ubi tamen a vero exorbitat improbans in Origene indifferentiam arbitrii, & hanc reprehendens, tamquam Pelagianorum Dogmatum ſcaturiginem.

Sequitur Rufinus, a quo errore imbutum Cæleſtium inſignia monumenta demonſtrant. Sed an fuerit Aquilejenſis ille percelebris, an Syrus vel Palæſtinus, qui nobis innotuit ex Epiſt. 66. nunc 81. Hieronymi, inter Eruditos non convenit. Fuiſſe Aquilejenſem tenet Baronius, Pagius, Noriſius, & major pars illuſtrium Scriptorum. Negat Garnerius loco citato cap. 3. & alii perpauci, quibus acceſſere Auctores obſervationum Noriſian. eruditi Presbyteri Veronenſes lib. 1. cap. 2. Dubitare videntur PP. S. Mauri in notis ad cap. 3. libri de Peccato Originali S. Auguſtini, & ad Commonitorium Mercatoris, nec non in Præfatione Tom. x. De Theodoro Mopſueſteno conſentiunt Noriſius & Garnerius, aliique communiter. In his ergo, Origene ſcilicet, Rufino, ac Theodoro hæc prior diſſertatio verſabitur, nam de Paulo Samoſateno ſolas habemus, quas leviter tetigi, conjecturas.

PROPOSITIO I. Origenes de Divina Gratia pravam tenuit hæreticamque doctrinam.

Evincitur primo clariſſimorum Scriptorum teſtimonio, illorum maxime, qui graſſante hæreſi Pelagiana floruerunt. 1. S. Hieronymus in Epiſt. ad Cteſiphontem deſignans Pelagianorum Amaſium, *Doctrina tua*, inquit, *Origenis ramuſculus eſt*. Idem repetit in fine Dialogorum. Oroſius in Apologia: *Origenes* (inquit de Pelagianis) *in his vivit*; Et Vincentius Lirinenſis Common. cap. 23. teſtatur, quod Origenes *omnium pene hæreticorum Magiſter evaſit*.

Probatur 2. Origenes ſcripſit gratiam dari ſecundum merita noſtra, poſſe unumquemque vivere abſque ullo prorſus peccato, nec contrahi a parvulis ob Adæ prævaricationem originale peccatum. Hæc vero ſunt Pelagianorum Dogmatum paradoxa. Itaque Origenes Pelagianorum hæreſi viam aperuit. Et quidem exiſtimaſſe gratiam dari ſecundum merita noſtra aſſeruit ille libro 1. περὶ ἀρχῶν cap. 7. lib. 3. cap. 1. & 3. Philocal. cap. 20. & in Epiſt. ad Rom. lib. 7. & 9. Quæ loca congeſſit & illuſtravit Huetius. *Eſt* (inquit Origenes) *alia Spiritus Sancti gratia, quæ dignis præſtatur, miniſtrata quidem per Chriſtum, impetrata autem a Patre ſecundum merita eorum, qui capaces efficiuntur*; & *unumquodque vas vel ad honorem, vel ad contumeliam formatur, prout ea ſeipſo cauſſas, & occaſiones præſtitit Conditori*. Initium quoque fidei eſſe ex nobis, & profectum a Deo apertiſſime aſſeruit. Docuit inſuper, ut cap. 1. demonſtrat Noriſius, Angelos diverſa officia promeruiſſe ex ſuis meritis ac ſtudiis: Joannem Baptiſtam in utero ſanctificatum ob merita comparata, priuſquam ipſius anima devolveretur ad corpus: eodemque pacto Chriſtum Dominum promeruiſſe unionem hypoſtaticam, quæ eſt omnium gratiarum maxima. Præluſit ergo Origenes primo errori Pelagianorum, affirmavitque gratiam dari ſecundum merita noſtra.

Docuit præterea Origenes alterum Pelagiani dogmatis paradoxum, poſſe hominem vitare qualecunque peccatum, quod eſt famoſa hæreticorum ἀναμαρτησία, ideſt, impeccantia. Id liquet primo auctoritate Hieronymi in Procemio lib. IV. Commentar. in Hierem., ubi ait: *Hæreſis Pythagoræ & Zenonis ἀπαθείας, καὶ ἀναμαρτησίας, impaſſibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene, & dudum in diſcipulis ejus Grunnio, Evagrioque Pontico, & Joviniano jugulata eſt, cœpit reviviſcere*. Idem habet in Procemio Dialogorum adverſus Pelagianos. Deinde: Origenes Tom. 12. in Matth. exponens illud Chriſti ad Petrum, *Scandalum mihi es*, ait eum, qui in caritate perfectionem adeptus eſt, ſcandalo obnoxium non eſſe; & Tom. 15. in idem Evangelium ſcribit pueros, quibus Jeſus manus impoſuit, *jam amplius percelli non poſſe peccati illecebris*: quæ via ullam admittere excuſationem fatetur Huetius n. XVIII. q. 7. lib. 2. Origenianor., quamquam plura illic ſtudet emollire.

Num Originale peccatum reapſe negaverit, perdifficile eſt definire. Huetius, qui loco citato n. 24. Origenem vindicat a querelis Janſenii, fatetur in Commentariis in Epiſtolam ad Romanos nonnulli occurrere Orthodoxæ fidei parum conſentanea: atque in Catena Græcorum Patrum in Pſalm. 48. v. 6. referri teſtimonium Origenis, quod illum apertiſſime oppugnat. Sed inquit Commentarios interpolatos fuiſſe a Rufino, Catenarum vero fidem ſubleſtam eſſe atque incertam. Dixerim Origenem in tanta librorum copia non ſemper ſibi conſtare, & aliquando peccatum originale ſaltem conſequenter negaviſſe. Enimvero, hujus vitæ miſerias non in Adæ peccatum, ſed in habituale in ſuperiori vita commiſſum referendas eſſe propugnavit, & Eſau reprobatum, variiſque calamitatibus affectum ob ſcelera ante conceptionem patrata, ideoque cohærenter ad falſam ejus doctrinam, ea ſcilicet quæ a nobis geſta fuerunt, antequam corpora ſubiremus, cauſſam Deo præbuiſſe, ut ſpiritus terrenis hiſce molibus complicaret.

Opp. 1. Pelagius adeo Origenem abominatus eſt, ut in Synodo Dioſpolitana, cum de æternitate Inferni ageretur, dixerit, *Et ſi quis aliter credit, Origeniſta eſt*. Nullum præterea pro ſe Origenianum teſtimonium protulit, licet ſæpenumero Lactantii, Hilarii, Ambroſii, Chryſoſtomi aliorumque ſententias recitaverit. Non ergo ea Origenis libris Dogmata Pelagiana eruperunt. = Reſp. Verſute & callide animadvertiſſe Pelagium, ne Origeniana ſcripta produceret: neque enim ipſum latebat, quam male apud Latinos Patres Adamantius audiret. Servarunt nihiloſecius inter ſe Origeniſtæ ac Pelagiani arctiſſimam amicitiam: ut conſtat de Rufino, Theodoro Mopſueſteno, aliiſque Pelagianis, qui ſedente ad clavum Eccleſiæ Vigilio conati ſunt Origenem, quamquam irrita molitione, defendere.

Opp. 2. Pamphilus in Apologia Origenem ab omni errore purgavit. Illam vero Apologiam Pamphili eſſe, non alterius Scriptoris, tradunt Euſebius lib. VI. H. Ec. cap.

33. So-

33. Socrates lib. 4. cap. 27. & Nicephorus Calliſtus lib. x. cap. 14. = Reſp. 1. eum Huetio etiam Pamphilum in eadem cum Origene cauſſa verſari, ſi nos Rufini interpretamenta non fallunt. Defendit enim Origenianam Animorum præexiſtentiam, & anteactam vitam, ſine qua aſſerit Deum fore injuſtum, ſi inſontes animas in debilia ac mortalia corpora truderet. *Vides*, inquit doctiſſimus Abrincenſis Epiſcopus, *labefactatum ac peremptum* (a Pamphilo) *gratiæ cæleſtis auxilium*. Deinde reſpondetur prædictam Apologiam univerſam fuiſſe ab Euſebio elucubratam, quamquam priorem librum ipſemet Euſebius ſub nomine Pamphili ediderit. Ita S. Hieronymus in Catalogo Script. Eccl. cap. 8. & in Apologia adverſus Rufinum: quo in loco illud etiam animadvertit in primo Apologiæ Pamphili libro aperte Arianam hæreſim contineri, quamquam Rufinus latinam reddendo ſenſum paſſim immutavit. Abſit vero, ut Pamphilum Martyrem Chriſti glorioſiſſimum Arianis connumeremus.

Opp. 3. Origenes hom. 8. in Levit. diſertiſſime agnoſcit originale peccatum. = Reſp. 1. a Criticis hujuſmodi homilias vel Cyrillo Alexandrino, vel incerto auctori paſſim attribui. = Reſp. 2. exiſtimaſſe Origenem non delictum Adæ, ſed *præterita in cælis, & antiqua delicta ſolvi in Baptiſmo*, ut in fine Dialogorum ſcribit Hieronymus. Reſpondetur 3. juxta Origenem animas delabi ad corpus inquinatum, & propagatum ex Adam ob anteacta flagitia, ideoque ſi revera originariam noxam agnovit, fuit hæc præcedenti merito comparata, quemadmodum debita meritis gratia poſthac collata: unde nihil ad purgandum Origenem valent ea loca, in quibus videtur aſſerere omnes filios Adæ in peccato fuiſſe conceptos.

Opp. ultimo: Origenes cap. 8. lib. 2. Periarchon, hom. 4. in Pſal. 36. aliiſque in locis divinarum gratiarum munera prædicat. = Reſp. Gratiam, quam Origenes quandoque commemorat, eſſe præcedentibus meritis erogatam: diſtinguit enim duplicem fidem; humanam, quam propriis viribus nulla gratia ſuffultis habere poſſumus, & divinam, quæ nobis per gratiam infunditur. Item virtutum inceptionem, illarumque profectum. Ita Tract. 33. in Matth. lib. 4. in Epiſt. ad Romanos, & lib. 3. Periarchon cap. 1. Vide Huetium in Origenianis p. 115. Ex his facile eſt genuinum ſenſum Origenis ſubodorari: gratiæ enim deputat ſecundam fidem, non primam; & incrementum virtutis, non inceptionem; ſplendideque ἡμιπελαγιανίζει, *ſemipelagianizat*.

PROPOSITIO II. Rufinus, qui inter Pelagianos cooptatur, eſt Rufinus Aquilejenſis, non Palæſtinus, vel Syrus.

Probatur 1. Marius Mercator in ſuo Commonitorio ſermonem inſtituens de hæretico Dogmate, quod Adam & Eva ſibi tantum prævaricando nocuerint, alteri penitus nulli, ait: *Hanc ineptam, & non minus inimicam rectæ fidei quæſtionem Anaſtaſio Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifice Rufinus quondam natione Syrus Romam primus invexit: & ut erat argutus, ſe quidem ab ejus invidia muniens per ſe ferre non auſus Pelagium gente Britannum Monachum tunc decepit, eumque ad prædicta apprime imbuit, atque inſtituit impiam veritatem*. Rufinus ergo, quem Mercator appellat Syrum, fuit primus Magiſter ac deceptor Pelagii. Atqui Magiſter & deceptor Pelagii fuit Rufinus Aquilejenſis, qui Romæ libros Periarchon latinos reddidit, ut ſcribit S. Hieronymus in Epiſt. ad Cteſiphontem; ubi Pelagianam de impeccantia hæreſim ait primum a Manichæis derivatam, deinde a Priſcillianiſtis, poſtremo ab Evagrio Pontico, atque a Rufino Librorum Periarchon interprete. Quod repetit Præfat. in lib. iv. Comment. ad Hierem., Rufinum ſub Grunnii nomine indigitans. Igitur Rufinus Aquilejenſis inter Pelagianos connumerandus eſt.

Deinde: Rufinus Aquilejenſis de libertate arbitrii male ſenſit, ita enim declarat in Cap. *Sancta Romana* Concilium Romanum lxx. Epiſcoporum. *Rufinus vir Religioſus plurimos Eccleſiaſtici Operis edidit libros: nonnullas etiam Scripturas interpretatus eſt: ſed quoniam Beatus Hieronymus in aliquibus eum de libertate arbitrii notavit, illa ſentimus, quæ prædictum Beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus*. Nullibi autem legimus Rufinum liberum arbitrium negaſſe: erravit ergo duntaxat illius naturalem facultatem nimis cum Origene ſuo, Pelagianiſque extollendo.

Tertio: Recentiores Critici, ut Rufinum Aquilejenſem vindicent a Pelagianiſmo, cum negare non poſſint aliquem hujus nominis hanc hæreſim præformaſſe, damnant Rufinum alterum Syrum, aut Palæſtinum, qui nobis innotuit ex Epiſtola 66. Hieronymiana. At quo jure ſanctiſſimus Hieronymi diſcipulus hæreſis inſimulatur? Compertum eſt hunc Rufinum ex Bethlemitico ſpecu miſſum fuiſſe ad Venerium & Anaſtaſium adverſus Origeniſtas. Quis ergo dixerit talem virum, a Hieronymo eruditum, & in Italiam fidei cauſa profectum, diſſeminaſſe hæreſes, & partibus Origenis ſtuduiſſe? Hunc Hieronymi diſcipulum (inquiunt ingenui, & eruditi Theologi Veronenſes) tantæ hæreſis doctorem non audemus ſuſpicari. At quomodo probant hunc a Syro fuiſſe diverſum, cum viri docti, ipſi quoque PP. Benedictini, diſputent num præcurſor Pelagii ſit Rufinus ille Aquilejenſis, an alter qui circa annum 399. in Occidentem venit miſſus a Hieronymo Mediolanum ad Venerium? Qui vero ex his tres nobis Rufinos venditant, nulla vel probabili ratione ducuntur. Addo Cæleſtium in Carthaginenſi Conventu pro ſuo Dogmate Rufinum, tamquam omnibus notum, produxiſſe. Syrum vero illum ab Aquilejenſi diverſum & fama aut ſcriptis percelebrem nondum comperimus.

Rurſus: In Præf. ad iv. librum Comment. ſuper Hierem. S. Hieronymus de Hæreſi Pelagiana loquens, quam in Grunnio nuper aſſerit jugulatam, *Cui reſpondere*, inquit, *diu tacens, & dolorem ſilentio devorans crebra fratrum expoſtulatione compulſus ſum, nec tamen hucuſque prorupi, ut auctorum nomina ponerem, malens eos corrigi, quam infamari*. Quo ſane in loco non ſolum demonſtrat ſub Grunnii cortice latere illius hæreſis prodromum, ſed etiam intermiſſam a ſe Expoſitionem Hieremiæ, quam per intervalla dictabat, ut ſerpentem errorem eliminaret. At Grunnium ipſum eſſe Rufinum Aquilejenſem, & libros interea temporis a Hieronymo editos eos eſſe, quos contra Pelagianos conſcripſit, nemo jure negabit. Rufinus ergo Aquilejenſis hæreſim Pelagianam, ſaltem quantum ſpectat ad Dogma impaſſibilitatis, & impeccantiæ, invexit in Occidentem, eaque imbuit Cæleſtium. Neque hoc ſolo titulo Grunnius dicitur a Hieronymo Pelagianorum præcurſor, quod Origenem Latio donaverit; etenim ipſe Hieronymus plura Origenis ſcripta fecit Latina, eiqua hoc idem in 1. Invectivarum libro ipſe Rufinus objectat. Atque inſuper non omnia Origeniana Dogmata Rufino attribuuntur, ſed ea maxime, quibus Pelagianiſmus innititur.

Præterea: Rufinus in interpretatione librorum Origenis, quos pro ſuo lubitu immutavit, ut demonſtrat in præclariſſimis diſſertationibus Origenianis Daniel Huetius, quæ Pelagiana erant, fideliter, & præter morem ſuum retulit, ut conſtat ex cap. 20. Philocaliæ, ubi peculiare auxilium gratiæ declaratur eſſe ſolam liberæ voluntatis facultatem. Et, quod caput eſt, verba quæ redolent Pelagianiſmum in 1. libro Periarchon cap. 3. & quibus probant Natalis Alex. & Janſenius Adamantium præluſiſſe Pelagianis, in nullo Græco exemplari comparent: ſed, ut Huetius ait libro 2. Orig. q. 7. n. x. & xiv. *de ſua Pelagianiſmi officina largitus eſt Rufinus*. Falſum eſt ergo ſententiam de Pelagianiſmo Rufini eſſe popularem credulitatem, ut illam appellitat in Appendice Auguſtiniana pag. 44. Phereponus: ac falſum, quod ſcribunt Veronenſes, nullum adhuc inventum eſſe argumentum præter nominis Rufini ſimilitudinem, ac ſuſpicionem, in quam Aquilejenſis incurrit propter ſcriptorum Origenis translationem. Quin, ut mox oſtendam, leviſſimæ ſunt conjecturæ Garnerii, quibus permoti Noriſii Concivis ſui doctrinam maluerunt impugnare, quam defendere, tametſi illam pene certam ſcripſerint Pagius, Dupinius, Gerberonius, Natalis Alexander, & Huetius, qui Rufinum Aquilejenſem omni procul dubio adnumerant Pelagianis.

Opp. 1. Garnerius: De Rufino magiſtro Cæleſtii Mercator loquitur, quaſi de homine minus noto: *Rufinus quidam*, inquit: Aquilejenſem autem totus orbis noverat ob eruditionis famam, opinionem ſanctitatis, & Melaniæ conſortium. II. Aquilejenſis venit Romam anno 13. Siricii, & Syrus ſub Anaſtaſio hæreſim Romam invexit. III. Rufinus, qui imbuit Cæleſtium, Romæ manſit apud Pammachium; Aquilejenſis vero nunquam virum eum Hieronymo conjunctiſſimum adiiſſet. IV. Rufinus Cæleſtii magiſter Romæ fuit, cum doceret non dari peccati traducem; ut liquet ex libro Auguſtini de peccato originali cap. 3. V. Rufinus Pelagianus appellatur a Mercatore natione Syrus. VI. Cæleſtius innuere videtur apud Auguſtinum loco citato, Rufinum tempore judicii Carthaginenſis adhuc fuiſſe ſuperſtitem, Sanctum illum appellando, non *beatæ recordationis*. VII. Paulinus Diaconus nihil excipit adverſus Rufinum a Cæleſtio appellatum; poterat autem plura adverſus Aquilejenſem propter hæreſes damnatum, & in damnatione extinctum.

Reſp. ad 1. Mercatorem non ſcripſiſſe *Rufinus quidam*, ſed *Rufinus quondam*, atque ita etiam habetur in edit. Auguſtiniana PP. Bened. 2. p. Append. Tom. x. Tom. 27. Biblioth. Patrum pag. 129. in Appendice Pherepon, & in Op. Mercatoris. Ad 2. dico, Rufinum utique veniſſe Romam regnante Siricio, & anno 396. ſed conſtat ex Epiſtola Hieronymi diu illic moratum, & forte toto ferme biennio: unde poſſumus aſſerere Romæ conſtitiſſe initio Pontificatus Anaſtaſii, qui creatus eſt anno 398. pridie idus Martii, ut ſcribunt Anaſtaſius Biblioth. & Marcellinus Comes in Chronico. Deinde ſi Rufinus ante Pontificatum Anaſtaſii Roma diſceſſerat; ſub Siricio hæreſim diſſeminaverat, & invexerat, quam primum, operam navante Marcella nobiliſſima fœmina, Anaſtaſius compreſſit. Quare hæreſim negantem originale peccatum ſub Anaſtaſio exortam affirmavit Mercator, atque Hieronymus in Epiſt. viii. ad Demetriadem. Ad 3. reſpondeo Rufinum fuiſſe hoſpitio exceptum a Pammachio, primum, quia ipſius domus commune erat Monachorum hoſpitium: deinde quia Rufinus maxima erat amicitia conjunctus cum Paulino Pammachii amiciſſimo: rurſus quia in Peregrinatione Syriaca complures Pammachii amicos Rufinus noverat: ac tandem falſum eſt Rufinum inter ac Hieronymum ante annum 399. vulgatamque In-

ter-

terpretationem Origenit, fuiſſe amicitiæ vinculum diſſolutum. Ad 4. dico Cæleſtium in Synodo Carthaginenſi non dixiſſe, ſe a Rufino Romæ edoctum quod non ſit tradux peccati, ſed a Rufino, *qui fuit Romæ*: quamquam & Romæ Cæleſtium fuiſſe Rufini diſcipulum anno 387. mihi ſit perſuaſum. Ad 5. miſſa reſponſione Rigbeerii in notis ad Mercatorem Tom. 27. Bibl. PP. pag. 147. ſcribentis Rufinum fuiſſe natione Syrum, & Aquilejenſem titulo Sacerdotii, quomodo S. Felicem patria Italum, Presbyterio Nolanum, & genere Syrum teſtatur eadem ætate S. Paulinus Natal. 4. de S. Felice: miſſa, inquam, ea reſponſione, dico cum Noriſio ac Pagio Rufinum commoratum in Syria per annos viginti ſeptem, ideoque appellatum a Mario Mercatore Syrum, ut Fauſtus a Poſſeſſore dicitur natione Gallus: revera tamen Fauſtum in Britannia natum, & Rufinum in pago diœceſis Aquilejenſis, ſive Concordia fuerit, ſive ignotum aliud oppidulum. Ad 6. dico Rufinum obiiſſe anno 411. & judicium Carthaginenſe habitum an. 412. verno tempore: unde fieri potuit, ut nondum nuncium obitus Rufini pervenerit ad Africanos. Ad ultimum: teſtatur Mercator Rufinum, ut erat argutus, ſe quidem ab hæreſis invidia ſolerter muniiſſe: unde Paulinus Diaconus illum tamquam hæreticum non excepit; imo nec in damnatione Origenis facta anno 401. ab Anaſtaſio expreſſe Rufinus nominatus eſt. Quare Pontifici gratias egit, quod calumniantibus ſe non accommodaſſet auditum, & propriæ exiſtimationi, quam ſibi apud plurimos comparaverat, inſigni ſimulatione conſuluit. Ea propter falſum eſt Aquilejenſem ab omnibus habitum tamquam hæreticum: neque enim S. Paulinus cum homine anathemate damnato tam arctam coluiſſet neceſſitudinem. Sed & Paulinus Diaconus, ubi Cæleſtius Rufinum Presbyterum laudavit, reſpondit duntaxat, *Eſt ne alius?* Quæ verba commonſtrant inſtitutum ſermonem de Rufino omnibus noto: quem jure Paulinus nec reprehendit ob nominis celebritatem, nec pluris fecit ob Cæleſtii conſuetudinem.

Opp. ultimo cum Veronenſibus Theologis. Valerent hæc aliquid, ſi aliunde exploratum eſſet, Rufinum Aquilejenſem fuiſſe Magiſtrum Cæleſtii. At obſtat teſtimonium Mercatoris, qui ait hæreſim ſub Anaſtaſio *invectam*, non *inveluiſſe*. Argumentum vero adverſus Rufinum Italum nullum eſt præter ſimilitudinem nominis. Ac in primis damnari non debet, quod græca Origenis volumina latine reddiderit, niſi convincatur errores ibi contentos propugnaſſe. Deinde ex Apologia & expoſitione Symboli ſatis exploratum eſt, quantum ab erroribus Origenianis diſtaret. Inſuper S. Hieronymus illum vocavit Præcurſorem Pelagii, quod non tam Origenis interpretem, quam defenſorem exiſtimaret. Poſtremo non apparet Rufinum fuiſſe aliquando hæreſis convictum aut damnatum.

Reſpondetur compertum quidem eſſe Magiſtrum Pelagii eſſe Rufinum Aquilejenſem, non ex nominis ſimilitudine; fatemur enim alios fuiſſe Rufinos, diſcipulum nempe Hieronymi, & alium quoque Romanum; ſed Aquilejenſis ille eſt, qui ἀναμαρτησίας opinionem evulgavit, qui liberum arbitrium extulit, qui interpretando Origeniana, omnia emollire ſtuduit, præter Pelagianiſmum, & hunc ubi non erat intruſit. Ita enim demonſtrat Huetius tam evidenti argumento, ut ſatis appareat æquitas Hieronymi, & mala Rufini fides. De Commonitorio Mercatoris dictum ſatis. Rufinus inimicam fidei quæſtionem invexit ſub Anaſtaſio jugulatam. Nam & Origenis translationem exornavit ſedente Siricio, & tamen ſcribit Hieronymus ad Virginem Demetriadem fidem Romæ Origenianis erroribus labefactatam ſub Anaſtaſio. Nec damnatur Rufinus, quia Origenis volumina latinitate donavit, hoc enim fecit & ipſe Hieronymus; ſed quia more ſuo quæ Pelagiana erant non caſtigavit, ſed auxit, iiſque imbuit Cæleſtium. Ita non fuit tantum interpres Origenis, ſed & defenſor. Seſe ab omni invidia Apologiis & Epiſtolis præmuniſſe, innuit non obſcure Mercator. Non damnatum expreſſe, & forte etiam proſcripto per Anaſtaſium Origene reſipuiſſe, ultro ac lubenter concedimus.

PROPOSITIO III. Theodorus Mopſueſtenus eſt alter Prodromus Pelagianorum.

I. Probatur ex Mario Mercatore, qui in libro Subnotationum de Hæreſi Cæleſtiana ſcribit, jamdudum motam apud nonnullos Syrorum, *& præcipue in Cilicia a Theodoro quendam Epiſcopo oppidi Mopſueſteni*. II. Quia ut conſtat ex eodem Mario Mercatore, & Photio in Biblioth. Cod. 177. non ſolum negavit filium Dei veniſſe ad tollendum Originale peccatum, ſed etiam de hoc argumento adverſus S. P. Auguſtinum quinque libros conſcripſit, negando Adam per tranſgreſſionem mortalem factum. III. Quia Domini comminationem factam Adæ *Morte morieris* ita exponit, ut poſt lapſum fraudatus deliciis ærumnoſiſſima converſatione mulctatus ſit, ſed non ob aliam cauſſam morti fuerit obnoxius, niſi quia ex terra fuerat compactus: quod molitus eſt demonſtrare ex cap. 3. Gen. v. 19. iiſdem plane argumentis, quibus poſtmodum uſus eſt Fauſtus Socinus; quemadmodum poteſt percipere quiſquis contulerit fragmenta Theodori edita a Noriſio cap. 9. Hiſt. Pel. cum cavillis Socinianis a me refutatis lib. XII. cap. 13. Poſtremo quia in I. Act. Concilii Chalced. Ibæ Theodori diſcipulo, hæc pluſquam Pelagiana Mopſueſteni ſententia fuit objecta: *Non invideo Chriſto, quod factus eſt Deus: quoniam & ego, ſi volo, poſſum fieri ſecundum illum*. De Theodori expunctione e ſacris Diptychis legendus Noriſius cap. 5. diſſert. de Synodo V.

CAPUT II.

De Pelagio, ejuſque geſtis, erroribus, variiſque ſtatibus hæreſeos, quæ ab eo dicta eſt Pelagiana.

QUANTUM ad Pelagii perſonam attinet, me paucis expediam: inquiri enim poteſt de ipſius Patria, profeſſione, moribus, ſcriptis, atque erroribus.

DE PATRIA PELAGII.

Pelagius fuit patria Britannus, ſive fuerit Scotus, ſive Hybernus, vel Anglus. Etenim S. P. Auguſtinus Ep. ad Paulinum 106. ait: *Pelagius, quem credimus, ut ab illo diſtinguatur, qui Pelagius Tarenti dicitur, Britonem fuiſſe cognominatum*. Proſper in Carmine de ingratis:

Dogma, quod antiqui ſatiatum felle Draconis
Peſtifero vomuit coluber ſermone Britannus.

Beda libro I. Hiſt. Anglorum: *Ab anno incarnationis 394. temporibus Arcadii & Honorii Imp. Pelagius Brito contra auxilium gratiæ venenum ſuæ perfidiæ longe lateque diſperſit*. Idem docet Hieronymus in Epiſt. ad Cteſiphontem, & in Apologetico Paulus Oroſius. Eſt aliqua nec levis ſuſpicio fuiſſe Scotum, quia S. Hieronym. in Præf. ad lib. 3. Comment. Hierem. ait de Pelagio: *Habet progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia*: & ad lib. alterum, *Scotorum pultibus prægravatum* appellat. Garnerius tamen diſſert. 1. cap. 4. rem incertam arbitratur. Noriſius vero cap. 3. id etiam improbat; quoniam auctore Beda cap. 12. memoratæ Hiſtoriæ, Scoti *ſunt gentes a parte Britonum remotæ*; ac Pelagium Britonem omnes appellitant. Fallitur Lambertus Danæus Genevenſis, qui ortum aſſerit in maritima Galliæ regione, quam vocant tractum Armoricanum; nam vivente Pelagio nondum Britannia ea Galliarum pars vocabatur; Britanni autem dicti ſunt, qui partes auſtrales a Gallia Celtica diſſitas incolebant.

DE PELAGII INSTITUTO.

Pelagius fuit profeſſione Monachus. Conſtat ex Commonitorio Mercatoris præc. cap. prop. 1. ex D. Auguſt. lib. de hæreſibus cap. 88. & de Geſtis Pelagii cap. 35. Obiter notandum eſt. I. Nullis Eccleſiaſticis muneribus Pelagium fuiſſe condecoratum, quoniam a Zoſimo Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Afros dicitur Laicus: ideoque errant Balæus & Prateolus, qui putant fuiſſe Epiſcopum, aut Abbatem ampliſſimi cœnobii Bannochorenſis. II. Facile ego ſubſcripſerim Garnerio, non fuiſſe Pelagium Cœnobitam, nec Eremi culturem, ſed ex illo genere Monachorum, qui veſte ad pietatem compoſita domi vivebant, & diſciplinis ſedulam navabant operam, quales fuerunt Pammachius & Paulinus. Quamquam enim Auguſtinus aliquando Pelagium ſanctum, bonum, ac prædicandum virum appellat; Oroſius cap. 27. Apologetici aſſerit enutritum epulis, balneis & conviviis deditum, ut pinguedinem etiam in fronte prætulerit. Quod Hieronymus in primo adverſus Pelagianos dialogo ſatis lepide carpit ita illorum ſigniferum compellans: *Catoniana nobis inflaris ſuperbia, & Milonis humeris intumeſcis*. Atque his accedit, S. P. Auguſtinum memorato cap. 35. de Geſtis Pelagii num. 16. ſcribere, quod Pelagiana hæreſis fuerit invecta *a quibuſdam veluti Monachis*; ab his ſcilicet, qui Monachorum inſtar pallio incedebant, quoſque Græci Philoſophos appellarunt. III. Decipitur Voſſius, qui lib. 1. H. Pelag. cap. 3. ait Pelagii lapſum deploratum a Jo. Chryſoſtomo in Epiſtola ad Olympiadem ſcripta an. 405. ex oppido Armeniæ Arabiſſo. Hoc enim tempore Pelagius adhuc ſanctimoniæ laude commendabatur; imo cum Cæleſtius an. 412. in Epiſcopali Carthaginenſi conventu excommunicationem promeruiſſet, nondum Auguſtinus ſcripſerat de peccatorum meritis: in cujus operis lib. 3. cap. 1. ait, exiſtimari Pelagium Sanctum, & non parvo profectu Chriſtianum. Si ergo Pelagius adhuc erat anno 412. ſanctimoniæ ac religionis fama percelebris: quomodo Chryſoſtomus an. 405. poterat in remotiſſima regione exulans caſum hominis deplorare? De alio itaque Monacho Pelagii nomine nuncupato loquitur S. Chryſoſtomus. E contra Epiſtola Iſidori Peluſiotæ 314. qua vocitat Pelagium *liguritorem*, *cupadioſum*, *& obſoniorum condimentis maxime addictum*, de Pelagio Britone videtur intelligenda; etſi neque Voſſius, neque Petavius id facile concedere videantur. Vixit enim Iſidorus poſt annum 431. ac celebratam Synodum Epheſinam, quam commemorat Ep. 410. lib. 3. Neque aliud Pelagio tribuit, quam illam vivendi rationem ſuperius ab Oroſio damnatam in cap. 27. Apologiæ. Iſidorus vero & Oroſius eadem floruerunt ætate; atque eadem ab his de uno Pelagio narrari haud videtur inveriſimile.

DE

DE SCRIPTIS, GESTISQUE PELAGII.

Pelagius ergo fertur veniſſe Romam circa annum 384. & ex urbe diſceſſiſſe circa 408. vel inſequentem. Cum adhuc Romæ conſideret edidit tres libros de Trinitate, quorum meminerunt in Catal. de Scriptoribus Eccleſiaſticis Honorius Auguſtodunenſis, & Gennadius. Videtur in his libris circa proceſſionem Spiritus Sancti a ſolo Patre conſentire Theodoro Mopſueſteno. Dicuntur editi ante adventum Ruſſini in urbem, ideoque nondum exacto anno 396. Ibidem ſcripſit commentarios in Epiſtolas Pauli diſtributos in libros 13. Voſſius quatuordecim numerat. In his tollit prorſus Originale peccatum, aſſeritque Adæ lapſum tranſire in poſteros dumtaxat imitatione. Dedit & Epiſtolas ad Paulinum, & ad Conſtantium Epiſcopos: illam anno 405. ut conſtat ex cap. 35. libri Auguſtini de Gratia Chriſti, in eaque videtur Dei gratiam conſtituere in ſola poſſibilitate & facultate naturæ: alteram anno ineunte 408. memoratam ab Auguſtino proximo capite laudati libri; in eaque gratiam aliquam præter liberum arbitrium commemorat: quare hujus Epiſtolæ præſidio errorem ſuum excuſare nitebatur.

Cum primum Pelagius una cum Cæleſtio in Siciliam pervenit, aut fortaſſis paullo antequam ejiceretur ab Urbe, ideſt, anno 408. vel ineunte 409. ſcripſit librum Conſolatorium, & Hortatorium alterum ad Viduam. Hanc Garnerius ſuſpicatur eſſe Julianam matrem Demetriadis, aut Albinam Socrum Piniani. Poſtquam vero aliquandiu cum ſuo Achate Cæleſtio conſtitit Siracuſis, anno 411. ſe contulerunt in Africam, appuleruntque Hipponem Epiſcopalem Auguſtini ſedem, & inde Carthaginem. In hac urbe Cæleſtius judicio poſtulatus, cum liberius negaret dari originale peccatum, Synodali congreſſu damnatus eſt, anno 412. Videndus in libro de Peccato Originali S. P. Auguſtinus. Cæleſtius anathemate percuſſus in Aſiam tranſmiſit.

Interea Pelagius in Palæſtinam ſe recepit, aſcivitque ſibi plures diſcipulos, fretuſque patrocinio Joannis Jeroſolymitani latius errores ſpargere cœpit. Atque circa hæc tempora, anno ſcilicet 413. Hieronymus adverſus Pelagianos ſtylum movit, incitatus a Cteſiphonte. Scripſit Pelagius eodem anno Epiſtolam ad Auguſtinum, & aliam ad Demetriadem, illam calliditatis, hanc erroris pleniſſimam. Edidit proximo anno librum de Natura, qui opera Timaſii & Jacobi ad Epiſcopos Afros pervenit, & ab his miſſus ad Innocentium graviſſima cenſura proſcriptus eſt. Sequenti anno 415. hunc librum S. P. Auguſtinus compreſſit altero, qui inſcribitur *De natura & gratia*. Eodem anno 415. Heros S. Martini diſcipulus, & Lazarus Aquenſis Epiſcopus Pelagium hæreſeos accuſarunt. Habita propterea eſt Synodus XIV. Epiſcoporum, quorum nomina ſunt in primo Auguſtini contra Julianum libro, Dioſpoli in Palæſtina. Verum Pelagius abſentibus Accuſatoribus, & nonnulla accuſationis capita damnans, ad alia callide ac verſute reſpondens, fuit ab omni erroris ſuſpicione abſolutus, atque per Epiſtolam abſolutionis ſuæ certiorem reddidit Auguſtinum. Hæc Pelagii Epiſtola in Appendice Phereponi pag. 268. errore typographi ſcripta dicitur anno 412. Sed manifeſtum eſt datam hoc anno 415. Hanc Synodum non aliam ob cauſſam appellavit Hieronymus *miſerabilem*, in Epiſt. 79. nunc 147. niſi quia Patribus Pelagius illuſit.

Anno 416. Epiſcopi Africani acceptis per Oroſium literis Herotis, & Lazari, auditoque infelici exitu Synodi Dioſpolitanæ, duo contra Pelagianos Concilia celebrarunt, unum Carthagine, alterum Milevi in Numidia; datiſque ad Innocentium Epiſtolis, Romanus Pontifex in Cæleſtium, & Julianum ſententiam dixit.

Defuncto anno 417. Innocentio, ejus ſucceſſor Zoſimus deceptus principio literis, & Profeſſione fidei, quam Romam miſit Pelagius, acerrime reprehendit Epiſcopos Africanos, quod crediderint Heroti & Lazaro, & Cæleſtium Pelagiumque damnaverint. At reſcriptis Africanorum admonitus, & hæreticorum fraude detecta, ipſe Zoſimus anno ſequenti 418. utrumque proſcripſit; necnon operam dedit, ut plenario Carthaginenſi Concilio 214. Epiſcoporum, univerſus Orbis Pelagianam hæreſim condemnaret.

Prætermittendus non eſt liber Εὐλογιῶν, *beneſtorum ſermonum*, ſive Teſtimoniorum, quem Pelagius ad exemplum Cypriani conſcripſit. Nam ea hoc libro, ut Garnerius demonſtrat, & etiam liquet ex Dialogis D. Hieronymi, maxime ſcatent dogmata omnia Pelagiana. Quo præciſe anno Pelagius hunc librum ediderit, me fugit. Conſtat conſcriptum ante annum 415. nam hoc anno Dialogi Hieronymi prodierunt. Plura ex hoc libro Pelagii perſtringuntur etiam ab Auguſtino de Geſtis Palæſtinis cap. 3. 4. 5. & 6. Scripſit etiam Pelagius libros quatuor de libero arbitrio ante annum 418. quos non ſemel commemorat S. Pater in libro de Gratia Chriſti, quem editum conſtat hoc ipſo anno.

DE ERRORIBUS PELAGII.

Solent recenſeri ex Auguſtini ad Paulinum Epiſtola 106. nunc 186. errata duodecim, quæ in Synodo Palæſtina ipſe hæreticus anathematizavit, ut eo loco, & in 2. contra Julianum cap. 5. ait S. Pater. Sunt autem alia octo, quæ in libris Auguſtini deprehenduntur ac refutantur, quorum aliqua in memorata Synodo auſus eſt, ut potuit, tergiverſatione defendere, aliqua poſtmodum ore peſtifero evomuit. Ergo errores Pelagiani ad viceſimum numerum pervenerunt. Sunt autem priores illi duodecim his verbis ab Auguſtino memorata Epiſtola recenſiti: *Objectum eſt enim dicere 1. quia Adam ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet. 2. Et quod peccatum ejus ipſum ſolum læſerit, non genus humanum. 3. Et quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem. 4. Et quod neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat. 5. Et infantes etiamſi non baptizentur habere vitam æternam. 6. Et divites baptizatos niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos poſſe habere Regnum Dei. 7. Et gratiam Dei atque adjutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina. 8. Et Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari. 9. Et filios Dei non poſſe vocari, niſi omnino abſque peccato fuerint effecti. 10. Et non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet unuſquiſque facere aliquid vel non facere. 11. Et victoriam noſtram non ex Dei adjutorio eſſe, ſed ex libero arbitrio. 12. Et quod pœnitentibus venia non detur ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum meritum, & laborem, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.* Hæc Auguſtinus, qui illico duodecim articulos ponit hiſce diametro oppoſitos Catholica fide tenendos. Hos in Canones redegit Creſconius, cujus collectio extat in Appendice Tom. 1. Bibliothecæ Juris Canonici.

Octo reliqui errores Pelagiani ſunt 1. *Poſſe hominem, ſi velit, carere omni peccato.* Hanc impeccantiam, ut diximus, didicerat a Ruſino, Rufinus ex Origene. Quid ſibi voluerit Pelagius explicat Auguſtinus de Grat. Chriſti cap. 4. & de Geſtis Pelagii cap. 13. Tria enim diſtinguebat Pelagius, poſſe, velle, & eſſe; quorum unum ſtatuebat in natura, alterum in arbitrio, poſtremum in effectu. Itaque contendebat nos habere per liberum arbitrium tantam non peccandi poſſibilitatem, ut ſine gratia omnia Dei præcepta poſſimus implere. 2. Docuit conſequenter *non opus eſſe Deum rogare, ne nos inferat in tentationem, nobiſque peccata dimittat*, cum in noſtra ſit libertate poſſe ſine gratia vitare & abſtergere omnem labem peccati, ita tradunt in Epiſtola ad Innocentium PP. Milevitani. 3. Quod inde conſequitur, *negabat neceſſitatem orationum, quas pro infidelibus fundit Eccleſia, ut convertantur ad Deum.* Ita S. P. libro de Hæreſ. cap. 88. 4. Volebat *Eccleſiam in hac quoque vita eſſe ſine ruga & ſine macula*; ut S. P. Auguſtinus ſcribit de Geſtis Pelagii cap. 35. 5. Aſſerebat *tam a veteri lege, quam ab Evangelio ſanctiſſimos viros prodiiſſe*, eo fine, ut legem ejuſque notitiam extolleret, quaſi in hoc ſita eſſet Chriſti gratia. 6. Ob eamdem rationem *novum teſtamentum pari veteri prædicavit*. 7. Oſtentans affectionem ac jactantiam perfectionis *aſſeruit peccatum eſſe jurare etiam in veritate*. 8. Poſtremo etiam labe Neſtoriana infectus fuit, affirmans *ſolitarium hominem de virgine natum, & eruditorem potius humani generis, quam Redemptorem*, eo quod hominibus nihil aliud præſtiterit quam religioſæ converſationis exemplum. Vide Caſſianum lib. 6. de Incarnat. cap. 14. Hinc Pelagiani in Epheſina Synodo celebrata anno 431. una cum Neſtorianis fuere damnati.

Si quæras cur Pelagius negaverit Originale peccatum; Reſpondeo illud negaſſe primum ne confitendo liberum arbitrium ob Adæ prævaricationem ſauciatum, cogeretur gratiam Salvatoris admittere. Deinde ut occurreret præcipuæ argumentationi Sanctorum Patrum; qui ea cauſſa parvulorum, quorum unus adſumitur, alter relinquitur, antequam aliquid fecerint boni vel mali, demonſtrabant gratiam non dari ſecundum merita noſtra. Legite Auguſtinum in libro de dono Perſev. cap. 12. Cenſuit nihilominus Pelagius parvulos baptizandos, ut hæredes fierent Regni cælorum, coacti Evangelica ſententia Joan. 3. *Niſi quis renatus, &c.* at non baptizatis, utpote inſontibus, felicitatem quamdam, & vitam æternam pollicitus eſt: quod commentum a nobis libro præcedenti fuit exploſum.

DE GRATIA, QUAM PELAGIUS INTERDUM AGNOVIT.

Quoniam vero Pelagius aliquando gratiam Dei neceſſariam confeſſus eſt; oportet animadvertamus, quidnam gratiæ nomine intellexerit tortuoſus callidusque tergiverſator. Comperimus ergo plura admiſiſſe gratiarum genera. Eſt primum *natura ipſa, & inſitum voluntatis arbitrium.* Secundum gratiæ genus eſt *peccatorum remiſſio*: de qua Auguſtinus in 3. contra Julianum cap. 23. ait: *Putatis gratiam Dei ſic in ſola peccatorum remiſſione verſari, ut non adjuvet ad vitanda peccata, & deſideria vincenda carnalia, diffundendo caritatem in cordibus noſtris.* Tertium gratiæ genus illud eſt, quod adeſt, & opitulatur extrinſecus, nimirum *lex, prædicatio Evangelii, & Chriſti exemplum* ad imitationem propoſitum. Ita Auguſtinus in lib. de Gratia Chriſti cap. 33. & 41. Quartum gratiæ genus eſt *mentis illu-*

mi-

minatio, qua Deus cordis oculos aperit, ſed nullam efficit in voluntate motionem. Hanc gratiam admiſiſſe Pelagium liquet ex eodem libro Auguſtini ſeptimo capite. Quintum genus eſt *dignitas regenerationis, & adoptionis*, quæ per baptiſmum tribuitur. Aſſerebat namque Pelagius parvulos in baptiſmo nullius utique peccati conſequi remiſſionem, ſed adoptari tamen in filios Dei, regnique cæleſtis fieri participes. Legatur in carmine de Ingratis S. Proſper, ab eo verſu, *Tam dives vero hoc donum baptiſmatis eſſe*, &c. Ultimum denique gratiæ genus a Pelagianis admiſſum eſt *vita æterna*; quam Pelagium aliam a regno cælorum exiſtimaſſe ſemel iterumque monui.

DE STATIBUS HÆRESIS PELAGIANÆ.

Status denique Pelagianæ hæreſis tres a nobis ſtatuuntur. Quorum primus eſt, in quo Pelagius nullum prorſus interioris gratiæ adjutorium agnovit, affirmans ad bene operandum ſufficere liberum voluntatis arbitrium, præſuppoſita cognitione præceptorum, ſive per lumen naturæ, ſive per exteriorem legem atque doctrinam. Alter ſtatus eſt, in quo correptus aliquando a fratribus interiorem aliquam gratiam admiſit, ſed eam voluit dari *ad facilius*, non ad *ſimpliciter* operandum, ut Auguſtinus ait in libro de Gratia Chriſti cap. 40. In tertio ſui erroris ſtatu Pelagius etiam internam aliquam gratiam ſimpliciter neceſſariam confeſſus eſt, nempe internas ſupernaturales revelationes, ſe tenentes ex parte intellectus, ſed non inſpirationem dilectionis & gratiam voluntatis & operis: ſive admiſit Pelagius gratiam, qua ignorantia pellitur, non qua caritas inſpiratur. Quartum ſtatum hæreſis Pelagianæ, in quo hæretici admiſerint etiam gratiam operationis & voluntatis, ſed talem, quæ conſiſtat cum indifferentia liberi arbitrii, tamquam commentum Janſenianum rejicimus, affirmantes indifferentiam arbitrii non ad Pelagiana decreta ſpectare, ſed ad Catholica Dogmata. Verum de his ſtatibus hæreſis Pelagianæ proximo capite quinto.

CAPUT III.

De Cæleſtio & Juliano Pelagianis.

CÆLESTIUM, quem Baronius ad annum 410. Noriſius cap. 3. nec non Uſſerius & Janſenius Scotum ſcripſerunt, Joannis Garnerius mavult Romanum fuiſſe, aut Campanum. Mutum enim per Albinum Canem latrantem, de quo Hieronymus Præf. lib. 3. in Jeremiam, illi interpretantur Pelagium loquentem ore Cæleſtii; Garnerius vero Rufinum hæreſim docentem ore Pelagii. Sunt etiam qui mutum illum arbitrantur Joannem Jeroſolymitanum, cum Tillemontio. Nos priori ſententiæ ſubſcribimus, nam Joannes Jeroſolymitanus palam patrocinabatur Origeni, & Pelagium, quem Catholicum habebat, etiam coactis Synodis ſtuduit aliquando defendere. Rufinus vero jam anno 408. libros Invectivarum contra Hieronymum compleverat & limaverat. Præfationem autem in 3. librum Comment. Jerem. ante annum 414. ſcriptum non eſſe, tradit ipſe Garnerius. Mutum ergo latrantem per Canem Albinum, non Joannem Jeroſolymitanum, non Rufinum eſſe arbitramur, ſed Pelagium hæreſim diſſeminantem ore Cæleſtii. Is ergo erit *Albinus Canis*, ideſt Anglus, aut Scotus. Enimvero verſum Proſperi,

Aut hunc Campano gramine corda tument,

non de Cæleſtio, ut Garnerius putat; ſed de Juliano liquet eſſe conſcriptum. Quod ſcribit ergo Sebaſtianus Paulus in Epiſtola ad Valliſnerium, Baronium ac Noriſium deceptos depravato quodam loco Hieronymi, ideſt Præf. nuper commemorata, ubi *Albinum canem* legimus, non *Alpinum*; eſt ad evertendam clariſſimorum Purpuratorum ſententiam nimis futile. Nam hac etiam repudiata lectione, ac priori retenta, non efficitur Cæleſtium non eſſe Scotum, ſed magis id corroboratur. Albinus enim dicitur ab Albione. Sic olim dicta Britannia apud Stephanum, ab Albis rupibus, quas mare abluit. Scoti vero incolunt Britanniæ partem, quæ vergit ad Septentrionem. Itaque *Albinus* Britannus erit, aut Scotus; nec Noris deceptus eſt depravato Codice, quo etiam emendato illius ſententia magis firmatur.

Verum quidquid ſit de patria Cæleſtii, natus creditur circa annum 370. ſtuduiſſe Pelagio circa 400. induiſſe pallium anno 402. ſcripſiſſe adverſus peccati traducem anno 408. comitatum in Siciliam Pelagium an. 409. tranſmiſiſſe Carthaginem, ibique accuſatum a Paulino Diacono, & Synodali congreſſu damnatum anno 412. Fugit deinde Epheſum, ibique traditur Presbyteri honore condecoratus. Epheſo per tumultum ejectus exeunte anno 416. petiit Conſtantinopolim. Proximo anno hinc pulſus Romam conceſſit, ibique anno 418. damnatur a Zoſimo. Pellitur ea urbe decreto Conſtantii anno 421. quamquam opinio eſt apud potentes quaſdam fœminas latitaſſe. Ex quibus haud obſcure colligitur, hunc hominem in vulgando hæreſim audaciſſimum ac impudentiſſimum illum eſſe, ut dixi, quem cani, & Cerbero Hieronymus comparavit. Hinc Pelagiana hæreſis Cæleſtiana dicta eſt, & Cæleſtius in Hieronymi ad Cteſiphontem Epiſtola *Ductor exercitus*.

Fuiſſe Cæleſtium profeſſione Monachum, atque ex Monaſterio tres Epiſtolas pietatis atque eruditionis plenas ſcripſiſſe ad parentes ſuos, demonſtrat Noriſius cap. 3. H. Pelag. teſtimonio Gennadii. Garnerius, ut Pelagium, ita Cæleſtium facit de illo Monachorum genere, qui palliati incedebant habitu ad exemplum compoſito, ſed errones, ſuique juris. Auguſtino, qui Auctores hæreſis Pelagianæ appellat *veluti Monachos* cap. 35. de Geſtis Pelagii, accedit Timotheus Presbyter Conſtantinopolitanus, qui ait: *Pelagius & Cæleſtius, quemadmodum ajunt, nec Epiſcopi, nec Clerici, nec omnino ex ordine ſacro fuerunt, & veluti Monachi vagabantur*. Vide Append. Tom. x. Op. Auguſtini pag. 66. PP. S. Mauri. At Cæleſtium poſt damnationem ſuam factum in Aſia presbyterum, liquet ea Epiſtolis Zoſimi ad Africanos. Dicitur Cæleſtius ab Auguſtino lib. 2. ad Bonifacium cap. 3. *acerrimi ingenii homo*, ſed a Hieronymo in Epiſtola ad Cteſiphontem *imperitus ſermone, & per ſolæciſmorum ſpineta decurrens*: atque hæc de Cæleſtio.

Julianum Cardinalis Noriſius H. P. cap. 18. Eclani natum ſuſpicatur, cujus Urbis fuiſſe Epiſcopum Eruditi omnes conſentiunt. Idem de Patria opinantur Pagius ad annum 419. & alii. Baronius ſcribit natum Atellæ: huic, poſt memoratum virum Cl. Sebaſtianum Paulum, Presbyteri Ballarinii cenſent ſubſcribendum. Horum argumentum eſt, quod S. Pater Auguſtinus in VI. Operis Imperfecti n. 18. ſcribat Julianum genitum in Apulia; Proſper autem in Chronico illum appellitat Atellanenſem. Fugit vero, inquiunt, Noriſium præter Atellam, quæ ſita erat prope Averſam, aliam fuiſſe Atellam in Apulia. Valeret nonnihil hoc argumentum, ſi conſtaret Chronicon Proſperi non eſſe corruptum. At Chronicon Proſperi in vetuſtiſſimis Codicibus habet Eclanenſem, non Atellanenſem, ut conſtat ea notis Ducæi, & Roſweydi ad carmen 14. Paulini. Habent Eclanenſem etiam Editiones Scaligeri, & Arnoldi Pontaci, omneſque aliæ melioris notæ. Itaque Chronico Proſperi confirmatur ſententia Noriſii; cui inquirendum non erat an eſſet alia Atella, cum mendum in Chronico Proſperi deprehendiſſet. Nec eſt cur Ballarinii obtrudant Codicem Proſperi Culbertinum, quem vidit Pagius ad an. 419. n. 8. & Auguſtanum editum a Caniſio; ſiquidem Pagius eodem loco aſſerit Colbertinum Codicem eſſe depravatum, & in eadem Bibliotheca n. 1286. extare alium, qui habet Æclanenſem, non Atellenſem. Editum a Caniſio non in uno loco corruptum & interpolatum demonſtrant notæ ei ſuperadditæ Tom. 21. Antiquitatum Romanarum. Scaliger autem & Pontacus majorem ea in parte, inquit Voſſius lib. 1. H. P. cap. 6. cum excuſorum, tum Mſs. codd. ſecuti ſunt fidem. Confirmant ſententiam Noriſii notiſſimæ conjecturæ, uxor, & nuptiæ Juliani, de quibus infra; tum quod Beda & Gelaſius appellant Julianum Celanenſem, Petrus Diaconus Edanenſem, alii Eraclenſem; quæ facile errore Amanuenſium potuerunt ea priori nomine *Eclanenſem* derivare. Addimus ex Atella non Atellanenſem venire, ſed Atellanum. Neque obſtat, quod ſcribit Auguſtinus, Julianum genitum in Apulia, nam Eclanum in Apulia Peucetia conſtituunt, auctore Voſſio, omnes Geographi. Pertinet tamen Eclanum ea diviſione Adriani ad Campaniam: unde a Proſpero, & Gennadio, ſi hujus meliores Codices videantur, Julianus Campanus dicitur, non, ut alicubi legitur, Capuanus. Hieronymus Vignier Præf. in 2. p. ſupplementi cenſet Julianum natum Celiæ in Apulia, quod Beda Præf. in Cantica, & Gelaſius in cap. 5. *Romana*, eum ſcripſerunt *Celanenſem*, quaſi *Celianenſem*. Verum addit e veſtigio: *Si tamen Eclanenſem aliqui dictum velint, funem contentioſum non ducam*.

Aſſeruit eodem loco Noriſius Iam Juliani uxorem fuiſſe filiam Æmilii viri Conſularis, & Epiſcopi Beneventani, idque colligi ex Epithalamio Paulini. Id quoque falſum videtur Ballariniis; dubitantque Benedictini Patres: hiſque argumentis ducuntur. Paulinus Julianum & Iam vocat Memoris domum, nunquam vero Iam Æmilii filiam, cum tamen de Æmilio non pauca diſſerat. Nominat quoque Paulinus Iam nurum Sacerdotis, filiam nequaquam: & Julianum, Iamque Sacerdotis pignora dicit, non Sacerdotum. Addit mulierem dici factam per nuptias filiam Domus ac Gentis Apoſtolicæ. Præterea laudant Cl. Ludovicum Muratori, qui Tom. 1. Anecdotorum diſſert. 8. ex quibuſdam Paulini verſibus conjicit Æmilium eſſe Memoris fratrem, minorem quidem natu, ſed Epiſcopatu ſeniorem.

Hæc non tanti ponderis ſunt, ut me a Noriſii, Vignerii, Pagii, Garneriique ſenſu divellant, quin prædictis quoque objectis moveor, ut Iam credam Æmilii filiam. Cum enim Paulinus hanc nobiliſſimam clariſſimamque fœminam appellet, non prætermiſiſſet illius parentem commemorare, ſi alius is eſſet ab Æmilio. Hæc autem conjectura, ſi addantur verba Fulgentii, quæ ex inedito Mſ. profert Vignier, *Nec illi* (ideſt Juliano) *ſufficiebat paternæ nobilitati Æmiliorum faſces admoviſſe, quos hæreſi degenere turpiter maculavit*, jam argumentum fecit plane certum. Non appellat quidem expreſſis vocabulis Paulinus Iam domum Æmilii, ſed hujus filiam fuiſſe nihiloſecius demonſtrat, nam mulierem illam non ſolum vocat *Sacerdotis nurum*, ſed etiam Sacerdotis *pignus*, non minus ac Julianum.

Spo-

Sancta Sacerdotis veneranda pignora pacto
Junguntur.

Et infra:

Nunc igitur priſca quoniam ſub imagine ſanctum
Fœdus Aroneis pignoribus geritur:

Quod enim, inquiunt, *Sacerdotis*, non *Sacerdotum* ſcripſiſſe Paulinum, nihil prorſus in contrarium evincit. Enimvero ut *Sacerdotis* eſt minoris numeri nomen, ita *pignora* dicuntur plurali. Igitur & Julianus, & Ia *pignora* ſunt, ideſt, filii geniti a Sacerdote; & non quidem ab uno eodemque, cum non ſiant conjuges eodem parente prognati. Cum ergo Ia ſit ſanctum pignus Sacerdotis, pignuſque Aroneum, clariſſimiſque orta natalibus, cujuſnam, niſi Aemilii, filiam exiſtimabimus? Ait etiam Paulinus de Memorio atque Aemilio:

Inſula Pontifices divino jungit honore,
Humano pietas jungit amore pares.

Itaque io utriſque erant iidem tituli amoris, & conſuetudinis, etiam humanæ. Quod Noriſius ut explicaret magis, appoſite commutavit, *jungit amore patres*. De qua mutatione, cum ſe illius profiteatur Auctorem, eaque ambiguum ſenſum complanaverit, non redarguendus eſt, ſed laudandus; nam & Paulinus paullo poſt, vocat Aemilium patrem ob Sacerdotii honorem Memorii, & ob neceſſitudinem, ac mulieris originem patrem nuptorum,

Communem ſibi, pignoribuſque patrem.

Ia per nuptias facta dicitur filia gentis Apoſtolicæ, quoniam & Epiſcopi ourus facta eſt, & uxor Lectoris: quamquam num per nuptias, num vero oativitatis origine ad Apoſtolicam domum pertineat Ia, Paulini carmina non declarant. Ludovici Muratori conjecturæ, præter viri hujus præclariſſimi auctoritatem, qoæ mihi aliorum multorum comparatione eſt maxima, magni roboris non videntur. Aemilium Beneventanum Antiſtitem, ac patrem Iæ miſſum fuiſſe in cauſſa Chryſoſtomi Apoſtolicæ Sedis Vicarium ſcite obſervavit Noriſius. Ergo dum Paulinus ait,

Surge Memor, venerare Patrem, complectere fratrem,
Poſterius natus ſenior quia ſede Sacerdos,
Geſtat Apoſtolicam pectore canitiem,

innoit duntaxat utriuſque fuiſſe Epiſcopum, & Aemilium quidem jooiorem ætate, fratremque charactere, digniorem tamen Memore Eccleſiaſticorum munerum auctoritate. Id vero ex ipſomet Epithalamio poſſumus conjicere. Narrat enim Paulinus de Aemilio tam ſingularia ac præclara, ut dubitari non poſſit fuiſſe illius nomen honeſtiſſimum, ac celeberrimum. Legatur ab eo verſu:

Sed quis odor nares allabitur æthere manans.

At Aemilium alium a Beneventano Antiſtite *virum ſuperi luminis, divitem numeroſo munere Chriſti*, non exhibent monumenta hiſtoriæ, nec Eccleſiaſticæ tabulæ illius temporis. Nec vulgare eſt dignitatis Aemilii teſtimonium, quod ei Memorius tradiderit ſponſos ſanctificandos ac benedicendos, idque poſtulaſſe, ut Paolinus ait, *rectum ordinem*. Quamobrem adhus in ſententia Noriſii perſiſtere directum & æquum eſt.

Ut ad Julianum revertatur oratio, fuit is olim Auguſtino cariſſimus cum ob Patris memoriam, tum ob egregiam, quam præſeferebat indolem, maxime vero propter eloquentiam ſermonis, ac perpolitam dicendi rationem. Soluto matrimonii vinculo, (aut communi cum uxore conſenſu, aut hujus morte id contigerit,) ætate florentem Innocentius Papa ad Epiſcopatum Eclanenſem promovit. Irruente fame omnia ſua bona io pauperes erogaſſe, auctor eſt in Catalogo virorum illuſtrium Gennadius. Ita factum eſt, ut virtutis ſpecie, & delectu orationis, plurium, etiam nobilium, ac religioſorum hominum animum in ſuam hæreſim illiceret. Negavit cum Pelagio originale peccatum, mortem tamen ex Adamo in poſteros derivare affirmavit, ut colligitur ex poſtremo Auguſtini libro ad Bonifacium cap. 4. Imo deterior factus in poſtremis ſcriptis aſſeruit, etiam non peccante Adam homines morituros, quamquam leniter ac tranquille, ut idem Auguſtinus ſcripſit in VI. Op. Imperf. oum. 27. Quod olim Theodorum Mopſueſtenum, poſtea Socinianos aſſeruiſſe, obſervatum eſt ſupra. Circa Chriſti gratiam videtur aliquo temperamento hæreſim Pelagianam moderatus, nempe, ut aliquam gratiam neceſſariam fateretur ad boni operis incrementum, nullamque ad initium, ſive præcedentem imperfecti boni cupiditatem. Hoc enim in 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 8. aperte Auguſtinus redarguit. Epiſcopatu expulſus ad Neſtorianos ſe contulit, apud quos quietam illum inveniſſe ſtationem ſcripſit ad hæreſiarcham Neſtorium S. Pontifex Cæleſtinus. Amiſſi Epiſcopatus cupidine tam vehementer exarſit, ut multimoda arte fallendi correctionis ſpeciem præſeferens non ſemel molitus ſit iterum in Eccleſiæ commuoionem irrepere. Verum obſtitit ejus conatibus S. Leo tunc Diaconus, poſtea Romanæ & Univerſalis Eccleſiæ Pontifex Maximus. Scripſit Julianus adverſus primum Auguſtini librum de Nuptiis libros quatuor, quos S. Pater rogatus a Valerio Comite alteru libro de Nuptiis cum nonnulla inde decerpta accepiſſet, ſtuduit refutare. Poſtea perlectis etiam libris ipſis Juliani, hos egregio opere confutavit in libros ſex diſtributo: Cum ergo Auguſtinus primum librum de Nuptiis ſcripſerit vertente anno 419. ſecundum vero 420. & Reſponſiones ad Julianum 421. quatuor Juliani libros editos novimus circa finem prædicti anni 419. & circa initia ſequentis. Deinde octo alios libros Julianus adverſus Auguſtinum elucubravit: quibus & Auguſtinus oppoſuit Opus Imperfectum, cujus ſex libri extant, duo deſiderantur. Hos vero genuinum eſſe Auguſtini opus conſentiunt Critici omnes poſteri, & evincunt argumenta producta a Noriſio cap. I. Appendicis ad V. Synodum, ut mirum ſit id quoque in dubium vertiſſe io Epiſtola ad Valliſnerium memoratum Sebaſtianum Paulum. Sed animadverſionibus Noriſii, Lupi, Suareſii, PP. Sancti Mauri, aliorumque complurium, jam in alia hæc dobitatio ſatis caſtigata fuit, atque excuſſa. Juliani libros octo ſcriptos arbitramur ab anno 421. poſtqoam ſecundus liber de Nuptus illi delatus eſt, cum ſex priores libros Auguſtini non legerat. Serius ad Auguſtinum pervenerunt, eiſque refellendis anno mortis ſuæ 430. impendit extremam operam. Scripſit Juliaous & ad Zoſimum Papam Epiſtolam an. 418. item aliam ad Theſſalonicenſem Epiſcopum: vulgatiſque inſuper voluminibus de Bono Conſtantiæ, & de Amore, ſive Commentariis in Cantica Salomonis, quos caute legendos monet Beda, egit vitam profugam ac dejectam.

De reliquis Pelagianis, ut Anniano, Faſtidio, & ſi qui ſunt obſcurioris nominis alii, legito Garnerium diſſert. I. in Commonit. Mercatoris, & Noriſium H. P. cap. 19. Etenim nos de hæreſis primis Auctoribus ac Ductoribus inſtituimus, quod perfectum eſt, agere.

CAPUT IV.

Hæreſim Pelagianam Romanorum Pontificum, & Conciliorum auctoritate, necnon Patrum, maxime Auguſtini lucubrationibus fuiſſe proſcriptam, & profligatam.

SI ulla unquam hæreſis fuit, quæ omnium ferme indignationem ſubierit, crebriſque anathematiſmis & vellicationibus fuerit exagitata; ea profecto eſt Pelagiana. Vigintiquatuor enumerantur Concilia, quorum definitionibus damnata eſt. Fuit I. Carthaginenſe celebratum anno 412. Honorio IX. & Theodoſio V. Coſs. de quo Auguſtinus lib. de Geſtis Pelagii cap. 11. & de Peccato Originali cap. 2. & 3. Alterum Hieroſolymitanum habitum anno 415. Coſs. Honorio X. & Theodoſio VI. io quo Oroſius diſputavit cum Pelagio, ut idem ſcribit cap. Apologetici 3. Eodem anno coacta eſt Synodus Dioſpolitana ab Eulogio Cæſarienſi, & Pelagius abſolotionem ſuffuratus eſt, ot diximus 2. cap. Proximo anno 416. Coſs. Theodoſio VII. & Palladio celebrata eſt altera Synodus Carthaginenſis, necnon Milevitana a Silvano Primate Numidiæ: & rurſus habitus conventus Carthaginenſis quinque Epiſcoporum. Meminit horum Conciliorum S. P. Auguſtinus Epiſt. 175. Innoceotius in literis ad Afros Epiſcopos, & PP. Milevitani Epiſt. inter Aug. 176. Anno 417. Coſs. Honorio XI. & Conſtantio II. in Synodo Romana Pelagius a S. Innocentio I. damnatus eſt. Iiſdem Coſs. congregata eſt Conſtantinopolitana ab Attico adverſus Cæleſtium. Eodem anno Zoſimus ſucceſſor Innocentii omnem Pelagianorum fraudem detexit, & vertente an. 418. Coſs. Honorio XII. & Theod. VIII. AA. acceptis literis Africanorum, qui rurſus ut eliminarent ſerpentem hæreſim confluxerant Carthaginem, ibique aliam coegerant Synodum, Innocentii damnationem firmavit. Inter hæc tempora etiam a Theodoto coacta eſt Synodus Antiochena. Prædicto Conſulatu nondum exacto Africani acceptis Zoſimi Epiſtolis celebrarant Synodum collectam ex univerſis Africæ provincus, Epiſcoporum CCXIV. de qua cap. X. adverſus Collatorem S. Proſper. Commemorat Garnerius eodem anno 418. alteram Synodum, quæ dicitur ſecunda Africana, alteram item Carthaginenſem coactam ab Aurelio ex tota Africa, alteram quoque Romanam ſub Zoſimo. Decima ſexta eſt Synodus alia Carthaginenſis celebrata ab Aurelio, Coſs. Monaxio, & Flinta 3. Kalendas Julias, ideſt an. 419. Contra Julianum anno 422. Coſs. Mariniano, & Aſclepiodoto habita eſt Synodus Anaxabi Auctore Maximiano. Anno 424. Coſs. Victore & Caſtino aut ſequenti 425. Coſs. Theod. XI. & Valentiniano Cæſ. celebrata eſt ab Attico Conſtantinopolitana in cauſſa Epiſcoporum, qui ex Occidente fuerant expulſi. Damnata eſt iterum Romæ Pelagiana hæreſis a Cæleſtino Pontifice eodem anno 425. quo pariter habita eſt Synodus univerſalis Africana. Coegit etiam in Galliis adverſus Pelagianos Concilium Arelatenſe S. Honoratus Epiſcopus anno 427. Hierio, & Ardaburio Coſs., nec non celebrata eſt Anglicana contra Agricolam Pelagianum anno 429. Coſs. Florentio, & Dionyſio. Proſcripſit quoque Pelagianos in Synodo Romana celebrata anno 430. Coſs. Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Sanctus Pontifex Cæleſtinus. Poſtremo damnavit Pelagium, & Cæleſtium Oecumenica Synodus Epheſina Coſs. Baſſo, & Antiocho, ideſt, inſequenti anno 431. De Arauſicana, ceteriſque adverſus Semipelagianos alio in loco.

Extant adverſus Pelagianos etiam Conſtitutiones Imperatorum. Honorius & Theodoſius Pelagium, & Cæleſtium damnarunt, ac ſtatuerunt, ut execrandi dogmatis Capita

pele-

Digitized by Google

pelſerentur ab Urbe Roma decreto ad Palladium P. V. dato Ravennæ Coſſ. Hon. XII. & Theodoſ. VIII. ideſt anno 418. Sequenti anno Coſſ. Monaxio, & Plinta idem decretum innovatum eſt, ut conſtat ex Reſcripto eorumdem Imperatorum ad Aurelium Carthaginenſem datum in eadem Urbe Ravennæ v. idus Julias. Exturbavit Pelagianos Romæ adhuc latitantes Conſtantius Cæſar Coſſ. Agricola & Euſtatio, anno ſcilicet 421., miſſo ad Voluſianum P. V. edicto. Idem præſtitit promulgata in hæreticos lege Valentinianus Imperator datis Epiſtolis Aquilejæ VII. idus Julias Coſs. Theod. XI. & Valent. Cæſ. hoc eſt an. 425., ad Amatium Præf. Galliarum. His acceſſit Theodoſius Junior datis literis ad P. Orientis Aſclepiodotum anno 424., Coſſ. Caſtino, & Victore; & ad Florentium an. 429., Coſſ. Florentio & Dionyſio. Poſt horum Imperatorum edicta alii Epiſcopatu dejecti ſunt, ut Julianus; alii ab erroris ſemita revocati, ut Turbantius, cui Julianus priores quatuor contra Auguſtinum libros nuncupaverat. Vide Auguſtinum lib. 1. Operis Imperf. num. 1.

Inter eos, qui adverſus Pelagianam hæreſim pro Catholica fide pugnarunt, primus in aciem prodit Hieronymus, quem jure meritoque in Carmine de Ingratis appellat Proſper,

Hebræo ſimul, & Græjo, Latioque venuſtum
Eloquio, morum exemplum, mundique magiſtrum.

Is adverſus Pelagianos ſcripſit Epiſtolam ad Marcellinum 82. ann. 411. alteram ad Cteſiphontem 67. quam Noriſius ſcriptam putat anno 412., Garnerius 413., Pagius paullo ante annum 414. Hoc anno 415. edidit tres Dialogos affabre elaboratos collata inter Atticum, & Critobulum altercatione, ut liquet ex Apologia Oroſii ſcripta hoc eodem anno, in qua Dialogorum Hieronymi meminit: quare ſcripti non ſunt anno 416. poſt Synodum Dioſpolitanam, ut viſum Baronio, & Voſſio in H. P. lib. 1. cap. 12. Critobuli nomen conflatum eſt ex κριτὸν, & βουλή, quod jam in Cæleſtio Pelagius in Synodo Carthaginenſi fuerit damnatus. Attici nomine honor datus eſt Attico, qui magnis animis Conſtantinopoli exagitabat Pelagianos, ſive eo vocabulo ſignificatum eſt voluiſſe Hieronymum imitari atticum dicendi genus. Vellicavit S. Pater hæreſim Pelagianam etiam in Præfationibus ad libros quatuor in Hieremiam: quarum primam edidit anno 413. ſecundam & tertiam an. 414. ultimam paullo poſt. Sunt ejuſdem argumenti Epiſtolæ Hieronymi ad Alipium & Auguſtinum conſcriptæ anno 419. quo obiit Euſtochium, ut obſervarunt viri doctiſſimi Garnerius, & Noriſius. Anno inſequenti 420., Theodoſio IX. & Conſtantio III. Coſſ. pridie Kal. Octobris Magnum Hieronymum deceſſiſſe conſtat ex Chronico Proſperi, & perveniſſe uſque ad decrepitam ætatem teſtatur Auguſtinus in 1. contra Julianum cap. 7.

Cum vero S. P. Auguſtini ſcriptis hæreſim Cæleſtianam eſſe jugulatam gratuletur in præfatis Epiſtolis præclariſſimus antri Bethlehemitici hoſpes; quid in cauſſa Pelagiana egerit magnus ille noſter Inſtitutor, ac Doctor, eſt modo breviter aperiundum. Igitur S. P. Pelagianos errores, antequam vulgarentur, præfocaverat in libris de libero arbitrio, de duabus animabus, & in Quæſt. ad Simplicianum, necnon in Sermonibus quibuſdam, quos cum gratiæ Dei commendatione habuerat ad populum. Sunt hi in poſtrema PP. S. Mauri editione 170. 174. 175. & 176. Irrumpente vero peſtifero dogmate, edidit an. 412. libros tres de Peccatorum meritis & remiſſione, in quibus maxime diſputatur de parvulorum baptiſmate ad delendum originarium peccatum, ac Pelagius non ſine laude commendatur, quoniam ejus vita adhuc prædicabatur a multis. Fuerunt autem conſcripti ad Fl. Marcellinum V. C. qui proximo anno Donatiſtarum fraude fuit obtruncatus. Eidem Marcellino ſub finem anni 412. inſcripſit Auguſtinus librum de ſpiritu, & litera, in quo oſtendit poſſe hominem divino auxilio fretum exercere multas magnaſque virtutes, ſed ad juſtitiam habendam præter legem neceſſariam eſſe gratiam, quæ imbecillem erigat voluntatem, oppugnata impeccantia Pelagianorum. Data eſt eodem anno Epiſtola ad Honoratum 120., nunc 140. quam in 2. Retract. cap. 36. S. Doctor librum appellat, & in qua novi hæretici exagitantur. Conſequente anno 413. perſtrinxit Ingratos Sermone, quem habuit in Natali S. Joannis Præcurſoris in celebri conventu Carthaginenſi, de Verbis Apoſtoli XIV. Scripſit an. 414. Epiſtolam 89. ad Hilarium contra Pelagianos in Sicilia commorantes, nunc ordine 157. Editum hoc an. 414. arbitratur Garnerius librum de perfectione juſtitiæ adverſus definitiones Cæleſtii: ſed rejiciunt alii ad finem proximi an. 415. Hujus Operis non meminit Auguſtinus in libris Retractationum, quoniam cum ſcriptum ſit ad Eutropium & Paullum, pertinere videtur ad ſeriem Epiſtolarum. Eodem an. 415. conſcripſit Epiſtolas duas 28. & 29. nunc 166. & 167. ad Hieronymum: item librum de natura & Gratia contra illum, quem elapſo anno ſcripſerat Pelagius de natura, proditum a Jacobo & Timaſio ſtatim opera Auguſtini ad bonam frugem revocatis. In hoc Opere S. P. demonſtrat naturæ vitia pertinere non ad inſtitutionem, ſed ad vindictam, detegitque Pelagii cavillationes; parcens adhuc, quod ſingularis caritatis exemplum eſt, ejus nomini. Scripſit S. Doctor inſequente anno 416. Epiſtolas ad Joannem Jeroſolymitanum, ad Mercatorem, ad Hilarium Narbonenſem, & ad Innocentium. Eæ ſunt in veteri editione nu. 252. 94. 92. in poſtrema 179. 193. 178. & 176. iiſque narratur damnatio Pelagii facta in Synodis Carthaginenſi & Milevitana. Ineunte anno 417. edidit librum de Geſtis Pelagii, in quo agit de Synodo Palæſtina, de calliditate ipſius Pelagii, & de Chartula defenſionis ſuæ, quam ad eumdem Auguſtinum miſerat. Scripſit & ad Julianam matrem Demetriadis, & ad Dardanum epiſtolas 143. & 57. nunc vero 188. & 187. Anno 418. editus eſt liber de Gratia Chriſti, & alter de Peccato originali pertractantes de adjutorio poſſibilitatis & operationis, de peccato Adæ, de nuptiis, de libidine, & de effectibus baptiſmi. Garnerius ſcriptas putat hoc anno Epiſtolas ad Paulinum, ad Sixtum, & ad Optatum 106. 105. & 157. nunc autem 186. 194., & 190. ſed ad Paulinum data videtur ſuperiori anno 417. Exeunte hoc anno 418. ut videtur Garnerio & Noriſio, vel circa initium ſequentis ſcriptus eſt ab Auguſtino liber 1. de Nuptiis & Concupiſcentia ad perilluſtrem virum Valerium Comitem, in quo de bono nuptiarum, de concupiſcentia ac pudore pertractat enucleate. Edidit ſub finem anni 419. libros de Anima & ejus origine, quibus Manichæi ſimul & Pelagiani in iis, quæ ad ignorantiam, & difficultatem, quibus anima conjuncta corpori ſubjicitur, refelluntur & confutantur. Cum vero perveniſſent ad Auguſtinum objecta quædam Juliani excerpta a quatuor libris hujus hæretici editis contra memoratum de Nuptiis; anno 420. addidit alterum, quo depellit cavillationes Juliani, confirmatque ſuperius dicta de peccato originali, de pœnis ejuſdem, & de gratia regenerationis per baptiſmum collata. Interea ſcripſit Epiſtolam 107. modo 217. ad Vitalem, & quatuor ad Bonifacium libros contra duas Epiſtolas Pelagianorum. Exornavit anno 421. librum Enchiridii ad Laurentium, reſponditque Quæſtionibus ſibi propoſitis a Dulcitio. Quo anno elucubraverit libros de gratia & libero arbitrio, nec non de Correptione & gratia ad Monachos Adrumetinos Hiſtorici non conveniunt; perfectos anno 424. tradunt Noriſius, Garnerius, & Voſſius; editos 426. aut 427. Scriptores alii. Retractationum libros argumentis profligantibus hanc hæreſim paſſim refertos elaboravit anno 426. & 427. operibus aliis diſtractus. Contra Julianum non uno anno ſtylum exercuit: ſecundum librum de Nuptiis ſcriptum eſſe an. 420. dictum eſt ſupra: poſtquam in ejus manum pervenerunt quatuor libri Juliani, ſex notiſſimos doctiſſimoſque S. Pater conſcripſit circa finem anni 421. & initia ſequentis. Addidit morti proximus Opus Imperfectum: de quo cap. præcedenti. Exaravit paullo ante mortem an. 429. etiam libros de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Dono Perſeverantiæ, quibus Pelagianorum Reliquiæ proſtratæ ſunt. Deceſſit autem beatiſſimus Pater v. Kal. Septembris an. 430., Coſſ. Theodoſio XIII. & Valentiniano III. AA.

His, quæ de Auguſtino breviter dicta ſunt, addo Appendicis loco, Garnerium diſſert. VII. §. 2. in ea verſari ſententia, quod S. Patri pronomen Aurelii addiderit popularis opinio, & hæc exorta ſit ex cap. 1. Apologiæ Oroſii, ubi librarii incogitantia ex Aurelii Carthaginenſis & Auguſtini nominibus unum videtur eſſe conflatum. Comparat enim Oroſius defunctis Eccleſiæ luminibus Cypriano, Hilario, & Ambroſio tres viventes Aurelium, Auguſtinum, & Hieronymum, ſcribens: *Patres enim, & qui jam quieverunt Martyres, & Confeſſores, Cyprianus, Hilarius, & Ambroſius, & quibus etiam nunc permanere in carne neceſſarium eſt, Aurelius Auguſtinus, & Hieronymus, &c.* At decipitur vir doctiſſimus; non enim his Oroſii verbis *tres* Patres *tribus* æquiparantur: & Auguſtino Aurelii etiam nomen acceſſiſſe, præter Oroſium, teſtatur Claudianus Mamertus lib. II. de ſtatu Anim. cap. 9. ubi ait: *Aurelius Auguſtinus acumine ingenii, & rerum multitudine velut quidam Chryſippus, argumentandi virtute aut Zenon ſenſuum ſubtilitate, aut Varro noſter voluminum magnitudine, &c.*

Demum adverſus Pelagianos, ut eos interim mittam, qui Semipelagianis obſtiterunt, ſcripſit inter annum 418. & 420. incertus Auctor Hypognoſticon, ideſt *ſubnotationum*, libros ſex, in quibus in unum ſtuduit contrahere Auguſtinianas contra Pelagium elucubrationes. Hos libros tribuunt quidam Sixto Romano, quidem autem Mercatori: ſed ab hujus ſtylo & eruditione videntur plurimum diſcrepare.

CAPUT V.

Diſputatur de ſtatibus Pelagianæ hæreſis enumeratis ſecundo capite, & oſtenditur Chriſti gratiam non ſolum mentem colluſtrare, verum etiam adjuvare voluntatem per inſpirationem ſanctæ dilectionis.

STATUS varii hæreſis Pelagianæ ſuperius explanati ſunt: de his agendum nunc ſingillatim.

PROPOSITIO I. Pelagius in primo ſui erroris ſtatu adſtruxit neceſſitatem legis, ſive naturalis ſingulorum hominum inſcriptæ cordi, ſive per revelationem traditæ, quam Deus iis proponere teneretur, qui legi naturæ per liberi arbitrii facultatem obtemperarent.

Demonſtratur 1. auctoritate Concilii Carthaginenſis in Epiſtola ad Innocent., in qua his verbis Pelagii & Cæleſtii proditur error: *Iſti autem aſſerunt, ſicut a fratribus, qui eorum libros legerunt, cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis inſtituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei poſſet implere, ſive naturaliter in corde conſcriptam, ſive in literis datam*. II. Synodus Palæſtina, quæ primum Pelagii hæreſim damnavit, hanc, ut vidimus, illius aſſertionem proſcripſit: *Gratia Dei non ad ſingulos actus datur, ſed in libero arbitrio eſt, & in lege, atque doctrina*. III. S. Pater Auguſtinus de Grat. Chriſti cap. 3. damnatam a principio ſententiam, & traditam a Pelagio in libris de libero arbitrio aſſerit, *Gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero arbitrio, aut in lege, atque doctrina conſtitui*. IV. Idem Pelagius in Epiſtola ad Demetriadem totus eſt in demonſtrando, quod poſſit homo per legem ac doctrinam inſtructus divinis obtemperare mandatis. V. Inveriſimile omnino eſt, Pelagium in priori ſtatu legem aliquam ac doctrinam non agnoviſſe; quandoquidem, ut ibidem Auguſtinus docet, baſis Pelagianæ hæreſis erat, tria diſtinguere, quibus divina mandata adimplentur, *poſſibilitatem, voluntatem, & actionem*, quorum primum dari fatebatur a Conditore naturæ: ſupponit ergo ea poſſibilitas legem aliquam divina præcepta proponentem. Quod S. Pater in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 19. affirmat expreſſius, docens Pelagianos putare, *acceptis præceptis jam per nos ipſos fieri liberæ voluntatis arbitrio ſanctos, & immaculatos, &c.*

Neque vero dicas in his conſiſtere ſecundum ſtatum Pelagiani erroris, non primum. Enimvero primæva Pelagii hæreſis ea eſt, quæ in Epiſtola ad Demetriadem propinata fuit; quæ in libris Pelagii de libero arbitrio, aliiſque latitat; quæ in prima Synodo celebrata contra eumdem Pelagium fuit anathemati ſubjecta: & quæ decantatam illam naturæ poſſibilitatem ſpectat, cui totam erroris molem callidus Architectus admovit. At in his omnibus legem ac doctrinam ſive inditam naturaliter, ſive exterius revelatam manifeſte comprehendit.

Facit adverſus prædicta, quod S. P. Auguſtinus in lib. de Hæreſ. ad Quodvultdeum cap. 88. ait Pelagium in tantum Gratiæ Dei inimicum fuiſſe, ut crederet ſine hac poſſe hominem divina præcepta adimplere. Deinde ait, *increpatum a fratribus quod nihil adjutorio gratiæ tribueret, correctioni horum hactenus ceſſiſſe, dicendo gratiam dari hominibus, ut quæ per liberum facere jubentur arbitrium, facilius poſſent implere per gratiam; illam vero gratiam, ſine qua nihil omnino poſſumus, non eſſe niſi in libero arbitrio, quod Deus adjuvaret per ſuam legem atque doctrinam*. Itaque in eo ſtatu Pelagius neceſſariam legem confeſſus eſt, in quo increpatus a fratribus agnovit gratiam *ad facilius*, non ad ſimpliciter operandum collatam. Qui ſtatus non eſt profecto hujus hæreſis primus. Idem S. Pater de Geſtis Pelagii cap. 23. ait, oblatum ſibi poſt Synodum Palæſtinam Pelagii libellum, in quo liberum arbitrium gratiam appellabat *non aperte ei conjungens legis adjutorium*. Ante Synodum ergo Palæſtinam, & in primo hæreſis ſtatu admiſit Pelagius ſolam facultatem arbitrii, quacumque lege præciſa.

His reſpondetur, S. Patrem prioribus verbis, quibus docet Pelagium principio adeo gratiæ inimicum fuiſſe, ut crederet ſine hac poſſe hominem omnia divina præcepta adimplere, etiam legem doctrinamque ſignificare; non enim præcepta poſſunt, niſi per legem proponantur, ſervari. Verborum ego, quæ ſubſequuntur, ſenſus eſt, correptum a fratribus admiſiſſe aliquando etiam veram aliquam gratiam ad facilius operandum: ſed abſolute neceſſariam illam putaſſe tantummodo, quam etiam tradiderat a principio, ideſt, liberum arbitrium cum legis ac doctrinæ adjutorio. Quare ex libro ad Quodvultdeum quæ ſupra diximus confirmantur. De Geſtis autem Pelagii ſcribit S. Pater, hæreticum non admiſiſſe adjutorium legis aperte in illo libello, non quod non admiſerit reipſa. Subdolus enim tergiverſator non ſemper expreſſit quod ſemper admiſit, ut interrogatus an illud gratiæ adjutorium confiteretur præter facultatem arbitrii, annueret illico, ac reſponderet ſe utique gratiam profiteri aliam, auxilium ſcilicet doctrinæ ac legis proponentis quid agere debeamus. Articulus quidem ſeptimus damnatus in Synodo Palæſtina legem atque doctrinam expreſſe memorat: & Pelagius in Epiſtola ab Conſtantium data jam ab anno 408. præter liberi arbitrii naturam, aliud gratiæ profitetur auxilium, ut conſtat ex Auguſtini libro de Gratia Chriſti cap. 36.

PROPOSITIO II. Pelagius in ſecundo erroris ſtatu admiſit præter legem atque doctrinam, gratiam, quæ dilectionem inſpirat, ſed ad facilius, non ad ſimpliciter operandum, eamque præcedentibus meritis comparatam.

Id probatur 1. ex libro de Hæreſibus ad Quodvult. capite ſupracitato. II. Ex libro de Grat. cap. 26. *Ac per hoc gratiam Dei, qua caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri: ut omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet. Non quomodo iſte, qui cum dicit propterea dari gratiam, ut quod a Deo præcipitur facilius impleatur, quid de illa ſentiat ſatis oſtendit, ſcilicet, quod etiam ſine illa, etſi minus facile, fieri tamen, quod divinitus præcipitur, poteſt.*

Quod hæc gratia ad facilius etiam voluntatem excitaverit inſpiratione caritatis, probatur primo; nam capite nuper laudato Auguſtinus diſerte loquitur de Gratia, qua caritas Dei diffunditur per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris. Deinde quia ſequenti cap. 29. ait S. Pater, ſanum fore & catholicum ſenſum Pelagii, ſi tolleret *facilius*, & abſolute fateretur gratiæ neceſſitatem ad boni Operis adimpletionem. Præterea Pelagius in illo errore, quod gratia detur tantum ad facilius, ſemper obſtinate perſeveravit: gratiam vero interioris illuſtrationis, ut mox dicam, tandem confeſſus eſt. Illa igitur gratia ad facilius operandum præter mentis illuſtrationem, etiam caritatem aliquam inſpirari, Pelagius non denegabat. Denique quod Pelagiani exiſtimaverint hanc gratiam meritis naturæ rependi, conſtat ex cap. 31. ejuſdem libri de Gratia Chriſti, ubi de hæreſiarcha legitur: *Nempe manifeſtum eſt eum dicere gratiam ſecundum merita dari, quamlibet eam, vel qualemlibet ſignificet, quam tamen aperte non exprimit: Nam cum eos remunerandos dicit, qui bene utuntur libero arbitrio, & ideo mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur, &c.*

PROPOSITIO III. Pelagius tandem admiſit gratiam internæ illuminationis, etiam ut *ſimpliciter* neceſſariam, nunquam vero gratiam excitantem voluntatem per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti, ſive per inſpirationem caritatis.

Eſt prima propoſitionis pars contra Leonardum Leſſium lib. de Efficacia Grat. cap. 17. P. Lugo diſp. 1. ſect. 2. alioſque perpaucos. Defenditur autem a Gregorio de Valentia in 1. 2. q. 3. puncto 3. a Suareſio lib. 3. Opuſc. cap. 2. & lib. 2. de cauſſa Prædeſt. cap. 16. ab Edmundo Simonnet principio diſſer. de Gratia, a Dionyſio Petavio cap. 9. de Hæreſi Pelag. ab Honorato Tournely lib. 1. de Gratia c. 3. pag. 70. a Thomiſtis & Auguſtinianis communiter. Ex his tamen aliqui tenent, nunquam Pelagianos admiſiſſe interiores colluſtrationes ut *ſimpliciter* neceſſarias, ſed ad facilius tantummodo. Verum tradunt oppoſitum Schola Lovanienſis & Duacenſis, nec non Thomiſtæ doctiſſimi cum ſuo Joanne Gonzalez controverſia 4. de Auxiliis art. 6. Atque idem de Semipelagianis ingenue fatetur Petavius laudato capite, n. 12. Hæc vero eſt propoſitionis pars altera. Tertiam, quod Pelagius nunquam admiſerit gratiam voluntatis & actionis, probant omnes Catholici in Auguſtino, atque in his controverſiis parumper exercitati.

Itaque prima pars demonſtratur auctoritate Auguſtini ſcribentis c. 7. de Gratia Chriſti: *Et tamquam explicaturus* (Pelagius) *quam dicat gratiam, ſecutus adjunxit dicens, quam nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur. Quis non hic deſideret, ut oſtendat, quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maxime de illo expectare debemus, ut dicat hoc quod dicit, non in lege tantummodo ſe gratiam confiteri. Sed nobis hac expectatione ſuſpenſis, quid addiderit intuemini. Adjuvat enim nos, inquit, Deus per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis ne præſentibus occupemur futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* En aperte confitetur Pelagius præter legem doctrinamque exteriorem, internas colluſtrationes mentis, & gratiam aliquam ex parte intellectus.

Solent reſpondere, ex præmiſſis Auguſtini verbis ſolam externam legis ac doctrinæ gratiam in Pelagiana confeſſione apparere: ſed falſi ſunt hac in parte Adverſarii. Primum: Pelagius eo loco profitetur *Gratiam non in lege tantummodo, ſed in Dei eſſe adjutorio*: atque petenti Auguſtino & expectanti, quidnam eſſet adjutorium iſtud a lege diſtinctum, reſpondit hæreticus, *Adjuvat per doctrinam, & revelationem ſuam, &c.* Non ergo iis verbis adjutorium legis deſignat, ſed revelationem aliam intimam ac ineffabilem. Præterea S. Pater proximo cap. 11. demonſtrat hanc revelationem non eſſe veram Chriſti gratiam, propterea quod nullus in hac vita pervenit ad magnitudinem revelationum Apoſtoli Pauli: cui tamen, ut gratia adeſſet, per quam reſiſteret ſtimulo carnis, Angelo Satanæ, nec ob ſapientiæ altitudinem extolleretur, addenda erat caritas, quæ non inflatur, animique reprimit elationem. Quare Chriſti gratia in ſola interiori revelatione ſita non eſt, ut tergiverſabatur Pelagius; etiamſi revelationem dixeris intimam, multiplicem, ac mirabilem, qualem habuit Apoſtolus. Inſuper, ut eodem libro docet S. Pater cap. 41. affirmabat Pelagius, *Ipſas quoque orationes ad nihil aliud adhibendas, niſi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum eſſe didicerit, etiam dilectione & actione perficiat*: Quiſquis autem orat, jam lege & exteriori doctrina inſtructus eſt, & donum orationibus poſtulat hactenus non impetratum: ideoque Pelagius præter externam legem, gratiam aliam dari annuebat.

Nec repugnat, quod S. Pater poſt verba ſupra allata eodem cap. 7. ait: *In his omnibus non receſſit a commendatione legis & doctrinæ*. Qualiſcunque enim gratia, etiam internæ revelationis, quæ proponit tantummodo quid faciendum eſt, & voluntatem non adjuvat ſubminiſtratione

aliqua

aliqua caritatis, in munere a lege ac doctrina non differt. Atque hanc mentem eſſe Auguſtini, conſequentia verba demonſtrant: *Dei adjutorium multipliciter inſinuandum putavit, commemorando doctrinam, & revelationem, & oculorum cordis adaperitionem, & demonſtrationem futurorum, & aperitionem diabolicarum inſidiarum, & multiformem & ineffabilem gratiæ cæleſtis illuminationem, ad hoc utique, ut divina præcepta & promiſſa diſcamus. Hoc eſt ergo gratiam Dei ponere in lege, atque doctrina.* Itaque per Auguſtinum Pelagius etiam admittens gratiam illuminationis a commendatione legis & doctrinæ nequaquam receſſit, quia gratia illa hoc ſolum efficit, ut divina præcepta ac promiſſa diſcamus; non donat, nec adjuvat voluntatem, ut agat. Et cap. 10. ejuſdem libri de Gratia Chriſti, *Ad doctrinam*, inquit Auguſtinus, *pertinet etiam quod ſapientia revelatur, ad doctrinam pertinet cum ſuadetur omne quod bonum eſt.*

Secunda propoſitionis pars, quod Pelagius admiſerit aliquando gratiam internæ illuminationis, ut *ſimpliciter* neceſſariam, probatur primo: Admiſit, ut modo vidimus, Pelagius adjutorium aliquod diſtinctum ab exteriori lege ac doctrina, atque iſtud nullum aliud eſt, quam interna mentis illuminatio: Atqui adjutorium illud ab exteriori lege ac doctrina diſtinctum admiſit aliquando Pelagius, ut *ſimpliciter* neceſſarium. Ergo admiſit ut *ſimpliciter* neceſſarium adjutorium internæ illuminationis. Probatur minor. Pelagius anathematizavit eos, qui gratiam Dei & adjutorium non ad ſingulos actus dari opinantur, & illud putant in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina; ut Auguſtinus docet lib. de Geſtis Pelagii cap. 14. Aliquando igitur admiſit neceſſarium etiam adjutorium illud ab exteriori lege diſtinctum. Iccirco autem Pelagius ad punctum iſtud pervenit, ut abjurationem ſuam in Synodo Palæſtina quoquomodo ſinceram oſtenderet, nec ſe a ſeipſo proderet eſſe damnatum. Cum enim ſeptimum articulum proſcripſiſſet, oportebat, ut gratiam aliquam neceſſariam confingeret diverſam a naturali facultate arbitrii, & ab exteriori lege ac doctrina. Quod præſtitit oppido, admittens gratiæ illuminationem, de qua nunc pertractatur. *Ecce anathematizat*, ait Auguſtinus, *qui hoc ſentiunt: ecce nec naturam liberi arbitrii, nec legem, nec doctrinam vult intelligi gratiam, qua per actus ſingulos adjuvamur.* Nec tamen veram Gratiam confeſſus eſt unquam, ut principio ſpecioſis verbis ſuadere nitebatur: quoniam per multiformem illam illuſtrationem non recedebat, niſi oretenus, a commendatione legis, atque doctrinæ. Probatur deinde aſſertio: nam S. Pater hoc unum adverſus Pelagianos contendit, ut non ſolum fateantur adjuvari a Deo poſſibilitatem per illuminationem mentis, & objecti propoſitionem, verum etiam adjuvari voluntatem & actionem per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti. Atque de Gratia Chriſti cap. 47. ſcribit, quod ſi Pelagius *conſenſerit etiam ipſam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur.* Tota ergo controverſia Pelagium inter & Auguſtinum erat de adjutorio voluntatis & actionis, quod ſitum eſſe conſtat in inſpiratione caritatis; & per conſequens de gratia, quæ proponit divina præcepta ac promiſſa, etiam per interiorem mentis illuſtrationem Pelagius Auguſtino minime diſſentiebatur.

Ex his conſequitur tertia Propoſitionis pars, ſcilicet, quod Pelagius nunquam admiſit veram Chriſti gratiam, quæ non ſolum proponit quid agere debeamus, verum etiam volontatem adjuvat per ſubminiſtrationem caritatis. Quod tamen breviter confirmatur Auguſtini locupletiſſimis teſtimoniis. Ergo eodem libro de Gratia Chriſti cap. 12. S. P. ſermonem inſtituens de Gratia, quam Catholici profitentur, hæc habet: *Quæ gratia agitur non ſolum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec ſolum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certe ſic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere, non ſolum per eos qui plantant & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, itaut non oſtendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat caritatem.* Et cap. ejuſdem Operis tertio ac triceſimo: *Nos autem*, inquit, *illam gratiam in eorum confeſſione requirimus, de qua dicit Apoſtolus, Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis & caritatis & continentiæ. Non eſt autem conſequens, ut qui habet donum ſcientiæ, quo noverit quid agere debeat, habeat etiam caritatis, ut agat.* Huc ſpectat Concilium Milevitanum Can. 4. *Quiſquis dixerit, eamdem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis reveletur & aperiatur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, & faciamus, anathema ſit.* Et infra: *Utrumque Dei donum eſt, ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus: nam ſicut de Deo ſcriptum eſt, Qui docet hominem ſcientiam; ita etiam ſcriptum eſt, Caritas ex Deo eſt.*

Hæc cum adeo perſpicua ſint; aſſerendum eſt non confiteri veram Chriſti gratiam, qui admittunt ſolam illuminationem mentis trahentem voluntatem tantum moraliter per ſolam propoſitionem ac revelationem divinorum præceptorum, niſi aſſerant ejuſmodi illuminationem fieri ineffabili ſuavitate, & inſpiratione virtutis humanam voluntatem roborantis. Quod mihi videtur ex dictis manifeſtiſſimum; atque poteſt inſuper ſequentibus rationibus commonſtrari. Primo hæc illuminatio exhibens tantum ſcientiam rerum faciendarum, & ſe tenens ex parte objecti, quantumvis interior ſit & ſingularis, non recedit in munere a lege, & doctrina, cum detur ad hoc, *ut divina præcepta, & promiſſa diſcamus.* Non eſt ergo illa gratia, quam adverſus Pelagium Auguſtinus invictiſſime propugnavit. Deinde per illam gratiam, quæ demonſtrat ſolum quid agere debeamus, quemadmodum per legem & doctrinam adjuvatur a Deo ſola naturalis *poſſibilitas*, non datur adjutorium voluntatis & operis; ut ſcribit Auguſtinus de Grat. Chriſti cap. 6. & 15., ideoque hanc gratiam confitentur etiam Pelagiani. Præterea, ut vidimus, hi non denegant revelationes internas, & conſequenter nec motionem illam moralem, quæ per ſolam manifeſtationem objecti, ut ajebat Pelagius, ſtupentem excitat voluntatem. *Operatur* (verba ſunt hæretici apud Auguſtinum de Gratia Chriſti cap. 10.) *in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne quod bonum eſt.* Igitur motionem aliquam extrinſecam volunrati, ac moralem, per revelationem & doctrinam, ſive internam, ſive externam, nequaquam Pelagius inficiabatur. Inſuper, ſi adhuc contendas Pelagium nunquam confeſſum interiores illuſtrationes; arbitror te minime negaturum, eas admiſiſſe Semipelagianos, quos tamen certum eſt ad initium fidei veram Chriſti gratiam non exiſtimaſſe neceſſariam, eam ſaltem, pro qua magnus Auguſtinus certavit; ut mittam Julianum, & Pelagianos poſteriores, de quibus legendus eſt S.P. lib. IV. ad Bonifacium cap. 5. Dabo interim teſtem locupletem, ac bene Theologis auditum Dionyſium Petavium: qui de H. P. cap. 9. 12. in hunc plane modum loquitur: *Nam etſi Semipelagiani gratiam Chriſti non in ſola externa legis propoſitione, ſed in interna voluntatis excitatione, verum metaphorica & morali, poſitam putarent, ut eruditiores Theologi fatentur, præter paucos illos, qui conſenſu majoris partis explodantur; nihilominus eos Proſper queritur in Carmine de Ingratis, nullas alias gratiæ Chriſti mandaſſe partes, quam doctoris, monitoris, ac forinſecus inſonantis.* Cujus ſane rei veritas liquet ex dictis; quoniam proponere duntaxat, ac ſuadere quod bonum eſt, pertinet ad doctrinam. Poſtremo non eſt conſequens, ut Auguſtinus ſuperius monuit, qui habet ſcientiam & percipit quid agere debeat, habeat etiam adjutorium operationis ut agat; veluti, ſi dormientem infirmum & in aliquo periculo conſtitutum quiſpiam a ſomno excitet, & ad fugam arripiendam hortetur, non proinde illum adjuvat, nec ſubtrahit eb impendenti diſcrimine, niſi illius plantas conſolidet. Proponere ergo imbecilli hominum voluntati divina præcepta ac promiſſa, eamque ſuſcitare ac movere tantum moraliter revelatione, & propoſitione objecti; eſt commonere hominem, non adjuvare; eſt impertiri donum ſcientiæ, non caritatis; eſt denique commendare legem ac doctrinam, non gratiam.

Videntur mihi ex dictis penitus contrita Adverſariorum objecta. Opponere ſolent verba Auguſtini in lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 19. ubi de Pelagianis ait: *Vos autem in bono opere ſic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipſum opus bonum voluntate, nihil eam credatis operari.* Nullam ergo Pelagiani admiſerunt gratiam interiorem. Quod argumentum Bellarminus in Recognitione librorum ſuorum lib. 1. de Grat. cap. 13. putat validiſſimum. Verum Auguſtini verborum ſenſus eſt, Pelagianos nullam admiſiſſe gratiam, quæ per inſpirationem caritatis adjuvat hominis voluntatem, & facit ut agat: non gratiam illuminationis, & donum ſcientiæ, quo noverit quid agere debeat. Inſurgunt S. Patrem de Gratia Chriſti cap. 3. 4. 5. 6. 7. & 47. affirmare quod Pelagius nunquam receſſit a commendatione legis & doctrinæ. Sed reſpondemus, ad legem & doctrinam pertinere, quicquid ſuadet quod bonum eſt, & excitat tantummodo metaphorice proponendo objectum, non adjuvat voluntatem impertiendo adjutorium operationis. Reponunt, Concilia, Patres, ac Theologos innumeros affirmare Pelagium, nunquam Chriſti gratiam fuiſſe confeſſum. At his occurrimus dicendo veram Chriſti gratiam non conſiſtere in ſola illuminatione mentis, ſive in dono ſcientiæ; ſed etiam in ſubminiſtratione caritatis, qua facere velimus, & faciamus. Tandem inquiunt eſſe plurium Doctorum Catholicorum ſententiam, quod Gratia Chriſti ſit interna revelatio objective tantum & moraliter attrahens voluntatem: qui, ſi vera forent hactenus dicta, conſentirent apertiſſime Pelagianis. Ceterum hi Theologi non affirmant inter-

nam ſubminiſtrationem gratiæ exercere tantummodo munus Doctoris, & monitoris, oſtendendo quid agere debeamus, quaſi neceſſaria tantum ſit ex parte objecti, nec potentiæ animæ rationalis debeant excitari & elevari ad opera ſupernaturalia, aut ſit virtus operationis & voluntatis in ſola facultate arbitrii, ut aſſerebat Pelagius. Sed ulterius fatentur tribui per gratiam intrinſecum voluntati adjutorium, quod tamen negant eſſe ſuapte natura inſpectum efficax, ac prædeterminans. De qua controverſia alio in loco.

PROPOSITIO IV. Non eſt connumeranda inter errores Pelagii indifferentia liberi arbitrii; niſi ita accipiatur, ut inſpecta ſola naturali facultate poſſit ex æquo bonum & malum.

Demonſtratur prima pars: quia hæc eſt communis liberi arbitrii notio, ut ſit poteſtas animi libera ad faciendum vel non faciendum; unde juremerito damnata eſt Janſeniana propoſitio, quod ad merendum vel demerendum in hoc ſtatu non requiratur libertas indifferentiæ, dummodo arbitrium ſponte & voluntarie velit; itaut libertas cum neceſſitate conſiſtat. Quem errorem non ſemel in hoc opere profligavimus, & rurſus inſectabimur cum ad hæreſim Janſenianam perventum erit. Præterea S. Pater lib. II. de Nuptiis & Concupiſc. cap. 3. ait: *Non itaque ſicut tu, atque alios fallens loqueris, ſi quis liberum in hominibus arbitrium dixerit, Cæleſtianus & Pelagianus vocatur; iſtud quippe Catholica fides dicit*. Idem tradit in Epiſtola ad Cteſiphontem S. Hieronymus. Non ergo redarguendi ſunt Pelagiani, quod liberi arbitrii indifferentiam aſſererent. Id in eis reprehenditur, & damnatur, quod ejuſdem arbitrii vires adeo robuſtas eſſe jactabant, ut vellent ſine gratiæ adjutorio poſſe bonum & malum, dummodo illud per legem doctrinamque innoteſceret. Quare Auguſtinus poſt laudata verba proſequitur: *Sed ſi quis ad colendum recte Deum, ſine ipſius adjutorio, dicit eſſe in hominibus liberum arbitrium, ipſe Cæleſtianus & Pelagianus vocatur*. Atque his verbis comprobata eſt propoſitionis pars altera.

CAPUT VI.

Num Pelagius Gratiam habitualem negaverit.

HABITUALEM gratiam negaviſſe Pelagium, ſcilicet intrinſecam illam animæ *habitudinem*, qua homo permanenter fit juſtus, opinatur Vega lib. VII. in Tridentinum Concilium, eique ſubſcribunt Suareſius in Prolegomeno V. de Gratia cap. 2., & lib. VII. cap. 7. num. 1. & Tournely lib. 1. de Gratia q. 3. pag. 79. Oppoſitum tamen tradunt non ſolum Janſenius lib. V. de H. P. cap. 22. verum etiam Gonetus diſput. 1. art. 3. Martinonus in Anti-Janſenio diſput. 7. de H. Pelag. ſect. 13. cum aliis Theologis plurimis. Inter quos media via incedendum nobis eſt; nam arbitramur illiuſmodi gratiam admiſſam a Pelagianis, non tamen eo modo, quo illam tenemur confiteri; atque id proxima poſitione explicabimus.

PROPOSITIO I. Pelagius habitualem gratiam agnovit, at non ſenſu recto, & Catholico.

Demonſtratur prima pars. Nam primum nullibi invenimus hunc errorem vel ab Africanis Conciliis, vel ab Auguſtino fuiſſe Pelagio imputatum. Deinde Pelagiani apud S. Patrem lib. 1. contra Julianum cap. 6. docebant parvulos baptizandos, non quidem ut illis originale remittatur peccatum, ſed ut ipſis addatur Sanctitatis decus atque ornamentum, uſurpantes verba Chryſoſtomi ex homilia, quam de Baptizatis habuit: *Non enim tantum ſunt liberi, ſed & ſancti: non tantum ſancti, ſed & juſti: non ſolum juſti, ſed & filii: non ſolum filii, ſed & hæredes: non ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti: nec tantum fratres Chriſti, ſed & cohæredes: non ſolum cohæredes, ſed & membra: non tantum membra, ſed & templum: non tantum templum, ſed & organa Spiritus*. Et infra: *Hac de cauſa etiam infantes baptizamus, cum non ſint coinquinati peccato, ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint*. Qui hæc cum Chryſoſtomo profitentur, videntur ne ſanctificantem gratiam denegare? Inſuper manifeſta ſunt hæc alia Pelagii verba apud Auguſtinum de Gratia Chriſti cap. 37. *Vide quid Chriſtiani facere poſſunt, quorum in melius per Chriſtum inſtaurata natura eſt, & qui divinæ quoque gratiæ juvantur auxilio*. Addit S. Pater: *Naturam in melius inſtauratam, remiſſionem vult intelligi peccatorum. Quod alio loco in hoc ipſo libro ſatis demonſtravit, ubi ait, Etiam illi, qui longo peccandi uſu quodammodo obduruero, inſtaurari per pœnitentiam poſſunt*. Tandem Concilium Milevitanum Canone 3. damnans Pelagium admittentem gratiam, qua juſtificamur, non ideo damnat, quia gratiam per quam remittuntur peccata negaverit, ſed quoniam aſſeruit, *Gratiam, qua juſtificamur, valere ad remiſſionem peccatorum, quæ commiſſa ſunt, non vero ad adjutorium, quo non committantur*.

Reſpondent Suareſius & Tournely, Pelagium admiſiſſe gratiam remiſſionis peccatorum, qualem Novatores permulti conſtituunt in ſola extrinſeca imputatione juſtitiæ. Sed refellitur hæc reſponſio. Gratia enim qua in meliorem hominem renaſcimur, quæ ornatum animæ confert, eamque reddit ſine macula & ſine ruga, qua meliores reddimur, animique virtute perficimur, hæc, inquam, gratia non extrinſeca eſt, ſed interna. Pelagius vero in Epiſtola ad Demetriadem his plane verbis gratiam remiſſionis peccatorum deſcribit. Deinde Concilia & Patres in hac gratia id ſolum improbant, quod Pelagius cum ipſa non conjunxerit adjutorium ad vitanda peccata, & quod crediderit illam naturalibus meritis comparari, ut mox oſtendam. His ergo erroribus exploſis, Pelagius veram gratiam ſanctificationis confeſſus eſt. Poſtremo Julianus apud Auguſtinum lib. 1. cap. 9. ut vidimus, Gratiam remiſſionis peccatorum deſcribit verbis Chryſoſtomi: atque inter illius dotes hanc complectitur, quod ejus dono fit homo Dei templum, & organum Spiritus; & Pelagius fatetur per illam gratiam inſtaurari naturam. Quæ omnia proculdubio demonſtrant donum aliquod receptum in anima.

Secundam propoſitionis partem demonſtrant verba Auguſtini capite de Gratia Chriſti triceſimo: *Iſtam quippe gratiam, qua juſtificamur, ideſt qua caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis, in Pelagii & Cæleſtii ſcriptis, quæcunque legere potui, nuſquam eos inveni, quemadmodum confitenda eſt, confiteri*. Enimvero non confitetur gratiam remiſſionis peccatorum, quemadmodum confitenda eſt, quiſquis aſſerit illam dari ſecundum merita per ſolam arbitrii facultatem comparata, atque arbitratur valere tantummodo ad remiſſionem peccatorum, quæ commiſſa ſunt, non vero ad adjutorium, quo non committantur; videlicet, animam exornare, ſed nullam ei virtutem ad ſupernaturaliter operandum infundere. At Pelagius aſſerebat non a Deo *accipere, ſed a ſeipſis homines habere gratiam, qua liberamur ab impietate, & hanc ſecundum merita noſtra dari*, ut Auguſtinus ait hæreſi 88. Et rurſus affirmabat Pelagius auxilium gratiæ Salvatoris in hoc poſitum eſſe, *ut ignoſcat commiſſa præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda*, ut idem Auguſtinus ſcribit libro de natura & Gratia cap. 34. Exiſtimabat enim in noſtra poteſtate, non in Dei miſericordia eſſe opus quodlibet ſalutare. Igitur Pelagius habitualem Gratiam, quomodo confitenda eſt, nequaquam confitebatur. Hinc Concilium Milevitanum can. 3. definit per Chriſti gratiam non ſolum remitti peccata commiſſa, verum etiam conferri adjutorium ne committantur.

Opponit Suarez cit. Prolegom. V. de Gratia. Dona habitualia propter actus ſupernaturales dantur. Ergo his ablatis tollitur etiam habitus ſupernaturalis. II. Ex quo Patres & Concilia non damnaverint Pelagium negantem gratiam habitualem, non ſequitur hanc gratiam admiſiſſe; quia Pelagius de iis donis expreſſe non tractavit, vel quia doctrina de talibus donis non erat tunc declarata. III. Pelagius ante Peccatum nullum Dei donum agnovit præter naturalia: ſed dixit nos omnes generari in eo ſtatu, in quo fuit conditus Adam. IV. Gratiam adoptionis, quam admiſit in pueris, dixit eſſe in adultis præmium meritorum. Sed gratia habitualis non eſt præmium meritorum, ſaltem quæ naturæ viribus comparentur. Ergo Pelagius gratiam illam habitualem non admiſit.

Reſp. ad primum, nego antecedens; habitus enim ſupernaturalis datur in ſenſu Pelagii ad decorem ornatumque animæ, atque ad hoc ut ea ſit templum Spiritus Sancti, & membrum Chriſti, ipſiuſque inſtauretur natura. Ad alterum dico Concilia & Patres non ſolum damnaſſe Pelagii dogma circa adjutorium gratiæ actualis; verum etiam pertractaſſe de iis, quæ ille proferebat, ut illuderet Catholicis, & videretur gratiam Dei confiteri, ut de lege & doctrina, de exemplis Chriſti, de ipſa peccatorum remiſſione, in qua, cum id ſolum redarguerint, quod Pelagius ab ea ſejunxerit actuale auxilium; conſequens eſt, hæreticum gratiam hujuſmodi non denegaſſe. Ad tertium fateor in ſenſu Pelagii gratiam remiſſionis peccatorum eſſe quodammodo naturalem, utpote arbitrii meritis comparatam; at non ſequitur ex hac præmiſſa, nullum nobis donum conferri præter illa, quæ naſcendo nobis conferuntur; alioqui denegaſſet quoque vitam æternam, & baptizatis, juſtiſque regnum Cælorum. Quod ſequitur probat ſolummodo Pelagium non admiſiſſe gratiam habitualem, quemadmodum confitenda eſt; & poteſt etiam argumentum ſic comparatione eludi: Gratiam vitæ æternæ, quam admiſit Pelagius, dixit eſſe in adultis præmium meritorum. Sed vita æterna non eſt præmium meritorum, ſaltem quæ naturæ viribus comparantur. Ergo Pelagius vitam æternam minime admiſit. Falſiſſima eſt conſequentia.

Opponit 2. idem Suareſius lib. VII. de Gratia cap. 6. Auguſtinus Epiſtola 95. docet, Pelagium, licet admiſerit gratiam remiſſionis peccatorum, hanc tamen exiſtimaſſe non fieri per interioris gratiæ ſubminiſtrationem: *Sive gratiam dixerit eſſe liberum arbitrium, ſive gratiam eſſe remiſſionem peccatorum, ſive gratiam eſſe legis præceptum; nihil eorum dicit, quod per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti pertinet ad concupiſcentias, tentationeſque vincendas*. II. Idem Auguſtinus lib. de Grat. Chriſti cap. 2. ait, putaſſe Pelagium nos ſalvari *adjutos, non aliqua ſubminiſtratione virtutis, ſed viribus propriæ voluntatis*. III. Concilium Milevitanum damnans Can. 3. gratiam ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, videtur damnare Pelagium,

quod

Digitized by Google

quod in remiſſione peccatorum gratiam habitualem non intellexerit. IV. Divus Auguſtinus fatetur ſe in ſcriptis Pelagii, & Cæleſtii nunquam potuiſſe invenire gratiam, qua juſtificamur; ita de Gratia Chriſti cap. 30.

Reſp. ad 1. minime citata Epiſtola Auguſtinum aſſerere, quod juxta Pelagii mentem fiat peccatorum remiſſio ſine interioris gratiæ infuſione; ſed hoc unum affirmat, nec liberum arbitrium, nec legem, nec remiſſionem peccatorum, quæ omnia admittebat Pelagius, eſſe adjutorium, quod per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti datur ad tentationes & concupiſcentias vincendas, ideſt gratiam actualem voluntatis & operis, quam negabat hæreticus. Id vero ex ipſis Auguſtini verbis eſt manifeſtum. Per hæc diluitur ſecundum, & tertium; nam utique ſubminiſtrationem virtutis inficiabatur Pelagius; at Concilium Milevitanum definit non ſolum pertinere ad gratiam, quod remittantur peccata, ſed etiam quod non committantur: quorum unum fatebatur Pelagius, negabat alterum. Notandum hic obiter, Scholaſticos nonnullos, qui putarunt diſputatum fuiſſe cum Pelagio de neceſſitate gratiæ habitualis, nominis æquivocatione, & ignorantia hiſtoriæ lapſos non leviter: quod animadvertit etiam Gabriel Vaſquez diſput. 196. cap. 3. num. XIII. Ad ultimum liquet ex verbis Auguſtini, Pelagium non admiſiſſe gratiam habitualem, quemadmodum debebat eam confiteri, ideſt, non comparatam per vires naturales arbitrii, & collatam cum ſubminiſtratione virtutis. Leviſſima ſunt ergo momenta Suareſii, noſtramque aſſertionem potius corroborant.

PROPOSITIO II. Præter habitualem Gratiam neceſſarium eſt ad actus ſupernaturales præmovens aliquod actuale adjutorium.

Sequitur ex dictis; & ulterius probatur Scripturis, Conciliis, Patribus, & ratione. Enimvero Pſalm. 126. ait Regius Vates: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam*: & Pſ. 26. 9. *Adjutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus*: quibus verbis Innocentius in Epiſtola ad PP. Conc. Carthag. *Nos ergo dicimus* (inquit) *quid oremus? Cum ille tantopere beatus vir, ne deſpiciatur, exorat. Illi enim neceſſe eſt ita arguant, qui iſta confirmant. David enim orationis ignarus, & ſuæ naturæ neſcius accuſetur: qui cum ſciat in ſua ineſſe natura, adjutorem ſibi Deum, & aſſiduum adjutorem invocat; nec illi ſufficit aſſiduum, ſed ne aliquando illum deſpiciat, orationibus pronus exoptat, & per corpus omne pſalterii hoc & prædicat & clamat*. Et paucis interjectis rationem his verbis addidit: *Nam quamvis redemiſſet hominem* (Deus) *a præteritis peccatis; tamen ſciens iterum poſſe peccare, ad reparationem ſibi, quemadmodum poſſet illum & poſt iſta corrigere, multa ſervavit; quotidiana præſtat ille remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*. Habet ſimilia in Epiſtola ad PP. Milevitanos. Apoſtolis quoque, tametſi juſti eſſent, ait Chriſtus Joannis x. v. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*: quo teſtimonio neceſſitatem gratiæ actualis demonſtrat Auguſtinus de Gratia Ch. cap. 30. & alibi frequentiſſime. Ad rem ſimiliter facit exemplum Petri, de quo ait Ambroſius apud Auguſtinum citato libro cap. 45. *Nam ſi Petrus lapſus eſt, qui dixit, Etſi alii ſcandalizati fuerint, ego non ſcandalizabor; quis alius jure de ſe præſumat?* Ergo etiam juſtis divinum auxilium eſt implorandum, eoque indigent.

Hoc idem infertur ex canone x. ſecundæ Synodi Arauſicanæ: *adjutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare*. Cui Arauſicano Canoni conſonant verba Cæleſtini in Epiſtola ad Epiſc. Galliæ; ubi cap. 8. docet, filios Dei, qui Divino Spiritu aguntur, & proculdubio habent gratiæ habitualis ornamentum, *ut bonum aliquod agant, paternis inſpirationibus tangi*.

Confirmat hactenus dicta S. P. Auguſtinus: etenim de Gratia Chriſti cap. 25. allatis verbis Apoſtoli ad Rom. VIII. 14. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*, & Matth. x. 20. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*, hæc ſcribit S. Doctor: *Profecto ut agant quod bonum eſt, ab illo aguntur qui bonus eſt*. Et infra: *Nec ait, Spiritus Patris veſtri, qui vobis dat, vel dedit poſſe bene loqui: ſed ait, Qui loquitur in vobis, non ſignificans poſſibilitatis profectum, ſed exprimens cooperationis effectum*. Quo in loco S. P. aperte neceſſitatem actualis, & cooperantis adjutorii demonſtrat. Et de Correpť. & Grat. cap. 2. diſerte gratiam ſingulis neceſſariam appellat *inſpirationem bonæ voluntatis atque operis*. Ut enim dictum eſt ſupra, hanc negabat Pelagius, & pro hac tantæ Auguſtini adverſus hæreticum poſtulationes.

Accedit Theologica ratio. Primo enim Juſtus divinæ gratiæ auxilium quotidie poſtulat: at, quemadmodum Auguſtinus ſcribit de Grat. Chriſti cap. 15. *Cur petitur quod ad noſtram pertinet poteſtatem, ſi Deus non adjuvat voluntatem?* Deinde in contraria ſententia, ſolum poſſe, non autem velle atque operari tribuitur Deo, quandoquidem habitus cum ſe teneant ex parte *actus primi*, adjuvant *poſſibilitatem*, non autem operationem. Poſtremo ſi Adam præter originalem juſtitiam, in qua illum conſtituerat qui fecerat rectum, indigebat adjutorio ſine quo perſeverare non poterat; quanto magis adjutorium actualis gratiæ erit iis neceſſarium, qui cum Apoſtolo ingemiſcunt dicentes: *Video legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati?*

Dices 1. Quælibet potentia naturalibus habitibus, qui illam compleant, inſtructa, poteſt ex ſe prodire in actum. Ergo etiam habitu ſupernaturali exornata. = Reſp. diſt. ant. cum divino concurſu, ac præmotione ordinis naturalis, concedo: abſque tali præmotione, nego. Atque ita ad actus ſupernaturales præter gratiam habitualem neceſſariam dico præmotionem & concurſum ordinis Gratiæ, cum D. Th. 1. 2. q. 109. art. 1. & 3. Verum tamen eſt, quod in hoc ſtatu propter concupiſcentiam & ignorantiam, non ſufficit quod virtute divina moveamur ad bene agendum; ſed requiritur etiam, ut voluntas infirma ſanetur, atque ad bona opera efficaciter præmoveatur, ut docet ibidem S. Thomas, & a nobis demonſtratum eſt alio in loco.

Dices 2. Concilium Milevitanum Canone 3. ſuperiori propoſitione laudato definit gratiam, qua juſtificamur, non ſolum conferre remiſſionem peccatorum, quæ commiſſa ſunt, ſed etiam adjutorium, quo non committantur. = Reſp. Id quidem jure ac merito a ſancta Synodo definitum contra Pelagium affirmantem gratiam juſtificationis ſpectare ad ſolum animæ ornatum, & nullam ad actus ſupernaturales impertiri virtutem. Nec ſequitur, ſi gratia habitualis adjutorium, ac virtutem impertit, quid opus eſt auxilio gratiæ actualis? Ut enim prædicta quæſtione nono articulo docet Angelicus Doctor, *Homo ad recte vivendum dupliciter auxilio Dei indiget. Uno quidem modo quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta ſanetur, & etiam ſanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut a Deo moveatur ad agendum*. Quod S. P. Auguſtinus in lib. de nat. & gratia cap. 26. duplici declarat exemplo: unum eſt infirmi hominis, qui cum ſanatur a medico, ſuſtentandus eſt etiam elementis, & alimentis corporalibus, ut eadem ſanitas apto ſubſidio convaleſcat atque perſiſtat; alterum corporeorum oculorum, qui etiam pleniſſime ſani, cernere colorata, niſi candore lucis adjuti, non poſſunt.

Dices 3. Per gratiam habitualem Spiritus Sanctus in nobis habitat. At Spiritus Sanctus omnipotens eſt. Omnia ergo poſſumus per hanc gratiam = Reſp. diſt. ma. Spiritus Sanctus habitat ſanando & juſtificando, conc. inſpirando dilectionem, & ſubminiſtrando virtutem; ſubdiſtinguo, Atque id pertinet ad gratiam habitualem, nego: ad actualem, concedo. Vera eſt etiam minor propoſitio; poteſt enim Spiritus Sanctus inhabitans ſubminiſtrare adjutorium operationis, & ſanctam inſpirare delectationem. Atque ſi id impertiatur, aderit actualis gratia ad bene operandum neceſſaria.

Dices 4. Habitus eſt perfectior actu. Poteſt ergo actum ipſum efficere = Reſp. diſt. ant. Habitus eſt perfectior actu, ut Scholæ loquuntur, *ſecundum quid*, quatenus diuturnior & permanens eſt, conc. Eſt perfectior *ſimpliciter* & abſolute, nego. Sicut enim turpius eſt male agere, quam poſſe male agere; ita perfectius eſt facere bona, quam poſſe. Ad illud vero quod infertur, dico poſſe quidem habitum proportionatos ſibi actus efficere, ſed accedente concurſu ordinis gratiæ, ideſt adjutorio voluntatis, & operis. Nec ſequitur, ſi habenti gratiam alia gratia eſt neceſſaria, dabitur proceſſus in infinitum, ut quidam objectant. Nam habenti gratiam habitualem eſt neceſſaria actualis, non vero alia habitualis quemadmodum oculo pleniſſime ſano non eſt neceſſaria ſanitas, ſed candor lucis; & qui firmo corpore eſt, non indiget valetudine, ſed alimentis.

CAPUT VII.

Quæritur quid ſit gratia.

ARBITROR ex dictis manifeſtum, nos Gratiæ nomine minime ſignificare hoc in libro Conditoris dona ad naturam ſpectantia, inter quæ in creaturis ratione præditis facultas liberi arbitrii ſingulare eſt ac præcipuum. Quamquam & dona iſtiuſmodi non immerito *Gratiæ* dicuntur, ſignificante Gratiæ vocabulo omne id, quod alteri *gratis*, ideſt liberalitate donatoris confertur. Eam ob rem *non improbanda ratione gratia Dei dicitur qua creati ſumus, quia non præcedentium aliquorum bonorum operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt*, ſcribit Auguſtinus Epiſt. 177. alias 95. Quibus ſimilia habet de Prædeſtinat. SS. cap. 5. oſtendens quo jure ſit gratia, *qua ſumus animantia rationabilia, diſcernimurque a pecoribus*. Ac multo minus de illa nunc diſſertatur gratia, quam latini Scriptores appellitant aut auctoritatem, aut amicitiam, aut beneficii memorem animum, aut rationem ſtudiumque, quibus gratificamur alicui, ſive in memoria & remuneratione tenemus officiorum, honorumque obſervantiam. Gratiam itaque dicimus hoc loco beneficium nobis divina liberalitate collatum, non quod ad naturam attinet, vel ad proprietates illius, ſed quod pertinet ad ſupernaturalem beatitudinem, atque ad eam comparandam intellectum illuſtrat, & voluntatem corroborat. Præcipue autem loquimur de

gratia actuali; nam habitualem quam vocant, ad controverſias Pelagianas non ſpectat, eaque erit ſequentis libri XIX. argumentum.

In quo autem actualis Gratiæ ſit conſtituenda natura, viri Theologi non conſentiunt. Thomiſtæ complures illam ſtatuendam arbitrantur in actuoſa qualitate, quæ phyſice noſtrum velle operatur. Et de efficientia quidem phyſica ego ſane doctis viris pleniſſime adhæreo, eum moralem efficientiam attrahentem ſola propoſitione objecti, ſalva aliorum opinatione, non valeat tarditas ingenii mei a lege, atque doctrina ſecernere. Ceterum nec percipio quid ſit illa qualitas, illamque ſcio Thomiſtis omnibus non probari: nam adverſus illam acerrime pugnat Joannes Gonzales Controv. 1. de Gratia art. 3. ſtatuunt alii naturam Gratiæ in motibus indeliberatis intellectus & voluntatis, quos nonnulli putant fieri a Deo ſine nobis, ut Alvarus Pelagius, Capreolus, Vega: alii probabilius tenent effici etiam a potentiis animæ; cum enim ſint vitales, & intrinſeci, petunt proculdubio intrinſecum, & vitale principium. Quæ ſententia inter Theologos etiam Noſtrates videtur eſſe communior. Emmanuel Maignanus videtur actualem gratiam conſtituere in motione Dei ipſos actus indeliberatos præveniente; quæ fuit etiam ſententia memorati Joannis Gonzales, citata Controverſia art. 4. Thomas Braduardinus, Eſtius, Tiphanius Jeſuita, aliique Gratiam nihil aliud eſſe contendunt, quam Dei voluntatem & miſericordiam nobis intime præſentem, & in nobis gratuito affectus ſalutares operantem; quemadmodum concurſus Dei prævius ad opera naturalia plurium Theologorum ſenſu nihil eſt aliud, quam omnipotentia divina intime ſecundis cauſis aſſiſtens, eaſque pro ſingularum conditione juvans, ac præmovens. Cæterum hæc poſtrema opinio, licet plauſibilis admodum, potius gratiæ demonſtrat principium, quam naturam, atque ego ex his omnibus unam ſententiam conficio, quam arbitror eſſe certiſſimam, nam in ſingulis veri aliquid ineſſe deprehenditur.

PROPOSITIO. Gratia eſt actus intellectus & voluntatis, ſive mentis illuſtratio, & inſpiratio caritatis, ſed magis in delectatione, quam in illuminatione ſita eſt; efficitur autem motione Dei, quæ eſt ipſa Dei voluntas ſubminiſtrans hanc delectationem, & caritatem, & poteſt ſenſu non malo qualitas appellari.

Quod Gratia Dei complectatur colluſtrationem mentis, & delectationem voluntatis, faciliimum eſt ſuadere. Primo enim ſacræ literæ gratiam appellant lucernam ſuper caput ſplendentem, benedictionem dulcedinis, cordis inclinationem, & cor novum, dilectionem, caritatemque: atque illam explicant verbis pulſandi, invitandi, vocandi, trahendi: quæ omnia interiorem ſenſum mentis, & voluntatis commonſtrant. II. S. Pontifex Cæleſtinus in Epiſt. ad Galliarum Epiſcopos cap. 8. ſcribit, *Præparatur voluntas a Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium*. III. Etiam Tridentinum Concilium ſeſſ. VI. can. 3. Gratiam vocat *prævenientem Spiritus Sancti inſpirationem, atque ejus adjutorium*: & cap. ejuſdem ſeſſ. 6. declarat in nobis gratiam operari, *tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem*. IV. Inſuper Auguſtinus lib. II. de Peccatorum meritis cap. 17. Gratiæ munus eſſe demonſtrat, *ut innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat*. Et proximo cap. 19. gratiam vocat *certam ſcientiam, & victricem delectationem*, nec non *lucem, qua illuminantur tenebræ, & ſuavitatem, qua dat fructum ſuum terra noſtra*. V. Poſtremo ſuffragatur etiam Theologica ratio: Duo enim ſunt, quæ hominem ab operibus ſalutaribus retrahunt, ſive quia latet, ſive quia non delectat quod faciendum eſt: Ergo Gratiæ adjutorium, quod avertit hujuſmodi impedimenta, erit illuſtratio mentis & lumen oſtendens quod antea latebat, & inſpiratio dilectionis ſuave reddens quod antea non delectabat, ut nuper dicebam cum Auguſtino.

Hanc inſpirationem dilectionis potius, quam illuminationem mentis, eſſe illam Gratiam, pro qua Sanctus Pater decertavit, exiſtimo in Auguſtino rem eſſe majoribus quaſi theatris propoſitam. Et quamquam id ante omnium oculos poſuerim præcedenti cap. 5. prop. 3. nunc eamdem veritatem teſtimoniis, & rationibus confirmabo. Itaque S. Pater de Gratia Chriſti cap. 6. redarguit Pelagium, quod doceret quidem Deum noſtram poſſibilitatem gratiæ ſuæ ſemper adjuvare auxilio, ſed non laudem dediſſe Deo, contendo, *Quia ſi ſic vult homo, tamen ejus voluntati Deus ardorem dilectionis inſpiret*. Gratia ergo voluntatis & operis, quam denegabant Pelagiani, eſt ſanctæ dilectionis inſpiratio. Sequenti cap. 9. probat S. Pater legem, atque doctrinam non eſſe gratiam, quoniam ad operandam juſtitiam lex humanam voluntatem non adjuvat: *Nemo*, inquit, *poteſt legem implere per legem. Plenitudo enim legis caritas; caritas autem Dei non per legem diffuſa eſt in cordibus noſtris, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Perinde per legem gratia demonſtratur, ut lex per gratiam compleatur*. Igitur juxta Auguſtinum Gratia, qua legem implemus, eſt caritas. Proximo cap. 10. de eodem Pelagio ait: *Iſtam aliquando gratiam fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verum etiam creditur, & ſperatur; nec ſolum revelatur ſapientia, verum etiam & amatur*. In amore ergo gratia potiſſimum ſira eſt. Undecimo capite oſtendit in magnitudine revelationum poſſe elationem exiſtere, & de caritate tantummodo ſcriptum eſſe, *Caritas non æmulatur, non inflatur*. Unde infert gratiam non eſſe revelationem ſapientiæ, ſed dilectionem. Præclara ſunt quæ S. Pater habet capite primo ac viceſimo: *Cum ergo dicat Scriptura, Caritas ex Deo eſt, vel quod eſt amplius, Deus caritas eſt, cum apertiſſime clamet Joannes Apoſtolus, Ecce qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii Dei vocemur & ſimus, iſte audiens, Deus caritas eſt, quare adhuc uſque contendit, quod ex illis tribus tantummodo poſſibilitatem habeamus ex Deo, bonam vero voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis? Quaſi vero aliud ſit bona voluntas, quam caritas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & a Patre datam, ut filii ejus eſſemus*. Quibus manifeſtiſſime docemur, gratiam bonæ voluntatis & actionis, quam denegabat Pelagius, nihil aliud eſſe quam caritatem. Legatur & prope finem capitis 26. ubi expendens Apoſtolica verba, *Fides per dilectionem operatur*, in hunc plane modum proloquitur: *Ac per hoc gratiam Dei, qua caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, ſic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet*. Conſiſtit itaque gratia io caritate per ſubminiſtrationem Spiritus in cordibus noſtris diffuſa. Atque ſimilia in aliis contra Pelagianos editis libris paſſim Auguſtinus deprædicat.

Et quidem ratione plurima. Primo namque non eſt conſequens, in qui habet donum ſcientiæ, habeat etiam donum gratiæ adjuvantis voluntatem & operationem, ut ſupra oſtendimus cap. 5. auctoritate & exemplis. Deinde ſuperna mentis illuſtratio, tametſi beneficium Dei eſt, eamque a Patre luminum poſtulamus verbis Davidicis, *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam*, & neceſſaria eſt cum ad percipienda divina mandata ac promiſſa, tum ad diſpellendas mentis tenebras, & pœnalem filiorum Adæ cæcitatem; præſtat nihilominus, ut cognoſcamus quid agere debeamus, non efficit ut agamus; & proinde ſpectat ad gratiam poſſibilitatis, non ad adjutorium operationis. Præterea illa proprie dicenda eſt gratia actualis, quam Pelagius nunquam confeſſus eſt: hunc vero hæreticum noluiſſe unquam profiteri gratiam conſiſtentem *in inſpiratione flagrantiſſima, & luminoſiſſima caritatis*, tradit expreſſe Auguſtinus memorato libro de Gratia Chriſti cap. 35., & nos ſupra notum teſtatumque reddidimus. Denique nihil eſt gratia, niſi bonorum operum principium, & virtus illa animæ inhærens, qua bonum, & ſalutare opus proſequimur. At radix & principium bonorum operum eſt caritas, dicente Auguſtino de Spir. & lit. cap. 14., *Non enim actus eſt bonus, qui de caritatis radice non fit*. Et de Gratia Chriſti cap. 18. *Apoſtolus Paulus cum dicit radicem malorum omnium eſſe cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium caritatem*. Et Magno Gregorio Homilia 17. in Evangelia: *Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice caritatis*. Atque eamdem caritatem nos ad bona opera trahere ex eo conſtat, quod amor eſt animi pondus, & illud operamur quod nos delectat. Quod & S. Pater ſcribit de Spiritu & lit. cap. 3. *Quando caritas cœpit non latere, niſi etiam delectet, non operatur*: & habemus in communi proloquio, *Trahit ſua quemque voluptas*. Ratione ergo, & auctoritate, conſtat, gratiam actualem in delectatione, & caritate eſſe potiſſimum conſtituendam.

Verum cum multi, nec infimæ notæ Theologi gratiam conſtituant, in motione quadam Dei præveniente caritatem; nos hanc motionem minime gratiam eſſe negamus; ſed dicimus hanc gratiam eſſe increatam, ſive Dei benevolentiam & voluntatem nobis inſpirantem actum dilectionis; non gratiam creatam & dilectionem ipſam, qua voluntas ad bene operandum movetur: vel, ut loquamur clarius, Deum ſubminiſtrantem caritatem eſſe principium efficiens gratiæ, caritatem gratiam ipſam eſſe arbitramur. Etenim per gratiam caritatem diffundi in cordibus noſtris Auguſtinus locis ſupra productis aperte teſtatur, & in Epiſtola ad Paulinum 106., nunc 186., aliiſque io locis plurimis gratiam docet præcedere voluntatem hominis, & prævenire caritatem. Cæleſtinus etiam laudata Epiſtola ad Epiſcopos Galliarum definit *omnes ſanctas cogitationes, & omnes motus bonæ voluntatis, non tantum quoad incrementa, ſed quoad eorum exordia, referri debere ad Dei gratiam, qua præparatur voluntas*: & D. Thomas de Veritate q. 24. art. 14. gratiam actualem eſſe affirmat *miſericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur*. Hæc tamen recte ſapienterque dicuntur de gratia conſiderata ex parte Dei; etiamſi hæc conſiderata ex parte noſtra ſit gratuitus effectus ipſius divinæ motionis, videlicet motus quidam animi, ſive amor & delectatio. Quare idem S. Thomas 1. 2. q. 110. art. 2. ſcribit: *In eo, qui dicitur gratiam Dei habere, ſignificatur eſſe quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis. Dictum eſt autem ſupra, quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Uno modo in quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquod cognoſcendum, vel volendum, vel agendum. Et hoc modo ipſa*

gra-

Google

gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ. Actus enim moventis in moto eſt motus, ut dicitur tertio Phyſicorum. Ergo etiam per Divum Thomam Gratia, quæ comparate ad Deum eſt Dei voluntas & miſericordia operans in nobis motum mentis, & voluntatis, ſi conſideretur ex parte noſtra, eſt gratuitus ejuſdem voluntatis effectus, eſt motus quidam animi, eſt amor, caritas, delectatio.

Ex poſtremis S. Thomæ verbis infertur, neque hunc Scholaſticorum principem exiſtimaſſe, quod actualis gratia ſit de illo genere qualitatum, quas tam magnifice celebrant Peripatetici. Quamquam enim Thomiſtæ aliqui reſpondent S. Thomam excludere a ratione gratiæ actualis qualitatem, quam *habitum* dicimus, non illam, quam appellitant *diſpoſitionem*; nihilominus certum eſt in ſchola Peripateticorum motum non eſſe qualitatem, ſed actum quemdam ſpectantem ad aliud, ut inquiunt, *prædicamentum*. At Angelicus Doctor actualem gratiam contendit eſſe animi motum. Quomodo ergo erit qualitas? Præterea D. Thomas 1. 2. q. 112. art. 3. comperat gratiam motioni, qua Deus, ſecundum modum uniuſcujuſque, movet cauſſas ſecundas ad operandum; id vero, quo Deus in naturalibus ſecundas cauſſas præmovet, non eſt qualitas aliqua nec habitualis, nec actualis. Similiter ergo gratia, qua movet ad opera ſupernaturalia, non erit qualitas, ſed motus, alterius tamen ordinis ab illo, quo lege providentiæ creaturæ juvantur, & his ad opera ſupernaturalium virtutum perficienda vim & poteſtatem impertiens. Rurſus nulla qualitas, ut demonſtrat eruditus Thomiſta Joan. Gonzalez, movet intellectum, & voluntatem *quoad exercitium*, ſed tantum *quoad ſpecificationem*: ideſt, qualitas nullum actum operatur, niſi ab alio principio determinetur, & moveatur. Quibus addo iſtiuſmodi qualitatem ad actum primum pertinere, non ad actum ſecundum. Quid eſt enim forma, aut qualitas inhærens, quæ eſt principium actus ſecundi, niſi id, quod Scholaſtici conſueverunt appellare actum primum? Cum ergo gratia in nobis operetur ſalutares effectus, & ſit adjutorium non ſolum poſſibilitatis, ſed etiam operationis, nequit in qualitate conſiſtere; imo ſi eſſet qualitas, neceſſaria foret ad operationem alia gratia, motum ſcilicet animæ, & gratia efficax non tantum prædeterminaret actum ſecundum, ſed etiam primum, & libertatem everteret, ut demonſtrat laudatus Thomiſta Controverſia 1. art. 3. argumentatione prima, & confirmatione ſecundæ. Atque his miſſis, quis percipit qualitatem conſtitutam in tertia Categoria poſſe bonæ voluntatis eſſe principium? quis ignorat ſcripſiſſe Apoſtolum ad Philippenſes, quod *Deus operatur in nobis velle?* quis negat *omnipotentem in cordibus noſtris inſpirare dilectionem, caritatem, delectationem?* quis in tot Auguſtini libris non his vocabulis, ſed phyſicæ qualitatis nomine Gratiam deſignari comperit? Ergo hanc ad ſenſum Banneſii qualitatem explodimus. Attamen quoniam homo gratia præventus virtutem habet ſupra naturæ vires, & poteſt ſupernaturalem beatitudinem adipiſci; ſi *qualitatis* nomine intelligat id, quod non pertinet ad naturam, illamque aut adjuvat, aut perficit, aut exornat, certum eſt Gratiam eſſe de genere *qualitatum*.

COROLLARIUM.

Apparet ex his optimam eſſe definitionem Gratiæ a nobis traditam libro IV. cap. XI. & deſumptam ex Auguſtino lib. IV. ad Bonifacium cap. 5. *Gratia eſt inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus.* Quæ ſola definitio, ſi accurate expendatur, omnia quæ diximus confirmat. Deus enim dilectionem inſpirans eſt gratia conſiderata ex parte Dei, & ita nos aſſentimur Theologis, qui gratiam nihil aliud putant, niſi voluntatem, & miſericordiam Dei, ſive Deum ipſum, qui nobis voluntatem bonam inſpirat. Ipſa dilectionis inſpiratio nihil eſt aliud, quam Dei motio intellectum illuminans, & inflammans; ideoque non recedimus omnino ab illorum opinione, qui gratiam conſtituunt *in motione quadam virtuoſa*. At caritas, quæ nobis inſpiratur, eſt motus animi, & ſancta delectatio trahens ad opera ſalutaria, & faciens, ut faciamus: & conſequenter in Caritate vere & proprie conſiſtit gratia, ſi conſideretur ex parte noſtri.

AD EA, QUÆ DICTIS AVERSANTUR, RESPONSIO.

Stant contra prædicta argumentationes, quæ ſequuntur. Prima eſt: Gratia eſt neceſſaria ad omnia opera bona: Caritas eſt opus bonum: Igitur Gratia etiam ad caritatem neceſſaria eſt. Secunda: Gratia prævenit caritatem, & voluntatem bonam; non ergo ipſa gratia in caritate, & voluntate bona conſiſtit. Tertia: Caritas eſt actus ſupernaturalis; præſupponit itaque in voluntate principium, & virtutem intrinſecam, unde efficiatur. Quarta: Gratia ut dictum eſt, appellatur illuminatio, inſpiratio, vocatio, & vocabulis aliis conſimilibus, quæ non ſignificant vitalem aliquam animæ operationem, ſed impulſum, atque vim effectricem, cujus ope anima illuminatur, atque excitatur. Quinta: Gratia ſaltem præveniens ea eſt, per quam Deus operatur in nobis ſine nobis; At caritas nequit abſque voluntate noſtra produci: Igitur Gratia ſaltem præveniens ab actuali caritate diſtinguitur. Poſtrema: Intellectus ad ſupernaturaliter operandum indiget qualitate aliqua intrinſeca, ſive ſit fidei donum, ſive propheticum lumen, ſive raptus, qualis contigit Paulo, ſive lumen gloriæ. Eſt ergo neceſſaria ſupernaturalis qualitas etiam ex parte voluntatis ut bonum velit, & diligat.

Non eſt operoſum ex dictis hæc ſtatim elidere. Nam ad primum argumentum reſpondeo caritatem eſſe quidem opus bonum, ſed primum, & radicem cæterorum; quod inſpiratur a Deo ſubminiſtratione Spiritus Sancti, ut bene operari poſſimus. Ad caritatem ergo eſt neceſſaria gratia increata, ideſt Dei benevolentia & voluntas nobis intime præſens, & gratuito beneficio tenebras mentis diſcutiens, & voluntatem inſpiratione dilectionis alliciens. Ad cetera bona opera neceſſaria eſt ipſa caritas. Atque hoc ſenſu totum argumentum conceditur. Idem dicendum eſt de ſecundo; ſiquidem Gratia, quæ prævenit caritatem, eſt ipſe Deus, qui illam nobis liberali donatione largitur; atque, ut inquit Eſtius in 2. ſent. diſt. 26. §. 5. *Caritas, qua Deus diligit nos, prævenit caritatem, qua nos eum vicisſim diligimus.* Tertium pariter diluitur, dicendo actum ſupernaturalem præſupponere quidem principium intrinſecum, motionem ſcilicet Dei, qui nobis eſt intimior intimo noſtro, & flagrantiſſima caritate innovat cor novum in viſceribus noſtris. Ad quartum jam diximus illuminationem & inſpirationem, ſi conſiderentur ex parte Dei, eſſe veritatem & caritatem, ideſt Deum ipſum largientem nobis lumen & dilectionem; ſi autem ex parte noſtra, ipſam piam cogitationem, ac ſanctam dilectionem nobis divinitus inſpiratam. Nam & dum ſol lumen diffundit, lumen & calor ſunt reſpectu ſolis ejuſdem impulſus & devolutio; reſpectu autem ſubjectorum corporum, horum motus & agitatio: licet ſi hæc ad qualitates velis referre, non eſt eadem ratio de ſummo Deo, qui caritas eſt, non accidente aliquo, ſed ſubſtantia. Quod ſequitur nullius eſt momenti; nam caritas, licet ſit a voluntate tamquam a principio vitali, non inſpiratur a Deo ob meritum aliquod naturale, ſed gratis omnino: atque dum dicitur Deus per gratiam operari in nobis ſine nobis, rejicitur decretum Pelagianorum, ſcilicet, *dari gratiam ſecundum merita noſtra.* Ad ultimum dico, eamdem eſſe de intellectu, & de voluntate rationem, & ſententia noſtra actualem illuminationem fidei, ac lumen propheticum nihil eſſe aliud, quam mentis illuſtrationem a Deo beneficentiſſima largitate productam; eamque comparate ad ipſum Deum eſſe intimam ejus præſentiam mentis tenebras diſpellentem, & comparate ad mentem noſtram, eſſe hujus irradiationem, & motum: quamvis loquendo de fide & gratia habituali, nec non de lumine gloriæ, admittendam cenſeo intrinſecam qualitatem, & habitudinem, ſenſu explicato libro III. cap. 3.

CAPUT VIII.

De Actualis Gratiæ diviſionibus.

ACCEPTO Gratiæ vocabulo pro qualicunque ſpirituali ac ſupernaturali dono, quod nobis ad propriam aut aliorum ſalutem confertur, conſtat dividi Gratiam in *gratis datam*, & in *gratum facientem*. Quarum prima ea eſt, quæ nobis ad proximorum utilitatem divina liberalitate tribuitur: altera, quæ ad propriam ſalutem eorum, quibus confertur, eſt potiſſimum ordinata. Etſi enim, ut vel ipſo nomine compertum eſt, quælibet gratia eſt gratis data; hoc tamen commune *gratiæ* vocabulum donis illis tribuitur, quæ non habent ſingularem proprietatem reddendi hominem Deo gratum, aut *formaliter*, quod præſtat habitualis gratia; aut diſpoſitive, quod efficit gratia actualis ſuperius definita. De hac proinde Gratia agendum nobis eſt ſpecialiter; nam Gratias gratis datas enumerat ſingillatim Apoſtolus in priori ad Corinthios cap. XII. v. 8. & ſequentibus.

Itaque Gratia alia eſt *præveniens*, *ſubſequens* alia. Prima eſt, qua Deus in nobis operatur priorem motum ſanctæ cogitationis ac dilectionis. Secunda eſt illa, quæ priorem illum motum ſubſequitur, ut homo opus ſalutare perficiat. De gratia *præveniente* ait Pſalmiſta pſ. 58. 11. *Miſericordia ejus præveniet me:* Auguſtinus lib. 2. ad Bonif. cap. 9. *Ut incipiamus, dictum eſt, Miſericordia ejus præveniet me:* Tridentinum Concilium ſeſſ. VI. Can. 3. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei gratia juſtificationis conferatur, anathema ſit.* De gratia *ſubſequente* ait idem Pſalm. pſ. 22. 6. *Et miſericordia tua ſubſequetur me:* Et Auguſtinus ibidem: *Ut perficiamus dictum eſt, Miſericordia ejus ſubſequetur me.* De utraque autem Romana Eccleſia in oratione Dominicæ poſt 16. Pentec. *Tua nos, quæſumus Domine, gratia præveniat, & ſubſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos.* Enimvero Deus nobis principio mentem colluſtrat, ac pium deſiderium inſpirat; tunc vero victrici delectatione ſanat languorem animi, & concupiſcentiæ motus refrenat; non deſerit, ſed adjuvat liberum arbitrium dum opus proſequitur; regit, ut perficiat: ac poſtremo largitur ſingulare donum perſeverantiæ, & coronat in

miſericordia, & miſerationibus. Pertinet ergo prior illa ſanctæ dilectionis inſpiratio ad *prævenientem* gratiam; reliqua ad *ſubſequentem*.

Hinc alia Gratiarum nomina, & diviſiones aliæ; quæ, ut opinor, a nuper tradita parum diſcrepant. Nam Gratia *præveniens*, quatenus in nobis operatur primam bonam voluntatem & ſanctam dilectionem, dicitur *Gratia operans*: & Gratia *ſubſequens*, per quam bona deſideria executioni mandantur, dicitur *Gratia cooperans*. Quamquam enim Theologi plures Gratiam *operantem* putant eſſe gratiam habitualem; quod nos nolumus controvertere, cum etiam *habitus* in opus influant aliquo modo: certum tamen eſt, Auguſtinum *operantem* gratiam illam appellare, quæ in nobis operatur bonam voluntatem, piamque delectationem. *Ipſe ut velimus* (inquit S. P. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 17.) *operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus, Certus ſum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu*. Et ſtatim cauſam reddit, cur Gratia *præveniens* ſit *operans*, & gratia *ſubſequens* ſit *cooperans*, dicens. *Ut velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur, tamen ſive illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus*.

Similiter non differt niſi nomine a Gratia *præveniente* Gratia *excitans*; nec a *ſubſequente* Gratia *adjuvans*. Nam gratia *præveniens*, quatenus per ſubminiſtrationem caritatis excitat animum ſomno oppreſſum, ideſt abreptum cupiditatibus, & nihil de ſanctis operibus cogitantem, eſt gratia *excitans*. Atque Gratia *ſubſequens & cooperans*, in quantum voluntatem excitatam adjuvat, ut bonum opus perficiat, dicitur Gratia *adjuvans*. Quæ Gratiarum nomina ſunt apud Auguſtinum frequentiſſima, nec non occurrunt in Concilio Arauſicano Canone 3. 4. 5. 6. & Tridentino; cujus ſeſſ. 6. cap. 5. hæc ſunt verba: *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis a Deiper Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo averſi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur*. Vide & Orationem Dom. XXIV. poſt Pentecoſten.

Celebris eſt diviſio Gratiæ actualis in *ſufficientem, & efficacem*. Sufficiens alio ſenſu dicitur a Molinianis, alio ab Auguſtini, & D. Thomæ diſcipulis. Illi gratiam *ſufficientem* appellant, quæ voluntati dat poſſe, & nullum effectum producit niſi ab humana voluntate determinetur: determinatur tamen, & quidem ſine gratia alia operationis, quæ tribuat etiam velle victrice, & flagrantiſſima delectatione. Atque hanc gratiam, ſi conferatur in aliquibus circumſtantiis, in quibus poſiti ſequimur vocantem, appellant dicti Theologi Gratiam *congruam*. Gratia ergo *ſufficiens* Moliniſtice nihil eſt aliud, quam celebre adjutorium *ſine quo* collatum Adæ, & neceſſarium in ſtatu Innocentiæ, de quo multa diſſerui lib. 4. cap. 8. Quare Molina nihil aliud præſtitit, niſi quod gratiam Conditoris in gratiam Salvatoris commutavit, & pro adjutorio hujus ſtatus ſubrogavit illud, quod Auguſtinus tradit Angelis, & primo homini neceſſarium. Cum ergo in hoc infirmitatis ſtatu neceſſarium ſit auxilium ab intrinſeco efficax, datur quidem & nunc gratia *ſufficiens*, ſed alio plane ſenſu, quam Theologi iſti depingant. Eſt ergo gratia *ſufficiens* ſenſu Thomiſtico, ac noſtro, illa quæ dat poſſe, non velle; aut ſi dat velle, illud adeo eſt invalidum atque imperfectum, ut deſideria carnis contraria concupiſcentiis non vincat, niſi ſuperveniente flagrantiſſima & potentiſſima caritate. Hujuſmodi ſunt inſpirationes, & pia animi deſideria, quæ perverſam animam movent, atque excitant aliquantulum, ſed illam ad converſionem non trahunt. Hanc *ſufficientem* gratiam in ſeipſo expertus eſt S. Pater paullo ante converſionem, eamque his verbis expreſſit octavo Confeſſ. ſuarum libro cap. 5. *Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam*. Ex quibus liquet gratiam *ſufficientem* aliquem ſemper affectum producere, nempe pium animi motum, & bonam voluntatem, ſed invalidam, & cui liberum arbitrium reſiſtit. Sequitur etiam gratiam, quæ in uno eſt *ſufficiens*, in altero, cujus vetus, & carnis voluntas cum nova & ſpirituali non adeo confligat, ut diſcordando diſſipet animam, eſſe efficacem, eamdemque gratiam talem eſſe reſpectu unius operis, E. G. orationis, quæ efficax non eſt comparate ad opera alia, E. G. obſervantiam omnium præceptorum divinorum; & demum conſtat omnem Dei gratiam, quantumvis minimam, eſſe in ſe ad opera ſalutaria *ſufficientem*, ut alibi diximus, ideſt, non efficere actus ſalutares propter obicem carnalis, & robuſtioris delectationis, cum tamen tribuat voluntati poſſe eam ſuperare, ſi velit. Ut autem velit, requiritur in hoc ſtatu ſancta delectatio victrix, quæ a nullo duro corde reſpuitur: & hanc nos dicimus gratiam eſſe *efficacem*. Igitur gratia *efficax* eſt illa: quæ ſemper cum effectu conjuncta eſt, ſive caritas, quæ dat poſſe & velle, & tantum velle, ut voluntatem carnis contraria concupiſcentem facile vincat; nec ſolum dat poſſe bene agere, ſed efficit ipſam actionem. Hanc S. P. de Corrept. & gratia cap. XII. appellat adjutorium *quo*. Atque ibidem *ſufficientem* gratiam explicat exemplo alimentorum, ſine quibus non poſſumus vivere, nec tamen cum affuerint, eis fit ut vivat qui mori voluerit; & *efficacem* comparatione beatitudinis, qua, cum data fuerit, homo fit continuo beatus. Hac gratia præventus Auguſtinus primo capite libri Confeſſionum noni ita Deum alloquebatur: *Quam ſuave mihi ſubito factum eſt carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera & tu ſumma ſuavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini; omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior, omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe. Jam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi & acquirendi & volutandi atque ſcalpendi ſcabiem libidinum, & garriebam tibi claritati meæ, & divitiis meis, & ſaluti meæ Domino Deo meo*.

Verum etſi Thomiſtis in confeſſione gratiæ *ſufficientis*, & *efficacis* concordiſſime conjuncti ſumus, & conſentimus nihil boni liberum arbitrium perficere, niſi victrice gratia flectatur, & determinatur ad actum; diſſentimur tamen ab illis non ſolum in explicanda Gratiæ natura, verum etiam in eo, quod nolint in eadem gratia gradualitatem admittere; & gratiam quæ in uno *ſufficiens* & *inefficax* eſt, non poſſe *efficacem* eſſe in altero conſtantiſſime teneant, propterea quod auxilium *ſufficiens* & *efficax* inter ſe *ſpecie* differant, & natura. At nos eamdem numero delectationem, quæ in aliquibus minus excæcatis atque obduratis, E. G. in Tyriis, Sydoniiſque, foret *efficax*, & ad pœnitentiam traheret, in aliis majori cæcitate, & obduratione affectis *inefficacem* eſſe contendimus: nec tamen derogari gratiæ efficaci, quoniam ſi Deus talem delectationem inſpirat, qua perverſa cupiditas ſuperatur, id præſtat beneplacito ac propoſito voluntatis ſuæ; iiſque, quos vult efficaciter bene agere, talem impertitur caritatem, quæ nunquam ab eorum, quantumvis duro, corde reſpuitur. Atque in eo, quod hæc delectatio modo ſit victrix & valida, modo nondum idonea ad ſuperandam vetuſtate roboratam cupiditatem, arbitramur magis apparere, & liberalitatem beneficiorum Dei, & Spiritus, qui ubi vult ſpirat, & mirabilem eorumdem beneficiorum œconomiam. Quæ omnia, tametſi aliis in locis complanare ſtuduerim, cum non deſint viri docti hanc ſententiam rejicientes ad dogmata Janſenii, eo quod revera is alio tamen & perverſo ſenſu parvam, validamque delectationem propugnaverit, nunc quatuor theſibus illuſtrare & vindicare conabor.

PROPOSITIO I. Gratia eſt inſpiratio ſanctæ dilectionis; neque a caritate actuali diſtinguitur.

Arbitror neminem hanc Theſim damnati Janſeniani erroris reprehendere, cum ſit Auguſtini, ut ſupra probatum eſt.

PROPOSITIO II. Gratia efficax eſt victrix delectatio, ſive caritas, quæ ſuperat contrariam cupiditatem.

Et hæc conſtat ex dictis, & defenditur a Catholicis innumeris, ut dixi cap. ultimo lib. 4. Illam demonſtro 1. S. P. Auguſtinus per delectationem victricem explicat gratiæ efficaciam: quis autem ignorat quanta ſit in his quæſtionibus Auguſtini auctoritas? Afferam perpauca, quæ nequeunt exponi de gratia habituali, cum aperte dicta ſint de adjutorio in hoc ſtatu infirmitatis ad ſancta opera neceſſario. De Correpț. & Gratia cap. 11. pertractans de Gratia, qua indigent filii Adæ in certamine, & pugna carnis adverſus Spiritum laborantes ac periclitantes, ait: *Secunda ergo plus poteſt, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate Spiritus vincat*: & proximo cap. 12. *Eis non ſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint: ſed in eis etiam operatur & velle, ut quoniam non perſeverabunt niſi poſſint, & velint, perſeverandi eis poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint quia ſic volunt, ideo ſic velint, quia Deus operatur ut velint*. Quid ergo eſt per Auguſtinum Gratia Medicinalis, niſi qua accenditur voluntas, atque adeo inflammatur, ut pugnantem cupiditatem proſternat? Similiter lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 17. his verbis gratiæ neceſſitatem, atque efficaciam declarat: *Ideo quiſque noſtrum bonum opus ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non ſuæ facultatis, ſed divini muneris eſſe quod ſcit, vel quod delectatur, ac ſic ab elationis vanitate ſanetur, & ſciat quod vere non de terra iſta, ſed ſpiritaliter dictum ſit: Dominus dabit ſuavitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus ſummum atque incommutabile bonum, & auctor qualiumcunque bonorum omnium. Ut autem diligatur Deus, caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris non per nos, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Illuſtriora etiam ſunt, quæ habentur proximo capite 19. ejuſdem libri: *Nos autem quantum conceſſum eſt, ſapiamus, & intelligamus, ſi poſſumus, Dominum Deum bonum ideo etiam Sanctis ſuis alicujus operis juſtitiam*

ali-

Digitized by Google

aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant non a ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem qua illuminentur tenebræ eorum, & ſuavitatem qua det fructum ſuum terra eorum. Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & ſuave faciat quod non delectabat, quia & hoc ab ipſo eſſe deprecandum ejus gratia didicimus dum antea lateret, ejus gratia dileximus, dum antea non delectaret, ut qui gloriatur non in ſe, ſed in Domino glorietur? Cæcuciat autem oportet quiſquis non videt his locis efficax auxilium gratiæ appellari ab Auguſtino ſuavitatem, caritatem, delectationemque victricem. Sunt magis perſpicua verba S. Patris in libro de Spiritu & litera cap. 29. *Inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum ſanctum facit* (Deus) *plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.* Et cap. 35. *Fieret, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum quæ pertinent ad juſtitiam nos lateret, & ea ſic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis, dolorisve impedit, delectatio illa ſuperaret.* Atque his locutionibus ſunt Auguſtiniani libri pleniſſimi.

Solent reſpondere Adverſarii S. Patrem vel loqui de habituali delectatione gratiæ ſanctificantis, vel de illa delectatione, quæ non prævenit voluntatem, ſed oritur ex libera illius electione. Sed utraque reſponſio apertiſſime falſa eſt, neque eget confutatione. Prima; nam conſtat in his ſaltem locis a nobis productis S. Patrem diſſerere de adjutorio operationis neceſſario ad habendam, perficiendamque juſtitiam, ad bonum opus ſuſcipiendum, atque implendum; de illo ſcilicet adjutorio, de quo cum Pelagianis acerrime decertabat: idque recitatis verbis expreſſe traditur. Altera etiam reſponſio iiſdem locis revincitur; cum Auguſtinus requirat victricem delectationem, & caritatem, ut velimus, & diligamus. Hæc itaque delectatio, & caritas prævenit motum voluntatis, & eſt deliberata duntaxat, cùm voluntas huic præmoventi dilectioni libere obtemperat, & proſequitur opus, ad quod trahit faciendo, ut delectet quod antea non delectabat. Quod probare debent qui prævenientem gratiam in actibus indeliberatis conſtituunt, quandoquidem actus illi ſunt cogitatio ſancta, & amor & delectatio. Si ergo gratia præveniens ſit efficax, nihil erit aliud niſi bona voluntas, & delectatio victrix nobis divinitus inſpirata. Atque hæc videtur eſſe mens Auguſtini de Gratia & libero arbitrio cap. 17. hæc ſcribentis: *Ut ergo velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Non conveniunt tamen Aſſertores ſententiæ noſtræ hac in re. Nonnulli enim, quibus conſentit Macedo in Cortina Theſi 47. & 70. defendunt hujuſmodi delectationem eſſe actum deliberatum; affirmantes in eodem puncto, quo gratia inclinat movetque ſuaviter, voluntatem delectatam victrice gratia actum amoris elicere, ita ut ſit ille pleniſſime in liberi arbitrii poteſtate. Addunt gratiam eſſe principium meriti, quod ſine libertate & deliberatione minime comparatur: ac demum inſpirari delectationem a Deo intime nobis præſente, & perficiente libertatem, non illam neceſſario impellente. Atque id quidem, quod poſtremo dictum eſt, ad fidem Catholicam pertinet. Sed poſſumus hæc ad concordiam revocare. Etenim ſi gratia accipiatur ex parte Dei, quatenus eſt ipſa miſericordia movens, & caritatem inſpirans, nullatenus cum noſtra deliberatione conjuncta eſt, & hoc ſenſu ait Auguſtinus: *Ut velimus ſine nobis operatur.* Si conſideretur ex parte noſtra, eſt ipſa dilectio ſimul a Dei inſpiratione & voluntate noſtra promanans; a voluntate tamen, ut a Deo intime præſente præmota: atque ideo ſequitur Auguſtinus, *cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Quare, ut ſupra dictum eſt, Gratia quæ prævenit caritatem, eſt caritas Dei, ſive ipſe Deus nobis Spiritum ſuæ dilectionis inſpirans: & gratia *præveniens* opera libertatis eſt ipſa bona voluntas & caritas nobis inſpirata. Prima omnem noſtram deliberationem antevertit: altera cum ipſa deliberatione conjuncta eſt, comparate ad opera, quæ conſequuntur, libertatis, & meriti.

Ut modo ad theſim diſputatio noſtra redeat; illa videtur etiam ſacris literis, & rationi conformior. Nam verba illa Pſalmi 84. 13. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*, de gratia victricis delectationis explicari, viſum eſt ſupra. Legitur in Pſalmo 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Item Ezechielis 36. 26. 27. *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Eſt ergo gratia quæ facit ut operemur, & cuſtodiamus præcepta, illa, quæ nobis tribuit cor carneum, cor novum, ſpiritum novum. Quo teſtimonio utitur S. Pater ad demonſtrandam gratiæ neceſſitatem & efficaciam de Prædeſt. SS. cap. xi. n. 22. & de Grat. & lib. arbitrio cap. 14. n. 29. ubi etiam declarat quomodo cor lapideum ſit illud, in quo non præcedit caritas, ſive bona voluntas. Poſtremo, ne proferam ſingula, præclara ſunt verba Chriſti Joannis 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*: quo loco pariter Chriſti gratia commendatur, ut conſtat ex lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum c. 2. n. 6. Animum vero trahi voluptate idem Auguſtinus demonſtrat Tract. in Joannem 26. num. 5. ex Virgiliano carmine, *Trahit ſua quemque voluptas*: ex verbis Canticorum 1. 3. *Trahe me: poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum*; & num. 7. ſimul præfocans Janſeniana decreta, *Videte*, inquit, *quomodo trahit Pater: docendo delectat, non neceſſitatem imponendo.*

Eruitur hinc ratio. Etenim ſi voluntas trahitur voluptate; ſi animus movetur a bono, quod ingerit delectationem; ſi nemo animo amplectitur quod eum non delectat, ut idem Auguſtinus docet lib. 1. ad Simplic. q. 2. conſequens eſt, ut Gratia qua trahimur, & ita movemur, ut numquam eam reſpuamus, qualis eſt gratia efficax, inſpiret tantam delectationem, quæ vincat pugnantem, & contranitentem cupiditatem. Denique: *Quidquid eſt peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur niſi ex mala cupiditate, non exoriuntur niſi ex illicita delectatione*: inquit ipſemet Auguſtinus Serm. 6. de Verbis Apoſtoli, nunc 155. c. 1. Quid ergo? quicquid in nobis bonorum eſt ad æternam vitam conducentium, nonniſi ex caritate, & Spiritu S. movente procedit.

PROPOSITIO III. Delectatio non eadem eſt in omnibus, ſed modo efficax, modo inefficax, & habet caritas, & gratia gradus ſuos, ex quibus abſque ullo præjudicio abſolutæ Dei voluntatis mirabilis ejus œconomia una cum vera arbitrii noſtri libertate facile poteſt dignoſci.

Probatur hæc theſis 1. ſancti Patris Auguſtini teſtimoniis locupletiſſimis. Qui in ſecundo libro de Peccatorum meritis c. 5. ait; *Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum: iſtum illo, illum iſto modo, penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis.* De Gratia & libero arbitrio cap. 15. *Gratia vero Dei*, inquit, *ſemper eſt bona, & per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuerat voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* Et cap. proximo 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit & robuſtam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt magna caritate fecerunt: de qua caritate ipſe Dominus ait: Majorem hac caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Sermone pariter 17. de verbis Apoſtoli nunc 159. ait: *Amanda eſt enim juſtitia, & in juſtitia amanda gradus ſunt proficientium. Prius eſt ut amori juſtitiæ non præponantur omnia quæ delectant, ipſe eſt primus gradus. Quid eſt quod dixi? ut inter omnia quæ delectant plus te delectet ipſa juſtitia, non ut alia non delectent, ſed prius ipſa delectet.* Explicat ibidem hos gradus exemplo cupiditatis impudici adoleſcentis: qui primo injicit oculos in conjugem alienam ſuavitate illiciente: deinde amat libere mulierem, eamque cupit, ſed quærit latere: ſic enim amat voluptatem, ut timeat; latere enim quærit, quia timet apprehendi, torqueri, & occidi, quæritque latebras ſuavitatis ſuæ appetitioni. Ducitur enim ſuavitate, ſed hæc non eſt tanta, ut vincat etiam timorem. Audacior factus etiam verecundiam timoremque depellit. Ita primo pulchra juſtitia oſtendit ſe oculis cordis, & inſpirat fervorem amatoribus ſuis: jam dicit cordi, Contemne quicquid te aliud delectat. Contemnitur quidquid delectabat, ſed nondum expellitur timor. Perficitur tum caritas; & cor amat, ardet, fervet, venit ad aſpera & truculentia, calcat, frangit, tranſit. Summatim Auguſtini ſenſa exſcripſi iiſdem fere verbis.

Probatur 2. ratione. Enimvero Gratia efficax eſt medicinalis & ſanans: ut ergo infirmitas eſt major & minor, & concupiſcentia carnis plus aut minus intenſa; ita oportet magis, minuſve validum exhiberi ægrotis medicamentum. Deinde concupiſcentiæ motus non ſunt ejuſdem rationis, ſed varii: aliquando enim tenuis excitatur in nobis cupiditas; interdum pugnax eſt, & robuſta: quandoque adeo vehemens, ut ad eam repellendam magna ſint adhibenda remedia, non ſemel etiam in ejus lucta robuſtiores, Deo permittente, ſuccumbunt. Ergo nec ejuſdem rationis ſunt motus gratiæ, quæ nobis in remedium infirmitatis ſubminiſtratur; nunc enim ejuſdem inſpiratione vix ſentiuntur; nunc pulſant animum vehementius: nunc adeo alliciunt, ut vincant carnalem omnem delectationem: nunc tanto ardore voluntatem accendunt, ut minacia quæque & horrenda parvipendat, & vincat. Præterea quis facile credat eamdem, quantum attinet ad motionem & impulſum, gratiam eſſe in Martyre qui teterrima ſupplicia ſuffert, & in eo, qui vix adigitur ad leviſſimam injuriam tolerandam? Quis dixerit eadem gratia præventos fuiſſe Sanctos omnes, quorum diverſa ſunt merita, diſpares virtutes, & inæqualis in beatitudine merces? Quis demum ſibimet perſuadeat, non plus gratiæ, ac ſanctæ delectationis requiri ad vincendam robuſtam conſuetudinem, quam ad caſte vivendum inter mortificati ſenſus illecebras?

Tertio commenſtratur theſis præclariſſimo exemplo Converſionis S. Patris Auguſtini, in qua maxime œconomia gratiæ relucet. *Paulatim tu Domine* (inquit idem Auguſtinus lib. VI. Conf. cap. 5.) *manu mitiſſima & miſericordiſſima pertractans, & componens cor meum*. Cœpit ipſum pungere, & inſpirans contrariam cupiditatibus ſuis dilectionem reddidit illas minus jucundas & dulces: *Patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus ſinebas mihi dulceſcere quod non eras tu*; ait ſequenti cap. 6. Tum conſcientiæ aculeis illum pupugit: quod eleganter ſcripſit lib. VII. cap. 8. *Placuit in conſpectu tuo reformare deformia mea, & ſtimulis internis agitabas me, ut impatiens eſſem, donec mihi per interiorem aſpectum certus eſſes. Et reſidebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ, acieſque conturbata, & contenebrata mentis meæ acri collyrio ſalubrium dolorum meorum de die in diem ſanabatur*. Poſthac cœpit Auguſtini cor ad bonum incommutabile trahi; ſed inde robuſta carnis concupiſcentia ſtatim retrahebatur. *Et non inſtabam frui Deo meo, ſed rapiebar a te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in iſta cum gemitu, & pondus hoc conſuetudo carnalis*; ait cap. 17. Deinde voluntas nova, quam in Auguſtino operata eſt gratia Dei, adverſus cupiditatem decertavit vehementius; ſed cum hæc eſſet robuſta, & quaſi anſulis ſibimet innexis teneret Auguſtini voluntatem obſtrictam dura ſervitus, pugnabant invicem caritas & cupiditas, nec una alteram ſuperabat: *Ita duæ voluntates meæ* (inquit lib. VII. cap. 5.) *una vetus, alia nova, illa carnalis, iſta ſpiritualis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam. Sic intelligebam meo ipſo experimento, id quod legeram, quomodo caro concupiſceret adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*. Acceſſit uberior gratia, quæ etſi cor Auguſtini non traxit omnino, continuit tamen a priſtinis ſceleribus, reddiditque timidiorem, ne vetus concupiſcentia invaleſceret. Quam gratiam ita deſcribit undecimo capite: *Sic ægrotabam, & excruciabar accuſans memetipſum ſolito acerbius nimis, ac volvens & verſans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen: & inſtabas tu in occultis meis, Domine, ſevera miſericordia, flagella ingeminans timoris, & pudoris: ne rurſus ceſſarem, & non abrumperetur idipſum exiguum & tenue quod remanſerat, & revaleſceret iterum, & me robuſtius alligaret*. Tandem, ut narrat cap. 12. infuſa cordi ejus luce ſecuritatis, ab illo omnes dubitationis tenebræ diffugerunt, ac tanta accenſus eſt caritate, ut nunquam talem antea jucunditatem expertus fuerit: *Convertiſti enim* (ita in fine octavi libri Deum alloquitur) *me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam ſpem ſæculi hujus, ſtans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei* (Monicæ) *revelaveras, &c.* Hoc ſane exemplo firmiſſima auctoritate comprobato conſtat gratiam gradualitatem habere, nec ſemper eſſe effectricem ob reluctantem concupiſcentiam, perſæpe liberum arbitrium ei reſiſtere; & licet ſemper effectum aliquem producat, piumque animi motum, non tamen ſemper conjunctam eſſe cum illo effectu ad quem ordinatur; efficere tantummodo id, quod Deus abſoluta voluntate decrevit: omnia demum diſponere ſuaviter, ſecundum rectiſſimum voluntatis divinæ beneplacitum.

Interdum tamen, ut quiſque videat non pendere ab ulla temporum locorumque circumſtantia, quod unum minus, alterum magis adjuvet, ſed a ſuomet beneplacito, & a poteſtate quam habet inclinandi voluntatem noſtram quando, & quomodo ipſi libuerit, ſtatim repugnantem, obcæcatam, poſitamque aliquando in circumſtantiis oppoſitis prævenit flagrantiſſima ac potentiſſima caritate, emollit, frangitque duritiem, & producit mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Quod probant Evangelica exempla mulieris, quæ erat in Civitate peccatrix, quæ ſtatim ac cognovit turpitudinem ſuam, ad Chriſti genua provoluta lacrymas & unguenta profudit: latronis, qui ſuffixus cruci credidit Salvatori, & veniam, regnumque petivit: Matthæi, qui vocatus ſtatim deſeruit telonium & lucrum; & Pauli, qui percuſſus & proſtratus de cælo, dum perſequeretur Eccleſiam, confeſtim de lupo in agnum mutatus eſt. Quare errant, qui opinantur ſententiam noſtram derogare gratiæ efficaci, & abſolutæ Dei voluntati; cum ſemper ſit efficax illa gratia, quam Deus vult talem eſſe, moveatque *illum tantum, illum non tantum, ſecundum ſecreta æquitatis rationem, & excellentiam ſuæ poteſtatis*.

PROPOSITIO IV. Hæc doctrina nihil habet affinitatis cum hæreſi Janſeniana.

Probatur; nam Janſenius, ut oſtendam, quando ad illius dogmata perveniet diſputatio, & conſentiunt omnes Anti-Janſeniani, ſtatuit efficaciam gratiæ in delectatione victrici, quæ a deliberatione & indifferentia liberi arbitrii penitus ſejuncta eſt. Nos vero dicimus indeliberatam quidem eſſe hanc delectationem, quatenus inſpiratur a Deo; & proinde per primum actum indeliberatum nos nihil mereri, niſi accedat liberi arbitrii deliberatus aſſenſus, firmiſſime tenemus, cum meritum haberi nequeat ſine indifferentia libertatis. At hæc delectatio victrix conjuncta eſt cum deliberatione comparate ad opera, quæ efficiuntur, libero arbitrio hac delectatione excitato. Quamvis enim ſit hæc efficax gratia antecedens, & Deus ſine nobis faciat, ut velimus; nihilo tamen minus per illam non proponitur nobis bonum ſub omni ratione boni, quemadmodum proponitur beatis per lumen gloriæ, ideoque remanet indifferentia judicii, & vera libertas, quam habere nequeunt beati in patria; ut explicavi in libro de Scientia Dei cap. XIII. Regula ſexta, de Angelis cap. pariter XIII. & de primo homine cap. X. Quamobrem ſequitur quidem ex hac victrici delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum quod magis delectat, ſed ſequitur libere, quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali. Etſi quidam ex noſtris tenent poſſe nos mereri etiam per primum actum dilectionis, quem in nobis excitat gratia efficax; contendunt hunc actum eſſe deliberatum & cum indifferentia judicii, & poſſe eumdem actum prout inſpiratur a Deo neceſſarium eſſe, & prout elicitur a voluntate, indifferentem & liberum. Non ergo nos, neque noſtratium aliqui, propugnamus delectationem victricem juxta Janſeniana decreta.

Pari jure diſcrepamus circa gratiam inefficacem. Primo enim fatemur qualemcunque gratiam in hoc ſtatu ſive parvam, ſive magnam eſſe gratiam Chriſti. Deinde defendimus dari gratiam inefficacem, cui voluntas reſiſtit. Ac tandem per gratiam ſufficientem dari nobis poteſtatem implendi divina mandata, eamque veram & propriam, ſed non taliter validam & expeditam, ut ad ponendum actum non ſit neceſſaria gratia efficax. Sed de his alibi. Interim legendus Noriſius in Janſeniani erroris calumnia ſublata cap. 4. Ceterum ſi Janſenius parvam & inefficacem delectationem his limitibus continere ſtuduiſſet, non declinaſſet ad errores merito ab Eccleſia proſcriptos: a quibus immunes cenſendi ſunt, qui famoſas quinque propoſitiones ſincere anathematizant, ſive gratiam in delectatione conſtituant, ſive in qualitate aliqua, ſive in motione Dei actus indeliberatos præveniente. Obtemperandum eſt Innocentio XII., qui ad reprimendam audaciam eorum, qui Thomiſtas, & Auguſtinianos Theologos Janſeniani erroris inſimulant, in Brevi Apoſtolico dato ad Epiſcopos Belgii an. 1694. hæc opportune mandavit: *Demum ad extinguenda Theologorum jam pridem inter ſe excitata diſſidia, fraternitatibus veſtris injungimus ne ulla ratione quempiam vaga iſta accuſatione & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci aut nuncupari ſinatis, niſi prius ſuſpectum eſſe legitime conſtiterit, aliquam ex his propoſitionibus docuiſſe, aut tenuiſſe*.

OBJECTA QUÆDAM ADVERSUS HAS THESES DILUUNTUR.

Opponunt primo: Aliud datur principium bonorum operum longe diverſum a ſancta delectatione & caritate, ideſt timor Domini, quem donum eſſe Spiritus Sancti, & nos continere a malo demonſtrant ſacræ literæ, definit Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 6., affirmatque locis pluribus Auguſtinus. Non ergo omnis gratia eſt delectatio.

Reſpondetur timorem utique delectationem non eſſe; ille enim eſt metus mali appropinquantis, hæc motus animi cupientis; per illum voluntas retrahitur a malo horrore ſupplicii, per iſtam trahitur ad bonum amore juſtitiæ; unius objectum eſt pœna, alterius id, quod oblectat: cumque virtutes, & illarum officia diſtinguantur invicem per objecta atque per rationem, qua in illa fertur voluntas, timor certiſſime non eſt caritas illa deliberata, in qua ſingularis ſpecies virtutis comprehenditur. Verum & timor & caritas idem principium habent ſive conſideretur voluntas quæ timet & amat; ſive Spiritus Sanctus, qui timorem & amorem inſpirat; ſive Gratia, a qua timoris & amoris eſt actus. Hæc gratia eſt inſpiratio caritatis & dilectionis, quæ, ut S. Pater explicat laudato Sermone XVII. de verbis Apoſtoli, primo facit ut voluntas contemnat quod antea illicite delectabat, inſpiretque bonæ voluntatis fervorem. Voluntas ſic excitata deprehendit in bono quo antea illicite delectabatur mala plurima, præſertim vero meritum gehennæ, concutitur hoc pacto timore, & huic, ut liquet, inſpiratio bonæ voluntatis, & ſanctæ dilectionis præceſſit. Quiſquis enim bene timet, bonam voluntatem habeat neceſſe eſt. Et quoniam timor ſupernaturalis refertur in Deum, eumque reſpicit ut Judicem juſtum & rectum, nec aliud eſt pondus, quo fertur animus, niſi Amor; timor ſanctus non ſine aliquo amore excitatur. Ipſe tamen non eſt amor, quoniam ſiſtit in rigore juſtitiæ, & nondum aſcendit ad ſummi boni jucunditatem. Dum in hanc ſeſe vibrat animus, amare dicitur, atque ita timor ſternit viam caritati, *& incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus*, ait Auguſtinus in Pſalmum 127. Ita Gratia timorem, timor caritatem præcedit: & illa eſt bonorum omnium principium, timor remota ad juſtificationem diſpoſitio, caritas vero proximior. Ignis etiam cum primum viride lignum calore pervadit, efficit vaporem fumi; tum calefacit: poſthac lignum flammam concipit, & comburitur. Itaque concedo timorem non eſſe caritatem, & nego timorem non excitari a gratia, quæ eſt caritas. Videatur etiam Baſilius Poncius de neceſſ. gr. pag. 56. ubi ex doctrina D. Thomæ demonſtrat, nunquam voluntatem operari, ut voluntas eſt, niſi

ope-

operetur primum ut natura; & moveatur delectatione boni.

Opponunt 2. Interdum ſuperiorem delectationem nobis divinitus inſpiratam ſentimus, nec tamen efficacem gratiam habemus; inepte ergo in illa majori delectatione gratia efficax conſtituitur. Antecedens probatur verbis S. P. Auguſtini, qui libro VIII. Confeſſ. cap. 8. *Non faciebam*, inquit, *quod incomparabili affectu amplius mihi placebat.*

De hoc Auguſtini teſtimonio ſcribit Honoratus Tournely de Grat. Chriſti art. ultimo pag. Venetæ edit. 661. decretorium eſſe, eoque mire premi ſuperioris delectationis defenſores. At mihi ſententiam noſtram inſigniter confirmare videtur. Enimvero S. Pater cauſſam reddens, cur ante converſionem perageret multa, quæ aliquando volunt homines, & non valent, ſi autem membra non habeant, aut hæc ſint vinculis colligata, vel reſoluta languore; nec obſequeretur motibus bonæ voluntatis, cui per Spiritum Sanctum longe jucundior delectatio divinitus inſpirabatur; quod ſane principio videtur monſtrum, cum in prioribus actionibus, cujuſmodi ſunt capillos vellere, frontem percutere, & genua conſertis digitis amplecti, animus imperet corpori, & in ſancto commutandæ vitæ propoſito animus imperet ſibi ipſi; cauſſam, inquam, hujus rei proferens Auguſtinus docet, ideo corporales illos actus ſe effeciſſe, quoniam etſi minus in ſe delectabiles, voluntas ex toto volebat: atque contra, motibus indeliberatis ſanctæ delectationia, licet amplioris, & fervidioris, reſiſtebat pugnaciter, propterea quod voluntas non tantum cæleſti bono delectabatur, ſed etiam tenebris longa conſuetudine prægustatis. Quamobrem in his non volebat ex toto, ſed partim volebat, partim nolebat; volebat dum illum gratia ſancta delectatione excitabat, nolebat dum vetus conſuetudo illum trahebat; ideoque Gratia illa efficax erat reſpectu indeliberatæ delectationis, qua Auguſtini cor tangebatur; non erat efficax reſpectu converſionis, ad quam invitabatur: & non erat efficax, quoniam robuſta conſuetudo opponebat nolle, quod non opponebat corporeis illis actibus minus delectabilibus. *Non igitur monſtrum* (inquit S. P. ſequenti cap.) *partim velle, partim nolle, ſed ægritudo animi eſt; quia non totæ aſſurgit veritate ſublevatus, conſuetudine prægravatus. Et ideo ſunt duæ voluntates, quia una earum tota non eſt, & hoc adeſt alteri, quod deeſt alteri.* Quid igitur pro noſtra ſententia expreſſius & clarius? His ne mire Adverſarii nos premunt? Ergo ſervara ſyllogiſmorum ratione diſt. ant. Interdum ſuperiorem delectationem divinitus inſpiratam ſentimus, nec tamen habemus efficacem gratiam, efficacem comparate ad motum, ac deſiderium animi in nobis excitatum, nego: efficacem reſpectu operationis, cujus deſiderio accenditur, ſed iſtud reluctante mala voluntate reprimitur, concedo. Atque hic obiter nota, nos frequentiſſime interiori gratiæ reſiſtere, quoniam, etſi efficiatur in nobis bona voluntas, & ſanctum deſiderium converſionis, hanc tamen non exequimur ob pugnantem carnis cupiditatem, cui indifferentia libertatis magis obſequi volumus, quoniam nondum voluntas ſpiritus vincit voluntatem carnis contraria concupiſcentem.

Opponunt 3. S. Thomas 3. p. q. 62. art. 6. ad 3. ait: *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam*; quibus ſimilia habet q. 70. art. 4. Non ſunt ergo admittendi plures gradus efficacis gratiæ ob pugnantem carnis concupiſcentiam.

Reſp. loqui S. Thomam utroque in loco de gratia juſtificationis, quam conferebant vetera Sacramenta. Gratia autem ſanctificans, quantumvis minima, omnium maximarum cupiditatum affectus reprimit, dummodo præſto ſit etiam gratia actualis, quam certiſſime D. Thomas præter habitualem exiſtimat neceſſariam, quod & nos affirmavimus præcedenti cap. Prop. 2. Sicut ergo teſtimonium D. Thomæ non excludit neceſſitatem gratiæ prædeterminantis, ut reapſe reſiſtat juſtus cuilibet concupiſcentiæ; ita non excludit inſpirationem victricis delectationis, ſive bonæ voluntatis magnæ & robuſtæ, qua valde perfecteque velit, & determinetur ad opus. His enim terminis gratiam operationis nobis Auguſtinus delineat. Scriptor librorum de Vocat. Gen. lib. 2. cap. 11. *Donum caritatis*, inquit, *non eſt ſemper ejuſmodi, ut quicquid ad plenitudinem ipſius pertinet ſimul a percipiente ſumatur: eſt enim amor qui poteſt alio amore ſuperari, & ſæpe dilectio Dei ex mundi dilectione marceſcit, niſi ad eum fervorem, Spiritu Sancto inflammante, profecerit, qui nullo extingui frigore, nullo poſſit tempore languere.* Nos præterea concedimus eum minima gratia actuali, etiamſi de hac S. Thomas non diſſerat, poſſe homines reſiſtere cuilibet cupiditati, at non potentia illa proxima & expedita, quæ neceſſitatem gratiæ prædeterminantis ad perficiendam operationem penitus tollat. Verum de hac non levi difficultate diſceptandum eſt infra. Alioquoque ſenſu minima caritas obſiſtit cuilibet cupiditati; nempe caritas eſt erga bonum incommutabile; cupiditas fertur in bona commutabilia: ſuperat vero una guttula illius boni, illorum omnium plenitudinem, atque affluentiam. Oportet tamen, ut guſtetur ab anima ſenſuum oblectamentis inhiante, quod ſummum illud bonum nobis ſubminiſtratione Spiritus Sancti dulceſcat.

Opponunt 4. Plura ex hac noſtra ſententia conſequuntur abſurda; atque illud in primis non dari in hoc ſtatu auxilium *ſufficiens* contradiſtinctum ab efficaci; quæ aſſertio hæretica eſt, & damnata. Si enim natura gratiæ ſita eſt in ſanctæ dilectionis inſpiratione, neceſſe eſt ſemper ubi eſt gratia, dilectionem eſſe, & effectum illius ſemper produci. Sequitur ex adverſo non dari gratiam ab intrinſeco efficacem: hæc enim ſemper cum effectu conjuncta eſt: quod non intervenit in explicata ſententia, juxta quam, ſi gratiæ major obſiſtat concupiſcentia, redditur a nobis inefficax. Sed & emergit incommodum illud, veram eſſe opinionem Congruiſtarum, & ſcientiam *mediam* a nobis alibi refutatam, quandoquidem per nos gratia non erit efficax ex divinæ voluntatis abſoluto beneplacito, ſed ob noſtram majorem, minoremve diſpoſitionem.

Reſp. Nec minimum ex hiſce incommodis e ſententia noſtra deduci. Non primum; quoniam ſemper quidem Dei gratia ſortitur effectum aliquem, ſcilicet pium deſiderium, & ſanctam delectationem indeliberatam; at non ſemper efficit voluntatem plenam & deliberatam, nec opus illud, ad quod ordinatur. Id vero in omnibus fere Scholis de Auxilio *ſufficiente* admittitur. *Omne auxilium ſufficiens* (inquit Alvares lib. VIII. de Auxiliis diſp. 8. n. 2.) *omne auxilium ſufficiens comparatione unius actus, ſemper eſt efficax reſpectu alterius, ad quem efficiendum decreto abſoluto divinæ voluntatis deſtinatur, v. g. auxilium ſufficiens ad actum fidei efficaciter producit in homine piae cogitationes, & notitias credendorum, vel pia deſideria habendi fidem, & alios hujuſmodi actus imperfectos, qui regulariter loquendo antecedunt aſſenſum fidei.* Et infra nu. 5. *Auxilium actuale dicitur efficax comparatione effectus, ſive actus imperfecti quem producit: & ſufficiens comparatione actus perfecti, quem poteſt producere, & ad quem ultimate ordinatur.* En, quantum pertinet ad gratiam ſufficientem, ſententiam noſtram nihil diſcrepantem ab ea, quam Alvares eodem loco teſtatur eſſe inter recentiores Thomiſtas communem, & expreſſe traditam a D. Thoma in 3. contra Gentes cap. 159.

Diſcrepat autem hæc ſententia multiplici titulo a pravo dogmate Janſeniano: ac primo, quoniam Gratia ſufficiens, quæ imperfectum actum, aliquam ſcilicet mentis colluſtrationem, ac pium voluntatis motum producit, etiamſi ad actum non trahat, ex ſe ad illum ordinatur, ad illum excitat, ad illum etiam, niſi reluctaret perverſa voluntas, foret efficax; non enim divina liberalitate eo fine confertur, ut in parva ac invalida voluntate humanum arbitrium torpeſcat, ſed ut nitatur ad opus, ſtudeatque orando robuſtiorem gratiam a Deo impetrare. Janſenius e contra parvam quidem, & invalidam voluntatem a Deo inſpirari fatetur, ſed quam neceſſe ſit permanere infirmam atque torpentem, niſi ſubminiſtretur delectatio tam vivida, quæ arbitrium trahat indeclinabili neceſſitate; adeo, ut quibus hæc deeſt, gratia inefficax conferatur, non ut poſſint converti, ſed ut Deo vocanti vetuſta cupiditate, quam refrenare non valeant, & fatali quadam neceſſitate repugnantes evadant iniquiores; ac melius eſſet perverſis hominibus, ſi Deus inefficax adjutorium minime largiretur. Quare nonnulli filii iniquitatis peſtifero hoc dogmate imbuti propugnatum a nobis auxilium ſufficiens in peccatoribus, qui non reſipiſcunt, inutile & noxium temere pronuntiarunt; quaſi talibus peccatoribus fas eſſet prorumpere in blaſphemam illam, damnatam, horrendiſſimamque deprecationem, *A gratia ſufficiente libera nos, Domine*. Deinde in pia illa affectione, quam per gratiam ſufficientem nos dicimus hominibus inſpirari, tribuitur operis, non quidem executio, ſed vera poteſtas, quamquam non expedita, ut reapſe prodeat in actum; quod, ut diximus, non gratiæ defectus eſt, ſed voluntatis humanæ obicem ipſi gratiæ opponentis: quam e contra in Janſeniano Syſtemate impie fabricato ad libertatis exitium non detur ſanctæ operationis poteſtas, niſi adſit gratia neceſſitatem inferens, & niſi in alterno cupiditatis, & caſtæ delectationis conflictu hæc illam ſuperans in bonum voluntatem noſtram tanta vi, ut nequeat contraniti, compellat. Præterea in illo actu indeliberato, qui ſufficientis Gratiæ effectus eſt, cum ſit ſola lubentia & trahens voluntatem cupiditas, at non electio, & indifferentia, cum non ſit optionis noſtræ actus ipſius excitatio: non reperitur meritum libertatis, quod nunquam comparatur, niſi voluntas gratiæ excitanti cum deliberatione, & libere obtemperet. Ex adverſo autem Janſeniani, qui ad merendum neceſſariam putant ſolam libertatem libentiæ, etiam in motibus indeliberatis, & in parva illa delectatione, quam Deus operatur in nobis ſine nobis, meritum tenentur agnoſcere; ideoque juxta Janſenii placita quælibet delectatio eſt gratia efficax, & meriti vere operatrix. Verum de erroribus Janſenianis poſtea.

Quantum vero attinet ad gratiam efficacem, dicimus hanc utique aliquando eſſe abſolutam, ita ut omnem penitus duritiem frangat cujuſque cordis; qualis fuit gratia collata Paulo. At ſæpenumero eſt efficax tantum comparative, ideſt, in uno, non in altero, quoniam in illo minorem, in iſto majorem inveni obdurationem. Gratia enim efficax medicinalis eſt, & neceſſaria ob infirmitatem, & pugnam inter carnem & ſpiritum. Medicamenta autem ordinaria lege exhibentur juxta ægroti malam valetudinem & languorem. Sat erat unicus intuitus Petro, ut fleret ama-

re;

re; Paulus contra ſtimulum calcitrans erat majori voce, & ampliori luce juvandus. Hinc admonemur, ne terrenis cupiditatibus, & pravæ conſuetudinis vinculis nos implicemus, ne gratiæ adjutorium ſit hac de cauſſa ſufficiens tantum, & ob robuſtam concupiſcentiam inefficax. Nec inde ſequitur nos ſcientiam *mediam*, aut ſententiam Congruiſtarum probare: ſiquidem, ut ſupra cum Auguſtino monuimus, quod Deus adjuvet illum tantum, iſtum non tantum, non pendet a circumſtantiis extrinſecis perſonæ, loci, vel temporis, neque a præſcientia boni uſus arbitrii, ſed a ſecretæ æquitatis ratione, & poteſtatis divinæ excellentia: & cum Deus efficaciter vult, inſpirat tam vividam delectationem, quæ facile vincat, ſalva ſemper indifferentia liberi arbitrii, contrarios motus pugnantis concupiſcentiæ.

Opp. ultimo. Deſtruit hæc ſententia ſyſtema alibi a nobis propugnatum, quod in ſtatu innocentiæ neceſſaria non fuerit ad perſeverandum gratia ab intrinſeco efficax; imo ſequitur Adamo gratiam efficacem fuiſſe collatam, nec tamen perſeveraſſe. Nulla quippe in Adamo & in Angelis ante lapſum fuit inordinata delectatio creaturæ; ergo delectatio caritatis erat in illo ſuperior & victrix, ideoque efficax ab intrinſeco. Imo quomodo Adam in peccatum prolapſus eſt, cum nulla illius animum pulſaret cupiditas? Poſtremo nonne Beati neceſſario Deum amant, quia nulla in eis eſt delectatio terrena? Pari ergo jure Adamus & Angeli debebant neceſſitate quadam ſummo bono adhærere, ſi nulla adverſus ipſorum gratiam concupiſcentia pugnabat.

Reſp. Nego ant. Angelis enim, ac primo homini, cum primum facti ſunt, data eſt per gratiam ſanctificantem caritas & bona voluntas habitualis, quæ beneficium erat Dei condentis naturam, ſimulque largientis gratiam, non meritum hominis, cujus deliberationem antevertebat. Data eſt & gratia actualis, ſine qua non ſua culpa cecidiſſent, quoniam non talis erat natura creata, ut poſſet ſine adjutorio Creatoris in accepta juſtitia perſeverare. Hoc adjutorium, ut Auguſtinus docet, & nos non uno in loco demonſtravimus, dabat poſſe, non dabat velle; ſcilicet non erat inſpiratio ſanctæ dilectionis determinate trahentis voluntatem ad hoc, vel illud bonum; cum poſſet liberum arbitrium cum ſola gratia verſatili potentia proxime expedita ad perſeverandum determinare ſeipſum. In Adam ergo, quia non aderat terrena cupiditas flectens liberum arbitrium ad malum, neceſſaria non erat inſpiratio ſanctæ dilectionis ipſum determinantis ad bonum: & quoniam deerat hæc ſancta actualis dilectio, quæ determinate dat velle, non erat conſequenter gratia ab intrinſeco efficax. Peccavit vero primus homo, quia cum poſſet ſe convertere ad ſummum bonum, in ſemetipſum mentem animumque convertit, atque in tanta non peccandi facilitate propriam magnitudinem turpiter concupivit. Sed hæc omnia alibi ſunt a me pertractata. Beati demum non idcirco amant Deum neceſſario, quod nulla in eis ſit permixtio adulterinæ delectationis, ut fallaciter ſcribit Janſenius lib. IV. de Gratia Chriſti cap. 8. ſed neceſſario Deum amant, quia illum vident ut eſt in ſe, atque hæc viſio nequit conſiſtere cum indifferentia judicii, & cum vera libertate Janſenianis ignota. De gratiæ ergo natura ſatis multa.

SCHOLION.

» AD I. brevior eſt reſponſio, ſi dicamus timorem eſ-
» ſe a *caritate*, ſi caritatis nomine intelligatur cum
» Auguſtino *bona voluntas*; & præcedere *caritatem*, at-
» que ad ipſam diſponere, ſi caritatis nomen accipiatur
» pro amore Dei propter ſe, & ſuper omnia. Scribit enim
» S. Pater lib. 83. Qq. q. 33. *Nulli dubium eſt non aliam
» eſſe metuendi cauſam, niſi ne id quod amamus, aut ade-
» ptum amittamus, aut non adipiſcamur ſperatum*: unde
» S. Thomas 1. 2. q. 43. art. 1. infert, *Amor igitur eſt cau-
» ſa timoris*.

CAPUT IX.

Sit ne in hoc infirmitatis ſtatu admittenda Gratia ab intrinſeco efficax.

EXPLICATA efficacis Gratiæ natura, quæritur nunc an admittenda ſit in hoc ſtatu Gratia ab intrinſeco *efficax*. Nam Gratiam efficacem omnes quidem Theologi dari conſentiunt; ſed unde illius efficacia ſit repetenda, magnum in Scholis eſt, graviſſimumque diſſidium. Contendunt Moliniani gratiam ſuam habere efficaciam a voluntatis conſenſu. Quod ut quiſque percipiat, controverſiam, ut inquiunt, ab ovo explicabo. Ludovicus Molina inſignis Societatis Jeſu Theologus, ut facilius everteret hæreſim Calvinianam, & arbitrii libertatem cum Dei gratia expedite conciliaret (quod ſane conſilium laudandum erat, ſi hujus conciliaturæ rationem ex Patrum regulis, non ex humanis figmentis proponere ſtuduiſſet) anno 1588. librum, quem inſcripſit *Concordiam*, edidit in lucem. In 1. autem Parte q. 23. art. 45. diſp. 1. membro ultimo, rationem illius Concordiæ a ſe traditam fatetur novam eſſe, & Gratiæ invictiſſimo Propugnatori Auguſtino prorſus ignotam. *Si ea data* (inquit) *explanataque ſemper fuiſſet, forte neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii noſtri libertatem fuiſſent auſi negare obtendentes cum divina Gratia, præſcientia, & prædeſtinatione cohærere non poſſe, neque ex Auguſtini opinione, & concertationibus cum Pelagianis tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent, facileque Reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia fuiſſent extinctæ*. Ex quo notandum obiter, tam ſingularem eſſe Molinæ de ſe opinionem, ut ſe magno Auguſtino exiſtimet præferendum, & a ſe adinventam doctrinam antiquiſſimæ, pleriſque Romanorum Pontificum oraculis conſecratæ. At in hanc hominis jactantiam perbelle vir clariſſimus Jacobus Le-Boſſu Ordinis S. Benedicti, & Theologus Pariſienſis in ſuis adverſus Molinianum Opus Animadverſionibus cap. 2.

Præcipuum ergo hujus Auctoris dogma, ut docet loco citato diſp. 2. membro 5. nec non in *Concordia* q. 14. art. 13. eſt gratiæ efficaciam ex ſolo liberi arbitrii conſenſu metiendam eſſe, ideſt, *auxilium prævenientis atque adjuvantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus conferuntur, quod efficacia aut inefficacia ad converſionem ſeu juſtificationem ſint, pendere a libero conſenſu, & cooperatione arbitrii noſtri cum illis, atque adeo in libera poteſtate noſtra eſſe, vel illa efficacia reddere conſentiendo, vel inefficacia illa reddere continendo conſenſum, & cooperationem noſtram, aut etiam eliciendo contrarium diſſenſum*. Arbitratur enim Molina Deum eodem prorſus affectu omnibus conferre gratiam, eamque ſubjicere arbitrii libertati, pro cujus nutu reddatur efficax, vel inefficax; ita ut nullum ſit diſcrimen inter gratiam ſufficientem & efficacem ex parte Dei, & in actu primo, ſed in actu ſecundo duntaxat, dum liberum arbitrium indifferenti auxilio præventum abſque vividiori motione vult, aut non vult aſſentiri. Hinc non eſt, juxta Molinam, in Deo abſoluta voluntas conferendi donum perſeverantiæ, niſi ob præviſionem liberi conſenſus, quo liberum arbitrium gratia illa pediſequa bene utitur. Vulgavit quidem primus omnium hanc opinionem Salmanticæ anno 1581. Prudentius de Monte-Major Jeſuita, & Lovanii ab anno 1585. Leonardus Leſſius, & Joannes Hamelius ejuſdem Inſtituti: ſed cum Molina in Conc. q. 14. art. 13. diſp. 53. profiteatur ſe ante annos triginta ſcientiam *mediam* & mente præformaſſe, & in Scholaſticis quoque diſceptationibus illam propugnaviſſe ſub naturalis ſcientiæ vocabulo; æquum eſt Molinam auctorem, placitumque iſtud appellare Molinianum.

Altera eſt ſententia Congruiſtarum, quam majori conſenſione modo PP. Societatis defendunt, nam Molinæ ſcitum alienum a ſententia divinarum ſcripturarum eſſe, & evertere fundamentum prædeſtinationis divinæ, ſcribit Bellarminus lib. 1. de Gratia & lib. arbitrio cap. 12. Vide ipſum Bellarminum Tom. 4. edit. Pariſienſis an. 1608. pag. 420. Lugdunenſis an. 1593. p. 426. Tomi tertii, poſtremæ etiam Venetæ an. 1721. Tom. 4. pag. 228. nec non aliarum. Sane ibidem his verbis Bellarminus Molinæ ſententiam delineat: *Prima opinio eorum eſt, qui gratiam efficacem conſtituunt in aſſenſu & cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet ſortitur effectum, & ideo ſortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur. Itaque exiſtimant hi auctores, in poteſtate hominis eſſe, ut gratiam faciat eſſe efficacem, quæ alioquin ex ſe non eſſet niſi ſufficiens*. Hac autem ſententia, quam Molinianam eſſe conſtat, expoſita, *Hæc opinio aliena eſt omnino* (inquit) *a ſententia B. Auguſtini, & quantum ego exiſtimo a ſententia etiam Scripturarum divinarum*: quod etiam invictis argumentis demonſtrat, ut mirum ſit nonnullos negaſſe hoc eſſe Bellarmini de ſententia Molinæ judicium. Eamdem opinionem ut diminutam, licet non ut falſam, reprobat lib. 3. de Auxiliis cap. 3. n. 8. Franciſcus Suarez, rejicit omnino Adam Tannerus Tom. 2. diſp. 6. de Grat. q. 2. dub. 5. n. 8. extatque adverſus illam decretum Claudii Aquavivæ Generalis Jeſuitarum Præpoſiti editum anno 1613. die 14. Decembris. Eſt autem ſententia Congruiſtarum expoſita a Suareſio lib. III. de Auxiliis divinæ gratiæ cap. 14. in quo docet efficaciam Gratiæ in hoc ſitam eſſe, *Quod Deus infinita ſua ſapientia prævidens, quod unaquaque cauſſa, ſeu voluntas in omni eventu & occaſione operatura ſit, ſi in ea conſtituatur, quando, & cui vocationi ſit unaquaque voluntas aſſenſum præbitura, ſi ei detur, unde quando vult hominem convertere, vult etiam illum vocare illo tempore, & modo, quo novit illum conſenſurum. Et talis vocatio vocatur efficax, quia licet in ſe non habeat infallibilem effectum, tamen ut ſubeſt tali ſcientiæ divinæ infallibiliter eſt illum habitura*. Hæc eſt illa Gratia, quam *Congruam* appellitant, propterea quod congruo tempore & modo hominibus conferatur; & hanc immerito Tournely comparat art. ultimo pag. 676. gratiæ victricis delectationis; cum hæc ad gratiam ſufficientem addat majorem abundantiam caritatis, per quam voluntas ita inflammatur ut velit, & tantum velit, ut faciat. E contra Gratia hæc Suareſiana, ut idem Auctor fatetur citato loco num. 14. nullam intrinſecam motionem requirit præter illam, quam præſtat auxilium *ſufficiens*, ſed tantummodo congruas circumſtantias,

in

in quibus per ſcientiam *mediam* prævidet Deus humanam voluntatem fore divinæ vocationi obtemperaturam.

Hæc ſententia non exploditur memorato Decreto Generalis Aquavivæ, a quo tamen proſcribitur ſententia Molinæ. Præcipit enim, ut Patres Societatis *doceant inter eam gratiam, quæ effectum reipſa habet, & eam, quam ſufficientem nominant, non tantum diſcrimen eſſe in actu ſecundo, quia una ex uſu liberi arbitrii etiam cooperantem gratiam habentis effectum ſortiatur, altera non item; ſed in ipſo actu primo, quod poſita ſcientia conditionalium ex efficaci Dei propoſito, atque intentione efficiendi certiſſime in nobis boni, de induſtria ea media ſelegit, atque eo modo, & tempore confert, quo videt effectum infallibilem habitura, aliis uſurus, ſi hæc inefficacia prævidiſſet. Quare ſemper moraliter, & in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in ſufficienti gratia & in actu primo contineri, atque hac ratione efficere Deum, ut reipſa faciamus, non tantum quia dat gratiam, qua facere poſſimus*. Hæc Claudius Aquaviva. In quibus verbis, inquit citato loco Tannerus, negari nullo modo poteſt plane definiri gratiæ efficaciam *formaliter* non eſſe ſitam in ipſamet cooperatione ſua, ſed etiam in actu primo prius natura efficacem eſſe, quam cooperatio noſtra abſolute ſecutura ſit. At Mutius Vitelleſchi Aquavivæ ſucceſſor, poſtulantibus quibuſdam PP. Societatis, an præmiſſo decreto doctrinam de gratia per ſe efficaci tenerentur amplecti, declaravit id eis nequaquam eſſe præſcriptum. Et revera, cum an. 1586. curante potiſſimum ipſo Generali Aquaviva prodierit *Ratio atque inſtitutio ſtudiorum*, ubi quinta regula declaratur, liberum Sociis eſſe a ſententia B. Thomæ circa cauſſarum ſecundarum præmotionem recedere; credibile non eſt voluiſſe Aquavivam reſcindere jam editas, receptaſque communibus ſuorum plauſibus præceptiones. In hac Congruiſtarum ſententia defenditur a nonnullis abſque gratia ab intrinſeco efficaci Prædeſtinatio ad gloriam gratuita; cujus prædeſtinationis executio ex illis circumſtantiis ſit repetenda, in quibus Deus ab æterno prævidit, liberum arbitrium ſubminiſtrationes gratiarum minime aſpernaturum.

Defenditur in ſcholis ejuſdem Societatis Jeſu alia quoque ſententia, efficaciam gratiæ ſitam eſſe non in hac vel illa particulari vocatione atque inſpiratione, ſed in omnium complexu, non quod liberum arbitrium ſit, ut ſancte operetur, beneficiorum divinorum plenitudine cumulandum; ſed quia Deus in theſauris Sapientiæ ſuæ plures habet gratias, quarum collectionem homo repudiare non poteſt, tametſi repudiare poſſit ſingulas diſtributive ſumptas, cum nulla ſit ex ſuis intrinſecis cum effectu infallibiliter conjuncta. Hi nimirum Theologi tam gratuitam prædeſtinationem ad gloriam, quam ſpeciale donum perſeverantiæ electis divino beneplacito præparatum concedunt, ſed cum ſe divellere nequeant a Scientia *media*, quam ad ſalvandam futurorum liberorum contingentiam exiſtimant neceſſariam, inquiunt hunc, vel illum liberi arbitrii actum non dependere a cæleſti delectatione prædominante, neque a prædeterminatione Thomiſtica, ſed tantummodo ab illa gratia ex cumulo gratiarum omnium ſelecta: atque independenter ab omni abſoluto decreto a Deo prævideri. Quam ſententiam ætate hac noſtra celebriorem reddidit non ſemel a me laudatus Edmundus Simonnet Univerſitatis Muſſipontanæ Cancellarius in ſuis de Scientia Dei, de Prædeſtinatione, & de Gratia diſputationibus.

Poſtrema Sententia eſt Thomiſtarum & Auguſtinenſium omnium affirmantium gratiam efficacem eſſe ſeipſa, non talem reddi aut cooperatione liberi arbitrii, aut ex circumſtantiis congruis: atque certiſſime & infallibiliter cum effectu conjunctam eſſe, non vage prout comprehenditur in cumulo omnium gratiarum, ſed quatenus eſt individua & peculiaris præmotio & inſpiratio collata hominibus non ſuſpenſa & indifferenti Dei voluntate, ſed abſoluta & pleniſſima: ita ut hæc gratia det poſſe, velle & perficere, neque ipſa cooperetur quia volumus, ſed ut velimus, quia ipſa operatur. Inſtituitur vero quæſtio de gratia, per quam recte operamur in ſtatu naturæ lapſæ, nam de gratia ad perſeverandum neceſſaria in ſtatu innocentiæ aliis in locis pertractatum eſt.

PROPOSITIO: Datur Gratia ab intrinſeco efficax ſenſu nunc explicato.

Momentum Primum ex Scripturis.

Inter Scripturarum divinarum loca a Theologis in confirmationem noſtræ ſententiæ producta, illuſtriora ſunt quæ ſequuntur. Primum Ezech. cap. XXXVI. v. 26. de Gratia, quæ per Chriſtum confertur iis, qui ab idololatria reſipiſcunt, implentque præcepta Domini, verba faciens, *Dabo vobis*, inquit, *cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri; & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini*. His autem verbis non ſolum nobis promittitur gratia ſingulis communis, & ab arbitrii flexione pendens, ſed magna, ſpecialis, victrix, & ab intrinſeco efficax. Etenim hac promiſſione Deus ſpopondit, & quidem abſolute, ac nulla facta mentione aut humani conſenſus, aut conditionis alicujus extrinſecæ effecturum ſe, ut cor carnis concupiſcentia gravatum caritatis flamma ſuccenſum innovetur, atque divina præcepta mandentur executioni, ideſt, largiturum ſe gratiam cum effectu infallibiliter conjunctam. At hanc gratiam eſſe ex intrinſecis ſuis efficacem, nemo non videt. Deinde alia eſt gratia quæ facit ut poſſimus facere, alia quæ facit ut faciamus. Prior eſt inefficax, ſive adjutorium *ſine quo*; altera efficax eſt, & adjutorium *quo*; illa ſuſpenſa eſt & pediſequa, quia velle ac determinare ſeſe ad opus relinquit libero arbitrio: hæc vero eſt victrix & prædeterminans, quoniam dat etiam velle; & voluntas, quæ non determinatur, non vult. Enarrata autem promiſſio eſt de Gratia, quæ facit ut faciamus, ut in præceptis Domini ambulemus, ut judicia ejus cuſtodiamus, ut operemur. Eſt ergo de auxilio ſeſe, atque ex intrinſecis ſuis efficaci. Rurſus citato Prophetæ teſtimonio Deus non prædicit filios promiſſionis divinis obtemperaturos mandatis, ſed promittit ſe facturum ut divinis mandatis obtemperent. At quod Deus promittit, non ex poteſtate liberi arbitrii, ſed ex firmo ſtatoque divinæ voluntatis decreto cum rei eventu connectitur. Docet id ſanctus Fulgentius lib. I. ad Monimum cap. 14. ut obſervarunt Theologi Duacenſes in celebri Cenſura ad Aſſertionem PP. Societatis Jeſu quintam ac viceſimam: ſed manifeſtius S. Pater de Prædeſtinat. SS. cap. 10. ubi ait: *Non de noſtra voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines; quia etſi faciant homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipſe faciat quod promiſit: alioquin ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate*. Præterea, ut Theologi Lovanienſes argumentantur in Juſtificatione Cenſuræ ſuæ cap. XI. ait Dominus, *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*; non facit autem in præceptis ſuis ambulare illos, qui adhuc bene vivere recuſant, etiamſi horum plurimi gratiam habeant inefficacem. In iis ergo, ut actu operentur, neceſſaria eſt uberior gratia, quam non peſſumdent, donumque ſpeciale per ſeipſum ab inefficaci diſtinctum. Denique peremptoria eſt Auguſtini ſententia, & fruſtra contorquetur, in lib. de Gratia & lib. arb. cap. 16. *Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis, & faciatis*. Gratia enim, quæ pendet a voluntatis conſenſu, non eſt efficaciſſima, cum ſæpenumero inefficax reddatur, ſuoque effectu fruſtretur.

Advertas hoc loco, laudata Ezechielis verba explicari non poſſe hoc tantum ſenſu quod in nova lege plures, quam in veteri, ambulent in viis Domini. Quamquam enim lex nova amplior eſt, & obſervatur a pluribus; diſcrimen inter illam ac veterem non eſt, quod per ſe pauciores vel plures ſint legis obſervatores, quandoquidem juſtitia non eſt ex lege, neque lex ad perfectionem adducit; ſed quoniam in lege nova in pluribus Deus per ſubminiſtrationem caritatis aufert cor lapideum, largitur Spiritum novum, & facit ut faciamus. Nam hæc eſt Auguſtini, aliorumque Patrum, ipſis quoque Propheticis verbis concordiſſima, interpretatio. Quare declararunt Lovanienſes Theologi explicationem Leſſii & Hamelii expreſſam memorata aſſertione 25. intentioni Prophetæ nequaquam congruere, & Duacenſes, eſſe novam & non ferendam unanimi conſenſione affirmarunt. Vide utriuſque Univerſitatis Cenſuras, de quibus proximo capite.

Huc ſpectant innumera alia divinarum Scripturarum loca, in quibus aſſeritur Deum inclinare & trahere corda hominum, operari in eis bonam voluntatem, agi filios Dei Spiritu Sancto & alia id genus quamplurima. Hujuſmodi ſunt Job. XII. 24. *Qui immutat cor principum populi terræ*. Joan. VI. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Ad Philipp. II. 12. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle & perficere, pro bona voluntate*. Et ad Romanos VIII. 14. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*. Hæc putant Adverſarii noſtri quam faciliime eludi, ſi reponant hoc tantum ſenſu Deum inclinare, trahere, & operari in nobis bonam voluntatem & ſanctam operationem, quod nos adjuvet ut velimus & faciamus per inſpirationem, ſine qua velle & agere non poſſumus, non qua efficaciter, & prævia motione præſtet ut velimus & faciamus. At ſunt iſthæc ſubterfugia mera. Principio enim, ut diximus, in his, qui ſola gratia verſatili & pediſequa præventi ſunt, non inclinatur cor, voluntas non trahitur, neque homo vult, quia Deus operatur in eo velle; ſed ex adverſo liberum arbitrium gratiam determinat, flectit, trahit, & ideo Deus operatur quia homo vult. Deinde in horum Theologorum ſyſtemate, quicunque indifferenti gratia adjuvantur, inclinarentur, traherentur, agerentur, operarentur; & ſinguli venirent ad Patrem, ſinguli filii Dei efficerentur per iſtiuſmodi gratiam indif-

indifferentem: atque ita qui non credunt nec convertuntur, inefficaciter tamen vocantur, & verſatili adjutorio præmoventur, haberent illam gratiam, quam commendabat Chriſtus dicens: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Sane vero Judæi increduli ac pervicaces, quos ſalvator alloquebatur, non trahebantur a Patre; unde addit Evangeliſta: *Sciebat enim ab initio Jeſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum; & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo*. Judæi ergo illi non habebant gratiam efficacem, ideoque hæc ſuapte natura, non conſenſu voluntatis, aut circumſtantiis extrinſecis, ab inefficaci diſtinguitur. Ad hæc: cuinam non plane ſtupido ac bardo Molinianus Apoſtolica ad Philippenſes ſententia timorem incutere poterit ſalutarem? Reſpondebit quiſque non ingenio hebes, nihil eſſe cur pertimeſcat, cum ei ſemper affuturum ſit illius gratiæ adjutorium, cui præbet libera voluntas pro ſuo arbitratu conſenſum. *Quid vero ſentias* (inquit Nicolaus L' Herminier Tom. 4. operis Theologici p. 241.) *de ſyſtemate, in quo omnis plane timor ſalutaris evertitur?*

Refellenda ſunt ergo Moliniana interpretamenta, quæ profecto gratiæ Propugnatori Auguſtino adverſantur. Is enim de Gratia per ſe efficaci prædicta loca interpretatur. Nam quod ex Evangelio Joannis depromptum eſt, ita a D. Parente explicatur libro de Gratia Chriſti cap. 14. *Non eſt autem conſequens ut qui poteſt venire etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit a Patre, non ſolum poteſt venire, ſed venit, ubi jam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt*: nimirum, quod paſſim inculcat, Gratia dat poſſe, dat velle, & efficit ut agamus. Apoſtoli ad Philippenſes verba ita S. Pater exponit de dono Perſev. cap. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere, hoc eſt pium, hoc verum ut ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo*. Atque de Gratia Chriſti cap. 45. ſermonem inſtituens de Petro, *Miſericordia Domini*, inquit, *latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia ſua viſitavit Petrum, interioris hominis uſque ad exteriores lacrymas movit, & produxit effectum. Ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis*. Eodem pariter libro cap. 10. redarguit Pelagium explicantem verba Apoſtoli de ſuaſione & excitatione morali, qua *nos terrenis cupiditatibus deditos futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit, & revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem*: demonſtratque his minime recedere hæreticum ab ea gratia, quam in lege doctrinaque conſtituit. Quapropter ſanctus Doctor contendit ſic eſſe Apoſtolicam ſententiam accipiendam, ut Deus non ſuadendo tantum quod bonum eſt, ſed phyſice nobis etiam actum voluntatis inſpirando, & efficaciter ad operationem trahendo dicatur in nobis operari *velle & perficere*. Sententiam vero ex Epiſtola ad Romanos petitam, ita Gratiæ Propugnator excepit ipſomet libro cap. 25. *Profecto ut agant quod bonum eſt, ab illo aguntur qui bonus eſt*: & de Correpț. & Gratia cap. 2. *Intelligant, ſi filii Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant: aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant*. Porro qui indifferenter præmoventur, & qui ſuaſionibus, ſive extrinſecus ſonent, ſive interius illuminent, abſque alio præveniente adjutorio illiciuntur atque invitantur, nonniſi improprie & metaphorice dicuntur agi. *Nam proculdubio* (nota quod Auguſtinus ſcribit cap. 3. de Geſtis Pelagii) *plus eſt agi, quam regi; qui enim regitur aliquid agit, & a Deo regitur ut recte agat: qui autem agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur; & tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere poteſt, quam ut illi ſe agendam commendet, qui male agere non poteſt: & hoc cum fecerit, ab illo ut faceret adjutam eſſe non dubitet, cui dicitur in Pſalmis, Deus meus miſericordia ejus præveniet me*. Sunt ergo juxta Auguſtinum præfata Scripturarum loca ita accipienda, ut Salvatoris gratia efficiat in nobis voluntatis affectum, operetur in nobis ut operemur, agat nos ut agamus, neque ſola nos morali excitatione præmoveat, ſed trahente, inclinante, agente, & tantam voluntatem, quæ poſſit, velit, faciat, nobis divinitus inſpirante.

Proferam modo præclarum Apoſtoli teſtimonium ad Rom. IX. 16. *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Hinc gratia ab intrinſeco efficax demonſtratur, tum quia effectus potiori jure tribuitur cauſſæ determinanti, quam indifferenter præmoventi, ideoque in ſententia Adverſariorum noſtrorum ſunt bona opera potius homini volenti & currenti attribuenda, quam Deo gratiæ auxilium ſubminiſtranti: tum etiam quia in eorum ſyſtemate non impertitur Deus majus gratiæ beneficium homini operanti, quam non operanti; ideoque quod ille non iſte divinis præceptis obtemperet adſcribendum eſt homini volenti & currenti, & pro nutu arbitrii ſui commune illud, fluxumque auxilium determinanti.

Huic autem argumento qua arte occurrat Suareſius lib. de Auxiliis III. cap. 15. ſedulo videndum eſt. Nititur primum oſtendere hæc verba non eſſe Pauli affirmantis, ſed poſita ex perſona hæc objicientis, abuſus commentationibus, quæ ab imperitis tribuuntur Hieronymo & Ambroſio, addita quoque Chryſoſtomi auctoritate. At expoſitio, quæ Commentariis Beati Hieronymi ſubjicitur, Pelagianum aliquem habere auctorem, nec eſſe opus Hieronymi in ſuis contra Pelagium lucubrationibus hæc Apoſtoli verba non ſemel proferentis, ſcripſerat Sixtus Senenſis lib. 14. Bibliothec. Bellarminus de Script. Eccleſ. aliique eruditi viri, a quibus nemo hodie diſſentit. Commentaria olim inſcripta Ambroſio, quamquam poſtea traditam a Suareſio expoſitionem refellunt, ut dixi de Transfuſione Originalis peccati, ſunt pariter Criticorum conſenſu ſuppoſititia. Chryſoſtomus docet tantummodo Apoſtoli verba intelligenda eſſe cum arbitrii libertate, quam tunc aliqui ſtudebant evertere; nam e veſtigio addidit: *Dum enim dicit, Non volentis, neque currentis, libertatem non tollit, ſed oſtendit rem totam non illius eſſe, ſed ſuperna indigere gratia*. Prima ergo Suareſii reſponſio ſubleſta, fallax, & prorſus inepta eſt. Addit ſermonem ab Apoſtolo inſtitui de electione Jacob ad temporalem hæreditatem, ſive etiam de electione ad gloriam, qua præparevit electis *congruam* vocationem conferendam in tempore, quo bene uſuros prævidit: at pertractare Paulum etiam de abſoluta prædeſtinatione ad gratiam & gloriam, & Deum in hac ſola prædeſtinatione hujus ſtatus opera bona præноſcere, jam in quarto & quinto libro fuit commonſtratum. Poſtremo Suareſius tertio libro citato cap. 9. hunc Apoſtoli locum exponendum docet cum Nazianzeno Oratione prima ac triceſima, *quia licet ipſum velle noſtrum ſit, non tamen niſi Deo opitulante, ac adjuvante & principaliter operante*. Verum ſi hæc tantum proferret Nazianzenus, nec Suareſium juvaret tanti viri auctoritas; nam & nos bonam voluntatem noſtram eſſe fatemur, Deo tamen *principaliter operante*; & negamus operari Deum principaliter, ſi indifferenter ipſe præmoveat, liberumque arbitrium hanc motionem determinet. Sed quo videas magnificentiſſime falli Suareſium, eodem loco Nazianzenus poſteaquam ait, noſtram voluntatem & electionem a Dei benignitate manare, addidit protinus, *Idcirco non volentis, ideſt, non ſolum volentis, nec currentis ſolum, ſed etiam miſerentis Dei; ita, quoniam velle quoque ipſum a Deo eſt, optimo jure totum Deo aſſignavit*. Commendat ergo Gregorius ſententiam Apoſtoli, eamque ſic interpretatur, ut totum tribuendum ſit Deo, quia ipſa bona voluntas a Dei benignitate promanat, nec gratia Dei dat tantum poſſe, ſed etiam *ipſum velle*.

Verum licet Gregorius, aliique Græcorum non tam aperte gratiæ aſſeruiſſent efficaciam in expendenda præmiſſa ſententia Apoſtoli, athleta gratiæ Auguſtinus Quæſt. 2. ad Simplicianum, & cap. 32. Enchiridii, ait quod ſi illa poſſet ſic explicari, *quia voluntas hominis non ſufficit ut juſte recteque vivamus, niſi adjuvemur miſericordia Dei*; ratione conſimili poſſet dici, quod nullus Chriſtianorum dicere audet, non eſſe Dei miſerentis, ſed hominis volentis, atque currentis, *quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur*. Unde infert S. Pater, ut conſiſtat dictum Apoſtoli neceſſarium eſſe, non ſolum ut adjuvemur miſericordia Dei, ſed etiam, ut Deus voluntatem bonam præparet adjuvandam, & adjuvet præparatam, ut miſericordia etiam faciat ut velimus, ut Deus in nobis operetur velle & operari pro bona voluntate. Evidens ergo eſt, per ſufficientem gratiam, quæ non operatur & velle, non ſalvari ſententiam Apoſtolicam, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Agnovit autem Franciſcus Suarez vel invitus ſenſum Auguſtinianæ expoſitionis, atque ad præſidium Nazianzeni confugiens, *Ad hoc tamen* (inquit) *reſponderet Nazianzenus non eſſe paritatem rationem, quia licet homo aliquid conferat ac operetur cum bene vult & currit, Deus tamen eſt, qui principales partes confert, propter quod ejus miſericordiæ & velle & currere hominis attribuitur*. Ceterum Suareſius fruſtra ſe Nazianzeni umbraculo contegit, & fruſtra Deo partes dat principales, ſi liberum arbitrium verſatilem gratiam determinat, quemadmodum diximus ſupra.

Percelebris quoque eſt textus Apoſtoli in prima ad Corinthios cap. 4. v. 7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Quo teſtimonio revocatum ſe ab errore Semipelagianorum teſtatur S. Pater in lib. de Præd. SS. cap. 3. Hinc vero ſententia pariter exploditur Moliniana. In ea quippe unius ab alio diſcretio nequit deſumi ſive a gratia præveniente, ſive a ſimultaneo concurſu, cum illa omnibus ſit communis, atque in omnibus eadem; iſte autem & communis ſit, & operationem voluntatis non antecedat. Nullus autem ab alio ſecernitur per id, quod eſt utriſque commune. Reſtat ergo in ſententia, quam impugnamus, unum diſcerni ab alio ſe ipſo, videlicet ſuamet determinatione, ſuoque conſenſu. Utitur S. Pater hoc argumento lib. II. ad Bonifacium c. 7. & de Prædeſt. SS. cap. 5.

Reſpondent vero patroni Gratiæ *congruæ* cum Bellarmino lib. 1. de Grat. & lib. arbitrio cap. 13. teſtimonium Apoſtoli habere locum ubi agitur de gratia *ſufficiente*, non autem ubi diſputatur de *congrua*. Fieri enim poteſt, inquiunt, ut duo

Digitized by Google

ut duo homines eamdem internam motionem recipiant, & unus credat, alter non credat; qui tamen credit accipit motionem eo modo, loco & tempore, quo Deus prævidit ejus ingenio congruere; alter non ita accipit, ac per hoc longe majorem habuit Dei gratiam is qui credit, quam qui non credit. At verba ſunt hæc ſpecioſa. Primo quia cur unus credat, alter non credat, ut infra demonſtraturus ſum, non pendet ab intrinſecis circumſtantiis, ſed refundendum eſt in judicia Dei inſcrutabilia, & contingit interdum, ut qui credit, ſit in circumſtantiis omnino oppoſitis, a quibus alienus eſt qui in incredulitate perſiſtit. Præterea vel in circumſtantiis congruis conſtituitur homo per ſeipſum, vel gratia Dei; ſi per ſeipſum, ipſe ergo ſeſe diſcernit ab alio: ſi gratia Dei, igitur non ideo hæc gratia efficax eſt, quia donatur a Deo in iis circumſtantiis, in quibus prævidet hominem conſenſurum, ſed e contra conſtituitur in iis circumſtantiis, quia Deus decrevit, ut conſentiret. Reponunt alii uti Auguſtinum citatis verbis Apoſtoli lib. de Gratia & lib. arbitrio cap. 6. & de Prædeſt. SS. cap. 5. ad debellandos Pelagianos, qui ita prædicabant merita humana, ut ea ex ſemetipſis habere hominem dicerent. Id quidem verum eſt; ſed contendimus iiſdem argumentis etiam Molinianos urgeri. Enimvero naturalia dona non diſcernunt bonos a malis, quoniam bonis & malis communia ſunt. Sed etiam gratia ſupernaturalis, quæ ſuam habet efficientiam a conſenſu, bonis ex æquo, maliſque communis eſt. Igitur ſi naturalia dona minime ſufficiunt, ut unus diſcernatur eb altero, nec ſufficiens erit gratia iſta eb arbitrio pendula, fluxa & indifferens. Inſuper, etſi Molinæ ſodales ſupernaturalem gratiam agnoſcunt, neque habendi ſint Pelagiani, quoniam tamen in eorum ſententia cum eadem gratia unus agit, alter non agit, neceſſe eſt, ut qui agit ſe diſcernat ab eo qui non agit non per gratiam, quæ utriſque communis eſt, ſed per ſolam determinationem arbitrii. Quamvis enim duo opus habeant & ad curſum peragendum equo, & ad remigandum remis, & ad pugnandum armis; ſi hiſce in rebus pares omnino ſint, cur unus alium præcedat, ab ipſorum induſtria & conatu erit ſolummodo repetendum. Et quod caput eſt, Auguſtinus eodem loco de Prædeſtin. SS. quo ſe hoſtes noſtri communiunt, non ſolum ait eſſe intentionem Apoſtoli, ne quis glorietur ſe diſcerni ab aliis per dona Dei naturalia, ſed etiam ne ſuſpicetur ſe habere validum illud arbitrium, quale granditate primi peccati perdidimus. *In hac Apoſtoli*, inquit, *evidentiſſima intentione, qua contra humanam ſuperbiam loquitur, ne quiſquam in homine, ſed in Domino glorietur, dona Dei naturalia ſuſpicari, ſive ipſam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata eſt, ſive vitiatæ naturæ qualeſcunque reliquias, nimis quantum exiſtimo abſurdum eſt.* Demonſtravi autem alibi, in prima conditione Apoſtolicam ſententiam: *Quis autem te diſcernit?* hoc duntaxat ſenſu locum habuiſſe, quod primus homo habuit a Deo adjutorium *ſine quo*, & gratiam quæ dabat poſſe, ſed fuiſſe illi ſtandum per liberum arbitrium, quo ſe determinaret ad velle, & perſeverantiam Angelorum ſanctorum fuiſſe peculiari quodam titulo mercedem arbitrii, & ſtantes diſcretos fuiſſe a cadentibus ſuamet libertate. Non ergo ad ſalvandam Apoſtoli intentionem ſat eſt, ut homo ſe diſcernat in hoc infirmitatis ſtatu ab aliis per gratiam ſupernaturalem, ſed neceſſe eſt, ut ſe diſcernat per adjutorium *quo*, & per gratiam victricem dantem & poſſe & velle, ne glorietur homo ſe habere integritatem naturæ ob Adæ prævaricationem deperditam. Sed vide quæ diximus lib. IV. cap. 8. & 9. & lib. XII. cap. 8.

Momentum II. ex Orationibus Eccleſiæ.

Validiſſimum ad explorandum gratiæ naturam argumentum petitur ex orationibus Eccleſiæ; hæc enim fuit apud Sanctos Patres ab antiquis temporibus immota ſententia, *ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi*, inquit in Epiſt. ad Galliarum Epiſcopos Sanctus Pontifex Cæleſtinus: atque, ut S. Pater ait in Ep. ad Vitalem 107. nunc 207. n. 27. *Nemo eſt tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quod rogari ſe præcepit, ut faciat.* Sunt præterea orationes Eccleſiæ traditionis Patrum, atque imbecillitatis noſtræ ſingulare argumentum, quoniam plures a priſcis temporibus recitari conſueverunt; & nemo, teſte ipſomet Auguſtino lib. II. de Peccator. meritis cap. 6. *optat quod in poteſtate ſic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento.* Si ergo orationibus victricem gratiam poſtulamus, conſequens eſt, ut fateamur ejuſdem gratiæ neceſſitatem. Porro quod gratiam, quæ eſt ſeſe efficax, imploremus: ex Eccleſiaſticis precibus ſatis liquet. Orat enim S. M. Eccleſia Dominum Deum Feria 4. poſt Dom. 2. Quadrageſimæ his verbis, *Dirige ad te tuorum corda fidelium, ut ſpiritus tui fervore concepto & in fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces.* Sabbato poſt Dom. 4. *Ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Dom. 5. poſt Paſcha, *Largire ſupplicibus tuis, ut cogitemus te inſpirante quæ recta ſunt, & te gubernante eadem faciamus.* In vigilia Pentec. *Concede nobis & noſtræ voluntatis pravitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere.* In proxima ſolemnitate, *Flecte quod eſt rigidum, fove quod eſt frigidum, rege quod eſt devium.* In Dominica poſt Pentec. 19. *Tua medicinalis operatio tuis ſemper faciat inhærere mandatis.* In vigeſimaquarta, *Omnium noſtrorum ad te corda converte.* Sunt autem hujuſmodi precibus ſacra Officia pleniſſima. Nec prætermittenda eſt oratio edita a Benedicto VII. qua utuntur in ſacris Congregationibus Summi Pontifices; cujus orationis, hæc pars eſt: *Veni ad nos, & dignare illabi cordibus noſtris, doce nos quid agamus, quo gradiamur oſtende, quid efficiamus operare: eſto ſolus & ſuggeſtor, & effector judiciorum noſtrorum. Non nos patiaris perturbatores eſſe juſtitiæ, qui ſumma veritatis diligis æquitatem, ut in ſiniſtram nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel perſonæ corrumpat, ſed junge nos tibi efficaciter ſolius tuæ gratiæ dono, ut ſimus in te unum, & in nullo deviemus a vero, &c.* Extat hæc oratio I. tom. Conciliorum in princ. Hujus generis ſunt Eccleſiæ preces quamplures. At gratiam, quæ inſpirando Spiritus Sancti fervorem reddit nos efficaces, quæ voluntatem etiam rebellem revocat ad obſequium, quæ præſtat ut faciamus, quæ noſtræ voluntatis frangit pravitatem, quæ rigidum & renitentem animum flectit, quæ facit ut divinis inhæreamus mandatis, quæ noſtra ad Deum corda convertit, quæ ſola efficaciter nos Deo jungit; gratiam, inquam, hujuſmodi quiſnam non eſſe per ſe effectricem poterit nobis perſuadere? Si medicinalis gratiæ operatio bonam efficit voluntatem, ſi corda dirigit & convertit, ſi præſtat bonæ voluntatis conſenſum; quomodo pendet a directione, flexione, & determinatione voluntatis ut efficax dici valeat? Inſuper ſi penes nos eſt adjutorium Dei efficax reddere, cur ad Sancta Altaria petimus, ut faciat nos velle, neque eamdem ab eo poteſtatem poſtulamus, ſed etiam operationem? Quis, niſi infirmus, Deum rogat, ut oculos ſibi aperiat, aut pedem moveat, quando indifferenti præmotione, quam ſuapte voluntate conjungit cum opere, poteſt valide atque expedite hæc officia peragere? *Prorſus in hac re* (ajebat Auguſtinus de dono Perſ. cap. 7.) *non operoſas diſputationes expectet Eccleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas: orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem: orat, ut fideles perſeverent; Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem.*

Videndum eſt modo, qua arte ab hoc argumento quidam ſe expedire conentur. Nonnulli apud Tournely pag. 654. reſpondent ex orationibus Eccleſiæ tantum probari admittendam eſſe gratiam operationis, quæ dicitur efficax; ſed non eſſe efficacem ex ſe, ideſt, connexionem non habere cum effectu ante prævisum voluntatis conſenſum, propterea quod ſine periculo fidei negari non poſſit, quin voluntas roborata gratiæ efficacis auxilio libere ſeipſam & cum indifferentia determinet, cum non mere paſſive ſe habeat, nec tantum agatur, ſed etiam agat, ut loquitur Auguſtinus. Quæ reſponſio jam refutata eſt: cum enim Dei gratia ipſum voluntatis conſenſum efficiat, nequit illa ab eodem conſenſu ſuam mutuari efficaciam: cumque voluntas, quam agere, & ſe determinare concedimus, quemadmodum Auguſtinus ait, *agatur ut agat*; non determinat gratiæ præmotionem, ſed ipſa a præmotione gratiæ, nullatenus labefactata vi libertatis, determinatur. Neque enim repugnat eamdem voluntatem agi ſimul & agere, determinari ac determinare, ſi unum ad ſuperiorem cauſſam, iſtud vero ad liberum effectum referatur. Addit ibidem Tournely Apoſtolum II. ad Tim. I. v. 6. dixiſſe: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*: in idem autem recidit, gratiam quaſi ſopitam ſuſcitare, & illam quodammodo reddere efficacem. Sed tenuiter, & nugatorie. Enimvero loquitur Apoſtolus de gratia habituali, & Sacerdotii charactere & munere ſacra ordinatione collatis. Quæ ducta ab igne comparatione hortamur *ἀναζωπυρεῖν ſuſcitare* quaſi ſopitam flammam, vel ut Theſſalonicenſibus dicitur v. 19. *non extinguere*, dum ſine intermiſſione orando, & quod bonum eſt tenendo ardeſcit caritas, magiſque ad capeſſendas virtutes cor inflammatur. Atque id perfici per Spiritum virtutis & dilectionis, & per virtutem Dei, qui nos vocat ſecundum propoſitum ſuum, ideſt per gratiam abſoluta Dei voluntate efficacem, Paulus e veſtigio commonſtrat. Reſponſa itaque a Tournelio ſelecta noſtram corroborant aſſertionem. Quidam e Molinianis reſpondent, Eccleſiam non orare ut poſſimus reddere gratiam efficacem, cum id in noſtra ſit poteſtate, ſed petere ut de facto hoc faciamus. Sed interrogare illos pergimus; cur iſtud a Deo poſtulamus, quod in noſtra ſitum eſt poteſtate? Inquiunt alii, petere Eccleſiam auxilium gratiæ pro eo tempore, quo prævidet homines minime reluctaturos. At ubinam quæſo, Chriſti Eccleſia talibus utitur precibus, & non magis gratiam præſtolatur divinam eo quoque tempore, cum voluntas Dei vocationem contumaciter, præfracteque repudiat? Manet ergo hæc ab orationibus Eccleſiæ petita argumentatio firmiſſima atque inconcuſſa.

Momentum tertium ex Gratiæ ſtrenuiſſimo vindice Auguſtino.

Diximus quidem in præcedentibus argumentis de mente Auguſtini non pauca. Nunc ad quædam capita S. Patris doctrinam curabimus revocare; eritque primum complexio nomi-

Digitized by Google

nominum, quibus efficacem gratiam delineat. Hanc appellat in 1. de peccatorum meritis cap. 9. *Spiritus Sancti occultiſsimam gratiam*: libro de Grat. Ch. cap. 24. *internam, occultam mirabilem, ac ineffabilem poteſtatem, quia Deus operatur in cordibus hominum non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates*: cap. ejuſdem lib. 36. *inſpirationem flagrantiſſima, & luminoſiſſima caritatis*: in 4. contra Julianum cap. 8. *omnipotentiſſimam voluntatem*: in primo contre duas Epiſtolas Pelag. cap. 20. *occultiſſimam & efficaciſſimam voluntatem ac poteſtatem, qua convertit, & transfert corda hominum ab indignatione ad lenitatem*: ſeq. libro cap. 8. *inſpirationem bona cupiditatis, ut homo non ſit invitus, non ſit reluctans, ſed conſentiens bono & volens bonum*: proximo cap. 9. *caritatem, qua tota nobis ex Deo eſt, & benedictionem dulcedinis, qua fit in nobis, ut nos delectet, cupiamus, hoc eſt amemus quod nobis præcipitur, & qua reluctanti ſtudium virtutis immittit*: de Gratia, & lib. arb. cap. 5. *magnam & efficaciſsimam vocationem*: de Correp. & grat. cap. 14. *inclinandorum cordium omnipotentiſsimam poteſtatem*: ibidem virtutem, qua omnipotens Deus in Abiſai, filiiſque Jeſſe: *intus egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum, quas ille operatus eſt, traxit*: de prædeſt. SS. cap. 8. *gratiam, quæ a nullo duro corde reſpuitur*. Quænam ampliora vocabula ad exprimendam gratiam ex intrinſecis ſuis efficacem poterant inveniri? Gratiam efficacem reddi aut conſenſu voluntatis, aut circumſtantiis loci vel temporis, non eſt illam operari miris, occultis, atque ineffabilibus modis, quandoquidem cauſſa, eur operetur, in hoc ſyſtemate obvia, & apertiſſima foret. Non eſt eſſe efficaciſſimam & potentiſſimam eum nequeat in ea hypotheſi quicquam perficere, ſi homo reſiſtat, ſuaque pervicacia repugnet. Non eſt efficere ne ſit reluctans, ſed conſentiens & volens, cum ex adverſo gratia ſit efficax quoniam homo vult & conſentit. Non eſt Deum inclinare hominum corda quo ipſi lubet, ſed hominem, quo ei placet, divinam omnipotentiam flectere atque inclinare. Non eſt denique divinam voluntatem intus agere & trahere, ſed agi potius & trahi. Stabiliunt itaque ſententiam gratiæ per ſe efficacis etiam auxiliorum divinorum epitheta, & characteres.

Reponunt Moliniſtæ apud Tournely pag. 651. hæc fruſtra & immerito objici, quaſi & ipſi non agnoſcant vim & efficaciam gratiæ ab una Dei omnipotentiſſima virtute derivari: hoc omnes ultro fateri; hoc etiam in ſtatu innocentis naturæ locum habuiſſe; hoc veriſſimum eſſe in eorum quoque opinione, qui volunt gratiam reddi efficacem per conſenſum voluntatis, quandoquidem conſenſus ille abſque gratiæ virtute minime poneretur; Auguſtinum denique hiſce gratiæ deſcriptionibus ſolos urgere Pelagianos, qui negabant gratiam prævenire voluntatem. Verum hæc non moror. Conſtat enim Auguſtinum appellare gratiam efficaciſſimam & omnipotentiſſimam, non eo quod a divina omnipotentia diffluat, ſed quoniam facit conſentientem etiam reluctantem & invitum, neque ab ullo duro corde reſpuitur. Et quamvis etiam gratia, quam habuit Adam, donum eſſet omnipotentis, quoniam tamen in actu ſecundo reddebatur efficax a conſenſu, nullibi appellatur ab Auguſtino efficaciſſima & potentiſſima, nullibi dicitur, quod humanam voluntatem inclinaret & traheret; quin rotundis verbis gratiam Chriſti medicinalem, quæ dat velle, & facit ut faciamus, appellat S. Pater *validiorem & potentiorem*, & gratiam prioris conditionis *magnam* quidem, ſed *diſparem*; quod & alibi demonſtratum eſt, & paullo infra eſt repetendum. Deinde in hoc etiam fallitur Tournely, quod ſcribit Moliniſtas fateri efficaciam gratiæ petendam eſſe ex omnipotentiſſima Dei voluntate, cum id aperte negaverint in Congr. de Auxiliis coram ſummo Pontifice Paulo V. die 20. Septembris an. 1605.

Complectitur alterum caput quaſdam Auguſtini auctoritates illuſtriores. Sit prima ex libro de Gratia Chriſti cap. 14. ubi inquit: *De iſto docendi modo Dominus ait, Omnis qui audivit a Patre meo & didicit, venit ad me. Quis ergo non venerit, non de illo recte dicitur, audivit quidem & didicit ſibi eſſe veniendum, ſed facere non vult quod didicit. Prorſus non recte dicitur de iſto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim ſicut veritas loquitur, Omnis qui didicit venit, quiſquis non venit profecto non didicit.* Animadvertit inſignis Theologus Auguſtinianus Baſilius Poncius P. 1. Relect. de Neceſſit. Gratiæ cap. 9. in ſententia Moliniſtarum hanc tenere cauſalem, Gratia efficax eſt quia homo conſentit, in ſententia autem noſtra cauſalem iſtam, homo conſentit quoniam vocatur gratia efficaci: & puto hanc Poncii animadverſionem ſeſe notam eſſe. Atqui per Auguſtinum de homine, qui non venit, & non habet gratiam conjunctam cum actu atque efficacem, non recte dicitur, Habet quidem gratiam, ſed non eſt efficax, quia facere non vult: & de eo, qui venit, ideoque habet gratiam conjunctam cum actu, dicitur recte, Venit, quia a Patre audivit & didicit. Ergo gratia, per quam aliquis venit ad Chriſtum, non eſt efficax ob voluntatis conſenſum. Secunda auctoritas ſit iſta: *Ut autem de cælo vocaretur* (inquit de Paulo S. Pater in lib. de Grat. & libero arb. cap. 16.) *& tam magna & efficaciſsima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola*. Tournely loco citato ait, gratiam magnam & efficaciſſimam appellari ſubitam & indeliberatam motionem quæ fit in nobis ſine nobis, non vero illam, cui voluntas libere conſentit, utramque enim ibidem diſtinguit S. Doctor. At licet Auguſtinus reapſe, & quidem optime ſcribat ſimul cum gratia agere etiam arbitrium, quod nemo niſi damnatus hæreticus in dubium vertit, fallitur tamen duplici titulo eximius ille Theologus. Primo quidem; nam ſi gratia eſt magna & efficaciſſima, quatenus eſt motio indeliberata quæ eſt in nobis ſine nobis: ergo non habet ſuam efficaciam a noſtra deliberetione noſtroque conſenſu, ſed efficax eſt & conjuncta cum actu ante liberam conſenſionem, ſive ut in Scholis loquimur, in actu primo. Præterea Auguſtinus appellat magnam & efficaciſſimam gratiam collatam Paulo non ſolum ut vocaretur, ſed etiam ut converteretur. Converſio autem non eſt abſque deliberatione, & cooperatione liberi arbitrii. Vocatio ergo, quam Auguſtinus ſcribit fuiſſe magnam & efficaciſſimam, non ſolum talis eſt comparate ad motionem gratiæ indeliberatam, & ſubitam, verum etiam ut pertinet ad liberam ac deliberatam operationem. Sit locus tertius depromptus ex eodem libro cap. 16. *Certum eſt nos mandata ſervare ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt quod paulo ante poſui, Præparatur voluntas a Domino: de quo dictum eſt, A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet: de quo dictum eſt, Deus eſt qui operatur in nobis & velle & operari. Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſsimas voluntati, qui dixit, Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis &c.* Si ergo impertitur Deus vires efficaciſſimas voluntati, ut velit, ut faciat, ut ſervet mandata, quomodo gratia ſumit efficaciam ſuam a voluntatis cooperatione? Verum quid ad hæc Adverſarii? Attendendum inquiunt ſcopum Auguſtini, cui incumbebat evertere dogma Pelagianorum affirmantium neceſſariam non eſſe gratiam prævenientem hominum voluntates. Probat ergo tantummodo laudato, & conſimilibus teſtimoniis prævenientis gratiæ neceſſitatem. Optime vero, ac præclare! Sed ſimul Auguſtinus hujus prævenientis gratiæ naturam commonſtrat, affirmando ita prævenire liberam voluntatem ut vi efficaciſſima operetur in ea velle, & tantum velle, ut volendo faciat, impleatque præcepta; ideoque non a voluntate metiendam eſſe efficaciam gratiæ, ſed ab efficaci gratia operationem voluntatis. Cum inſuper Pelagiani ideo prævenientem gratiam negarent, quod ex ea putarent conſequi interitum libertatis; quare Auguſtinus retus hanc eſſe graviſſimam difficillimamque quæſtionem, nullibi reſpondit præmoveri humanam voluntatem a gratia Moliniſtice *ſufficiente*, quæ non eſt efficax niſi ab ejuſdem voluntatis conſenſu, aut ex circumſtantiis loci vel temporis, quod fuiſſet expeditiſſimum; ſed cum in iſto, tum in locis aliis occurrit dicendo nos quidem velle, nos facere, ſed Deum efficaciſſima ſua poteſtate efficere ut velimus & faciamus? Sed de hac re poſtmodum.

Ad tertium caput reducuntur principia, quibus Auguſtinus ſuam de Gratia ſententiam corroborat. Præcipuum eſt, quod ab homine infirmo, & in peccatis concepto, totum bonum opus Deo tribuendum eſt, non quod liberum arbitrium non agat, ſed quia ut agat agitur, & efficaciter præmovetur. Unde S. Pater de Dono Perſev. cap. 6. ait: *Tutiores vivimus, ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus: quod vidit iſte venerabilis Martyr* (Cyprianus), *nam ait: quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis, & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus, ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbe arroganterque aliquid aſſumat, ne quis, aut confeſsionis, aut paſsionis gloriam ſuam ducat: ut dum procedit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & datur totum Deo, quidquid ſuppliciter cum timore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur.* Si ergo totum tribuendum eſt gratiæ, non partim homini, partim Deo: ipſa hominis cooperatio a Deo eſt, non efficacia gratiæ ab hominis cooperatione. Neque enim hanc rationem elidunt, qui apud Gonzales Controv. ultima art. xI. §. 8. reponunt totum attribui Deo: quoniam licet ſit in poteſtate noſtra reddere cooperatione noſtra efficax auxilium gratiæ, non tamen penes nos eſt habere auxilium illud, aut impedire quin detur. Immo ex labili hac reſponſione ratiocinari fas erit, Si auxiliorum divinorum collatio attribuitur tota Deo, quoniam non dependet ex nobis quod conferantur, nec ne; pari jure eorumdem auxiliorum efficacia, cum tota Deo tribuatur, nequit a cooperatione noſtra pendere. Accedit, quod cum præſtantius & laudabilius ſit determinate velle, & agere, quam poſſe, quemadmodum deteſtabilius facere mala, quam poſſe facere: videntur Moliniani nobis nobiliores partes dare, Deo autem concedere deteriores.

Alterum Auguſtinianæ doctrinæ principium eſt in aſſignanda cauſſa, eur unus convertatur, & efficaciter vocetur, alter non item, confugere ad graviſſimam Apoſtoli exclamationem ad Rom. xI. 33. *O altitudo divitiarum!* Ita enim de Dono perſev. cap. 9. inquit: *Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte vocetur, ut vocantem ſequatur, ille autem*

aut

Digitized by Google

aut non vocetur, aut non ita vocetur, inſcrutabilia ſunt Dei judicia. De Sp. & lit. cap. 34. *Si ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur ut perſuadeatur, illi autem non ita; duo ſola occurrunt, quæ reſpondere mihi placeat; O altitudo divitiarum! & Nunquid iniquitas eſt apud Deum?* Atque lib. 1. de Peccat. mer. cap. 5. *Cur illum adjuvet, illum non adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum, iſtud illo, illum iſto modo, penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecreta ratio, & excellentia poteſtatis*. At aliter Congruiſtæ & Moliniani reſpondent, illum videlicet credere, non illum, quod unus velit, alter nequaquam, nec tempore aut loco congruo vocetur uterque. Gratulandum iis impenſiſſime, tranaſſe pelagus Apoſtolicis mentibus immenſum ac difficillimum. Reponunt tamen aliqui cum Bellarmino lib. v. de Grat. & lib. arb. cap. 12. potuiſſe Auguſtinum reſpondere uni perſuaderi, alteri non ita, quia unus vult aſſentiri, alter non vult: ſed quoniam noverat poſſe Deum etiam nolenti facile perſuadere, & ex nolente volentem facere, ſi vellet ei proponere quæ ſcit menti ejus, & ingenio congruere, ideo ad arcanum divini conſilii retulit, dicens, *O altitudo divitiarum!* Sunt hæc perbelle conficta: quippe Auguſtinus inter illos duos diſcrimen repetit ab excellentia poteſtatis divinæ, quæ prout Dei beneplacito lubet, frangit in uno cordis pravitatem, quia illum tantum vocat, in alio non frangit, quia hunc non vocat tantum; cumque Deus omnipotens poſſit ubique, ac ſemper bonam ac robuſtam voluntatem inſpirare etiam reluctantibus, oppugnantibus, repugnantibus, ideoque etiam in oppoſitis loci, temporiſque circumſtantiis; gratia, quæ tanta eſt ob excellentiam poteſtatis divinæ, neque ab ingenio, neque a temperamento, neque a ceteris perſonæ adjunctis ſuam mutuatur efficientiam. Nam ſi gratiam *congruam* placeat appellare ob *congruitatem*, quam ipſa facit, non quam ſecum afferant rerum circumſtantiæ; etiam Auguſtinenſes Poncius, Manſius, & Hiſpani communiter gratiam per ſe efficacem, ſanctam vocationem *congruam* appellitant. Solent reſpondere alii, quæſtionem illam, Cur unus gratiæ vocanti conſentiat, alter reſiſtat, ſpectare ad inſcrutabilia judicia Dei, ſi accipiatur comparative, non vero ſi conſideretur abſolute; quærenti enim, cur ille vocanti conſentiat, iſte reſiſtat, prompta & obvia occurrit reſponſio, quia hic noluit, ille voluit. Promptum ne obviumque reſponſum? At mihi pulſat animum eadem quæſtio, Cur Deus unum tantum movit, ut vellet, & alterum non tantum movit ut vellet, & tantum vellet ut faceret. Quamquam hæc poſtrema reſponſio etiam juxta Auguſtini ſenſum vera eſt. Abſolute enim cur unus non convertatur, eſt quia non vult; ſed non vult, quia juſto judicio Dei denegatur illi adjutorium *quo*, & nunc *quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundum gratiam datur*, inquit S. Pater de Correp. & Grat. cap. xi. Comparative autem cum omnes obſtricti peccato naſcantur, cur uni præparetur, alteri non præparetur voluntas a Domino, penes ipſum eſt æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis. *Qui ergo liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur, debitum agnoſcat*; inquit de Dono Perſev. cap. 8. Auguſtinus.

Tertium Auguſtinianæ Sententiæ principium eſt, quod Deo volenti hominem ſalvum facere nullum reſiſtit arbitrium. Hinc celebris locus de Prædeſt. SS. cap. 8. *Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Hinc exempla, quibus gratiam trahentem reluctantium animos explicat, & de lib. arb. & gratia cap. 5. in Paulo ad fidem converſo, quando perſequebatur Eccleſiam: & in 1. ad Bonifacium cap. 20. in Aſſuero, quem Deus ex iracundia tranſtulit in lenitatem: & de Correpť. & Grat. cap. 14. in Abiſai, qui David regem excepit; & de quo Auguſtinus hæc ſcribit: *Nunquid ille poſſet adverſari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, quam in ejus corde operatus eſt per Spiritum ſuum, ut hoc vellet, diceret, & faceret?* Hinc denique ſuæ doctrinæ concluſio, quam habet S. Pater eodem cap. quarto decimo: *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo & in terra quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult, quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit*. Ex quibus omnibus conſtat efficaciam gratiæ non pendere ab hominum nutu, vel ab extrinſecis circumſtantiis, ſed ab abſoluta Dei voluntate & poteſtate, quæ inclinat quo ipſi placet hominum corda; & ei volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium.

In capite poſtremo repetendum eſt diſcrimen inter gratiam neceſſariam in ſtatu innocentiæ, & illam, quam imploramus in hac infirmitate & lucta concupiſcentiæ. Pluribus de hoc in libris de Divina ſcientia, ac de primo homine fuit diſputatum. Vidimus ibidem, Auguſtinum diſtinguere inter adjutorium *ſine quo*, & adjutorium *quo*: illud comparare alimentis, ſine quibus vivere non poſſumus, nec tamen dum affuerint, eis fit, ut vivat qui mori voluerit; iſtud æquiparare beatitudini, qua homo fit continuo beatus; per illud accepiſſe primum hominem *poſſe*, non autem *velle*, quod in ejus relinquebatur arbitrio: per iſtud dari & *poſſe* & *velle*, & tantum velle ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntas Spiritus vincat. Hinc demonſtratum eſt, Adam habuiſſe quidem Dei gratiam & magnam, ſed hanc eſſe in ſecundo Adam potentiorem, quandoquidem virtus in infirmitate perficitur, & voluntas noſtra tantum Spiritu Sancto accenditur, ut ideo poſſit quia vult, & ideo velit, quia Deus in ea operatur ut velit. Hæc fuerunt expreſſiſſimis & locupletiſſimis teſtimoniis comprobata. Iſtius diſcriminis cauſſam diximus ab infirmitate hujus ſtatus eſſe petendam. *Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua* (inquit in lib. de Correpť. & Gratia cap. xii. S. Pater de Juſtis, qui medicinali Chriſti gratia adjuvantur,) *inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur*. Iſtud inter gratiam Conditoris, & Redemptoris diſcrimen falſum eſſet, ſi gratia redderetur efficax vel a voluntatis conſenſu, vel ab adjunctis circumſtantiis. Angeli enim qui ſteterunt habuiſſent adjutorium *quo*; tum quia reapſe per liberum arbitrium in veritate perſeveraverunt; tum etiam, quia major circumſtantiarum *congruitas* dari nequit, quam ſtatus primæ conditionis, in quo prævidit Deus fore illos in veritate permanſuros per liberum arbitrium adjutorio *ſine quo* roboratum. Atque ita adjutorium *quo* non eſſet Gratia per Chriſtum, & rueret utriuſque ſtatus diſcrimen, quod alibi validiſſime propugnavimus.

Non proferam hoc loco impugnationes Thomiſtarum, quia licet diſcrimen iſtud rejiciant, agnoſcunt tamen in adjutorio *quo* gratiam ſuapte natura efficacem. Rem habeo cum illis, qui nolunt hanc gratiam profiteri, negantque ipſam laudato textu fulciri. Hi reſpondent adjutorium *ſine quo*, ſive gratiam ſtatus innocentiæ fuiſſe ſolam illuſtrationem mentis; adjutorium *quo*, ſive gratiam naturæ lapſæ eſſe ulterius inſpirationem bonæ voluntatis; unde illud dabat *poſſe*, iſtud dat etiam *velle*. Ita Simonnet, ita Deſcamps, ita Tournely, ita Recentiorum alii. Sit, ut lubet. Atqui adjutorium efficax in ſtatu naturæ lapſæ non ſolum dat velle, ſed etiam tantum velle, ut voluntas non relinquatur ſibi ipſi; tantum velle, ut voluntas agatur divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter; tantum velle, ut voluntas ſpiritus vincat voluntatem carnis contraria concupiſcentem; tantum denique velle, ut voluntas inviċtiſſime quod bonum eſt velit. Ergo adjutorium, quod in hoc ſtatu dat velle, eſt efficax ab intrinſeco. Inſuper quomodo in Adverſariorum ſyſtemate gratia Salvatoris dat velle? phyſica ne præmotione, an morali? Morali, inquiunt, qua fit *ut objectum quod amandum proponitur, honeſtius & amore dignius appareat; quod timendum, horribilius; quod odio habendum, turpius*. Ita Suareſius lib. 3. opuſc. cap. 5. num. 10., cui conſentiunt Valentia 2. 2. q. 3. de diviſione Gratiæ, puncto 3. Vaſquez 1. p. q. 27. diſp. 88. num. 20. & 23. Quod exemplo confirmant aliqui, de quo Auguſtinus tract. 26. in Joan. *Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonſtrantur, & trahitur*. Porro hac comparatione Sanctus Pater recte demonſtrat animum trahi caritate & voluptate; ſed nunquam ego aſſentiar exempla iſtiuſmodi per omnia præmoventi gratiæ quadrare; nam motionem metaphoricam ac moralem ſitam in propoſitione objecti nec Pelagium arbitror negaviſſe, ut dixi cap. v. prop. 3. Sed ero liberaliſſimus. Sufficit, ut gratia det velle præmotione morali, atque, ut *Draco trahebat ſecum tertiam partem ſtellarum*. Habuit Adam gratiam internæ illuſtrationis. Igitur habuit gratiam, qua proponitur objectum honeſtius, & dignius amore dignoſcitur. Habuit ergo & gratiam præmoventem moraliter. Atqui hoc non obſtante per Auguſtinum Gratia Adæ collata dabat *poſſe*, non dabat *velle*. Eſt ergo ad gratiam quæ dat *velle*, ſive ad adjutorium *quo*, præter excitationem moralem neceſſaria præmotio phyſica; ideoque gratia eſt efficax ante voluntatis conſenſum. Sed hæc ex ſententia Adverſariorum dicta ſunto. Noſtra enim ſententia ſuo loco expreſſa eſt, in ſtatu prioris conditionis Deum rationali creaturæ contuliſſe Illuminationem & inſpirationem indifferentem, nunc autem requiri determinatam, & efficaciter præmoventem.

Antonius Boucat, qui admittit quidem gratiam per ſe efficacem, ſed rejicit traditum a nobis utriuſque ſtatus diſcrimen diſſert. 3. de Nat. cujuslibet Grat. ſect. 4. contendit S. P. Auguſtinum cap. 12. de Correpť. & Gratia pertractare ſolum de Perſev. finali, de qua tantum dici poſſit quod moveat voluntatem indeclinabiliter & inſuperabiliter: imo plurimum miratur Auguſtinianos Theologos prædicta uti auctoritate; ſi enim gratia efficax ſic moveret, *ſequeretur*, inquit tom. 7. pag. 499. *gratiam hominem non ſolum neceſſitare ad bonum, quod eſt contra Concilium Tridentinum, ſed & figere immobiliter in bono*. Qua in re morem gerit Congruiſtis eodem inani ſubterfugio utentibus apud Honoratum Tournely pag. 652. Horum prodam, explodamque æquivocationem. Cum argumentum quod petitur a per-

a perſeverantia finali, quam denegabant Semipelagiani eſſe ſpeciale gratiæ donum, ſit ad probandam electionem ſecundum propoſitum præcipuum atque palmare; agit utique Auguſtinus ad evincendam gratiæ neceſſitatem de finali perſeverantia, ut ex iſta diſcretionis noſtræ principium, & divinorum auxiliorum propugnet neceſſitatem. Ergo gratiam iis, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei, ſingulariter præparatam, liberantem a peccato, quod eſt ad mortem, & adeo perficientem libertatem, ut peccare nequeat ulterius, quemadmodum prædicto, proximoque capite loquitur Auguſtinus, donum eſſe finalis perſeverantiæ nullus negat, nec eſt cur tanta pompa verborum id moliantur quidam oſtendere. Hocce noſtrum aſſertum eſt: Adam non indiguit hoc perſeverantiæ dono, quoniam fortiſſimo permiſit Deus atque dimiſit facere quod vellet: nec ergo indiguit adjutorio *quo* ad ſtandum. Contra infirmus nequit perſeverare, niſi ipſi perſeverantia donetur; igitur nec converti, atque implere mandata, niſi per adjutorium *quo* in ipſo homine virtus perficiatur, & Deus operetur ut velit. Videſne quomodo cum Auguſtino ex dono perſeverantiæ, quo Adam non eguit, adſtruamus utriuſque ſtatus, divinorumque auxiliorum diſcrimen? Ceterum quod magnus Doctor tribuit perſeverantiæ, quantum ſpectat ad auxilii efficaciam, etiam gratiæ victrici manifeſto concedit. Docet cap. xi. ad Sanctos pertinere gratiam liberationis, quia in malis ſunt, & caro concupiſcit adverſus ſpiritum: numquid non ſunt toto vitæ decurſo in certamine laborantes ac periclitantes, itaut poſcant dari ſibi per Chriſti gratiam pugnandi, vincendique virtutem? Addit xii. cap., quod ut primus homo non acciperet in bono perſeverantiam, ſed perſeverare, aut non perſeverare, in ipſius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, cui nihil ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſtebat: id fortaſſis non probat eſſe ad ſuperandas, ut oportet, tentationes, legemque adimplendam amplioribus donis adjuvandam infirmitatem? Oſtendit inſuper ſanctis donari gratiæ largitate non ſolum poſſibilitatem, ſed etiam voluntatem, actumque perſeverantiæ, ne in viribus ſuis glorientur: nonne de ceteris operibus gloriabimur in hoc loco miſeriarum, ubi tentatio eſt vita hominis ſuper terram, & ne quis, niſi in Domino glorietur, virtus in infirmitate perficitur? Ait demum, ſubventum infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur: an non eſt ab utero quilibet homo infirmus, atque imbecillis? Ita ergo comparantur ad invicem donum perſeverantiæ, & reliqua dona gratiarum, ut cum illud in hoc ſtatu ſit efficax ab intrinſeco, neceſſe ſit admittere ad opera ſalutaria, præter gratiam ſufficientem, etiam gratiam efficacem atque victricem, qua opus non habebat primus homo.

Quod vero miretur ille Theologus, nos ſuperiorem textum interpretari de gratia efficaci, cum inde ſequeretur hanc gratiam neceſſitare ad bonum, iſtud potius mirandum eſt. Peto enim, num homo finaliter perſeverando mereatur? Si non meretur, quomodo gloria, quæ redditur perſeverantiæ, eſt corona juſtitiæ? Si meretur, atque ad meritum requiritur libertas a neceſſitate, quomodo gratia perſeverantiæ finalis agitur homo indeclinabiliter; ſive, quomodo apud Auguſtinum idem eſt agi indeclinabiliter, atque impelli neceſſitate? Peto etiam, cur non inferatur neceſſitas ex D. Thoma ſcribente quæſt. 6. de malo, *Deus movet immutabiliter voluntatem propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt*; & ex Joanne Chryſoſtomo Hom. 74. in Joan. *Imploramus inſuperabile Spiritus ſancti auxilium*? Reſpondet idem Auctor, S. Thomam appellare gratiam moventem *immutabiliter*, non ob neceſſitatem aliquam inductam libertati, ſed ob infallibilem conſecutionem operis; & Chryſoſtomum dicere auxilium *inſuperabile*, non natura ſua, ut cum beatorum voluntas in Deum rapitur, ſed inſuperabile *ſecundum quid*, ex virtute gratiæ, & ex libera hominum voluntate. Vide pag. 636. & 638. Bene quidem, & ſapienter. Atqui etiam Auguſtinus loquitur de tali immutabilitate, & indeclinabilitate; cum gratia, quæ neceſſario voluntatem rapit in ſummum bonum, non ſit donum perſeverantiæ, ſed ſit conſequens gloria, & viſio Dei per eſſentiam, cum qua libertas non conſiſtit, ut ſæpe adverſus Janſeniſtas oſtendi. Ergo Auguſtinus non loquitur de gratia taliter inſuperabili, ut inferat neceſſitatem. Arbitramur nihilominus opportunum eſſe, ne hæreticis præbeatur anſa propugnandi neceſſitantis gratiæ adjutorium, ubi gratiam diximus indeclinabilem atque invictiſſimam, libertatis ſimul commendare indifferentiam, ſermoniſque vitare cruditatem; quomodo hactenus factum eſt, ubicunque de libero arbitrio oratio fuit inſtituta.

Ex tam prolixa, neceſſaria tamen Auguſtinianæ doctrinæ vindicatione, quæ me adverſus veteres ac recentiores impugnatores exercuit, judicet prudens Lector, an Auguſtinus inierit pro gratia ſeſe efficaci pugnam cum Pelagianis. Quæſtionem hanc aliquibus odioſam, aliquibus vero ingratam, nollem inter nos ſuſcitari. Scimus pro affirmativa parte ſtare Thomaſſinum, Alvarez, alioſque Thomiſtas doctiſſimos: negativam Congruiſtas omnes tenere. Ne ſimus autem rigidi audaceſque Cenſores, dicimus Auguſtinum pugnaſſe pro neceſſitate gratiæ adjuvantis voluntatem & operationem ſubminiſtrando caritatem: & ne videamur cauſſam noſtram deſerere; addimus S. Patrem pro gratia operationis & voluntatis decertantem auxilii per ſe efficacis invictiſſima argumenta ſuppeditaſſe. Atque hujus aſſertionis noſtræ partem primam propoſitione quinta capito tertia, alteram vero hac eadem Auguſtinianæ doctrinæ enucleatione & ſyntaxi dedimus multiplici ratione ſtipatam.

Momentum IV. ex aliorum Patrum doctrina.

Sapienter monuit Perronius in poſtremo ad Regem Britanniæ Opere obſ. 4. cap. 5. inter Pelagianos de Gratia & libero arbitrio non fuiſſe a PP. perfecte tractatum, quoniam multi, *qui optime poterant ſcripturas cognoſcere & pertractare, latebant in populo Dei, vel non afferebant ſolutionem quæſtionum difficilium, cum calumniator nullus inſtaret*. Jure ergo Auguſtinus in libro de Præd. SS. cap. 14. docet, non opus eſſe ſcrutari *eorum opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari, quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur: unde factum eſt, ut de gratia Dei quid ſentirent, breviter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis, & tranſeunter attingerent, immorarentur vero in eis, quæ adverſus alios inimicos Eccleſiæ diſputabant, & in exhortationibus ad quaſdam virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiſcenda vita æterna, & vera felicitate ſervitur*. Quod cum animadvertiſſet vir doctiſſimus Dionyſius Petavius, ut diximus in Præfatione ad vi. librum, ſcripſit in hiſce diſputationibus Latinos Patres Græcis eſſe præferendos, inter illos vero majorem eſſe auctoritatem Auguſtini. Quare ſub tanto Magiſtro pugnantes non debent oppoſitorum phalanges reformidare.

Non deſunt tamen aliorum PP. cum antiquorum, tum poſteriorum Auguſtino teſtimonia locupletiſſima. Atque paullo ſupra Chryſoſtomi, & Cypriani nonnulla producta ſunt. Ambroſii pariter, & Nazianzeni, quorum apertiſſima ſententia eſt, Deum ex indevotis devotos facere, & dare nobis tam credere, quam confiteri, pugil Gratiæ Auguſtinus in lib. de Dono perſev. cap. 19. inſignia loca produxit. Tertullianum appellaſſe *vim divinæ gratiæ potentiorem natura, quod habeat in nobis ſubjacentem ſibi liberam arbitrii poteſtatem*, liquet ex libro ejus de Anima cap. primo ac viceſimo. Magnus Baſilius in lib. de Spiritu Sancto cap. 8. vocat gratiam *Auxilium quod per imperium ſuæ potentiæ operatur in nobis*; & ſerm. de lib. arbitrio, *Gratiam inſuperabilis potentiæ*. Plura græce, latineque conſcripta vide in egregio Opere Iſaaci Haberti, quod inſcribitur *Theologia Græcorum Patrum*, cuſo an. 1646. Lutetiæ Pariſiorum.

Ex iis vero, qui Auguſtini tempora ſunt conſecuti, accipe hæc pauca. Proſper S. Parenti notiſſimus, eique ſuperſtes, ſcribens ad Rufinum; *Quis ambigat*, inquit, *tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generavit? Alioquin ſufficeret moneri hominem, non etiam in ipſo novam fieri voluntatem, &c.* & pariter hæc addit illuſtriora, *Ex invito volentem facit, & quibuſlibet modis infidelitatem reſiſtentis inclinat, ut cor audientis obediendi in ſe delectatione generata ibi ſurgat ubi premebatur, ibi diſcat ubi ignorabat, ibi fidat ubi diffidebat, inde velit unde nolebat*. Fulgentius etiam genium & lingua Epiſcoporum ævi ſui, uti dicitur a Ferrando, & Sirmondo, primo libro de Verit. præd. & gr. cap. 15. ait: *Iſta gratia ut eligatur ipſa prius eligit, neque ſuſcipitur, atque eligitur, niſi hoc ipſa in corde hominis operetur*. Et Petrus Diaconus in libro de Incarn. & Gratia cap. 6. *Fruſtra garriunt qui dicunt, Meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ eſt adjuvare; cum etiam ipſum credere, quod eſt conſenſum præbere veritati, nobis a Deo dari teſtetur Apoſtolus*. Hæc quidem, & alia permulta directe feriunt negantes neceſſitatem gratiæ prævenientis: ſed quatenus hujus gratiæ effectus declarant, ſtabiliunt ſimul auxilii per ſe efficacis naturam, cum nequeat dependere a voluntatis aſſenſu omnipotens virtus, quæ illum etiam in invito & nolente infallibiliter operatur. Quæ autem reponere poſſent Moliniſtæ, omnia in explicatione conſimilium locorum Auguſtini fuerunt exploſa, nec debent ſcholaſticum ſtadium terentes injecto pulvere retardare.

Momentum V. ex aliorum placitorum confutatione.

Erat ergo primum refutanda ſententia Molinæ, poſtmodum Congruiſtarum, & eorum denique, qui invenerunt in ſylva ſolis arbuſculis conſita proceram robuſtamque ilicem, gratiam ſcilicet efficacem in cumulo inefficacium gratiarum. Id præſtiti ſuperioribus argumentis; nec res iterum niſi compendio tractanda eſt. Molinianum placitum improbatur I. quia opponitur ſacris literis, & in eo poteſt homo gloriari in ſeipſo; poteſt ſeſe ab alio diſcernere; poteſt rationem reddere, cur unus obediat vocanti, alter reſiſtat. II. Juxta illud non facit Deus ut ſervemus præcepta, non operatur in nobis velle, non agit ut agamus, rimaturque mortalis homo altitudinem judiciorum inſcrutabilium. III.

Ora-

Orationum Eccleſiæ verba extorto fallacique ſenſu Moliniani nituntur exponere, certumque & planiſſimum contegunt novarum doctrinarum involucris. IV. Auguſtini ſcita, argumentationum capita, & ſtatutam ab eo inter vires innocentis & infirmæ naturæ diſcrepantiam non aſſequuntur. V. Ut his, quæ non ignaviter cenſeo comprobata, addam aliquid, videntur mihi ſufficientem gratiam nullo pacto ſecernere ab efficaci. Nam ſicuti ratiocinabatur eruditus Auguſtinenſis Theologus Lovanienſis Petrus Clenaerts in quodam opuſculo typis edito an. 1688. cui titulus, *Auguſtinus per ſeipſum docens*; dividitur ne lux in ſufficientem, & efficacem, eo quod unus, non alter oculos claudat? Eadem virtutis ejuſdem medicina dividitur ne taliter, quia unus ſumit, alter non ſumit? Concurſus Dei naturalis ac indifferens ad ſedendum ſolet ne dividi in efficacem & ſufficientem, quando unus cum illo ſe determinat ad ſedendum, alter non? Diſtinctio illa eſt determinantium, non principii concurrentis de ſe indifferenter. Hæc Clenaerts. VI. Tandem quomodo in ſententia Molinæ perſeverantia finalis donum eſt ſpeciale, ut definit Synodus Tridentina, ſi perſeverantes nullum præ ceteris ſingulare auxilium recipiunt?

Opinio pariter Congruiſtarum ſubjacet, ut vidimus, iiſdem incommodis, quandoquidem circumſtantiæ nullam addunt divinæ gratiæ virtutem; ideoque militant adverſus Congruiſtas argumentationes eædem. Inferuntur ex ea aliæ abſurdiſſimæ conſecutiones. I. quod conſtitutus in mortis articulo non deberet gratiam ſuppliciter exorare, cum tamen, ſi neceſſe eſt orare ſine intermiſſione, id tunc maxime. At quid morti jam proximus poſtulabit? Gratiam ne? Hæc vero ſingulis adeſt, præſertim in iſtorum opinatione. Petet locari ſe in circumſtantiis magis congruis? Sed in articulo mortis eſt, atque in extremis laborat. Nihil eſt ergo illi petendum, niſi ut frangat omnipotens cordis ejus pravitatem, ſi male vixit; ſi bene, donet miſericorditer perſeverantiam, & in extremo certamine pugnandi, vincendique virtutem. II. Habuiſſe Adam gratiam *congruam*, & conſequenter perſeveraſſe, quod falſum eſſe conſtat experimento; nulla quippe major *congruitas* dari poteſt, quam hominis conſtitutio in priori integritate naturæ. III. Sequeretur falſum eſſe, quod tamen videmus contingere, nunquam converti peccatores in ipſo æſtu & fervore peccandi, & juſtos ſemper reſpondere gratiæ excitanti, dum ſumma pace fruuntur; quod falſum eſſe exemplo Pauli, ac teſtimonio Auguſtini alibi oſtendimus. Datur ergo gratia *congrua*, ſed quam a gratia per ſe efficaci perperam Recentiores diſtinguunt. Quælibet enim Gratiæ congruitas non a naturalibus circumſtantiis, ſed a Dei munere petenda eſt. *Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit: ut ſuaſor deeſſet, ego feci. Locus, & tempus defuit: ut hæc deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non conſentires, ego feci. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, quod non admiſiſti:* ita Auguſtinus Hom. 23. inter l. Rem breviter explicabo haud obſcura comparatione. Sit aliquis a latronibus expoliatus, & relictus plagis impoſitis ſemivivus. Certe ſi medicus pertranſiens veniat ſecus eum; miſericordia motus, & appropians alliget vulnera ejus, infundat oleum & vulneratum imponat ſuper jumentum ſuum, ducat in proximum ſtabulum, & curam ipſius agat; congruum, aptumque miſerrimo illi remedium exhibet, & tale, quo opus non habebat, niſi incidiſſet, deſcendens a Jericho in Jeruſalem, in latrones. Hujus autem medicamenti efficacia non inde repetitur, quod peregrinus ille media in via proſtratus jaceat, atque a prætereuntibus reliquis ſit derelictus; ſed a miſericordia & cura liberatoris; rerumque circumſtantiæ poſſunt quidem infirmitatem aggravare, ut diligentior cura ſit neceſſaria; ſed hæ non tribuunt oleo virtutem, quam habet qualitate ſua, & medici applicatione. Id præſtat medicinali gratia Salvator; quemadmodum ſub parabola Samaritani nobis decimo capite explicat S. Lucas Evangeliſta.

Noviſſima Defenſorum ſcientiæ mediæ ſententia fucum facit, & nullatenus a præcedentibus diverſa eſt. Illa enim divinorum auxiliorum ubertas, & copia, ſi habet efficaciam a ſe, atque ex Dei voluntate abſoluta, eſt gratia quam nos defendimus, neque cum Scientia media concordat; ſi non habet talem efficaciam ſeipſa, ſtant omnia præcedentia argumenta in ſuo robore. Illud præterea nobis imperceptibile eſt quomodo unaquæque gratia ſingulariter accepta nequeat eſſe cum effectu infallibiliter conjuncta, & talis ſit tamen gratia aliqua ex omnium theſauro ſelecta. Cum inſuper hi Theologi ſingularem gratiam ſuapte natura infallibiliter operantem rejiciant, quod arbitrentur evertere libertatem; neque componi poterit cum qualibet multiplicitate gratiarum libertas ipſa, quoniam in ea multiplicitate eſt aliqua gratia operans infallibiliter. Atque hæc ſunt argumenta, quæ pro gratia per ſe efficaci videntur nobis Auguſtinianæ Theologiæ concordiſſima, eorumque plura etiam Thomiſtas probaturos eſſe confidimus. Juxta horum principia, quadraginta invenies in Commentariis Guilelmi Eſtii, quinquaginta in diſputationibus Bancel, plura apud Thomam de Lemos, innumera in amplo volumine Reginaldi, validiora in Controverſiis Joannis Gonzales, aliorumque Auctorum. Ut omnia breviſſime comprehendamus; dicimus cum beato Proſpero in Carmine de Ingratis medicinalis gratiæ efficaciam a nulla mutabili conditione pendere. Sic enim ille Poeta, ac Theologus præſtantiſſimus:

At vero omnipotens hominem cum gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus: cui tempus agendi
Semper adeſt, qua geſta velit, nec moribus illi
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

CAPUT X.

Quam in literario Orbe Molinæ doctrina fortunam ſubierit.

HISTORICAM narrationem circa progreſſum ac diſcrimina Molinianæ ſententiæ hoc capite paucis facturus, præmittendum arbitror nulla nos cenſura eamdem tamquam acatholicam, erroneamque inſectari, memores quod a nobis poſtulant Chriſtiana caritas & modeſtia, nec non Romanorum Pontificum definitiones. Cum tamen falſo nonnulli ſcripſerint ſententiam illam in habitis circa eam ventilationibus magnum ſupra noſtram reportaſſe triumphum, proximumque fuiſſe ut hanc Clemens VIII. proſcriberet, quemadmodum ait P. Aſſermet Doctor Sorbonicus; prætereundum non eſt, rem omnino aliter eveniſſe, nec Moliniſtis aliquid acceſſiſſe præſidii, ſententiæ autem noſtræ ex hac etiam parte multum auctoritatis. Quod ſane nequit melius, quam ex hiſtoria rerum geſtarum, dijudicari.

Itaque ubi primum facta Scholarum S. J. Moderatoribus libertate docendi, anno 1581., Prudentius de Monte Mayor Salmanticæ decreta per ſe efficacia expoſitis theſibus cogitavit explodere, celeberrima univerſitas Salmanticenſis, nullo contradicente Magiſtro, cenſuit erumpentem in Scholas opinionem ſeveriori temeritatis nota ſuffocandam & comprimendam. Factum id opera Dominici Bannes rigidiori prædeterminationis aſſertore, atque in ætate ad perſtringendum editas lucubrationes plus æquo prona, conqueritur in ſuo pro Scientia media Apologetico Paulus Leonardus: at factum tamen. Vertente vero an. 1584. antequam prodiret *Ratio atque Inſtitutio Studiorum*, de qua conſilium iniit hoc ipſo an. Aquaviva, ut narrat Poſſevinus Tom. 1. Biblioth. & in libro *de Cultura Ingeniorum*, Volſtadii P. Avullentia cœpit Molinianum dogma vulgare; atque illo edito jam & ſparſo libro de ſtudiorum inſtitutione Leſſius & Hamelius in Collegio Societatis Jeſu Lovanienſi anno præſertim 1586. eadem Molinæ placita ſcripto, verboque tradiderunt. Verum adeo Lovanienſi per totum orbem clariſſimæ Academiæ nova doctrina diſplicuit, ut in eam proximo an. 1587. notiſſimam, graviſſimamque *Cenſuram* emiſerit; uti fecit inſequenti an. 1588. celeberrima Duacenſis. Exornavit autem illam Theologorum omnium approbatione & mandato Henricus Gravius, hanc autem Guilelmus Eſtius, nomina univerſis ſcientiarum divinarum Profeſſoribus longe audita. Addiderunt eodem an. 1588. Lovanienſes memoratæ Cenſuræ *Juſtificationem* adverſus Apologiam a PP. Societatis conſcriptam. Oborta hinc inter Scholas Jeſuitarum, & inter Univerſitatem diſſidia.

Antequam de horum compoſitione nonnulla dicam, de prædictis Cenſuris ſunt aliqua ſubtexenda. Dixerunt quidam conſarcinatas ab iis, qui partibus Bajanis nimium erant addicti, atque poſtea a ceteris Theologis reprobatas. Sed ii ſupino errore falluntur. Nam præterquamquod Auctorem & deprehendimus, & commemoravimus, Cenſuram Lovanienſem omnium plane Doctorum ſuffragiis fuiſſe firmatam, & Gratiam per ſe efficacem in ea contentam ſemper ab Univerſitate propugnatam, totiſque lacertis defenſam, Univerſitas ipſa ſub juramento declaravit die 30. Julii 1613. & die 19. Aprilis an. 1648. Atque hanc Majorum ſuorum ſententiam eſſe, & adhuc a ſe teneri declaravit an. *1679.* ſummo Pontifici per eximios Theologos Martinum Steyaert, Franciſcum Vanvianen, & Chriſtianum Lupum ſingulare Ordinis noſtri ornamentum. Qui die 20. Martii a felicis recordationis Innocentio XI. ad Eccleſiæ Clavum ſedente obtinuerunt damnationem ſexaginta quinque propoſitionum ad mores pertinentium, ſimulque obtulere ſupplicem libellum cum Cenſuris Lovanienſi & Duacenſi, & Juſtificatione earumdem, ut ſi quid in his eſſet corrigendum, id præſtaret Petri cathedræ Magiſterium. Atque poſt operoſum examen die 10. Junii ejuſdem anni *1679.* ſignificatum illi eſt doctrinam ibidem contentam ab omni erroris nota eſſe immunem, & abſque Sedis Apoſtolicæ offenſa defendi poſſe, licet Pontifex Prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærens, & Eccleſiæ paci provide conſulens noluerit Cauſam hanc Reſcripto aut decreto aliquo definire. Colligere hinc præſtat, quam immerito aliqui ſententiam noſtram in Janſenio telo petitam auferint vociferare. Etenim eo tempore, quo de Janſeniſmo extirpando ſummus Eccleſiæ Rector erat ſolicitus, oblato ſibi libello, in quo ſententia de gratia efficaci ab intrinſeco liquatiſſime & abſque ulla tergiverſatione comprehenditur; non poterat hæc Vaticanum fulmen vitare, ſi quid haberet cum pravo Janſenii dogmate affinitatis. Sententiæ ergo noſtræ ſecuritas non potuit Lovanienſes Doctores retrahe-

re, quin eam proponerent etiam in circumſtantiis, in quibus contra quinque famoſas propoſitiones Eccleſia univerſa obſtrepebat; & ipſa Janſeniana hæreſis ſeſe vaferrime quaſi pallio noſtro occultabat. Quamobrem in Janſeniſmi profligatione Cenſuræ Lovanienſi, & conſequenter ſententiæ noſtræ non præjudicium obvenit, ſed fulcimentum; maxime quod Alexander VII. qui poſt Innocentium X. Janſeniana aſſerta damnavit, die 7. Auguſti anno 1660. ſuo Brevi Lovanienſes hortatus eſt, *ut Auguſtini, & Thomæ Aquinatis inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata ſemper, & impenſe revereri* ſtuderent. Qua hortatione & commendatione doctrinam de gratia per ſe efficaci tantummodo celebrari, & non illorum, qui ad Moliniana placita contorte trahunt Auguſtinum vel Thomam, id profecto comprobat invictiſſime, quod Academia Lovanienſis in Cenſura, in Juſtificatione, & in publicis Juramentis tam aperte fuerat conteſtata ſe rejicere ſcita Molinæ, & defendere & tutari gratiam ex intrinſecis ſuis efficacem. Nec debet quemquam movere, a Cenſura Lovanienſium receſſiſſe Univerſitatem Trevirenſem, & Moguntinam, propterea quod traditæ jam erant diſciplinæ Patrum Jeſuitarum, nec invenimus Romanos Pontifices has, aut aliam quamlibet hortatos ad tenenda *inconcuſſa* dogmata Molinæ, quomodo ad tenenda *inconcuſſe tutiſſimaque* dogmata gratiæ per ſe efficacis hortatus eſt Lovanienſes præfatus Pontifex Alexander, atque ætate noſtra Fratres Prædicatores Benedictus XIII. ex eodem Ordine aſſumptus in Brevi dato Romæ die 4. Novembris 1724. & in altero dato die 26. Maji 1727. in quibus etiam palam & in conſpectu Eccleſiæ conteſtatus eſt, ſe eamdem cum noſtra ſententiam tenere. Quæ omnia diligenter notanda ſunt ad coercendam eorum licentiam, qui prætextu exorti Janſeniſmi putant Herculeis viribus contra nos velitari.

Redeundum jam ad Lovanienſium cum PP. Societatis concertationes. Eodem anno 1588. vulgata *Juſtificatione*, & adeo a doctis viris probata, ut Archiepiſcopus Mechlinienſis vellet contra doctrinam Molinæ convocare Provinciale Concilium, idque pararet etiam Archiepiſcopus Cameracenſis, quod liquet ex literis ad Univerſitatem directis die 21. Januarii, occurrens gliſcenti malo Sixtus V. Pontifex Maximus Lovanium miſit Octavium Fregipanium Epiſcopum Calatinum apud Germanos & Belgas Apoſtolicum Nuntium: qui auctoritate Apoſtolica indixit utrique parti ſilentium, juſſitque, ne una adverſus alteram cenſoria notatione uteretur, donec accederet Sedis Apoſtolicæ definitio. Etiam Duaci utrinque conticuerunt, conditione tamen, ne PP. Societatis docerent in materia de Gratia quod non probaretur a Theologica Facultate, quoadusque diſceptatio finiretur Romani Pontificia Conſtitutione. Suſtinuiſſe quoque Leonardum Leſſium ſuæ temeritatis gravem reprehenſionem affirmat lib. de ult. fine c. 12. Henricus Henriquez Societatis Jeſu Theologus. Hic exitus controverſiarum in Belgio.

Interea temporis prodiit Concordia Molinæ: atque ex Belgio ad Hiſpanos pertranſiit vetus contentio. Stetit pro Gratia efficaci adverſus Moliniſtas Sacer Ordo Prædicatorum. Cauſſa ad Inquiſitionem Hiſpanicam delata eſt: hæc conſuluit Univerſitatem Salmanticenſem: apud iſtam male audit Molinæ liber, ſi fides habenda eſt Thomæ Lemos lib. 4. Panopliæ Tract. 4. cap. 43. Nec aſt cur tanto viro fides derogetur, cum ob illius integritatem, tum ob judicium conſimile ejuſdem Academiæ Salmanticenſis, quando talia movit Prudentius de Monte Mayor ſeptem annis ante editionem Concordiæ. His ergo ferveſcentibus controverſiis Clemens VIII. in ſummum Pontificem renunciatus die 30. Januar. 1592. impoſuit primum utrique parti ſilentium; deinde mandavit, ut ſcripto ſententias expreſſas ſacrarum Scripturarum teſtimoniis, & Conciliorum ac Patrum auctoritatibus communirent; ac tandem cauſſam Romæ agitari mandavit, id ultro cupientibus Jeſuitis, atque laudabili humilitate promittentibus ſe obtemperaturos ac ſubſcripturos judicio Romanæ Sedis. Initium inde habuit ſub eodem Pontifice die 2. Januarii an. 1598. celeberrima Congregatio de Auxiliis.

Hujus Congregationis Hiſtoria ex variorum ſcriptis & reconditis monumentis a duobus inter ſe pugnantibus Auctoribus edita eſt, ſcilicet a P. Hyacintho Serry ſub nomina Auguſtini Le Blanc Lovanii an. 1700. & a P. Meyer ſub aſcititio cognomine Eleutherii Antuerpiæ an. 1705. Hunc Auctorem falſitatis redarguere & plane confutare priorem hiſtoriam ſcribit Tournely Tom. 1. Curſus Theologici pag. 440. ſed non vidit fortaſſe vir doctus editionem alteram Antuerpienſem anni 1709. ſub proprio Auctoris nomine, in qua prior vindicatur, fides Actorum aſſeritur, & Eleutherius haud obſcuris argumentis revincitur. Quidquid ſit de utriuſque auctoritate Scriptoris; tria certiſſima ſunt, nec in dubium revocari poſſunt, niſi temere Acta quæque memoriæ poſterorum conſignata negentur, præſertim conſcripta ab ingenuo viro F. Gregorio Nunnio Coronello Ordinis noſtri primo Congregationum Secretario; quæ penes nos adhuc in Angelica Bibliotheca ſervantur. Primum eſt majorem Conſultorum partem ſententiam de gratia efficaci a conſenſu, & cooperatione liberi arbitrii exoſam habuiſſe, ſuiſque ſubſcriptionibus reprobaſſe. Alterum, Clementem VIII. non tantum Congregationum initio mandaſſe, ut aſſertionum capita ad probatiſſimam atque a Prædeceſſoribus ſuis conſecratam S. Auguſtini doctrinam expenderentur; verum etiam ad proſcribenda Moliniana dogmata maxime fuiſſe inclinatum, ſcriptumque pro Gratia per ſe efficaci ex variis Auguſtini locis depromptum ipſummet exhibuiſſe, ejuſque mandato editam a Coronello Cenſuram Molinæ, cui omnes, ſi Bovium exceperis, die 12. Martii 1599. Conſultores Theologi ſubſcripſerunt. Quam Cenſuram in Archivis noſtris Romæ aſſervatam neque in Molinam ſtudioſi editam negant, plura cauſantes ad illius minuendam auctoritatem, veluti Cenſorum in adverſam partem officium clientelæ, atque non tantam, quæ ſatis eſſet, cauſſæ peritiam. Hæc vero, quoniam inepta ſunt, nec ſolidi crepant aliquid, refellere non eſt opus. Tertium, quod indubitatum contendimus, eſt, Paulum Quintum Pontificatus ſui anno 2. id eſt 1606. præcepiſſe unicuique Conſultorum, ut damnandas propoſitiones diligenti ſtudio ſeligerent, ac delinearent ſinguli edendæ Conſtitutionis ſpecimen; omnes vero, excepto Bovio, in damnationem Molinæ iterum conſpiraſſe. Hujus Bovii Epiſcopi Melphitenſis olim Societatem profeſſi eſt Tenor alius Bullæ delineandæ, in qua indeciſum relinquitur punctum de Gratia per ſe efficaci, & hunc Annatus, aliique ſolent ex adverſo laudare; ſed non eſt digeſto a Cenſoribus omnibus reliquis præferendum exemplar iſtud ab uno Bovio delineatum. Veriſſimum tamen eſt, nullum diploma contra ſententiam Molinæ fuiſſe publicatum; quin decreto Pontificis cautum eſt, ne aſſertores unius ſententiæ oppoſitam aliqua cenſura proſcinderent, reſervato, ut æquum erat, Apoſtolicæ Sedi judicio. Cui nos debitam obſervantiam profitentes, etſi pro una parte pugnamus, ſuam alteri probabilitatem relinquimus, hoc unum aſſerentes in hiſce omnibus controverſiis nunquam ſententiam noſtram quomodo Molinianæ accidit, ſubiiſſe pericula. Sed & ingenue fatemur, nullam, quod jus attinet, vim habere Acta, & Cenſuras hactenus memoratas, utpote quæ non fuerint ſupremo judicio finita. An vero Paulus V. ſententiæ promulgationem ſuſpenderit (ut inquiunt nonnulli) ob interdictum in Venetos promulgatum, cujus occaſione PP. Jeſuitæ ſuam erga Apoſtolicam Sedem obedientiam ſingulari exemplo comprobarunt, an ob aliam cauſſam in ſummi Paſtoris animo latitantem, noſtrum, Eccleſiæ videlicet puſillorum divinare non eſt; immo firmiſſime tenemus ſupremum Eccleſiæ Rectorem nullo humano affectu, ſed provido ſanctoque conſilio abſtinuiſſe a promulganda ſententia; ut pax inter nos ſervaretur, & veritas conjuncto cum humilitate ſtudio, & abſque acerba contentione diligentius inquireretur. Ex Congregationibus itaque de Auxiliis, quæ a die ſecunda Januarii anni 1598. in qua habita fuit Congregatio prima perdurarunt uſque ad diem 20. Auguſti anni 1607. in qua habita fuit poſtrema, hæc tantum colligenda eſſe exiſtimavi.

Puto neminem dicturum, etiam Auguſtinianam doctrinam pluribus aliquando diſplicuiſſe, uti Adrumetinis Monachis, & Maſſilienſibus, aliiſque doctrina & ſanctitate conſpicuis, ac tempeſtatem & naufragii periculum paſſam in damnatione Gotheſcalchi, in cauſſa Leonardi Utinenſis, atque in proſcriptione propoſitionum Baji, Janſenii, Queſnellii, aliorumque hujuſce factionis hominum. Enimvero quiſquis lucubratiunculas noſtras perlegere non dedignabitur, videbit ex Adrumetinis rudiores tantum, & divinarum rerum ignaros diſſenſionem inter Monachos ſuſcitaſſe, & hanc etiam opera S. Patris opportune ſedatam; in cauſſis autem ceteris non ſine magna Auguſtinianæ doctrinæ commendatione novitates atque hæreſes eliminatas. Atque hæc, quoniam ſuis quæque locis diſpoſui, neceſſe non eſt permixtione quadam conglutinare. Sat aſt nullum ex Romanis Pontificibus, nullamque Chriſtiani Orbis celebrem Academiam unquam dogmata hæc noſtra repudiaſſe, ſed tradidiſſe antiquitus, & hactenus propugnare, vel ſaltem præconii laudibus ornaviſſe.

Factum hinc arbitror, ut, ubi Molinæ ſententia continuit ſe inter domeſticos parietes, externos autem defenſores nonniſi aliquos ab inſtitutis Majorum ſuorum degeneres adinvenit; noſtram exceperint omnes fere Ordines Regulares, atque Theologi ætatis cujuslibet præclariſſimi. Et quidem ampliſſimo S. Benedicti Occidentalium Monachorum Patris Ordini ego tantum cenſeo tribuendum eſſe, ut Auguſtinianæ Scholæ ſplendorem ei maxime acceptum referam. Nullus in Molinam magis integer animadverſor Jacobo Le-Boſſù Doctore Sorbonico: nullus pro Lovanienſi Cenſura ſtetit magis, quam cum ſua Eccleſia Atrebatenſi Epiſcopus Meulartius; atque, ut mittam Didacum Sylvium, innumeroſque Theologos Duacenſes, ut plurimum ex horum Monaſteriis decem ſimul, ac plures electos, nullus Operibus ac Doctrinæ Auguſtini melius conſuluit, quam S. Mauri ſanctiſſima & doctiſſima Congregatio. Dominicanæ Familiæ doctores omnes Alvarez, Lemos, Bannes, Gonet, & quos recenſere non vacat, numero atque eruditione præcipui, duo quoque Scholarum lumina Magnus Albertus, & S. Thomas, fuerunt, ac ſunt Gratiæ efficacis acerrimi propugnatores. Noſtrates prætermitto. Quid ſentiant Carmelitæ cum Joanne Baccone, quem habent Scholarum ſuarum Ducem, præclara ſcripta Thomæ Valdenſis, An-

dreæ

dreæ de Lao, Lezanæ, aliorumque, una cum Salmanticenſium, & Complutenſium editis Voluminibus, apertiſſime conteſtantur. Meminiſſem, uti æquum eſſet, Ordinum ceterorum, niſi hanc provinciam viri celebres ſuſcepiſſent, neque res eſſet in medio poſita, omniumque ſermone celebratiſſima.

Sunt revera ex recentioribus Scotiſtis aliqui magis ſententiæ oppoſitæ addicti; at ſi de Ordine univerſo indiſcriminatim loquamur; malo cauſæ noſtræ patronos appellare, quam adverſarios. Ipſe profecto Molina in Concordia Quæſt. 14. art. 13. diſp. 48. Scotum illorum Principem ſibi contrarium eſſe teſtatur: & ſi Doctorem Subtilem videamus in diſt. 46. libri quarti, prorſus optime. Docet quidem alicubi voluntatem determinare ſeipſam; & recte, eſt enim libera & activa facultas: ſed determinationem hanc ab efficaci decreto, & prædefinitione divina minime ſejungit, ut conſtat ex diſt. 37. libri primi. Primus aliorum Epiſcoporum ſubſcripſit Cenſuræ Lovanienſium Franciſcus Waloncapelle Antiſtes Nemovicenſis. Steterunt pro Gratia per ſe efficaci qui Congregationibus de Auxiliis ex hoc Ordine Cenſores interfuere: eamdem propugnavit Florentius Conrius Archiepiſcopus Thuamenſis cap. 9. Peregrini Jericuntini, Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus Comment. in cap. 8. Epiſt. ad Romanos, in libro adv. hæreſeos VII. Alphonſus a Caſtro, &, ne percenſeam ſingulos, in Cortina, & in libro, qui inſcribitur *Mens vera Auguſtini*, Franciſcus Macedo. Videntur propterea juniores quidam perpauci, qui Majorum ſigna dereliquerunt, uti de Scholis aliis dictum volo, nequaquam ſufficere ut inſignes Scoti palæſtræ ab Auguſtinenſibus credantur disjunctæ. Quarum tanta eſt conſuetudo, ac tantum pervetuſtæ neceſſitudinis vinculum, ut Scotus in ſolis Theologicis Commentariis octingenties, ac quindecies in præſidium aſſertionum ſuarum advocaverit Auguſtinum; & ex Auguſtiniano Ordine primus omnium Scoti opera anno 1474. edi curaverit Thomas Pendet, Divum autem Bonaventuram Scholiis, vindiciiſque illuſtraverit Angelus Rocca vir etiam Oudini judicio doctiſſimus.

Ipſam quoque ampliſſimam Societatem Jeſu decretis noſtris adverſari non auſim univerſim aſſerere. Neque enim Sanctus Patriarcha Ignatius a Benedictinis, quos dicitur adiiſſe, nec primi ejus alumni a Gymnaſiarchis, a quibus imbuti ſunt, potuerunt doctrinam nondum excogitatam haurire. Neminem præterea latet Societatis Conſtitutiones, ut in prima generali Congregatione anno 1550. fuerunt receptæ, IV. parte cap. 14. præcipere, ut prælegatur Thomæ Aquinatis Scholaſtica Theologia. A qua in hoc præſertim de Gratia efficaci puncto non fuiſſe alienum Alphonſum Salmeronem unum ex primis Ignatii Sociis, demonſtrat in altera parte de Mente Concilii Tridentini cap. 71. eruditiſſimus Reginaldus. Franciſci Cardinalis Toleti in Commentariis ad Evangelium Lucæ cap. 5. annot. 54. necnon Benedicti Pererii lib. VIII. de Rerum nat. principiis, cap. 8. & in Danielem lib. III. cap. 3. extat pro ſententia noſtra abſolutum pleniſſimumque ſuffragium. De Henrico Henriquez legendi Salmanticenſes Tract. 3. de ſcientia media diſp. 10. dub. 8. De Azorio, Caniſio, & Coſtero videndus Paulus Faſſeau in Opere, cui titulus *Auctoritas Philaleti*, edito cum magnifica plurium approbatione Duaci an. 1670. Ibidem de aliis compluribus. Etiam Ferdinandum de Baſtida acerrimum defenſorem Molinæ in Hiſpaniam abſolutis Congregationibus de Auxiliis reverſum cum veſte Societatis priorem exuiſſe doctrinam ferunt apud Auctorem illius Hiſtoriæ Oviedo, & Martinez. Eam ob rem ſcite ac ſententioſe concludam, non defuturos Gratiæ per ſe efficaci, quamvis oppugnarent illam ceteri Scriptores Societatis, qui ſuſcipiant ejus cauſſam; tanta eſt Auguſtinianæ ſententiæ dignitas atque auctoritas; ut, quemadmodum de magno Protoparente ait in Epigrammate Doctor Aquitanus, nequeat eam inficere anguiculus,

In quoſcumque ſinus ſpirarum torqueat orbes,
Et fallax multa torqueat arte caput.

CAPUT XI.

Expediuntur argumenta, quæ pugnant adverſus gratiam per ſe efficacem.

PRÆCIPUUM Adverſariorum argumentum eſt, quod cum Gratia per ſe efficaci nequeat componi libertas. Et illud quidem a nobis non ſemel contritum fuit; ſed cum tironibus videatur difficillimum, & non uno runcinæ ductu poſſit robur dolari, illius aſperitatem, ſi quæ ſupereſt, complanabimus. Dari ergo libertatem indifferentiæ, quam definiunt Theologi omnes *poteſtatem ad agendum vel non agendum poſitis omnibus requiſitis*, & de qua affirmat Auguſtinus, quod ſit *media illa vis, quæ ad fidem, & infidelitatem poteſt inclinari*; S. autem Thomas eam appellat *vim mediorum electivam*, nullus non hæreticus negat. Atque hanc libertatem per efficacem gratiam ſubverti non uno ex capite evincere conantur Moliniani. Proferunt primo nuper traditam libertatis definitionem, atque ſic argutantur. Requiritur ad eſſentiam libertatis poteſtas indifferens, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, agere, vel non agere valeat. Data autem gratia ex intrinſecis ſuis efficaci, non remanet hæc poteſtas indifferens, quoniam hæc gratia dat ipſum velle, ipſum agere, ipſum indeclinabiliter operari, atque determinatio actus tollit indifferentiam. Igitur gratia ab intrinſeco efficax libertatem evertit. Deinde afferunt definitionem Tridentini Concilii ſeſſ. 6. Can. 4. declarantis liberum arbitrium *a Deo motum & excitatum poſſe diſſentire ſi velit*: quod ſane ita debet intelligi, ut liberum arbitrium diſſentire poſſit *in ſenſu compoſito divinæ motionis*; loquitur enim Concilium de libero arbitrio præmoto, atque excitato, & conſequenter fruſtra ad hoc momentum elidendum recurrunt quidam *ad ſenſum compoſitum & diviſum*. Idem inſuper probat ex notiſſimo Scholaſticorum axiomate, *Quod ſequitur ex antecedenti neceſſario, neceſſarium eſt:* Si ergo gratia efficax eſt cum effectu neceſſario connexa, neque ab illo poteſt divelli, ſubminiſtratur enim abſoluta Dei voluntate atque decreto efficaci, quod non poteſt non exequi prædefinitam operationem; erit quoque neceſſaria ipſamet operatio, quæ tale decretum conſequitur. Inſuper nos efficacem gratiam ſtatuimus eſſe victricem delectationem. At notiſſima eſt ſententia Auguſtini, ſuper quam Janſenius totum ſyſtema conſtruere tentavit; *Quod magis delectat, illud ſequamur neceſſe eſt*: Igitur neceſſarium eſt quidquid per auxilium efficax operamur. Item ſi cum promotione abſoluta & indeclinabili poteſt conſiſtere indifferentia liberi arbitrii, erimus etiam liberi ad ambulandum, dum conſtringimur vinculis gravati compedibus atque ergaſtulo. Rurſus ſi quis in hac ſententia efficacem gratiam abjiceret, eique reluctaretur, decreta Dei fruſtrarentur; pari ergo ratione ſi poſſet quis reluctari, poſſent irrita fieri, & fruſtrari abſoluta decreta Dei; ideoque aut hæc decreta non dantur, aut non perſiſtit cum iis poteſtas liberi arbitrii abjiciendi divinam gratiam, & reluctandi. Tandem ſub gratia efficaci aut poteſt quis diſſentiri, aut non poteſt: ſi non poteſt, jam perit libertas: ſi poteſt, vel diſſentiet aliquando, vel non; ſi illud dixeris, non eſt ergo gratia cum effectu infallibiliter conjuncta; ſi nunquam diſſentiet, cui bono, cuinam commodo poteſtas nunquam operatura?

Meminiſſe te oportet, Lector, eorum, quæ ſcripſi lib. IV. cap. 13. Principio dixi argumenti difficultatem nos minime deterrere; cum Auguſtinus fateatur eſſe perdifficile libertatem concordare cum gratia; & ſimilia objecerint olim Semipelagiani Maſſilienſes. Quare ſi nobis reſponſio nulla ſuccurreret, fateremur ignorantiam noſtram, non tamen denegaremus gratiam per ſe efficacem, reponentes dari liberum arbitrium, dari gratiam, & hanc trahere illud modis miris, atque ineffabilibus. Illud repeteretur a nobis, iſtam conciliandi cum gratia liberum arbitrium perplexam difficillimamque quæſtionem demonſtrare, quod divinorum auxiliorum efficacia non ſit repetenda a voluntatis conſenſu; nam ſi hoc eſſet, non foret quæſtio *ad diſcernendum difficilis*, ut dicitur ab Auguſtino in libro de Gratia Chriſti cap. 47. de Sp. & lit. cap. 39. in Epiſtola ad Sixtum, atque aliis in locis. Sed quoniam nolunt adverſarii his acquieſcere; percurre regulas a nobis ibidem traditas, & quintam præſertim, in qua docuimus liberam eſſe voluntatem circa omne bonum, quod in ſe non habet plenitudinem bonitatis, & etiam circa bonum incommutabile, quotieſcumque non videtur in ſe, ut contingit in patria; ubi idcirco non remanet, comparate ad ultimum finem, indifferentia judicii, nec libertas a neceſſitate. Quibus ad memoriam revocatis, ad primum argumentum admitto traditam liberi arbitrii definitionem; & nego quod ſub gratia efficaci non remaneat poteſtas ad oppoſitum, quando operatur in nobis velle, & facit ut faciamus. Id enim præſtat per ſupernam illuminationem, & inſpirationem ſanctæ dilectionis, at non talem quæ nobis verum ſub omni ratione veri, & bonum ſub omni ratione boni proponat, rapiatque in ſe mentem & animum illa neceſſitate, qua in verum bonumque in communi protendimus. Neque inducit gratia efficax neceſſitatem, propterea quod ipſa ſit infallibiliter conjuncta cum actu. Nunquam enim eveniet ut non amplectamur liberrima voluntate, quod nos magis trahit, magiſque delectat, quandiu ipſa delectatio, bona voluntas, & deliberatio animi perſeverat: & nihilominus id poteſt non evenire, quoniam ea delectatione non abſorbetur voluntas a plenitudine bonitatis, ideoque *poteſt alio amore ſuperari, & ex mundi delectatione marceſcere*, etſi non ſuperabitur, donec Spiritu Sancto inflammante caritas Dei vincat pugnantem cupiditatem. Ita quandiu teneor amore ſervandi propriam vitam, aut determinate volo ſedere, vel ambulare, nunquam me præcipitem dabo, nunquam ab opere, quod volo, deſiſtam: poſſum tamen velle, & facere oppoſitum quoniam in hoc quod volo poſſum apprehendere aliquam ſpeciem mali, ac præſentem voluntatem abjicere.

Ad ſecundum reſpondeo optime exponi definitionem Tridentini Concilii per ſenſum compoſitum ac diviſum. Neque enim Thomiſtæ docent quod in ſenſu compoſito excitationis & motionis divinæ non ſit in nobis potentia diſſentiendi, ut cavillantur nonnulli; ſed docent tantum quod non poſſit componi diſſenſus cum ipſa efficaci excitatione & motione, ita ut ſenſus compoſitus & diviſus appellet *poſitionem actus*, non *poſſibilitatem*. *Quamvis enim* (audi Beatum Thomam q. 23. de Verit. art. 5. ad 3.) *non eſſe effectus divinæ voluntatis non poſſit ſtare cum divina voluntate*; ta-

men potentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum divina voluntate: non enim iſta ſunt impoſſibilia, Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari; ſed iſta ſunt incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur. Verum ut ſiſtamus in priori reſponſione in re ab hac doctrina Divi Thomæ non diſcrepante: concedo poſſe hominem diſſentiri etiam in ſenſu compoſito vocationis & excitationis divinæ, non enim eſt excitatio, & motio, quæ proponendo bonum incommutabile cum perfectiſſima ipſius cognitione neceſſario trahat ad ſe voluntatem: ſed nego cum tali excitatione divinæ gratiæ ponendum fore aliquando diſſenſum. Aliud eſt enim poſſe diſſentiri, aliud diſſentiri reapſe: ſtat quippe ſine actu potentia, & plura poſſumus facere, quæ non facimus. Dum excitamur auxilio efficaci infallibiliter aſſentimur, quoniam Deus facit, ut faciamus, agit ut agamus, & operatur in nobis velle & perficere: atque ſi facimus, ſi volumus, ſi operamur; quomodo ſimul & ſemel nec operemur, nec velimus, nec faciamus? Poſſumus tamen non aſſentiri, cum talis excitatio non ſit luminis gloriæ, & caritatis conſummatæ, ſed illuminationis & dilectionis, quæ conſiſtit cum indifferentia judicii. Profecto infallibilitas actus excludit negationem actus, minime vero negationem potentiæ ad non agendum. Dum volo, ut velim neceſſe eſt; non eſt autem conſequens, ut dum volo non poſſim non velle. Fatentur etiam Congruiſtæ illum, cui gratia *congrua* parata eſt, infallibiliter conſenſurum. Non ergo infert infallibiliter actus negationem potentiæ ad oppoſitum.

Dicam de Tridentino Concilio ad Tironum eruditionem nonnulla. Congregatum fuit adverſus hæreſim Lutheri & Calvini; quorum impiiſſimum dogma erat extinctum penitus per culpam Adæ liberum arbitrium, ita ut motio & excitatio divinæ gratiæ non adjuvet libertatem, ſed hanc nihil cooperantem, &, veluti inanime quoddam, *paſſive* ſe habentem, abſoluta neceſſitate ad opus impellat. Nam Calvinus præſertim lib. 2. Inſtit. cap. 3. impugnat expreſſe doctrinam Auguſtini aſſerentis Epiſt. 107. obſequi gratiæ prævenienti a pediſequa voluntate. Concilium ergo Tridentinum non definit gratiam prævenientem non eſſe per ſe efficacem, imo id confirmat; & damnando memoratam hæreſim declarat ſub hac efficaci gratia conſiſtere potentiam ad oppoſitum, & libertatis indifferentiam. Primo enim, cum hæretici ex præmotione Dei & doctrina de Gratia per ſe efficaci mala conſecutione inferrent liberum arbitrium non cooperari Deo moventi; definit Synodus Tridentina præmoveri utique & excitari, ſed liberum arbitrium non rapi neceſſitate, ſed etiam motum & excitatum poſſe diſſentire ſi velit. Doctrinam ergo de Gratia per ſe efficaci veram ſupponit & confirmat: conſequentiam Calvini merito negat, & damnat. Nec enim definitum eſt a Tridentinis Patribus ideo liberum arbitrium poſſe diſſentiri, quoniam excitatur & præmovetur gratia duntaxat indifferenti: id in nullo Tridentino Canone legimus. Imo ſi hæc erat mens Patrum; cur id expreſſis terminis non declarare, & Calvinianam hæreſim ſubvertere a fundamento? Sed ex Tridentino ipſo Concilio non ſolum hæc conjectura, verum etiam argumentis plurimis poteſt evinci falſam eſſe Moliniſtarum ſententiam, noſtram autem veriſſimam. Mitto quæ de Juſtificatione declarat, ipſius exordium in adultis *a Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe*, complementum autem etiam ab ipſa gratia, quam confitemur orantes, *Converte nos Domine ad te, & convertemur*; quibus verbis non petimus auxilium, *ſine quo* converti non poſſumus, ideſt, gratiam indifferentem, ſed auxilium *quo* Deus nos convertit, gratiam videlicet efficacem. Animadverte Canonem tertium ſeſſ. 6. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, & diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur*, deſumptum ex Canone 6. ſecundæ Synodi Arauſicanæ: *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, pulſantibus nobis dicit miſericordiam conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Sancti Spiritus, in nobis fieri confitetur, & aut obedientiæ, aut humilitati ſubjungit gratiæ adjutorium, nempe ut obedientes & humiles ſimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti, Quid habes quod non accepiſti, &, Gratia Dei ſum id quod ſum.* Superiori ergo Canone etiam Tridentina Synodus per inſpirationem, & adjutorium Spiritus Sancti intelligit auxilium, quo fit ut credamus, ut velimus, ut operemur, non illud tantum, ſine quo credere, velle, & operari non poſſumus. Definit etiam Can. 22. *Juſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare non poſſe.* In ſententia autem Adverſariorum noſtrorum perſeverantia non eſt ſpeciale Dei auxilium: aut ſi ſpeciale eſt, debet non eſſe commune; ſi non commune fatentur, non dabit ſolam poteſtatem perſeverandi, ſed ipſum perſeverare efficaciter operabitur, ut probat Eſtius in 2. ſent. diſt. 26. §. 43. & Leſcotius Carnotenſis Epiſcopus in Prælect. de Grat. q. 4. art. 13. Revera ſi Concilium Tridentinum noſtram de Gratia ſententiam non judicaſſet oppoſitam Calvinianæ; Theologi, qui Sacroſanctæ Synodo interfuerunt, poſtmodum de Theologia pertractantes illam minime propugnaſſent. Propugnarunt autem ferme omnes, uti demonſtrat in ſecunda parte Antoninus Reginaldus; & poteſt quiſque percipere ex Operibus eorumdem. Et ne ſingula percurramus, ſi hi Theologi non admiſerunt gratiam per ſe efficacem, defenderint neceſſe eſt ſcientiam *mediam*; hac enim ſcientia non admiſſa, ſequitur Deum prævidiſſe futura ſupernaturalia in antecedenti & abſoluto ſuæ voluntatis decreto, ut recte Suareſius lib. 2. de Scient. fut. condit. cap. 4. At quandonam Scientia *media* prodiit in orbem? Molina ſe illam inveniſſe gloriatur, & conſentit Fonſeca lib. VI. cap. 2. Metaphyſices. Alii ſcribunt etiam traditam a PP. ſed adeo perplexe & obſcure, ut non eam deſignaverint niſi nomine ſcientiæ *ſimplicis*, unde invaluit tantum poſt aſſiduam eorumdem Patrum lectionem, auctore Vaſqueſio diſput. 67. cap. 4. primæ partis, & Herice diſp. VII. cap. 10. Tempore ergo Tridentinæ Synodi vetus Auguſtini ſententia regnabat, novitia Mediiſtarum aut nondum nata, aut nondum expoſita. Sed ad argumentum ſecundum nimis multa; tertium jam diluamus.

Prædictum Axioma, *Quod ſequitur ex antecedenti neceſſario, neceſſarium eſt*, idem videtur cum iſto, *Quod ex inimpedibili per neceſſariam conſequentiam ſequitur, illud inimpedibile eſt & neceſſarium*; iſtud vero damnatum his, non aliis verbis expreſſum, a Sixto IV. & revocatum a Petro de Rivo teſtatur in ſua *juſtificatione* Univerſitas Lovanienſis. A qua etiam ſolvitur hac ratione argumentum, *Quod vero ſubjungitur Dei decretum in ipſius eſſe poteſtate, non itidem in noſtra, eoque illius non impediri libertatem, ſed impediri noſtram in eo quod ex illo decreto neceſſario ſequitur: hoc inquam nullam eis præbere labendi viam. Primum, quia neceſſitatem colligunt ex ipſa talis decreti ſuppoſitione, qua facta non eſt mutationis locus. Deinde etſi decretum Dei in cauſſæ ſecundæ non ſit poteſtate, ipſam tamen ejus cauſſæ conditionem in agendo naturalem non immutat, eoque effectus libertatem, & contingentiam non impedit; alioquin enim ſequeretur liberam non fuiſſe gentium converſionem, ſed neceſſariam; quia abſoluta Dei promiſſio de gentium converſione, unde illa per neceſſariam conſequentiam futura colligitur, non erat in hominum convertendorum poteſtate: eſtque ante annos 112. in hac univerſitate cujuſdam Petri de Rivo hæc primo cenſurata, deinde vero in Urbe Roma ſub Sixto IV. damnata, & ab ipſo præſente revocata propoſitio, Quod ex inimpedibili, &c.* Quibus verbis habes ſimul quænam fuerit propoſitio illa Petri de Rivo, & optimam ad argumentum reſponſionem. Vide Hiſt. de Aux. lib. 1. cap. 15. & Jo. Gonſal. contr. V. art. 3. in Append.

Ne tamen a priori reſponſione noſtra ullatenus recedamus; dico in omne decreto antecedenti, abſoluto & efficaci, quod nobis neceſſarium dicitur hoc tantum ſenſu, quia non eſt in noſtra poteſtate ut ponatur, vel non ponatur, diſtinguendum eſſe ratione noſtra primo voluntatem Dei elargiendi inſpirationem victricem, quam per ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ* optime novit operaturam in hominum voluntate ut velit, & tantum velit, ut voluntatem carnis contraria concupiſcentem facile vincat, deinde voluntatem Dei adjuvandi voluntatem noſtram per gratiam *cooperantem*; atque his duobus ſtatutis habere certiſſimam futurorum præſcientiam, qua in ſua prædeſtinatione novit Deus quicquid eſt ipſe facturus. Hanc præſentiam non evertere libertatem, conſentiunt adverſarii, nihil enim per ipſam Deus in voluntate noſtra operatur. Decretum pariter adjuvandi voluntatem humanam per gratiam *cooperantem*, nequit libertatem lædere, eo quod effectus hujus decreti eſt ipſe concurſus Dei concomitans actualem voluntatis operationem. Si eſſet ergo in priori decreto antecedenti & abſoluto aliquid evertens libertatem, foret voluntas largiendi victricem illam delectationem, quæ a nullo duro corde reſpuitur. At hæc, quantumvis vivida & efficax, non proponit voluntati bonum ſub omni ratione boni, neque excitat amorem, quem ſuperare nequeat mundi dilectio, ideoque ex illo decreto non profluit effectus aliquis inferens neceſſitatem potentiæ, ſive negationem *poſſibilitatis* actus oppoſiti; quemadmodum infert ſuppoſitio antecedens luminis gloriæ, quod manifeſtans ſummum bonum in ſe trahit ad amorem ſuaviſſimum quidem, ſed neceſſarium.

Quæ ſequuntur non eſt ex dictis operoſum diluere. Auguſtinus enim docet nos *neceſſario* ſequi quod magis delectat, ſumpta neceſſitate pro infallibili conſecutione actus, non pro negatione *poſſibilitatis* ad actum oppoſitum: quo ſenſu neceſſe eſt, ut ſedeamus quandiu efficaciter ſedere volumus, ſalva ſemper poteſtate non volendi quod volumus. Proximum de vinculis nullius eſt momenti; in actibus enim *imperatis* a voluntate, cujuſmodi eſt ambulatio, quoniam hi impediri poſſunt a cauſſa extrinſeca, non ſolum neceſſitatem pati poſſumus, ſed etiam coactionem; in actibus vero *elicitis*, cujuſmodi ſunt velle & nolle, ſemper immunes ſumus a coactione, quia voluntas dari nequit invito, neque auferri niſi volenti: poſſumus tamen velle neceſſitate, ſi in bono quod volumus nullam apprehendere valeamus rationem mali, quemadmodum vincula cogunt, quando nullus patet aditus fugiendi. Hanc tamen neceſſitatem non infert, ut diximus, Gratia Chriſti; niſi illa, quæ coronat nos in miſericordia & miſerationibus, ideſt, vita æterna. Eam objectionem, quæ ſexto loco poſita eſt, repellere

non eſt

non eſt opus: ſiquidem divinum decretum eſt ut operemur, ſed libere & cum potentia ad oppoſitum; unde eo ſuppoſito repugnat hominem non operari, ſed non repugnat, imo conforme eſt ipſi decreto, operari libere, & poſſe ſimul non operari: quod in Scholis conſuetum eſt dici, poſſe utique ſub efficaci auxilio hominem diſſentiri *potentia poſſibilitatis*, non *poſitionis*. Poſtrema etiam facilius refellitur. Nam ut potentia non ſit, ut inquiunt, fruſtranea, ſat eſt quod poſſit non agere; nec eſt neceſſe, ut aliquando ſub efficaci præmotione non agat: alioqui fruſtranea eſſet potentia reſiſtendi etiam ſub gratia *congrua*; ſub qua nunquam libera voluntas reſiſtit; ſicuti & poteſtas non perſeverandi collato ſpeciali dono perſeverantiæ, quandoquidem ſuppoſito tali dono quilibet perſeverat.

Arguunt præterea Meditæ: Iſaiæ cap. v. v. 4. conqueritur Dominus de Iſraelitis dicens: *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* At ſi neceſſaria eſſet gratia efficax, non eſſet juſta talis querimonia; poſſent enim reſpondere Iſraelitæ, Quid? Debuiſti nobis gratiam per ſe efficacem elargiri. = Reſp. I. cur pariter reſpondere non poſſent, debuiſti nobis tribuere gratiam *congruam*? Deinde non loquitur Eſaias de Gratia internæ vocationis ſaltem victrice: non eſt enim, qui poſſit reſiſtere voluntati Dei, *ſi decreverit ſalvare Iſrael*, ut habetur cap. 13. Eſtheris: atque id decreviſſe cur non potuit? Ergo ſermonem habet propheta de inſtitutione Eccleſiæ Judæorum, & de gratiis externis, quas omnes comparatione vineæ recenſet. Ait enim *plantatam in cornu filio olei*, ideſt in montibus Palæſtinæ pinguiſſimis atque uberrimis: *ſepiſſe eam*, ſcilicet tutatum undique ab incurſionibus finitimorum; *lapides elegiſſe ex illa*, hoc eſt ejeciſſe ſculptilia, electis ex ea cultoribus ſuis: *ædificaſſe turrim in medio ejus*, nempe in munitiſſimo loco Civitatem Jeruſalem; *extruxiſſe in ea torcular*, nimirum propitiatorium, & altare perfuſum ſanguine victimarum. Quæ ſenſu myſtico, & ſpiritali etiam conveniunt Eccleſiæ Chriſti. Tandem ſi hunc locum ad prædeſtinatos ad fidem referamus, qui vineæ electæ non immerito comparantur; dico iis etiam auxilium efficax ad credendum divina largitate donari. Atque *donari* dixi; quælibet enim gratia eſt beneficium indebitum; neque verba Eſaiæ ſignificant aliquod Dei beneficium deberi, niſi ſuppoſita promiſſione, providentia, & prædeſtinatione divina.

Præterea objiciunt nomen gratiæ efficacis inventum fuiſſe a Calvino; quale autem judicium feras de ſententia tali auctore propagata? Sed his reponimus Calvinum appellare gratiam eo ſenſu efficacem, quod ipſa omne opus ſalutare efficiat nihil libero arbitrio operante: at nos dicimus efficacem, quod ipſa faciat, ut faciamus. Addimus Auguſtinum non ſolum appellaſſe efficacem, ſed & *efficaciſſimam* atque *omnipotentiſſimam*. Dicimus vocabulum etiam intruſum ab hæreticis ad labefactandam Catholicam veritatem, poſſe retineri ad hanc illuſtrandam & confirmandam; uti vocabulum *Homoouſion*, quod in ore Sabellianorum præfert ſenſum hæreticum, receptum eſt ad extirpandam hæreſim Arianam. Demum ut recentiores nobis objectant errores Calvini, ita Semipelagiani opponebant Auguſtino dogmata Manichæorum, aſſerentes ex illius circa gratiam & prædeſtinationem doctrina induci fatalem neceſſitatem, ut vidimus lib. vi. primæ partis cap. 6. mom. 2. Quale autem judicium feras de objectis Maſſilienſium?

Huc etiam ſpectant omnia argumenta, quæ pro ſcientia media afferuntur tam ex increpatione Corozaitarum, & Bethſaitarum, quam ex iis Auguſtini locis, in quibus videtur adſtruere gratiam *congruam* ad ſenſa Moliniſtarum. Verum ad hæc reſponſum eſt lib. iv. cap. 12. eamdem gratiam quæ in Tyriis & Sidoniis fuiſſet efficax, in Corozaitis & Bethſaitis talem non fuiſſe ob iſtorum obdurationem, ut Auguſtinus ſcribit cap. 4. de Dono Perſeverantiæ: quod ex præcedenti cap. vii. ubi fuſe de gradibus & œconomia gratiæ pertractatum eſt, arbitror omnibus manifeſtum. Oſtendimus etiam citato cap. 12. Auguſtinum commemoraſſe gratiam *congruam* ſine præjudicio latentis conſilii Dei, & locutum de *congruitate*, quam facit ipſa gratia, non quæ pendeat ab extrinſecis circumſtantiis; atque id etiam ſuperiori capite octavo iterum confirmavimus. Non erimus ergo in his repetendis nimium importuni, ac moroſi. Quod etiam objiciunt, ex noſtris principiis removeri virtutes, induci deſperationem, ac bonorum operum ſtudia torpeſcere, in libro de Prædeſt. Sanctorum cap. xv. fuit evidentiſſime refutatum. Cumulate quod nos ibidem Monitione V. explicavimus, demonſtrat ſecunda pars Inſtitut. Theologicarum, quæ prodierunt Leodii anno 1705. Et MSS. de Gratia, quæ fuerunt ad uſum Patris Deſirant Doctoris Lovanienſis, ubi cap. 6. probatur Doctrinam de Gratia per ſe efficaci eſſe fundamentum omnis virtutis Chriſtianæ iiſdem plane argumentis, quæ producta ſunt in Inſtitutionibus Leodienſibus. Hæc itaque omnia ſufficit modo revocaſſe ad memoriam.

Unum argumentum ſupereſt adverſus ſententiam noſtram, quod Thomiſtis repetentibus gratiæ efficaciam a dominio Dei, & a dependentia cauſſarum ſecundarum, nihil affert incommodi. Eſt autem: Admittitur a nobis gratia ab intrinſeco efficax in hoc tantum ſtatu, ac titulo Infirmitatis. At infirmitas exigit ſolum, ut tantæ vires reſtituantur infirmo, quantæ ſunt in morbo, quo laceſſitur. Homini ergo qui trahitur in malum a concupiſcentia quatuor graduum, ſufficit ſi medicinalis Chriſti gratia inſpiret ſanctam dilectionem, ut quatuor: neque neceſſaria delectatio eſt victrix ac prædeterminans.

Verum reſpondetur eo ipſo, quod gratia efficax admittitur ob creaturæ rationalis infirmitatem, efficacem eſſe ex intrinſecis ſuis. Primo quia, ut oſtendimus, hujus gratiæ proprium eſt tribuere non tantum *poſſe*, ſed etiam *velle*, atque ſubvenire infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter operetur. Deinde, quia cum trahatur animus delectatione, ſi ex æquo afficiatur delectatione ſancta & noxia, nunquam ſe inclinabit in unam potius, quam in alteram; ſed pendebit anceps, donec una ſit altera robuſtior, eamque deprimat: nullus enim niſi a fortiori vincitur ac ſuperatur; & voluntas vetus & nova, dum iſta illam non ſuperat, & pugnant conflictatione, diſcordando diſſipant animam; ut Auguſtinus docet lib. viii. Conf. cap. 5. Tertio, quia in æquali gradu concupiſcentiæ & gratiæ, gratia concupiſcentiæ, non concupiſcentia gratiæ ſuccumbet, quia homo, etiam cum æquali virtute, majorem habet ad malum, quam ad bonum, inclinationem; & ideo Auguſtinus ſcribit de corrept. & grat. cap. 12. *Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, &c.* Denique agere & non agere in æquilibrio virium, & determinare ſeipſum abſque efficaci Dei præmotione, eſt liberi arbitrii ſani & robuſti, non autem infirmi. Sed de gratia per ſe efficaci hæc ſatis.

CAPUT XII.

De Theologico, & pervulgato Axiomate, Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat Gratiam.

SYNODUM Palæſtinam damnaſſe Pelagianam propoſitionem *Gratia datur ſecundum merita noſtra*, diximus cap. 2. hujus libri. De ipſo nunc Pelagianorum capitali dogmate agendum eſt breviter: cum refellatur argumentis omnibus, quibus Gratiæ neceſſitatem, & initium cujuſque ſupernaturalis operis a Deo in præcedentibus, & conſequentibus diſputationibus propugnamus, necnon in libro de Prædeſt. Sanctorum cap. 3. Aliquam tamen operam a nobis poſtulant varia Scholaſticorum placita; non enim defuere qui naturalibus operibus crederent vim ineſſe meriti tantum *de congruo* ad beneficia ſupernaturalia obtinenda, & qui exiſtimarent poſſe homines naturæ viribus ſeſe ad gratiam diſponere. Atque diſpoſitionem hanc quidam poſitivam dixere, quidam vero negativam tantummodo, quatenus minora committentes peccata, non adeo ſunt obdurati & obcæcati, ut Deo vocanti reſiſtant. Eſt autem inter diſpoſitionem & meritum nonnihil diſcriminis; quoniam illud movet quodammodo largitorem gratiarum, ut velit beneficia conferre; diſpoſitio aptat ac præparat ſubjectum, ut ſi conferre velit, eadem non reſpuat. Poſtremam hanc ſententiam tenuerunt Durandus, Scotus, & Gabriel, ut ſcribit Eſtius libro 2. diſt. 26. §. 34. nec non alii plures apud Ripalda de Ente ſupernat. diſput. xvii. ſect. 1. & ſeqq. Molina, ejuſque Sectatores bene multi docent facientibus quod in ſe eſt per vires naturæ inditas Deum ſuam gratiam largiri, non quod opera naturalia aut illam mereantur, aut ad illam poſitive diſponant, ſed lege quadam, & pacto inito a Deo cum Jeſu Chriſto, ut bene utentibus ratione ac lumine naturali, promiſſione quadam ex divino beneplacito ſupernaturale auxilium minime denegetur. Non eſt tamen inter Propugnatores ſcientiæ *mediæ* hæc opinio communis, ſed eam rejicit Suarez de Prædeſt. SS. lib. 2. cap. vii. num. 24. immo num. ſequenti nititur demonſtrare, quod ſi vera ſit, opera naturalia promerentur gratiam *de congruo*. Vaſquez etiam 1. p. diſ. 91. cap. 10. ſcribit illam accedere ad errorem Maſſilienſium, & horum errorem ſufficienter non effugere demonſtrat Martinez in Theologicis diſputationibus de Gratia diſp. 3. ſect. 2. Reprobat hanc legem & pactionem etiam memoratus Ripalda diſp. xviii. ſect. 3. n. 17. Oppugnant denique illam omnes Auguſtini diſcipuli, & quotquot controverſias Pelagianas limatulo judicio verſarunt.

Indubitatum eſt hanc definitionem, *Gratia non datur ſecundum merita noſtra*, ſive quod idem eſt, *non eſt debita operibus naturalibus*, non tam ſpectare ad gratiam habitualem, quam ad actualem, ideſt, non ad illam ſolam, quæ *formaliter* juſtificat, ſed etiam ad illam, quæ ad juſtificationem diſponit. Enimvero de gratia potiſſimum actuali erat Catholicis adverſus Pelagianos concertatio; atque argumenta Auguſtini deprompta vel ex gratia fidei neceſſaria ad credendum, vel ex adjutorio implorando etiam a juſtis ad perſeverandum, ſatis evincunt de auxilio præſertim actuali ac præveniente fuiſſe cum Pelagio diſcrimen. Certum eſt etiam, quod augmenta gratiarum & vita æterna meritis retribuuntur, ſi meritorum nomine ea intelligas, quæ cum divina gratia comparat ſibi liberum voluntatis arbitrium: unde ipſa gloria appellatur ſimul & miſericordia & corona juſti-

tiæ; miſericordia, quia omnia opera, quæ a Deo miſericorditer nobiſcum operante non efficiuntur, ſunt ad vitam æternam capeſſendam ſteriliſſima; corona autem juſtitiæ, quoniam tamquam merces rependitur meritis auxiliante gratia Dei comparatis. Quibus prænotatis ſit

PROPOSITIO I. Operibus naturalibus nec de condigno, nec de congruo mereri poſſumus ſupernaturale Gratiæ adjutorium.

Demonſtratur primo ex Scripturis. Docent enim Sacræ Literæ a nobis nihil fieri ſine gratia, quod ad veram pietatem pertineat: *Sine me nihil poteſtis facere*, inquit Salvator Jo. cap. xv. 5. & cap. vi. 4. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Docent omne opus ſalutare a Dei gratia præveniente ſuum habere principium: *Qui incepit in nobis opus bonum*, inquit Apoſtolus ad Philipp. t. 6. & cap. proximo v. 13. *Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere.* Docent neminem prius aliquid Deo tribuere, propter quod gratiæ beneficia rependat, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ait idem Apoſt. ad Rom. xi. 35. & in prima ad Corinth. cap. iv. 7. *Quid autem habes quod non accepiſti?* Docent ad rationem gratiæ pertinere, ut non ſit debita operibus: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia*, ait idem Apoſtolus citato cap. xi. ad Rom. v. 6. At ſi operibus naturalibus aliquo pacto gratia foret debita, poſſet homo aliquid ad ſalutem pertinens ſuamet virtute patrare; poſſet gloriari x ſe bonum opus inceptum eſſe; poſſet aſſerere, ſe priorem aliquid dediſſe Deo, & habere meritum aliquod a Deo non acceptum; poſſet denique contra Apoſtolicum teſtimonium affirmare gratiam conferri ex operibus. Nullum ergo meritum ineſt cuilibet operi naturali ad divinarum gratiarum beneficia obtinenda.

Idem oſtenditur ex Conciliis. Inter quæ Dioſpolitanum oppoſitum errorem damnaſſe vidimus ſupra, & aperte tradit Auguſtinus in 1. contra Jul. cap. 5. De Geſt. Pelagii cap. 19. de peccato Orig. cap. 6. & in Epiſt. ad Paulinum 106. ſive 186. Confirmat eamdem damnationem II. Arauſicanum Can. 3. 4. 6. Concilia Africana apud Proſperum cap. x. contra Collatorem, & Tridentinum, a quo ſeſſ. 6. Can. 3. definitum eſt, neminem ſine præveniente Spiritus Sancti illuſtratione poſſe credere, ſperare, aut pœnitere ſicut oportet, *ut ei juſtificationis gratia conferatur*, & Can. 3. *ipſius juſtificationis exordium in adultis a Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum.* Si autem naturalia opera Deum ad gratiam conferendam allicerent ac moverent, ab illis ſumendum eſſet ſalutis, & juſtificationis initium. Non ergo alliciunt, nec permovent.

Auguſtini autem, cui Patres alii ſubſcribunt, innumera ſunt loca. *Non enim Dei gratia, gratia erit ullo modo, niſi gratuita fuerit omnimodo*, inquit de peccato Originali cap. 24. & rationem affert, quia *caritas per Spiritum Sanctum, qui ubi vult ſpirat, non merita ſequitur, ſed ipſa merita facit.* In lib. etiam de Prædeſt. SS. cap. 2. demonſtrat non recedere a ſententia Pelagii, quam ipſe in Epiſcopali judicio Palæſtino damnare compulſus eſt, Gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, quiſquis arbitratur ex nobis eſſe initium fidei, aut bonæ voluntatis conatum, cui retribuatur ſupplementum ejus, & ſi quid aliud fideliter poſcimus. Sed non opus eſt in re notiſſima diutius verſari. Tantummodo inſigni aliquo teſtimonio demonſtrandum eſt, quæ hucuſque fuere producta non eſſe accipienda de gratia ordinis naturalis, ut commenti ſunt Pelagiani. Quos perſtringens inviſtiſſimus debellator in Epiſt. ad Sixtum 105. nunc 194. *Abjiciatur* (inquit) *a Chriſtianorum cordibus iſta fallacia. Nam omnino non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, ut homines eſſemus, ſed qua juſtificati ſumus, ut homines juſti eſſemus. Iſta enim gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Etenim Chriſtus non pro nullis, ut homines conderentur, ſed pro impiis mortuus eſt, ut juſtificaremur: quippe homo erat qui dicebat: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Et ſtatim Auguſtinus demonſtrans non ſolum gratiam juſtificationis, ſed etiam fidem, omneque auxilium præveniens conferri abſque ullo meritorum intuitu, ait: *Poſſum quidem dicere remiſſionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti poſſunt peccatores? Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Neque enim nullum eſt meritum fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori: & deſcendit juſtificatus merito fidelis humiliatus, quoniam qui ſe humiliat exaltatur. Reſtat igitur, ut ipſam fidem, unde omnis juſtitia ſumit initium, propter quod dicitur ab Eccleſia in Cantico Canticorum, Venies, & pertranſies ab initio fidei, non humano, quo iſti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita, ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram idest ſine meritis cogitamus.* Vide etiam de Prædeſt. SS. cap. 5., ubi demonſtrat in ſacris literis commendari gratiam, *qua bonos diſcernit a malis, non qua communis eſt bonis & malis.* Enimvero ille, quem coercebat Apoſtolus ſcribens, *Quis enim te diſcernit?* non adverſus pecus, nec adverſus hominem alterum de aliquo naturali munere quod ineſſe poſſet & peſſimo, ſeſe inflabat; *Sed aliquod bonum, quod pertineret ad vitam bonam, ſibi, non Deo tribuens inflabatur.* Et recte; nam Apoſtolus reprehendit Corinthios, qui de acceptis donis glotiabantur, & quaſi illa haberent a ſe, ceteros contemnebant. Itaque certiſſimum eſt, non ſolum humanam naturam in qua conditi ſumus, ſed fidem, vocationem, & quidquid ad juſtificationem diſponit, gratiam eſſe, quam mereri non poſſumus præcedenti opere naturali; atque de hac gratia accipiendas eſſe Patrum, Conciliorum, & Scripturarum ſanctarum auctoritates. Et quoniam fides meretur juſtificationem *de congruo*, & eſt revera initium ſalutis, opera autem naturalia nullo modo ad juſtificationem ſalutemque perducunt; dicendum eſt his nec *de congruo* divinam gratiam aliquem promereri.

Probatur denique omnibus argumentis productis præc. cap. ix. Si enim gratiæ daretur ſecundum merita, eſſet prædeſtinatio & gloria opus currentis atque volentis, & unuſquiſque per liberum arbitrium ſe a non electis diſcerneret; non foret Dei vocatio mirabilis atque occultiſſima: ageret homo, ut ageretur a Deo; fruſtra Deum orarent homines, ut eis inſpiraret fidei ac bonæ voluntatis initium: nec in diſtributione beneficiorum Dei recurrendum eſſet ad inſcrutabilia judicia.

PROPOSITIO II. Nemo poteſt ſe *poſitive* ad gratiam diſponere; diſpoſitionis autem *negativæ*, ſive minoris obdurationis nullam rationem habet beneficentiſſimus largitor gratiarum in ſuorum diſpenſatione donorum.

Demonſtro priorem partem I. Præmiſſis omnibus argumentationibus: ſi enim nos ad gratiam poſitive diſponimus, poſſumus aliquid ad ſalutem ſpectans ſine gratia Reparatoris; & juſtificationis exordium ex nobis eſt, cum ex nobis ſit ad eam diſpoſitio. Poſſumus etiam adverſus alios inflari, gloriantes nos priores dediſſe aliquid Deo, animam ſcilicet præparatam atque diſpoſitam, & Deum nobis ſuamet beneficia non donare, ſed retribuere. II. Expreſſe Concilium Arauſicanum definit can. 6. *Miſericordiam divinitus non conferri ſine gratia Dei deſiderantibus, conantibus, laborantibus, pulſantibus, aut quicquam tale facientibus nobis, atque fieri per inſpirationem Spiritus Sancti, ut hæc omnia ſicut oportet agere valeamus.* Quid eſt autem hæc diſpoſitio, niſi forte animi conatus, deſiderium, labor, aut tale aliquid? Ubi etiam animadverte, definire Concilium non tantum per naturalia opera neminem mereri ſupernaturalia dona gratiarum, ſed ulterius ob nullam diſpoſitionem, ob nullam operationem naturalem, *Miſericordiam conferri divinitus.* Quibus verbis non ſolum aliquod meritum, verum & quamlibet diſpoſitionem ad gratiam negat ex nobis eſſe. III. Tridentinum declarat quod *juſtificationis exordium a præveniente gratia ſumendum eſt*: Diſpoſitio autem ad gratiam eſt juſtificationis exordium: Ergo nequit eſſe diſpoſitio aliqua hujuſmodi, niſi x præveniente gratia. IV. *Aufertur gratia cum a libero prævenitur arbitrio*, ut inquit Proſper adverſus Collatorem cap. 39. Hæc diſpoſitio prævenit gratiam; Ergo gratiam negat & aufert. V. Aut hæc diſpoſitio cum inſpiratione gratiæ aliquo modo connectitur, aut non; ſi primum dixeris, Gratia eſt ex operibus: ſin autem, nulla eſt hujuſmodi diſpoſitio, quoniam accidentia quæ ad formam diſponunt, habere debent cum ipſa forma aliquam connexionem.

Quod vero Deus in diſtributione gratiarum ſuarum non adtendat ad minorem obdurationem, ſive nihil ad gratiam conferendam moveatur a diſpoſitione, quam appellant *negativam*, probat egregie Auguſtinus lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. ubi demonſtrans neque majus ingenium, neque minora peccata, neque honeſtas utileſque doctrinas eſſe cauſſam electionis gratiæ, *Sed cum hoc ſtatuero*, inquit, *ita me videbit ille, qui infirma mundi elegit ut confundat fortia; ut eam intuens & pudore correptus ego irrideam & præ quibuſdam peccatoribus caſtiores, & præ quibuſdam piſcatoribus oratores. Nonne advertimus nonnullos fideles noſtros ambulantes viam Dei ex nulla parte ingenio comparari non dicam quorumdam hæreticorum, ſed etiam mimorum? Item non videmus quoſdam homines cujuſque ſexus in conjugali caſtitate viventes ſine querela, & tamen hæreticos, vel paganos?* In 1. etiam De peccatorum meritis cap. 22. num. 31. *Unde enim fit* (ait Sanctus Doctor) *ut homo ab ineunte pueritia modeſtior, ingenioſior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad virtutes ceteras provectior aptiorque conſurgat, & tamen eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit? Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis & facinoribus coopertus ita gubernetur ut audiat, ut credat, baptizetur, rapiatur, aut ſi detentus hic fuerit, laudabiliter vivat.* In quibus docet exclamandum eſſe, *O altitudo!* quod ſane non fieret conſequens, ſi minora peccata & negativa diſpoſitio divinam liberalitatem ad elargiendum gratias attraherent.

PROPOSITIO III. Neque lege, aut promiſſione aliqua, vel pacto largitur Deus ſupernaturalium gratiarum auxilia facienti quod in ſe eſt per vires naturales arbitrii.

Demonſtratur I. argumentationibus præcedentibus. Enimvero ſi facienti quod in ſe eſt confertur gratia vi conventionis,

aut

aut legis, quamvis liberaliſſime ac beneficentiſſime ſit conſtituta, non eſt amplius inſcrutabile judicium, quare unus trahatur, non alter; nec verum eſt gratiam a libero arbitrio non præveniri, Deumque in nobis bonorum operum primordia inchoare. II. Dum quæritur de lege aliqua, aut promiſſione Divina, non eſt aliquid pro libito affirmandum, ſed juxta Scripturarum ſanctarum, aut Apoſtolicarum Traditionum revelationem. Inde vero non conſtat Deum cum Chriſto hujuſmodi iniiſſe pactum: ſiquidem ubi teſtatur Deus non derelicturum quærentes ſe, & expectare converſionem noſtram & velle ſalutem, docet etiam ſe omnia operaturum in nobis, a ſe greſſus hominis dirigi, a ſe converti corda mortalium, & a ſe voluntatem præparari; uti probatum eſt cap. 3. de Prædeſt. SS. Cum ergo nequeat ex his locis Molinianum pactum inferri, debemus illud tamquam commentitium refellere, eo vel maxime quod graviſſimis cenſuris in ipſum Theologi plures animadverterunt. III. Ut fatentur Ripalda & Martinez, videtur concordare cum erroribus Maſſilienſium. Et merito: non enim hi aſſerebant nos per opera naturalia mereri gratiam, ſed Deum expectare hæc opera, ut gratiam impertiatur, ut conſtat ex verbis Caſſiani Collat. XIII. cap. 13. *Ita ſemper gratia Dei noſtro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit ac defendit, ut nonnunquam etiam ab eo quoſdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet*. At poſita lege ac pactione Moliniana Deus ut gratiam conferat exigit vel expectat opera naturalia. Hujuſmodi pactum ergo, & lex hujuſmodi habet cum erroribus Caſſiani magnam affinitatem. Quod ſane argumentum non ſolvitur, ſi dixeris non ſemper gratiam Dei expectare ut velimus, & pleramque omnem noſtrum conatum provenire ex Deo: quoniam & hæc fatebatur Caſſianus ipſe apud S. Proſperum libro contra Collatorem cap. V. ubi Semipelagianum exagitans, *Et ſatis* (inquit) *te contra Pelagianorum calumnias præcavere exiſtimas, ſi quod in univerſitate vocatorum ſentiendum eſt, id nobis in portione concedas?* & cap. 2. ejuſdem libri, *Quaſi multum gratiæ tribuas, ſi in quorumdam mentibus bonæ voluntatis initium ſit ex gratia Dei, in aliis ex ſola natura*. Ex quibus verbis Martinez ſcribit conſequi evidentiſſime, quod non diſſentit a Caſſiano, qui dicit *non ſemper gratiam Dei conferri facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, cum aliquando conferatur etiam non facienti, imo nolenti ac reſiſtenti*. IV. Nec illud verum eſt, quod adverſarii contendunt, gratiam conferri ex Dei liberalitate, ſi debeatur ex lege & pactione; ut probatur auctoritate & exemplo. Docet quippe Auguſtinus lib. II. ad Boniſ. cap. 8. n. 18. quod ſi *per nos incipit cupiditas boni, ipſum cæptum erit meritum, cui tamquam ex debito gratia veniat adjutorium, & ſic gratia a Deo non gratis donabitur, ſed ſecundum meritum noſtrum dabitur*. Et Proſper citato loco cap. 6. *Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod velis, nolis, convinceris dicere, Gratiam ſecundum merita noſtra dari; cum aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtantia, præcipue cum omnes hujuſmodi & accipere & invenire & intrare dicantur*. Si ergo qui faciunt opera moraliter bona & gratiam accipiunt, & miſericordiam inveniunt, quomodo eadem opera erunt nullius meriti? In parabola quoque Evangelica apud Matth. cap. XX. Paterfamilias denarium Operariis ſpopondit conventione quadam & pacto: & tamen debitum fuiſſe conſtat ex verbis illis v. 14. *Tolle quod tuum eſt, & vade*. Neque dicas hoc verum eſſe reſpectu Chriſti Domini, cum quo pactum initum eſt; nam merces non ſolum imputatur iis, qui operarios conducunt, & paciſcuntur de pretio: ſed ut Apoſtolus ſcribit ad Rom. IV. 4. *ei qui operatur*. Quapropter ſi gratia tribuitur operibus naturalibus ex conventione etiam liberali & munifica, imputatur *ſecundum debitum* & Chriſto qui fœdus una cum Patre ſancivit, & hominibus ſingulis quod in ſe eſt exercentibus. V. Poſtremo, ut ratiocinatur Thomas de Lemos lib. IV. Tract. 6. Quis non videt juxta hanc Moliniſtarum doctrinam poſſe tuto defendi dogmata Pelagiana, quod omne opus bonum ſit ex nobis, non a prævenientis gratiæ auxilio, & conatibus noſtris ſe inſerat Deus adjuvando poſſibilitatem, & largiendo ſanctæ operationis incrementum?

Sequitur ex dictis, Theologicum axioma, quod Iſaacus Habert demonſtrat antiquiſſimum eſſe, atque ex Patribus derivatum, ita eſſe accipiendum, ut facienti quod in ſe eſt cum adjutorio gratiæ moventis & operantis Deus gratiam tribuat uberiorem, ſive fidem perfectam, ſive juſtificationem, ſive augmentum caritatis, ſive gloriam ac ſempiternam beatitudinem: atque ita prolatum eſſe, non ad divinam præmotionem evertendam, ſed ad inflammandam torpentem hominum voluntatem. Recte itaque S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. *dicendum quod nihil homo poteſt facere niſi a Deo moveatur, ſecundum illud Joan. 15. Sine me nihil poteſtis facere; & ideo cum dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſt in poteſtate hominis ſecundum quod eſt motus a Deo*. Si alia eſſet hujus pronunciati intelligentia; aut Gratia daretur ſecundum merita, aut ad illam abſque divino auxilio ſeſe homo diſponeret, aut intereſſet adumbrata a Molina conventio, aut poſſent impune vagari decreta Maſſilienſium; quæ omnia mihi videor ſufficienter refutaſſe.

SOLVITUR OBJECTIO.

Argumenta Contrariorum, quoniam diſputando de Electione Sanctorum ea ſingulatim expedivi, atque hoc ipſo loco ſtudui præoccupare, explodam nunc brevi. Scripturis itaque, Patribus, rationique, inquiunt Adverſarii, hæ poſitiones repugnant. Scripturis quidem; nam in Prov. XVI. 1. legimus: *Hominis eſt animam præparare*. Zach. 1. 3. *Convertimini ad me, & convertar ad vos*. Matth. XXV. 15. *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem*. Lucæ XI. 13. *Dabit ſpiritum bonum petentibus ſe*. Joan. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*. Apoſt. ad Rom. VII. 18. *Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. Et Apocal. III. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*. Noſtrum eſt ergo diſponi, converti, petere, uti naturali poteſtate ac virtute, velle, oſtiumque aperire; & Dei eſt adjuvare, & gratiam tribuere quærentibus, volentibus, petentibus, & pulſantibus.

Repugnant præmiſſæ theſes & Patribus, Græcis præſertim; Origeni, qui Hom. 29. ſuper Num. ait: *Si offeramus Deo juſtitiam noſtram, accipiemus ab ipſo juſtitiam Dei*. Et Chryſoſtomus hom. 45. in Geneſim, aliiſque in locis plurimis docet, homines ſe prius ad gratiæ beneficia diſponere, & hæc promereri. Idem affirmant Latini, Ambroſius in primis, qui lib. 4. in Lucam ſcribit *non dormientibus divina beneficia ſervari, ſed obſervantibus*. Hieronymus in 1. contra Pelagium Dialogo ait: *Conſtat ergo inter nos, in bonis operibus poſt propriam voluntatem, Dei nos niti auxilio*: & cap. 2. *Noſtrum quidem eſt velle & currere, ſed ut voluntas noſtra compleatur & curſus, ad Dei miſericordiam pertinet*. S. Auguſtinus in lib. XIX. de Civit. Dei cap. 13. ſcribit Deum dediſſe hominibus quædam bona huic vitæ congrua; *eo pacto æquiſſimo, ut qui mortalibus talibus bonis paci mortalium accommodatis recte uſus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem, atque convenientem gloriam, &c.* Et in Opere contra Porph. cap. 9. *Deus*, inquit, *nulli unquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit*. Divus etiam Thomas de Verit. q. 14. art. XI. ad primum, docet quod ſi aliquis nutritus in ſylvis *ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni & fuga mali, certiſſime ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium*. Habet autem conſimilia 1. 2. q. ult. art. 3. in C. atque aliis in locis.

Demum adverſantur aſſertiones noſtræ rationibus: quarum prima petitur ex anima rationali, cujus creationi non officit quod homo corporalem materiam præparet ac diſponat: ſimiliter nec gratiæ liberam largitionem tollit, ſi quis ad eam poſſit ſe naturaliter præparare. Altera deſumitur ex efficacia Sacramentorum, quibus, cum ſint ſenſibilia, & conſtent elementis ac verbis, iis tamen poſitis nectuntur inſtitutione ac lege character & gratia. Tertia ſit: Dummodo affirmetur gratiam non dari ſecundum merita, evitatur ſufficienter Pelagianiſmus. Juxta Molinæ ſententiam gratia non datur ſecundum merita, ſed ex divina liberalitate ac beneficentia. Igitur juxta hanc ſententiam Pelagianiſmus ſufficienter exploditur. Ita impugnantur ſuperius ſtatuta argumentationibus a Divina ſcriptura, a ſententiis Patrum, atque a ratione depromptis.

His omnibus conſtat quid ſit reſpondendum ex dictis. Sacræ enim literæ commendant liberum arbitrium, ſed minime tollunt gratiam prævenientem; ſiquidem ex oppoſito docent *præparari voluntatem a Domino*, Prov. 14. verſ. 70. Deum operari *in nobis velle & perficere*, ad Philip. II. 13. atque his ſimilia ſuperius producta: de quibus videndus Auguſtinus in II. de Peccat. meritis cap. 18. & 19. Quod objicitur ex cap. 16. Prov. ſolvitur his verbis a D. P. Aug. lib. II. ad Bonif. cap. 9. n. 19. *Sed nimirum quod ſcriptum eſt, Hominis eſt præparare cor, non bene intelligendo falluntur, ut exiſtiment cor præparare, hoc eſt, inchoare ſine adjutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere. Abſit ut ſic intelligant filii promiſſionis, qui cum audierint Deum dicentem, Sine me nihil poteſtis facere, quaſi convincant eum dicentes, Ecce ſine te poſſumus cor præparare*: & num. 20. *Ecce Dominus admonet ut præparemus voluntatem, in eo quod legimus, Hominis eſt præparare cor, & tamen ut hoc faciat homo adjuvat Deus, quia præparatur voluntas a Domino, & aperit os ita jubendo, ut nemo poſſit, niſi id faciat adjuvando, cui dicitur, Labia mea aperies*. Plura ibidem. Similiter virtus illa, ſecundum quam Deus unicuique talenta diſtribuit, non eſt abſque præmotione Spiritus Sancti, ut recte S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 3. Quamquam neceſſe non eſt, ut in parabolis omnia prorſus rei ſignificatæ reſpondeant. Sunt & qui hunc locum exponunt de gratiis gratis datis, & muneribus Eccleſiaſticis, quæ ut plurimum conferuntur hominibus naturali virtute exornatis;

licet

licet hæc etiam Deus quandoque largiatur infirmioribus. Ad verſ. 12. Joannis reſpondet S. Pater Enarrat. in Pſal. 120. *Unde accepiſti hanc poteſtatem? Credentibus*, inquit, *in nomine ejus. Si ergo credis, ipſa tibi poteſtas data eſt.* Vide & cap. 3. n. 6. libri 1. contra duas Epiſt. Pelag. Verborum Apoſt. ad Rom. VII. ſenſus eſt, bonum velle, quod nobis adjacet operante Dei gratia, ut aderat Paulo vocato jam atque juſtificato, non ſufficere ad perfectionem bonorum operum abſque gratia Dei cooperante, ob pravam cupiditatem captivantem in lege peccati, ut ſtatim explicat dicens, *Non enim quod volo bonum, hoc facio*, poſſibilitatem perfectionis ſuæ ponens in Dei gratia; ut Auguſtinus ſcribit lib. III. num. 73. Op. Imperf. Locum Apocalypſ. demonſtrat oppoſitum, videlicet, Deum pulſare ad oſtium, antequam homo aperiat, & gratiam vocantem præcedere voluntatis humanæ conatus.

Idem eſt ſenſus Patrum: qui affirmant nos per liberum arbitrium divina gratia præmotum ad juſtificationem, & ad ampliora beneficia diſponi. Ita Chryſoſtomus, & Ambroſius. De illo tamen, quoniam nonnulli auſi ſunt illum Semipelagianis connumerare, inſtituam iterum orationem. Origenem ii, quibus placet lavare laterem atque Aethiopem, poterunt eadem reſponſione explicare: nos enim de illo prolatum cap. 1. judicium nolumus retractare. D. Hieronymi in primo dialogorum verba ſignificant quæſtionem inter Catholicos & Pelagianos non fuiſſe, an detur in nobis liberum arbitrium, cujus eſt velle & currere, neque an detur gratia conſequens, a qua eſt operis conſummatio: unde Critobolus agens Pelagiani perſonam reſpondit: *Conſtat, & ſuper hoc nulla contentio eſt*. Igitur erat controverſia de gratia adjuvante & operante, quæ antecedit omnem motum bonæ voluntatis, eamque gratiam Atticus propugnaturus ait: *Non ſic donata eſt liberi arbitrii gratia, ut Dei per ſingula tollatur adminiculum*. Rectiſſime autem Auguſtinus in lib. XIX. de Civit. Dei cap. 13. ait, quod bene utentibus bono quolibet temporali æquiſſimo pacto rependitur æterna gloria: at opus habet mortalis homo, ut bene utatur temporalibus bonis, *magiſterio divino cui certus obtemperet, & adjutorio ut libere obtemperet*, inquit S. Pater capite proximo. Mitto quæ Gregorio de Valentia textum hunc proferenti contigiſſe narrat Auctor Hiſtoriæ de Auxiliis pag. 302. poſtremæ editionis. Adverto etiam dici ab Auguſtino *pactum æquiſſimum*, ideoque non agi de benefica conventione Moliniſtarum. In memorato contra Porph. Opuſculo ait S. Pater Deum non defuiſſe iis, qui digni fuerant, ita tamen ut ipſe dignos fecerit ſua vocatione & propoſito, ut explicat in II. Retract. cap. 31. Quod attinet ad S. Thomam, quidam dicunt priorem retractaſſe ſententiam: nos arbitramur ubique locutum abſque præjudicio præmotionis divinæ, ut conſtat ex 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. & q. 112. art. 3. in Corpore.

Nec perdifficile eſt oppoſitas argumentationes elidere: quarum prima in Adverſarios retorquetur. Rationalis quippe anima, cum certas materiei diſpoſitiones exigat, eſt naturalis corporum forma, iiſque debetur: eſſet ergo & gratia naturalis quædam perfectio, ſi homo ad illam ſe nativa poteſtate diſponeret. Pertinent enim cum diſpoſitio, tum forma ad unum, eumdemque ordinem. In ſecunda latiſſima eſt diſparitas, quoniam Sacramenta, in quorum participatione dignoſcitur Eccleſia viſibilis, debent conſtare ſenſibilibus elementis: ſupernaturalis autem res pendere non debet a naturali, niſi huic divina virtus accedat. Ceterum hæc quoque argumentatio retorquetur; quandoquidem nemo vi Sacramentorum percipit gratiam, ſi contritionem habeat tantummodo naturalem: igitur naturalis diſpoſitio ad gratiam obtinendam non ſufficit. Ad poſtremam reſpondeo, ipſum P. Molinam in Epiſtola, quam refert Herice de Præd. d. 27. cap. 7. nec non Ripalda & Martinez citato loco, fateri neceſſarium non eſſe ut quis incurrat in Semipelagianorum errores, meritum concedere conatibus ſolius naturæ, cum ſufficiat iis ſubjungere gratiam pediſequam. Quare ſub finem laudatæ ſect. 2. inquit Martinez: *Satis conſtat illius ſententiæ auctores non effugere, quantum par eſſet, doctrinam Maſſilienſium*. Id vero demonſtratum eſt ſupra in tertia Propoſitione. In Cenſura etiam San-Germanenſi dicitur eamdem ſententiam *Semipelagianiſmum inſtaurare mutatis tantum vocibus*. De qua Cenſura Contenſonius, Juenin, Piette. Nihilo tamen minus habeant iſta ſolam concluſionem, quæ de arte Dialecticorum deſcendit: hoc nobis aſſerentibus non eſſe in nobis, quid amet Deus, niſi ex illius liberaliſſima & munificentiſſima largitate, atque repetentibus cum Proſpero, quinto ac ſexageſimo Epigrammate:

Talès a Domino, quales formamur, amamur;
Non quales noſtris extitimus meritis.
Sanctificet, doceat, plantet, riget, excolat, ornet:
Et ſibi perpetuo, quod placeat, faciat.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER DECIMUSQUINTUS,

S I V E

DE HÆRESI SEMIPELAGIANA.

RELIQUIAS Pelagianorum, ſive ſparſos circa Chriſti Gratiam errores, poſtquam Auguſtinus Pelagii hæreſim profligaverat, proximo libro decrevimus inſectari. In his autem vellicandis occurrunt nobis monita quædam utilia ad doctrinam ſimul, atque ad mores ſpectantia: quorum primum eſt, pernicioſas hæreſes, ubi ſemel radicem fixerint, non abſque magna difficultate, firmiſſimoque Apoſtolicæ auctoritatis judicio exſtirpari; & aliquando reciſas talia germina emittere, quæ ſolent ſurculis, niſi opportune evellantur, abundantioribus fruticari. Alterum eſt, viros quoque percelebres, quales fuerunt Vincentius, Caſſianus, Hilarius, erroribus fieri interdum obnoxios: unde debemus attendere quid habeamus ex nobis, quid ex munere Largitoris; ne aliquis noſtrum adverſus alterum glorietur, ſive ſcientia præditus ſit, ſive decora atque honeſtate virtutis. Poſtremo denique Cæleſtini, ac Proſperi exemplo docemur, quanto nobis ſtudio pro Chriſti Gratia, ampliſſimoque Auguſtini Nomine pugnandum ſit, aut audeant Adverſarii magnificare humanæ libertatis conatus, aut illam nitantur evertere, aut opponant ejuſdem cum divinis conſtitutionibus repugnantiam; quod cum Auguſtinenſium præſertim diſcipulorum interſit, iis merito poſt Pelagianam hæreſim trado Semipelagianam breviter Hiſtoricis, & Dogmaticis theſibus refutatam.

C A P U T I.

Quænam fuerit Semipelagiana hæreſis, & qui illam intruſerint, qui profligaverint.

POSTREMO Capite etiam Semipelagianam hæreſim cœpimus oppugnare; illius enim decreta fuerunt bonam voluntatem, quæ fidem præcedit, ex nobis eſſe, in conſequentibus non deeſſe divinæ Gratiæ adjutorium. Poſteaquam S. P. Auguſtinus gratiæ operationem, ac divinæ voluntatis propoſitum tot, tantiſque lucubrationibus confirmaverat; complures in Lugdunenſi præſertim, & Arelatenſi Provincia, arbitrantes ex Auguſtiniana Doctrina conſequi fatalem neceſſitatem, in oppoſitam ſententiam abierunt, tria dogmata ex adverſo conſtituentes. Fuit primum, juſtitiæ aliquod initium, bonam ſcilicet voluntatem credendi eſſe ex nobis abſque divinæ gratiæ auxilio: ex hujus autem fidei & voluntatis merito gratiam & juſtificationem conferri: unde hæc erat illorum vox, ut ſcribit Petrus Diaconus ad Fulgentium, *Meum eſt velle credere, Dei autem gratia eſt adjuvare*. Deinde aſſerebant Prædeſtinationem nullam eſſe, niſi ex meritorum præſcientia, & parvulos etiam eligi ex prævisione operum, quæ facturi eſſent, ſi viverent; poſſe augeri, vel minui prædeſtinatum numerum electorum, & poſita electione ſecundum gratiam, inutiles eſſe hortationes & correctiones. Ita ſcripſerunt ad Auguſtinum Hilarius & Proſper, atque ita contendit Fauſtus de libero arbitrio lib. I. cap. XI. & lib. 2. cap. 3. Tertio, quod conſectarium hujus eſt, dixerunt perſeverantiam non eſſe ſpeciale Dei donum præparatum iis, qui ſunt a maſſa perditionis prædeſtinatione diſcreti: ut conſtat ex Reſp. Proſperi ad VII. objectionem Gallorum. Pertractabimus hoc libro de priori tantum dogmate, in quo revixit hæreſis Pelagiana; quoniam de Prædeſtinatione diſſeruimus in prima Parte, & de Perſeverantia diſputabimus libro XVIII.

Non male dixeris hujus hæreſis originem ad antiquiora tempora referendam. Ipſum Auguſtinum nondum Epiſcopum ſimiliter erraſſe, ex ipſius confeſſione didicimus in cap. 3. de Prædeſt. SS. Similia tenuiſſe quoſdam Monachos Adrumeti circa annum 424. ſed ſtatim ab Auguſtino correptos, alibi ſcriptum eſt. Erravit pariter Vitalis quidam Carthaginenſis, quem ab errore revocavit idem Auguſtinus, quatuor circiter annis ante diſſidia Adrumeti, ut liquet ex Epiſtola 107. vel 217. ſcripta vertente an. 420. Sed cœpit coaleſcere in Sectam Semipelagianiſmus anno 428. aut inſequenti, cum delato in Gallias libro de Corrept. & grat. ſcripto ad eoſdem Monachos Adrumetinos, cœperunt Lirinenſes Monachi, inter quos aliqui ſcientia & ſanctitate conſpicui, inſectari S. Patris doctrinam. Scripſerunt ea occaſione ad Auguſtinum Hilarius & Proſper, quorum acceptis Epiſtolis, ille edidit libros de Prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeverantiæ, referens etiam de reliquiis Hæreſis Pelagianæ triumphum. Horum Semipelagianorum ducem fuiſſe Caſſianum ſcribit Noriſius lib. 2. cap. I. & 5. ante Noriſium Voſſius lib. I. cap. 7. Suarez Prolog. V. de Grat. cap. V. Petavius de Hiſt. Pelag. & Semip. cap. X. num. II. Gonzales Controv. IV. art. 10. quibus accedunt Tournely q. 3. pag. 91. Iſaac Habertus lib. 2. cap. VII. §. 3. cum Theologorum, & Hiſtoricorum maximo numero. Infeliciter eum purgare conati ſunt, quos refellit Noriſius in Appendice cap. 2. necnon Henricus Cuykius. Poſſevinus, Petrus Ciaconus, Thomas Pius, & ex Scholaſticis noviſſime Antonius Boucat de Grat. Diſſert. Præambula art. VII. Fuit autem Caſſianus primum Diaconus S. Joannis Chryſoſtomi, poſtea Presbyter Maſſilienſis, inſignis, & facundus Scriptor, ut appellatur in Chronicis Proſperi ad an. 433. niſi elogium iſtud infartum ſit, quomodo annotavit Pontacus. Scripſiſſe Caſſianum novimus de Inſtitutis Cœnobiorum libros XII. Collationum libros XXIV. & adverſus Neſtorium de Incarnatione opus ſingulare. Collationes ſcriptas conſtat an. 432. ex notis Conradi Abbatis Urſpergenſis apud Gerardum Voſſium lib. 2. de Hiſt. Latinis cap. XVII. contra Neſtorium ſcripſit *abſolutis Collationum libellis*, ut ipſe teſtatur in libri ingreſſu: de Inſtitutis autem Cœnobiorum ante editas Collationes.

Poſt Jo. Caſſianum fuiſſe Ducem & Coryphæum Semipelagianorum Fauſtum Rejenſem probat Noriſius lib. 2. cap. XV. & in Append. cap. 3. Et quidem jure merito. Quippe in eadem ſententia fuere Theologi Lovanienſes in Juſtificat. Cenſuræ, Baronius ad annum 490. Bellarminus de Script. Eccleſ. Theologi fere omnes, atque illuſtriores Hiſtorici. Suos nihilominus, ut mali omnes, habuit Patronos, inter quos celebrioris famæ ſunt Driedo, & Ruardus Tapperus laudati a Voſſio lib. I. H. P. cap. 10. & Sirmondus & Cellotius a Noriſio in memorato loco Appendicis. Fauſtus Lirinenſium Monachorum Abbas factus an. 433. eoſdem rexit annos ſupra viginti, electus poſt Maximum Epiſcopus Rejenſis. Scripſit de Spiritu Sancto, de Gratia & libero arbitrio, & libellos, atque Epiſtolas alias apud Gennadium.

Et hunc, ideſt, Gennadium adhæſiſſe Semipelagianis vera eſt, & communior ſententia, quam tenent Lovanienſes Theologi, Thomas Bradwardinus, Ferdinandus Mendoza apud Voſſium loco nuper laudato. Accedunt Bellarminus de Script. Eccleſ. Gonzales Controv. IV. art. 14. Noriſius lib. 2. cap. 16. & Appendicis poſtremo. Baronius ad annum 388. & poſterioris ætatis Scriptores eruditiſſimi, quos recenſere non vacat. Sed neque hoic defuit Defenſor illuſtris, quem eloquenti Apoſtrophe compellat Noriſius, Franciſcus Suarez Prolog. V. de Gratia cap. 5. Scripſit Gennadius librum de viris illuſtribus, & multorum opinione de Eccleſiaſticis Dogmatibus rejectum in Appendicem Tom. VIII. Operum Auguſtini: & illum quidem circa annum 492. Porro ſi hi tres Caſſianus, Fauſtus, Gennadius connumerentur a nobis inter Semipelagianos, neminem arbitror futurum, qui non fateatur nos aut meliorem cauſſam ſuſcipere, aut conſentire præcipuis, graviſſimiſque Scriptoribus.

Aliqui ſunt autem ſanctitate, atque eruditione percelebres, quos Semipelagianos dici ægre ferunt nonnulli; inter quos eminent Vincentius Lirinenſis, & Hilarius Arelatenſis. Scripſit Vincentius Commonitorium an. 434. & Semipelagianus probatur a Noriſio lib. 2. cap. XI. Non aliter ſentit Scriptor Eminentiſſimus de Hilario Epiſcopo Arelatenſi eodem libro cap. 2. Plures utrumque defendere aggreſſi ſunt: ſed cumulatius, nec ſervata erga Noriſium moderatione, Bruno Neuſſer in Apologia, quam ex Prodromo Velitari retulerunt Bollandiſtæ ad diem V. Maji, & Franciſcus Macedo in libro, cui titulus, *Commentationes duæ &c.* Qui nec ſtili acrimonia, nec rationum vi potuerunt efficere, quin ſubſcriberent Noriſio viri literarum laude celebratiſſimi; uti dicam ſequenti capite tertio. De Hilario tamen invaluit nuper opinio Semipelagianiſmum ejuraſſe; eaque unde muniatur, oſtendam, de horum virorum celebritate dicturus, ut æquum eſt, non indigne. Gabriel Vaſquez cenſet Semipelagianum etiam Joannem Chryſoſtomum; id vero prorſus immerito. E contra Theophilus Raynaudus operam perdidit in diſputatione Theologica pro Defenſione Valeriani Cemeſenſi, non ut ipſe putat, Cemelienſi, qui vixit ætate Fauſti Rejenſis, cum Valerianus aperte Semipelagia-

rum ſe prodat Homilia xi. xvii. & xviii. Verum de ipſo, quemadmodum & de aliis obſcurioris nominis, neceſſarium non arbitror pertractare. Similiter nec de Arnobio juniore, pro quo decertavit Voſſius lib. i. H. Pelag. cap. xi. pag. 569. refutatus a Noriſio lib. 2. cap. 15. Diſceptandum ergo erit, ut habeamus etiam rationem temporum, de Joanne Chryſoſtomo, de Caſſiano, de Fauſto, de Vincentio, de Hilario, & de Gennadio.

Quod priuſquam facere aggrediar, dicam pauca de infelici exitu Semipelagianiſmi, & de glorioſis ejuſdem Oppugnatoribus. Poſt Auguſtinum, de quo ſatis de Hiſt. Pelag. cap. 4. ſteterunt adverſus Semipelagianos Hilarius & Proſper, & S. Patrem adhuc viventem de Maſſilienſium erroribus certiorem fecerunt. Defuncto S. Parente, cum Semipelagiani redderentur audaciores, ſimul Romam ad Cæleſtinum profecti ſunt, ut is novos Pelagianos reprimeret. Maxime autem enituit in horum extirpatione ſolicitudo beati Proſperi. Scripſit contra eoſdem Epiſtolam ad Rufinum anno 429. exagitavit Caſſianum libro contra Collatorem circa annum 433. proximo anno 434. reſpondit ad Capitula calumniantium Gallorum, ad Objectiones Vincentianas, & ad Excerpta Genuenſium: edidit ipſa occaſione Epigrammata plurima, & celeberrimum carmen de Ingratis. Num ſcripſerit libros de Vocatione Gentium, inter Eruditos diſſenſio eſt; laudant tamquam genuinum illius opus Scriptores plurimi: negant Henricus Noris, & Voſſius: relinquit judicium diſquiſitioni Eruditorum Philippus Labbe. Eumdem Proſperum contra vulgarem opinionem non fuiſſe Epiſcopum Regii Lepidi probant haud obſcure Labbe, & Noriſius, ex quo Epiſcopum nunquam appellaverint aut Victorius Aquitanus, aut Gelaſius Papa, aut Gennadius Maſſilienſis, aut Marcellinus Comes, aut aliquis veterum ante Honorium Auguſtodunenſem, qui Gennadii verba tranſcripſit depravata Amanuenſium errore. Epiſcopum tamen Regienſem, quamvis nullo certo argumento, agnoſcunt poſt Honorium Scriptores Itali, Sixtus Senenſis, Poſſevinus, Baronius, Ferrarius, Sigonius; nec non Thomas Braduardinus, Martinus Polonus, Trithemius, & Voſſius. Is animadvertit cum Pontaco in vett. libb. vocari Proſperum aliquando Epiſcopum Rheginenſem, & Regium Italiæ interdum dici Rheginum: afferre etiam Inſcriptionem extantem Regii in æde Carmelitarum, *His ſitus eſt Proſper, quo ſancto Præſule Clerus, &c.* Conſentiunt antiqua Breviaria Regienſis Eccleſiæ, & noſtrum ad diem 24. Novembris. At hæc rigidioribus Criticis nequeunt pleniſſime ſatisfacere: ac nos dubitatione diſtrahimur. Nullatenus tamen aſſentiri poſſumus Bellarmino ſcribenti de Script. Eccl. Proſperum fuiſſe Epiſcopum Rhegienſem in Provincia Provinciæ, quia ſubſcripſiſſe invenitur Synodis Vaſenſi & Carpentoractenſi. Interfuit enim his Proſper Aurelianenſis Epiſcopus ſucceſſor Aniani; non Aquitanus, qui cum Auguſtino ſcripſerit Epiſtolam circa annum 429. certe jam ætate grandævus, non potuit adeſſe memoratis Conciliis anno 527. & 529. celebratis.

Opera Sanctorum Proſperi, & Hilarii Cæleſtinus Papa ſcripſit contra Pelagianos Epiſtolam ad Galliarum Epiſcopos anno 431. Capitula huic Epiſtolæ annexa Cæleſtini non eſſe dudum viri docti obſervarunt, Voſſius, Noriſius, Natalis Alexander, Presbyteri Ballerinii, & Auctor Adnot. in Eſtium diſt. 26. lib. 2. §. 26. Nos tamen aliquando ſub Cæleſtini nomine ea laudavimus exemplo Petri Diaconi, Creſconii, Dionyſii Exigui, Vaſqueſii, aliorumque; quod juſſu vel approbatione Cæleſtini fuerint a Proſpero, vel ab alio defenſore Auguſtini concinnata: atque ita ſanctitati quorumdam Semipelagianorum, qui certo definitioni Pontificis non repugnaſſent, melius conſulitur. Enimvero in illis Capitibus aperte damnantur, qui fidem, piumque animi deſiderium, ac primum bonæ voluntatis motum negant eſſe donum Gratiæ. Commendat tamen Cæleſtinus Auguſtinianam doctrinam, illiuſque oppugnatores compeſcit. Idem præſtitit Gelaſius in Epiſtola ad Picenos Epiſcopos ſcripta Albino Conſule, ideſt, anno 493. itemque Hormiſda in Epiſt. ad Poſſeſſorem data ſub annum 520. Eo vertente ſcripſit ad Africanos Epiſcopos exules in Sardinia Petrus Diaconus. Iidem Epiſcopi in Synodali congreſſu anno 527. Semipelagianiſmum impugnarunt, & Auguſtini doctrinam Synodica Epiſtola probarunt & confirmarunt.

Tandem proſcripta eſt Semipelagianorum hæreſis in ſecunda Synodo Arauſicana. Hanc celebratam ſub Leone primo anno 443. aut 444. fuit olim fere communis opinio, ut liquet ex Præfatione ad opera Proſperi editionis Duaci; & ex Tom. 2. Conciliorum Surii. Verum jam conſtat habitam fuiſſe ſub Felice IV. Decio Juniore V. Conſule, hoc eſt, anno 529. ut obſervarunt PP. Mauro-Benedictini in Append. Tom. 2. Op. Aug. Garnerius diſſert. 2. in Mercatorem, & erudita diſputatione Gerardus Voſſius lib. i. H. P. cap. 53. Confirmavit Concilium Arauſicanum Bonifacius II. in Epiſtola ad Hilarium Arelatenſem data anno 530. Lampadio, & Oreſte Coſſ. tum Synodus Valentina Imperante Lothario anno 840. ac poſtremo Tridentinum Concilium Seſſione vi. habita anno 1546. Atque hæc de ortu, fortuna, & interitu Semipelagianiſmi.

CAPUT II.

Vindicatur S. Joannes Chryſoſtomus a nota Semipelagianiſmi.

QUAMPLURES Chryſoſtomi doctrinam ab omni Semipelagiano errore purgatam apertiſſime demonſtrarunt, ut Ferdinandus Velloſillus Adv. in Tom. i. q. 9. Sixtus Senenſis lib. v. annot. 101. Alexander H. Ecc. Sæc. iv. c. 6. atque præter alios Scholaſticos Yſambertus i. part. q. 23. diſt. 2. art. 4. L'Herminier Tom. 4. de Gratia pag. 151. & ſeqq. Iſaac Habert. lib. i. cap. 8. §. 3. & cap. 24. §. 5. Ant. Boucat. Diſſert. Præambula de Grat. art. 6. & recentiores ceteri. Etſi vero loci ambigui eorum Patrum, qui floruerunt ante exortam hæreſim Pelagii, & præſertim illorum qui ad populum habebant conciones, nequeunt Semipelagianis afferre aliquid adjumenti ob validiſſimas rationes productas cap. 7. de Elect. Juſtorum, atque alibi repetitas; tanta nihilominus mihi eſt exiſtimatio & auctoritas Joannis, ut aliorum nervoſis doctiſque vindicationibus aliquam & ego addam, per quam illata illi injuria veritatis vi, præſidioque propulſetur.

PROPOSITIO: Chryſoſtomus Semipelagianiſmum profocavit potius, quam docuit.

Contexam ego S. Doctoris apologeticam argumentationem hoc pacto. In Semipelagianis quatuor ſunt attendenda, aut primarium ipſorum dogma jam a Catholicis omnibus refutatum; aut principia & doctrinæ capita, quibus illud firmare moliebantur; aut ex oppoſito argumenta, quibus oppugnatum eſt: aut Canones, quibus invenitur proſcriptum. Quid enim aliud, ut dignoſcantur Semipelagianiſmi notæ, neceſſum erit expendere? Sanctus autem Joannes Chryſoſtomus capitale Semipelagianorum aſſertum rejicit omnino, fontes, a quo profluit lutulentum illud dogma, illuſtrat & clarat: rationem primam, qua exploditur, ipſe ſuppeditat: eadem verba Canonum, quibus damnatur, ſunt ex illius verbis exſcripta. Igitur Chryſoſtomus Semipelagianiſmum non intruſit, non fovit: ſed compreſſit, & ſuffocavit. Singula ſic demonſtro. Primarius Semipelagianorum error eſt, initium fidei, aut bonæ voluntatis eſſe ex nobis. Error iſte a Chryſoſtomo evertitur: ait enim Hom. 4. in cap. 2. ad Epheſ. *Ne beneficiorum magnitudo extollat te, vide quomodo te reprimit. Gratia, inquit, per fidem. Deinde ne rurſus liberum arbitrium perimeretur, noſtra etiam adhibuit; atque iterum illud idem ſuſtulit, dicens, & hoc non ex nobis. Non enim fides, inquit, ex nobis. Niſi enim veniſſet, niſi vocaſſet, quomodo credere potuiſſemus? Quare nec fidei noſtræ eſt, ſed Dei: illud ipſum donum Dei eſt, ne quis glorietur, ut nos erga Gratiam gratos reddat.* Quibus verbis fideliſſime ad literam ex Græco translatis, ait eruditiſſimus Habertus, ubinam illa in Chryſoſtomum tamquam gratiæ ad fidem initiantis ignarum, aut inimicum, invidioſa criminatio? Certe tanquam ſpuma in ſcopulum illiſa concidit, & evaneſcit. Homilia pariter xix. in Epiſt. ad Roman. expendens ea verba, *Vide bonitatem Dei &c. Non dicit* (inquit Chryſoſtomus) *vide igitur virtutem tuam, aut labores tuos; ſed Dei bonitatem, oſtendens, quod univerſum ex ſuperna gratia ſit factum, inſtituenſque credentem, ut tremat.* En Chryſoſtomum capitale Semipelagianorum aſſertum verbis expreſſiſſimis refellentem.

Momenta vero Semipelagianorum erant, cum hortationes ſcripturarum affirmantium Deum expectare voluntates hominum & extendere tota die manus ſuas ad non credentes & contradicentes, nec non hominum eſſe præparare animam ſuam: tum libertas arbitrii, quam autumabant everti, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates. His, ut in antecedentibus dictum eſt, reſpondent Catholici expectare Deum voluntatem deliberatam, divinæ vocationi obtemperantem, atque non coacte, non neceſſitate compulſam, & inhærentem mandatis; donari tamen illi miſericorditer ut velit, ut faciat, ut veniat per gratiam prævenientem, & Spiritus Sancti illuminationem, inſpirationemque dilectionis: ita ut non tollatur gratia, non denegetur arbitrium: illud quidem, quia non neceſſitatur, nec cogitur; illa, quia non expectat merita, ſed facit. Quid vero Chryſoſtomus? Hæc ante exortum Semipelagianiſmum diſerte tradidit, docens Deum non prævenire voluntates humanas, uti dogmatizabant Manichæi, impellente neceſſitate; quandoquidem dum meremur, aut demeremur, operamur cum deliberatione atque electione: totum autem opus, ideoque ipſam voluntatis primam in bonum inclinationem præſupponere gratiam moventem. Audi Joannem, vere Chryſoſtomum, ideſt aurei eloquii, Hom. 12. in Epiſt. ad Hebræos negantem auxilium præmovens, neceſſitatem inferens voluntati: *Non prævenit, ne perdas liberum arbitrium.* Verumtamen audi iterum hæc ſcribentem Hom. ix. in 2. ad Corinth. cap. 4. *Manifeſtum eſt ſua quemque voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere. Verum in noſtra voluntate totum poſt gratiam Dei relictum eſt.* Eſt ergo apertiſſima ſententia Chryſoſtomi, Deum expectare quidem voluntatis noſtræ deliberationem & opus, ac noſtrum eſſe manum ſuas ad ignem, aut ab aquam extendere, ſed nihil, quod pertineat ad veram, & Chriſtianam virtutem,

tutem, a nobis fieri niſi poſt gratiam, licet hæc non ita nos præveniat, ut evertat liberum voluntatis arbitrium. Quamobrem uti Semipelagianiſmum non juvant ea loca Scripturarum ſanctarum, quæ clamant noſtra intereſſe, converti, velle, quærere, parare animam; ita errorem illum non alunt, nec fovent ſententiæ Joannis ſæpenumero ſplendida oratione dicentis referre noſtre credere, parere, & perfectioris ſanctitatis ponere ſundamenta.

Jam vero dicendum aliquid de ratione præcipua, qua Semipelagianus error ſubvertitur. Eſt ea deprompta ex verbis Apoſtoli in 1. ad Corinth. cap. 4. *Quid autem habes, quod non accepiſti?* Iis teſtatur ſe fuiſſe convictum S. P. Auguſtinus, cum ſimiliter erraret putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, tertio de Prædeſtinat. Sanctorum capite. Quanti ponderis hæc Apoſtolica verba ſint ad revincendum Semipelagianiſmum dixi cap. XI. præcedentis diſſertationis, repetam in hac, quarto, & longe melius commonſtrat Doctor Gratiæ in quinto libri, quem nunc laudavi. Nec ſentit oppoſitum S. Chryſoſtomus. Expendens Apoſtolicum teſtimonium Hom. XII. *Sed eſto ſis laudandus*, inquit, *& revera habeas donum, & hominum judicium non corrumpatur; ſed neque ſic oportet ſuperbia efferri, quippe qui non ex te habes, ſed a Deo accepiſti. Quid igitur te habere ſimulas quod non habes? Sed eſto habeas, habent & alii tecum. Igitur quod accepiſti habes, neque hoc tantum, & illud, ſed quicquid habes: non enim merita hæc ſunt, ſed Dei gratia. Quamvis fidem adducas, a vocatione eam accepiſti; quamvis peccatorum veniam adducas, quamvis dona, quamvis virtutes, omnia inde tibi provenerunt. Quid igitur habes, quæſo, quod non acceptum habes?* Argumentum primum ac ſingulare iſtud eſt: eodem convictus fuit Auguſtinus: eodem Semipelagianos ipſe oppugnavit; eodem uſi ſunt Canone 6. Patres Arauſicani.

Fluit nunc veluti ſponte ſua argumentationis noſtræ pars quarta; & apparet in Chryſoſtomi Orationibus reperiri ipſa Canonum adverſus Semipelagianos editorum verba, atque vim, auctoritatemque verborum. Dixi modo de Canone ſexto Arauſicano: nunc attuli non ſemel, & noviſſime cap. XI. & XII. de H. P. Facias, Lector, ejuſdem Canonis cum recitatis verbis Chryſoſtomi collationem. Legas & Canonem alium Arauſicanæ Synodi numero tertium. Eccum: *Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Eſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti: Inventus ſum a non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Hoc ergo Canone demonſtratur neceſſitas prævenientis auxilii ex cap. 65. v. 1. Eſaiæ, & ex 10. Epiſtolæ ad Romanos 20. Inquiramus nunc interpretationem Chryſoſtomi Hom. 18. in Epiſtolam ad Romanos. En illam: *Non dicit, quod ipſi per ſe Deum attrahere potuerint; ſed & eorum, qui ex gentibus credebant, faſtum dejiciens, oſtendenſque quod totum gratia ſua perfecerit, dicit, Ego palam apparui iis, & ego inventus ſum.* Vides in Chryſoſtomo vel ipſos Canones Arauſicanos? Ergo imperitus, aut ad audendum projectus eſſe debet, quiſquis tamquam Semipelagianum rodit & vellicat præclariſſimum Eccleſiæ Doctorem, qui prædamnavit Semipelagianiſmi capitale decretum; qui exploſit fallacia Maſſilienſium interpretamenta, & eliſit argumentationes, antequam proferrentur; qui rationem primam ac validiſſimam pro neceſſitate gratiæ ad initium fidei promovit: qui præformavit Arauſicanæ Synodi definitiones, & Canones. Hæc omnia præſtitit Joannes Chryſoſtomus. Igitur Semipelagianiſmum præfocavit potius, quam docuit. Atque hæc erat propoſitio demonſtranda.

CONTRARIA OBJECTIO REPELLITUR.

In eandem cum Semipelagianis conſpiraſſe ſententiam S. Joannem Chryſoſtomum nititur probare Gabrial Vaſquez diſput. 89. cap. 4. ex Hom. 42. in Geneſim, ubi docet Deum voluntatem noſtram attendere, & ex Hom. 27. in qua ait aliquam ex nobis pœnitentiam eſſe, ac proinde dilectionem & ſpem, quæ tamen de ſe non ſufficiat ad delendum peccatum, niſi accedat gratia Dei; quibus ſimilia tradit Caſſianus Collat. 20. cap. 8. Eamdem doctrinam habet Chryſoſtomus in Hom. de Daniele, & ſerm. 1. de Verbis Domini. Inſuper addit Vaſquez diſp. 91. cap. 8. ex Hom. 17. in Joannem hæc verba Chryſoſtomi: *Hinc admoneri poſſumus Deum ſuis in nos beneficiis noſtras non prævenire voluntates, ſed a nobis incipiendum eſſe, &c.* Urget & Hom. 12. in Epiſt. ad Hebræos, ubi parum a principio hæc habet: *Oportet nos eligere primum quæ bona ſunt, & tunc ipſa quæ ſua ſunt introducit: non enim antecedit noſtras voluntates, ne lædatur arbitrium.* Poſſumus addere quæ ſcripſit Hom. 26. in Geneſim de Noe: *Quandoquidem quæ ſua erant omnia contulit, eorum etiam quæ a Deo ſunt abunde petitus eſt.* Et in Pſ. 120. *A nobis principia.* Hom. etiam 8. in Epiſt. ad Rom. tradit fidem præcedere, & gratiam impetrare. Denique pluribus in locis affirmat gratiam iis conferri, qui reddunt ſe gratia dignos, ut Hom. 41. de Sancta Pelagia. Profecto quiſquis docet a nobis eſſe virtutem, nos divinis beneficiis non præveniri, noſtrum eſſe principium bonorum operum, ad nos pertinere ut velimus & præeligamus, & gratiam dari iis, qui præbent ſe dignos gratia, is per omnia Semipelagianis adhæret. Adhæret ergo Semipelagianis Chryſoſtomus.

Reſp. diſt. minorem: Semipelagianis conſentit, qui docet virtutem eſſe a nobis deliberate operantibus & volentibus poſt gratiam prævenientem, & inſpirantem nobis bonam voluntatem indeliberatam; qui docet nos prævenire divina beneficia, qualia ſunt augmenta gratiarum, ſanctitas & juſtitia, incrementa virtutum, aliaque hujuſmodi; qui docet nos præeligere & velle, quatenus in voluntate noſtra totum poſt præmoventem gratiam relictum eſt; qui docet denique Deum non antecedere voluntates noſtras præmotione neceſſitante atque impellente; nego quod is Semipelagianis adhæreat. Qui hæc omnia docet excludendo gratiam præmoventem, ac prævenientem, concedo. At Joannes Chryſoſtomus gratiam hanc non excludit, ut ſupra demonſtratum eſt. Ergo quamquam alicubi ſcribat, nos velle, nos prævenire beneficia Dei, nos præeligere, nos dignos reddi voluntate noſtra gratiis uberioribus, inter Semipelagianos immerito cooptatur.

Quamquam vero hæc reſponſio ex argumentatione noſtra redditur manifeſta: ſingula objecta a Vaſqueſio, & etiam aliunde ſuperaddita curſitans repulſabo. Itaque Hom. 42. in Gen. loquitur Chryſoſtomus de eleemoſyna, in qua Deus reſpicit voluntatem noſtram, non cenſum; quod probat exemplo mulieris, quæ in gazophylacium duo tantum minuta projecit, & Sareptanæ viduæ, quæ Prophetam pavit Eliam. Huic quidem voluntati rependit Deus remunerationes gratiarum; ſed hanc voluntatem num ſine gratia a nobis eſſe docet Chryſoſtomus? Imo animadvertit Sareptanam mulierem, ut Eliam paſceret, a Domino habuiſſe præceptum & gratiam, & recitatis verbis Scripturæ, *Præcipiam mulieri viduæ ut paſcat te*, ſtatim ait, *Vide ſpiritus gratiam, dilecte.* Quod ſi in hac ipſa Homilia ait nos a Deo adjuvari dum enitimur ad virtutum agones; loquitur de gratia cooperante: opponens virtutem gratiæ iis, qui ſpectant quidem, ſed non adjuvant in ludis Olympicis decertantes. Hom. 27. demonſtrat juſtificationis gratiam non conferri adultis, niſi eos pœniteat, niſi ſperent, niſi diligant. Et hæc ſunt Semipelagianiſmi argumenta? Eſſent, ſi ad pœnitentiam non requireret gratiam: ſed hanc eodem loco commendat in ſervo, cui Dominus dimiſit debitum, dicens: *Bonus Dominus non ſolum quantum petiit, ſed quantum ne cogitare quidem auſus fuit, dedit. Is enim ejus mos eſt, ut vincat, & præveniat petitiones noſtras.* Hæc fruſtra requires in Collationibus Caſſiani, unde errores ſcatent Semipelagienorum, ut dicam proximo capite. In Homilia de Daniele loquitur de augmento gratiarum; Daniel enim, puerique alii juſti erant, & illos gratia prævenerat benedictionibus dulcedinis. Hanc tamen Homiliam non conſtat eſſe Chryſoſtomi, eruditis pluribus repugnantibus. De augmentis gratiarum loquitur etiam in Hom. 26. de Noe, in 41. de Pelagia, & ubicunque de juſtis inſtituit orationem. Etenim cum Noe *perfectus* dicatur, non conſideratur a Chryſoſtomo in principio, ſed in progreſſu virtutis: atque Pelagiam laudat martyrium patientem, poſtquam Dominus illi donaverat, ut pateretur. Martyres quidem fortiter pugnantes gratia Dei confortari verum eſt: nec gratia cooperans tollit prævenientem, quemadmodum ſubſequens ac perficiens non tollit cooperantem. Decima ſeptima Homilia in Joannem ſermo eſt non de prima vocatione ad fidem, ſed de beneficiis collatis Andreæ, quem ſponte obtemperantem vocationi Dominus conſtituit Apoſtolum, & familiari conſuetudine complexus eſt. Hunc tamen locum depravatum contendit Gonetus de Prædeſt. diſp. 2. art. 3. §. 6. & legendum eſſe *præveniri*, non autem *non præveniri*, uti legitur in Veneta editione anno 1583. ſed labitur manifeſte, ut conſtat ex proxima antitheſi, *ſed a nobis incipiendum, &c.*, & ex Græcis codicibus, quos conſulto perlegens vidi ita habere; [illegible], &c. In Hom. 12. ad Hebræos liquet, ut obſervatum eſt ſupra, excludi præmotionem neceſſitantem; atque, ut adnotavit Habertus, fit ſermo non de iis, qui ſunt in privatione gratiæ, ſed de iis, qui ſtant, currunt, & poteſtatem habent non dandi in commotionem pedem ſuum. Quod colligitur ex verbis ſequentibus: *Etiamſi curras, etiamſi ſtudium adhibeas, ne tuum exiſtimes, ſi quid recte geſtum eſt. Niſi enim cœleſti auxilio potiaris, omnia fruſtra ſunt.* Denique in Epiſtolam ad Romanos Hom. VIII. dum ait fidem impetrare gratiam, loquitur Chryſoſtomus de Gratia ſanctificante; ſiquidem & hæc habet eodem loco, *Accedit fides per gratiam attracta.* Quare ex his apparet argumenta omnia, quæ adverſus doctrinam Chryſoſtomi proferuntur, vitrea eſſe, & fictulna: atque inter Caſſianum, Hilarium, Vincentium, alioſque Semipelagianos, doctos alioqui, ſanctoſque viros, necnon inter complures nullius falſæ doctrinæ ſuſpectos, & ſapientia præclaros, extare & eminere Chryſoſtomum,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

CA-

CAPUT III.

De ſanctis viris, quorum doctrinam faligo Semipelagiani erroris aſperſit.

PRÆMITTENDUM eſt nihil derogare ſanctitati ac virtuti eorum, qui ante exploratam circa prævenientis gratiæ auxilium veterum traditionem, expreſſaſque definitiones Romanorum Pontificum, aut Sanctorum Conciliorum, profundiſſimas gratiæ ac libertatis quæſtiones aut ignorarunt, aut non exacte explicaverunt: aut proprio indulgentes ingenio fallaci ſenſu, quod cujuſvis hominis eſt, quædam verba fuerunt interpretati. S. enim Proſper Semipelagianos Maſſilienſes in Epiſtola ad Auguſtinum ſervos Dei, ac tales, qui vitæ meritis ceteros antecellerent ſpiritualium ſtudiorum viros, claros egregiosque in omnium virtutum ſtudio, & in ceteris Auguſtinianæ admiratores, ſectatoreſque doctrinæ appellat. Hilarius etiam illos ſumma cum laude commemorat, & ſcribit illos, hoc excepto, quod pertinet ad initium fidei, in factis & dictis omnibus Auguſtini ſanctitatem fuiſſe admiratos. Dum ergo illos Semipelagianos dixero, non illorum perſonam me accuſaturum declaro, non mentis pervicaciam, non voluntarium errorem, ſed ſolam falſitatem doctrinæ, qualem in ſuis quoque ſcriptis ante Epiſcopatum editis S. Auguſtinus deprehendit, & qualem Vaſqueſius abſque ulla Sanctorum injuria ſuſpicatus eſt in Chryſoſtomo, & in Marco Eremita. Quare ſi forte nobis vel excidit hactenus, vel in poſterum defluet verbum aliquod contumelioſum, quod e pectore noſtro utinam non erumpat; ſancte profitemur dogmata nos adverſari, non Auctores, quemadmodum ajebat Proſper in Pelagianæ pravitatis reliquiis *non mediocris virulentiæ fibram nutriri*, cum tamen, ut diximus, ſanctitatem Maſſilienſium debitis laudibus celebraret. His vero præmiſſis ſit

PROPOSITIO I. Caſſianus non poteſt a Semipelagianiſmo excuſari.

Probatur I. Teſtimonio Iſidori Peluſiotæ Caſſiani condiſcipuli, qui Epiſt. 309. loquacem & temerarium appellat, & doctrinæ S. Auguſtini impugnatorem: ex Adone Vienneſi, qui in Chronicis ad annum 425. ſcribit: *Opera illius a Catholicis cautiſſime legenda, maxime de libero arbitrio & gratia*; addit errores illius non ad plenum purgare potuiſſe, cum vellet, Caſſiodorum Senatorem Ravennatenſem: ex Caſſiodoro ipſo ſcribente cap. 29. Divinarum inſtitutionum Caſſianum purgatum ab erroribus etiam a Victore Martyritano: ex Thoma Braduardino, qui lib. 2. de cauſſa Dei cap. 4. Caſſiani ſententias appellat *Hæreticas, & Pelagiano veneno pragnantes*: ex parente Eccleſiaſticorum Annalium, qui ad annum 433. ſcribit certo falli, qui Caſſianum credunt *fuiſſe omni ex parte catholicum*. His conſentiunt omnes fere Scriptores. Non ergo abſque magna teſtimoniorum auctoritate Semipelagianiſmi Caſſianus inſimulatur. II. Probatur ex quo in S. Officio Generalis Inquiſitionis Hiſpaniæ damnata fuit hæc propoſitio Thomæ de Ituren: *Caſſianus non fuit Semipelagianus*. Vide Gonzales controv. IV. art. 9. III. Probatur quoniam S. Proſper adverſus Semipelagianos fidem catholicam egregie defendit. Illum his verbis commendat in Martyrologio Romano Eccleſia, *Eruditione & pietate inſignis adverſus Pelagianos pro fide catholica ſtrenue decertavit*. Illius opera dicuntur a Gelaſio in Concilio Romano *cuſtodienda & recipienda*. Ex illius & Auguſtini ſcriptis fabricati ſunt Canones Synodi II. Arauſicanæ. Ipſe autem Proſper ſuum maxime ſtudium contulit in refellendo Caſſiano. Editum adverſus hunc librum contra Collatorem, conſtat ex titulo, conſtat ex Caſſiani verbis paſſim in hoc libro productis, conſtat ex c. 2. ejuſdem Operis, conſtat ex antiquiſſimo Corbejenſi Codice præferente hunc titulum: *Liber S. Proſperi pro Prædicatoribus Gratiæ contra librum Caſſiani Presbyteri, qui prænotatur De protectione Dei*. Hæc eſt Collatio 13. habita cum Abbate Chæremone. Quod autem Antonius Boucat reſpondet in hac Collatione non eſſe ſenſum Caſſiani, ab eoque hiſtorice referri ſententiam Chæremonis, refelletur infra ipſius Proſperi expreſſiſſimis verbis. IV. Probatur ex decreto Gelaſii, qui ſtatim poſt recepta Opuſcula Proſperi ait, *Opuſcula Caſſiani Presbyteri Galliarum apocrypha*. Triplici autem ſenſu dicitur aliquis liber apocryphus, vel quod non ſit auctoritatis divinæ & in Canone Scripturarum ſanctarum, vel quod incertum habeat auctorem, vel quod doctrinam exhibeat non plane catholicam. Opuſcula Caſſiani nequeunt appellari apocrypha primo & ſecundo ſenſu; non primo, quoniam dicerentur apocrypha etiam opera Proſperi, aliorumque Sanctorum, quæ ibidem declarantur eſſe recipienda & cuſtodienda: non ſecundo, propterea quod Auctoris, ideſt, ipſius Caſſiani nomen apponitur. Sunt ergo Apocrypha eo quod doctrinam contineant non undequaque Catholicam. Hanc Gelaſii Cenſuram impetere quidam voluit, non Collationes Caſſiani, ſed libros de Inſtitutis Monachorum. Verum ſi id concedatur, quid inde? Profecto ſequeretur hos quoque libros non eſſe immunes erroris, ut revera non eſſe demonſtrat Noriſius lib. 2. cap. 1. §. *Interim*. Neque eſt ulla ratione probabile Romanum Pontificem expungere reliquos Caſſiani libros, non illum de Protectione refutatum a Proſpero ibidem inſignibus Gelaſii laudibus celebrato. Ipſum vocabulum *Opuſcula Caſſiani* videtur appellare non omnia hujus Scriptoris Volumina, ſed e grandioribus voluminibus ad refellendum excerpta. V. Probatur ipſius Caſſiani verbis. Qui poſteaquam collat. XIII. cap. 3. ſcripſeret non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium, quæ ſane verba videntur eſſe catholica, ſequenti cap. 9. venena ſpargens, *ut autem evidentius claveat* (inquit ille) *etiam per natura bonum, quod beneficio Creatoris indultum eſt, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen niſi a Domino dirigantur, ad conſummationem virtutum pervenire non poſſunt, Apoſtolus teſtis eſt dicens, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*. En manifeſte Caſſianus initium bonæ voluntatis a nobis eſſe autumat, exponens quæ dixerat tertio capite, intelligenda eſſe aut de gratia conditionis, qualis eſt facultas arbitrii, aut de eo quod accidit nonnumquam, & in portione, non in univerſitate bonorum. Ita animadvertit S. Proſper cap. 3. n. 8. atque ita nos demonſtravimus cap. XI. præcedentis prop. 3. Etiam Apoſtolicum teſtimonium explicat Proſper cap. 4. n. 14. dicendo, *Vox iſta (Velle adjacet mihi) vocati eſt, & jam ſub gratia conſtituti*, ſcilicet, ut egomet explicavi in ſolutione objectionis. Legantur reliqua capita memoratæ Collationis, nec non lib. XII. de Inſtitutis Monach. cap. 14. ubi docet, naturaliter ineſſe cuique animæ virtutum ſemina beneficio Creatoris inſerta, conatus humanos gratiam præcedere, divinamque miſericordiam conferri laborantibus ac deſudantibus, aliaque plura puri puti Semipelagianiſmi argumenta.

Objicit Antonius Boucat. Caſſianus Collat. 3. cap. 4. ſic loquitur: *Ex Deo quidem eſt, quoties inſpiratio quadam immiſſa in cor noſtrum nonnunquam etiam dormientes nos ad deſiderium æternæ vitæ, & ſalutis exſuſcitat*. Rurſus Collat. XIII. cap. 3. *Quibus manifeſte colligitur, non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium, qui nobis & initia bonæ voluntatis inſpirat, &c.* Addit Boucat in reſp. ad objectiones, S. Proſperum damnare in Caſſiani Collatione non ſenſum ipſius Caſſiani, ſed Abbatis Chæremonis. Cum enim, inquit, ſit liber Collationum Patrum, ſolummodo ad ſenſum auctoris Collationis, nuſquam vero auctoris libri ſpectandus eſt.

Reſp. Boucatum, ut in aliis pluribus, in defenſione Caſſiani nihil proferre, quam verba. Etenim verba deprompta ex cap. 4. Collationis tertiæ demonſtrant Caſſianum fateri gratiam *in portione* (inquit S. Proſper) *quam negabat in univerſitate vocatorum*. Quid ſibi vult adverbium illud *nonnunquam*? Neminem id puto ignorare. Nonnunquam ait Caſſianus tam bene, quam bene alibi, *Nonnunquam etiam conatus bonæ voluntatis vel exigit, vel expectat*. Quod profertur ex cap. 3. Collat. XIII. ita a Proſpero retunditur c. 2. num. 7. *Doctor Catholice, cur profeſſionem tuam deſeris? Cur ad fumoſam falſitatis caliginem relicta sereniſſima veritatis luce devolveris?* Etenim Caſſianus cap. 9. ut ſupra oſtendimus, definitionem præcedentis cap. 3. ita explicat, ut omne donum deſcendat a Patre luminum, quatenus naturæ bonum beneficio Creatoris indultum eſt, & nonnunquam in portione vocatorum gratia etiam dormientes exſuſcitet. Hæc ubi adnotavit Proſper, inquit num. 10. *Poſt hæc concludit, quia etiam ſuis interdum motibus homo ad virtutum appetitus poteſt extendi, ſemper vero a Domino indigeat adjuvari. Et ubi eſt quod regulari definitione præmiſſum eſt, non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo eſſe principium, qui & incipit quæ bona ſunt, & exequitur & conſummat in nobis? Ecce hic etiamſi bonis cœptis neceſſarium Dei fateris auxilium: ipſos tamen laudabiles motus, appetituſque virtutum, remota gratia Dei, nudæ libertati adſcribis arbitrii*. Quod poſtremo loco poſitum eſt hac ratione refellitur. Si Proſper non redarguit ſenſum Caſſiani, ſed Abbatis Chæremonis, ſi in Collationum libro nuſquam ſenſum Scriptoris putas eſſe ſpectandum, cur Caſſianum conaris defendere contorto textu verborum capitis tertii, quæ Chæremonis erunt, te judice, non Caſſiani? Deinde ubinam Caſſianus quod ponit in ore Chæremonis aut emollit, aut notat interjecta parentheſi, ne fallat lectorem? Rurſus quomodo non loquitur Caſſianus in proprio ſenſu, dum etiam libro de Inſtitutis Monachorum duodecimo conſtantiſſime definit, *perfectionem ſine gratia Dei a nemine conſummari*, ſed primam gratiam præſto eſſe *occaſione ſibi tantummodo a nobis bonæ voluntatis oblata*? Num Caſſianus refert modo verba Chæremonis? At declarat ſe hoc dicere, & ſeniorum ſententia plane & conſtantiſſime definire. An libros de Inſtitutis Monachorum & tu abjudicas Caſſiano? At librorum illorum Auctor promiſit Caſtori lib. 2. cap. 9. ſe Patrum Collationes literis mandaturum, ne dubitares diverſos eſſe Scriptores. Poſtremo audias Divum Proſperum hæc capite 2. ſcribentem: *Igitur in libro, cujus prænotatio eſt = De Protectione Dei, = vir quidam ſacerdotalis, qui diſputandi uſu inter eos, quibuſcum degit, excellit, Abbatem quemdam introducit de Gratia Dei, & de libero arbitrio diſſerentem, cujus ſe per omnia probaſſe, ac ſuſcepiſſe oſtendit ſententiam: ut jam non cum illo nobis ſit negotium, qui fortè tales opiniones ſuas aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret; ſed cum iſto, qui ad inſtrumentum inimicorum gratiæ Dei talem ſtuduit proferre doctrinam*. En argumentationes re-

centio-

Digitized by Google

cenſoris hujus Theologi ab ipſo Impugnatore Caſſiani contritas. Sed Boucat contradicit ſibi ipſi, cum ſupra art. 3. pag. 56. probet Semipelagianos non admiſiſſe gratiam actualem ad initium fidei ex Collat. XIII. Caſſiani, cap. 8. & 11.

Objicies 2. cum aliis Apologiſtis. I. Collationes Caſſiani a ſummis ſanctiſque viris ſummopere commendantur, a D. Benedicto capite 24. Regulæ, a Joanne Climaco Gradu 4. Scalæ, a Petro Damiani lib. 5. Epiſt. cap. 59. ab aliis. II. Caſſianus in Monaſterio S. Victoris prope Maſſiliam tamquam Sanctus colitur, recondito ejus corpore in Crypta loculo marmoreo quatuor columnis ſuffulto, & capite incluſo in theca argentea gemmis ornata. Celebratur etiam Sancti Caſſiani feſtiva dies 10. Kal. Auguſti cum ſolemnitate octavarum. III. Nunquam expreſſe in damnatione Semipelagianorum Caſſianum invenimus nominatum.

Reſp. ad 1. In his quæ ſpectant ad Religioſorum inſtitutionem in Collationibus Caſſiani multa reperiri utiliſſima, ideoque merito laudantur a prædictis ſummis ſanctiſque viris, nec non a Gregorio, Fulgentio, Dominico, Thoma Aquinate, ceteriſque præditis diſcretionis judicio, & a palea triticum ſecernentibus. Ad 2. reſpondeo nonnullos de ſanctitate Caſſiani dubitare, eo quod S. Proſper illum accuſare videatur hypocriſis & ſuperbiæ, & in Congregat. de Auxiliis Clemens VIII. auctore P. Lemos lib. 5. de Auxiliis div. Grat. cap. 22. & Gonzales Controv. IV. art. 10. prohibuerit ne Caſſiani reliquiæ venerationi exhiberentur. At ego nolo Caſſiani ſanctitati detrahere, cum Gregorius Magnus lib. VI. Epiſt. 12. laudet Monaſterium in honorem S. Caſſiani conſecratum, ut obſervat Pagius ad an. 433. n. XVIII. & quæ de illius ſanctitate dicta ſunt, arbitror eſſe veriſſima. Reſpondeo itaque nihil derogare ſanctitati notam Semipelagianiſmi, ut præmonui initio hujus diſſertationis: quare ſi Proſper carpit Caſſianum acerbiori ſermone, qualibet verborum aſperitas doctrinam ſpectat, non Auctorem; vel aliquos alios Semipelagianos ſuperbos forte, & hypocritas, factos ſanctitate Monachorum, quibuscum ſentiebant, audaciores, ſectatoreſque pravitatis doctrinæ, non probitatis atque virtutis. Clemens autem VIII. rejecerit reliquias Caſſiani vel quia non conſtabat de illarum, ut inquiunt, *identitate*, vel quia non eſt privati hominis cultum Sanctorum, quos tales non declaravit Eccleſia Romana, ubique promovere; vel quia opportunum non erat ebullientibus controverſiis de Gratia promovere exiſtimationem Caſſiani. Ad tertium reſpondeo perſonam Caſſiani merito non fuiſſe damnatam, quoniam non errabat pervicacia cordis, ſed ignorantia, & exiſtimabat errorem ſuum procul abeſſe ab hæreſi Pelagiana: unde Proſper cap. 3. ſcribit Collatorem nec cum Hæreticis, nec cum Catholicis plenam habere concordiam; & n. 61. de ipſo ceteriſque Semipelagianis ait, *Quoniam tamen, dum adhuc non ſunt a fraterna ſocietate diviſi, toleranda magis eſt intentio, quam deſperanda correctio*. Si Auguſtinus pepercit nomini, & perſonæ Pelagii antequam damnaretur, & reus fieret ſolemnis tergiverſationis ac pertinaciæ; ſi nec Bajus a Pio V. in damnatione propoſitionum ſuarum, ut illius honori conſuleretur, expreſſe nominatus eſt: quanto magis ſervandum id erat cum viris doctrina, & ſanctitate conſpicuis?

Objicies 3. Caſſianus fuit diſcipulus S. Joannis Chryſoſtomi. Si ergo doctrina Chryſoſtomi in materia de Gratia Catholica eſt; erit & Catholica doctrina Caſſiani: = Reſp. Iſaac Habert lib. 2. cap. 17. Caſſianum a Joanne Chryſoſtomo expulſum fuiſſe ab Eccleſia Conſtantinopolitana, ubi Diaconi fungebatur officio. Nititur hæc opinio auctoritati Trithèmii in Catalogo virorum illuſtrium, S. Antonini Florentinorum Archiepiſcopi 2. p. Hiſt. tit. 10. cap. 10. §. 2. Sigeberti in Chronicis ad an. 425. & Vincentii Bellovacenſis lib. 12. Speculi Hiſt. cap. 14. His non aſſentior, 1. quia Cardinalis Noriſius principio lib. 2. Hiſt. Pelagianæ demonſtrat ex lit. Innocentii ad Clerum C. P. Caſſianum, & Germanum veniſſe Romam in cauſſa Chryſoſtomi ab eodem Clero legatos. 2. Quia ex Hiſtoria Sozomeni & Nicephori conſtat Caſſianum non a Chryſoſtomo, ſed cum Chryſoſtomo fuiſſe Conſtantinopoli expulſum. 3. Quia ad finem uſque vitæ Caſſianus præceptoris ſui Chryſoſtomi fuit ſtudioſiſſimus, ut liquet ex dignis, pleniſſimiſque laudibus, quibus Doctrinam ac ſanctimoniam ejus exornat circa finem librorum de Incarnatione adverſus Neſtorium, ubi etiam teſtatur ſe a Chryſoſtomo habuiſſe inſtitutionem & diſciplinam, & referendum totum ad honorem magiſtri, quicquid putatur eſſe diſcipuli. Melius itaque reſpondebis, Caſſianum aliquas ſententias Chryſoſtomi, quæ prima ſpecie videntur Semipelagianæ, non plane fuiſſe aſſecutum.

PROPOSITIO II. Fauſtus Rejenſis Epiſcopus fuit revera Semipelagianorum imbutus errore.

Certiſſima eſt hæc propoſitio, & probatur I. Ex cap. *Sancta Romana*, in quo Fauſti Opuſcula rejiciuntur ut apocrypha. II. Ex epiſtola Hormiſdæ ad Poſſeſſorem, ubi Pontifex pariter declarat ſcripta Fauſti non eſſe recipienda. III. Ex Joanne Maxentio, quem Fauſtum egregio refutaſſe, & pro Gratia Chriſti magno ſtudio ac fervore decertaſſe teſtantur PP. Africani exules in Sardinia, & inter eos Fulgentius libro I. de Veritate Prædeſtinat. Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſt. Baronius ad an. 490. Vaſquez 1. 2. diſp. 599. cap. 3. & Suarez Prolog. 5. de Grat. cap. 5. IV. Ex eodem Fulgentio, quem conſcripſiſſe ſeptem libros adverſus Fauſtum, ejuſque placita circa liberum arbitrium & gratiam, affirmat S. Iſidorus Hiſpalenſis in Catalogo Virorum illuſt. cap. 14. Synellus in vita Fulg. cap. 28. & PP. Africani in Epiſt. Synodica ad Monachos Scythas, quæ legitur inter Opera Fulg. Tom. VI. Biblioth. PP. V. Ex S. Cæſario Arelatenſi, quem adverſus Fauſtum propugnaſſe Auguſtinianam doctrinam conſtat ex Ennodio Ticinenſi apud Baronium ad annum 508. VI. Ex Petro Diacono, qui Tract. de Incarnat. & Gratia demonſtrat Fauſti doctrinam Eccleſiæ plurimum eſſe nocivam. VII. Ex his, quæ ſcripſimus de H. Prædeſtinat. lib. 6. cap. 14. ubi demonſtratum eſt a Semipelagianis Defenſores Gratiæ & Auguſtini diſcipulos tamquam Prædeſtinatos fuiſſe traductos, atque in hoc maxime Fauſtum intendiſſe ingenii ſui niſus & molitiones. VIII. Ex Synodo Arauſicana, quam præſertim contra Fauſtum fuiſſe celebratam conſtat ex Noriſio lib. 2. cap. 23. IX. Ex libris Fauſti de libero arbitrio: in quorum altero, cap. 6. docet in electione ad gratiam *obſervari merita*; Abelem divinis placuiſſe conſpectibus *per inſitum a Deo generaliter bonum*, atque *per propriæ voluntatis affectum*; dari aliquam fidem per legem inſcriptam viſceribus, ob quam *bonum credulitatis non novellum eſt privilegium, ſed vetuſtum*; inter ipſa mundi coaleſcentis exordia datam hominibus virtutem fidei, quoniam inſpiravit Deus *animæ notitiam ſuam*. Capite quoque 2. exemplo Gentilium nititur oſtendere, per legem naturæ indiſcrete vigentem inter ſenſum cujuſque hominis *ineſſe homini intellectum Dei pariter & cultum*; ante munera Redemptoris circa rationabilem creaturam ſemper *auctoris dona viguiſſe*, *a Conditore quidem ſummo præſcripta per naturam, ſed per gratiam confirmanda*; hoc noſtrum eſſe, ut qui pro fragilitate idonei non ſumus, *quærendi & pulſandi importunitate placeamus*, perfectiſſima providentia *hominem conditum ad ſancta imaginis dignitatem laboribus & renditionibus explorare*; viloſcere gratiæ oblationem, *niſi fuerit obedientiæ præmiſſa devotio*; non eſſe in quo jucundetur benignitas largientis, *ſi non prius explorata fuerit inquirentis aviditas*. Hæc & alia permulta Fauſtus: ex quibus patet non admiſiſſe gratiam Salvatoris niſi ad conſummationem perfectionemque virtutis, ad initium vero ſanctæ credulitatis tantummodo bona naturæ, & gratiam legis atque doctrinæ. Fuit ergo Semipelagianus, imo Semipelagianorum anteſignanus & princeps, qualem haberi a plurimis liquet ex Notatione, & Indice expurgatorio Magiſtri S. Palatii præmiſſis Operibus Fauſti Tom. VIII. Max. Biblioth. PP. pag. 523.

Revincitur ex dictis Sirmondus, qui in Hiſt. Prædeſtinatiana Apologiam pro Fauſto concinnavit. In qua primum ait Fauſtum accuſatum a Joanne Maxentio infecto Eutychiana labe: cum Maxentius Orthodoxus fuerit, ut oſtendam in libris de Incarnatione, nec ſolus, ſed alii viri ſanctiſſimi, Romanique Pontifices Fauſti ſcripta tamquam Semipelagianiſmum olentia rejecerint. Addit Afros Patres Fauſtum inſectatos, quoniam illorum menti inſederat error Prædeſtinatianorum. At Commentum de Hæreſi Prædeſtinatiana rejectum eſt: & quamquam extitiſſet reapſe, nequit tribui Africanis Patribus, maxime Fulgentio, qui & Fauſtum impugnavit, & circa libertatem & gratiam egregio volumine haud recta incedentem Monimum docuit, & emendavit. Denique negat Gelaſium damnaſſe libros Fauſti declarando eſſe apocryphos: quod repugnat literis Hormiſdæ, ipſi decreto Gelaſii, nec non teſtimoniis Sanctorum. Quare ſapientiſſime monuit Baronius Fauſtum in pluribus declarari hæreticum, nec purgari poſſe qualibet Apologia.

PROPOSITIO III. Vincentius Lirinenſis fuit & ipſe Semipelagiano dogmate imbutus.

Demonſtrat hanc propoſitionem Cardinalis Noriſius lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. XI. Nat. Alexand. Tom. 5. H. E. pag. 53. Pagius in ſua Critica ad an. 434. num. XV. aliique viri eruditi pluribus argumentis. Quorum primum ſit. Aliquis Vincentius fuit Semipelagianus, ut conſtat ex Opere Proſperi *contra objectiones Vincentianas*. Invenimus autem tres Vincentii nomine appellatos, Vincentium Lirinenſem, Vincentium Victorem, & Vincentium Presbyterum, cujus meminit Gennadius cap. 80. de Viris illuſtribus. In ceteros poſteriorum ætatum de Vincentii nomine dictos nulla cadere poteſt ſuſpicio. At objectionum Vincentianarum auctor non fuit Vincentius coævus Gennadio, & Cannato, quippe qui floruit pluſquam ſexaginta annis poſt excitatos in Galliis Semipelagianorum tumultus, & poſt obitum Proſperi vita functi anno 457. vel ut contendit Philippus Labbe in notis ad Bell. 456. Etenim Vincentius iſte, ut refert Gennadius eodem loco, legebat quaſdam Expoſitiones ſuas ſancto homini Dei Cannato, qui Epiſcopatum non obtinuit niſi exacto, aut vertente anno 480. ac Gennadius ſcribebat circa annum 490. Nec Semipelagianiſmus exortus fuit extremis diebus Proſperi, ſed jam ab anno 429. ut illum eliminaret, ſcripſit Auguſtinus de Præd. SS. & de Dono Perſev. Vincentius ergo Presbyter non eſt Auctor prædictarum objectionum, quomodo male diſſerunt Scriptor Præfat. ad Commonitorium Lirinenſis, & Gonzales Controv. IV. pag. 233. Multo minus objectiones tribuendæ ſunt Vincentio Victori, jam confutato libris Auguſtini

an-

anno 419. cui & Proſper, ſi rediiſſet ille ad ingenium, exprobraſſet veterem contumaciam, ac ſuperbiam. Accedit poſt mortem Auguſtini nullos in Africa extitiſſe Semipelagianos, exortos a contra complures in Galliis; ad quos coercendos Proſper vigilanter nervoſeque ſtetit in acie *Apoſtolica auctoritate* munitus. Si ergo Semipelagianus objectorum auctor non fuit Vincentius Presbyter, nec Vincentius Afer; quiſnam ille fuit, niſi Vincentius Monachus Lirinenſis?

Alterum argumentum eſt. Proprium erat Semipelagianorum Pelagium, Cæleſtium, Julianum execrari; Auguſtinum autem hoſtem Pelagianorum infenſiſſimum, quoniam & ſibi adverſabatur, inſectari, ejuſque doctrinam vel in quæſtionem trahere, vel clam quaſi cuniculis aggredi & oppugnare. Exempla ſunt nobis libri Fauſti, Caſſiani, & Gennadii; teſtimonia autem literæ Cæleſtini, atque Opera Proſperi. Atque Vincentius Lirinenſis, uti redarguit Pelagianos cap. 3. 13. 34. & ultimo Commonitorii, ita Auguſtinum non curat omnino, neque vel ſemel commemorat, etiamſi in refellendis Pelagianis illum celebrandi frequens oblata fuerit occaſio. Agit ergo Lirinenſis ceterorum Semipelagianorum more & modo, eodemque colore tinctus eſt. Legite Pagium ad annum 434. num. xta.

Tertium argumentum deſumitur ex libro Commonitorii, quem tamen doctrinæ plenum, & alias perutilem judicamus. In eo libro Vincentius non uno indicio Semipelagianum ſe prodit. Primum Semipelagianorum erat decretum commune eſſe univerſis hominibus gratiam, dari illam quærentibus & pulſantibus, nec admittendam eſſe gratiam ſpecialem, quam electis ſacræ literæ pollicentur. Hoc docet Vincentius Commonitorii cap. 37. *Audent* (inquit) *docere quod in Eccleſia ſua, ideſt in Communionis ſuæ conventiculo magna ac ſpecialis, ac plane perſonalis quædam ſit Dei gratia, adeo ut ſine ullo labore, ſine ullo ſtudio, ſine ulla induſtria, etiamſi nec petant, nec quærant, nec pulſent quicumque illi ad numerum ſuum pertinent, tamen ita divinitus diſpenſentur, ut angelicis evecti manibus, numquam poſſint offendere ad lapidem pedem ſuum.* Alterum Semipelagianorum aſſertum erat, quemadmodum manifeſtum eſt ex Epiſt. Proſperi, Auguſtinum in expendendis divinæ Prædeſtinationis myſterio & dono perſeverantiæ exceſſiſſe modum, ac melius eſſe in illius myſterii altitudine ſervare ſilentium: Atqui hoc pariter docet Vincentius his verbis: *Sancti cujuſdam viri memoriam tamquam ſopitos jam cineres profana nimium ventilant, & quæ ſilentio ſepeliri oportebat rediviva opinione diffamant.* Addit hujus ſancti viri erratum *nec approbandum eſſe, nec prodendum.* Hæc vero de quonam jam defuncto Patre dicta ſunt, niſi forte de Auguſtino, quem Patrem Semipelagiani arbitrantur nec prodendum eſſe ob Auguſtiniani nominis celebritatem, nec approbandum ob novitatem doctrinæ? Cujus enim innovabatur memoria, atque, ut Vincentius ſcribit, cineres tunc temporis ventilabantur, niſi Auguſtini, quem Hilarius & Proſper acerrime propugnabant? *Fallor*, inquit Alexander, *niſi ſit hæc vera mens, veruſque ſenſus Vincentii Lirinenſis.* Præterea Semipelagiani doctrinam Auguſtini excipiebant in iis tantum libris, in quibus eum antiquis Patribus putabant concordare, & rejiciebant quæ ſcripſerat de neceſſitate Gratiæ *ad initium ſanctæ credulitatis.* Eapropter affirmabant Cæleſtinum Papam poſtrema Auguſtini ſcripta nulla ratione probaſſe. Vincentius pariter Semipelagianis ceteris morem gerens: *Hic aliquis fortaſſe addubitet* (inquit) *quinam ſint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate ſermonem, vetuſtatis prædicatores, an novitatis inventores? Ipſe* (Cæleſtinus) *dicat, & dubitationem legentium ipſe diſſolvat.* Quibus contendit Vincentius, non eſſe corripiendos Maſſilienſes approbatores antiquæ doctrinæ, ſed Hilarium potius ac Proſperum novæ & recentioris propugnatores. Sed de hoc argumento videndus Noriſius lib. 2. H. P. cap. xi. §. *Verum quanta arte.*

Poſtremum argumentum ſit iſtud. Cæleſtinus adverſus Semipelagianos detrahentes Auguſtinianæ doctrinæ ſcripſerat ad Epiſcopos Galliæ, *Deſinat, ſi ita res eſt, inceſſere novitas vetuſtatem.* Hæc verba Vincentius cap. 43. Commonitorii ita contra Hilarium & Proſperum detorquet. *Deſinat*, inquit, *ſi ita res eſt, ideſt, ſi ita eſt, ut apud me quidem Urbes, & Provincias noſtras criminantur, quod eas quibuſdam novitatibus conſentire noxia diſſimulatione faciatis; deſinat itaque*, inquit, *ſi ita res eſt, inceſſere novitas vetuſtatem. Ergo hæc fuit beati Cæleſtini beata ſententia, non ut vetuſtas ceſſaret obruere novitatem; ſed potius novitas deſineret laceſſere vetuſtatem.* Juvat hic nonnulla animadvertere cum Noriſio in ſcrupulis Anonymi avulſis, Natali Alexandro citato loco, Claudio Fraſſen tom. 1. Scoti. Acad. Tract. 2. aliiſque viris doctiſſimis. Primum eſt, hæc Vincentii verba ferire Proſperum & Hilarium: hi enim ſoli ex Galliis ad Cæleſtinum profecti erant illius contra Semipelagianos auctoritatem imploraturi, neque eo tempore alia diſſidia ſuborta ſunt, aut ſaltem non alia ſtuduit Cæleſtinus compeſcere prædicta ad Antiſtites Galliarum Epiſtola. Deinde Vincentius carpit Hilarium & Proſperum tamquam criminatores, illos flocci faciundo his verbis, *ut quidam criminantur*; cum Cæleſtinus utriuſque ſolicitudinem iiſdem literis commendaverit. Præterea cum Hilarius ac Proſper accuſaſſent apud Cæleſtinum *neſcio quos Presbyteros*, ut ibidem Summus Pontifex conteſtatur; Vincentius, quaſi eſſet Semipelagianiſmus communis Gallorum fides, ait vocaſſe in crimen *Urbes, & Provincias.* Inſuper trina repetitione illius parentheſis *ſi ita eſt*, ſuadere videtur aut illatam accuſationem eſſe falſam, aut Cæleſtinum non habuiſſe delatoribus fidem. Denique ea concluſione, *Ergo hæc fuit Beati Cæleſtini beata ſententia, &c.* ſatis oſtendit Vincentius novitatem Auguſtinianæ doctrinæ non debere inceſſere perantiquam a Maſſilienſibus propugnatam; ſiquidem Semipelagiani Auguſtini diſcipulis objectabant iſtorum de Prædeſtinatione ſententiam novam eſſe, & cum antiquorum Patrum doctrina pugnantem; quod manifeſtum eſt ex Epiſt. Beati Proſperi ſcribentis, *Contrarium putant Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui quicquid de vocatione electorum ſecundum Dei propoſitum diſputaſti.*

Plura objiciunt contra Noriſium Franciſcus Macedo, & Bruno Neuſſer: ſed omnia poſſunt ad quatuor capita revocari. Erit ergo primum pro Vincentio argumentum; Sententia quæ aſſerit Vincentium Lirinenſem fuiſſe Semipelagianum, nullum Auctorem habet, niſi Voſſium, Noriſium, & Lupum: = Reſp. non eſſe poſtremos duos, & in iis, quæ ad eruditionem ſpectant, etiam Voſſium, proletarios & populares, uti exiſtimat perſonatus Neuſſerius; Macedo enim fatetur plures cum Noriſio conſentire circa Vincentii Semipelagianiſmum, quod tamen negat de Hilario Arelatenſi, de quo proxima Propoſitione. At Noriſius ad ſcrupulos Anonymi differt. 3. §. 2. demonſtrat ſuam de Vincentio ſententiam probari Garnerio differt. 1. cap. 6. Claudio Fraſſen Scoti Acad. Tract. 2. diſp. 3. Altemio differt. 9. de Scriptis SS. Leonis & Proſperi, PP. Mauro-Benedictinis in App. Tom. x. Op. S. Aug., Thomaſſino differt. 13. in Synodos; Baſilio Poncio in priori parte Relect. de Grat. cap. 4. Atque ſi hi perpauci videntur, addimus Natalem Alexandrum & Pagium ſupra cit. Graveſon Tom. 2. H. E. pag. 161. ipſum quoque Francolinum in ſuo Th. Tyrocinio pag. 130. Eſt ne aſſertio noſtra ſingularis, an inter Scriptores communior?

Secundum pro Vincentio argumentum eſt, illum non eſſe auctorem objectionum Vincentianarum: 1. Quia Vincentius Lirinenſis fuit Pelagianorum infenſiſſimus hoſtis. 2. Quia Commonitorii cap. 43. laudat ſummopere Epiſtolam Cæleſtini contra Semipelagianos. 3. Quia objectiones illæ adeo abſurdæ ſunt, & inſulſæ, ut moveant, inquit Macedo, vomitum & cachinnum; cum Lirinenſis doctiſſimus fuerit, ac diſertiſſimus. 4. Quia auctor illarum objectionum fuit Vincentius Presbyter, ut ſcribit Baronius, & Vaſquez 1. p. diſp. 91. cap. 8. n. 43. Reſpondetur Vincentii Semipelagianiſmum erumpere non ſolum ex objectionibus Vincentianis, verum etiam ex ejus Commonitorio. Illas autem objectiones non eſſe Lirinenſis nullum ex his momentis evincit. Non primum, quia Semipelagiani omnes execrabantur Pelagianos, ut conſtat e libro Proſperi contra Collatorem, & ex ipſo Fauſto in libro 1. de lib. arbitrio: credebant enim Semipelagiani, *peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum, nec ab iſto malo niſi per juſtitiam ſecundi hominis aliquem liberari*, inquit Auguſtinus cap. 1. de Præd. SS. Non ſecundum, quia Epiſtolam Cæleſtini, ut ſupra dictum eſt, Vincentius contra Hilarium & Proſperum miro artificio detorquet. Non tertium, quia in objectionibus, & in Commonitorio idem apparet ingenium. Non ultimum, quoniam Vincentius Presbyter floruit ætate Gennadii, & Proſpero jam defuncto.

Tertium argumentum petitur ex egregio Opere Commonitorii. Illud enim mirifice commendatur, ut demonſtrat Macedo cap. 3. prioris Commentationis. Deinde falſum eſt in hoc Opere Vincentium loqui contra diſcipulos Auguſtini, quos optime noverat a Cæleſtino ſingulari elogio condecoratos. Præterea verba illa Commonitorii *in conventiculo Eccleſiæ ſuæ* aperte ſignificant aliquam Congregationem hæreticorum, non ſectatores Auguſtinianæ doctrinæ. Rurſus verba cap. 37. *Audent polliceri, & docere, &c.* explicari debent catholice, non in ſenſu Semipelagiano: quandoquidem in ſententia quoque Auguſtiniana orandum & pulſandum eſt, ut ſpecialem illam gratiam obtineamus. Reſp. Commonitorium Vincentii utiliſſimum eſſe in iis, quæ pertinent ad doctrinam de Patrum traditionibus, & uſu earundem: uti Collationes Caſſiani perutiles ſunt in iis, quæ ſpectant Monachorum inſtitutionem, unde utrumque Opus ſuas laudes promeretur, hoc excepto quod Semipelagianiſmum inſtaurat. Exiſtimabant Semipelagiani Auguſtinianam doctrinam approbatam a Cæleſtino in ſuperioribus libris, non vero in poſtremis, ubi Auguſtinus diſputat de electione ſecundum propoſitum, & de neceſſitate gratiæ ad initium fidei: atque ita opinatus eſt Lirinenſis. Habebantur ab iiſdem Semipelagianis aſſertores doctrinæ Auguſtinianæ, ut ſæpenumero dictum eſt, Prædeſtinatiani atque inimici libertatis. Non ergo mirum ſi Vincentius illorum palæſtram dixerit *conventiculum.* Laudata verba ex cap. 37. Commonitorii nequeunt habere Auguſtinianum ſenſum; in quo ſpecialis gratia confertur aliquando etiam non quærentibus, nec pulſantibus: imo ut quæramus & pulſemus, eſt neceſſaria.

Ultimum argumentum petitur ex ſanctitate Vincentii. Nam Vincentius ſcripſit poſt Cæleſtini Epiſtolam, in qua

Semi-

Digitized by Google

Semipelagianiſmus aperte damnatus eſt. Id autem Vincentius vel ignorabat, vel non. Si non ignorabat, erat in eo hæreſis pertinacia. Si ignorabat, jam erat hæc ignorantia vincibilis, ideoque a peccato non poterat eum excuſare. Addit Macedo: Noriſius negat Fauſtum, alioſque Semipelagianos potuiſſe excuſari per ignorantiam invincibilem: quomodo ergo excuſabitur Lirinenſis? Inſuper Semipelagiani appellantur a Noriſio *calumniatores*, *lupi*, & *hypocritæ*: non ergo adorandi ſunt; neque enim ſumus in Ægypto, ubi colebantur Lupi cum Anubi, & Api. Tandem Semipelagianiſmus jam damnatus erat cum hæreſi Pelagiana; ut colligitur ex Auguſtino cap. 2. de Prædeſt. SS. Omnes itaque Semipelagiani erant hæretici: qualem fuiſſe Vincentium Lirinenſem nemo affirmabit. Hæc & alia plura hujus generis Macedo in Comment. 2. pro S. Hilario Arelatenſi, quæ etiam valida ſunt pro Vincentio. = Reſp. & nos Lirinenſium Monachorum defendere ſanctitatem, ut diximus in Prænotatione hujus Capitis. Ad primum tamen reſpondemus Vincentium, Hilarium, & Semipelagianos reliquos non ignoraſſe Epiſtolam Cæleſtini; ſed exiſtimaſſe non omnia, quæ ſcripſerat Auguſtinus, præſertim in poſtremis Operibus, fuiſſe a Pontifice comprobata, maxime quod Capitula annexa Epiſtolæ, in quibus Semipelagianiſmus aperte damnatur, non ſunt Cæleſtini. Ignorantiam in Semipelagianis dicimus fuiſſe vincibilem, quoniam poterant viri illi docti illam exuere diligentiori ſtudio atque labore: negamus tamen non poſſe excuſari ab hæreſi; quoniam nec ignorantia vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum, quæ quis ſcire non tenetur, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 76. art. 2. Videatur Noriſius diſſert. 3. ad Scrupulos Anonymi §. 3. Reſponſione VI. & VII. Ad 2. Reſp. recte Noriſium ſcribere Fauſtum non excuſari per ignorantiam invincibilem, quoniam non fuit in Semipelagianis hæc ignorantia, ut male ſcripſit Ariaga in 1. P. diſp. 36. n. XI. quippe ignorantia invincibilis ea eſt, quam nulla ratione poſſumus ſuperare: excuſantur autem complures Semipelagiani ignorantia vincibili eorum, quæ ſcire non tenebantur. Ad tertium dico fuiſſe inter Semipelagianos, qui doctrinam Auguſtini reprehendebant *non intelligendo*, & alios, qui eam rodebant *intelligere nolendo*, ut inquit Proſper in Præf. ad objecta Gallorum: illi, inter quos connumeramus Vincentium & Hilarium, appellantur a Proſpero *Fratres*, *dilectores*, & *ſancti*, & ſimiliter dicuntur a Noriſio lib. 2. cap. 5. alii autem calumniatores & hypocritæ erant, ſaltem verbo tenus, atque in hoc Noriſius loquitur cum eodem Proſpero, cap. 2. ejuſdem libri. Legendus Scriptor Eminentiſſimus §. 2. cit. diſſert. ad Scrupulos Anonymi Reſp. 2. ubi conſimilem objectionem exemplo Hieronymi, & Cyrilli, & eruditione plurima egregie refellit. Ad ultimum reſpondeo Semipelagianorum plures ignoraſſe ſententiam ſuam fuiſſe in Pelagio damnatam, ignorantia tamen ſuperius explicata. Enimvero S. P. Auguſtinus initio libri de Præd. SS. fatetur eos *plurimum a Pelagianorum errore diſcerni*; Proſper, ut dictum eſt Prop. 1. non denegat Caſſianum eſſe Catholicum, quamquam implicite Semipelagianum dogma cohæret cum aſſertione Pelagii, *Gratia Dei datur ſecundum merita noſtra*. Semipelagianiſmus expreſſe damnatus eſt ſub Felice IV. a Synodo Arauſicana, atque, ut Noriſius ſcribit lib. 2. cap. 23. ad hæc uſque tempora *citra læſæ fidei crimen* propugnabatur. Quare nulla injuria irrogatur ſanctis viris, qui ante celebrationem illius Synodi dicuntur Semipelagianorum aſſeruiſſe ſententias: quemadmodum eo loco demonſtrat doctiſſimus Cardinalis auctoritate & exemplo.

PROPOSITIO IV. Judicium Noriſii de S. Hilario Arelatenſi connumerando inter Semipelagianos grave eſt, libratum, & verum.

Duo Noriſius de S. Hilario Arelatenſi affirmavit; unum, Semipelagianorum opinionibus adhæſiſſe, lib. 2. H. P. cap. 2. alterum neſcire ſe, an tandem aliquando errorem Hilarius abdicaverit, lib. 2. cap. 13. Quantum ad primum attinet, depugnarunt contra Noriſium præ ceteris Bruno Neuſſer, & Macedo, ſed viri eruditi Noriſio ſubſcripſerunt fere omnes, ut affirmant Ballerinii lib. 2. obſervat. cap. 1. Quantum vero ad ſecundum Ballerinii ipſi eodem lib. cap. 8. poſt Tillemontium in vita S. Hilarii, & Pagium ad annum 445. putant certiſſimum eſſe, quod Hilarius errorem ſuum depoſuerit. Itaque dico certum eſſe Hilarii Semipelagianiſmum, incertam abdicationem, & judicium Noriſianum bene ponderatum atque graviſſimum. Ac primum demonſtratur ex Epiſtola S. Proſperi hæc ad Auguſtinum ſcribentis: *Nam unum eorum præcipue auctoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum virum, S. Hilarium Arelatenſem Epiſcopum ſciat Beatitudo tua admiratorem, ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ, & de hoc quod in querelam trahit, jampridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per literas velle conferre. Sed quia utrum hoc facturus, aut quo fine ſit facturus, incertum eſt*, &c. Hoc teſtimonium adeo clarum eſt (inquit Nat. Alex. Tom. 5. H. E. pag. 52. cui ſubſcribunt Pagius ad annum 445. nu. 18. Graveſon Tom. 2. H. pag. 164. Tournely lib. 1. de Grat. pag. 92.) adeo clarum eſt, ut nemo diffiteri poſſit, Hilarium Semipelagianorum errorum tinctum fuiſſe fuligine. Et revera in Epiſtola Proſperi legendus non eſt pro Hilario *Honoratus*, ut quidam putabant, cum MSS. omnia, inquiunt PP. S. Mauri in notis ad Epiſt. Proſperi Tom. X. Op. S. Aug. Hilarium ferant. Neque Proſper intelligendus eſt de Hilario altero, qui una ſimul ſcripſit ad Auguſtinum; quoniam Hilarius iſte laicum ſe nominat, viciſſim Auguſtinus cap. 1. de Prædeſt. SS. illum appellat Filium: ac præterea teſtatur ſe nihil de veritate ac doctrina S. Patris dubitare, ejuſque præſentiæ deliciis aliquando fuiſſe potitum. Quæ nequeunt in Arelatenſem Epiſcopum convenire, inquiunt in notis ad Epiſt. Hilarii doctiſſimi Mauro-Benedictini. Inſulſæ autem, atque ineptæ ſunt exclamationes Brunonis Neuſſer in ſua pro S. Hilario Apologia ſcribentis, *Si eſt Hilarius admirator, & Sectator Auguſtini, quomodo Semipelagianus?* Digna ſane riſu argumentatio! quaſi Proſper dicat Hilarium ſectari in omnibus Auguſtinianam ſententiam, nec in quæſtionem trahere quæ S. Pater in libris poſterioribus diſputavit: quaſi de ceteris quoque Semipelagianis non conteſtetur Auguſtini ſanctitatem doctrinamque, hoc excepto quod ſpectat initium fidei, & electionem ſecundum propoſitum, *in factis ac dictis omnibus admirari*: quaſi demum Auguſtinus ipſe de Dono Perſ. cap. 21. ſuam non profiteatur Semipelagianis gratitudinem, quod in ceteris ſuamet placita amplecterentur. Cum itaque S. Proſper ſcribat Hilarium Epiſcopum Arelatenſem acceſſiſſe Semipelagianis, neque ſubſtituendus ſit Honoratus, neque Hilarius alter Auguſtini diſcipulus, & collega Proſperi, non Epiſcopus, ſed Laicus; de Semipelagianiſmo Arelatenſis addubitare non poſſumus.

Objiciunt Adverſarii 1. Noriſium nec unum pro ſua ſententia poſſe citare Auctorem. Sed nos jam aliquos, nec infimi ordinis, memoravimus. His addimus cum præclariſſimo Auctore diſſert. 3. §. 3. ad Scrup. Anonymi, Theophilum Raynaudum de bonis, ac malis libris n. 581. & Thomaſſinum ſuperiori §. laudatum. Accedit Lucas Holſtenius, & Sirmondus, de quibus ibidem Noriſius in reſponſione ad Appendicem ejuſdem Operis; qui addit in Adventoria Uſſerium, P. Gabrielem de Henao, Chriſtianum Lupum, Gilbertum Maguinum, Sammarthanos fratres, & alios. Sed poſt apertiſſimum teſtimonium S. Proſperi, neceſſe non eſt ceteros numerare.

Secundo objiciunt, Hilarium Arelatenſem eſſe revera Auctorem Epiſtolæ ad Auguſtinum ſcriptæ adverſus Maſſilienſes. 1. Quia S. Proſper affirmat Hilarium Arelatenſem velle cum Auguſtino ſenſum ſuum conferre per literas. 2. Quia Hilarius Arelatenſis jam Auguſtino notus erat, illum audierat in Africa, & ad eum ſcripſerat Syracuſis Epiſtolam, quæ nunc eſt inter Auguſtinianas 156. alias 83. Hæc autem omnia conveniunt Auctori Epiſtolæ contra Semipelagianos. 3. Quia Auguſtinus reſpondens Proſpero nullam fecit Hilarii mentionem, ideoque noverat optime ingenuam ipſius fidem. = Reſpond. hæc nullius eſſe momenti: liquet enim Auctorem prædictæ Epiſtol. fuiſſe Laicum, & etiam epiſſe cum Proſpero, ut ſuis literis Auguſtino dogmata Maſſilienſium intimaret, quemadmodum nec in quæſtionem vocaſſe ullum Sancti Doctoris aſſertum: quæ omnia ſuis in literis profitetur. Quomodo ergo Proſper hunc appellat Epiſcopum? Quomodo ſcribit trahere in querelam Auguſtini nonnullas diſputationes? Quomodo ignorare poterat num, vel quo animo eſſet ad Auguſtinum ſcripturus? Falluntur ergo impugnatores Noriſii errore maximo, & falſitatem ſuperaddunt falſitati. Enimvero Arelatenſis admodum juvenis, ut ſcribit Eucherius, ſe recepit in Monaſterium, nec invenitur fuiſſe unquam in Africa. Epiſtola etiam ſcripta ad Auguſtinum Syracuſis non eſt Hilarii Arelatenſis, imo fortaſſis nullius Hilarii, ſed Hilari, ut ex vetuſtis Mſs. obſervarunt Benedictini. Alterius tamen Hilarii eſſe minime denegamus. Arelatenſis non meminit Auguſtinus, vel quia ſanctum virum ſui amatorem noluit aperte redarguere, vel quia ejus epiſtolas expectabat, quem ſcripturum, etſi dubitanter, præmonuit Beatus Proſper.

Opponunt 3. S. Hilarium an. 429. nondum fuiſſe Epiſcopum Arelatenſem; nam ex Parænetica Eucherii ad Valerianum colligitur Hilarium induiſſe Monachum Lirinenſem, quando S. Petronius electus eſt Antiſtes Bononienſium, ideſt, an. 430. *Hilarius*, inquit Eucherius, *nuper, & in Italia nunc Antiſtes Petronius, ambo ex illa pleniſſima, ut ajunt, mundanæ poteſtatis ſede unus in Religionis, alter in Sacerdotii nomen aſcendit*. = Reſpondeo falſum eſſe, quod Hilarius electus non ſit Epiſcopus Arelatenſis an. 429. Manifeſtum quippe eſt Honoratum prædeceſſorem Hilarii ſubrogatum fuiſſe Patroclo an. 426., ſediſſe autem duobus annis, & in pace quieviſſe die 14. vel 15. aut 16. Januarii an. 429. ut conſtat ex Oratione funebri habita in laudem Honorati ab eodem Hilario. Statim vero, ac Hilarius interfuit morti ac parentalibus Honorati, infulas hujus obtinuit, ut conſtat ex vita Hilarii conſcripta ab Honorato Maſſilienſi. Itaque verborum Eucherii ſenſus eſt, *Hilarius nuper Antiſtes Arelatenſis, & Petronius nunc Epiſcopus in Italia*, &c. ita ut τὸ *nuper* non ad Monachatum Hilarii, ſed ad dignitatem Epiſcopatus ſit referendum. Quod animadverterat Noriſius lib. 2. cap. 2. unde forte Macedo argumentum ſuffuratus eſt, diſſimulata reſponſione. Ceterum Hilarius fuit in Monaſterio Lirinenſi longe ante annum 430. & Eucherius ipſe in libro de Laudibus Eremi edito anno 428. meminit ipſius Hilarii jam Monachi Lirinenſis, ut obſervat Pagius ad hunc an. num. 25.

Quarto loco objiciunt verba Auguſtini ſcribentis de Dono Perſev. cap. 21. *Nunc facio libros, in quibus Opuſcula mea retractanda ſuſcepi*. At libros Retractat. juxta Noriſium explevit S. Pater anno 427. ut docet cap. ultimo lib. 1. H. P. Ergo ante annum 428. quando certe Hilarius non erat Epiſcopus Arelatenſis, Hilarius & Proſper contra Semipelagianos ſcripſerant ad Auguſtinum = Reſp. S. Patri contigiſſe non ſolum libros retractare, ſed & Opuſcula, & Epiſtolas, & Tractatus omnes judiciaria ſeveritate recenſere, ut ipſe ſcribit in Prologo Retractationum. Expleverat ergo anno 427. duos Retractationum libros, ſed retractanda ſuſceperat opuſcula alia, quod non potuit perficere a Juliano, & a Semipelagianis provocatus ad nova certamina. Quare nihil mirum ſi de Dono Perſev. ait, *Nunc facio libros, in quibus Opuſcula mea retractanda ſuſcepi*: ubi etiam conſulto ſcripſit *opuſcula*, deſignando Conciones, & Epiſtolas nondum redactas ad judicium cenſoriæ ſeveritatis. Reliqua Adverſariorum argumenta aut ſoluta ſunt Propoſitionibus præcedentibus, aut talia ſunt, quæ aliam non merentur reſponſionem.

Demonſtrandum jam eſt, non eſſe certum quod Hilarius abdicaverit dogmata Semipelagiana. Pagius, Tillemontius, & Ballerinii fratres id probant ex antiquiſſimo Auctore vitæ S. Hilarii inter Opera S. Leonis pag. 913. ubi inducit Hilarium ſic loquentem: *Cum ipſius mundi principibus, cum quibus Apoſtolus deſcribit bellum jugæ eſſe, conflximus, quod nulli deerit, quicunque ad beatitudinem cæleſti gratia præcedente, & induſtria ſubſequente voluerit pervenire*. Quæ verba (inquit Pagius) longe clariore ſunt, quam quæ afferuntur, ut probetur novam adverſus Sanctum Auguſtinum doctrinam ioitio fuiſſe ſecutum. At non ita eſt. Primo his verbis aſſeritur tantum neceſſitas prævenientis gratiæ ad operis perfectionem, & conſecutionem beatitudinis: imo Semipelagiani omnes, aut plerique ſaltem, ut ſcribit alter Hilarius, fatebantur *ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere*: non ergo ſufficit ad Semipelagianiſmum vitandum confiteri gratiam præcedentem, qua perveniat ad beatitudinem quicumque voluerit. Deinde, ut gratis detur, aſſeri prædictis verbis neceſſitatem prævenientis gratiæ etiam ad bonam voluntatem; neque hanc Semipelagiani negabant; ut conſtat ex verbis Proſperi in Epiſt. ad Auguſtinum, *Voluntates ſecundum ſuam phantaſiam a gratia non negant eſſe præventas*: & ex ipſo Auguſtino ſcribente de Prædeſt. SS. cap. 1. *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates bonorum Dei gratia fateantur*. Idem vero quo ſenſu confiterentur Semipelagiani, dicam proximo capite V. Satis eſt nunc, prædicta Hilarii verba non eſſe adeo clara, ut eruditi viri judicarunt. Addo ſimilia ſcripſiſſe aliquando Caſſianum; non poſſe tamen a Semipelagianiſmo excuſari, propterea quod licet fateretur non ſolum actuum, verum etiam cogitationum a Deo eſſe principium, agnoſcebat tamen ſine gratia ante perfectam voluntatem laudabiles quoſdam motus, & appetitus virtutum; ut oſtendi Prop. I. Et denique nullus Semipelagianorum ad initium quoque hujuſmodi appetituum negavit gratiam aut naturalis conditionis, aut legis & doctrinæ, etiam interioris; ſed denegavit ſolam gratiam voluntatis, & operis, quam prædicta verba Hilarii Arelatenſis expreſſe non probant.

Attamen ob Hilarii ſanctitatem firmiſſime teneo, quod ſi errorem ſuum novit, illum abſque ulla hæſitatione depoſuit. Quod ad credendum adducor primo ex Sancti viri emendatione, ubi cognovit quæ male geſſeret in cauſſa Celidonii, acriter reprehenſus a S. Leone Papa in Epiſtola ad Epiſcopos per Viennenſem Provinciam conſtitutos. 2. Ex ipſa Epiſtola Proſperi exhibente nobis Hilarium, ut virum ſpiritualium ſtudiorum, & cupidum conferendi cum Auguſtino per literas ſenſum ſuum; quod argumentum movit Gilbertum Magninum, ut certo crederet Hilarium abdicaſſe Semipelagianos errores in Confut. Hiſt. Prædeſt. p. 2. cap. 2. Verum hæc probabilem fidem faciunt, non certam. Denique nullam pervicacis erroris ſuſpicionem patitur S. Hilarii inculpata vita, & doctrina: ob quam in Epitaphio Templi Arelatenſis merito dictus eſt

Gemma Sacerdotum, plebiſque, orbiſque Magiſter.

PROPOSITIO V. Gennadius ad Semipelagianos declinavit.

Ita communiter Hiſtorici contre Franciſcum Suarez. Et probatur quoniam Gennadius in lib. de viris illuſtribus Rufinum, quem Anaſtaſius Papa in Epiſt. ad Joan. Jeroſolym. declarat a ſuis partibus alienum, cap. 17. *Doctorum Eccleſiæ partem non minimam*, ejuſque invectivas ad utilitatem Eccleſiæ, auxiliante Domino, ſcriptas autumat, non veritus appellare Hieronymum obtrectatorem incitatum ſtimulo æmulationis, & vertentem ſtylum ſuum ad obloquium. De Proſpero pariter cap. 84. ſcribit: *Legi & librum adverſus Opuſcula ſub perſona Caſſiani, quæ Eccleſia Dei ſalutaria probat, ille infamat nociva*. Contra Sancti Caſſiani Opere magnifice laudat tum hoc loco, tum cap. 63. agens de Eucherio. Libros Fauſti Semipelagianorum anteſignani cap. 84. appellat *Opus egregium*. Denique etiam de Auguſtino ſcribit cap. 38. *Error illius ſermone multo, ut dixi, contractus, lucta hoſtium exaggeratus necdum hæreſis quæſtionem dedit*. Quæ tamen a Gennadio dicta ſunt in Auguſtinum injurioſa, non reperiuntur in pervetuſto Codice Corbejenſi, ut adnotavit doctiſſimus Mabillonius Tom. 2. Analect. cap. 44. Legatur Cardinalis Noriſius lib. 2. cap. 16. & Appendicis cap. 4. Joannes Gonzales Controv. IV. art. 14. Voſſius H. P. lib. 1. cap. XI. Cenſuræ Lovanienſium, & admonit. PP. BB. præfixa Operi de Eccleſiaſticis Dogmatibus, Baronius, Spondanus, Pagius, & Bellarminus de Script. Eccleſ. ad annum 490. &c.

Objicies 1. Gennadius lib. de Viris illuſtribus laudat Severum Sulpitium, quod ab errore Semipelagianorum reſipuerit = Reſp. hæc habere Gennadium: *In ſenectute ſua a Pelagianis deceptus, & agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium uſque ad mortem tenuit*. A Semipelagianis damnabantur plura errorum portenta, quæ aſſerebant Pelagiani, & magnum erat inter utroſque diſcrimen; ut conſtat ex dictis.

Ob. 2. In lib. de Eccl. dogmat. cap. 56. ait Gennadius: *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire, nullum niſi Deo auxiliante operari*: & cap. 21. *Initium ſalutis noſtræ Deo miſerante, & inſpirante habere nos credimus*. = Reſp. 1. cum Noriſio lib. 2. cap. 16. & Pagio ad annum 490. num. 21. librum de Eccleſiaſticis dogmatibus utique catholicam continere doctrinam, ſed ſcriptum a Gennadio multo tempore poſt librum de Viris illuſtribus, & jam recenſitis a Gelaſio inter apocrypha Opuſculis Caſſiani & Fauſti, quæ Gennadius tam impenſe laudaverat = Reſp. 2. in illo Opere fuiſſe a Catholico Scriptore interpoſita nonnulla verba ob latentem hæreſim Pelagianam, ut obſervarunt ex pluribus collatis mſs. PP. Mauro-Benedictini. = Reſp. 3. poſſe prædicta Gennadii verba accipi de aliquo gratiarum genere nec denegato a Pelagianis: quibuſcum Auctorem hujus operis convenire probant Doctores Lovanienſes ex quo nuſquam meminerit peccati originalis, aut baptiſmatis infantium in remiſſionem peccatorum; cumque multos nominet hæreticos, nuſquam meminerit Palagii, aut prolati contra eum catholici dogmatis: idem confirmat Eccleſia Lugdunenſis, cujus extat judicium de hoc libro Tom. IX. Biblioth. PP. Demonſtrant alii conſperſa Semipelagianiſmi ſemina in capite primo ac viceſimo, ubi docet vigere in homine lapſo electionem ad quærendam ſalutem, cum aliis Semipelagianiſmi characteribus. Denique & reſpondetur addubitare plures, an Opus illud ſit genuinum, editumque a Gennadio. Scimus Voſſium cit. loco affirmare, quod in quibuſdam Belgii Bibliothecis inſcribitur aut Fulgentio, aut Iſidoro, aut Gregorio Papæ. Antiqui Scholaſtici cum Magiſtro lib. 2. diſt. 35. & lib. 4. diſt. 12. tribuerunt illud Auguſtino. Benedictini in Append. Tomo VIII. Auguſtinianæ Pariſ. edit. notant a Trithemio lib. de Script. Eccl., & a Joanne Baleo Cent. 2. Scriptorum Britanniæ adſcribi Alcuino: unde ſcite admodum, & caute eidem Operi hunc fecere titulum, *Liber Gennadio tributus*.

Objiciunt 3. Gennadius cap. ult. de Viris ill. ait de ſeipſo: *Et opus de Fide mea miſi ad Beatum Gelaſium*. Quem textum ita legendum eſſe, non autem, *hoc opus*, &c., adnotarunt Voſſius, Noriſius, & Pagius. Loquitur ergo Gennadius de alio Opere, ideſt, de Eccleſ. Dogmatibus: non eſt autem probabile Gennadium auſum mittere librum infectum Semipelagianiſmo ad Pontificem, qui jam Semipelagianos reprobaverat. Ad hanc objectionem tenet prima, & poſtrema reſponſio præcedens. Atque etiam reſp. optime emendatum ab eruditis viris textum Gennadii, cum certum ſit librum de Viris ill. non eſſe opus de fide. Sed neque certum eſt Opus de fide Gennadii eſſe librum de Eccl. Dogmatibus: & multo minus eſt certum probatam fuiſſe a Gelaſio fidem ipſius Gennadii. Is fertur ſcripſiſſe contra Pelagium libros, qui deperierunt. Hos miſit fortaſſe ad Gelaſium: atque, ſi divinare fas eſt, hos libros appellat Opus de fide ſua. Addo in pluribus Mſs. & editis libris de Viris illuſtribus deſiderari caput illud ultimum, in quo Gennadius loquitur de ſeipſo. Vide Tom. 1. Op. S. Hieronymi vet. editionum.

Objiciunt ultimo: Quæ Gennadius ſcripſit de Caſſiano & de Fauſto, dicta ab eo fuerunt per ignorantiam facti: unde ex illorum laudibus nulla erroris nota poteſt inferri quantum ſpectat ad dogma = Reſp. id minus eſſe credibile. Gennadius enim vixit paullo poſt Hilarium & Proſperum, qui ex Gallia Romam profecti Cæleſtini literas ad Galliarum Antiſtites impetrarunt. In his literis Proſper & Hilarius a Pontifice magnopere laudantur, & redarguuntur Auguſtinianæ doctrinæ calumniatores. Id profecto non potuit Gennadius ignorare, niſi addat ignorantiæ crimen mendacii. Cap. enim 84. ait ſe legiſſe Proſperi contra Collatorem Opuſcula: & ſi legiſſe verum eſt, viderit cap. 21. num. 58. Cæleſtinum reprehendiſſe Caſſianum, ademiſſe Maſſilienſibus libertatem malæ loquentiæ, & Auguſtini Opera celebri elogio probaſſe. Quare aut mentitur, & iſta non legit; aut fuſus in criminationem Proſperi, & in laudes Maſſilienſium non laboravit facti ignorantia. At ſive ignarus hæc ſcripſerit, ſive malevolus; negari non poteſt plus æquo in Semipelagianos fuiſſe ſtudioſum.

APPENDIX.

Quum ad ſalvandam rectam fidem, & ſanctitatem quorundam Semipelagianorum, neceſſe ſit affirmare interpretatos fuiſſe Epiſtolam S. Cæleſtini eo ſenſu, quod in ea approbata ſit doctrina S. Auguſtini in Operibus ſcriptis

Digitized by Google

adverſus Pelagianos, non autem in poſtremis, quibus Semipelagianiſmus ſuffoditur; ne quia inferat minus valida eſſe argumenta, quæ pro nonnullis capitibus Auguſtinenſis Scholæ petuntur ex libris de Correptione & Gratia, de Prædeſt. SS. & de Dono perſeverantiæ, operæ pretium eſt refutare fallacem illam Semipelagianorum opinationem: quod præſtat Auguſtini diſcipulus & defenſor S. Proſper contra Collatorem cap. xxi. n. 59. *Maneat plane*, (inquit) *maneat iſta conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur, ſi in eadem cauſſa ejuſdem viri diſſentit antiquitas: & aut inutile, aut incongruum judicetur quod ab his, quæ contra Pelagianos condidit, diſſonans invenitur.* Atque enumeratis Auguſtini adverſus Pelagianos ſcriptis, ſubjungit Proſper: *Et ſi in omnibus operibus, multiſque aliis, quæ enumerare longum eſt, idem doctrinæ ſpiritus, eadem prædicationis forma præceſſit; agnoſcant calumniatores ſuperfluo ſe objicere, quod his libris non ſpeciale, neque diſcretum teſtimonium ſit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apoſtolica enim Sedes quod a præcognitis ſibi non diſcrepat, cum præcognitis probat; & quod judicio jungit, laude non dividit.* Ceterum quo loco habuerint doctrinam Sancti Patris una cum Cæleſtino poſteriores Pontifices, demonſtratum eſt Tomo I. in præfatione ad librum de Electione Sanctorum.

CAPUT IV.

Demonſtratur contra Semipelagianos prævenientis Gratiæ ad initium Fidei neceſſitas.

ETSI poteſt quiſque dogma Catholicum ex diſputatis poſtremo capite de H. P. atque ex præcedentibus quatuor pleniſſime percipere, & propugnare; ne videamur tamen aut de Scholaſticis diſſidiis, aut de quæſtionibus Critico-Hiſtoricis, quam de Polemicis ad fidem pertinentibus magis eſſe ſoliciti: volumus de Gratiæ neceſſitate ad initium fidei hoc loco breviter pertractare. Ita Auguſtinus poſtquam Chriſti gratiam neceſſariam eſſe ad quodlibet opus ſalutare, & non dari ſecundum merita noſtra plurimis operibus demonſtraverat; Semipelagianos fidem ab operibus diſtinguentes ſingulari Opere de Prædeſtinatione Sanctorum refutavit, quaſi in compendium redactis, & ad ſuſcitatam a Maſſilienſibus quæſtionem applicatis ſuperiorum librorum argumentationibus. Ex eodem de Prædeſtinatione SS. libro, & ex Opere Proſperi adverſus Collatorem, ubi occurrunt plura ad eliminandum Semipelagianiſmum perutilia, curabo præſertim totam dirimere controverſiam. Pro qua ſciendum eſt diſputationem inſtitui de Fide, prout ad ſalutem æternam ordinatur, per quam Chriſtiani ſumus, & ad juſtificationem diſponimur; nam fidem humanam, qua ab impiis, & infidelibus nemo diſcernitur, conſenſu omnium nullam gratiæ opitulationem requirit, niſi illam, que creati ſumus cum participatione rationis.

PROPOSITIO. Gratia Chriſti ad initium fidei neceſſaria eſt.

Sacris literis, ſimulque Auguſtinianis argumentationibus primum evincitur. I. Apoſt. ad Rom. xi. v. 6. ait: *Si autem gratia, jam non ex operibus*: quo teſtimonio probatur non dari gratiam ſecundum merita noſtra: Atqui non receditur ab hac Pelagiana ſententia, *ſi non pertinet ad Dei gratiam quod credere cœpimus*, ut Auguſtinus docet de Prædeſt. Sanct. cap. 2. n. 3. Igitur quod credere incipiamus pertinet ad gratiam Dei. II. Idem Apoſt. ad Rom. xi. v. 35. inquit: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Atqui ſi initium fidei noſtræ ex nobis eſt, *Initium fidei noſtræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis ſupplementum ejus, & ſi quid aliud fideliter poſcimus*, ait eodem cap. n. 4. Auguſtinus. Non eſt ergo duntaxat ex nobis initium fidei noſtræ. III. Idem Apoſtolus in I. ad Corinth. cap. 4. n. 7. habet; *Quis enim te diſcernit?* At ſi penes nativas arbitrii vires foret virtus credendi, uti S. Pater demonſtrat eodem libro cap. 3. n. 7. uſque ad cap. 5. n. 10. *poſſet dicere homo inflatus adverſus alterum, diſcernit me fides mea, juſtitia mea*. Igitur credere penes naturales arbitrii vires non eſt. Vide etiam de lib. arb. cap. 8. n. 15. & quæ nos diſſeruimus cap. præcedentis libri xii., Prop. prima. IV. Ita Apoſtolus loquitur ad Philip. I. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo*: Ad patiendum pro Chriſto requiritur gratia: Pariter ergo requiritur ad credendum in Chriſtum; nam ut S. Pater ratiocinatur ibid. cap. 2. *Utrumque oſtendit Dei donum, quia utrumque dixit eſſe donatum. Nec ait, ut plenius, & perfectius credatis in eum; ſed ut credatis*. V. Ad Corinth. I. cap. 7. 25. de ſeipſo ait Paulus, *Miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis*: Sed, ut Auguſtinus differit eodem loco n. 5. non dixit Apoſtolus *ſeipſum miſericordiam conſecutum, ut fidelior, ſed ut fidelis eſſet*. Sciebat ergo initium fidei ſuæ donum eſſe miſericorditer ſibi collatum. VI. *Quis non videt prius eſſe cogitare, quam credere?* inquit eodem loco Auguſtinus: Atqui ſancta cogitatio eſt donum gratiæ, per Apoſtolum 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 5. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*. Erit ergo donum gratiæ ipſum credere. Legite etiam de Grat. & lib. arb. citato cap. 7. n. 16. VII. Oramus Deum, *ut nobis adaperiat oſtium verbi ſui*, cum Apoſtolo ad Coloſſ. 4. v. 3. nec orando petitur niſi quod ab ipſo tribuitur. Atqui *per oſtii apertionem initium fidei audientium ſignificavit Apoſtolus*, inquit Auguſtinus cap. 20. n. 41. Eſt itaque oratio noſtra *apertiſſima demonſtratio, etiam ipſum initium fidei eſſe Donum Dei*. Hæc divinarum Scripturarum teſtimonia non eſſe accipienda de gratia ordinis naturalis demonſtratum eſt citata prop. I. cap. xii. præcedentis.

Probatur 2. ex Conciliis. Primum ex canone 6. Arauſicano non ſemel repetito. Deinde etiam ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 3. & 5. de quibus eodem cap. xii.

Tertio loco demonſtratur ex Patribus. Plura ex his proferunt Bellarminus lib. 6. de Gratia & lib. arbit. cap. 4. & L'Herminier Tom. 4. pag. 130. & ſequentib. ſed omnia fere generalia ſunt, probantque neceſſitatem gratiæ ad initium cujuſque boni operis. Semipelagianos ergo fidem ab operibus diſtinguentes validius impugnant ſequentia. Juſtinus Apolog. 2. ait: *Ipſe perſuadet, atque ad fidem nos adducit*. Clemens Alex. lib. 2. Stromat. *Fides non eſt electionis bonum opus; ſed aſſenſus valido alicui præſtitus*. Irenæus lib. iv. adv. Hæreſ. cap. 9. *Impoſſibile ſine Deo diſcere Deum*. Baſilius in Pſ. 115. *Fides multo ſuperior rationalibus methodis animam ad aſſenſum trahendo... ſancti Spiritus operationibus in nobis efficitur*. Greg. Nazianz. orat. 42. *Poſſibile non eſt terreni corporis, ac mentis captivæ craſſitiem Deum concipere, niſi auxilio confortatam*. Hæc, aliaque plura cum græce, tum latine collecta invenies apud Cl. Iſaacium Habertum lib. I. Theologiæ Græcorum Patrum cap. 8. De S. Joanne Chryſoſtomo ſatis diſputavi cap. 2. Auguſtini mentem ſcrutatus ſum nuper. Martyris Cypriani ſententiam demonſtrat idem Auguſtinus de Præd. SS. cap. 14. n. 28. De aliis Patribus præſertim Auguſtino poſterioribus nemo dubius erit. Si veteres aliquando non tam aperte locuti ſunt, non diſputabant contra inimicos Eccleſiæ, ſecuri loquebantur, & conciones habebant ad populum, ut perſæpe monui cum ipſomet Auguſtino eodem cap. 14. n. 27.

Demonſtratur præterea propoſitio rationibus Theologicis. Quarum ſit prima: Fides eſt juſtificationis noſtræ principium: Juſtificationis principium a gratia præveniente ſumendum eſt: Ergo a gratia præveniente efficitur ipſa fides. Et minor quidem propoſitio eſt definita canone Tridentino. Majorem probat Auguſtinus eodem lib. de Præd. SS. cap. 7. n. 12. ex verbis Apoſtoli ad Galatas 2. 16. *Nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti*. Apoſtolus autem ideo dicit *ex fide juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrantur cetera; quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juſte vivimus*. Probat eamdem majorem S. Pater ex Pſ. 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum, &c.* ex quo ita Semipelagianos comprimit: *Et dicitur a vobis, Fides eſt a nobis, cetera a Domino ad juſtitiam pertinentia: quaſi ad ædificium non pertineat fides, quaſi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum*. Sit altera argumentatio: In fide noſtra adimplentur promiſſiones factæ a Deo ſemini Abraham, ut docet Apoſtolus ad Rom. 4. 16. Si ergo initium fidei ſit ex nobis, *ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod a Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahæ*. Ita S. Doctor cap. 2. n. 19. Poſtrema ratio, ut ultima primis cohæreant, ſit: Gratia non eſt merces operum naturalium; *Quis autem dicat eum, qui jam cœpit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri?* ait magnus Fidei athleta cap. 2. n. 4. Si ergo initium fidei ſit ex nobis; erit gratia naturalium meritorum ſtipendium & merces.

OBJECTIONES DISSOLVUNTUR.

Semipelagiani autem errorem ſuum ſequentibus argumentis conabantur defendere. Objiciebant 1. apud Auguſtinum de Præd. SS. cap. 6. n. 11. Multi audiunt verbum veritatis: ſed alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi = Reſp. S. Pater: *Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordia ejus, quid de judicio*. Miſericordia, quæ prævenit fidem, eſt in electione Dei, & præparatione divinorum auxiliorum: judicium in excæcatione & denegatione hujuſmodi auxiliorum. Vide quæ ſcribit Apoſtolus ad Rom. cap. xi. 19. & 20. Quærentibus autem cur uni donetur, alteri non donetur efficax auxilium ad credendum, reſpondet eodem loco S. Pater, ininveſtigabiles eſſe vias Domini, & miſericordiam quæ gratis liberat, & veritatem, quæ juſte judicat. Atque id intelligendum eſt de hominibus ſumptis comparative, ut explicavimus de H. P. cap. viii.

Objiciebant 2. apud eumdem Auguſt. cap. 7. n. 12. Apoſtolus ad Eph. 2. v. 9. diſtinguit fidem ab operibus. Igitur ex quo gratia ad opera bona neceſſaria ſit, non infertur illius ad initium fidei neceſſitas = Reſp. diſtinguendo antecedens: Apoſtolus fidem ſecernit ab operibus, quatenus ipſa impetrat cetera, quæ proprie nuncupantur opera, in quibus juſte vivimus, concedo: quatenus ipſa fides non eſt opus & donum Dei merita noſtra præveniens, nego antecedens. Ita Auguſtinus eodem loco adducens in ſuæ reſponſio-

tuis confirmationem quod ſcribit ibidem Apoſtolus v. 8, *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt*: & verba Joannis cap. 6, 29. *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum, quem miſit ille*. Si ergo fides eſt donum, & opus Dei, non diſtinguitur ab operibus, niſi ſenſu explicato.

Inſuper objiciebant verba Apoſtoli ad Rom. x. 9. *Si confitearis ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, ſalvus eris*: & quæ ibidem, atque ad Hebræos xi. proferuntur in fidei commendationem. Reſp. ad 1. Sanctus Pater memorati libri cap. xi. n. 22. ſic dici, *Si credideris ſalvus eris*, quemadmodum dicitur ad Romanos viii. 13. *Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Utrobique enim unum exigitur, alterum offertur. Igitur ut facta carnis mortificare donum Dei eſt, ita donum eſt confiteri & credere Dominum Jeſum: Ceterum credere, mortificare opera carnis, aliaque id genus nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur; quoniam ipſe facit ut faciamus, ipſe prior elegit nos, ipſe operatur in nobis velle & perficere, ipſe denique eſt electorum ſuorum virtus, fortitudo, ac præmium. Quod de laudibus fidei dictum eſt, ſolvitur a D. Proſpero cap. 16. adverſus Collatorem: *Apoſtolus enim laudat hominum fidem; ſed pro hoc bono eorum agit gratias Deo*. Videatur idem Apoſtolus ad Rom. 1. 8.

Opponebant 4. Matthæi vii. 7. ſcriptum eſt: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis*. Ergo petere, quærere, & pulſare noſtrum eſt: cetera Deus ſupererogat. = Reſp. noſtrum quidem eſſe petere, quærere, pulſare, at non ſine gratia præveniente atque excitante. Nihil peti a Deo, ut oportet, ſine gratia demonſtrat S. Pater de Dono Perſev. cap. 23. ex orationibus Eccleſiæ, quibus Dominum obſecramus, ut faciat nos, quæ ſibi ſunt placita poſtulare: *Quando enim*, inquit, *non oratum eſt in Eccleſia pro infidelibus, atque inimicis ejus ut crederent*? 2. Ex Apoſtolo ad Rom. viii. 15. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*: & v. 26. *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, atque ex divinæ ſcripturæ locis conſimilibus. Quibus recitatis, & expoſitis, *Adtendant ergo*, inquit, *quomodo falluntur, qui putant eſſe a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus: & hoc eſſe dicunt, quo gratia præcedatur, merito noſtro ut ſequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulſantibus. Nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris eſſe, ut oremus, hoc eſt, petamus, quæramus, atque pulſemus*. Addit præclarum Ambroſii teſtimonium, aliaque plura. Atque dicta modo de petitionibus, de quolibet bonæ voluntatis motu, vel operæ ad juſtificationem ſpectante conſtanter teneto.

Quinto objiciebant nonnulla Scripturarum ſanctarum exempla. Primum eſt Davidis, cujus voluntas ædificandi templum bona erat, & commendatur 3. Regum cap. 8. 18. nec tamen erat a Domino, qui elegit filium ejus, ut illud ædificaret nomini Domini Dei Iſrael. Poteſt ergo ſimiliter eſſe a nobis ſine Deo bona voluntas credendi, quæ bona ſit & benemerens. Alterum exemplum eſt Cornelii, cujus orationes & eleemoſynæ promeruerunt, ut per Apoſtolum Petrum inſtrueretur in fide, quemadmodum fuſe narratur in x. cap. Actuum Apoſtolorum. Tertium eſt Zachæi, qui dum quærebat videre Jeſum, & aſcenderat hac de cauſa in arborem ficus, dictam Arabice *Giumum*, Syriace *ficum Sylveſtrem*, a Dioſcoride *Sicaminum*, ab Evangeliſta *συκόμωρον*, *ſycomorum*; audire meruit Lucæ 19. 5. *Hodie in domo tua oportet me manere*. Quartum eſt Nathanaelis, quem Jeſus vocavit ad fidem, quoniam verus erat Iſraelita, neque dolus erat in illo, ut habetur Joan. 1. 47. Ultimum eſt Latronis, qui converſus ad Jeſum meruit audire, *Hodie mecum eris in paradiſo*: Lucæ xxiii. 43.

Generalis reſponſio eſt hæc omnia *agere gratiam Salvatoris*, ut inquit S. Proſper contra Collat. cap. 8. nu. 22. Deinde expendamus ſingula. Non ſequitur voluntatem ædificandi templum in Davide minime fuiſſe a gratia, propterea quod Deus elegerat ad opus iſtud Salomonem. Patri enim dederat Deus bonam voluntatem, filio conceſſit etiam operis complementum: cumque ille operetur in nobis velle, & perficere pro ſuo beneplacito, uni gratiam inſpirat ut velit, alteri etiam largitur ut faciat. S. Proſper citato libro cap. 12. nu. 35. id duplici exemplo confirmat. Primum eſt Apoſtolorum, qui utique bonam voluntatem prædicandi Evangelium *ex Deo habebant*; & tamen cum tentarent ire in Bithyniam, Act. 16. 7. *non permiſit Spiritus Jeſu*. Alterum eſt quotidianum in Eccleſia, quæ orat pro inimicis ſuis, ideſt, infidelibus, etſi horum plures Deus nequaquam elegerit. Atque id, inquit Proſper, Eccleſia *numquid non ex ſpiritu Dei facit*? Paullo ſupra cauſſam reddiderat, cur Deus noluerit templum ædificari a Davide, cui bonam voluntatem fuerat elargitus: nempe ob typum ac ſignificationem myſterii. Præfigurabat enim Salomon Chriſtum Dominum, a quo Eccleſia, cujus templum figura eſt, fuerat conſtruenda: atque ita ſane, ut nullus alius poneret ædificii fundamentum; ideſt, initium fidei; ſed eſſet Chriſtus lapis angularis, & cæleſtis Jeruſalem ædificator. Quantum ad Cornelium pertinet: reſpondet S. Pater de Præd. SS. cap. 7. ejus orationes & eleemoſynas Deo fuiſſe utique acceptas, antequam credidiſſet in Chriſtum: *Nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat; nam quomodo invocabat, in quem non crediderat*? Deerat itaque ei fides explicita in Chriſtum; credebat tamen in Deum, nec ſine gratia Reparatoris. De Zachæo ita S. Proſper cap. 7. n. 19. *Ne lateret cauſſa hujus ſalutis*, adjecit, *Venit enim filius hominis ſalvum facere, & quærere quod perierat: ut quem agnoſcebamus ſalvum factum, ſciremus a quærente præventum*. Sequitur eodem loco de converſione latronis: *In latronis quoque juſtificatione, etiamſi nulla operantis gratiæ intelligerentur indicia; nonne cum omnibus credentibus etiam ipſum acciperemus adtractum, dicente Domino, Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo, & Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum? Inter omnia autem hunc vel traditum eſſe, vel tractum, etiam ipſius confeſſio docet. Qui cum aliquandiu blaſphemaſſet in Jeſum Chriſtum, repente eſt mutatus, & dixit, Domine, &c.* De Nathanaele legimus ibidem dixiſſe Chriſtum v. 48. *Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, novi te. Quæ Domini viſio*, inquit D. Bern. in Cantica, *numquid gratiæ præparatio non fuit*? Itaque *manifeſtiſſime credendum eſt, quod & illius latronis, quem Dominus ad Paradiſi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum*. Ita Synodus II. Arauſ. Canone 25.

Si quæras quomodo Cornelius, & infideles alii antequam converterentur ad Chriſtum, aliquod bonum opus facere potuerint virtute gratiæ, cum primus gratiæ effectus ſit ipſa fides; reſpondeo quod in ipſa fide primum conſiderari poteſt ſancta cogitatio & colluſtratio mentis, deinde inſpiratio ſanctæ voluntatis audiendi Evangelium ex deſiderio ſalutis æternæ; ulterius deliberatus aſſenſus, ſive actus ipſe credendi. Fides ergo dicitur primus effectus gratiæ, non quantum ad aſſenſum, ſed quantum ad præcedentem illuſtrationem, atque inſpirationem. Imo ante explicitam fidem in Chriſtum, poteſt per gratiam excitari in nobis fides in Deum, & ſancta cogitatio, quæ ſufficiat ad referenda opera noſtra in ipſum Deum, ita ut plura infidelium opera bona ſint, in illorum quoque ſententia, qui ad omne opus bonum cum gratiam, tum relationem in Deum exiſtimant neceſſariam.

Denique objiciebant Semipelagiani teſtimonia quædam Sanctorum, ac in primis ipſius Auguſtini; qui Epiſt. 102. quæſt. 2. n. 14. ſcripſit, *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri*. Sed reſpondet S. Pater de Prædeſt. SS. cap. ix. n. 18. ſe hæc dixiſſe ſine præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſſarum. *Quid enim eſt verius*, inquit, *quam præſciſſe Chriſtum qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato ſibi Chriſto a ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, ideſt, utrum tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere ac diſſerere tunc neceſſarium non putavi. Proinde quod dixi tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri, poſſet etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui electi fuerunt in ipſo ante mundi conſtitutionem*. Hæc omnia Auguſtinus & Proſper adverſus capitale dogma Semipelagianorum. De ſpeciali dono perſeverantiæ diſputabitur libro xviii.

CAPUT V.

Quæritur an Semipelagiani gratiam aliquam interiorem ad initium fidei agnoverint neceſſariam.

JANSENIUS lib. 8. de H. P. cap. 6. aſſerit Maſſilienſes etiam ad initium fidei veram aliquam interiorem gratiam admiſiſſe, & in hoc proprie illorum ſitum fuiſſe errorem, quoniam vellent uſum & abuſum ipſius gratiæ relinqui in liberi arbitrii poteſtate. Joan. Baptiſta Gonet eruditus Thomiſta diſp. 2. de Grat. cap. 3. aliam a Janſenii ſententia putat eorum, qui docent inter Semipelagianos aliquos omnem prorſus gratiam ab initio fidei, & meriti removiſſe, alios talem admiſiſſe, quæ cum eſſet pure indifferens, & liberi arbitrii determinationem non efficeret, ſed expectaret, locum aliquem naturali merito relinqueret: quod docet Franciſcus Macedo in *mente divinitus inſpirata*, art. 5. & defendit ſatis erudite ipſe Gonet. Hæc ſententia quatenus ponit diſcrimen inter Semipelagianos, nullatenus differt a ſententia Janſenii; nam Janſenius lib. 7. cap. 2. idem tradit; imo profitetur ſe controverſiam non movere de primis Semipelagianis, qui omnem gratiam ad initium fidei & bonæ voluntatis penitus reſpuebant, quibus accenſet Fauſtum & Caſſianum; ſed de alia factione, eorum ſcilicet, quos contendit gratiam Chriſti non prædeterminantem admiſiſſe, & in hoc illorum conſiſtere errorem. Quare Gonet recurrendo ad duplicem ſectam Semipelagianam non recte difficultatem aſſequitur, neque hanc ratione videtur oppoſitis argumentis ſatisfacere. Et multo minus impugnari poteſt Janſenius te-

teſtimoniis Caſſiani, aut aliorum de prima Semipelagianorum factione, ut facit Antonius Boucat diſſert. Præamb. de Grat. artic. 3. Nam Janſenius ultro fatetur Caſſianum ad initium fidei nullam veram gratiam reapſe admiſiſſe. Diſcrepat tamen alio ex capite Goneti ſententia ab opinione Janſenii, quod is hæreſim Semipelagianam conſtituit in indifferentia ac poteſtate liberi arbitrii utendi & abutendi gratiæ adjutorio pugnans pro neceſſitate gratiæ inferentis neceſſitatem. A quo pravo dogmate cum Gonetus & Macedo ſint alieni, habent ſibi conſentientes ex Thomiſtis, atque Noſtratibus ſatis multos, inter quos Auctor Scholæ Thomiſticæ vindicatæ animad. 26. connumerat Salmanticenſes, Contenſonium, Piccinardum, alios. Fulgentius Bellelli parum ab his diſcrepat contendens Semipelagianos non denegaſſe ad initium fidei gratiam Conditoris, ſive Adjutorium collatum Adæ, ſed gratiam Redemptoris tantummodo. Ex adverſo nullam veram gratiam prævenientem initia fidei admiſſam a Semipelagianis defendunt qui gratiam per ſe efficacem rejiciunt, ut faciunt Mediſtæ omnes. Item aliqui hujus gratiæ propugnatores, ut noſter Baſilius Poncius Reƀet. de Grat. neceſſitate p. 1. c. 4. memoratus Boucat, & L'Herminier Tom. IV. pag. 102. quidam alii, quorum circa efficaciam gratiæ ſententia perplexe eſt, & ambigua, ut Honoratus Tournely lib. 1. de Gratia pag. 92. Videamus, quæ ſingulos moveant, tum inde judicium noſtrum nec perverſe, nec acerbe dicturi.

Semipelagianos gratiam aliquam Indifferentem ad fidei initia non denegaſſe pluribus argumentis poſſet monſtrari. I. S. Proſper in Epiſt. ad Auguſtinum num. 4. ita de quibuſdam Semipelagianis ſcribit: *Quidam vero horum in tantum a Pelagianis ſemitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia præveniat merita, cogantur, ne ſi meritis redditur, fruſtra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint uniuſcujuſque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrii & rationalis gratia Creatoris inſtituat; ut per diſcretionem boni & mali ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus poſſit ſuam dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur, pervenire per naturalem ſcilicet facultatem, petendo, quærendo, pulſando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene uſus, ut ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Ubi videtur Proſper hos Semipelagianos redarguere, quod nullam gratiam admiſerint, præter gratiam Conditoris homini primo collatam. Neque enim dici poteſt per ſolam gratiam initialem intelligi hoc loco nudam facultatem arbitrii, quia hanc non denegabant nec rigidiores illi Semipelagiani num. 3. deſcripti. II. Proſper paucis interjectis omnem dirimit controverſiam, ſcribens admiſiſſe quidem gratiam aliquo ſenſu prævenientem, ſed quæ ſubderetur hominum voluntati: *Nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundum ſuam phantaſiam non negant ſe præventas.* III. Sunt his etiam clariora verba Hilarii ſcribentis: *Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt.* IV. Idem fatetur Auguſtinus de Prædeſt. SS. cap. 1. *Proveniunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum, ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant.* V. Semipelagiani non ſolum negabant eſſe donum Dei initium fidei, ſed etiam finalem perſeverantiam: at ad finalem perſeverantiam non denegabant neceſſitatem gratiæ indifferenter præmoventis. Ergo neque eam negabant ad initia ſanctæ *credulitatis*. VI. Ut conſtat ex Epiſt. Hilarii num. 6. Semipelagiani moleſte ferebant diſcrimen traditum ab Auguſtino inter gratiam collatam Adæ, ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poterat, & gratiam nunc prædeſtinatis præparatam, qua perſeverantia ipſa donatur: & in hoc ſolo volebant a primo homine omnium diſtare naturam, *ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, ſine qua perſeverare non poterat; hos autem amiſſis & perditis viribus credentes tantum non ſolum erigat proſtratos, verum etiam ſuffulciat ambulantes.* Si ergo Maſſilienſes non denegabant in Adam adjutorium *ſine quo* ad omnia opera ſalutaria, neque illud negabant in hominibus lapſis ad fidem. VII. Auctore eodem Hilario num. 4. aſſerebant Semipelagiani non valere de fide argumentum Auguſtini petitum ex verbis Apoſtoli, *Quid autem habes, quod non accepiſti?* & rationem hanc aſſerebant, *cum in eadem natura remanſerit, licet vitiata, quæ prius ſana et perfecta donata ſit.* Abominabantur tamen & damnabant, ſi quis exiſtimaret, *quicquam virium in aliquo remanſiſſe, quo ad ſanitatem progredi poſſit.* Fatebantur ergo in homine lapſo virtutem credendi, ut in homine primo poteſtatem qualecumque bonum opus perficiendi. Atqui in homine primo nequaquam denegabant ad perfectionem, & conſummationem bonorum operum adjutorium ſine quo, ſive gratiam pediſequam, & verſatilem. Ergo neque hujus adjutorii neceſſitatem inficiabantur ad fidem habendam. VIII. illam prædeſtinationem & gratiam Semipelagiani negabant, ex qua putabant induci fatalem neceſſitatem, removeri virtutes, & lapſis curam adimi reſipiſcentur, afferri ſanctis occaſionem torporis: hæc autem non arbitrati ſunt conſequi aut ex prædeſtinatione, quæ pendeat a præſcientia meritorum, aut ex gratia Moliniſtice ſufficiente, & quæ ſit ad nutum voluntatis ſuſpenſa. Negabant ergo ſolam gratiam per ſe efficacem, & prædeſtinationem ſecundum propoſitum. IX. Nullibi legimus Auguſtinum adverſus Semipelagianos argumentatum fuiſſe ab improportione, quæ intercedit inter gratiam ordinis naturalis, & actus ſupernaturales. Quod ſane argumenti genus obvium erat, atque palmare, ſi ad initia ſupernaturalium operum nullam aliam Semipelagiani gratiam requirebant, quam naturalem. Igitur præter naturalem gratiam, dicendi ſunt aliquam ſupernaturalem probaſſe. Hæc ſunt pro una parte argumentationes præcipuæ.

Pro alia autem parte ſtant, quæ ſequuntur. I. Initialis gratia, quam fatebantur Semipelagiani, non alia eſt, quam naturalis facultas pertinens ad conditionem naturæ. Non ergo eſt gratia ſupernaturalis indifferens. Antecedens demonſtratur ex verbis Proſperi n. 3. prolatis præcedenti paragrapho argumentatione 1. *Quidam vero, &c.* II. Affirmat idem Proſper, hanc fuiſſe Semipelagianorum aſſertionem, *Quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Ita in eadem Epiſt. num. 5. Conſtituebant ergo aliquod fidei meritum ante ſupernaturalis gratiæ auxilium. III. Ex eodem Proſpero paullo infra volebant *obedientiam priorem eſſe quam gratiam, ut initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare, qui ſalvat: & voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem.* Ergo initium ſalutis in naturali poteſtate, & obedientia arbitrii gratiam præcedente conſtituebant. IV. S. Pater Auguſtinus de Prædeſt. Sanctorum cap. 3. confitetur, ſe ante Epiſcopatum laboraſſe eodem cum Semipelagianis errore; putabat enim, *Fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed a nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo.* En expreſſe Semipelagianum errorem in eo ſitum, quod fides dona ſupernaturalium gratiarum præcedat. V. Bonifacius ſecundus Papa in Epiſt. ad Cæſarium Arelatenſem data ineunte anno 530. ita de Semipelagianis loquitur. *Indicas, quod aliqui Epiſcopi Galliarum, cum cætera jam bona ex Dei acquieverint gratia provenire, fidem tantum, qua in Chriſtum credimus, natura eſſe velint, non gratia.* VI. Impugnans Auguſtinus Semipelagianos a cap. 2. de Prædeſt. SS. uſque ad libri poſtremum probat eos non recedere a damnato dogmate Pelagiano: *Gratia ſecundum merita noſtra datur*, quoniam aliquid præcederet ex hominibus propter quod gratiam conſequantur, *Si non pertinet* (inquit) *ad Dei gratiam, quod credere cœpimus.* Igitur Semipelagiani eatenus ad Pelagianiſmum declinabant, quatenus ante largitionem gratiarum locabant in nuda poteſtate arbitrii initia fidei. VII. Secunda Arauſicana Synodus canone 5. & 7. definit initium fidei non eſſe in nobis *naturaliter*, & *per naturæ vigorem*. Igitur Semipelagiani quos canones illi perſtringunt, putabant primordia fidei ex vigore, & nativa facultate arbitrii prodire. VIII. Damnata eſt ab Innoc. X. & Alex. VII. quarta propoſitio Janſenii: *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus etiam ad initium fidei; Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas obſiſtere & obtemperare.* Quamquam vero hæc propoſitio in poſtrema parte aperte hæretica ſit, collineatque ſcopo Janſenii propugnantis gratiam, qua evertitur libertas indifferentiæ; nihilo tamen minus, cum ſimul declarata ſit & hæretica & falſa, non ſolum videtur damnata quantum ad dogma expreſſum ſecunda parte, verum etiam quantum ad doctrinam Semipelagianam delineatam in prima. IX. Tandem, ut pares ſint numero pro utraque parte rationes, ex quo nullibi Auguſtinus Semipelagianos revincat quod gratiam denegarent ad operum bonorum conſummationem, eamque illi palam faterentur, conſequens eſt ut ad bene operandum admiſerint veram gratiam, non tamen efficacem & adjutorium *quo*, manifeſte ab illis repudiatum. Igitur ex quo Auguſtinus ubique Semipelagianos exagitaverit, quod ad initium fidei gratiam negarent, & hanc ipſi faterentur eſſe in nobis ex nobis, infertur ex oppoſito ad initium fidei non admiſiſſe gratiam indifferentem, nec adjutorium ſine *quo*, neceſſarium juxta Semipelagianos ad opera perficienda.

In tanta opinionum diverſitate orta ex argumentis partim veroſimilibus, partim non recte ponderatis; principio indubitatum eſt diſplicuiſſe Semipelagianis gratiam victricem, & prædeſtinationem, ſive diſcretionem electorum ſecundum Dei propoſitum, & abſque operum præſcientia. Quod liquet primo ex Epiſtola Proſp. num. 3. ubi dicuntur Semipelagiani aſperrimam putaſſe Auguſtini doctrinam, objicientes, *removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem.* Confirmatur ex Hilario ſcribente, quod moleſte ferebant *ita dividi gratiam, quæ vel primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret, ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbi-*

 trium

trium perſeverare non poſſet: nunc vero ſanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ detur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam, ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint. Idem demonſtratur, quod nollent gratiam ſibi ſubjicere voluntatem, nec præviam eſſe humanorum meritorum, ſed comitem, ut ſatis apparet ex dictis. Quare argumenta Proſperi, & Auguſtini non ſolum probant ad initium fidei neceſſitatem gratiæ ſufficientis, ſed etiam neceſſitatem gratiæ efficacis, quæ ſuum conſummat opus, quæ nulla ancipiti cauſa ſuſpenditur, quæ diſcernit unum ab altero, quæ facit ut faciamus: ut conſtat ex præcedenti capite, & IX. de H. Pelagiana.

Deinde affirmo, fallaciter Janſenium duas ex Epiſtola Proſperi diſtinguere Sectas Semipelagianorum, quorum alii nullam veram gratiam admitterent, reliqui prævenientem faterentur, ſed pediſequam, atque a voluntatis nutu pendentem. Etenim Proſper num. 3. narrat Semipelagianos aliquos reprobaſſe Auguſtini dogmata circa prædeſtinationem & gratiam, & defendiſſe obſtinationem ſuam vetuſtate, ideſt antiquorum Patrum ſubobſcuris expoſitionibus: ſed interpellati ut ſua exponerent ſenſa, reſpondebant *ſe nihil inveniſſe quod placeret, & de his tacendum eſſe, quorum altitudinem nullus attigerit*. Addit eo perveniſſe pervicaciæ, ut definirent fidem noſtram ædificationi audientium eſſe contrariam, *ac ſic etiamſi vera ſit, non promendam*. En tibi primam Semipelagianorum ſectionem non ambiguis interpretamentis, ſed verbis Proſperi delineatam. Alii etiam manifeſtius ad Pelagianas ſemitas declinantes, non occultabant ſenſa ſua; ſed fidem diſtinguentes ab operibus aſſerebant ad initium fidei ſufficere naturalem facultatem, & initialem gratiam pertinentem ad conditionem rationalis creaturæ, quæ gratia eſt, quatenus Deus inſtituit hominem capacem diſcretionis boni & mali, nihil merentem, quia non exiſtentem: autumantes initia fidei, & voluntatem credendi non excludere gratiam ad bona opera neceſſariam, propterea quod putabant adnumerandum non eſſe alicui operi curationis unumquemque ægrotum velle ſanari. Atque ita ſecundum ſuam phantaſiam conſtituebant gratiam ſubditam voluntati, etſi voluntatem a gratia illa initiali fatebantur eſſe præventam. Hæc iiſdem fere verbis S. Proſper num. 4. ab ea Periodo, *Quidam vero*, recitata ſuperius. Conveniebant itaque Semipelagiani omnes in rejicienda ſententia S. Auguſtini: diſcrepabant, quod alii non declinabant a ſemitis Pelagianis circa fidei initia; alii nec gratiam prævenientem, quæ ad fidem requiritur, expreſſis verbis admittebant, nec reſpuebant, rati ad fidelium ædificationem nec veritatem eſſe promendam. Eapropter Auguſtinus contra Semipelagianos duos adidit libros; unum de prædeſtinatione Sanctorum ad probandam gratiæ neceſſitatem ad fidem: alterum de Dono perſeverantiæ ad demonſtrandum hanc eſſe donum Dei ſpeciale, & a ſe traditam prædeſtinationem populis prædicandam. In una Semipelagianorum factione erat Caſſianus, qui Collat. XIII. cap. 11. nititur demonſtrare noſtrum non eſſe bonæ voluntatis principium exemplo Pauli & Matthæi, & ſtatim docet oppoſitum exemplo Zachæi, & Latronis, inferens neutrum dicendum eſſe, neque noſtrum eſſe principium fidei, neque ſemper Dei gratia nobis fidei principia inſpirari. Quamobrem S. Proſper cap. V. contra Collatorem num. 3.: *Ponis plurima teſtimonia* (inquit) *quibus nunc validum, nunc infirmum liberum arbitrium demonſtretur, quaſi quidam ſint qui propriis viribus impleant, quod alii facere niſi Deo adjuvante non poſſunt*. Ubi etiam advertendum eſt Semipelagianos ſibi contradicere, & nunc videri Catholicos, nunc Pelagianos, ut obſervat ibidem beatus Proſper.

Præterea indubitatum eſt Semipelagianos omnes etiam ad initium fidei admiſiſſe gratiam illuminationis, etiam interioris. Primo quia S. Proſper in Epiſt. ad Auguſt. ait, quod hæc ipſorum definitio, & profeſſio eſt, *omnem hominem ad credendum & operandum divinis inſtitutionibus admoneri*. Qui ergo Evangelium non audierunt, admoneri debent occulta alia revelatione. Ad hæc: etiam Auguſtinus, cum ſimiliter ante Epiſcopatum erraret, profitetur etiam tunc exiſtimaſſe neminem poſſe credere, *ſi non præcederet præconium veritatis*. Inſuper ut argumentatur Petavius de H. Pelag. cap. IX. num. 2. 3. ac 12. ſi gratiam internæ illuſtrationis Semipelagiani denegaſſent, fuiſſent deteriores Pelagianis, qui tandem gratiam hanc agnoverunt. Tandem etiam Theophilus Raynaudus in Proloquio ad Valerianum ait quoſdam affinxiſſe Semipelagianis, quod internæ revelationis ademerint auxilia. Legatur cit. loco Petavius.

Aſſerendum poſtremo eſt, Semipelagianos ad initium fidei non admiſiſſe gratiam, quæ ad illuminationem mentis addit inſpirationem dilectionis per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti. Quod primum demonſtro ex Epiſtola Hilarii n. 3. ubi ait, Semipelagianos probaſſe ſententiam Auguſtini in Expoſitione quarumdam Propoſitionum ex Epiſt. ad Rom., retractatam tamen lib. 1. Retract. cap. 23. n. 3. Ea ſententia eſt: *Sed quoniam Spiritus Sanctus non datur, niſi credentibus; non quidem Deus eligit opera, quæ ipſe largitur, cum dat Spiritum Sanctum, ut per caritatem bona operemur: ſed tamen eligit fidem, quia niſi quiſque credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei; ideſt Spiritum Sanctum, per quem infuſa caritate bonum poſſit operari. Non ergo eligit Deus opera cujuſquam in præſcientia, quæ ipſe donaturus eſt: ſed fidem eligit in præſcientia, ut quem crediturum eſſe præſciverit, ipſum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam conſequeretur, &c.* Audis, ut arbitror, Semipelagianos negantes ad initium fidei illam gratiam, quæ datur per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti, ſive gratiam inſpirantem voluntatem bonam, & dilectionem, & illam eamdem gratiam, quam ad bona opera credentium, atque ad vitæ æternæ conſecutionem fatebantur neceſſariam: de qua gratia diſputatum eſt de H. P. cap. V. Prop. 3. & cap. VII. cumulatius. II. S. Pater in 3. cap. de Præd. Sanct. caſtigans quæ in memorata Expoſitione non ſatis exacte tradiderat, ſimulque commonſtrans, quomodo fides ſit donum Dei: *Proinde quod continuo dixi* (inquit), *Dicit enim Apoſtolus, Idem Deus qui operatur omnia in omnibus, nuſquam autem dictum eſt, Deus credit omnia in omnibus, ac deinde ſubjunxi, Quod enim credimus noſtrum eſt, quod autem operamur bonum, illius eſt, qui credentibus dat Spiritum Sanctum: profecto non dicerem, niſi jam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem Spiritu. Utrumque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum eſt per Spiritum fidei, & caritatis*: & paucis interjectis, *Quod paullo poſt dixi, Noſtrum eſt enim credere & velle; illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus noſtris: verum eſt quidem, ſed eadem regula: & utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem; & utrumque noſtrum eſt, quia non fit niſi volentibus nobis*. En ergo quod negabant Semipelagiani; ad initium fidei neceſſariam eſſe gratiam ſanctæ delectationis, gratiam quæ eſt caritas, gratiam quæ præparat voluntatem. III. Si admiſiſſent Semipelagiani internam gratiam ſanctæ delectationis etiam non victricis & prædeterminantis, ſed parvam, & ab arbitrio pendulam, qualem fatebantur neceſſariam ad bona opera, quibus vita apprehenditur ſempiterna; non recte illos confutaſſet in Carmine de Ingratis S. Proſper. Is enim cap. XIX. Semipelagianos redarguit, quod admitterent tantummodo gratiam proponentem nobis objectum, nullum tamen motum animi excitantem, niſi metaphorice, quomodo conſurgit amor vel odium, dum videmus, aut audimus res delectabiles, aut horribiles:

. . . . . veluti cum voce loquentis,
Aut verum actarum ſpecie, quas vidimus, aut quas
Legimus, exoritur ſecreta cordis in aula
Nunc amor, aut odium, nunc ſpes, motus, ira, dolorque;
Nec tamen hos motus ſcriptor, narrator, & actor
Inſevere animo, (quamvis hoc quoque vellent):
Sed de perceptis mens judex ſponte movetur.

Si autem Semipelagiani admiſiſſent gratiam phyſice excitantem in animo bonam voluntatem, & non ſolum illuſtrantem, verum etiam motus ſanctæ delectationis inſpirantem, quomodo Proſper hæc jure proferret? Ruſus quomodo poſſet ſequenti capite XX. illos reprehendere, quod denegarent gratiam pervadentem ſenſa animi, & faterentur ſolam verbi miniſtram, admonentem atque clamantem?

Nec quod ſola poteſt, cura efficioque miniſtri
Exequitur, famuliſque vicem committit agendi:
Qui quamvis multa admoveant mandata vocantis,
Pulſant, non intrant animas.

Inſuper quomodo cap. XXIX. aſſereret inter gratiam admiſſam a Semipelagianis ad initium fidei, & inter legem atque doctrinam nullum omnino eſſe diſcrimen?

Dicite plectentes apices, mortiſque miniſtros
Hoc expleſſe operis, quod gratia vivificatrix.

Certe ſi Semipelagiani admiſiſſent internam gratiam inſpirationis, non denegaſſent gratiam inſerentem animis motum, non denegaſſent gratiam intrantem animas, non denegaſſent gratiam a lege atque doctrina diverſam: quod arbitror ſingulis manifeſtum. IV. Poſtremo tandem decreta Semipelagianorum ſunt ea, quæ proſcripſit Arauſicana ſecunda Synodus: Hæc declaravit repugnare Apoſtolicis dogmatibus initium fidei ineſſe nobis naturaliter, neque ad credendum prærequiri gratiam ſanctæ inſpirationis: Ergo Semipelagiani definiebant fidei initia eſſe naturaliter a nobis, neque ad voluntatem credendi talem gratiam requiri. *Si quis* (inquit canon V. Arauſic.) *ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum non per gratiæ donum, ideſt per inſpirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur*. Et can. 7. definit ad fidem neceſſariam eſſe *inſpirationem Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati*.

Ex hac ſententia noſtra ſequitur vera eſſe plura prioris partis argumenta. Verum eſt Semipelagianos repudiaſſe ſpeciale donum finalis perſeverantiæ, & diſcrimen inter adjutorium *quo*, & adjutorium *ſine quo*: refutaſſe conſequenter gratiam per ſe efficacem, & inſpirationem bonæ voluntatis ad fidei initia. Verum quoque eſt admiſiſſe voluntates noſtras præveniri a gratia, quoniam aſſerebant

præ-

præveniri in ordine ad omnia opera curationis, inter quæ opinabantur non eſſe adnumerandum velle ægrotum ſanari. Ad hanc etiam voluntatem admittebant, initialem aliquam gratiam, ideſt, facultatem diſcernendi inter bonum & malum, inſtitutiones & illuſtrationes animorum, & in vocatorum portione, ut in Paulo & Matthæo, etiam bonæ voluntatis inſpirationem. Inter Adamum autem, & lapſos homines hoc ſtatuebant diſcrimen, quod ille integris viribus volebat, & volentem gratia juvabat; atque hi credunt tantum, & habent naturaliter credulitatis affectum, ſed ob vires deperditas eorum voluntas ad recte ambulandum erigenda eſt per gratiam inſpirationis. Proinde in homine primo nullam admittebant gratiam voluntatis neque ad fidem, neque ad perſeverantiam, ſed gratiam homini opitulantem, ſi vellet perſeverare; in hominibus reliquis negabant gratiam voluntatis ut crederent, admittebant gratiam voluntatis, ut poſſent operari, & vitam conſequi ſempiternam. Neque Auguſtinus argumentari debebat ab improportione inter potentiam naturalem & actus ſupernaturales: nam ſi actum ſupernaturalem appellas fidem; negabant Semipelagiani ſupernaturalem eſſe, affirmantes nobis ineſſe naturaliter. Si actus ſupernaturales dixeris opera bona præter fidem; ad hæc fatebantur gratiam prævenire hominum voluntates. Sequebatur tamen ex pravo ipſorum dogmate gratiam dari ſecundum merita, quoniam prior in eorum ſenſu eſt fides, deinde gratia. Qua in re, ut diximus capite præcedenti, ab Auguſtino pluribus rationibus refellitur. Argumenta autem ſecundæ ſententiæ duntaxat efficiunt Semipelagianos ad initium fidei non admiſiſſe veram gratiam Chriſti, quæ per nos eſt caritas actualis, & conſiſtit in inſpiratione ſanctæ dilectionis. Merito ergo damnata eſt quarta Janſeniana propoſitio & tamquam falſa, & tamquam hæretica: tamquam falſa, quia Semipelagiani ad initium fidei non admiſerunt gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem, ſi non admiſerunt gratiam ſanctæ dilectionis: tamquam hæretica, quia poſſe gratiæ prævenienti obſiſtere, vel obtemperare dogma catholicum eſt, non hæreſis Semipelagiana; de qua ſit hujus diſſertationis terminus, *ne offendat unius nimia longitudo*. His verbis Auguſtinus librum de Prædeſt. SS. contra Semipelagianos abſolvit.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS
LIBER SEXTUSDECIMUS,
PERTRACTANS

De libero voluntatis arbitrio adverſus Lutheranam, & Calvinianam hæreſim.

BENE ac ſapienter aſſeruit Auguſtinus difficiles eſſe motas circa Dei Gratiam & liberum voluntatis arbitrium quæſtiones, eo quod cum horum unum defenditur, videatur alterum denegari. Et quidem Pelagius, Cæleſtius, & qui hæreſim horum expreſſam nomine vel propugnarunt, vel damnatam jam a plenariis Africæ Synodis, & Reſcriptis Pontificum Romanorum, ſaltem ex parte inſtaurare tentarunt, ideo divinorum decretorum, auxiliorumque prævenientium neceſſitatem oppugnarunt, quod putarent illis everti acceptam beneficio Conditoris libertatem. E contra gratiam, divinaſque præfinitiones nonnulli tanto rigore & ſacrilegio aſſerere non dubitarunt, ut aperte liberum arbitrium aut penitus extinctum Adæ peccato, aut indeclinabili neceſſitate ad bonum & malum impelli, autumaverint. Auſi ſunt tantum facinus, poſt veteres Fati aſſertores, duo illa Novatorum Capita, Martinus Lutherus, & Joannes Calvinus, ac poſtremo parum ab his diſcrepans Cornelius Janſenius. Repulſis itaque Inimicis Gratiæ Dei, hoſtes libertatis divino implorato auxilio aggredimur oppugnandos.

CAPUT I.

Perverſa Lutheranorum, & Calviniſtarum dogmata circa gratiam, & libertatem.

DIXI ſuperioribus libris de Oppugnatoribus Gratiæ Pelagianis, & Pelagianorum Reliquiis: nunc de Novatoribus, qui bellum intentarunt libero arbitrio, Luthero præſertim, & Calvino, habendus eſt ſermo. Fuerunt quidem alii, atque ut opinor ab origine Idololatriæ, fatalis neceſſitatis aſſertores, tum Philoſophi, cum Hæretici, & inter hos Manichæi, genus hominum perditiſſimum, qui ex duobus coæternis principiis uno bono, altero malo, duas in homine ſtatuebant naturas, ſubſtantialiter bonam neque liberam ad peccandum, & ſubſtantialiter malam, carnalia concupiſcentem, & ex neceſſitate determinatam ad malum. Quorum & originem, & falſitatem doctrinæ variis in locis inſectati ſumus: nec aliud addendum modo eſt, niſi Manichæorum quoque damnabilem & nefandæ impietatis errorem convenire cum Pelagianis in denegando originali peccato, & in aſſerenda hominum impeccantia; licet quod Pelagiani tribuebant arbitrio, Manichæi adſcriberent determinationi naturæ. Pari jure ut hi arbitrii libertatem tollebant eam deprimentes, & ſubjicientes neceſſitati, ita Pelagiani liberum arbitrium deſtruebant quodammodo, eo male abutentes adverſus beneficium largitoris, uti ſcribit Hieronymus ad Creſiphontem. Sano ergo conſilio Auguſtinus utriuſque hæreſis debellator, impugnans Manichæos deprædicat libertatis indifferentiam; exagitans Pelagianos commendat gratiam trahentem hominum voluntates; nobiſque ſternit regiam viam, ne declinemus ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

Declinavit, atque in præcipitium ruit Apoſtata Auguſtinenſis Congregationis Saxoniæ Martinus Luther natus Islebii in Comitatu Mansfeldenſi anno 1483. die x. Novemb. Patre Joanne, Matre Margarita Lindemanna, infauſtis auſpiciis, ut narrat lib. 1. de Origine hæreſum Floremundus. Deterritus fulmine Monachum induit in Cœnobio Erfordienſi anno 1504. ætatis ſuæ primo ac viceſimo. Profectus eſt ſtudiorum cauſſa Wittembergam anno 1508. ibique poſt actus Academicos lauream Doctoratus obtinuit an. 1513. Sedente Leone X. ex Medicea Familia aſſumpto cœpit primum contra Indulgentias debacchari, quas Summus Pontifex conceſſerat prædicatione Crucis adverſus Selimum Turcarum tyrannum. Aggreſſus eſt facinus anno 1517. renuente Staupitio Saxonicæ Congregationis Antiſtite. Hinc in alia errorum portenta prolapſus eſt, maxime circa juſtificationem, & efficaciam Sacramentorum, omnia locis ſuis refellenda. Anno 1518. audacter ad generale Concilium provocavit; & proximo anno 1519. famoſam habuit Lipſiæ cum Eckio diſputationem de Romanæ Eccleſiæ primatu. Damnatis a Leone an. 1520. Lutheranis articulis xlı. movit omnem lapidem ut Eccleſiam vaſtaret, editis voluminibus pluribus arrogantia & errore pleniſſimis. Ceteris miſſis, quæ ad præſens inſtitutum non pertinent, docuit liberum arbitrium poſt Adæ peccatum fuiſſe in hominibus extinctum, vel amiſſum, itaut manſerit res de ſolo titulo, vel titulus ſine re. Ita in Aſſert. articulorum ſuorum ad Leonem X. art. 36. in libro de ſervo arbitrio, & operatione in Pſalmum 5. Addit nec per gratiam poſſe hominem lapſum divina ſervare præcepta, & Deum præcipere nobis impoſſibilia, ac ſi mandaret nobis, inquit Philippus Melanchthon ad cap. 13. Epiſt. ad Rom. transvolare Caucaſum. Eſt blaſphema illa aſſertio Lutheri in Reſponſione ad Dialogum Silveſtri, & in Confutatione Rationis Latomianæ. Excuſſo religionis & fidei jugo anno 1525. uxorem duxit eripuitque Chriſto, Catharinam de Borè nuncupatam. Deceſſit tandem Islebii anno 1546. compluribus accitis diſcipulis, qui variis Hæreticorum ſectis formam nomenque dederunt.

Moleſte ne ferant Sodales me profeſſionem Lutheri commemoraſſe, quam occultare non poſſumus undique Hiſtoricis conclamantibus. His accommodavi aures, illatas, non quidem ab illis, ſed ab imperitorum plebe, ſanctiſſimæ matri noſtræ injurias vindicaturus. Primum enim ad hujus familiam Hæreſiarcha ille non ſpectat; nam ut viro cuidam reſpondit Cardinalis Ægidius Viterbienſis verbis Joannis Apoſtoli 1. Epiſt. cap. 2. v. 19. *Si fuiſſet ex nobis, permanſiſſet utique nobiſcum*. Deinde quænam eſt in Chriſtiano Orbe ampla & perantiqua Religioſorum familia, ex qua nulli prodierint Hæretici, & Apoſtatæ? Novimus, etſi ignorantibus nolumus id aperire, unde exierint hæretici alii, etiam Novatorum capita, & ipſius Lutheranæ factionis miniſtri. Nec tamen celeberrimis, ſanctiſſimiſque Ordinibus profugæ maculam intulere: & ſi viſum aliter obtrectatoribus, eam eluere ac tergere ſtuduerunt viri Eccleſiaſticis honoribus, ſanctitate, & ſapientia clariſſimi: qui neque erumpente Hæreſi Lutherana in Auguſtiniano Ordine defuere. Floruit tunc Cardinalis Ægidius Leoni X. acceptiſſimus, eximius Theologus, nec Latini ſermonis elegantia impar Eraſmo, Bembo, Sadoleto, Longolio, qui cum Cicerone, Livio, & Terentio familiariſſime verſabantur. Teſtantur viri merita ejuſdem Leonis Epiſtolæ conſcriptæ aurea Bembi latinitate. Præfuit Tridentino Concilio Hieronymus Seripandus Hiſtoricorum omnium laude celebratiſſimus. Vixit eodem tempore Sanctus Thomas Archiepiſcopus Valentinus pater pauperum, Epiſcoporum exemplare, ac Religionis zelantiſſimus propagator. Animadvertit in Lutherum, ut primum adverſus Indulgentias diſputavit, Capitulum Congregationis Saxonæ Heidelbergenſe; & primus omnium confutavit dogmata Lutherana Ambroſius Flandinus Neapolitanus. Pluribus annis adverſus eadem ſcriptis, verbiſque pugnavit Joannes Hoffmeiſterus, Anti-Lutherus propterea dictus, quem pro fide Catholica ſtrenue decertantem, & jam decem annorum glorioſo certamine triumphos agentem evectus ad Generalatum Seripandus his verbis per Epiſtolam eſt allocutus: *Induere ex alto fortitudine, & ut feciſti hactenus, præliare prælia Domini: ut te Auctore reviviſcat apud Rhenum & omnem Sueviam Auguſtini nomen: cujus inimici, qui & iidem Chriſti ſunt inimici, diſſipentur*. At horum duntaxat meminiſſe ſatis eſt. Addo Congregationem illam Germaniæ, in qua Lutherus cucullum induit, jam ab anno 1497. fuiſſe a juriſdictione noſtri Generalis exemptam: quamquam nec Schiſmatica erat, ut ſcribit Remundus; nec Luthero annuit Joannes Staupitz, ut narrat Pallavicinus. Vide quæ de illo profert, ſtylo licet duriuſculo, in ſua diſſertatione Gandulphus. Si tamen Germana illa Congregatio nequaquam eſſet a Corpore Ordinis noſtri ſejuncta; quid nobis afferret ignominiæ ac dedecoris contaminatus Apoſtata? Hujus Corporis Caput, ideſt Auguſtinus, quaſi futura proſpiciens, & conſulens filiorum ſuorum honori, hæc olim ſcripſit Epiſtola 137. nunc 78. num. 8. *Quantumlibet enim vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum, & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior ſit quam arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus eſt: aut melior ſit quam domus Abrahæ, ubi dictum eſt, ejice ancillam hanc, & filium ejus; aut melior ſit, quam domus Iſaac, cujus de duobus geminis dictum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui: aut melior ſit*

quam

Digitized by Google

quam domus ipſius Jacob, ubi lectum patris filius inceſtavit: aut melior ſit, quam domus David, cujus filius cum ſorore concubuit, cujus alter filius contra patris tam ſanctam manſuetudinem rebellavit: aut melior, quam cohabitatio Pauli Apoſtoli, qui tamen ſi inter omnes bonos habitaret, non diceret, Foris pugnæ, intus timores; nec diceret cum de ſanctitate & fide Timothei loqueretur, Neminem habeo, qui germane de vobis ſolicitus ſit, omnes enim ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti: aut melior quam cohabitatio ipſius Domini Chriſti, in qua undecim boni unum perfidum, & furem Judam toleraverunt: aut melior ſit poſtremo quam cælum, unde Angeli ceciderunt. Hactenus de Luthero ejuſque Inſtituto.

Alter Novatorum anteſignanus eſt Joannes Calvinus. Natus eſt Noviodumi in Picardia parentibus Joanne Calvino & Anna Fronea die x. Julii anno 1509. Literis operam dedit apud Bituricenſes ſub diſciplina Andreæ Alciati, & Melchioris Volmari. Excelluit ipſe latine ſcribendi laude, vivida autem dictione & nativa eloquentia Lutherus; nam hujus latinitas inelaborata eſt, & incompta. Scripſit adhuc juvenis & annos natus 26. Baſileæ, quo ſe receperat proſcriptis in Gallia Novatoribus, libros inſtitutionum congeſtis erroribus & argumentis ex Melanchthone, Hyperio, Sarcerio, & Œcolampadio. Profectus Pictavium cœpit audacius errores diſſeminare, execrari cultum ſacrarum Imaginum, feſtos dies, tremendum Miſſæ Sacrificium, Romanæ & univerſalis Eccleſiæ dogmata & traditiones. Pictavio in Aquitaniam, ex Aquitania Genevam conceſſit, quæ paullo ante abdicata Religione ad Sacramentarios defecerat, anno 1535. ut conſtat ex tabula ænea ad Curiam Genevenſem affixa. Inde, cum non probaret pſeudoreligionis formam inductam a Farello, expulſus acceſſit Bernam: Berna, concitato in eum populo quod conviciis laceraſſet Zuvinglium, fugit anno 1538. Argentoratum, ubi & uxorem duxit ſuadente Bucero. Interfuit anno 1541. Comitiis Ratiſbonenſibus, ubi in caſſum tentata eſt cum Lutheranis concordia circa præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia. Revocatus tandem eſt Genevam, ibique ſine ullo diplomate, aut miſſione fecit ſe Genevenſis Eccleſiæ Paſtorem. In hac urbe infelici exitu e vivis exceſſit anno 1564. ætatis ſuæ quinto & quinquageſimo necdum expleto. Succeſſit Calvino Theodorus Beza natus apud Vezelios anno 1519. & in Græcis, Latiniſque literis haud mediocriter verſatus. Is ſubduxerat ſe Pariſiis, ne in judicium veniret accuſatus de turpi libidine, cujus præbuerat indicium obſcœnum illius Epigramma, & receperat ſeſe Genevam vivente adhuc Calvino. Legendus Floremundus lib. VIII. de Origine Hæreſum, cap. 17.

Scita Calvini, quantum ſpectat ad Gratiam & libertatem, ſunt humanam voluntatem nullam habere mali aut boni electionem, nec accepta gratia ſuæ optionis eſſe vel obtemperare, vel refragari. Ita docet lib. 2. inſtit. cap. 2. & de libero arbitrio lib. 5. cap. 304. Conſtituit ille quidem gratiam in affectu delectationis, ſed adeo impreſſo, ut ſpontanee tantum voluntas moveatur, ſine aliqua libertate, & ad inſtar brutorum. Conveniunt ergo in negando libero arbitrio, ſive agendi & non agendi facultate Calvinus æque ac Lutherus, licet in eo videantur diſcrepare, quod Lutherus velit eſſe illud velut quoddam inanime, & mere paſſive ſe habere; Calvinus concedere videatur movere illud ſe, & vitaliter agere, & liberum eſſe; ſi libertas opponatur coactioni. Quod in libro 2. & 5. contra Pighium non ſemel Calvinus profitetur, affirmans ſibi conflari invidiam, quaſi hominem ſimilem faceret lapidi, cum fateatur hominem ipſum conari & agere pro acceptæ gratiæ menſura. At verba iſta ſunt; nam neque Lutherus afferebat hominem ſub gratia operari coacte, & veluti obtorto collo, ſed, ut loquitur in libro de ſervo arbitrio, agere neceſſitate immutabilitatis, ſponte tamen, & voluntate libenti. Quare habet uterque hæreticus diverſam quidem faciem, ſed ut de conſimilibus dictum eſt in cap. *Excommunicamus*. Extra de Hæreticis, *caudam admuicem colligatam*. Sacroſancta Tridentina Synodus ſeſſ. VI. can. 4. ut penitus errorem omnem eliminaret, utrumque definivit, & poſſe liberum arbitrium a Deo motum & excitatum diſſentire ſi velit, & non eſſe inanime quoddam nihil omnino agens, & ſe habens mere paſſive. Atque hujus veſtigiis inſiſtentes nos hæc eadem decreta ab Hæreticorum oppugnatione defendimus. Tertium addimus Catholicum pariter, & definitum, Deum non eſſe prædefinitione ſua & abſoluto Decreto cauſſam effectricem peccatorum noſtrorum: quod Calvinus tribuens Deo bono quæ Manichæi adſcripſerunt principio malo, his deterior & impudentior aſſeruit lib. 1. Inſtit. c. 16. de lib. arbitrio lib. 2. pag. 236. aliiſque in locis, ductus fallaci definitione, quod Deus etiam peccata prædeterminet, & neceſſe ſit evenire quicquid illa ſtatuit.

CAPUT II.

Demonſtratur pollere adhuc liberi arbitrii facultate cum in civilibus, tum in moralibus operibus, homines Adæ poſteros.

OPORTET ut ad hujus quæſtionis ſolutionem memoriæ mandentur quæ de natura liberi arbitrii differendo de homine primo ad cap. x. congeſta ſunt. Summatim ante conſpectum ea proponendo, dico libertatem ex intellectu & voluntate conflari; aliam eſſe libertatem a neceſſitate, aliam a peccato, aliam a miſeria; primam tolli per naturalem determinationem ad unum, perfectamque cognitionem ſummi boni; alteram per gratiam liberantem a ſervitute peccati: tertiam per gloriam, qua liberamur a corruptione corporis animique prementibus cupiditatibus. Libertas a neceſſitate appellari etiam ſolet libertas naturæ, cujus definitionem eodem loco tradidimus, dicendo eſſe poteſtatem agendi vel non agendi iis poſitis, quæ ad agendum prærequiruntur. Libertas a miſeria & a peccato non ad naturam libertatis pertinet, ſed ad peculiarem ſtatum aut naturæ conditionem; unde a pluribus nuncupari ſolet libertas contingentiæ. Quare ſtat vera libertas etiam ſine poteſtate peccandi & abſque miſeriarum gravamine dummodo conſiſtat indifferentia judicii: atque hoc pacto liber eſt Deus amando res creatas, eaſque producendo & ſervando, & liberæ pariter ſunt beatorum animæ reſpectu ipſarum creaturarum: quæ omnia fuerunt ibidem ſatis, ut arbitror, explicata.

Diximus quoque voluntatem poſſe accipi generatim, quatenus principium eſt cujuſque motus animi volentis, ſive velit libere, ſive ſpontanee: & quatenus vult libere, electione ſua, ſuoque arbitratu; unde emergit duplex libertas, a coactione una, & altera a neceſſitate. Sola autem libertas a coactione vera libertas non eſt, ac talis appellatur quadam analogia, propterea quod voluntarium ſit quicquid fit ſponte, & nullam patitur violentiam, & voluntarium pariter quod fit ratione libera atque electiva. Hoc poſtremum eſt, ut cum Scholaſticis loquar, principale libertatis *analogatum*. Enimvero non eodem modo adverſatur voluntati coactio, atque neceſſitas; ſed illa contra voluntatem militat actus imperatos cogendo, & inhibendo, nec impedire poteſt actus elicitos, quomodo vincula faciunt ne valeat homo ambulare, interiorem autem animi motum coercere non poſſunt, & corpori non animo inferunt violentiam: at neceſſitas intimam voluntatis poteſtatem oppugnat, alligatque eam tali vinculo, quo obſtricta nequit pro ſuo libito contraniti. Ergo qui docent non eſſe de eſſentia libertatis poſſe agere & non agere, ſi libertas ſumatur in genere; non ſatis caſtigate loquuntur, quoniam libertas comparate ad ſpontaneum & indifferens, non genus *univocum* eſt, ſed *analogum*: neque aliam ideam habeo veræ libertatis, quam voluntatis meæ, cujus optionis, juriſque ſit agere, aut non agere, prout lubet. Quod ſi de genere *analogo* ſermo eſt, nullum dubium poteſt oriri, quin ad libertatem poteſtas illa agendi & non agendi nequaquam pertineat: quoniam ſub genere illo comprehenditur etiam libertas a coactione. Animadvertunt autem Philologi genus *analogum* ſumi ut plurimum pro eo, quod appellitant præcipuum *analogatum*. Ita ergo voluntarium apud antiquos Patres non ſemel uſurpatur pro libero, & nonnunquam dicitur liberum quod eſt tantummodo voluntarium. Hoc demonſtrant teſtimonia Veterum, quorum alii affirmant Filium Dei genitum eſſe voluntate Patris, & alii negant: illi voluntarium accipiunt pro eo, quod eſt cum ſpontaneitate & lubentia; & iſti pro eo, quod ſit cum deliberatione & libertate. Vide de Trinitate librum XII. cap. x. ad 4. Ob. Wolzogenii. Conſtat ex præcedenti capite non denegare Lutherum, neque Calvinum dari libertatem a coactione, qua homo ſponte & libenti voluntate operatur; ideoque inſtituitur cum Novatoribus diſputatio de libertate indifferentiæ, ſive a neceſſitate: quam nos veram, propriamque libertatem eſſe contendimus.

PROPOSITIO I. Perſiſtit in homine lapſo liberum voluntatis arbitrium.

Triplici argumentorum genere theſis demonſtratur, Scripturarum ac definitionum Eccleſiæ auctoritate, Traditione Patrum, atque Theologica ratione. Quarto enim cap. Geneſ. v. 7. Caino a Domino dictum eſt: *Nonne ſi bene egeris, recipies, ſin autem male ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* In ſtatu ergo naturæ lapſæ eſt in homine dominium voluntatis, quo coercere poteſt motus concupiſcentiæ & bene agere, aut male, ideoque libertas arbitrii indifferens ad utrumlibet. Reſpondent Calviniſtæ hoc loco ſignificari tantummodo Caini ſupra Abelem titulo primogenituræ auctoritatem imperii. Quod probant primo ex hebraico textu, in quo tam חטאת *peccatum*, quam תשוקה *appetitus, concupiſcentia*, fœminina ſunt; quæ autem ſequuntur, ואתה תמשל בו *Et tu dominaberis illius*, ſuffixum habent maſculini generis: ideoque nequit aut ad peccatum, aut ad appetitum, ultimum pronomen referri. II. ex Verſione LXX. quæ habet: *Ad te converſio ejus, & tu principatum habebis ipſius:* πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. III. ex Chryſoſtomo in hunc locum hæc verba interpretante, *Poſt peccatum hoc permitto, ut primogenituræ privilegiis gaudeas, illumque ſub ſua poteſtate & dominio eſſe jubeo.* At primum admiſſa quoque interpretatione Chryſoſtomi, quæ ſua ſponte ex Græco textu fluere videtur, dico idem argumentum adhuc perſiſtere. Si enim Deus adverſatus ſacrificium Cain, poterat ab illo primogenituræ dignitatem auferre,

reli-

reliquit tamen fratrem ſub illius poteſtate, ea conditione ut ſi bene ageret mercedem reciperet, ſin autem male, punitionem, ac pœnam: habebat ergo Cain liberum arbitrium, quo poterat commereri aut ſupplicium, aut beneficia, & ſi fratrem odiſſet, etiam jure primogeniti privari, ut ipſi contigit poſt execrabile horrendumque homicidium. Nihil ergo adverſus nos aut Græcus textus, aut interpretatio Chryſoſtomi. Deinde affirmamus longe melius ac proprius ſignificari hoc loco dominium libertatis ſupra appetitum concupiſcentiæ. I. quia תשוקה non ſubjectionem minorum fratrum ſignificat, ſed concupiſcentiam, & appetentis animi motum a verbo שוק *concupiſcere*. II. Targum Hieroſymitanum hunc Geneſeos locum ita reddit: *Verum in manu tua tradidi poteſtatem concupiſcentiæ malæ, & tu dominaberis in eam, ſive ad innocenter vivendum, ſive ad peccandum*. Exponunt de concupiſcentia peccati etiam R. Aben Ezra, & Rab. Salomon apud Flacium, & Cartwrightum, & Gerundenſis apud Munſterum. Mavult ſenſum eſſe de appetitu peccati etiam Mercerus: & Vatablus, *Omnes fere* (inquit) *referunt hæc ad peccatum*. Ex ipſis ergo Rabbinis, imo & Proteſtantibus ſuis Novatores refutantur. Quod de affixis maſculinis opponit Salomon Glaſſius c. 9. de Proſopopœja n. 6. nil omnino probat. Primo ſunt qui negant cum Hieronymo חטאת *peccatum*, generis eſſe feminini. Ita Hieronymus in Quæſt. ſeu Tradit. Hebraicis in Gen. *Quod autem in ſeptuaginta Interpretibus fecit errorem illud eſt, quia peccatum, ideſt* hatah חטאת, *in Hebræo generis maſculini eſt, in Græco feminini*. Deinde concedo femininum eſſe, ſed tamen pronomen & affixum poſtulat maſculinum cum propter ſynonymum חֵטְא quod eſt proprium nomen peccati, tum propter ſenſum, eo quod non ſolum ſignificet culpam, ſed etiam pœnam, quæ hebræis nomen eſt maſculinum *Honeſe* עֹנֶשׁ. Præterea eodem varſu ubi legimus: *peccatum aderit*, habet Codex Hebraicus חַטָּאת רֹבֵץ *peccatum cubans*. Nomen feminini generis eſt, & participium maſculini. Quænam hæc ſyntaxis? Optimam eſſe demonſtrat idem Glaſſius de Participio canone X. quoniam aut ad ſenſum refertur, aut intervenit generum anallages. Quod ergo Saxogothanus iſte docet de participio, nos valere dicimus de affixis: quoniam in poteſtate arbitrii noſtri eſt evitare peccatum, & pœnam: atque hæc eſt maſculini generis, & dicit חטאת רבץ, *peccatum cubans*. At de uno tantum loco ſatis.

Sunt enim permulta alia idem comprobantia. Joſue cap. ultimo, ut Iſraelitas in Religione cultuque unius Dei confirmaret, poſteaquam oſtendit quænam fuerant Majorum ſuorum in Meſopotamia & in terra Chanaan inſtituta, & quanta Altiſſimus operatus nuper fuerat in tranſitu Jordanis & expugnatione urbis Jericho, ut ſe libero obſequio ſupremi numinis devoverent, & profana idolorum veneratione addicarent: ita prudentiſſimus Imperator v. 15. ſingulas Tribus allocutus eſt: *Si malum vobis videtur, ut Domino ſerviatis, optio vobis datur: eligito hodie quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis*. Ad quorſum hæc cum populo Iſrael ſtipulatio, atque talium apparatus verborum; niſi fuiſſet Iſraelitis poteſtas optionis, electionis, & pleniſſimæ libertatis ſerviendi Deo Abraham, aut Diis Amorrhæorum? Eccleſ. etiam xv. 14. legimus: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata, & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam ſervare. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi*. Eccleſiaſtici librum, quem Clemens Alexandrinus, & Caſſiodorus appellant Græco vocabulo *πανάρετον*, ideſt, *Penum omnis virtutis*, nos Canonicum eſſe ſupponimus. Quod vero Adverſarii hæc de primo tantum homine dicta eſſe contendunt, non indiget refutatione. Nam I. conſtat, *Si velis mandata ſervare*, ad homines ſingulos a Jeſu filio Sirach directum eſſe. II. Occurrit eadem phraſis Deut. xxx. 19. & Joſue xxiv. 25. III. In Græco, ubi legimus, *Reliquit illum in manu conſilii ſui*, eſtat aoriſtus *ἀφῆκεν* pro quovis tempore. IV. Per ignem & aquam, cum plurimum inter ſe diſſent, ſignificantur carnis cupiditates, & gratiæ operationes, auctoribus Hugone Grotio in hunc locum, Brentio in caput 41. Eſaiæ, Luthero ipſo apud Glaſſium lib. v. Philologiæ Sacræ Tract. I. c. 10. Ergo ipſorum hæreticorum confeſſione homo poſitus inter aquam & ignem, inter bonum & malum, eſt homo noxiis cupiditatibus ſubditus, qui adhuc pollet libera poteſtata porrigendi ad utrumlibet manum ſuam. Rurſus Joan. xix. 10. ait ad Chriſtum Pilatus, *Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Quo ſane in loco poteſtas non ſolum jus ſpectat cum iſtud ad rectum & iniquum nequeat extendi, ſed facultatem & efficaciam ipſo quoque jure utendi & abutendi. Inſuper Paulus in 1. ad Corinth. c. vii. v. 37. loquens de virgine ſuperadolta, ex qua timeri poteſt aliquid turpitudinis & dedecoris, docet, quod eam nuptui tradant; *ſi id fieri oporteat*, ideſt, ſi urgeat aliqua nuptiarum cauſſa ex corpore, animoque puellæ: at ſi hæc non obſtat, pater *quod vult faciat*, ſcilicet aut ſervet virginem ſuam, aut jungat illam marito, eo quod *non habet neceſſitatem, poteſtatem autem habeat ſuæ voluntatis*. Vide complura alia Scripturarum ſanctarum loca apud Eſtium lib. 2. diſt. 24. §. 9. & Tournely de Divinis Attributis pag. 704.

Accedunt infallibilis Eccleſiæ definitiones. Tridentina Synodus ſeſſ. 6. can. 5. *Si quis dixerit*, inquit, *liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe, aut rem eſſe de ſolo titulo, imo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccleſiam, anathema ſit*. Et can. 6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, &c.* Ubi cum Bellarmino notandum eſt, lib. 3. de Grat. cap. 5., damnari nuper exortos errores Lutheranorum & Calviniſtarum; qui, ut ſupra vidimus, fatebantur hominem eſſe liberum *a coactione*: quapropter definitum eſt dari adhuc, tametſi vulneratum atque infirmum, liberum *a neceſſitate* arbitrium. Vide ſequenti propoſitione proſcriptos articulos Baji.

Probatur etiam Catholica veritas ex Patribus. In Exhortat. ad Gentes hæc ait S. Athanaſius. *Anima liberi arbitrii cum exiſtat, poteſt ad bona ſe inclinare, ita bona quoque adverſari*. S. Baſilius Homilia, Ψυχὴ ἐκ ἑαυτῆς [illegible] ὁ Θεὸς, *Anima ſoluta eſt omni neceſſitate, & a Creatore accepit poteſtatem vitæ ex propria electione ducendæ. Sic Deo amicum puta non quod neceſſitate adigitur, ſed quod ex virtute recta ſit. Virtus autem ex electione eſt, non ex neceſſitate efficitur. Electio autem eorum eſt, quæ in noſtra ſunt poteſtate*. S. Epiphanius Hær. 64. *Quomodo liberum arbitrium in hoc mundo? In nobis ſiquidem ſitum eſt credere, & non credere: ubi autem credere & non credere in nobis ſitum eſt; conſequens eſt, ut recte agere & peccare, bonum facere & malum, noſtri quoque ſit juris*. Gregor. Niſſ. Orat. v. *Rerum moderator omnium dominum ſui, liberumque arbitrium ab omni neceſſitate liberum fecit, ut electione quadam quæ ſui juris ſit regeretur quicquid ratione pariter ac mente præſtat*. Chryſoſtomus denique in Pſalm. 9. *Non poteſt* (inquit) *quis fieri bonus neceſſitate*. Hæc Græcorum Patrum teſtimonia non ſolum libertatem arbitrii diſertiſſime comprobant, ſed etiam illam immunem oſtendunt ab omni antecedenti neceſſitate.

At quoniam hæretici Auguſtini potiſſimum auctoritatem jactitant, ejuſdem S. Patris doctrinam adverſus refractarios certis argumentis urgebimus. Itaque S. Pater & contra Manichæos, & contra Pelagianos de libero pertractavit arbitrio. Manichæos opinantes in homine animam ſuapte natura malam, a qua peccata non libera voluntate committantur, ſed naturali neceſſitate, adeo perſtringit, ut culpam voluntate patrari evincat: accepta propterea voluntate, non prout natura eſt, ſed prout naturæ poteſtas & facultas quædam indifferens; nam a voluntate, quatenus eſt natura, ſive principium agendi determinatum ac neceſſarium, effici bona quæque vel mala delirantes illi hæretici opinabantur. Pelagianos contra denegantes originale peccatum, arbitrii infirmitatem & vulnus, & conſequenter gratiam operationis pravas vincentem cupidines, adigit ad confitendum libertatem illam robuſtam, quam in ſua conditione acceperat primus homo poſteris non adeſſe, ſed infirmam & liberam duntaxat ad malum, ad bonum vero juvandam gratia Liberatoris. Ita ergo depravata ab hæreticis teſtimonia Auguſtini accipienda ſunt, ut ubi diſputat cum Manichæis intelligatur gratiam quoque Salvatoris defendere; & ubi cum Pelagianis decertat pro Chriſti gratia, liberum voluntatis arbitrium nullatenus cenſeatur labefactare. Atque hæc idem Auguſtinus commonefecit in lib. de Gratia & libero arbitrio ad Valentinum c. 1. & 4. Probo igitur S. Parentem cum in libris contra Manichæos, tum in aliis contra Pelagianos conſcriptis libertatem indifferentiæ ſatis expoſuiſſe.

Ex libris contra Manichæos occurrunt primo, quos edidit in forma dialogorum cum Evodio de libero arbitrio. In quorum tertio cap. 2. de motu voluntatis ait: *Si natura vel neceſſitate iſte motus exiſtit, culpabilis eſſe nullo pacto poteſt*. Sequenti capite docet motum voluntatis cum motu lapidis in eo convenire quod ſit uterque proprius naturæ quæ movetur, iſte ſcilicet lapidis, ille animi. *Veruntamen* (inquit) *in eo diſſimilis eſt, quia in poteſtate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius: animus vero dum non vult non ita movetur, ut ſuperioribus deſertis inferiora diligat: & ideo lapidi naturalis eſt ille motus, animo vero iſte voluntarius*. Quo in loco manifeſte apparet, per Auguſtinum motum eſſe naturalem, non liberum, ubi in eo quod movetur non eſt poteſtas cohibendi motum; & voluntarium in diſputationibus adverſus Manichæos accipi non ſolum pro ſpontaneo & non coacto, verum etiam pro indifferenti, plane libero, & prædito poteſtate reluctandi, motumque cohibendi; propterea quod, ut diximus, ratio poſtularet inſtitutæ diſputationis pertractare de voluntate, non quatenus natura eſt, ſed prout eſt libera facultas deflectendi a bono incommutabili, & motus culpabilis cauſſa. Id vero magis liquet ex tertiodecimo capite num. 19. de duabus Animabus, ubi objectantibus Manichæis eſſe duarum animarum indicium duplicem animi deliberationem in bonam & in malam partem, *Cur non magis* (ait Auguſtinus) *hoc ſignum eſt unius animæ, quæ libera illa voluntate huc & huc ferri, hinc atque hinc referri poteſt?* Eo ſpectat definitio peccati tradita eodem libro cap. xi. num. 15. & contra Fortunatum diſput. 2. n. 20. aliiſque in locis pluri-
mis.

by Google

mis *Peccatum eſt voluntas retinendi, aut conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Quam definitionem de actualibus peccatis iterum probat in 1. Retract. cap. 15. Dirimit vero dubitationem omnem in Actis cum Felice Manichæo lib. 2. cap. 3. pariter recognitis lib. 2. Retract. cap. 8. ubi de libero arbitrio ita loquitur: *Veritas dicit omnia iſta quæ videmus & quæ non videmus, quæ naturaliter ſubſiſtunt a Deo facta eſſe; in quibus rationalem creaturam etiam ipſam factam ſive in angelis ſive in hominibus accepiſſe liberum arbitrium, quo libero arbitrio, ſi Deo ſervire vellet, haberet apud eum æternam felicitatem: ſi autem legi ejus ſubdi noluiſſet, ſed poteſtate ſua uſa contra ejus feciſſet imperium, ſecundum ejus juſtitiam pœnæ debitæ ſubjaceret.* Et ne opineris congenitam arbitrii libertatem divinæ legi ſive obtemperandi, ſive reluctandi nunc emortuam eſſe, & oppreſſam; proximo capite 4. *Audi ergo* (S. Pater conclamat) *primo ipſum Dominum ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipſe feciſti: audi dicentem, Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite: poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim niſi Deus facere arborem poteſt: ſed habet unuſquiſque in voluntate aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala. Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, aut facite illud, oſtendis eſſe in poteſtate quid faceremus.* En abſque alia ambiguitate verborum Auguſtinus declarat ſe contra Manichæos diſſerentem uſurpare nomen voluntatis pro libera poteſtate eligendi & faciendi quod magis lubet, atque hanc poteſtatem in hoc quoque ſtatu conſiſtere.

Solvuntur ex his omnia prorſus argumenta, quæ ex libris contra Manichæos Calviniſtæ & Janſeniani depromunt. Inaniter quippe ludunt operam, dum inquiunt S. Patrem liberum appellare quod eſt voluntarium & opponitur coactioni, & excludere ſolam neceſſitatem naturalem Manichæorum. Etenim naturale eſt per Auguſtinum voluntarium ipſum ſpontaneum & non coactum, quod eſt ſine poteſtate motum cohibendi, ut naturalis eſt motus lapidis tendentis deorſum. Quamobrem dictum a nobis identidem, & auctoritate etiam Divi Thomæ comprobatum eſt, bonum in communi, & Deum viſum in ſe amari naturaliter; atque in tali amore moveri voluntatem ut natura eſt; non ut voluntas, ſive ut poteſtas eligendi, & flectendi ſe in partem utramlibet. Demonſtratum eſt etiam nuper, loqui Auguſtinum de voluntate non movente ſe naturaliter, ſed libere, indifferenter, & cum poteſtate ad oppoſitum; de ea nimirum voluntate, quæ poteſt cohibere motum, quæ poteſt huc & huc ferri, hinc atque hinc referri, quæ poteſt & eligere quæ bona ſunt, & eligere quæ mala ſunt. Talis autem voluntas nonne tam a coactione, quam a neceſſitate immunis eſt? Sed nec Manichæi adeo ſtolidi erant, & plumbei, ut aſſererent voluntatem ita abripi fato, ut non velit dum vult, non delectetur dum delectatur, non optet dum optat. Quis enim homo hæc effutiat? In fati ergo neceſſitate, & in impellente determinatione principii boni vel mali fatebantur produci in animo & cupiditatem & voluptatem & voluntatem, ſed hanc neceſſariam & indeclinabilem, non liberam. Lubentiam ergo & ſpontaneitatem & motum cupientis animi neceſſarium minime Manichæi denegabant; & Auguſtinus pertractans contra hæreticos iſtos de voluntate, eam a natura diſtinguit: alioqui cum detur voluntas mala, malam quoque naturam non dubitaſſet aſſerere. Quantum igitur ſpectat ad libertatem, concordi cæcitate eam infringunt & Manichæi, & Calviniſtæ, & Janſeniani, in hoc tantummodo diſcrepantes quod Manichæi cauſſam neceſſitatis malorum repetunt a principio malo & a mala natura, Calviniſtæ a decreto & prædeterminatione Dei, Janſeniani autem a dominatu comprimentis concupiſcentiæ, fronte diverſi, ut dicebamus capite primo, & cauda viperarum inſtar invicem complicati.

Deveniamus jam ad Auguſtini libros contra Pelagianos. In his S. Pater negat tantum dari liberum arbitrium, quale aſſerebant Pelagiani, validum ſcilicet & robuſtum, quod nec peccato Adæ fuerit vulneratum, neque indigeat in pugna carnalis concupiſcentiæ gratia Reparatoris: dari tamen adhuc liberum arbitrium vinculo neceſſitatis ſolutum, ſufficiens ad malum ſe ipſo, ad bonum vero ſi adjuvetur a Deo, & tam ad bonum quam ad malum protendens indifferenti ad oppoſitum poteſtate. Poſtquam enim de Peccatorum meritis lib. 2. cap. 18. n. 30. præmonuit ne ſic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium videamur auferre, nec rurſus liberum ſic aſſeramus arbitrium, ut ſuperba impietate judicemur ingrati: *Niſi obtineamus*, inquit, *non ſolum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus, & male uti malus poteſt, ſed etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis bonis eſt, quorum eſſe uſus non poteſt malus, neſcio quomodo defendamus quod dictum eſt, Quid enim habes quod non accepiſti?* Viden Auguſtinum deprædicantem gratiam ſanctæ inſpirationis ſupponere in nobis liberum voluntatis arbitrium, quod poteſt flecti huc atque illuc? II. Obiectantibus præterea Pelagianis quod ipſe Auguſtinus, ut gratiam defenderet, declinans ad Manichæos tolleret libertatem, lib. 2. de Nuptiis & Concupiſc. cap. 3. n. 8. reſpondet, *Non eſt ita, ut loqueris, quicumque iſta dixiſti: non eſt ita: multum falleris, vel fallere meditaris: non liberum negamus arbitrium*; & paucis interjectis profitetur non eſſe Cæleſtianos, Pelagianoſque qui liberum arbitrium defendunt, ſed qui autumant valere ad bonum ſine divinæ gratiæ auxilio, & non erui parvulos per lavacrum regenerationis a poteſtate tenebrarum. De hac ipſa Pelagianorum calumnia libro 1. ad Bonifacium cap. 2. n. 5. ait: *Quis autem noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam: propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino, Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis; utique liberi ad bene juſteque vivendum.* III. Cum falſo rumore accepiſſet Monachos Adrumeti liberum arbitrium denegare: nonne pluribus divinæ Scripturæ teſtimoniis ipſius arbitrii libertatem demonſtrat? Videte de Gratia & libero arbitrio cap. 2. Dicet forte Janſenianus, aut Calviniſta defendere Auguſtinum ſolam libertatem lubentiæ? At ſi legeris, audies in nobis eſſe libertatem extendendi manum ad ignem & aquam, audies optionem dari faciendi quidquid vult non habenti neceſſitatem, poteſtatem autem habenti ſuæ voluntatis, audies bonum ex neceſſitate non eſſe, ut ſacra eloquia etiam a nobis ſuperius producta teſtantur. Ad hæc; num Prædeſtinatiani libertatem lubentiæ inficias ibant? Id quidem nullus dixerit. Cur ergo adverſus Adrumetinos, quos tamquam Prædeſtinatianos accuſaverant Creſconius & Felix, demonſtrare libertatem ſpontaneitatis & lubentiæ, illam nempe, quam non denegaſſent, etiamſi fuiſſent Prædeſtinatiani reapſe, imo & Stoici vel Manichæi? In Epiſtola etiam ad Valentinum nunc inter Auguſtinianas 215. n. 5. nonne profitetur agere ſe eodem in libro de libero arbitrio delineato a Salomone Prov. iv. 26. his verbis, *Dirige ſemitam pedibus tuis, & ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram?* Suis ergo Epiſtolis, ſuis argumentis commonſtrat pertractare ſe de libero arbitrio, quod eſt poteſtas indifferens ad utrumlibet. IV. In libro etiam de natura & gratia cap. 64. n. 76. probat auctoritate Jo. Chryſoſtomi peccatum de arbitrii poteſtate deſcendere, affirmans, non de illo ſe agere, *ſed de gratia, qua ſanatur per medicum Chriſtum, & qua poſſe non peccare deſcenditur.* Proximo capite 65. n. 78. laudat, probatque quandam ſententiam Hieronymi, *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt.* Et capite ſequenti 67. confirmat quæ ipſe ſcripſerat de lib. arbitrio libro 3. cap. 18. n. 50. *Quæcunque iſta cauſſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur:* quod & facit in priori libro Retract. c. 9. Tantummodo ubique teſtatur ſe hæc, & ſimilia ſcripſiſſe abſque præjudicio divinorum auxiliorum, & contentionem ducere cum Pelagianis *de gratia, qua nobis per Mediatorem medicina opitulatur, non de impoſſibilitate juſtitiæ.* Diſertiſſime ergo S. Auguſtinus impugnans Pelagianos liberum a neceſſitate arbitrium agnoſcit, inferens memorato capite 67. concluſionem iſtam Catholicam: *Poteſt ergo ei cauſſa, quæcunque illa eſt, reſiſti: poteſt plane. Nam in hoc adjutorium poſtulamus, dicentes, Ne nos inferas in tentationem; quod adjutorium non poſceremus, ſi reſiſti nullo modo poſſe crederemus.* V. Si liberum a neceſſitate arbitrium S. Auguſtinus ſive premente concupiſcentia, ſive trahente caritate perimi exiſtimaſſet; quomodo gratiæ & libertatis concordiam appellare potuiſſet quæſtionem perdifficilem, & talem quæ vehementer anguſtat, uti appellat in 2. de Peccat. meritis cap. 18. & de Gratia Chriſti cap. 47.? Num operoſum, & in labore multo poſitum eſt deprehendere cum in illicita, tum in ſancta delectatione motum animi cupientis, ſpontaneitatem, lubentiam, illam denique libertatem, quam pingunt Heterodoxi? Id quidem nulla omnino ratione. Quinimo magis erit laborioſum, atque impoſſibile ſive bonam, ſive malam cupiditatem abſque tali libertate percipere. Si quid ergo difficultatis & laboris habet gratiæ ac libertatis conciliatio, uti Auguſtinus affirmat; id profecto non de ea, quam Scholæ vocant ſpontaneitatis atque lubentiæ, ſed de ſola libertate accipiendum eſt, quam contradictionis, ſive a neceſſitate conſuetudo ſermonis appellitat. VI. Poſtremo ſi teſtimonio Auguſtini expreſſiſſimo, planiſſimo, apertiſſimoque evicero S. Patrem diſcrimen ponere inter libertatem a coactione, qua omnis homo appetit beatitudinem, & libertatem indifferentiæ, qua poſſit mutabili voluntate bene agere, atque demonſtravero ſtatui ab eo in homine lapſo ſub quacunque gratia, ſola excepta immortali beatitudine & gloria, cum qua nequit conſiſtere indifferentia judicii, poteſtatem peccandi: nonne libertatis inimicos obtundam penitus, & expugnabo? Legito ergo poſtremum Auguſtini Opus contra Julianum lib. vi. n. 11. ubi explicata libertate primi hominis a neceſſitate atque a peccato, per quam tamen poterat non peccare, ſi noluiſſet, hæc habet: *Quandiu vero in eadem rectitudine ſtetit, in qua poterat non peccare, ideo non accepit majus aliquid, hoc eſt non poſſe peccare, quia in eo quod habuit non uſque ad finem remunerationis voluit manere. Quod enim accepturi ſunt Sancti, qui in futuro ſæculo in corpore futuri ſunt ſpiritali, ſine interventu mortis fuerat accepturus*

rus

rus Adam, ut adſcendens ab eo, quod poſſet non mori, ad id perveniret ubi non poſſet mori; & adſcendens ab eo, quod non peccare poſſet, ad id perveniret ubi peccare non poſſet. Atque poſt pauca: *Si ergo quæris ubi, vel quando detur homini non poſſe peccare; præmia quære Sanctorum, quæ poſt hanc vitam illos oportet accipere.* Donec ergo corruptibili animamque aggravante corpore homo circumdatus eſt, numquam pollet ea libertate, quam habebit in corpore ſpirituali, ut non poſſit peccare; & licet in bonis operibus potentiori auxilio liberi arbitrii adjuvetur infirmitas, erit tamen non ſolum ad operandum indifferens, ſed etiam ob conditionem vitiumque naturæ potens delinquere; quamquam hæc ad malum poteſtas libertatis creaturarum eſt potius defectus, quam virtus, ut proxima theſi explicabitur. Demonſtrat ſubinde Auguſtinus eodem loco in ſuis de Gratia Chriſti diſputationibus non loqui de illa libertate immutabilis voluntatis, cujuſmodi eſt velle beatitudinem; ſed de libertate, quæ immutabilis non eſt, neque *eſt ita homini congenita, ſicut congenita eſt qua velit beatus eſſe, quod omnes volunt, & qui recte agere nolunt.* Ideoque non de libertate lubentiæ, ſed a neceſſitate differit Auguſtinus: quod videor mihi ſatis ſuperque commonſtraſſe.

Conſentiunt Auguſtino reliqui omnes Latini Patres. Hilarius in Pſalm. 2. *Unicuique noſtrum* (inquit) *libertatem vitæ, ſenſuſque permiſit, non neceſſitate in alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum, malumve eſſe lex cogeret. Quod autem honoris ac præmii bonitatis neceſſitas mereretur, cum malos nos eſſe vis quædam nobis conſerta non fineret?* Optatus Milevitanus libro adverſus Parmen. VII. ſcribit: *Voluntas habet pœnam, neceſſitas habet veniam. Homicida ſcelus, dum nemo cogit, poteſt facere, & poteſt non facere: adulterium mœchus, dum foris nemo compellit, poteſt admittere, & non poteſt admittere: & cetera hujuſmodi, in quibus liberum habetur arbitrium. Ideo prohibita dum geruntur, judicio deſtinantur.* Hieronymi nonnulla ſuperiori paragrapho producta ſunt. Bernardus denique de Grat. & lib. arb. ait: *Porro ubi neceſſitas, ibi libertas non eſt, nec meritum, ac per hoc nec judicium.* Et ſerm. V. in Quadrag. *Poteſt inimicus excitare tentationis motum, ſed in te eſt ſi volueris dare vel negare conſenſum. In tua facultate eſt, ſi volueris, inimicum tuum facere ſervum tuum.*

Depromitur autem ex dictis multiplex ratio. Ac primo cum peregrinantibus nobis a Domino inſit ſub quacunque aut prava, aut ſancta delectatione indifferentia judicii, nunquam poteſt inde voluntas ad bonum, ſive ad malum trahi fixa & immutabili neceſſitate. Deinde nemine peccante in iis, quæ non poteſt cavere; ecur nobis juſtiſſima Dei lege mala opera prohibentur, ſi hæc vitare non poſſumus? Eſſent eamdem ob cauſſam fruſtra ſancitæ leges, inutiles comminationes, irriſoria propoſitio mercedis, irreparabilis error, inanis labor, vanus conatus, voluntas rationalium aut fungus aut lapis, Deus vero tentator malorum, peccati auctor, irriſor hominum, & fallax magnarum rerum promiſſor. Nulla proinde forent peccata, nullaque virtutum merita; quandoquidem, ut rectiſſime in Hamartigenia cecinit Prudentius,

Non fit ſponte bonus, cui non eſt prompta poteſtas
Velle aliud, flexuſque animi convertere ſenſus.

PROPOSITIO II. Pertinet ad libertatis eſſentiam poſſe agere & non agere, non vero poſſe peccare; quod ineſt libertati creaturarum ob iſtarum imperfectionem.

Continet propoſitio duas partes: quas ex dictis non eſt operoſum inferre. Partem ergo primam demonſtrant primo idea ac definitio libertatis. Hanc, ut vidimus, definit Auguſtinus voluntatis poteſtatem, quæ ſua deliberatione poteſt huc atque illuc flecti, hinc atque illinc referri; & Thomas Aquinas 1. p. q. 62. art. 8. vim electivam mediorum. Quis vero hujuſmodi poteſtatem in iis, quæ neceſſario fiunt, poteſt deprehendere? Electio quoque nonniſi reſpectu plurium locum habet, ideoque minime in iis poteſt adeſſe, *quæ ad unum determinata ſunt*, eodem Thoma Auctore 1. 2. q. 13. art. 2. & 6. & Auguſtinus in 3. de lib. arb. cap. 8. docet illum eligere, qui ait, *mallem hoc, quam illud*. Quod evincitur etiam manifeſta ratione; nam electio non ultimi finis eſt, ad quem tendimus naturaliter & neceſſario, ſed reſpicit tantum media; in mediis autem eligendis, cum ea non ſint ſummum, & incommutabile bonum, voluntas nulla flectitur neceſſitate. Hæc pariter conformia ſunt doctrinæ Sancti Thomæ 1. part. quæſt. 83. artic. 3. Accedit quod ideo in animalibus brutis appetitus eſt, non electio; quoniam ad unum ſecundum naturæ ordinem determinata ſunt. Electio ergo non ſtat cum naturali determinatione. Eſt autem mens, & voluntas humana naturaliter determinata cum ad beatitudinem in communi, tum ad ſummum bonum viſum in ſe; quemadmodum dictum millies. In ceteris ergo omnibus habet determinationem liberam, atque ortam ex propoſitione boni, in quo poteſt apprehendi aliqua ratio mali; ideoque locum habet in iis electio & libertas. Atque hæc pariter traduntur a magno Aquinate 2. ſent. diſt. 25. q. 1. art. 1. & memorata q. XIII. 1. 2. art. 6. ut inquiunt, in corpore.

Hæc omnia confirmat idea deliberationis: nemo quippe de his deliberat, quæ in ſui poteſtate non ſunt. Tantummodo ad libertatis eſſentiam non requiritur illa deliberatio, qua animus ſuſpenditur, & anceps incertuſque fluctuat; hæc enim ignorantiæ potius indicium eſt, quam libertatis. Ita Deus abſque animi ſuſpenſione omnia perfecte luſtrans ac videns decrevit condere mundum, hominem reparare, hanc virginem eſſe Deiparam, illos Adæ poſteros fieri ex una maſſa perditionis vaſa in honorem, propterea quod optime noverat quicquid fini, ſuæ videlicet gloriæ, miſericordiæ, & juſtitiæ manifeſtationi congrueret. Nos e contra, uti hæremus in bivio, propterea quod viarum exitus ignoramus, ob ignorantiam animi hæſitatione diſtrahimur, præceditque deliberationem noſtram fluctuantis animi dubitatio. Quare in mediis eligendis eo major eſt libertas, quo major cognitio; & major etiam ad agendum vel non agendum indifferentia, quando voluntas pollens pleniſſima poteſtate nequit retardari difficultate aliqua, vel ignorantia. Atque hinc eſt, quod in homine lapſo libertas quidem eſt, ſed ob hujuſmodi ignorantiæ & difficultatis impedimenta ſpeciali gratia juvanda eſt: aderat in Adamo libertas vegetior, ſed opus non habebat hoc adjutorio, quia nihil ei *concupiſcentialiter* reſiſtebat: viget libertas plenior in ſanctis eo quod liberi ab omni miſeria nequeunt a ſumma felicitate divelli, bona tamen creata ſervato ordine finis amant indifferenter: in Deo autem, in quo nulla cognitionis aut amoris oritur viciſſitudo, reperitur libertas perfectiſſima & incomprehenſibilis. Igitur indifferentia, electio, & deliberatio ſemper liberum arbitrium comitatur, ſuſpenſio animorum non item.

Idem evincitur ex quo voluntas operum ſuorum habeat dominium & poteſtatem. Nam ut Auguſtinus ſcribit de Sp. & lit. cap. 3. *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit; ſi non vult non facit;* & S. Thomas 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod ſumus domini noſtrorum actuum ſecundum quod poſſumus hoc vel illud eligere. Electio autem non eſt de fine, ſed de his quæ ſunt ad finem, ut dicitur in 3. Eth. Unde appetitus ultimi finis non eſt de his, quorum domini ſumus.* Hic vero obiter nota S. Thomam non loqui de *dominio*, quod nihil aliud ſit quam motus voluntatis cum advertentia, ut reponunt quidam haud vulgares Theologi; quandoquidem appetitus ultimi finis, ipſaque hujus finis poſſeſſio non eſt abſque motu voluntatis, & eſt nihilominus per S. Thomam abſque dominio. Quare fateor dari aliquam libertatem naturalis inclinationis ſine indifferentia agendi & non agendi; quis enim amorem beatitudinis a coactione non fateatur immunem? quis neget amorem Dei eſſe in Beatis ſuaviſſimum & voluntarium? Sed in his eſſentiam veræ libertatis ſalvari, id vero nego, & pernego.

Inſuper Gregorius XIII., ac pridem S. Pius V. damnarunt Bajanas propoſitiones: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*, &: *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit.* Igitur repugnat libertati naturali etiam neceſſitas. Reſpondent quidam recte has propoſitiones damnatas in ſenſu Baji aſſerentis hominem peccare etiam in motibus indeliberatis concupiſcentiæ, & in eo etiam quod facit neceſſario; ut animadvertit Vaſquefius 1. 2. q. 190. cap. 18. Egregie quidem. Ita etiam Janſenius lib. 6. de Gratia cap. 6. At ego ex oppoſito dicam verum eſſe, quod motus quilibet concupiſcentiæ peccatum eſt, & homo peccat damnabiliter in eo quod neceſſario facit; ſi verum ſit quod ſola libertas a coactione eſt vere & proprie libertas. Diximus enim cum Auguſtino, *peccatum eſſe voluntatem retinendi & conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* In omni motu concupiſcentiæ ſi eſt per te talis voluntas, eſt vera & eſſentialis libertas. Quare ergo non eſt peccatum? Teneris reſpondere non eſſe peccatum, quoniam ad peccatum requiritur libertas indifferentiæ, & non ſufficit libertas a coactione: quod in damnatione tertiæ propoſitionis Janſenii eſt ab Eccleſia definitum. Libertas itaque a coactione, ſi ab indifferentia divellatur, non eſt illa vera & propria libertas, de qua ait Auguſtinus, *unde liberum eſt abſtinere*. Deinde, ut præmonuimus, non inquiritur contra Heterodoxus de libertate congenita voluntati, ut natura eſt; quam nec Calvinus, nec Stoicus, nec Manichæus audet negare; ſed inquirimus de eſſentia libertatis, ut eſt poteſtas arbitrii deliberans, eligens, & dominium habens actuum ſuorum, quam appellamus, ad diſtinctionem naturalis inſtinctus voluntatis, *liberum arbitrium*. Sit ergo libertas a coactione in voluntate, ut naturaliter vult & appetit; ſit porro; non eſt hæc libertas arbitrii; ſed voluntatis, quæ nequit cogi, natura. Oportet enim diſtinguere inter voluntatem ut eſt natura, & voluntatem ut eſt facultas arbitrii. Voluntas *in quantum eſt natura, aliquid naturaliter vult, ſicut voluntas hominis naturaliter tendit ab beatitudinem: & ſimiliter Deus naturaliter vult & amat ſeipſum;* inquit Doctor Angelicus 1. p. q. 41. art. 2. Sed *liberum arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſario volumus, vel naturali inſtinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet quod volumus eſſe felices, ſed ad naturalem inſtinctum. Unde & alia animalia, quæ naturali inſtinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri. Cum igitur Deus ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia vero non ex neceſſitate, reſpectu eorum, quæ non ex neceſſitate vult, liberum habet arbitrium:* ait

idem

dem Doctor 1. p. q. 19. art. 10. Tanta ergo luce æquivocatio omnis diſpellitur, & liquet neceſſitatem evertera eſſentiam liberi arbitrii, quatenus liberum arbitrium eſt; tametſi dum nos naturali inſtinctu appetimus beatitudinem, aut Deus amat ſemetipſum, aut Beatorum animæ diligunt Deum, reluceat quædam libertas immutabilis voluntatis, ut ſupra dicebamus cum Auguſtino. Ad Janſenium vero quod attinet; & ipſe tenetur aſſerere cum Bajo, omnem motum concupiſcentiæ, & prava deſideria, etiam neceſſaria, eſſe peccata; quoniam in his invenitur libertas a coactione, quam arbitratur ſufficere ad meritum vel demeritum. Unde declinare tentans errores Baji parum ſibi conſtat, figitque in eodem luto veſtigia. At de prima theſis parte jam ſatis.

Non ſpectare ad eſſentiam libertatis poſſe peccare ex dictis perſpicuum eſt. I. Quoniam in Deo, in Angelis, & Beatorum animabus eſt vera libertas, cum ſit reſpectu mediorum electio, dominium, & indifferentia, quæ liberi arbitrij conſtituunt naturam. II. Quoniam poſſe deficere non pertinet ad eſſentiam rerum, ſed ad imperfectionem ipſarum. Hinc S. Pater de Civit. Dei cap. ultimo ait, *Deus ipſe nunquid quia peccare non poteſt, ideo liberum arbitrium habere negandus eſt?* III. Dæmones & damnati nequeunt bene agere, cum nec gratiam habeant, nec poſſint habere; & tamen conſenſu Theologorum peccant, eo quod habeant indifferentiam judicii, & libere eligant medium iſtud, aut illud, cum perverſo fine tendentes in Dei odium, animarumque perniciem. Videatur Eſtius lib. 2. diſt. 1. §. 4. ac lib. 4. diſt. ult. §. 1. & Ludovicus Habert Tom. 1. pag. 698. Igitur ex oppoſito Deus, Beatique Spiritus, qui peccare non poſſunt, nec ſummum bonum odiſſe, in iis, quæ rationem habent mediorum, liberrimi ſunt, & mereri quoque poſſent, ſi eſſent beatitudinis expertes; quemadmodum promeruit Chriſtus, qui peccare non poterat, hominum redemptionem. IV. Cum media non eligantur ratione ſui, ſed ratione finis, peccatum vero avertat a fine debito: ſi de ratione libertatis foret poſſe peccare, collatum eſſet ſingulara liberi arbitrii beneficium, ut poſſemus a recto fine deflectere. V. Ut ratiocinatur præterea S. Thomas 1. p. q. 62. art. 8. ad 3. *Ita ſe habet liberum arbitrium in eligendis iis quæ ſunt ad finem, ſicut ſe habet intellectus ad concluſiones. Manifeſtum eſt enim quod ad virtutem intellectus pertinet, ut in diverſas concluſiones procedere poſſit ſecundum principia data.* Sed quod intellectus in aliquam concluſionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, pertinet ad defectum intellectus. Quod ergo liberum arbitrium plura valeat eligere prætermittendo ordinem finis, attinet non ad eſſentiam, ſed ad imperfectionem libertatis. VI. Inſuper omne bonum creatum, quod in ſe inſpectum, atque ut opponitur bono incommutabili, poteſt ſuapte natura deficera; quantum ad bonum ipſum incommutabile accedit, appropinquat ad plenitudinem eſſendi, ideoque non deſtruitur, ſed roboratur atque perficitur. Liberum itaque arbitrium, quod ſane ut creatum eſt ad malum ſufficit, & in peccata prolabitur, dum ſummo vero, ſummoque bono ita adhæret, ut illud ſua culpa nequeat amittere, non diripitur, non evertitur, ſed magis liberum eſt ac perfectum. VII. Poſtremo ne in ra facillima nimium loquaces ſimus; liberi arbitrii objectum eſt bonum, nec in malum tendit, niſi quatenus illud induit ſpeciem aliquam bonitatis. Electio quippe non eſt niſi boni, ſive verum bonum ſit, ſive apparens. Ad liberum ergo arbitrium non pertinet ut determinate ſe habeat ad bonum vel ad malum, ſed tantum ut poſſit actionem aliquam facere vel non facere; quoniam nulla facultas eſſentialiter illud reſpicit, quod non eſt per ſe illius facultatis objectum. Quod argumentum petitum pariter eſt ex Divo Thoma in 2. Sent. diſt. 25. q. 1. art. 2.

PROPOSITIO III. Libertas indifferentiæ ſuperius explicata requiritur etiam in ſtatu naturæ lapſæ ad meritum vel demeritum.

Vellicat hæc propoſitio Janſenianos; hoc tamen loco eſt ponenda, cum ſit præcedentium certiſſimum Conſectarium; iccirco enim Janſeniſtæ contendunt ad meritum & demeritum non prærequiri libertatem indifferentiæ, quoniam hanc volunt ad naturam libertatis minime pertinere. Hoc falſum eſt, ut tanta argumentorum copia probatum eſt hactenus. Igitur ad meritum vel demeritum requiritur libertatis indifferentia. Ducuntur Janſeniani alio principio, nimirum quod ſub dominatu concupiſcentiæ, atque ſub gratia victrici non maneat in libero arbitrio reluctandi poteſtas. Atqui hæc poteſtas remanet, cum nulla propoſitio boni creati atque apparentis, nec etiam ſummi boni cogniti tantum abſtractive, auferat indifferentiam judicii. Sunt ergo principia, & illationes Janſenianorum dogmatum fuco, verborumque laqueis fallaciſſime ſuta, præmiſſiſque theſibus fracta, & diſciſſa.

Refellitur ergo ſcitum Janſenianum primo Scripturis, quæ nobis delineant liberum arbitrium, quo meremur, tamquam poteſtatem extendendi manum ad ignem & aquam, eamque poteſtatem opponunt neceſſitati, explanantque verbis optionem, dominium, ac vim electivam ſignificantibus. Deinde definitionibus Tridentini decernentis eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, & diſſentiri ſi velit gratiæ excitanti. Ex Romanis quoque Pontificibus damnantibus tertiam propoſitionem Janſenii, & recenſitos Bajanos articulos conſtituentes peccatum in iis etiam, quæ vitare non poſſumus, & opponentes libertati ſolam coactionem, & vim inferentem violentiam. Rejicitur præterea pleniſſimis Patrum ſuffragiis, & præclariſſimi præſertim Auguſtini nullam ſtatuentis in peccato naturalem neceſſitatem, nullamque in bonis operibus determinationem immutabilis voluntatis; demonſtrantis autem contra Manichæos peccatum oriri a voluntate, non ut natura eſt, ſed ut eſt poteſtas movendi ſe, motumque ſuum cohibendi; & adverſus Pelagianos neceſſitatem gratiæ, cui poteſt reſiſti, & quæ minime tribuit non poſſe peccare, niſi videntibus Deum in ſe in corpore ſpiritali. Janſeniani inſuper revincuntur ratione ipſa, quoniam ubi eſt neceſſitas, nec vitium eſt, nec virtus, nec vituperium, neque præconium laudis: & locum ibi non habent præceptiones, hortationes, comminationes. Atque hæc omnia cumulatius ſupra contra Calviniſtas demonſtrata, nunc adverſus Janſeniſtas illis affinitate erroris conjunctos in compendium, ne iterum eadem repetantur, radacta ſunt.

Proferunt quidem illi teſtimonia plurima tam Patrum, quam veterum Scholaſticorum affirmantium illud eſſe liberum, quod eſt a voluntate, nec patitur violentiam; ſed hi aut liberum dicunt, accipiendo principale *analogatum* pro genera, ut explicavimus in hujus capitis præmonitionibus; aut voluntatem contradiſtinguunt ab inclinatione naturali, quomodo obſervatum eſt prop. 1. in Auguſtino diſputante cum Manichæis, & prop. 2. animadverſionibus Beati Thomæ. Sunt enim tam perſpicua & expreſſa, quæ in explicanda arbitrii libertate tradiderunt Eccleſiæ Patres, ut nonnulla, quæ alias forent ambigua, fiant prædictorum comparatione pleniſſima. Neque a Patribus diſſentiunt Scholaſtici, ut vidimus ex illorum principe Divo Thoma. Huic autem ceteros omnes conſentire demonſtrant Jodocus Coccius Tom. 2. Theſauri lib. 1. art. 5. Boucat Tom. 8. differt. 5. art. 3. prob. 6. & conferto ſtylo Tom. 5. a pag. 298. Nicolaus L'Herminier: quorum proinde recenſere nomina, ſententiaſque ſubjicera eſſet temporis, operiſque diſpendium. Fixum eſt ergo, exploratum, certiſſimumque omne meritum eſſe ex libero arbitrio, liberum arbitrium eſſe poteſtatem agendi vel non agendi non affixam neceſſitati, neceſſitatem denique ac libertatem invicem pugnare.

Oportet tamen, ne uſurpatis in Schola vocabulis obſtrepant garruli, hæc etiam exponere. Si quærant a te, Eſtne ad libertatis eſſentiam neceſſaria libertas *contrarietatis*; Reſpondebis, accepta libertate *contrarietatis*, quatenus eſt potentia eligendi unum ex duobus poſitiva contrarietate oppoſitis, ſcilicet bonum & malum; potentiam hujuſmodi ad liberum arbitrium non pertinere, ſed ad illud ſpectare tantummodo in quantum creatum eſt, nec ultimo fini hæret immutabiliter. Quare hæc libertas contrarietatis eſt in homine viatora, non in Beatis, non in Chriſto, non in Deo, in quibus vera eſt libertas abſque poteſtate peccandi. Si tamen duo media contraria ſint, & neutrum dicat oppoſitionem ad ultimum finem, libertas contrarietatis eſt ad liberum arbitrium neceſſaria; quoniam electio mediorum ſervato ordine finis ad eſſentiam pertinet libertatis. Atque hæc libertas contrarietatis eſt in homine viatore qui eligere poteſt tam conjugalem ſtatum, quam virginalem, & utrumque dirigera ad finem ultimum: eſt in Angelis, qui poſſunt corporibus contrarios motus imprimere, & ſibi etiam invicem obſiſtere, non reluctando divinis mandatis, ut de Angelo Perſarum ait Daniel: eſt in Deo, qui pro ſuo arbitratu humiliat, & ſublevat, percutit, & ſanat, ducit ad inferos & reducit, nunquam proprii nominis gloriam deſpiciendo.

Utuntur alio vocabulo Theologi, ideſt, libertatis *contradictionis*. Hæc ut a præcedenti diſtinguatur, non reſpicit poſitive contraria, ſed agere & non agere, velle & nolle: & definitur libera poteſtas agendi vel non agendi. Atque hanc ad liberum voluntatis arbitrium requiri eſſentialiter, conſtat jam ſatis. Contingera tamen poteſt, ut voluntas ſit determinata ad unam ſpeciem boni, v. g. ad diligendum Deum, quomodo determinata eſt voluntas Beatorum, & erat ante mortem voluntas Chriſti; & nihilominus maneat indeterminata ad hunc actum vel illum. Qui enim Deum videt in ſe, eſt ad illum amandum determinatus immutabili neceſſitate, pollet autem ſua libertate in actibus ceteris, qui verſantur circa objecta indifferentia, & ab illa caritate, a qua nequeunt deflecti, imperantur. Ita Chriſtus Patrem, quem neceſſario diligebat, orabat libere, & libere illi obtemperabat dando corpus ſuum percutientibus, & genas ſuas vellentibus. Promeruit hoc pacto, & operatus eſt hominum redemptionem cum poteſtate ponendi animam ſuam, ac perfectiſſima libertate. Conſueverunt autem Theologi appellare eam libertatem, qua voluntas ad nullam ſpeciem boni determinata eſt, libertatem *ſpecificationis*: illam vero, quæ determinata eſt ad aliquam boni ſpeciem, non ad hunc determinate actum, libertatem *exercitii*. Hanc poſtremam ſufficere ad meritum ex eo conſtat, quod intercedat in actu hujuſmodi liberi arbitrii poteſtas, indifferentia, & dominium.

PROPOSITIO III. Indifferentia liberi arbitrii non eſt mere paſſiva.

Redeo

Redeo tandem ad Lutheranos fulmine proſtratos a Tridentino ſeſſ. VI. can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit; ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit*. Apparet hujus Canonis veritas ex dictis: ſi enim perſiſtit adhuc in nobis liberum arbitrium, & illud non eſt niſi facultas agendi & non agendi, motumque habet diverſum a lapide, & ab iis, quæ ſunt ad unum determinata; certo certius potentia paſſiva non eſt, ſed activa. Addamus tamen ſpecialem aliquam confirmationem. Inclinare cor ſuum, laborare, Deo cooperari, exercere ſeipſum ad pietatem, certare bonum certamen, ſanctificare animam, eſt agere aliquid, non pati. Atqui liberum arbitrium præſtat hæc omnia. Agit ergo, non patitur. Minorem probant verba Davidis Pſ. 118. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas*. Apoſtoli in 1. ad Corinth. XV. v. 10. *Abundantius omnibus illis laboravi*, & in eadem Epiſtola cap. 3. v. 9. *Dei enim ſumus adjutores*, Græce θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί, *cooperatores*: atque in 1. Timoth. 4. v. 7. *Exerce teipſum ad pietatem*, in græco, γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν. Quis autem Gymnaſii exercitamenta dixerit nil operantium? In altera ad Timoth. cap. 4. v. 5. & 7. ſcribit idem Apoſtolus; σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι, κακοπάθησον. *Tu vero vigila in omnibus, labora*, tamquam ſtrenuus & aſſiduus miles nullis malis deterritus, ὡς καλὸς στρατιώτης Χριστοῦ Ἰησοῦ, additur in veteri Codice: & infra, *Bonum certamen certavi*, τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι. At ſtrenui profecto milites, & bellatores, qui nihil agunt! In 1. denique Joan. cap. III. v. 3. legitur, *Qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe*. Innumera ſunt in ſcripturis loca iſtiuſmodi.

Ex Auguſtino autem plura addi poſſunt præter ea, quæ produximus priori propoſitione. Docet in 1. Retract. cap. 22. illud eſſe in noſtra poteſtate, *quod cum volumus, facimus*. Itaque ſi nihil facimus, periit poteſtas arbitrii, quod jam oſtendimus eſſe falſum. Rurſus de Perf. Juſtitiæ cap. 19. *Præcepta*, inquit, *divina ut fierent non juberentur, ſi nihil ibi noſtra voluntas ageret*: & infra, *voluntas non implet, quod agit, niſi divinitus adjuvetur*. Sane cæmentarius præcipiens lapidi, ut aſcenderet ad culmen ædificii, ſive gerulo, ut adjuvaret progredientia ſurſum ſaxa, delirus eſſet ac ſtultus. Si ergo Deus præcipit, ſi nos adjuvat ad præcepta adimplenda; & nos certiſſime aliquid operamur. Deinde explicat S. Pater locis compluribus gratiæ energiam verbis Ezechielis 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*, dicens, *facit ut faciamus, agit ut agamus, &c.* Operatio ergo Dei non tollit, ſed prævenit tantummodo, & adjuvat operationem arbitrii noſtri. Poſtremo movens Deus creaturas, in eis ſecundum modum naturæ ipſarum operatur. Senſus & rationis expertes, ut ex earum fixa & invariabili determinatione colligitur, ita inflectit agitque, ut contraniti non valeant: Ergo rationales creaturas præditas vita, ſenſu, & facultate intelligendi ac volendi adeo præmovet, ut etiam a ſe ipſis moveantur, atque, dum more agunt humano, percipiant, velint, & ex mediis indifferentibus eligant alterutrum. Cæteroqui ſaxum, truncus, aut ſtipes eſt homo; aut eorum aliquid, quæ ad unum ſunt naturaliter determinata; & ſi quandoque prodigioſo eventu motibus feruntur adverſis, quomodo imperanti Deo, viriſque Thaumaturgis ad fidei argumentum obediunt mare, venti, elementa, omniaque virtuti Dei ſubjecta, ſunt tamen privata munere perceptionis & voluntatis. Quæ duo in nobis vigere conſcientia propria experimur. Atque his de libero arbitrio pertractatis, additiſque præceptionibus opportuno in loco diſpoſitis, nil ad expletionem quæſtionis ſupereſt, quam argumentationes contrarias diſpungere.

CAPUT III.

Diſſolvuntur Hæreticorum objecta.

VENIUNT primo in aciem quadrato agmine cum Lutheranis Calviniſtæ, ut probent Scripturarum Sanctarum phraſes ita eſſe accipiendas, ut nihil viribus detur humanis, & doceatur quid in nobis fieri poſſit, non quid ipſi efficere valeamus. Ezech., inquiunt, XVIII. 31. legitur: *Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*. Nunquid arbitrii noſtri ſignificatur iſtic operatio? Minime. Solus enim Deus cor novum & ſpiritum novum operatur in homine, auctore eodem propheta XXXVI. 26. *Dabo vobis cor novum & ſpiritum novum*. Ait Apoſtolus ad Philipp. II. 12. *cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini*. Num vires commendat arbitrii? At ſequitur e veſtigio; *Deus operatur in nobis velle, & perficere*. Scribit Joannes 1. Epiſt. III. 3. *Qui habet hanc ſpem ſanctificat ſeipſum*. Sed in Evangelio cap. XVII. 17. Chriſtus Patrem exorat, *Sanctifica eos in veritate*. Ex hac igitur verborum antitheſi evincitur eo tantum ſenſu arbitrium operari, quia Deus operatur in illo. Ita argumentatur Hunnius in lib. de lib. arb. contra Photinum.

Sunt hæreticorum aliqui tribuentes arbitrio actionem quandam, per quam forinſecus ſe accommodat mediis, quibus Deus operatur hominis converſionem: at in ipſa converſione libera voluntas nihil penitus agit. Sunt enim, inquiunt, homines veluti organica inſtrumenta, quæ Deus pro ſuo libito tractat. Sit in exemplo: Exodi XIV. 16. Deus inquit ad Moſen: *Eleva virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud*. Præcipitur Moſi ut findat aquas: nil ipſe adminiſtrat præter organum illud externum, & aquarum diviſio ſolius omnipotentiæ Dei actio eſt. Similiter præcipitur hominibus, *Convertimini ad me, vivite, mundi eſtote*. Quid autem homo? Exhibet Deo cor ſuum, tamquam mortuum, & inanime organum, & ſolus Deus illud innovat, vivificat, & convertit. Atque hoc pacto dicitur liberum arbitrium operari, ut dicitur virga Moſis diviſiſſe aquas maris. Tribuuntur enim ſæpenumero effecta cauſſarum efficientium inſtrumentali, & organicæ.

Lutherus autem in lib. de ſervo arb. horribiliora evomit. Scribit proponi nobis obſervantiam divinorum mandatorum appoſita conditione, *Si volueris*, ut conſtat ex cap. XV. Eccleſ. verſ. 14. Ex illa autem conditione inquit non probari liberum arbitrium; quemadmodum ſi dicatur, *Si Diabolus Deus erit, adorabitur*, minime infertur poſſe Diabolum in Dei naturam tranſire. Demum ſaltem in moralibus liberum arbitrium eſſe titulum ſine re nituntur Heterodoxi fallaciter demonſtrare Apoſtolica ſententia in 1. ad Corinth. cap. 15. v. 10. *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Hoc primum eſt hæreticorum argumentum, vel potius nugaciſſima eluſio.

Cui reſpondemus ex præmiſſa ſacrorum teſtimoniorum collatione demonſtrari neceſſitatem præmotionis divinæ, primaque bonorum operum principia ei tribuenda, a quibus non disjungitur noſtræ libertatis cooperatio. Facit ergo Deus in nobis cor novum, operatur velle & perficere, & ſanctificat in veritate, quoniam inſpirat ſanctam delectationem, adjuvat volentes, juſtificat operantes. Divinis enim oraculis unum a nobis exigitur, alterum nobis offertur: offertur Dei miſericordia, exigitur noſtra obedientia. Atque ut Auguſtinus ſcribit de Prædeſt. SS. cap. XI. quod exigitur in hominis, quod offertur in Dei eſt poteſtate. Hinc de verbis Ezechielis ſcribit S. Pater eodem capite: *Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur, ut intelligatur quod & nos eadem faciamus, & Deus facit ut illa faciamus; ſicut per Prophetam Ezechielem apertiſſime dicitur, Ego faciam, ut faciatis. Locum ipſum Scripturæ fratres chariſſimi attendite, & videbitis illa Deum promittere ſe facturum ut faciant, quæ jubet ut fiant*. Eadem eſt ceterorum locorum ratio. Ut ergo ex illorum antitheſi demonſtratur principium bonorum operum eſſe a Deo, ita commonſtratur liberum arbitrium a Deo motum bona opera efficere: atque inde ex æquo probatur Dei gratia, hominumque libertas.

Quod ſequitur ineptiſſima argutatio eſt. Omnes quippe creaturæ ſunt ſupremi Opificis inſtrumenta, omneſque ab eodem moventur; at unaquæque juxta modum naturæ ſuæ: ſi determinatæ ſunt, determinate; ſi liberæ, libere. *Lapides rationabiles ſumus, & viva materies; ſic nos Auctoris noſtri extruxit manus, ut cum opifice ſuo etiam is, qui reparatur, operetur*, inquit ſerm. 5. in Quadrag. Magnus Leo. Alio ergo motu diviſum eſt ad Dei nutum mare rubrum; alio Moſes extendit manum, & virgam levavit. Mare expers rationis ſtetit natura Auctori ſuo ſubjecta: Moſes præditus libertate juſſa fecit libero arbitrio mandatis Domini ſui obtemperante. Ita Spiritus Sanctus in nobis loquitur; ita Dominus dirigit greſſus hominis: ita inclinat cor regis, nos movendo velut organum ſuum. *Verum id* (inquit Eſtius lib. 2. diſt. 24. §. 15. ad 4.) *conditione inſtrumenti, quod eſt hominis rationalis*.

At cavillatio Lutheri videtur mihi hominis inſanientis. Primo enim ea conditio *ſi volueris* non ad præceptum pertinet, ſed ad mercedem. Deinde aliis in locis abſolute aſſeritur liberi arbitrii poteſtas; ut Geneſ. 4. v. 7. & ipſo Eccleſiaſtici loco: *Reliquit in manu conſilii ſui, & appoſuit ignem & aquam*. Præterea nonne inſaniret, qui diceret ſurdo, Narrabo tibi lepidam hiſtoriam ſi volueris audire? Neque ad rem facit productum Diaboli exemplum futile, leve, putiſcens. Conditionatæ enunciationes ex duabus compactæ ſunt, quarum poſtrema habet a priori aut neceſſitatem, aut contingentiam. Si dixeris, *ſi homo eſt, rationalis eſt*, neceſſariam profers propoſitionem: dum ais, *ſi avis fuero, volabo*, enuncias rem impoſſibilem: dum vero inquis, *ſi ero incolumis, ambulabo*, aliquid narras contingens; quoniam neceſſe eſt hominem eſſe rationalem; impoſſibile hominem eſſe avem: contingens hominem frui valetudine. Cum ergo in conditionatis enunciationibus ipſa conditio ſpectanda ſit; in illa *ſi diabolus Deus erit, adorabitur*, enunciatur res impoſſibilis, quia impoſſibile eſt Diabolum eſſe Deum: atque in iſta, *ſi volueris, ſervabis præcepta*, affirmatur aliquid poſſibile, quoniam poſſibile eſt te velle. Apoſtolus autem in prima ad Corinth. cap. XV. dicens: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, non excludit proprii liberi arbitrii operationem atque laborem, præmiſit enim, *Abundantius omnibus illis laboravi*: ſed tribuit divinæ gratiæ partes potiſſimas appoſite uſus particula *mecum* σὺν ἐμοί, ne liberi arbitrii vires arbitrareris extruſas. Mitto ſententias Patrum ac Theologorum affirmantium per gratiam trahi invitos

& relu-

& reluctantes, & prædeterminari actus noſtros. Hæc quippe dicta eſſe, in quantum Deus per inſpirationem ſanctæ dilectionis ex nolentibus volentes facit, atque caritate ſua præſtat ut delectet quod antea non delectabat, & in quantum ſancta delectatio vincit vividiori boni cupiditate adverſantem mali concupiſcentiam, nulla illata neceſſitate libero voluntatis arbitrio, quod naturali determinatione non fertur niſi in bonum in communi, & in ſummum bonum in ſe inſpectum, ideoque prædeterminatio gratiæ ſpectat infallibilitatem actus, non tollit indifferentiam arbitrii: hæc inquam mitto, cum fuerint explicata de H. Pelag. capite octavo, & ſequentibus.

Deinde arguunt Hæretici, ſaltem peccatores ſervos eſſe peccati, atque agi a dæmone captivos, ita, ut ipſius voluntati nequeant reluctari. Quod diſerte affirmat Joannes cap. VIII. v. 39. *Omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati*, & Apoſt. 2. ad Tim. 2. v. 26. *Reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem*. Eſt autem habere captivum quaſi *vivum capere*. Hinc Lutherus titulum fecit libro *de ſervo arbitrio*, quoniam non remanet ſub peccato ſui juris, & Dominus ſuorum actuum. = Reſpond. pluribus titulis peccatores dici ſervos, 1. quia ſervus non manet ſemper in domo, ut ibidem notat Evangeliſta. 2. quia addictus eſt operibus peccati, ac Diabolo ſervit ſuæ tamen voluntatis libertate. 3. quia niſi liberetur gratia Chriſti, nequit bene agere, etiamſi eligendo ad parvum finem media quæ cadunt ſub indifferentiam judicii, libere peccet, ac poſſit etiam peccatum omittere, imo auxilio divinæ gratiæ a via mala reverti & reſipiſcere. *Non ſolum poteſt homo habere caritatem qua ſit arbor bona, ſed poteſt etiam cupiditatem qua ſit arbor mala: ſed cupiditas hominis, quæ vitium eſt, hominem habet auctorem vel hominis deceptorem, non hominis creatorem*; inquit Auguſtinus de Grat. Chriſti cap. 20. Inſita igitur caritate, quæ eſt radix bonorum operum, eſt voluntas arbor faciens fructus bonos, & eſt ſerva juſtitiæ: prædominante cupidine, quæ eſt radix operum malorum, eſt arbor faciens fructus malos, & ſit ſerva peccati. Hæc ſunt a me poſita, quoniam nonnulli ex noſtris, ut ſimilia ſolvant, ex hoc Auguſtini libro citant verba Pelagii cap. 18. *Habemus poſſibilitatem utriuſque partis a Deo inditam, velut radicem quamdam fructiferam, & fœcundam; quæ ex voluntate hominis diverſa gignat & pariat; quæque poſſit ad proprii cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel ſentibus horrere vitiorum*. Videatur Nicolaus Girken Tom. 2. Tract. 1. q. 3. dub. 2. ad 1. ob. Revera autem hæc ſunt verba Pelagii, & radix fructifera non eſt ex nobis, quia caritas ex Deo eſt. Si dicas: Non poteſt arbor mala fructus bonos facere, ut ex Evangelio ait ibidem Auguſtinus; reſpondemus malam arborem eſſe, in qua eſt ſola radix cupiditatis; & ex cupiditate nequit produci fructus bonus, quemadmodum ex caritate produci nequit fructus malus. Nihilominus arbor mala cum ſola cupiditate poteſt non producere fructus malos, & inſita caritate poteſt producere fructus bonos. Quamobrem Auguſtinus in libero arbitrio deſtituto, ut autumabant Pelagiani, divina gratia non ponit neceſſitatem peccandi, ſed adſtruit neceſſitatem gratiæ, ut liberetur a ſervitute peccati. Peccatores vero obcæcati dicuntur captivi, non quod voluntate Diaboli impellantur in malum indeclinabili neceſſitate, ſed quoniam gratiam Dei peſſundantes continuo, aut quamfrequenter pravis ſuggeſtionibus aſſentiuntur: non reſipiſcunt, niſi beneficentiſſima Dei voluntate conferatur eis gratia victrix, quam dura corda non reſpuunt. Ita in textu Apoſtoli 2. ad Timoth. cap. 2. ea verba *Ad ipſius voluntatem* ſignificant peccatores hujuſmodi pœnitentiam acturos, ſi Deus voluerit illis efficacem gratiam largiri: quod conſtat tum ex ſcopo Apoſtoli hortantis Timotheum ut reſiſtentes veritati corripiat, quia forte Deus eis dabit pœnitentiam; tum ex græco textu, in quo demonſtrat variatio pronominis Dei voluntatem ſignificari, non Diaboli: ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα.

Audiendi ſunt modo Janſeniani. Illud, inquiunt, eſt in poteſtate voluntatis, perfecte liberum, & ſufficiens ad meritum, quod facimus cum volumus: At dummodo operemur cum ſola libertate a coactione, volumus operari. Sola ergo libertas a coactione ſat eſt, ut opus ſit perfecte liberum in noſtra voluntate, atque patratum cum merito. Probant majorem 1. Auctoritate Sanctorum, 2. Doctrinis Theologorum, 3. ab exemplis, 4. Ratione ipſa. Sanctorum auctoritas ſic ſe habet. Sanctus Pater Auguſtinus cap. 105. Ench. *Voluntas*, inquit, *aut voluntas non eſt, aut libera dicenda eſt*. In 3. de lib. arbitrio cap. 3. *Voluntas noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate*. De Civit. Dei lib. V. cap. 10. *Neceſſe eſt, ut quod volumus libero velimus arbitrio*. De natura & gratia cap. 46. *Perquam abſurdum eſt non pertinere ad voluntatem noſtram, quod beati eſſe volumus, quia id omnino nolle non poſſumus*. Quibus verbis rejicit eam ſententiam Pelagii, *Voluntatis arbitrio, ac deliberatione privatur, quicquid naturali neceſſitate conſtringitur*. Igitur juxta Auguſtinum ſtat cum poteſtate ac deliberatione arbitrii illud etiam quod neceſſitate patratur, & ſufficit ad rationem liberi quod ſit voluntarium. Atque id vidit optime S. Thomas q. 22. de veritate art. 1. ſcribens: *Libertas ſecundum Auguſtinum opponitur neceſſitati coactionis, non autem naturalis inclinationis*. Hoc eſt ergo placitum Auguſtini. Nec repugnant PP. alii. Divus enim Proſper S. Auguſtini diſcipulus, & pro Chriſti gratia ſtrenuus decertator cap. 18. adv. Collatorem definit liberum arbitrium *rei ſibi placitæ ſpontaneum appetitum*. Damaſcenus lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 14. *Arbitrii libertas nihil aliud eſt quam voluntas*. Sanctus quoque Bernardus cap. 1. 2. & 4. de lib. A. docet *ibi libertatem eſſe ubi eſt voluntas, & manere libertatem voluntatis etiam ubi eſt captivitas mentis*. Hæc & ſimilia complura evincunt quænam ſit Patrum de libertate arbitrii ſententia.

Progreditur in præſentia novorum Dogmatiſtarum argumentatio ad Scholaſticorum, alias magnopere floccifactum, adſciſcendum ſibi patrocinium. Nam S. Thomas q. 10. de Potent. art. 2. docet quod *naturalis neceſſitas, ſecundum quam voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat*. In 3. Sent. diſt. XVIII. art. 2. docet, *liberum arbitrium Chriſti etiamſi determinatum ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt; tamen in hoc non amiſiſſe libertatem, aut rationem laudis ſive meriti, quia in illud non coacte, ſed ſponte tetendit, & ita fuit actus ſui dominus*. Etiam Scotus docet actum beatificæ viſionis in Chriſto meritorium fuiſſe, & voluntatem ſemper habere modum ſibi proprium cauſandi libere, a naturali operatione diſtinctum. Videatur Tom. 12. quæſt. quodlibeto 16. Scholaſticorum aliorum, qui liberum arbitrium deſcribunt per ſolam libertatem a coactione, innumera loca Janſenius profert lib. VI. de Gratia Chriſti. Accedit ergo Patrum auctoritati etiam Scholæ pro dogmate Janſeniano ſuffragium.

Exempla idem confirmant. Deus enim ſeipſum neceſſario amat, & Pater & Filius naturaliter ſunt unum Spiritus Sancti principium. In Deo tamen veram libertatem eſſe, Auguſtinus non ſemel ſcribit contra Julianum, & impium foret id denegare. De Chriſto nemo ambigit quin nobis promeruerit redemptionem, etiamſi peccare non poſſet. Nos libere amare felicitatem, quam odiſſe non poſſumus, eſt doctrina expreſſa Auguſtini in V. de Civit. Dei cap. 10. & D. Thomæ Q. 24. de Veritate art. 4. Angelos jam incommutabili bono adhærentes nativa libertate non fuiſſe privatos res loquitur ipſa: nam beatitudo naturam perficit, non interimit. Igitur nec deſunt novis Dogmatiſtis documenta exemplorum.

Suppetiatur eis ipſa ratio. Quælibet diviſio eſt univerſalis rei in *ſpecies*, ſive inferiora, quibus ineſt eſſentialis illius generis ratio intima. Nemo non meminit libertatis a coactione, & libertatis indifferentiæ, tamquam duorum, in quæ ſcinditur amplum iſtud nomen *Libertas*. Utraque ergo, tam libertas indifferentiæ, quam libertas a coactione participat veræ libertatis naturam. Deinde libertas eſt proprietas rationalium, atque mentis perceptionem comitatur. Erit ergo libertas perfectior, ubi perfectior erit cognitio. Perfectiorem autem cognitionem illam eſſe, quæ immutabilis eſt, neque errori ſubjicitur, puto adeo eſſe compertum, ut nequaquam ſit opus quæſito. Habent hujus generis argumenta in libris Janſeniſtarum innumerabilitatem. Itaque his quatuor, videlicet dictis Sanctorum, placitis Theologorum, comparatione exemplorum, pondere argumentorum evincitur in homine lapſo veram propriiſſimamque libertatem conſiſtere per ſolam immunitatem a coactione.

Hydram hanc ſeſe tali auſu erigentem ſtatutis præcedenti capite nihil negocii eſt concidere atque obtruncare. Principio expediamus Patrum pronunciationes. De Auguſtino diximus ſupra, diſputantem cum Manichæis accepiſſe voluntatem, ut contradiſtinguitur a natura, ſive ut eſt liber ad faciendum, & ad non faciendum animi motus, ut eſt poteſtas movendi ſe, & cohibendi motum ſuum, ut eſt facultas animi quæ deliberatione huc atque illuc fertur, quemadmodum inquit de lib. arbitrio lib. 3. cap. 3. & de duabus animabus cap. 12. & 13. Adverſus autem Pelagianos idem confirmat; ita tamen, ut ſimul neceſſitatem prævenientis gratiæ commonſtret, refutando etiam decretum alterum Pelagianorum, neceſſariam eſſe ad eſſentiam liberi arbitrii indifferentiam contrarietatis ad bonum, & malum; unde conſequeretur Deum, qui peccare non poteſt, nullatenus eſſe liberum. Ad 1. ergo reſpondetur, veriſſimum eſſe quod voluntas nunquam vult niſi libere, ſi accipiatur ut contradiſtinguitur a natura, ſive ut eſt electio mediorum; tametſi neceſſario velit ut natura eſt, ſive ut naturali inſtinctu fertur in finem ultimum, & appetit propriam beatitudinem. Quod planum fecimus ſupra verbis D. Thomæ: cui & conſentit Ægidius noſter in 2. diſt. 25. art. 4. Idem tradit S. P. in 3. de lib. arb. cap. 3. nam ibidem poteſtatem voluntatis opponit neceſſitati, & voluntarium appellat, quod poteſt cohibere motum ſuum, affirmans, quod ſi neceſſitate iſte motus exiſteret, nulla eſſet ratione culpabilis. Et quidem ſi quicquid alicui eſt voluntarium eſſet ſub poteſtate & dominio illius, non ſcriberet Auguſtinus 1. Retract. cap. 22. *Cum poteſtas datur, non neceſſitas imponitur*: non affirmaret S. Thomas 1. p. q. 82. artic. 1. *electionem non eſſe de fine, ſed de his quæ ſunt ad finem; unde appetitus ultimi finis non eſt de his quorum domini ſumus*: non damnaſſet Eccleſia 67. propoſitionem Baji; *Homo peccat*

etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit. Quid plura diſputo? Non eſſet vera Chriſtiana fides de Spiritus Sancti divinitate, quoniam eſſet ſub dominin & poteſtate Patris & Filii, a quorum voluntate ſine ulla coactione procedit. At de Civit. Dei cap. 10. libri v. & de nat. & grat. cap. 46. S. Pater affirmat ſtare libertatem quoad exercitium, etiamſi voluntas ſit neceſſitata quoad *ſpecificationem*; idque contra eos, qui ad libertatis eſſentiam requirunt indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum. Ita, etiamſi appetimus beatitudinem neceſſitate, quoniam naturali inſtinctu non poſſumus nolle eſſe beati; nihilominus hoc, vel illud medium ad conſecutionem beatitudinis cum indifferentia judicii eligimus: & Deus, qui peccare non poteſt, habet tamen comparate ad creaturas pleniſſimam libertatem. Hoc pacto libertas voluntatis ut fertur ad finem ultimum opponitur duntaxat violentiæ; ſed libertas arbitrii, quæ eſt circa electionem mediorum, repugnat etiam neceſſitati. Quod & vidimus ſupra ex D. Thoma 1. p. q. 41. art. 2. & colligitur ex eodem Auguſtino cap. 47. de nat. & grat. ubi e veſtigio ſeſe explicat petita a ſenſibus comparatione; in quorum exercitio docet apparere voluntatis poteſtatem, in qua eſt non videndi poſſibilitas, quoniam in poteſtate noſtra eſt non videndi neceſſitas. Atque hæc non videndi neceſſitas in poteſtate noſtra eſt, *quia in poteſtate eſt cæcitas, quæ idipſum videre poſſe nobis, ſi volumus, adimamus*. Quamobrem ſicut non foret in poteſtate noſtra poſſibilitas videndi, niſi poſſemus illam nobis adimere; ita non eſt in noſtra poteſtate velle quoad *ſpecificationem* felicitatem, quia non poſſumus naturalem illius inſtinctum penitus in nobis extinguere. Atque hoc pacto expediuntur alia complura, quæ ex Auguſtino nimia confidentia depromunt Janſeniani.

Reliqui autem Patres, dum libertatem deſcribunt per *ſpontaneitatem*, & motum animi immunem a coactione; vel tradunt definitionem libertatis inadæquatam, veluti cum dicimus hominem eſſe terrenum animal: vel coactionem accipiunt non ſolum pro violentia, quam ab extrinſeca cauſſa interdum patimur, ſed etiam pro neceſſitate, cui voluntas ſubjici poteſt interius: vel demum delineant nobis voluntatem quatenus naturali inſtinctu fertur in ultimum finem, non ut eligit pro ſuo arbitratu media ad finem aſſequendum. Quæ generalis reſponſio ſingulos elidit adverſariorum cavillos. Sunt nihiloſecius quædam ſpecialiter obſervanda. Beati Proſperi contra Collatorem verba hæc ſunt: *Liberum ergo arbitrium, ideſt, rei ſibi placitæ ſpontaneus appetitus, ubi uſum bonorum quæ acceperat faſtidivit, & viteſcentibus felicitatis ſuæ præſidiis inſanam cupiditatem, & experientiam prævaricationis intendit, bibit omne vitiorum venenum, & totam naturam hominis intemperantiæ ſuæ ebrietate madefecit*. Deſcribitur nobis liberum arbitrium Adæ, quod pollebat, Janſeniſtarum aſſenſu, pleniſſima indifferentia, nec ſub dominatu concupiſcentiæ captivus, nec ſub victrici gratia addictus neceſſitati. Os ergo Janſenius, ejuſque gregarii perfricuerunt, quando pinxerunt nobis ex Proſpero liberum arbitrium in ſola *ſpontaneitate* excluſa penitus indifferentia. Eamdem rem eſſe liberum arbitrium, ac voluntatem ſcripſit rectiſſime Damaſcenus, accepta voluntate, ut eſt poteſtas agendi vel non agendi, non ut natura eſt, ut ſupra cum Auguſtino, & Scholæ luminibus explicavi. Enim vero de Fide Orthodoxa cap. 26. ſecundi libri ait Damaſcenus in noſtra voluntate ſita eſſe, *quorum liberam habemus poteſtatem, ut, aut ea faciamus, aut non faciamus*. Bernardus pariter cap. 1. de Lib. arbitrio, dum libertatem definit, *Habitus animi liber ſui, ſiquidem non cogitur neque extorquetur*, uſurpat *cogendi* verbum ut opponitur etiam neceſſitati, additque ſtatim, *Eſt quippe voluntatis, non neceſſitatis*. Capite autem iv. Doctor Mellifluus deſcribens libertatem Dei per ſolam excluſionem extrinſecæ neceſſitatis; illam profecto explicat, quatenus eſt motus animi volentis circa finem, non quatenus reſpicit media; oſtendens in iis eligendis liberum Deum eſſe ſine poteſtate peccandi, qua libertas premitur, non perimitur. Qua explicatione conſimilia aliorum Patrum verba a nobis excipiuntur.

Auctoritatem D. Thomæ non eſt cur tam confidenter aucupentur Janſeniani. Ille namque, ut vidimus, liberum arbitrium non agnoſcit niſi in electione mediorum; & ubicumque affirmat opponi libertatem neceſſitati coactionis, non naturalis inſtinctus, demonſtrat naturam voluntatis, ut fertur abſque violentia cauſſæ exterioris in finem: quod fieri docet ſine libero arbitrio. Quod ſcripſit in tertio Sententiarum diſt. 18. Chriſtum promeruiſſe, quoniam operatus eſt non coacte, ſed ſponte: accipiendum eſt hoc ſenſu; tametſi non poterat Chriſtus peccare & deflectere a fine ultimo, in quem ferebatur ſola libertate *ſpontaneitatis*, promeruit tamen, quoniam abſque libertate *ſpecificationis* ſtat libertas exercitii, & cum determinatione finis ſtat deliberatio, & electio erga media. Nam D. Thomas quadratis verbis ſeipſum explicat eadem diſtinctione, eodemque art. ad 5. *Dicendum quod liberum arbitrium Chriſti non erat determinatum ad unum ſecundum numerum, ſed ad unum ſecundum genus; ſcilicet ad bonum, quia ad malum non poteſt*. Nonnulla addere ex aliorum ſententia, animadvertit Anton. Maſſoulié diſp. 1. q. 3. & longe antea Salmanticenſes Tract. xxi. diſp. xxvii. dub. 3. Dirimit quæſtionem, omnemque ambiguitatem tollit 3. parte Summæ q. xviii. art. 5. in Corpore. *Dicendum*, inquit, *quod ſicut dictum eſt, in Chriſto fuit duplex actus voluntatis, unus quidem quo ejus voluntas ferebatur in aliquid ſicut ſecundum ſe volitum, quod pertinet ad rationem finis: alius autem, ſecundum quem ejus voluntas ferebatur in aliquid per ordinem ad aliud, quod pertinet ad rationem ejus, quod eſt ad finem. Differt, ut Phil. dicit in 3. Eth. electio a voluntate in hoc, quod voluntas per ſe loquendo eſt ipſius finis, electio autem eorum, quæ ſunt ad finem. Et ſic ſimpliciter voluntas eſt idem, quod voluntas ut natura. Electio autem eſt idem, quod voluntas ut ratio, & eſt proprius actus liberi arbitrii, ut in 1. p. q. 83. art. 2. dictum eſt. Et ideo cum in Chriſto ponatur voluntas ut ratio, neceſſe eſt etiam ponere electionem, & per conſequens liberum arbitrium, cujus actus eſt electio*. Quid quæritas manifeſtius, Janſeniane? Convelluntur hinc exempla 3. loco producta: ſiquidem Deus diligendo ſeipſum, Pater & Filius ſpirando divinum Flamen, Beati ſummo bono adhærentes, & quilibet homo amando felicitatem nullam patiuntur neceſſitatem & liberi ſunt libertate naturæ, qua voluntas fertur in finem; non libertate electionis, qua reſpicit media: hæc autem libertas, non illa, conſtituit eſſentiam liberi arbitrii. Scotus ideo exiſtimavit Chriſtum per actum beatificæ viſionis promeruiſſe, quia opinatus eſt non fuiſſe illi omnimode neceſſarium: at ad liberum arbitrium exiſtimaſſe neceſſariam indifferentiam, conſtat ex iis, quæ habet I. primo ſent. diſt. 39. & diſt. 25. q. unica, nec non in 2. diſt. 6. q. 2. Verum tamen eſt, quod Scotus diſtinguens *formaliter* a natura voluntatem docet nunquam voluntatem ipſam operari niſi libere, ac propterea Spiritum Sanctum libere procedere a Patre & a Filio, non naturaliter; propterea quod nequeat idem principium ſimul aliquid producere neceſſitate & libertate. Quod ſubtilis Doctor ſcripſit in 1. ſent. diſt. 10. in Reportatis, & xvi. Quodlib. At fruſtra hæc Janſenius interpretatur de libertate arbitrii ſufficiente ad merendum, & quam voluntas in mediis eligendis exercet. Et longe probabilior eſt illorum Theologorum ſententia, qui probant Spiritum Sanctum produci naturaliter, & non libere; & reſpondent Scoto, non repugnare voluntatem Dei eſſe liberam ac neceſſariam reſpectu diverſorum connotatorum, formali illa diſtinctione ſublata. Atque hoc pacto Deus neceſſario vult infinitam ſuam bonitatem, & libere vult creaturas; ut demonſtrat adverſus Scotum Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. x. q. 1. art. 2. hujuſque doctrinam, quantum ſpectat ad diſtinctiones, amplectimur. Ex quibus manifeſte deprehenditur aut dolus, aut oſcitantia Janſeniſtarum in captando ſibi patrocinio veterum Scholaſticorum.

Evaneſcunt ex dictis poſitæ ultimo loco ratiocinationes. Diviſio namque libertatis in libertatem a coactione, & libertatem indifferentiæ, non eſt diviſio libertatis arbitrii, ſed voluntatis, ut fertur abſque ulla violentia in debitum ſibi finem, atque ut eligit ſine neceſſitate conducentia ad illum media. In electione autem mediorum ſuammet libertatem exercet arbitrium; nam in finem trahitur naturæ inſtinctu, qui liber appellatur in quantum non eſt invitus, ſed exoritur a voluntate; non propria & *univoca* participatione libertatis, ſed *analogica*. Quod proxime ſequitur, habet ſimiliter faciliimam ſolutionem. Ratio & perceptio voluntatem antecedit, quoniam, ut in proverbio poſitum eſt, *nihil eſt volitum quin præcognitum*: ideoque libertas eſt proprietas rationabilium. Quemadmodum vero voluntas naturaliter trahitur in ſummum bonum, ſi illud videatur intuitive, in bona autem reliqua fertur indifferenter; ita intellectus in bono illn ſummn, & per lumen gloriæ propoſito nequit apprehendere ſpeciem aliquam mali, quæ poteſt in bonis reliqais deprehendi. Ratio itaque univerſaliter accepta infert motum animi voluntarium, non liberum. Ut liber ſit, debet a ratione prodire judicium indifferens. Alii diſtinguunt inter rationem ut *lux* eſt, oſtendens objecti bonitatem; atque ut *dux* eſt, illam trahens indifferenter ad bonum complectendum. *Lucem* itaque rationis præcedere dicunt actum quemlibet voluntarium; *ductum* vero anteire actui libero & contingenti. Erit hæc diſtinctio, ſi lubeat illam probare, penes connotata, ita ut ratio ſit *lux* comparate ad bonum in communi; ſit *dux* liberi arbitrii reſpectu bonorum particularium. Cum perfectiori denique notitia ſtat perfectior libertas, in quantum ex mediis indifferentibus eliguntur abſque periculo erroris quæ non deflectunt ab ordine finis. Igitur neque ſententiæ Patrum, neque opiniones Scholæ, neque ſummi Dei, Sanctorumque impeccantia, neque rationum diluendarum exornatio affert Janſenianis decretis aliquid adjumenti.

Pergunt objectare Janſeniani. Tradit in locis compluribus Auguſtinus culpa primi hominis arbitrii libertatem fuiſſe peremptam. Libertas autem primi hominis erat libertas indifferentiæ. Hæc ergo libertas poſt Adæ prævaricationem deperiit. Demonſtratur major ex iis, quæ habet S. Doctor in Enchirid. ad Laurentium cap. xxx.: *Libero arbitrio male utens homo & ſe perdidit, & ipſum*: & in Epiſtola ad Vitalem, *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Idem repetit S. Pater in lib. de Perf. Juſtitiæ cap. 14. lib. xiv. de Civit. Dei

cap. 11.

cap. 11. De corrept. & grat. cap. 12., in 1. Op. Imperf. contra Julianum num. 117. Quemadmodum Janſenius ex his Auguſtini locis dogmati ſuo auctoritatem emendicat; ita Immoderatus Criticus, Pelagiique *Hyperaſpiſtes*, uti a Lamindo Pritanio, ideſt, Ludovico Muratori, appellatur, Jo. Phereponue impingit Auguſtino enormem ſublatæ libertatis ſententiam Animadverſionum pag. 579. & 618.

Reſpond. diſt. ma. Tradit ſæpenumero S. Pater primi peccati granditate periiſſe libertatem e peccato, & a miſeria, robuſtam ſcilicet poteſtatem habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, & originariam arbitrii perfectionem, nulla carnis adverſus ſpiritum pugna labefactatam, propter quam non ſit homo liber juſtitiæ, niſi gratiæ opitulante, de qua gratiæ adverſus Pelagianos idem S. Pater productis a Janſenio, & Pherepono locis ſtrenue pugnavit; concedo. Docet Auguſtinus peccante Adamo deperditam libertatem ab antecedenti neceſſitate, & naturalem voluntatis facultatem agendi vel non agendi, qua poteſt ſeipſa mala quælibet deliberate patrare, & per gratiæ adjutorium etiam bona, ſuemet deliberatione atque electione, ideoque poteſtate, dominio, ac pleniſſima libertate; nego majorem propoſitionem. Atque hanc mentem eſſe Auguſtini præcedenti cap. demonſtravi, plura proferens quibus magnus Gratiæ Defenſor plane, perſpicue, & abſque ulla ambiguitate verborum profitetur ſe non habere quæſtionem cum Cæleſtianis quod liberum arbitrium deſtruerent, ſed quod originale peccatum, concupiſcentiæ pœnam, divinarumque gratiarum tollerent neceſſitatem. Solam ergo libertatem periiſſe, quæ fuit in paradiſo, e bellicoſa cupiditate, ab ignorantia ceteriſque animi vitiis, S. Pater in ſuis adverſus Pelagianos velitationibus aperte declarat. Quare, ut dixi etiam in lucubratione de Arbitrio primi hominis lib. 3. cap. 10., labitur ſupino errore Arminianus Phereponue ubicumque ſcriptitat eſſe Auguſtinum hoſtem apertiſſimum libertatis. Et quamquam de mente illius ſatis ſuperque diſſerui; addam aliquid gratiæ explicationis. In unaquaque re diſtingui debet natura e recta, pravaque affectione. Aliud eſt enim hominem eſſe animal ſenſu ac ratione præditum; aliud vero eſſe ſanum, aut infirmum. Ita non idem eſt voluntatem eſſe liberam, ac eſſe affectam bona vel mala cupiditate. Semper homo eſt rationale animal, at non ſemper fruitur integritate valetudinis. *Semper eſt in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona*; inquit Auguſtinus de Gratia & lib. arbitrio cap. 15. Sanitas corporis eſt talis habitudo & temperatio, per quam ea congruunt inter ſe, e quibus conſtamus. Bona voluntas eſt, quæ inter incommutabile, & fluxa bona tenet rectum ordinem, ut illi tantum adhæreat. Defectus illius temperamenti hominem reddit infirmum: & defectus hujus ordinis malam reddit voluntatem. Non habet homo infirmus poteſtatem ambulandi, qua ſanus pollebat, egetque ſingulari medicamento: caret mala voluntas poteſtate diligendi ſummum bonum caſte & inculpate, abitque poſt deſideria carnis ſuæ, niſi illam ſanet & retrahat gratia Chriſti medicinalis. Errant ergo in percipiendo liberum arbitrium quamplures, propterea quod inter libertatis naturam ejuſque integram valetudinem, atque infirmitatem diſtinguere ignorant, vel diſſimulant; ut ſapienter præmonuit Richardus Victorinus lib. de Erud. Inter. cap. 30. Hujuſmodi ſunt Pelagiani, & Arminiani, inſulſe & imperite argutantes: Si periit ob Adæ peccatum poteſtas bene agendi, periit libertas; aut ſi hæc viget adhuc, habet quiſque in ſe bonorum operum poteſtatem. Quæ conſecutio non minus fallax eſt, quam iſta. Si deperdita eſt integritas valetudinis, interiit natura rationalis: nam ut ſanitas corpori, ita rectitudo libertati eſt quædam qualitas accidentaria. Itaque Auguſtinus Pelagianos exagitans ait, *Quis autem noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in Paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino, Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis: utique liberi ad bene juſteque vivendum*. Addit libero arbitrio tribuendam non eſſe bene vivendi poteſtatem; *cum hæc poteſtas non detur, niſi gratia Dei*. Hæc S. Pater lib. 1. contra 2. Epiſt. Pelag. cap. 2. & 3. Eamdem diſtinctionem libertatis, & poteſtatis expeditæ ad recte juſteque vivendum innuunt aperte ceteri Africani Patres in Epiſt. ad Innocentium nunc inter Auguſtin. 177. his verbis: *Satis apparet quod ad non peccandum, ideſt ad non male faciendum, quamvis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus poteſtas non ſufficiat, niſi adjuvetur infirmitas*. Quæ omnia ut uno verbo comprehendam, dico ſapientiſſimum Auguſtinum recte contra Gratiæ inimicos affirmaviſſe amiſſum liberum voluntatis arbitrium quantum ad vires in origine ſuæ creationis acceptas, non quantum ad libertatis naturam.

Inſuper Janſeniſtæ argutantur. Si perſiſteret adhuc indifferentiæ libertatis, locum haberet etiam in hoc infirmitatis ſtatu definitio illa peccati ab Auguſtino tradita: *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*. Atqui hæc definitio in præſenti ſtatu non valet. Non ergo liberum eſt jam abſtinere a peccatis, ſed unuſquiſque dum peccata committit, neceſſario in illa abripitur noxiis ac pugnacibus cupiditatibus. Prob. min. 1. quoniam S. Auguſtinus lib. 1. Operis Imperf. n. 44. ait: *Hic peccatum definitum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati*. Et num. 47. *Ipſe eſt Adam, quem noſtra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur*. Quod repetit num. 104. & 1. Retract. cap. 15. Deinde S. Pater manifeſte neceſſitatem adſtruit peccandi ſcribens eodem lib. 1. Operis Imp. contra Julianum num. 105. *Multum erras, qui neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt. Si enim neceſſitas nulla peccandi eſt, (ut omittam vim mali ejus quod originaliter trahitur, hoc enim nullum eſſe vos vultis) quid patiebatur, quæſo, qui ſecundum veſtrum ſenſum tanta mole pravæ conſuetudinis premebatur, ut diceret, Non quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum hoc ago?* Et proximo num. 106. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut peccet a quo ignoratur juſtitia. Numquid ideo cum juſtitiam cognoverit, non ſunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ neceſſitate commiſit?* Præterea cum S. Pater peccatum dividat in illud quod peccatum eſt, ut fuit Adæ prævaricatio, in illud quod eſt pœna peccati, ut concupiſcentia & ignorantia, & in illud quod utrumque eſt, ſcilicet peccatum ſimul & pœna peccati, ut originalis noxa parvulorum; etiam in ſecundo illo genere veram rationem peccati ineſſe fatetur, ita ut mala quæ fiunt premente cupiditate, vel obcæcante ignorantia, etiamſi iis voluntas nequeat reluctari, culpæ habeant imputationem. *Qui cogenti cupiditati* (ait S. Pater 1. Retract. cap. 15.) *bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati*.

Reſp. ad 1. traditam peccati definitionem etiam in hoc ſtatu valere cum duplici tamen exceptione; una eſt, quod in ea non comprehenditur originale peccatum, e quo, cum contrahatur propagatione naturæ, liberum non eſt ex Adamo progenitis abſtinere; altera autem exceptio eſt, quod etiam in peccatis actualibus non eſt illa libertas ſana, pugniſque concupiſcentiæ nullatenus laceſſita, qua libertate cecidit primus homo. Hanc eſſe mentem Auguſtini liquet ex his, quæ habet eodem lib. 1. Operis Imperf. num. 47. *Multa quippe ſunt, quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum eſt abſtinere, ſed nulli tam liberum eſt, quam illi fuit, qui Deo ſuo, a quo erat conditus rectus, nullo prorſus vitio depravatus adſtabat*. Quare retorquetur contra Janſenianos eorumdem argumentatio. Tametſi enim Auguſtinus percellens Julianum bene ac ſapienter demonſtrat dari peccatum, a quo liberum non eſt abſtinere, niſi comparate ad illam voluntatem a qua primo deſcendit, ideſt peccatum originarium; atque in poſteris Adæ agnoſcit vitium luctamque concupiſcentiæ, quæ illius peccati pœna, aliorum incitamentum eſt, ideoque ab Apoſtolo, a Tridentina Synodo, ab ipſomet Auguſtino appellatur peccatum; nihilo tamen minus docet S. Pater, multa, ideſt actualia quæque peccata, quæ nobis ad culpam ſuppliciumque imputantur, fieri ab hominibus, iiſque ab hujuſmodi peccatis liberum eſſe abſtinere. Ergo Auguſtinus traditam olim peccati definitionem etiam in hoc infirmitatis ſtatu, prænotatis contra Pelagianos exceptionibus, locum habere definit. Ad ea igitur quæ priori loco ad probationem minoris fuere producta, dico S. Patrem reſpondere Juliano objicienti nullum dari peccatum originale, cum illud parvuli vitare non poſſint ſuamet libertate, quod libertas neceſſaria quidem eſt ad peccata actualia, at ad originale ſatis eſt, quod fuerit liberum originaliter, hoc eſt voluntate primi hominis, in quo omnes præextiterunt. Quamobrem allatam peccati definitionem ita confirmat, ut in peccato quod eſt ſimul pœna peccati, quale eſt originarium, ſufficiat fuiſſe liberum in voluntate primi parentis. *Proinde* (inquit memorato lib. 1. contra Jul. n. 47.) *originale peccatum nec ad illud pertinet quod primo loco poſuimus, ubi eſt voluntas malum operandi, unde liberum eſt abſtinere, alioquin non eſſet in parvulis, qui nondum voluntatis utuntur arbitrio: nec ad illud quod ſecundo commemoravimus, de peccato enim agimus, non de pœna quæ non eſt peccatum, quamvis peccati merito ſubſequatur: quam quidem patiuntur & parvuli, quia meſt eis corpus mortuum propter peccatum; non tamen mors corporis ipſa peccatum eſt, vel corporalis quicumque cruciatus: ſed pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi ſic peccatum eſt, ut ipſum ſit & pœna peccati. Origo tamen etiam hujus peccati deſcendit e voluntate peccatoris. Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt, &c.*

Quibus non ſolum priores minoris probationes ſolutæ ſunt, ſed etiam iiſdem revincuntur dogmata Janſeniana. Enim vero quemadmodum origo actualium peccatorum eſt uniuſcujuſque voluntas, ita origo peccati originalis eſt voluntas Adami. At ſi Adamo liberum non fuiſſet abſtinere a peccato, non contraheretur a poſteris peccatum originale. Ergo a nullo hominum committi poterunt actualia, niſi ab iis abſtinere ſit liberum unicuique. Hujus vero argumenti firmitas magis magiſque patet ex 1. Retract. cap. 15. ubi recenſitis verbis quæ ſcripſerat cap. 12. de duabus Animabus, *Illæ animæ quidquid faciunt ſi natura, non voluntate faciunt, ideſt ſi libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent, ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas*

ſtas nulla conceditur, peccatum eorum tenere non poſſumus: his inquam recenſitis ait S. Doctor iſtiuſmodi ſententiam nullatenus opponi originali parvulorum peccato, *Quia*, inquit, *ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccavit, quando libero & ad faciendum, & ad non faciendum motu animi non carebat, eique ab opere malo abſtinendi ſumma poteſtas erat*. Quibus ſatis manifeſto S. Pater in actualibus peccatis illam indifferentiam libertatis agnoſcit, qua non carebat primus homo, cujus origine reus quiſque ante regenerationem tenetur. Propterea ſcripſi cap. præced. Auguſtinum in primo Retract. cap. 15. traditam alibi definitionem peccati minime reprobaſſe.

At quæ ſecundo loco præferebantur de neceſſitate peccati, ſolvuntur facile ſi animadvertas peccatum aliquando accipi pro macula, quæ animam reatu obſtringit, quo ſenſu appellatur *debitum* Matth. vi. 12. & Lucæ xi. 4. nonnunquam pro pœna peccati, ut Geneſ. xix. 15. *Ne tu pereas in ſcelere civitatis*, & Pſ. vii. 17. *In verticem ipſius iniquitas ejus deſcendat*: interdum etiam pro vitio & mala animi habitudine, ſive inclinatione ad peccandum, de qua Apoſtolus ad Rom. vii. 17. *Nunc autem jam non ego operor illud, ſed, quod habitat in me, peccatum*. Quod Auguſtinus explicat in tertio de lib. Arbitr. n. 54. ſequenti comparatione, *Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrum, quod movemus in ore dum loquimur, ſed etiam illud quod ejus membri motum conſequitur, ideſt formam tenoremque verborum, ſecundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina: ſic non ſolum dicimus illud peccatum quod proprie vocatur peccatum, ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur neceſſe eſt*. Mitto aliam ſuppoſitionem peccati pro ſacrificiis & oblationibus, quo ſenſu legitur Oſeæ iv. 8. *Peccata populi mei comedent*; id enim ad præſens inſtitutum nihil confert. Itaque Auguſtinus ubi de originali peccato diſputat, affirmat peccatum vere ac proprie eſſe, debitumque damnationis afferre, etiamſi neceſſitate quadam trahatur; quoniam ad peccatum hujuſmodi, quod ſimul peccatum eſt & pœna peccati, ſat eſt liberum fuiſſe Adamo, a cujus voluntate deſcendit. Loquens vero de ignorantia & perverſa cupiditate, quæ nobis neceſſariæ ſunt, manentque etiam in regeneratis ad agonem, eatenus dicit eſſe peccata, quatenus & peccati pœna ſunt, & ad peccatum inclinant; non autem primordia naturæ, quomodo arbitrabantur hæretici Pelagiani. Atque hoc ſenſu lib. 1. contra Julianum num. 105. peccatum, quod nobis liberum non eſt, appellat Auguſtinus *vim mali, quod originaliter trahitur*, & inolitam, pravamque conſuetudinem. Comparate autem ad peccata, in quæ libere prolabimur, cogit nos cupiditas, ut Auguſtinus ait in 1. Retract. cap. 15., non proprie, ſed moraliter, in quantum ob vehementiam pravæ inclinationis, niſi gratia ſuccurrat, facile arbitrium ſuccumbit; & in quantum ob inſeminatum concupiſcentiæ vitium nequit omnia peccata abſque ſpeciali gratia vitare, quamquam in exercitio, ideſt, in deliberata admiſſione cujuſque peccati, nulla comprimatur ineluctabili neceſſitate. At quando ignoratur juſtitia, ſi poſſit debeatque hæc ignorantia diſpelli, peccatum utique eſt voluntarium: ſed cum ignorantia invincibili nemo peccat, niſi, ut eſt in conſuetudine ſermonis, *materialiter*. Qua reſponſione expeditur objectio ex lib. 1. Op. Imperf. num. 106. Ea enim, quæ proxime ſequuntur de diviſione peccati, quicquid hactenus dictum eſt, perſpicue confirmant.

Porro hanc eſſe Auguſtini ſententiam ſingula ipſius ſcripta teſtantur. In lib. 3. de lib. arb. cap. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras*. Lib. 2. de Peccat. meritis cap. 4. de concupiſcentia ſcribit: *Ad agonem interim manet non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omnino nocitura*: de peccato etiam Originali cap. 40. *Ipſa deſideria vitioſa, quibus ſi non conſentitur, nullus peccati reatus contrahitur, &c.* Similiter Enarrat. 3. in Pſalm. 118. num. 1. *Quid enim peccatum operatur nolentibus nobis, niſi ſola illicita deſideria? Quibus ſi voluntatis non adhibeatur aſſenſus, movetur quidem nonnullus affectus, ſed nullus ei relaxatur effectus*. Igitur quicquid mali facimus ignorantia invincibili, & quicquid inordinatum excitat in nobis non conſentientibus concupiſcentia, non eſt per Auguſtinum illud peccatum, cui reatus & punitionis meritum conjungitur; ſed peccatum illud, quod eſt naturæ vitium, pœna peccati, & peccatorum incitamentum.

Objiciunt adhuc ſectarii: Cenſet Auguſtinus comparari abſque flexibili libertate laudem, juſtitiam, veramque virtutem. De ſummo enim Deo ſcribit de nat. & Gratia cap. 46. *Nec dicere audemus ideo Deum non voluntatem, ſed neceſſitatem habere juſtitiæ, quia non poteſt velle peccare*. De Beatis vero in xii. de Civ. D. cap. 1. *Quam porro magnus ſit laus adhærere Deo, ut ei vivat, &c. quis cogitare digne poſſit, aut eloqui?* Atque in Opere imperf. lib. 5. n. 61. *Neque enim tunc ſine virtute vivemus, quando nobis concedetur, ne aliquando a Domino recedere poſſimus*.

Verum his quid ſit reſpondendum liquet ex dictis. Oſtendimus voluntatem diverſo motu ferri in ſuum finem, diverſo autem in media; in illum naturali inſtinctu & cum libertate a coactione, quam Auguſtinus eodem Op. Imperf. cap. 12. lib. vi. appellat libertatem immutabilis voluntatis:, & in media dominio, electione & libertate indifferentiæ, quæ dicitur ab eodem Auguſtino in 1. Retract. cap. 15. aliiſque in locis liber ad faciendum, & ad non faciendum animi motus. Quam duplicem libertatem, ad tollendam ancipitem amphibologiam, poteſtatemque verborum, appellare placuit libertatem voluntatis, & libertatem arbitrii. Poſſumus eodem pacto duplex virtutis genus diſtinguere, unum quod verſatur immediate circa felicitatem & beatitudinem, quam nemo poteſt odiſſe; alterum, quod ſiſtit in ordinata electione mediorum ad ipſam beatitudinem capeſſendam. His ergo reſpondetur ad 1. Auguſtinum in lib. de nat. & grat. cap. 46. evertere quod contexebat Pelagius, privari deliberatione quicquid naturali neceſſitate conſtringitur. Quod falſum eſſe demonſtrat exemplo voluntatis noſtræ, & divinæ. Nos quippe beati eſſe nolle non poſſumus, & tamen pertinet ad voluntatem noſtram quod volumus eſſe beati, ideſt liberi ſumus a coactione in appetenda beatitudine, & liberi a neceſſitate in ſeligendis mediis ad ipſam beatitudinem conducentibus. Similiter Deus non poteſt velle peccare, & nihilominus pertinet ad illius voluntatem habere juſtitiam, ideſt, liber eſt a coactione amando juſtitiam, qua ipſe juſtus eſt, & liber a neceſſitate largiendo, aut ſubtrahendo gratiam, qua nos juſtos facit. Atque ideo conſiſtit ſine poteſtate deflectendi ab ultimo fine libera mediorum electio; nec ſpectat ad eſſentiam libertatis poſſe peccare, ut commenti ſunt Pelagiani. Adhærere in Patria immutabiliter Deo per caritatem, quæ numquam excidit, laus eſt; ſed laus & virtus, quæ non eſt meritum: eſt autem virtutis, quæ habet meritum, merces & penſio. Et appellatur virtus ipſa quoque finis conſecutio, quoniam in electione mediorum relucet ſplendor virtutis, dum ad finem ultimum ordinantur. Porro virtutem, cujus merito finem aſſequitur, flexibili libertate comparari ſcribit eodem num. 61. lib. v. Op. Imperf. eximius Auguſtinus, *Non ergo* (inquit) *aliter eſſet virtus in nobis, niſi voluntatem malam ſic non haberemus, ut habere poſſemus: ſed pro hujus minoris virtutis merita accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem ſic non haberemus, ut nec habere poſſemus*.

Arguunt tandem: Definitio illa libertatis, quod ſit agendi & non agendi poteſtas, propendet in Semipelagianorum & Pelagianorum errores; atque defendendo illam indifferentem libertatem Calvinum quidem ſubvertimus, ſed Pelagiani erroris maculam non diluimus. Reſp. hanc eſſe atrocem Janſenii calumniam Præf. in lib. vi. de Gratia Chriſti. Eſto namque eamdem notionem libertatis admiſerint Pelagiani: tamen, ut ſupra vidimus, in eo minime refelluntur ab Auguſtino, ſed in hoc tantum, quod ſine gratiæ adjutorio liberum eſſe ucumquemque contenderent ad bonum agendum. *Liberum itaque in hominibus eſſe arbitrium utrique dicimus; non hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani: liberum autem quemquam eſſe ad agendum bonum ſine adjutorio Dei, & non eruı parvulos a poteſtate tenebrarum & ſic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis; hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum eſt nomen, atque ut nefario vocabulo terreas imperitos?* Hæc Auguſtinus lib. 2. de Nuptiis & conc. cap. 3. Fruſtra autem commune dixiſſet dogma, niſi circa notionem libertatis cum hæreticis conveniſſet. Quibus & imaginariæ Pelagianiſmi notæ evaneſcunt, & Janſeniani ſuiſmet argumentationibus refelluntur. Hactenus de libero voluntatis arbitrio, ſine quo nullus hominum vituperatione ſuppliciove dignus eſt: quemadmodum *cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum*, auctore eodem Auguſtino de duabus Animab. cap. xi.

CAPUT IV.

Deum non eſſe cauſſam effectricem peccatorum.

QUODLIBET ergo peccatum cum demerito conjunctum præcipuam cauſſam habet in voluntate, ejuſque motu libero ad faciendum & non faciendum quicquid prohibet æquitas, probitaſque juſtitiæ. Allicit vero ad peccandum inſeminata vitio originariæ labis lex membrorum, & pugnans cum ratione cupiditas, quæ nonniſi conſentientibus nocet: ut in Catholica Epiſtola ſcribit Jacobus Apoſtolus cap. 1. v. 14. *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*. Hanc etiam concupiſcentiam a Deo non eſſe contra Manichæos & Pelagianos in l. xii. cap. 13. fuit argumentis locupletiſſimis demonſtratum. Sunt præterea peccatorum morales cauſſæ quamplurimæ, Diabolus præſertim, & mundus. Et Diabolus quidem haud immerito comparatur 1. Petri cap. 5. v. 8. leoni rugienti: ipſe enim Evam ſeduxit, ſuaque invidentia mortem in humanum genus invexit. Circuit terram & perambulat inhians animarum perditioni, ut legimus 1. Jobi v. 7. Cum autem non poſſint dæmones voluntatem humanam immediate immutare, atque pro ſuo libitu in malum flectere: adinſtar latrantis canis terrent excitantque mentes hominum, ac ſenſibus illecebras ingerunt, delectati cultu ſimulacrorum, morum obſce-

nitate,

nitate, fallaci ſimulatione, immanique terrore; ut incautos pertrahant ad idololatriam, turpitudinem, errorem, atque abjectam animi diffidentiam. Quas dæmonum artes perſequitur Auguſtini ſtylus in 2. de Civit. Dei cap. 25. & ſequentibus, in libro de ipſorum dæmonum divinatione, atque aliis in locis. Mundus denique ad peccatum allicit perverſorum hominum exemplo, colloquiis, moribus, conſuetudinibus, aliiſque innumeris ſive perſonarum ſive locorum depravatis inſtitutionibus: ex quibus ad voluptatem, & vitæ commodum, impiorum quoque laudem captandam, vanus corporum ornatus, ambitio, intemperantia, libido, omniumque vitiorum erupit ſeminarium. Atque id quoque deplorat Magnus Auguſtinus in 3. de Doctrina Chriſt. cap. 10. ſerm. 5. de Verbis Domini, & Auctor ſerm. ad Fr. in Eremo ſerm. 31.

Deum cauſſam eſſe peccatorum ſcripſit Calvinus, ut dictum eſt capite hujus diſſertationis primo: nam poſt Lutherum docuit Deum decreto antecedenti, abſoluto, immutabili, & neceſſitatem inferenti tam ad primam, quam ad ſecundam mortem, ideſt ad peccatum, æternumque ſupplicium homines prædeſtinaſſe. Quod impius hæreſiarcha aſſeruit in 1. Inſtit. cap. 16. de lib. arb. contra Pighium, in Antidoto Trident. Concilii, & in lib. de æterna Dei prædeſtinat. Ab hujus autem execrando errore omnes Catholicorum Scholæ recedunt. Thomiſtæ primum, qui licet predefinitionem propugnent ad actum phyſicum ſive ad materiale peccati, negant tamen illius prædeterminari malitiam: atque demonſtrant ſtare cum efficaci præmotione indifferentiam liberi arbitrii; cui proinde imputandum eſt, quod phyſicus actus a recta ratione deflectat, habeatque privationem juſtitiæ, in qua ſita eſt malitia peccati. Nos vero cum Theologis reliquis illam quoque prædefinitionem negamus; ita tamen; ut cujuſcuoque actus, etiam illius, qui ab humana voluntate ſeſe a recto fine avertente peccati labe fœdatur, Deus auctor & prima cauſſa multiplici titulo dicendus ſit, & quia ipſe rationali creaturæ liberum arbitrium largitus eſt, & quia illam ſervat, & operantem præmovet univerſaliter, & quia prædeterminat quoque ad bonum in communi, unde ſe libere creata voluntas determinat ad bonum particulare: quia demum ſimultaneo concurſu illam adjuvat & regit.

Hoc ſenſu Deum eſſe cauſſam omnium etiam malarum actionum, ſi paucos excipias, Scholaſtici omnes cum Magiſtro in 3. diſt. 35. conſentiunt. Enim vero, ut eo loci argumentatur Magiſter, & in eadem diſt. Gregorius Ariminenſis, Eſtius etiam ad diſt. 37., & poſt S. Thomam 1. 2. q. 79. art. 2. Theologi reliqui; omnia quæ ſunt, in quantum ſunt, ſunt bona; ideoque Deum habere debent Auctorem. Quod memoratus Ariminenſis pluribus, quam faciant alii, argumentis evincit. Inter quæ depromit ex Auguſtino quæ ſequuntur. Primo S. Pater in libro de moribus Manich. c. 1. ait Catholicam fidem eſſe: *Omnium naturarum atque ſubſtantiarum eſſe auctorem Deum*; ubi S. Pater affirmat ſe nomine naturæ illud ſignificare, *quod intelligitur in ſuo genere eſſe aliquid*. Docet præterea S. P. 2. de lib. arb. c. 20. *Nullum eſſe bonum quod vel ſentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non ſit ex Deo*: ubi pariter bonum dicit, quod eſt aliquid; nam ſequitur: *Omnem quippe rem, ubi menſuram, & numerum, & ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cuncteris: unde autem iſta penitus detraxeris, nihil omnino remanebit*. Item Auguſtinus de vera Religione cap. 34. ſcribit nihil *utcumque unum eſſe poſſe, niſi ab eo, quod ſumme unum eſt, id habeat*. Et tract. 1. in Joan. *Omnia*, inquit, *per ipſum, fratres, omnia omnino per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Cum ergo peccatum, quantum ad actum pertinet, ſit aliquid, debet effici ab eo, quod eſt omne eſſe: quemadmodum in eo quod pertinet ad rationem peccati, cum nihil ſit, manifeſtum eſt non eſſe factum per Verbum, ut docet S. Pater eodem loco. Similiter Anſelmus in libro de Concordia Præd. ait, *Omnes actiones & omnes motus facit Deus, quia ipſe facit res a quibus, & per quas, & in quibus fiunt. Et nulla res habet ullam potentiam volendi aut faciendi, niſi illo dante. Ipſum quoque velle, quod aliquando juſtum eſt, aliquando non juſtum, a Deo eſt. Non eſſe vero bonum non eſt quid, nec a Deo eſt*. Et in libro de Caſu Diaboli c. 20. *Ipſum pravum motum voluntatis, & ſingulas pravas actiones, quæ fiunt a perverſa voluntate, Deus facit*. Sane cum actus peccati connumeretur inter res exiſtentes, ſi Deus Auctor eſt univerſorum quæ exiſtunt, etiam hujuſmodi actus eſt cauſſa effectrix. Quare minus probabile eſt quod ait Thomaſſinus citatus lib. 4. c. VII. *Illud quod eſt, in quantum eſt, bonum eſt*, juxta Auguſtinum ad naturas rerum ſpectare, non ad actiones. Melius enim dicitur cum Divo Thoma citato art. ad 1. S. Patrem, ubicuoque affirmat actum peccati, & voluntatem malam non eſſe a Deo, non loqui de actu & voluntate abſolute, ſed prout ſubeſt defectui & malitiæ, quæ nihil eſt. Ex quibus tamen non ſequitur Deum prædefinire *materiale* peccati; quoniam ſatis eſt, ut eodem cap. explicavimus, ſi Deus concurrat ad ſingula opera creaturarum, ut cauſſa univerſalis abſque phyſica prædeterminatione ad actus naturales, & ad eos maxime, qui cum malitia ſunt conjuncti. Noſtra ergo contra hæreticos fides eſt, Deum optimum maximum non eſſe ullatenus ſua prædeſtinatione, & immutabili decreto effectricem cauſſam peccatorum, ſive prædefiniendo malitiam, ſive impellendo neceſſitante præmotione ad actum cum malitia peccati ſuapte natura connexum.

PROPOSITIO. Deus non eſt efficiens cauſſa peccati.

Demonſtratur 1. ex Scripturis: Pſalm. V. v. 14. habetur, *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Sap. XIV. 9. *Similiter autem odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*. Habacuc 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*. Jacobi cap. 1. v. 13. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat*. Huc ſpectant omnia loca, in quibus peccatum prohibetur, ut Deuteron. 11. 16. *Cavete ne forte decipiatur cor veſtrum, & recedatis a Domino*. Amos v. 15. *Odite malum, & diligite bonum*. Lucæ XII. 15. *Videte & cavete ab omni avaritia*. Ad Rom. VI. 12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore*. 1. ad Corinth. 6. 18. *Fugite fornicationem, &c.* Idem comprobant loca, quæ divinam indignationem improbis minitantur; cujuſmodi ſunt, Exodi 32. v. 33. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo*. Jud. 2. 12. *Ad iracundiam concitaverunt Dominum*. Oſeæ XII. 14. *Ad iracundiam me provocavit Ephraim*. Ad Rom. 1. 18. *Revelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam, &c.* Evincunt idem teſtimonia, quibus aſſeritur repugnare iniquitatem divinæ ſanctitati, ut Eſaiæ 61. 8. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocauſto*. Soph. III. 5. *Dominus juſtus in medio ejus non faciet iniquitatem*. Oſeæ XIV. 10. *Rectæ viæ Domini, & juſti ambulabunt in eis*. Ex quibus habetur Deum nolle peccata, eadem prohibere, in ea pœnis animadvertere, ea tamquam bonitati ſuæ contraria ſummopere deteſtari. Atqui nemo ſui compos, & præditus ſapientia ac libertate illud efficit, quod odio habet, vetat, punit, & execratur. Ergo Deus peccata nequaquam ſua efficientia operatur. Accedunt definitiones Conc., quas requiras in 1. Volumine lib. VI. cap. 17.

Eadem eſt doctrina Sanctorum Patrum, ut vidimus agentes de Reprobatione Calviniana loco nuper laudato. Quibus addimus Ambroſium ſcribentem lib. 1. Hexam. cap. VIII. *Eradicari hanc malitiam Deus vult de animis ſingulorum. Quomodo ipſe eam generaret, cum clamet Propheta, Deſiniste a malitiis veſtris, & præcipue S. David, Deſine inquit a malo, & fac bonum. Quomodo ergo ei initium a Domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum, qui perturbandam Eccleſiam putaverunt*. S. Cyrillus in Joan. VIII. *Muſſitant quidam inter ſe, qua culpa fuerit Judæorum quod non crediderint, ſi neceſſe erat, ut ſermo Eſaiæ impleretur? Quibus reſpondemus Deum præſcium futurorum prædixiſſe infidelitatem Judæorum, non feciſſe: non enim propterea Deus ad peccandum quemquam cogit, quia futura hominum peccata novit; ipſorum quippe præſcivit peccata, non ſua*. S. P. Aug. in Pſ. 10. *Non potes*, inquit, *facere Deum auctorem peccati*. De peccat. meritis lib. 2. c. 17. *Nullius culpa humana in Deum referus cauſſam. Vitiorum namque omnium humanorum cauſſa ſuperbia eſt*. Vide de Lib. arb. cap. 3. lib. 3. De Spiritu & lit. cap. 31. De Gratia & lib. arb. c. 23. Tract. in Joan. 5. & 53. Subſcribit Auguſtino S. Proſper ad Ob. Vincent. cap. 2. *Deteſtanda & abominanda opinio, quæ Deum cujuſque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem*. Vide & c. 11. XIII. & XIV. necnon ad cap. Gallorum 1. VI. VII. XII. & XV. Fulgentius etiam lib. v. ad Monimum ait: *Sicut ergo peccatum in eo non eſt, ita peccatum ex eo non eſt. Quod autem ex eo non eſt, opus ejus utique non eſt. Quod autem nunquam eſt in opere ejus, nunquam fuit in prædeſtinatione ejus*.

Proferrem plura, niſi revincerentur hæretici etiam Proteſtantium ſuorum confeſſione. Magdeburgenſium, Gerardi Voſſii, & Salomonis Glaſſii meminimus memorato capite XVII. de Impiorum Reprobatione. Philippus Melanchthon in cap. 1. ad Rom. *Manifeſtum eſt*, inquit, *quod repugnare verbo ſit voluntatis humanæ, quia Deus non eſt cauſſa peccati*. Franciſcus Junius de Peccato Adami cap. IV. *Deus autem decrevit peccatum ipſius, non efficacis decreti, ſed permittentis, aut ſinentis modo*. Confeſſio Auguſtana edita a Melanchthone, & exhibita Carolo V. anno 1530. in Comitiis habitis Auguſtæ Vindelicorum: *Cauſſa peccati* (inquit) *eſt voluntas malorum, videlicet Diaboli, & impiorum hominum, quæ avertit ſe a Deo contra mandata Dei. Ideo Chriſtus inquit de Diabolo, Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*. Confeſſio pariter Saxonica exarata ab eodem Melanchthone an. 1551. probata autem a Paſtoribus Saxoniæ, Pomeraniæ, & Poloniæ cap. 1. habet: *Deus nec vult peccatum, nec approbat, nec adjuvat, ſicut ſcriptum eſt, Cum mendacium loquitur Diabolus ex propriis loquitur, & pater eſt mendacii: & primæ Joan. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo eſt, quia ab initio Diabolus peccat. Damnamus furores Marcionis, Manichæorum, & ſimiles*. Idem haberi in Confeſſione Tzengerina, & in Gallicana demonſtrat Hugo Grotius Tom. 4. Op. Theolog. pag. 158. ubi & ipſe ad Catholicorum ſententiam pleniſſimis ſuffragiis accedit. Revincuntur itaque hæretici non ſolum Patrum irrefragabili auctoritate, verum etiam ingenua ac liberali Sectariorum ſuorum confeſſione.

Ratione etiam execrabilis hæreſis impugnatur. Principio namque ſi Deus auctor eſt peccatorum, erit illorum aut moralis cauſſa, aut efficiens. Verum utrumque apertiſſime falſum eſt. Nam cauſſa moralis dicitur quiſquis ad malum trahit aut conſilio, aut exemplo, aut promiſſis, aut comminatione incuſſoque terrore. Quod tantum abeſt, ut Deus efficiat, quod potius peccantes increpat, invitat ad pœnitentiam, mulctat pervicaces ſupplicio gehennæ; atque ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria ſobrie & juſte & pie vivamus, miſit Filium ſuum in ſimilitudinem hominum factum evangelizare pauperes, implere legem, benefacere & ſanare, peccata dimittere, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Non ergo moralis cauſſa peccatorum Deus eſt, ſed virtutum, bonorumque operum duntaxat, quæ approbat, ſuadet, præcipit, ſingularique remuneratione compenſat. Erit multo minus auctor peccatorum phyſica efficientia. Nam ſi hoc foret, vel quia efficeret malitiam peccati, vel quia cauſſaret phyſicum actum. Porro malitia, cum nihil ſit quam privatio debitæ rectitudinis, cauſſam efficientem non habet, ſed tantummodo deficientem; ut demonſtratum eſt in noſtra diſputatione de malo contra Manichæos lib. I. cap. VIII. prop. 2. Quare Auguſtinus Tract. I. in Joan. ait: *Peccatum quidem non per ipſum factum eſt, & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cum peccant*. Nonnulli autem a Schola Theologi, qui malitiam peccati ſitam cenſent in actu aliquo poſitivo, nullum Dei concurſum ad actum hujuſmodi agnoſcunt, niſi indifferentem, quo ſuamet determinatione abutitur humana voluntas. Atque hæc proinde unica eſt cauſſa peccati; cum in malum protendat non vi flexibilis illius præmotionis, qua poſſet bene uti, ſed propria deliberatione, ob quam perverſe ipſa divina utitur præmotione. Nos vero hanc quidem ſolam univerſalem, flexibilem, atque indifferentem præmotionem ad actus peccatorum admittimus: ſed malum omne conſtituimus in boni privatione, ita tamen ut ſit aliquid *complexe* ſignificabile, ſcilicet denominetur peccatum actus carens debita rectitudine, ut cum dicimus aerem tenebroſum, hominem malum, lineam obliquam, non deſignamus rem aliquam ſignificabilem *incomplexe*, ideſt entitatem ab aere, ab homine, & a linea diverſam; ſed aerem, ut luce privatus eſt: atque ita de reliquis. Quod in explicanda natura peccati iterum exponam. Interim ergo iſtud infero, peccatum cum nihil ſit, Deum non habere cauſſam efficientem. Et dato etiam quod phyſice Deus determinaret ad actum peccati, ut propugnant Thomiſtæ; poſſet defendi nullum actum, ut actus eſt, eſſe malum; ſed tale eſſe duntaxat in quantum a cauſſa ſecunda male fit: ideoque quod homo male operatur, poteſt Deus efficere ſecundum rectam rationem, quemadmodum hominem, quem adulter generat in utero mulieris fornicando, inculpate Deus producit per creationem. Ita etiam Thomiſtæ ſeſe opponunt Calvinianis. Nec adverſus Thomiſtas recte argumentantur, qui objectant Calvini verba in I. Inſtit. cap. 18. *Videmus ut Deus perfidiam nolendo, defectionem Tribuum Iſrael alio fine juſte voluerit*. Unde inferunt nec per Calvinum determinari a Deo voluntatem, quatenus mala eſt. Etenim, ut vidimus ſupra, prædeterminatio Calviniana infert neceſſitatem inevitabilem, & liberum arbitrium tollit penitus, ideoque verbo tenus, non re tribuit perfidiam humanæ voluntati, quæ nequit eſſe non perfida. Contra Thomiſtæ cum ſua prædeterminatione talem libertatem fatentur, quæ in actu primo nulla coarctatur neceſſitate, & poteſt ab omni opere, quod eum malitia peragitur, abſtinere. Quamobrem ubi opinionem Thomiſticam refutavi, compreſſi ſimul obtrectatorum loquentiam. Nequit ergo Deus eſſe Auctor peccati, quia nec illius malitiam prædefinit, nec actum; tali ſaltem præfinitione, cui non poſſimus libere reluctari.

Poſtremo quis non videat quanta ex nefario Novatorum dogmate conſequantur abſurda? I. Neceſſe eſt, ut Deum auctorem malorum fateamur injuſtum: nam, ut ſcribit citato loco ad Monimum S. Fulgentius, *Nec juſtitia juſta dicetur, ſi puniendum reum non inveniſſe, ſed feciſſe dicatur. Major vero erit injuſtitia, ſi lapſo Deus retribuit pœnam, quem ſtantem prædeſtinaſſe dicitur ad ruinam*. II. Si verum eſt, quod Calvinus ſcribit in I. Inſt. cap. 22. nullam eſſe peccatorum, & præparationis ad interitum cauſſam, præter divinam voluntatem; nonne Deus pejor erit Nerone, qui gladiatorum cædes, incendium Urbis, ſuorumque internecionem voluptarie decernebat, & ſine horrore ſpectabat, cum omni arena, immanique ſpectaculo horribilior ſit nequitia, & interitus impiorum? III. Eo deteſtabilius peccatum eſt, quo recta ratio ineſt perpetranti. Non enim peccant feræ, dum uſu carentes rationis hominem diſcerpunt: minor eſt iniquitas in puero, quia minori pollet cognitione, gravius delinquit adultus, cujus eſt facilior inſpectio, conſiliique poteſtas; ſapientum vero, majorumque virorum, quibus non deeſt auctoritas & prudentia, habetur culpa valde deteſtabilis & execranda. Deus ergo infinita ſapientia, ac ſumma libertate præditus, ſi peccatorum auctor eſt, nequiſſimus erit, & incomparabilis malitiæ. IV. Cum peccata fiant Deo impulſore, ac motore, cur nam ei imputari non debent? Num, ut Zuinglius ſcribit ſerm. de Provid. cap. 5. quia Deus legibus non tenetur? At lex princeps, a qua ſingulæ jus æquitatis participant, eſt ſempiterna rectitudinis ratio, quæ in divina mente conſiſtit, & a qua deflectere Deus nequit, niſi adverſus ſeipſum inſurgat. An peccata ſelegit, ut finem ſuum conſequatur? Sed hæc de omnipotente nefas eſt cogitare; ad media enim illicita confugiunt, qui non poſſunt honeſta adhibere: & recte Eccleſiaſticus cap. XV. 12. clamat: *Ne dicas: ille me implanavit; non enim neceſſarii ſunt ei homines impii*. V. Si verum eſt, quod ſcribit Heideggerus in Tumulo Conc. Trident. Deum Judithem Holoferni, non ut Eſtherem Aſſuero, Rebeccam Jacobo, & Abigaelem Davidi objeciſſe ut amores caſtos exequeretur, ſed ut flagitioſe amando rueret in perniciem; imitatores erunt Dei, non Diaboli adminiſtri, qui comptas formoſaſque mulieres ad labefactandam puritatem immittunt, eaſque impudice conſpiciunt: eritque Dei inſtitutio, non Satanæ, retia expandere turpitudinis. VI. Deus auctor bonorum bonus eſt. Qualis ergo eſt Deus auctor malorum, niſi malus? Nam a malis fructibus arbor mala dignoſcitur. Inducit ergo ſententia Calvini Deum Manichæorum, ideſt, Deum malum; & cum Deus malus ſit nullus, viam conſequenter ſternit Atheiſmo. Imo ut melius eſt hominem non eſſe, quam peccata committere, ita melius eſt non eſſe Deum, quam hunc eſſe auctorem peccati.

CAPUT V.

Ad objecta Hæreticorum Reſponſio.

PRÆTERMITTIMUS plura hæreticorum argumenta aliis in locis ſoluta. Nam in I. Tomo lib. II. cap. 7. ſatisfecimus iis, quæ urgentur ad probandum Deum auctorem eſſe mendacii, & erroris. In lib. etiam IV. cap. 7. declaravimus quomodo ſit in Deo ſine prædeſtinatione præſcientia peccatorum; per comprehenſionem nempe divinam; & per ideas omnium futurorum in ſempiterna Dei mente exiſtentium, ut docet S. Pater lib. III. de lib. arb. cap. 3. & 4. & Tractatu LIII. ſuper Joannem. In lib. autem VI. cap. 17. explicavi qua ratione Deus dicatur corda impiorum obdurare ſubtrahendo gratiam, ut docet S. Pater eodem Tractatu, Epiſt. ad Sixtum, & de Gratia & lib. arbitrio cap. 23. Dictum eſt ibidem quo ſenſu inclinet Deus voluntates in malum *occaſionaliter*, & permiſſive, quatenus exhibet objectum inclinans ſuapte natura ab bonum, ſed ex illo impiorum malitia captat ſuæ perditionis motivum, ut contigit Holoferni, cujus exemplum imperite nobis objectat Heideggerus. Itaque hæc omnia memoratis in locis requiras.

Remanent nunc diluenda quæ ſequuntur. Legitur I. Regum cap. 2. v. 25. de Filiis Heli increpatis a Patre: *Et non audierunt vocem patris ſui: quia voluit Dominus occidere eos*. Peccabant ergo abſoluta Dei voluntate, quoniam Dominus illos interficere pro ſuo placito prædefinierat. = Reſpondent Noſtrates diſt. conſequens: Peccabant, quia Deus prædefinierat illis ſubtrahere gratiam ob crimina, quibus retrahebant homines a ſacrificio, eoſque digna morte mulctare, conc. Peccabant, quia Deus decreverat illis impertiri malitiam, & eos ad peccatum impellere, volens ante peccatum illorum punitionem, nego. Quæ reſponſio bona eſt, traditiſque ab Auguſtino interpretationibus comprobata. Verum ad frangendam Calvinianorum audaciam, dico particulam *quia* hoc loco reddendam eſſe pro *idcirco*, *igitur*, aut conſimili, ut ſenſus ſit, *Non audierunt vocem patris ſui, & idcirco Dominus voluit occidere eos*. Particula enim hebraica כי, *Chi*, vim habet perſæpe conjunctionis concluſivæ, ut Geneſ. XXII. v. 17. aliiſque in locis. Atque hunc ſenſum exhibere laudatum textum, liquet ex verſ. ſeq. 29. 30. & 31. ubi teſtatur Dominus velle ſe præcidere brachium domus Heli, quoniam filii comederant primitias omnis ſacrificii. Quare ideo voluit Deus ipſos occidere, quia peccaverant. Hinc, adverſus alios Refractarios fatentur hoc loco declarari ſententiam Domini de morte plectendis ſceleſtiſſimis filiis Heli, & adverbium *quia* idem valere, ac *quapropter*, Buxtorſius in Lexico, & Vorſtius & Alſtedius apud Sixtinum Amama in Gramm. H. p. 228. & Glaſſium lib. 3. Tract. VII. de Conjunctione Can. XXI.

Ulterius objiciunt. Quod Deus præcipit, illud vult: Præcepit aliquando peccatum: Vult igitur. Minor probatur ex lib. 2. Regum cap. XVI. v. 10. ubi de Semei dictum eſt, *Dominus præcepit ei, ut malediceret David: & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* Reſp. nego minorem: ad probat. dico, hæc eſſe verba ipſius Davidis, qui ſcelerum ſuorum conſcientia perculſus putavit Semei Deo auctore ſibi imprecatum, quia vir ſanguinum erat, & alieni thori contaminator, ob quæ conviciis & maledictis merito proſcinderetur. Probris autem vexare impium, ut impium, poterat Deus præcipere, cui *abominabile eſt cor pravum*, quemadmodum legitur in Proverbiis cap. XI. 20. Fuit ergo pœnitentis & humilis perferre contumeliarum aculeos, & exiſtimare præceptum Domini quod erat procacitas maledicentis. At Deus minime Semei ad maledicendum impulerat: quin & ipſe maledicus infra cap. XIX. 20. iniquitatem propriam agnovit, & venia a Davide impetrata, poſtmodum regnante Salomone præſcripta tranſgreſſus pependit utriuſque culpæ ſupplicium. Ita Deus maledictionem illam

permi-

permiſit, non juſſit, & inclinavit cor Semei ſubtrahendo gratiam, non impertiendo malitiam. *Nam ſi jubenti obtemperaſſet Deo, laudandus potius, quam puniendus eſſet, ſicut ex hoc peccato poſtea novimus eſſe punitum*; ait Auguſtinus de Grat. & lib. arb. capite viceſimo. Adhibenda eſt eadem reſponſio conſimilibus exemplis, de Joſeph a fratribus vendito, de numeratis a Davide populis Iſrael & Judæ, de proditore, & crucifixoribus Chriſti Domini, & aliis ſimilibus, quorum utilitatem Deus prædefiniit, iniquitatem vero ſponte ab impiis patratam juſto judicio permiſit. Vide quæ ſcripſimus 1. T. lib. 4. cap. 7.

Inſuper opponunt: Amoſi cap. III. v. 6. legitur: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*, & Eſaiæ XI. v. 7. *Ego Dominus faciens pacem & creans malum*. = Reſp. utrumque Prophetam loqui de malo pœnæ, non autem de malo culpæ. Per Amos enim prædicit Deus everſurum ſe Iſraelem, templa, regumque domos, eo quod inſanias paterentur, cultum ſcilicet idolorum in montanis Samariæ. Et Eſaias pariter exprobrat Iſraelitis, quod in victoriis Cyri, & liberatione populi Dei non agnoſcerent vertentem dorſa regum, & gentes ſubjicientem. Unde Auguſtinus contra Adimantum cap. 26. de verbis Amoſi ait: *Malum hoc loco non peccatum, ſed pœna accipienda eſt*; & de loco Eſaiæ, proximo capite 27. *Etiam hoc eadem regula ſolvitur*. Legite lib. 1. cap. 8. reſponſiones ad objecta Manichæorum.

Præterea objiciunt S. P. Auguſtinum cap. 101. Ench. ſcribentem: *Fieri poteſt, ut hac velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona*: & lib. 5. contra Julianum cap. 3. ubi demonſtrat concupiſcentiam & cæcitatem non eſſe rationalis creaturæ conditionem, ſed pœnam peccati, & propterea a Deo juſto judicio tradi impios in deſideria cordis eorum, ut docet Paulus ad Rom. c. 1. v. 24. Nec docet tantum tradi per gratiæ denegationem, ſed etiam virtute potentiæ ſuæ, quod probat verbis ejuſdem Apoſtoli ſeq. cap. IX. v. 22. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, &c.* Si ergo Deus per potentiam tradit impios in deſideria cordis eorum, dicendus eſt trahere illos efficienter in perditionem. — Reſp. S. Patrem cap. 101. Enchiridii voluntatem appellare *finem operationis*, & affirmare interdum homines ad malum finem ordinare, quæ Deus in bonum prædordinat: *Velut* (inquit) *ſi malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus*. Alia affert exempla, ideſt Judæorum, qui mala voluntate occiderunt Dominum Jeſum, quem Deus voluntate bona, ut occideretur, permiſit: & Pauli, quem fideles nolebant pergere Jeroſolymam ne pateretur mala prænuntiata ab Agabo, cum illuc adire Deus vellet ad Chriſti fidem prædicandam ſeſe martyrem exercendo. In quinto autem contra Julianum docet tantummodo tradi impios a Deo in deſideria cordis eorum, quatenus in pœnam præcedentis peccati divina efficaci gratia deſtituuntur, redarguens ſimul hæreticum, quod nollet concupiſcentiam ad peccatum allicientem eſſe vitium labe originali inſeminatum. *Si autem* (inquit) *non eſt pœna peccati, profecto iniqua pœna eſt, & injuſtum facis Deum, quo jubente vel ſinente, aut infirmum, quo non avertente infligitur innocenti*. Ubi conſulto ait, *quo jubente, vel ſinente*, ut intelligas concupiſcentiam ipſam, ut malum eſt, permitti; ut pœna eſt, juſto judicio corpori mortis hujus adhærere. Nec alio ſenſu docet tradi divina potentia improbos in immunditiam, niſi quia deſeruntur a Deo, ut oſtendat potentiam judicii in reprobis, & virtutem miſericordiæ in electis: *Cum ergo dicitur homo* (inquit eodem capite S. P.) *tradi deſideriis ſuis, inde fit reus, quia deſertus a Deo cedit eis, atque conſentit, vincitur, capitur, traditur, poſſidetur*. Ita traduntur impii in deſideria cordis eorum, Deo permittente, non impellente, quoniam, ut ſcribit idem S. Doctor de nat. & grat. cap. 22., *per cordis cæcitatem, quæ fit deſerente luce ſapientiæ*, in plura & gravia peccata collabuntur.

Denique objicitur. Dictum eſt ſupra, Deum eſſe primum cauſſam cujuſque actus: At homo ponendo actum malum peccat: Ergo & Deus; maxime cum concurrat ad aliquos actus inſeparabiles a malitia, ut ad mendacium & odium. Nec valet reſpondere, eſſe cauſſam univerſalem, non prædeterminantem hujuſmodi actuum. Etenim hoc ſufficit, ut auctor dicatur omnium operum naturalium, & eorum quæ creatura innocens perfecit. Igitur ſatis erit, ut ſit efficiens cauſſa peccati, ad actum pravum concurrere univerſaliter. — Reſp. hominem non ideo peccare quia actum ponit; ſed quia ponit pravo animo, & deviando a recta ratione. Poteſt autem idem actus fieri ab homine intentione mala, & ſimul a Deo voluntate bona, ut ſupra diximus cum Auguſtino. Nec obſtat quandoque ab actu inſeparabilem eſſe malitiam; quoniam inſeparabilis eſt ab actu, quatenus efficit a cauſſa particulari, & prædeterminante actum ipſum: non prout eſt a cauſſa univerſali & indifferente; quomodo defectus ſoni, ambulationis, rudiſque ſcripturæ tribuitur citharæ, tibiæ, & calamo, non cauſſæ principi; ut diximus lib. IV. cap. VII. ad object. 2., propterea quod hujuſmodi inſtrumenta ſunt ad vitium determinata ſeipſis. Sane concurſus univerſalis & indifferens ſufficit, ut Deus ſit auctor operum ſingulorum, quia quidquid eſt in aliquo genere, pendet a cauſſa, ſine qua nihil eſt. At concurſus hujuſmodi non ſufficit, ut Deus dicatur cauſſa peccati; quoniam iſtud, in quantum eſt malum, eſt nihil; ideoque cauſſam non habet niſi deficientem ab eſſe. Quod ſuperius explicavi comparatione tenebrarum, atque in diſſertationis exitu repetam ſequenti Epigrammate divi Proſperi:

Per Verbum omnipotens Deus omnia condidit unus,
A quo natura eſt nulla creata mali.
Nulla igitur vitiis ſubſtantia, nullaque vita eſt,
Quæ vegetet corpus, materiamque ſuam.
Sed cum libertas diſcedit ab ordine recto,
Nec ſervant proprium quæ bona ſunt modulum;
In culpa & vitio eſt vagus in contraria motus,
Fitque malum verum deſeruiſſe viam.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS
LIBER DECIMUS SEPTIMUS,
QUI INSCRIBITUR
DE HÆRESI JANSENIANA.

VALDE affinem eſſe Calvinianæ hæreſi Janſeniſtarum circa libertatem arbitrii doctrinam, nemo putet a me injuria, & falſa accuſatione prolatum. Denegaſſe Janſenium libertatem indifferentiæ, ſine qua diximus nullum voluntatis opus liberum eſſe, & cum poteſtate ac dominio peractum, annuunt Janſeniani, norunt omnes, atque evincit, proxima diſſertatio, Theologi Portus Regii, & qui hoc abolito nomine ad partes Janſenianas acceſſere, Indifferentiam a libero arbitrio indivulſam fatentur; ſed paſſivam, qua vel cupiditatis, vel caritatis impulſu humana voluntas abſque electione & dominio huc, aut illuc abripiatur: ideoque, ſi activam indifferentiam, qua liberum arbitrium a gratia excitatum poſſit motum ſuum cohibere, Theologi illi minime agnoſcunt, ex libro ſuperiori compertum eſt, eos nullo pacto a placitis Janſenianis recedere. Abhorrent illorum plurimi etiam a *neceſſitatis* vocabulo; affirmantes neceſſitatem, ac libertatem pugnare invicem: at neceſſitatem naturalem, & neceſſitatem inclinationis diſtinguunt, autumantes nihil eſſe naturali neceſſitati alligatum, ſi in illud voluntas propendeat: quod falſum eſſe jam vidimus, demonſtrantes quomodo voluntas in bonum in communi, & in Deum clare viſum tendat naturaliter, etiamſi id eveniat maxima inclinatione ac lubentia. Jam illud quoque concedunt poſſe voluntatem a gratia excitatam ei reluctari: verum hanc reluctandi poteſtatem dari negant, quandiu voluntas actualis gratiæ inſpiratione movetur, ita, ut libertas indifferentiæ nequaquam actu conſiſtat ſub victrici delectatione. Verbis itaque, non re Theologi illi ſunt a damnatis erroribus alieni.

Propoſitiones quidem Janſenianas ab Eccleſia proſcriptas videntur rejicere: at priorem eo ſenſu damnatam autumant, quod juſti nequeant ſervare præcepta etiam efficaci gratia ſuffulti: contendunt tamen ipſis, dum tentationi ſuccumbunt, nullam gratiam adeſſe, qua ſtare poſſint; quoniam, inquiunt, gratia non dat poſſe, niſi ſit efficax. Alteram propoſitionem damnatam ajunt, in quantum enunciat gratia trahi voluntatem quaſi inſtrumentum quoddam inanime; non in quantum affirmat nullam dari gratiam, aut robuſtam, aut parvam, cui volnotas nunquam non obtemperet. Tertiam eatenus cenſent eſſe proſcriptam, quatenus ad merendum, vel demerendum tradit ſufficere libertatem a neceſſitate naturali, non quatenus adſtruit neceſſitatem indeclinabilis inclinationis. Io quarta Jaoſenii poſitione hunc ſenſum rejiciunt, quod non poſſit voluntas reſiſtere, ſi velit; at inquiunt, dum vult, velle indeclinabili neceſſitate. Poſtremam & ipſi damnant, in quantum juſtificatio & fides non tribuuntur Chriſti merito ſolis prædeſtinatis; propugnant illam tamen, in quantum tenent ſolis prædeſtinatis conferri gratiam, qua æternam ſalutem conſequi valeant. Hæc præmonere oportebat, ne quis Theologorum iſtorum libros perlegens, verborum ſpecie deceptus Janſeniana dogmata incaute deglutiat. Sincere enim, & abſque ſermonis ambiguitate tenendum eſt, nuſquam juſtos deſeri a Deo, niſi Deum ipſi prius deſerant, nec deeſſe illis gratiam ſufficientem, dum præcepta ſervare volunt. Tenendum eſt dari in hoc ſtatu gratiam, cui voluntas libere, & culpabili reoitentia reſiſtit: ſolam *lubentiæ* ſeu *ſpontaneitatis* libertatem, per quam plura cum inclinatione & voluptate fiunt, non ſufficere ad meritum, vel demeritum: libertatem arbitrii non conſiſtere abſque electione, poteſtate, ac dominio: omnes denique redemptos a Chriſto, dum vivunt, poſſe ſalvari, atque omnibus patere aditum ad ſalutem; quamvis ſalvi fiaot ſoli prædeſtinati. Hac præmiſſa declaratione, aſſerta Janſeniſtarum diſpellam; & æquitatem cenſuræ adverſus articulos Baji, Queſoellii, Janſeoii, Apoſtolicæ denique Sedis in proferendo de illis judicio auctoritatem defendere, & propugnare conabor. Atque his expletis, errores omnes adverſus Chriſti Gratiam, & hominum libertatem a me refutati erunt, ac profligati.

CAPUT I.

De Geſtis Baji, Janſenii, & Queſnellii.

PARUM itaque diſtare circa libertatem arbitrii ſub gratia, & lege peccati a Calviniſtarum hæreſi molliorem illam, quam dicunt Janſenianam, & utramque plurimis, certiſque momentis refelli, ſuperior exercitatio noſtra declarat. Et ex eo quidem fonte totum, ut animadvertimus, ſcaturit Janſeniſtici dogmatis ſyſtema. De quo cum dicta ſint plura, nunc cetera, maxime quæ in controverſiam vocantur, proſequar eodem filo, & genere diſceptationis. Cumque ſectarum Auctores in exordio orationis conſueverim collocare, ab his modo præſcriptæ lucubrationis initium eſt repetendum.

Michael Bajus Mechliniæ apud Belgas ortum habuit anno 1513. Doctor in Facultate Theologica Lovanii renunciatus anno 1550., ſequenti a Caroln V. Inſtitutus eſt Regius Sacrarum literarum Profeſſor loco Joannis Leonardi Haſſelii, qui ad Synodum Tridentinam profectus ibidem proximo anno 1552. e vita demigravit. Cui ſubſtitutus Bajus ſacras ad annos ferme quadraginta tradidit diſciplinas. In quo docendi munere docti viri complures, Tapperus primum & Raveſteyn errores diſſeminari deprehenderunt, re etiam anno 1558. ad Belgii Conſilium delata. Quidam etiam Fratres Minores XVIII. Baji articulos vertente anno 1560. exhibuere Sacræ Pariſienſi Academiæ, quæ pleroſque inuſtis hæreſeos notis proſcripſit. Accuſatus fuit Bajus proximo anno 1561. apud Antiſtitem Mechlinienſem Cardinalem Granvellanum: ſed indictum ſtatim juſſu Pii IV. utrique parti ſilentium. Interfuit & ipſe Bajus, quamquam non ſine aliquorum repugnantia, Tridentino Concilio anno 1563. delegatus cum Heſſelio Theologus Lovanienſis. Redux a Concilio typis mandavit opuſcula *De libero arbitrio*, *De Caritate*, *De Juſtificatione*, *De virtutibus impiorum*, *De Sacramentis in genere*, *& De forma Baptiſmi*. Nova hinc diſſidiorum ſeges. Collecta ſunt ex prædictis Opuſculis aſſerta 76., quæ anno 1567. damnavit Sanctiſſimus Pontifex Pius V. Edidit Bajus Apologiam, rogavitque Pontifioem, ut Bullam tamquam ſubreptitiam reſcinderet: quam e contra Pontifex matura deliberatione editam fuiſſe reſcripto an. 1569. die 13. Maji declaravit. Damnationem confirmavit ineunte an. 1579. Gregorius XIII. qui etiam Lovanium miſit Franciſcum Toletum inſignem Societatis Jeſu Theologum, & poſtea S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalem ampliſſimum; cujus opera Bajus propoſitiones prædictas ſcripto publico retractavit: efflavitque animam anno 1586. die 16. Septembris. Atque poſt Baji obitum, illius ſimul & Janſenianas propoſitiones damnarunt Urbanus VIII. Bulla *In Eminenti* emiſſa anno 1641. & Innoc. X., quo urgente Conſtitutio Urbani anno 1648. fuit in Belgio ſolemniter promulgata & recepta. In his autem excitatis per Bajum diſſidiis nihil incommodi Auguſtinianæ Scholæ derivatum, ſed illi potius auctoritatem præſidiumque acceſſiſſe, demonſtratum eſt nono capite de Hæreſi Pelagianorum.

Sunt autem errores Baji, integritatem primæ conditionis, & exaltationem humanæ naturæ in conſortium divinæ debitam ac naturalem fuiſſe, & merita primi hominis & Angelorum nullatenus dicenda fuiſſe ſupernaturalia: concupiſcentiam etiam in renatis relapſis proprium eſſe peccatum; ſicut pravos ipſius motus, & deſideria, quæ homo patitur etiam invitus: ad peccatum non pertinere an ſit voluntarium, & hominem damnabiliter peccare io eo etiam quod facit neceſſario, propterea quod ſola violentia, non autem neceſſitas repugnet libertati homiois naturali. In quo ſane, ut diximus, prælufit Jaoſenio, ita, ut merito Urbanus VIII. definierit in libro Janſenii opiniones & ſententias jam reprobatas atque damnatas contineri, & renovari. Atque hæc omnia plurimis Bajanis articulis expreſſa fuerunt a nobis ſuis quæque locis refutata. Addidit plura circa Opera Infidelium, Juſtificationem, caritatem, & meritum libris ſequentibus diſcutienda. Omnes vero propoſitiones Baji, quamquam nonnullæ aliquo pacto poſſint ſuſtineri, in ſenſu auctoris eſſe reſpective *hæreticas*, *erroneas*, *ſuſpectas*, *temerarias*, *ſcandaloſas*, *& in pias aures offenſionem immittentes*, definit Pius V. in Bulla ab Urbano confirmata: nec eſt, quo ſe vertant Baji, Janſeniique Gregales, niſi ad temere obloquendum, aut Conſtitutiones præfatas eſſe

ſubre-

ſubreptitias, aut appoſito commate perverſe explanatas, aut Romanum Pontificem in dijudicandis Scriptorum opinionibus, factiſque dogmaticis non eſſe infallibilis Auctoritatis. Quæ omnia paullo infra explodere & exſibilere curabimus.

At dicendum primo de Janſenio, cujus doctrina & ſecta adeo celebris evaſit, ut vix Bajus ſoleat inter nos nominari. Cornelius Janſenius Leerdamenſis apud Batavos in lucem editus eſt Catholicis parentibus an. 1585. Dedit operam humanioribus literis Ultrajecti, Philoſophicis & Theologicis diſciplinis Lovanii. Vixit aliquandiu Pariſiis, & Bajonæ, ubi fertur per 12. annos conſilio & impulſu Abbatis San-Cyrani elaboraſſe novum circa Gratiam Syſtema. Doctorali laurea inſignitus eſt Lovanii an. 1617. ibique ſacras literas profeſſus eſt an. 1630. Electus an. 1635. Yprenſis Epiſcopus, Opus, quod inſcribitur, *Auguſtinus*, extrema manu perpolivit, ſcriptaque ſua, publicis quoque Tabolis, Romanæ Eccleſiæ & Pontificis maximi judicio ſubjiciens die 6. Maji an. 1638. in Eccleſiæ communione deceſſit. Hujus obedientiæ exemplum, quod tamen doctrinæ illius ſectatores imitari non curant, aliaque Chriſtianarum virtutum ſpecimina immodicis laudibus exornant Yprenſis Epiſcopi Apologiſtæ, & præſertim in Panegyri Janſeniana Paulus Aurelius, quaſi vitæ probitas ſit certiſſimum Catholicæ doctrinæ argumentum. At erraſſe non ſemel in dogmate bene inſtitutos ſpectatoſque viros demonſtrant, ut omittam S. Martyrem Cyprianum, exempla Theodori Mopſueſteni, Ibæ, & Semipelagianorum Maſſilienſium, quos Proſper appellat *viros ſpiritualium ſtudiorum*, pluriumque ſimilium, de quibus vide diſſertationem Prodromam noſtri Philippi Van-Waure acerrimi Janſenianorum Oppugnatoris. Quamquam me latet, ſit ne prædictis comparandus Yprenſis Antiſtes. Nam quæ ipſe ſcripſit Epiſt. 113. ad San-Cyranum, *Doctrinam, quam in Sancto Auguſtino reſeravit, omnibus ſtuporem incuſſuram*, & Ep. 131. *ſe adduci non poſſe, ut credat Opus ſuum a judicibus approbandum unquam fore*: & quæ ſcribit Tom. 2. p. 17. de Scholaſticis, & de univerſa Eccleſia, carere intelligentia eorum, *qua in precibus ſuis, ipſaque Oratione Dominica quotidiana proteſtatur*; hæc inquam, neque inculpatæ conſcientiæ indicium præbent, nec religioſæ. Sed de Janſenii conſcientia nolumus juxta monitum Apoſtoli ante tempus judicare.

Liber vero Janſenii ut Lovanienſibus typis prodiit in lucem, præmiſſo exacto examine, memorata Conſtitutione Urbani ad tenebras damnatus eſt, quod adverſus præcedentia ſtatuta de Auxiliis divinæ gratiæ non obtenta facultate pertractaret, multaſque contineret Baji aſſertiones a Pio V. & Gregorio XIII. proſcriptas. Interea cum novum Opus cenſorum virorum manibus tereretur, Deputati a Sacra Facultate Pariſienſi quinque famoſas propoſitiones inde excerptas notarunt, eaſque 85. Gallicani Præſules an. 1650. exhibuerunt Innocentio X. nonnullis aliis, numero tamen atque auctoritate paucioribus, repugnantibus. Inſtituta a Romano Pontifice pro Examine propoſitionum ſpeciali Congregatione, non defuere qui pro Janſenii Cauſſa ſedulam navarent operam, inter quos Ludovicus de S. Amour, Delalane, Angran, Deſmares, & Maneſſier: inſtantibus contre pro damnatione Halliero Syndico Pariſienſis Univerſitatis & viris aliis doctiſſimis. Diſcuſſa autem & ventilata per biennium controverſia, ita ut jure merito poſtea affirmaverit Alexander VII. majorem non potuiſſe deſiderari diligentiam, Innocentius X. facta prius in Congregatione coram ſe habita declaratione quod nullum omnino vellet Auguſtinenſi & Thomiſticæ Scholæ præjudicium afferre, quemadmodum declaraſſe præfatum Alexandrum Theologis Lovanienſibus dictum eſt ſupra; emiſit Conſtitutionem, quæ incipit, *Cum occaſione impreſſionis libri &c.* per quam famoſæ propoſitiones tamquam falſæ & hæreticæ fuere damnatæ. Paſſis naufragium Janſeniſtis aperire portum viſa eſt celebris facti, juriſque diſtinctio; unde inclamare cœperunt ſe quoque rejicere propoſitiones Innocentiano Decreto proſtratas, at non ſenſum Janſenii, quem neceſſe foret ex amplo Auctoris volumine piſcari, atque in hujus ventilatione ad critices regulam exigenda eſſe Romanum quoque Pontificem errandi periculo obnoxium. Atque id impulit vigilantiſſimum Apoſtolicæ Cathedræ moderatorem Alexandrum non ſolum ad confirmandam Conſtitutionem Innocentii die 16. Octoris an. 1656. verum etiam ad præſcribendam formulam Juramenti ab Eccleſiaſticis omnibus præſtandi, excerptas fuiſſe propoſitiones ex libro Janſenii, & in ſenſu ab eodem auctore intento damnatas. Quod mandavit Pontifex Maximus die 15. Februarii an. 1664. Tum Janſeniani alii veluti erectis vexillis abnuere ſe prædictæ formulæ ſubſcripturos in Hollandiam profugæ & exules. Alii haud veriti ſolemniter mentiri, & dejerare, formulæ palam ſubſcribere, autumantes religioſum ſervandum eſſe ſilentium: quam deteſtandam hypocriſim quidam uno, quidam altero titulo palliare ſtuduerunt, etiam ab ipſo Arnaldo Janſenianis partibus addictiſſimo digna vituperatione exagitati. Quid enim turpius quam diſſimulatione, aut alienæ mentis ſenſu propoſitam ſine ambiguitate a ſupremo Judice ſententiam jurejurando firmare? Suborta poſthac circa formularii deſcriptionem etiam per Belgium diſſidia opportune compeſcuit Innoc. XII. die 6. Februarii an. 1694. Conſtitutione, qua declaravit Propoſitiones ex libro Janſenii excerptas a ſuis Prædeceſſoribus fuiſſe damnatas *in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præſeferunt*; inhibendo ulterius ne quis invidioſo nomine Janſeniſmi traduceretur, niſi legitime conſtiterit aliquam ex his propoſitionibus docuiſſe. Verba autem Pontificis a nobis relata ſunt cap. VII. Theſi 4. de H. Pelagiana. Quare doctrinam de gratia efficaci majorum ſuorum exemplo Lovanienſes ad hanc uſque diem invictiſſime propugnarunt, pro ea ſtant imperterriti Auguſtiniani, & Thomiſtæ, eamque ætate noſtra in conſpectu totius Eccleſiæ tenuit Romanus Pontifex, elogioque præclariſſimo conſecravit: atque ingenue fatentur Thomiſtas a Janſeniſtis toto cœlo diſtare viri plures Theologi ex illorum quoque palæſtris, qui efficacem ab intrinſeco gratiam oppugnant, ut Deſchamps, Martinonus, Annatus. Vide horum teſtimonia apud Franciſcum Vanraſt 2. volum. p. 75. Sed de vindiciis Scholarum noſtrarum dictum ſupre.

Damnatæ ergo Propoſitiones Janſenii ſunt iſtæ: I. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* II. *Interiori gratia in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* III. *Ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione.* IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* V. *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe.* Circa has autem propoſitiones, quoniam ut vidimus hactenus, Janſeniſtæ principio negabant fuiſſe a Janſenio prolatas, deinde rei evidentia devicti affirmarunt non alio ſenſu ab Auctore conſcriptas, quam eo, quem exigat Auguſtinianum de gratia ſyſtema; poſtea vero damnato ipſius auctoris ſenſu proſtrati penitus & ſubacti non aliam evadendi viam invenerunt, quam in factis dogmaticis Pontificium judicium aut pervicaci obſtinatione, aut obſequioſo, ut vocant, ſilentio eludere & parvipendere: operæ pretium nos facturos eſſe arbitramur, ſi poſteaquam de Bajana damnatione inſtituta fuerit diſputatio, vana hæc & exhauſta Janſeniſtarum ſubterfugia in auram fumumque reſolvere elaborabimus.

Priuſquam autem id conemur attingere proponendum eſt breviter qualem ſenſum præſeferant præmiſſæ propoſitiones, & qualem intenderit idem Auctor: ne imperiti, aut malevoli nobis ſuccenſeant, quod gratiam conſtituamus in inſpiratione ſanctæ dilectionis, & in explicanda ejus natura nonnihil a vulgari Thomiſtarum placito recedamus. Et quidem in re difficili explicanda non ſolum Auguſtini ſententias, ſed ipſa quoque verba nos exſcripſiſſe viderit, qui S. Patris contra Pelagianos diſputationes diurna, & nocturna manu verſaverit. Docet ergo Janſenius lib. 2. de Grat. Chriſti cap. 11. gratiam eſſe delectationem & ſuavitatem, qua anima in bonum appetendum delectabiliter trahitur; ac pariter delectationem concupiſcentiæ eſſe deſiderium illicitum, quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat. Eodem lib. cap. 9. docet utramque delectationem invicem pugnare, earumque conflictum ſopiri non poſſe, niſi alteram altera delectando ſuperaverit, & eo totum animæ pondus vergat, ita ut vigente delectatione carnali impoſſibile ſit, quod virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat. Addit lib. 7. cap. 5. delectationem eſſe vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia, vel peccato ire firmiter ligatur & retinetur, ut quandiu iſto conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita videlicet ut arbitrium non liberetum eum velle non poſſit. Contendit lib. 4. cap. 7. naturali ordine ex delectatione dilectionem, ex dilectione operationem conſequi: & lib. 2. cap. 25. gratiam & opus bonum ita reciprocari, us quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum eſſe infertur, ita vice verſa ex defectu operis inferatur gratiam non eſſe datam. Demum lib. 3. cap. 21. ſcribit, omnibus illis, pro quibus Chriſtus Sanguinem fudit, etiam ſufficiens auxilium donari, quo non ſolum poſſint, ſed etiam reipſa velint & faciant id, quod ab eis volendum & faciendum eſſe decreverit. Hæc omnia verbis ipſis Janſenii a nobis narrata ſunt.

Videt, us arbitror, qui legerit ſuperiores diſſertationes noſtras cum hæreticum ſenſum propoſitionum Janſenii, tum maximum Auguſtinenſium a Janſenianis diſcrimen. Ait Janſenius impoſſibile eſſe, us vigente ſancta delectatione illicitum prævaleat deſiderium & conſideratio peccati, & e contra ſub vividiori concupiſcentia neceſſario liberum arbitrium ſuccumbere. Juſtis ergo conantibus & volentibus, dum deeſt victrix delectatio & gratia efficax, impoſſibile eſt divina obſervare præcepta. Nos contra, nullam delectationem contendimus injicere vinculum libertati, niſi ſummi boni per lumen gloriæ manifeſtati, aut boni, us inquiunt, in communi, extra quod divagari nequit voluntatis inſtinctus; propterea quod hæc duo tantum tollunt indifferentiam judicii: ideoque ſicut quacunque gratia præventus poteſt iniquus reluctari; ita quacumque premente cupiditate poteſt juſtus perſeverare. Ita prio-

rem propoſitionem Janſenii rejicimus, damnamus, refellimus, reprobamus. Quod de reliquis eadem ratione dicendum eſt. Nam ſententia noſtra nec ſemper gratiæ dilectionem inſpiranti aſſentimur, neque neceſſe eſt ut ſequamur, quod magis delectat, neque poteſtas reluctandi gratiæ, quæ datur per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti, Semipelagianiſmi eſt indicium; neque ſolis prædeſtinatis gratia operationis intuitu meritorum Chriſti confertur. Quod ſi ad opera ſalutaria actu perficienda neceſſarium defendimus auxilium ſuapte natura efficax; conſentientes habemus Theologos præclariſſimos nulla Janſenianæ labis caligine aſperſos. Satis quippe eſt, ad profliganda ſcita Janſenii, ſub parva delectatione veram poteſtatem agendi, atque ſub delectatione victrici poteſtatem agnoſcere reluctandi. Atque his ea omnia confirmantur, quæ de maxima Noſtratium a Janſeniſtis diſcrepantia diximus de H. P. cap. VII. Theſi 4. At, ſi quæ ſuperſunt, quæ ad invidiam, aut erroris ſuſpicionem adhuc noſtram videantur trahere ſententiam, eadem plana facere in hac ipſa diſquiſitione curabimus.

Etenim ſuſcipientes patrocinium æquitatis, nec Bajum extimeſcere poſſumus, nec Janſenium, nec, qui magnas contentiones iterum excitavit, Paſchaſium Queſnellium. Is Lutetiæ Pariſiorum natus Quinctili menſe, anno 1633. Congregationi Presbyterorum Oratorii, non inſtitutæ a Philippo Nerio, Florentinæ, ac Romanæ Urbis ſingulari ornamento, ſed illi, quæ auctorem habet Berullum S. R. E. Cardinalem ampliſſimum, vertente anno 1657. nomen dedit. Elucubravit, ediditque anno *1676.* diſſertationes ad Opera S. Leonis Magni: opus ſtatim Romæ proſcriptum, & ab eximio Ordinis noſtri viro Chriſtiano Lupo confutatum in libro de Appellationibus. Damnationis decretum incredibili audacia *libellum famoſum* impoſturis, & diabolico odio plenum non dubitavit appellare. Congregationis ſuæ monita ac præcepta pertinaciſſime ſprevit, dimiſſo quoque habitu, ac nomine erro factus & profugus. Prodiit anno 1699. Pariſiis Queſnellii opus inſcriptum, *Le nouveau Teſtament en Francois, avec des Reflexions morales ſur chaque verſet*: in eo renovavit Baji, & Janſenii damnata dogmata, ampliavitque errores ad propoſitiones 101. a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* an. 1713. jure, meritoque proſcriptas. Etenim nullam gratiam niſi efficacem Queſnellum admittere, ac talem, quam nihil impedire poſſit & retardare, liquet a propoſitione nona ad viceſimam quartam. Abſque tali gratia impoſſibilia eſſe divina præcepta aſſeritur primis quatuor, nec non triceſima octava & duabus ſequentibus. Gratiam primi hominis debitam ac naturalem tradit propoſitio 34. 35. & 37. Ante fidem, & remiſſionem peccatorum nullam dari gratiam traditur propoſitione 26. 27. 28. Mitto plura alia, quæ pertinent ad caritatem, ad Eccleſiam, ad Sacrarum Scripturarum lectionem, aliaque dogmata. His enim evidentiſſime conſtat Queſnellii cum Bajo, & Janſenio concordia.

Bulla *Unigenitus* annunciata Univerſitati Colonienſi die 8. Januarii anno 1715. concordi Doctorum approbatione recepta eſt, dum Theologicam Cathedram moderabatur Nicolaus Girken Scriptor Inſtituti noſtri percelebris. Idem præſtiterat præcedenti anno die 3. Auguſti Academia Duacenſis. Probarunt unanimiter Pontificis maximi judicium Theologi Lovanienſes die 8. Julii an. 1715. Regente Theologicæ Facultatis Jacobo Van-Boſſuyt noſtri pariter Ordinis viro eximio. Eamdem Conſtitutionem omnino ſervandam publicaverunt clariſſimi Antiſtites Namurcenſis, Ruræmundenſis, Gandavenſis, Antuerpienſis, Tornacenſis, Audomarenſis, aliique plurimi. Excepit, dignaque veneratione amplexata eſt die 19. Auguſti anno 1716. univerſitas Salmanticenſis. In Italia, Germania, Hiſpania, & Luſitania ſinguli, ut par erat, illi obtemperarunt. A Gallicanis Epiſcopis prodierunt pro acceptatione hujus Bullæ mandata CXXX. relata in libro, cui titulus, *Recueil des Mandemens, & Inſtructions Paſtorales des Meſſeigneurs les Archevêques, Evêques de Françe pour l'acceptation de la Conſtitution de N. S. Pere le Pape Clement XI. du* 8. *Sept.* 1713. *&c.* Recepta tandem Clementina Conſtitutione ab omni Catholicorum Ordine, paucis Refractariis exceptis, ne iterum adverſus efficacem gratiam inſurgerent dialectici diſputatores, præter Benedicti XIII. commemoratas approbationes, conſuluit Scholarum tranquillitati etiam vigilantiſſimus Eccleſiæ univerſalis Paſtor CLEMENS XII. Brevi *Apoſtolicæ Providentiæ officio* emanato die 2. Octob. anno 1733. ut liquet ex Bullario FF. Prædicatorum Tom. 6. pag. 738. In quo a regnante Pontifice redarguitur primo *intolerabilis eorum pertinacia, qui etiam nunc contendunt cenſuris latis in Conſtitutione* Unigenitus *doctrinam Sanctorum Auguſtini & Thomæ de divinæ gratiæ efficacia eſſe perſtrictam*. Deinde præcipitur *in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub canonicis pœnis, ne diſputantes, aut docentes, ſive ſcriptis editis, ſive aliter propoſitiones defendant, aut enuncient, quæ interdictas Novatorum calumnias firmare, ac promovere poſſint*. Poſtremo, ut etiam a Paulo V. ſancitum fuit, ad extinguendum fomitem diſſenſionum interdicit, *ne vel ſcribendo, vel docendo, vel diſputando, vel alia qualibet occaſione notam, aut cenſuram ullam Theologicam Scholis diverſa ſentientibus inurere, aut eorum ſententias conviciis & contumeliis inceſſere aliquis audeat, donec de iiſdem controverſiis S. Sedes definiendum, ac pronunciandum cenſuerit*. Igitur omnium Pontificum, ad huncuſque, quem pro Eccleſiæ ſuæ commodo diutiſſime regnare cupimus, approbatione atque auctoritate cenſenda eſt S. P. Auguſtini doctrina tutiſſima atque inconcuſſa, & nullatenus petita Baji, Janſenii, & Queſnellii condemnationibus.

CAPUT II.

Non eſſe Cenſuras, & Conſtitutiones adverſus Bajum adulterinas, & ſubreptitias.

JANSENIANI, ne ſe prædamnatos in Bajo fateantur, facti malæ cauſſæ Patroni inquiunt illius doctrinam neque a Theologica Facultate Pariſienſi fuiſſe cenſoria animadverſione notatam, nec proſcriptam Pii V., Gregorii XIII. & Urbani VIII. Conſtitutionibus. Atque id poſtremum triplici via evincere moliuntur. Quidam enim ajunt Bullas horum ſummorum Pontificum ſubreptitias eſſe: nonnulli contendunt his non perſtringi propoſitiones in rigore, & proprio verborum ſenſu ab auctoribus intento: aliqui inverecunde aſſerunt erraſſe Romanos Pontifices, atque ſe Auguſtini auctoritate ſatis eſſe munitos. Hæc ergo perverſorum hominum inventa ſubjectis theſibus repellam.

PROPOSITIO I. Extra omnem controverſiam poſitum eſt, Univerſitatem Pariſienſem anno 1560. XVIII. aſſertiones Michaelis Baji reprobaſſe.

Demonſtratur primo Hiſtoricorum omnium conſenſione, qui hujus Cenſuræ meminerunt; ut conſtat ex Raynaldo ad annum 1561. num. 5. & 44. & Cardinali Pallavicino lib. XV. Hiſt. Concilii Tridentini capite 7. num. 7. Præterea comprobatur teſtimonio doctiſſimi Cardinalis Hieronymi Seripandi Ordinis noſtri, qui floruit eodem tempore, atque in ſuis Commentariis recitat cenſuram ipſam Theologorum Pariſienſium, ut liquet ex notis marginalibus laudatæ Hiſtoriæ Tridentini citato loco. Accedit inſuper teſtimonium ipſius Baji, qui non ſolum de hac cenſura conſcripſit Epiſtolam ſtomachi & querelarum plenam ad P. Antonium Sablonium, de qua vide Stephanum Deſchamps lib. 2. de H. Janſ. diſp. 1. verum etiam illam notis Apologeticis diſpunxit; eaſque notas pariter invenies inter opera Seripandi. Probatur etiam non uno momento ex ipſamet ſacra Facultate Pariſienſi. Nam primum extare in Archiviis ejuſdem Facultatis memoratæ cenſuræ exemplar, fatetur cum Janſeniſtis reliquis Vincentius Lenis: incredibile eſt autem caſu aliquo, aut fraude irrepſiſſe in celeberrimæ facultatis Tabularium. Deinde niſi cenſura a ſacra Facultate prodiiſſet; cum cœpit ſub ejus nomine vulgari, proculdubio reclamaſſet, publica fide conteſtans turbas erumpentium inde diſſidiorum nequaquam ob illam fuiſſe excitatas. Ad hæc nemo denegat prædicto anno 1560. F. Petrum de Quercu, alioſque Fratres Minores articulos Baji Theologis Pariſienſibus exhibuiſſe, eorumque judicium expoſtulaſſe. Ergo ſacra illa Facultas, aut nulla cenſura perſtringendos exiſtimavit, aut judicavit oppoſitum, aut noluit reſponſum poſtulationibus reddere. Id vero nunquam facere doctiſſimi Theologi conſuevere, ubi maxime de re gravi, & pernicioſa novitate actum ſit. Approbaſſe articulos Baji eſt prorſus incredibile; nam interdixit non ſemel, præſertim anno 1644. ne auderet quiſpiam illos defendere ac propugnare. Itaque ſacra Pariſienſium Facultas FF. Minorum precibus annuit, & Bajana aſſerta cenſoriis notis perſtrinxit. Demum reis damnatiſque hominibus, dum factum negant ſine tabulis, ſine teſtibus, ſine contrariorum locorum confutatione, nullam omnino fidem adhibere debemus: quomodo nemo cenſet auſcultandum Melanchthonem, qui in Apologia pro Luthero ſimillimo temeritatis, & inconſiderantiæ exemplo, ait ab eadem Pariſienſi Academia articulos hæreſiarchæ non fuiſſe proſcriptos. Atque his demonſtratum eſt, Pariſienſium contra Michaelem Bajum cenſuram in dubium a Janſeniſtis perperam revocari.

PROPOSITIO II. Romanorum Pontificum adverſus eumdem Bajum Conſtitutiones temere, audacter, & inverecunde ſubreptitiæ dicuntur.

De Bulla Pii V. demonſtratur evidentiſſime. I. Quia cum Bajus exornaſſet propoſitionum ſuarum Apologiam, & S. Pontificem Pium V. ſupplex oraſſet, ut ea perlecta decerneret, an Bulla *Ex omnibus afflictionibus* jam Lovanii publicatam vellet haberi legitimam, an ſubreptitiam; reſcripſit Pontifex die 13. Maji 1569. *Non ſine matura deliberatione editam fuiſſe*; addidit *curaviſſe, ut libri, ipſæ propoſitiones & ſcripta Apologetica novo & maturo examine expenderentur*; prioremque damnationem iterum confirmavit, imponens Bajo, *& ceteris prædictarum propoſitionum aſſertoribus perpetuum ſilentium*. II. Quia Gregorius XIII. Conſtitutione *Proviſionis noſtræ* an. 1579. Bullam Pii V. confirmavit, diſtricte præcipiens ut mandaretur executioni: Urbanus autem VIII. & Pii & Gregorii Bullas anno 1641. firmavit, probavit, conſecravit: ideoque niſi hæc poſtrema ſubreptitia ſit, neque tales erunt præcedentes. III. Conſtitutionem Urbani eſſe legitimam & autographam demonſtrat in illius Apologia cap. IX. noſter Paludanus iiſdem argumentis, quæ ampliori ſtilo proſecutus eſt Stephanus Deſchamps diſput. 1. ſuperius laudata; atque ex hoc celebri,

orna-

ornatiſſimoque Scriptore Honoratus Tournely; ſive qui Magiſtri nomine nuper edidit perpolita & elaborata methodo prælectiones Theologicas Tom. 1. de Gratia diſſert. IX. cap. III. art. 1. Probat autem Michael Paludanus Urbani Conſtitutionem non eſſe ſuppoſititiam, ex Brevibus, quæ Urbanus anno 1643. dedit ad Belgii Gubernatorem, ad Archiepiſcopum Mechlinienſem, alioſque Antiſtites Belgas: necnon ex libello Lovanienſium Doctorum ad ipſum Urbanum directo; & quo per Synnichium accepto mandavit Pontifex die 24. Junii anno 1644. ut Bullæ, *In eminenti*, exemplar diligenter cum Originali in Romanis Archivis aſſervato collatum ad Lovanienſes dirigeretur. Quæ Brevia, & reſcripta, quoniam in manibus multorum verſantur, *habet conſtitutio Urbani* (inquit Paludanus) *tot ſuæ veritatis publicos teſtes, quot Brevia iſta habent lineas, dictiones, ſyllabas, apices*. Hinc ab Alexandro VIII. an. 1690. rectiſſime damnata eſt hæc Propoſitio: *Bulla Urbani VIII.* In Eminenti *eſt ſubreptitia*.

PROPOSITIO III. In Bulla Pii V. ejuſque confirmationibus vere ac proprie aſſertiones Baji in ſenſu ab Aſſertoribus intento fuerunt proſcriptæ.

Enimvero, niſi Bajani articuli fuiſſent in proprio verborum ſenſu damnati, id foret, quoniam in Bulla S. Pii ubi legitur, *Quas quidem ſententias, ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore ac proprio verborum ſenſu ab auctoribus intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpective damnamus, circumſcribimus, & abolemus*, in his, inquam, verbis contendunt Apologiſtæ apponendum eſſe comma poſt verba illa, *ſenſu ab auctoribus intento*; non poſt ea, *ſuſtineri poſſent*; atque hoc pacto in ſenſu rigoroſo ipſius Baji veras eſſe tuto defendi. At iſtud falſum omnino eſt: & gratis etiam ac liberaliter conceſſo comma poſt verbum, *poſſent*, affixum fuiſſe pro libito, hæc Apologiſtarum cavillandi ratio eſſet penitus futilis, arida, & extenuata. Nullum ergo habent, quo ſe recipiant, perfugium. Videamus principio an de affixione τοῦ κόμματος juſta ſit conquerentium Janſenianorum expoſtulatio. 1. Dum ajunt in Bulla Pii V. nullam fuiſſe interpunctionem; oſtendunt ſe ignorare conſuetudinem Romanæ Curiæ: in qua Bullarum duo Mſſ. aſſervantur; primum, & autographum in Archivo ſupremæ Inquiſitionis notis periodos diſtinguentibus exaratum; alterum in *Regeſto*, ubi juxta antiquioris ſcripturæ formam minutiſſimis notis, punctiſque periodi cola non inciduntur. Quamquam ergo caruit commatibus exemplar Bullæ ad Belgas directæ anno 1567. nec inter ſe conveniunt omnia aut Mſſ., aut impreſſa, & quæ ex *Regeſto* exſcripta facile potuerunt variantibus notis diſtingui: quamvis etiam primum exemplar typis Romanis cuſum an. 1642. non habet aut Amanuenſis aut Typographi incogitantia poſt verbum *poſſent* commatis notationem: his tamen omnibus conceſſis, extare comma illud in autographo exiſtente in Archivo SS. Inquiſitionis conſtat teſtimonio Cardinalis de Lugo, qui die 26. Octob. an. 1644. teſtatus eſt ſe illud inſpexiſſe, & virgulam illam obſervaſſe: conſtat ex altero exemplari ad fidem archetypi excuſo, & Lovanium delato per Franciſcum Toletum an. 1580. in quo comma extitiſſe liquet ex Ripalda Tom. 3. de Ente ſup. diſp. 1. ſect. 2. conſtat ex mandato Urbani, quo, ipſomet anno 1642. ſtatim ac Romæ prodiit Bulla abſque commate incogitantia Typographi, reſtitutum eſt in impreſſionibus Belgicis: conſtat denique ex edito juſſu Pontificis, collationato, & declarato authentico anno 1644. & quod diximus per Synnichium ad Theologos Lovanienſes fuiſſe directum. Atque ex his exploduntur omnes Apologiſtarum cavilli. Quotquot enim exemplaria proferunt aut Mſſ. aut cuſa ante præfatum annum, negamus cum autographo concordare, ducti hiſtoricis monumentis, teſtimoniis eorum qui diligenter Romana Archiva verſarunt, &, quod caput eſt, declaratione Romani Pontificis, ad quem ſpectat Conſtitutionum ſuarum authenticitatem, tenorem, poteſtatemque præſcribere.

At dato nullum in archetypis extare comma, eoque etiam, ubicunque libuerit Bajaniſtis, affixo: ut recte docet Ludovicus Bail, *De Beneficio Crucis* art. 3. & Michael Paludanus in Apologia Conſtitutionis Urbanianæ cap. XIV. quotieſcunque reprobantur propoſitiones aliquæ cum iſta, aut conſimili clauſula, *Quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent*; definitur, quod, cum ſub cortice literæ poſſit multiplex ſenſus latere, etiamſi veræ aut probabiles forent, acceptæ in ſenſu aliquo, tamen in proprio & obvio, & quem verba ipſa præſeferunt, ſunt rejiciendæ: atque id maxime ſi pronuncientur indefinite; tunc enim, ut tradunt Dialectici, univerſalibus æquipollent; atque ad earum falſitatem ſat eſt, ſi in aliqua ſignificatione nequeant probari. In exemplo ſit hæc propoſitio Janſenii, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*; quæ licet vera ſit de gratia efficaci, de qua ait S. Pater, quod a nullo duro corde reſpuitur; attamen cum indefinite prolata ſit, in ſenſu obvio, & quem intendit auctor uſus communi, & amplo vocabulo *Gratiæ*, pravum hæreticumque reddit ſenſum, quod nulla detur gratia ab effectu disjuncta, & cui liberum reluctetur arbitrium: & propterea jure meritoque eſt damnata. Et quod de una propoſitione dictum modo eſt, de ceteris omnibus, quibus complexu verborum ineſt ſenſus multiplex, valet aſſertio noſtra. Imo fieri poteſt, ut planior & communior propoſitionis ſenſus ſit verax; & nihiloſecius quia conſtat a proferentibus pronunciari ſignificatione non recta, provide, rectiſſimeque damnetur: ut olim proſcriptas novimus iſtas: *Maria eſt Chriſtipara*, *Unus de Trinitate paſſus eſt*; quoniam priori abutebantur Neſtoriani affirmantes Mariam peperiſſe hominem perſonalitate diverſum a Verbo; altera Eutychiani, aſſerentes divinam, & humanam naturam, in qua Redemptor apparuit, in unam coaluiſſe. Vertant ſe ergo quocunque volunt litigioſi Apologiſtæ. Indefinitæ ſunt Baji, Janſenii, Queſnelliique enunciationes. Harum ergo Aſſertores eas proferunt in ea quoque ſignificatione, quæ reprobatur: & licet poſſent aliquopiam ſenſu teneri; pronunciandæ non ſunt, quoniam dum indefinite pronunciantur, etiam ſignificationem reprobandam præſeferunt.

Denique probatur theſis ex quo recte, & in ſenſu ab aſſertoribus intento damnatas fuiſſe prænunciatas propoſitiones definierit Facultas Lovanienſis anno 1701. & Duacenſis in libro, qui inſcribitur, *Veritas, & æquitas Cenſuræ*, edito an. 1649. atque ipſe Bajus, ut diximus, anno 1580. publico inſtrumento teſtatus ſit multos ex damnatis articulis ſuis editis Opuſculis contineri, eoſque, & reliquos omnes a ſe pariter improbari, *ſecundum Bullæ intentionem, & ſicut Bulla damnat*. De qua laudanda, & pervicacibus Apologiſtis ad exemplum, & confuſionem objicienda Retractatione vide Operum Baji P. 2. pag. 188. & Faſtos Academicos Lovanienſes pag. 369.

PROPOSITIO IV. Damnationi articulorum Baji nefas eſt refragari.

Confugiunt, ut dictum eſt, quidam Apologiſtæ ad commentationem de fallibilitate Pontificis in condemnandis dogmatibus juxta ſenſum intentum ab aſſertoribus, ſive in proferendo judicio de libri alicujus doctrina. Id vero perfugium eſſe miſerrimum, arcemque diruptam, oſtendam hac ipſa diſſertatione poſt ventilatam doctrinam Janſenianam. Sunt alii, qui reponunt Bullam non fuiſſe ab univerſali Eccleſia acceptatam. Atque hi duplici errore tenentur, dogmatis ſimul & facti; neque enim Pontificia decreta facta ſuprema illa auctoritate, quæ a Chriſto deſcendit, & Petro, ejuſque ſucceſſoribus collata eſt, vim habet a populorum acceptatione; ac propterea, ſi paucos Refractarios excipias, quorum, ut infra demonſtrabo, nullam habere debemus rationem, Bullas adverſus Bajum, Janſenium, & Queſnellum maxima Catholicorum pars, celeberrimæ Univerſitates, & Epiſcoporum Conventus plurimi receperunt. Nonnulli tandem confugiunt ad tutiſſima dogmata Auguſtini, eadem, ut inquiunt, cum aſſertionibus Baji. At hi ſplendide mentiuntur. Nullus quippe Sectariis iſtis magis, quam Auguſtinus faciat, opponitur: quod & ex omnibus diſſertationibus noſtris apparet, & ex Romanorum Pontificum definitionibus, in quibus dum Bajus proſternitur, Auguſtini doctrina ſummis laudibus celebratur. Poſtremo intolerabilis eſt arrogantiæ, velle ſupremam auctoritatem excutere oppoſitione minoris. *Doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia auctoritatem habet: unde magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quam auctoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcumque Doctoris*; inquit 2. 2. q. 10. art. 12. S. Thomas. Nec aliter ſentit idem Auguſtinus: qui Serm. 132. alias 2. de Verbis Apoſt. cap. 10. de controverſiis Pelagianis, ait: *De hac Cauſſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam Reſcripta venerunt. Cauſſa finita eſt*. Et in primo libro contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 1. ita Bonifacium alloquitur: *Hæc ad tuam potiſſimum dirigere Sanctitatem, non tam diſcenda, quam examinanda, & ubi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda, conſtitui*. Diſcant ergo Janſeniani Cauſſarum finitionem haberi ab Apoſtolicæ Sedis Reſcripto, & a ſupremo Judice recipiant emendationem: & quamquam Auguſtini ſcita tutiſſime teneri poſſint, animadvertant nec ea ſe percepiſſe, nec eorum præſidio licitum eſſe Conſtitutionibus Romani Pontificis adverſari. Quidquid ergo prætexunt, ſive mutabilitatis judicii, ſive oppugnationis Contrariorum, ſive Auguſtinianæ doctrinæ, nullum affert Janſeniſtarum inobedientiæ præſidium.

DISPUNGITUR CONTRARIA ARGUMENTATIO.

Audiamus tandem ipſos Apologiſtas. Hi Bullam Urbani eſſe ſubreptitiam conantur demonſtrare 1. ex nota Chronologica; quia data eſt Romæ die ante Nonas Martii anno 1641. & in ea fit mentio libri Janſenii, qui licet jam typis cuſus, nondum Romam delatus fuerat: immo non legitur fuiſſe Bullam publicatam niſi XIII. Kalendas Julias an. 1643. II. Ex atteſtatione Deputatorum Lovanienſium, qui juramento affirmarunt, cautum fuiſſe ab Urbano, ne aliquis *proprio nomine expreſſo ſugillaretur*. At in Bulla, quæ circumfertur, expreſſe Janſenii liber, ac nomen apponitur. III. Ex ipſa Operis Janſeniani condemnatione: ſi enim Urbanus intenderat duntaxat confirmare Pii V. & Gregorii XIII. Conſtitutiones, eccur Janſenii librum adhuc ſub prælo ſudantem in ſcenam producere?

Deinde non damnari Conſtitutione Urbaniana pro-

prium

prium & obvium ſenſum intentum a Bajo, ſtudent evincere I. Ex interpoſitione commatis, quo vetuſtiora exemplaria carebant. II. Ex Epiſtolis Morillonii, & Cardinalis Granvellani affirmantium nonnullas ea damnatis propoſitionibus aliquo ſenſu poſſe defendi. III. Ex decreto Facultatis Lovanienſis an. 1567. quo declaravit, *poſſe nonnullas aliquo pacto ſuſtineri in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*; quod etiam tenet in libro de Benef. Crucis art. 3. Ludovicus Bail.

Poſſe demum ſalva fide eidem Conſtitutioni aliquem adverſari, I. Nituntur colligere ex quo Pius V. & Gregorius XIII. obſcuriſſima decreta ediderint, philoſophicæ eloquentiæ tecta velamine, quæque poſſint in varios ſenſus torqueri. II. Ex quo talia decreta eliminent doctrinam S. Auguſtini aliorum Romanorum Pontificum oraculis conſecratam. III. Quoniam ſingulis propoſitionibus propriam notam minime inurunt, ſed eas proſcribunt vage, indeterminate, ac *reſpective*, ut nemo poſſit dignoſcere, quænam ſint hæreticæ, quænam ſuſpectæ, quænam piarum aurium offenſivæ.

His breviſſime, & ex ordine reſpondentes dicimus ex nullo capite Concluſiones noſtras divelli. Ad 1. enim reponimus librum Janſenii typis editum an. 1640., & Bullam Urbani an. 1641. pridie nonas Martii, *ab Incarnatione*, ideſt ſecundum vulgarem computandi rationem an. 1642. Quare nihil refert, ſi nonnullæ Belgii Editiones datam commonſtrant hoc poſtremo anno: ſicuti Bulla Confirmationis Tridentini Concilii edita a Pio IV. dicitur emanata die 26. Januarii an. 1563. eum tamen Concilium fuerit abſolutum an. 1564. Quod vero promulgatio fuit ad annum proximum prorogata, dandum indulgentiæ Pontificis, qui voluit, ut animus Janſeniſtarum exploraretur, num vellent ſponte præcedentibus mandatis obtemperare. Quod ſequitur ſolvitur a multis brevi hac & peremptoria reſponſione: a deputatis Lovanienſibus falſum eſſe narratum, quoniam Urbanus fatetur ſe proſcripſiſſe librum Janſenii in omnibus Brevibus datis an. 1643. ad Antiſtites Belgas, ubi ait, *Ipſum Janſenii librum omnino reprobavimus*. At nos noluimus doctis viris crimen mendacii objicere; interpretamur enim aſſertionem illorum, quod depoſuerint voluiſſe Pontificem damnari ſolam doctrinam, non perſonam Janſenii, aut Baji, qui ſe Eccleſiæ judicio ſubjecerunt. Ad tertium vero hæc ſit reſponſio: In confirmatione Conſtitutionum Pii V. & Greg. XIII. debuit reprobari etiam liber Janſenii, quia in iſto ut vidimus præced. cap. errores Baji inſiti deprehendebantur.

Exſufflantur eadem facilitate alterius claſſis argumenta. Ac primum de oppoſitione commatis ſatis ſuperque Propoſitione 3. expunctum eſt. Secundum vero & tertium diluitur a multis, negando haberi quæ dicta ſunt in laudatis Epiſtolis, aut in decreto Lovanienſium, cui aperte opponitur alterum an. 1701. ſuperius commemoratum. At abſque hujuſmodi effugio, obſervatum ſupra in propoſitionibus indefinite prolatis, ſi verborum ſenſus multiplex ſit & ambiguus, obvium ac proprium eſſe falſum, etiamſi propoſitiones in aliquo ſenſu ſint veræ ac probabiles. Iſtud ergo ſignificare voluit Cardinalis Granvellanus: iſtud Marillonius: iſtud antiquius decretum Facultatis Lovanienſis: quæ proinde potuit abſque ulla contradictione in poſteriori decreto definire articulos Baji recte damnari in ſenſu proprio & rigoroſo verborum. Quare neceſſe non eſt reſpondere cum Tournely decretum anni 1567. non eſſe genuinum Facultatis Lovanienſis Opus, quia in Editione adornata a Gerberonio inſcribitur *Atteſtatio Cornelii Janſenii*; aut Sacram Facultatem a priori ſententia receſſiſſe, ut liquet ex declaratione anni 1585. & 1701. quando proteſtata eſt damnari articulos Baji in ſenſu ab aſſertoribus intento: quamquam hæc non ſine probabilitate ſint dicta. Longe tamen eſt probabilius Janſenium, quantumvis Baji ſtudioſum, noluiſſe tam ſolemniter mentiri nomine celeberrimæ Univerſitatis, a qua poterat apertæ falſitatis redargui: atque Univerſitatem ipſam nunquam unanimi ſenſu probaſſe, quæ poſthac judicaverit retractanda.

Ad ea, quæ tertia argumenti ſectione objiciuntur, hoc habeto reſponſum. Nullum eſt in memoratis Bullis ænigma, nulla obſcuritas, nullum verborum aut ſententiarum involucrum. Plures enim articuli ipſis verbis exprimuntur, quibus a Michaele Bajo fuerunt prolati: in ſenſu horum verborum condemnantur; & damnatio continet perpetuam omnium abolitionem. Igitur abſque ulla ambiguitate & referuntur & reprobantur. Damnatam eum poſitionibus Baji doctrinam S. P. N. Auguſtini eſt pure puta calumnia ſuperiori capite, & tx. de H. P. ſatis exploſa. Qualificatio demum propoſitionum non aptatur ſingillatim unicuique, ut nullam audeat quiſpiam pronunciare. Eadem omnino ratione a Martino V. articuli Witclefi, & a Leone X. Lutherani fuerunt, ut inquiunt, *in globo*, ideſt communi notatione damnati. Adverbium *reſpective* fuit ſcite ac prudenter appoſitum; ut ſcires, quoſdam articulos, qui videntur, ſi ſolitarie & divulſi ab aliis inſpiciantur, aliqua ratione probabiles, comparatos cum ceteris, & attenta connexione doctrinæ, eſſe pariter rejiciendos; etſi eadem qualificatio ſingulis non conveniat. Hactenus de Cauſſa Baji: ſtilus nunc ad Janſenianam eſt convertendus.

CAPUT III.

Sint ne revera quinque Propoſitiones in Libro Janſenii, & doctrinæ S. Patris Auguſtini cohæreant.

HABERI quinque famoſas Propoſitiones in Janſeniano libro, qui inſcribitur *Auguſtinus*, conſtat ex Brevi Innoc. X. emanato die 29. Septembris an. 1654. ubi ſummus Pontifex declarat ſe damnaviſſe *in quinque propoſitionibus Cornelii Janſenii doctrinam ejus libro contentam, cui titulus, Auguſtinus*. Evincitur etiam ex altero Brevi Alexandri VII. emiſſo anno 1656. die 16. Octobris: in quo appellat Filios iniquitatis, qui magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident aſſerere, *prædictas quinque propoſitiones vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe*. Confirmatur ex forma Juramenti præſcripta ab eodem Aleaandro an. 1664. *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innoc. X. datæ die 31. Maji an. 1653. & Conſtitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris anno 1656. Summorum Pontificum me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem auctore intento, prout per illas prædictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, damno, & ita juro*. Comprobatur evidenti ratione; quoniam non poterant propoſitiones illæ in ſenſu auctoris condemnari, niſi Janſenii textus & doctrinæ capita maturo examine expenderentur. Evincitur demum facto, quia cum propoſitiones aliquas, ut jacent, nonnulli Conſultorum in prioribus Congregationibus non reprobaſſent, ut Vincentius Candidus Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici, Commiſſarius S. Officii, noſter Generalis Viſconti, & eruditus Annalium FF. Minorum Scriptor Lucas Wadingus; eas quippe noverant juxta Auguſtinianam, & Thomiſticam Scholam poſſe ſenſum habere Catholicum, nam neque juſti efficaci deſtituti auxilio implent actu divina præcepta, neque auxilium illud reſpuitur, neque cum eo ſtat in ſenſu compoſito actualis inobedientia, neque tale auxilium confertur ſingulis pro quibus mortuus eſt Chriſtus, quæ omnia etiam poſt damnatum dogma Janſenii fas eſt propugnare: prædicti tamen Conſultores in poſterioribus Congregationibus ad ſenſum Janſenii diſpunxerunt Propoſitiones: unde perperam ex prioribus approbationibus Auctor Cauſæ Janſenianæ Paulus Irenæus pro falſo dogmate carpit Cenſorum ſuffragium. Atque ne multus ſim, Alex. VII. Brevi emanato an. 1661. Kal. Auguſti declarat *temeraria narratione proferri tempore Innoc. X. non aliud factum, quam inquiſitum, an propoſitiones illæ quinque de gratia vera ac Catholicæ, an potius falſæ & hæreticæ cenſendæ forent: cum eo plane tempore nedum de Propoſitionibus ipſis cognitio habita fuerit, verum quod e Janſenii libro Auguſtinus nuncupato extractæ eſſent, & ita in ſenſu ab eodem Janſenio intellecto damnatæ*. His ergo omnibus evidenter demonſtratur Propoſitiones in libro Janſenii contineri; ibique ſenſum præſeferre a doctrina Auguſtini disjunctiſſimum, maximeque diverſum. Inquiramus tamen de ſingulis.

PROPOSITIO I. Affirmavit Janſenius aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, eſſe impoſſibilia: deeſſe quoque illis gratiam, qua poſſibilia fiant. Docet autem Auguſtinus oppoſitum.

THESIS JANSENIANA.

Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſti cap. 13. duas ſibi objectiones pro gratia ſufficienti proponit. Una eſt, tam juſtis, quam obcæcatis imponitur præceptum; ergo habent gratiam ſufficientem. Altera autem: Si prævaricentur, peccant; habent ergo gratiam, qua poſſunt vitare peccatum. Reſpondet autem fallam eſſe conſequentiam, quia ſunt quædam homini præcepta, *Quæ ſecundum ſtatum, & vires, in quibus conſtitutus eſt, ſunt impoſſibilia, nec ſemper adeſſe gratiam, qua poſſimus, hoc eſt, qua illa eadem præcepta implere ſufficiamus*. Addit *hanc impotentiam reperiri non ſolum in excæcatis, & obduratis, & infidelibus, ſed etiam in fidelibus & juſtis, qui & fidem Chriſti, & caritatem juſtitiæ ſuſceperunt*. Addit *hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, ſed etiam quando volunt*. Sequitur, illos, *qui pro impetranda gratia deprecantur, ut valeant facere quod jubetur, jam habere præcepti implendi voluntatem, ſed deeſſe poteſtatem*. Tandem concludit: *Hæc igitur omnia pleniſſime planiſſimeque demonſtrant, nihil eſſe in Sancti Auguſtini doctrina certius ac fundatius, quam eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus obcæcatis & obduratis, ſed fidelibus quoque & juſtis, volentibus, conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, qua fiant poſſibilia*. En prima propoſitio verbis expreſſiſſimis in libro Janſenii.

ANTITHESIS AUGUSTINIANA.

S. P. Auguſtinus univerſaliter de divinis præceptis, pront ſin-

Digitized by Google

ut ſingulis imponuntur, ſcribit lib. de Fide contra Manichæos cap. 10. *Quis non clamet ſtultum eſſe, præcepta dare ei, cui liberum non eſt quod præcipitur facere: & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* Serm. 191. de Temp. ait: *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid a Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non a ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari*. Lib. de nat. & grat. cap. 43.: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*. Hæc verba Tridentino Canone conſecrata ſunt Seſſ. 6. de Juſtific. cap. 11. De juſtis vero docet S. Pater nunquam deſeri a Deo, niſi Deum priores deſerant: *Fortaſſe reſpondeat* (inquit eodem lib. de nat. & grat. cap. 23.) *Deum ad iſta non cogere, ſed dignos deſeri tantum deſerere. Si hoc dicit, veriſſime dicit*. In Pſ. 145. n. 9. *Non enim deſeret opus ſuum, ſi ab opere ſuo non deſeratur*. Ex lib. 4. Confeſſ. cap. 9. *Te nemo amittit, niſi qui dimittit*. Similiter fideliſſimus Auguſtini diſcipulus S. Proſper lib. 2. ad Ob. VII. *Priuſquam deſeratur, neminem deſerit*. At juxta Janſenium Deus ſubtrehendo gratiæ adjutorium Juſtos deſerit, antequam ab eis deſeratur. Repugnat ergo Janſeniana propoſitio doctrinæ S. Auguſtini.

ÆQUITAS CENSURÆ.

Conſtitutione Innocentiana declarata eſt prima illa Janſenii Propoſitio *Temeraria*, *impia*, *blaſphema*, *anathemate damnata*, & *hæretica*. I. Eſt *temeraria*. Illa enim propoſitio temereria eſt, quæ audacter profertur, & fabricatur verbis inſolitis, prohibitis, & cum ſenſu Scripturarum, ſanctorumque Patrum pugnantibus. Hujuſmodi eſt prima propoſitin Janſenii. Ergo eſt temeraria. Minor probatur; nam præcepta divina non dicuntur *impoſſibilia* in ſacris literis; ſed *jugum ſuave, & onus leve*. Matth. XI. 30. & *mandatum quod non eſt ſupra* nos, Deut. XXX. 11. Item nec a Generalibus Conciliis, cum Tridentinum jamdudum Seſſ. 6. cap. XI. definierit; *Nemo temeraria illa, & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia*. Similiter nec a Romanis Pontificibus, qui proſcripſerunt 54. articulum Baji, *Definitiva hæc ſententia Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit*. Pariter nec ſimilia proferuntur ab Auguſtino, ceteriſque PP., ut dictum eſt ſupra. Tandem nequa a Theologis; omnes quippe ſubſcribunt Divo Thomæ, qui in 2. Sent. diſt. 28. q. 1. art. 3. laudat hanc Hieronymi ſententiam, *Qui Deum dicit præcipere impoſſibilia, anathema ſit*. II. Eſt *impia*. Siquidem propoſitin illa impia eſt, quæ divinam legem poteſt reddere exoſam, & homines ab illius obſervantia amovere. Talis eſt prior Janſeniana propoſitio. Igitur impia eſt. Minorem probo ſatis obvia comparetione; quis enim non execrebitur E. G. Pharaonis, aut Tyranni alterius mandata, dum ad impoſſibilia captivos, ſubditoſque coarctant? III. Eſt *blaſphema*. Illa quippe propoſitio blaſphema eſt, quæ ſummo Deo probrum aliquod, conviciumque objectat. Iſtiuſmodi eſt poſitio Janſeniana. Blaſphema eſt igitur. Demonſtratur minor; quoniam aſſertum illud Janſenii redarguit Deum, tamquam infidelem & mendacem. Cum enim ſcribat Apoſtolus in 1. ad Corint. cap. X. 13. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*: juxta decreta Janſenii, Deus non ſolum permittit Juſtos tentari ſupra id, quod poſſunt, ſed etiam ſubtrabit illis gratiam, ſine qua coacti neceſſitate ſuccumbunt. Pari jure ſcitum Janſenii Deum facit iniquum: nam, ut paullo ſupra dicebamus cum Auguſtino, iniquum eſt eum damnare, cui non fuit poteſtas juſta complere. Facit & immiſericordem, quoniam deſerit juſtum, antequam deſeratur. IV. Eſt *anathemate damnata*, ideſt Seſſ. 6. cap. XI. Tridentini, & in Bajanis articulis, ut dictum eſt nuper. V. Denique eſt *hæretica*. Ea enim propoſitio hæretica cenſenda eſt, quæ adverſatur aut Sacris litteris, aut definitionibus Eccleſiæ, aut SS. Patrum Traditioni. Prima Theſis Janſeniana, quemadmodum demonſtratum eſt, adverſatur Sacris literis, Eccleſiaſticis decretis, & Traditionibus Patrum. Illa ergo theſis eſt hæretica; & rectiſſime numeratis cenſoriis notis diſpuncta, rejecta, & proſcripta.

AD JANSENISTARUM OBJECTA RESPONSIO.

Quæ objiciunt Janſeniani, ſi omnia oporteret expendere, non poſſent hujus libri anguſtiis comprehendi. Reduci tamen poſſunt ad quatuor capita. Alia ſunt enim argumenta, quibus rationes noſtras tentant obruere: alia, quibus ſuadere nituntur Janſenium cum Auguſtino concordare: alia, quæ afferunt, ut Janſenii ſenſum tutentur; alia demum, quibus cenſuram propoſitionis propulſant. Reſponſa vero iis capitibus adhibenda elidunt ceteras omnes Sectariorum cavillaſtiones.

In primo itaque genere hæc locantur. I. Illum Apoſtoli locum, *Fidelis autem Deus eſt, &c.* nullo modo tam indiſcrete debemus accipere, ut hoc in omnibus omnino fidelibus obſervetur; alioquin Deus non ſineret juſtum aliquem tentari, & deficere. Igitur aliquando ob impotentiam fidelis homo ab obſervantia divinorum præceptorum deſciſcit. II. Et illud Tridentini Concilii ſeſſ. 6. cap. XI. excerptum ex Auguſtino, *Deus ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi prius ab eis deſeratur*, ita accipiendum eſt, ut Deus neminem deſerat ſubtrectione juſtitiæ, niſi prius deſeratur ab homine per inobedientiam. Non ergo inde infertur, non ſubtrahere quandoque juſtis auxilium actuale & ſufficiens. III. Quod profertur ex Auguſtino, Deum non præcipere impoſſibilia, ſed admonere, ut faciamus quod poſſumus, petamus vero quod non poſſumus, traditur etiam a Janſenin lib. 3. de Grat. Chr. cap. 13. his verbis: *Præcepta homini juſtificato ad obſervandum non ſunt impoſſibilia, eo quod jubendo Deus moneat petere quod non poſſis, & ſi exaudiat, adjuvet ut poſſis*. At gratia orationis non omnibus datur; Ergo neque omnes poſſunt divina præcepta complere.

Reſp. ad 1. Apoſtolum neminem excipere; & Deum erga omnes juſtos fideliſſimum omnibus promiſſa ſervare, quia *priuſquam deſeratur, neminem deſerit*. Quod ſi illos tentari, & interdum cadere ſinit, facit ut bonus Figulus, qui poſtquam teſtam confecit ex luto, imponit fornaci: ſed nunquam ignem ſuperaccendit, ut illam infringi neceſſe ſit; quamquam ob luti vitium aliquando percrepat, & diſcinditur. Ita poſtquam ex maſſa damnationis juſtum fecit, ut fiat vas in honorem, igni tentationis exponit: ſed facit cum tentatione proventum, nec patitur tentari ſupra id quod poteſt. Proinde ſi frangitur; aut vitium ſuperbiæ eſt, aut malitia voluntatis, quæ ad malum ſeipſa ſufficit. Legito Auguſtinum ſuper Pſalmum centeſimum ac viceſimum. Ad II. hæc ſit reſponſio: Juſtificatis non ſolum confertur auxilium *ad remiſſionem peccatorum*, *ſed etiam ut præcaveantur futura*, juxta tertium Canonem Synodi Milevitanæ. Atque ut Auguſtinus ſcribit de Nat. & Grat. cap. 26. *Sanat Deus non ſolum ut deleat quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam ne peccemus*. Quod S. Pater explicat eodem loco afferendo diſcrimen, quod intercedit inter medicum curantem corporis vulnera, & Mediatorem Dei & hominum Chriſtum Jaſum, qui juſtificando impium ſpiritualiter ſanat ægrotum. Ille enim *cum ſanaverit hominem, jam de cetero ſuſtentandum elementis, & alimentis corporalibus, ut eadem ſanitas apto ſubſidio convaleſcat atque perſiſtat, Deo dimittit*. Iſte autem *cum ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam, juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut pie ſemper, juſteque vivatur*. Additque e veſtigio hanc rationem: *Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere: ſic homo etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere*. En Auguſtinum aperte docentem ſemel juſtificatum non deſeri a Deo ſubtractione auxilii, ſine quo impoſſibile eſt ut recte vivat, niſi prius homo deſeret ipſum Deum. Ad tertium dico Janſenium ſuis propriis verbis refelli. Ait enim, *Si exaudiat, adjuvat ut poſſis*. Ergo non habet poteſtatem ullam ſervandi mandata, qui deſtitutus eſt gratia efficaci orationis, qua & petat, & exaudiatur. At juſtus, etſi non oret, poteſt orare, & licet non habeat efficacem gratiam, habet ſufficientem. Nam quid eſt bona illa voluntas, animique conatus, niſi gratia? An gratia orationis detur omnibus, eaque neceſſaria ſit, ut imputetur peccatum, nolo diſceptare in præſentia. De juſtis in damnata propoſitione Janſenii fit ſermo: neque omnium hominum eamdem eſſe rationem etiam ex hoc loco colligitur, quod cum Janſenius infideles quoque, & obcæcatos complexus ſit, tamen ſoli juſti in Propoſitione damnata commemorantur: & Catholici plures denegant nonnullis auxilia ſufficientia, quæ concordiſſime tenent juſtificatis adeſſe.

Ad ſecundum ordinem pertinent argumentationes proximæ. I. ipſis Auguſtini verbis de Grat. & lib. arb. cap. 16. *Ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus quod ab illo petere debeamus*, & ex productis ſuperius ex cap. 43. de Natura & Gratia, demonſtratur juſtos aliquando non habere gratiam, qua poſſint mandata adimplere. Non enim habent, quod orationibus debent petere: Debent petere, ut poſſint: Ergo non poſſunt. II. Innumera ſunt in Auguſtino loca poſitioni Janſenianæ ſimillima, ut in 1. Retract. cap. 22. *In poteſtate hominis eſt mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt niſi a Deo detur*. Dari autem hanc poteſtatem a Deo demonſtrat ex verbis Scripturæ, *Præparatur voluntas a Domino*, &, *Dedit poteſtatem filios Dei fieri*; quibus commendatur gratiæ efficacia. Ubi ergo non eſt gratia efficax, nulla erit boni poteſtas. Nec per Auguſtinum ſufficit ut poſſimus parva illa voluntas, qua interdum juſti excitantur; quia potius de habentibus parvam illam voluntatem ſcribit laudato cap. 16. de Grat. & libero arbitrio, *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit, & robuſtam*. Et Tract. 24. in Joannem, *Conaris*, inquit, *ambulare, & non potes*. III. De Petro Apoſtolo, qui Chriſtum negando excidit a juſtitia, ſcribit Auguſtinus ſerm. 124. de Temp. *Sed quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cum negaret Chriſtum, & niſi quod ait Propheta, Omnis caro fœnum?* Petrus ergo adhuc juſtus cecidit

ruit

ruit gratia, ſine qua nihil poterat, ideſt efficaci: ſine qua nihil boni fieri poſſe innumeris argumentis nititur oſtendere Antonius Arnaldus P. 1. Diſſertationis Quadripartitæ. Hoc Petri exemplo uſus antea fuerat Janſenius cit. lib. III. de Gratia Chr. cap. 13.

Reſp. ad. 1. in lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16. Auguſtinum demonſtrare adverſus Pelagianos poſſibilitatem obſervandi divina præcepta non eſſe ex nobis: quod optime probat ex Orationibus, quibus a Deo petimus, *ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus*. At juſti gratiam frequenter inſpirantem voluntatem bonam habent: igitur & poteſtatem, quæ non eſt ex nobis, ut exiſtimabant Pelagiani. At dices: Hæc voluntas parva eſt, & invalida, de qua ait Auguſtinus, *Qui vult facere Dei mandatum, & non poteſt, &c.* Hæc eſt altera objectio, cui reſpondeo, duplicem eſſe poteſtatem, unam ab actu ſeparatam, aliam cum actu conjunctam: illa dat poſſe, ideſt, conſtituit potentiam in actu primo ut poſſit exire in actum, ut eſt in homine virtus & facultas uidendi, aut ambulandi: iſta facit ut potentia exeat in actum, E. G. ut videat, ut ambulet. Conſtat autem plura requiri ad actum ipſum, quam ad potentiam: unde ex iſta nequit deduci uſus, ſiva exercita potentiæ operatio. Hæc doctus Thomiſta Alverez diſp. 79. n. 2. & Cajetanus in 1. 2. q. 109. art. 10. Potentia autem ſeparata ab actu alia eſt proxima, alia remota, alia remotiſſima: Proxima eſt, quæ ad operandum non eget niſi motione, qua determinetur ad actum, ut eſt potentia videndi in oculo ſano & clara luce perfuſo, etiamſi clauſus teneatur aut averſus. Eſt autem potentia remota, quotieſcumque expedite & immediate exercere actum non poteſt, aliquo remorante impedimento, ut oculus tenui luce illuſtratus, aut pes in via præcipiti & lubrica. Remotiſſima erit, ſi vix ſuperſit naturalis facultas omni adjutamento expoliata, ut oculus in tenebris, pes cum podagra. Hanc remotiſſimam potentiam Auguſtinus in unoquoque peccatore agnoſcit, quia poteſt quiſque eſſe ſine peccato, dummodo ipſa natura *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, vel ſanetur quia vitiata eſt, vel quia ſibi non ſufficit adjuvetur*, inquit de Nat. & Grat. cap. 59. Potentia remota eſt in eo, qui habet, ut diximus, voluntatem pravam. Proxima in illo, qui magnam habet & robuſtam, cum qua faciente Deo ut faciamus per inſpirationem victricis delectationis: habetur etiam poteſtas, quæ conjungitur cum actu. Hanc ſolam veram eſſe poteſtatem cenſuit Janſenius, qui ſcripſit eſſe extra poteſtatem arbitrii actum oppoſitum, quotieſcunque prævalet carnalis delectatio, & ſub iſta nullam eſſe poteſtatem juſtitiæ, ſed vinculum arbitrii, & neceſſitatem peccandi. Ex qua perverſa doctrina quomodo fluant quinque famoſæ propoſitiones vidimus priori capite. Itaque dicimus, in eo, qui habet voluntatem parvam & invalidam, eſſe potentiam proxime ſufficientem ad orandum, & ſufficientem remote ad obſervantiam præceptorum, quæ poterit proxime implere, dum per orationem obtinuerit magnam, & robuſtam voluntatem; quod ex ipſis verbis Auguſtini perſpicuum eſt. At nego cum voluntate illa prava & invalida obſervandi præcepta ſtare horum impoſſibilitatem; quoniam contraria voluntas carnalis, quantumvis prævaleat, non conſtringit arbitrium vinculo neceſſitatis, ſed relinquit indifferentiam judicii, & potentiam ad oppoſitum, ut dixi ubicumque diſſerui de libertate: ubi etiam explicavi, quomodo dicatur ab Auguſtino aliquando impoſſibile, quod perarduum eſt, & difficile, ſive quod caret potentia proxime ſufficiente atque expedita, quam nunc declaravimus. Expediuntur dictis omnia, quæ Arnaldus memorata diſſertatione profert ad probandum, non eſſe poteſtatem bonorum operum ſine gratia per ſe efficaci: nam ea ſi accipiantur de potentia conjuncta cum actu, ſive de ipſamet operatione; vera ſunt: ſi de potentia indifferente ad agendum, aut de facultate operandi, falſa penitus. Exemplum tamen Petri inſcite nimis a Janſenio, & Arnaldo adhibetur, ut demonſtrent gratiam aliquando deeſſe juſto, & hunc deſeri a Deo ſubtractione auxilii actualis, antequam Deus ab eo deſeratur. Probatur enim lapſu, & exemplo Apoſtoli oppoſitum. Adeſt juſtis ſufficiens gratia ad orandum, cum habent notitiam præcepti, cupiunt illud implere, atque propriam agnoſcentes infirmitatem ex hujus conſideratione ad implorandum Omnipotentis Dei adjutorium moventur. Igitur ſi proprii arbitrii virtute elati exiſtiment poſſe ſeipſis id implere, ponunt obicem gratiæ, unde habebant potentiam proximam ad orandum: quoniam, ut Auguſtinus ſcribit lib. 3. ad Bonifacium cap. 7. *iſta implicati ſuperbia ad gratiam non convertuntur juvantem*. Videatur Noriſius hoc demonſtrans more ſuo, ſolide ſcilicet, & erudite in Janſenianí erroris calumnia ſublata cap. 3. §. 2. Atqui Petrus, juxta Auguſtinum, de propriis viribus præſumens poſuit obicem illum gratiæ tribuenti potentiam proximam ad orandum. Igitur non ipſum juſtificatum divina gratia deſeruit, ſed ipſe ſuperbia implicatus, & divini adjutorii neceſſitatem negando, illud ſibi abſtulit. Probatur minor ex eodem Serm. 124. de Tempore citato ab Arnaldo pag. 32. Cauſſæ Arnaldinæ. Nam verbis ab Arnaldo productis hæc ſunt adjuncta: *Per ſolum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio, promiſerat ſe pro Domino moriturum*. Item in Pſalmum 58. *Petrus præſumendo ignorabat, & negando didicit quales vires haberet*. Et de Grat. & lib. arb. cap. 17. *Putabat ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat*; ideſt, ut explicat noſter Deſirant in Theſibus Lovanienſibus anni 1657. & liquet ex allatis contextibus, *putabat ſe poſſe viribus naturæ, quod ſe velle ſentiebat viribus gratiæ*. Productus ab Arnaldo ſermo 124. de Tempore ſpurius eſt, & rejectus in Appendicem Tom. v. n. 79. Sed cum S. P. habeat conſimilia cap. 17. de lib. arb. & Tract. 92. in Joannem, præmiſſum dedi reſponſum.

Tenent tertium ordinem quæ ſequuntur. I. Senſus Janſenii eſt explodere, & juſtis denegare Gratiam Moliniſticæ ſufficientem, illam ſcilicet, quæ cum actu conjuncta eſt ſola accedente cooperatione voluntatis. At ſenſus hujuſmodi rejicitur ab omnibus gratiæ per ſe effectricis propugnatoribus. Igitur perſtringenda eſt horum omnium ſententia, aut a cenſoriis notis etiam Janſeniana eſt immunis. II. In omnium Thomiſtarum opinione neceſſaria eſt, ut actu impleantur præcepta, gratia phyſice prædeterminans. At hæc ſæpenumero juſtis ſubtrahitur. Ergo etiam in Thomiſtica Schola deeſt aliquando juſtis gratia, ſine qua obſervantia divinorum præceptorum eſt impoſſibilis. III. Validius poterant Janſeniſtæ ſe defendere ſententiæ noſtræ præſidio. Quippe nos propugnamus gratiæ gradualitatem; & contendimus illam non eſſe efficacem, cui obſiſtit validior concupiſcentia. Atqui hæc eadem eſt doctrina Janſenii, qui non ait abſolute præcepta eſſe juſtis impoſſibilia, ſed eſſe impoſſibilia *ſecundum præſentes, quas habent, vires*, hoc eſt comparate ad majores gradus concupiſcentiæ. Igitur aut ſententia noſtra Auguſtiniana non eſt, aut Auguſtiniana eſt ſententia Janſenii.

Reſp. ad 1. & a nobis, & a Thomiſtis rejici gratiam Moliniſtice ſufficientem; ſed non libra & animadverſione Janſeniana, quaſi Pelagiana ſit; quia tali gratiæ poteſt voluntas reſiſtere, aut quaſi nullam Chriſti gratiam habeat, qui non habet victricem delectationem, qua vigente carnalis cupiditas prævalere non poſſit. Sed dicimus Moliniſtas, imo & Catholicos omnes recte cum gratiâ defendere poteſtatem reluctandi; etſi per nos ad ponendum actum requiratur auxilium ſuapte natura efficax, cum quo perſiſtit potentia ad oppoſitum: quod Janſenius negans damnatur merito a Theologis omnibus, ſive Moliniani ſint, ſive Thomiſtæ, ſive Auguſtinenſes. Ad 2. reſpondeo Thomiſtas non defendere neceſſitatem gratiæ prædeterminantis ut voluntas conſtituatur proxime potens *in actu primo*, ſive ut compleatur, ut inquiunt, *in linea potentiæ*, ſed illam gratiam prædeterminantem requirunt ratione *actus ſecundi*, hoc eſt, ut voluntas reapſe applicetur ad actum. Conſtat enim ex ſupradictis plus requiri ad actum, quam ad potentiam. Nego itaque deeſſe juſtis potentiam implendi præcepta, dum illis ſubtrahitur gratia efficax, per quam eadem præcepta actu adimplent. Ad tertium dico ſententiam noſtram toto cælo diſtare a ſententia Janſenii; primo quia in victrici delectatione non conſtituimus gratiam ſufficientem, quæ dat poſſe, ſed gratiam efficacem, quæ inſpirat voluntatem magnam & robuſtam, & facit ut faciamus: gratiam autem illam ſufficientem ab operatione ſejunctam agnoſcimus etiam in voluntate parva & invalida. Deinde negamus cum delectatione victrici non conſiſtere indifferentiam judicii & potentiam ad oppoſitum, ideoque premente quacunque cupiditate, ſive vigente quacunque ſancta delectatione tam bonum quam malum eſt in noſtra libera poteſtate. Quæ cum in pluribus locis ſint demonſtrata, habent etiam ex hoc volumine confirmationem, de H. P. cap. VIII. Theſi 4. & cap. XI. ad 1. ob. Item de H. Calv. cap. 2. & 3. & hac etiam diſſert. cap. 1.

Poſtremo loco non promereri Janſenianum aſſertum tam acerbam cenſuram, probant hoc argumento. Diſcutiunt Theologi, quomodo accipienda ſit illa Tridentini definitio, *Deus impoſſibilia non jubet*, neque omnes conveniunt. Moliniſtæ ita illam accipiunt, ut velint præcepta poſſibilia eſſe, quoniam adeſt ſingulis gratia ſufficiens, quam voluntas pro ſuo lubitu flectit ad actum. Thomiſtæ exponunt de illa poſſibilitate, quæ neceſſitatem non excludat uberioris auxilii. Sed auctore Bellarmino, Eſtio, aliiſque viris graviſſimis Concilium opponitur errori Lutheranorum & Calviniſtarum, qui omnibus juſtis, etiam dum ſpiritu Dei aguntur, arbitrabantur impoſſibilia mandata Dei, quod concupiſcentiæ labes ſingula juſtorum opera inficiat. Id profecto nunquam docuit Janſenius; nam ſi juſtis conferatur gratia concupiſcentiæ debellatrix, & præcepta obſervant, & bona illorum opera concupiſcentiæ vitio non corrumpuntur. Quomodo ergo propoſitio Janſenii hac notatione proſcribitur, *anathemate damnata?*

Reſp. 1. quod etiamſi poſitio Janſenii non fuiſſet *anathemate damnata* a Synodo Tridentina; fuiſſet tamen a Pio V. in articulo 54. Michaelis Baji. Deinde reſpondeo, utique ſenſum Janſenii non eſſe undequaque Calvinianum. Conveniunt tamen in hoc, quod liberum arbitrium ſub dominatu concupiſcentiæ non poſſit implere mandata, & motum atque excitatum a gratia non poſſit diſſentiri, ſi velit. Hinc fluere quinque propoſitiones Janſenii liquet ex dictis: illa autem duo errorum principia, in quibus utrique conveniunt, damnata eſſe a Tridentino, conſtat e

ſeſs.

Digitized by Google

ſeſs. vi. can. 3. 6. & 18. itaque Tridentina Synodus in Luthero, & Calvino hæreſim quoque Janſenianam confixit.

PROPOSITIO II. Janſenius etiam aſſeruit interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſti: cum aperturſime contrarium tradiderit Auguſtinus.

THESIS JANSENIANA.

Janſenius lib. ii. cap. 4. poſtquam plura diſſeruit de diſcrimine inter adjutorium *ſine quo*, & adjutorium *quo*; & de illo ſcripſit, quod ſi daretur in hoc ſtatu, *vel nihil omnino conferret, vel pro adjumento afferret perniciem*; hæc inſuper de adjutorio *quo* ſcribit; *Secundi generis adjutorium fecit influere facultatem ſuapte efficacia, nec facultas ipſius libero arbitratui ſubjacet: & Gratia ſanæ voluntatis in ejus libero relinquebatur arbitrio, ut eam ſi vellet deſereret, aut ſi vellet uteretur: gratia vero lapſæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquitur arbitrio, ut eam deſerat, & arripiat ſi voluerit*. Excludit igitur Janſenius a ſtatu naturæ lapſæ omnem gratiam ſufficientem, ſimulque docet medicinali nullo modo poſſe arbitrium obſiſtere. Atque id expreſſius tradit eodem libro cap. 24. ſcribens: *Gratiam Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere*. Proximo cap. 25. ait, *Nulla omnino medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo caret*. Libro denique iv. cap. 7. *Naturali ordine*, inquit, *ex delectatione dilectio, ex dilectione operatio conſequitur*. Ex quibus ſequitur directe ſecunda poſitio Janſenii. Enim vero adjutorio *quo*, ſive gratiæ per ſe efficaci nunquam reſiſtitur. Atqui per Janſenium in ſtatu naturæ lapſæ nulla datur interior gratia, niſi ſuapte natura efficax. Igitur per Janſenium interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

ANTITHESIS AUGUSTINIANA.

At Auguſtinus tradita, in libro de Corrept. & Grat. cap. xi. celeberrima auxiliorum diſtinctione, inquit: *Nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium* (ideſt, *ſine quo*) *jam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum: & tanto amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit; ut non ſolum adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus, verumetiam tantum, ac tale, ut velimus*. In priori perte, (inquit Cardinalis Noriſius in Calumnia ſublata cap. 3. §. 1.) deſcribi auxilium *ſine quo non*, ſive pure ſufficiens, omnibus eſt manifeſtum. Atqui S. P. Auguſtinus aſſerit hoc adjutorium aliquibus in hoc ſtatu miſericorditer dari, aliquibus denegari in pœnam; ac præterea nunc homines adjuvari per amplius adjutorium, quod facit etiam *ut velimus*. Ergo Auguſtinus agnoſcit in hoc ſtatu non ſolum adjutorium *quo*, ſed etiam adjutorium *ſine quo non*, ſive pure ſufficiens. Præterea voluntas parva & invalida, ſive motus inefficacis gratiæ, quibus non movemur tam valde ut exequamur præcepta, proculdubio non ſunt adjutorium *quo*, ideſt, amplior illa & efficax gratia, qua, ut ibidem loquitur Auguſtinus, fit *ut homo velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat*. At certiſſime S. Pater in hoc infirmitatis ſtatu admittit hujuſmodi voluntatem parvam, & invalidam, ac motus inefficacis gratiæ, quibus non ita movemur, ut ardore caritatis vincamus voluntatem carnis *concupiſcentialiter reſiſtentem*. Ergo S. Pater certo agnoſcit in hoc ſtatu auxilium aliquod diſtinctum ab adjutorio *quo*, & a gratia per ſe efficaci. Minorem vero probo, quoniam S. Pater parvam illam & invalidam voluntatem expertus eſt initio Converſionis ſuæ in ſeipſo, ut evincunt teſtimonia allata ſuperius de H. P. cap. viii. theſi 121. Agnovit & in Petro, de quo cap. 17. de Gratia & lib. arb. ait: *Ipſam caritatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Et tamen quamvis parva, & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam*. Atque ibidem voluntatem ipſam adhuc invalidam docet adeſſe ſingulis, qui volunt obſervare præcepta, ſed nondum magnam caritatem inflammantur, ſcribens: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam*. Sed de his plura memorato capite viii. Sunt præterea in libris Auguſtini complura, quibus ait nos interiori gratiæ interdum reſiſtere, ut in Pſalm. 124. n. 2. *Cor eorum congelaſcit adverſus Deum, & fit durum adverſus imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat*. De peccatorum meritis lib. 1. cap. 39. dum de puero baptizato, & de concupiſcentia, quæ remanet ad agonem, ait: *Si poſt baptiſmum vixerit, & ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet, ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe noluerit*. Et ne plura exſcribam, Hom. inter L. duodecima ita peccantem compellat: *Cum per Dei adjutorium in poteſtate tua ſit utrum conſentias diabolo; quare non magis Deo, quam ipſi obtemperare deliberas?* Multi ergo adverſus gratiæ imbrem dureſcunt, in vacuum gratiam recipiunt, & cum poſſint per gratiam ſervire Deo, Diabolo obediunt: ideoque interiori gratiæ reſiſtunt.

ÆQUITAS CENSURÆ.

De hac ſecunda poſitione Janſenii pronunciavit ſummus Pontifex Innocentius: *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*. Et quidem jure optimo. Nam Matth. 11. v. 21. habemus, habitatores Corozaim & Betſaidæ Chriſti Domini miraculis & prædicationi non crediďiſſe, & conſequenter non obtemperaſſe vocanti. De quibus Auguſtinus de dono Perſev. cap. 14. ſcribit *quod poterant credere*, unde non erant interiori gratia penitus deſtituti; at non crediďiſſe, quia Deus *induratis cor lapideum noluit auferre*, ideſt, ob cordis obdurationem non habuerunt gratiam per ſe efficacem. Similiter Stephanus Act. vii. v. 51. obſtinationem Judæorum redarguens, inquit: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*: quæ verba accipienda eſſe etiam de interno Spiritus Sancti adjumento definit Concilium Senonenſe celebratum adverſus Lutheranos an. 1528. P. 1. cap. 15. A Concilio pariter Tridentino definitum eſt, non ſolum quod liberum arbitrium divina gratia motum & excitatum poſſit diſſentire, ſi velit; verum etiam quod juſti poſſunt divina implere mandata, quæ tamen ſæpe tranſgrediuntur, ut liquet ex præcedenti propoſitione. Sacris ergo literis, & Conciliorum decretis opponitur Theſis Janſeniana; ideoque juſte ac legitime de illa inquit Romanus Pontifex, *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*.

AD EA, QUÆ OBJICIUNT JANSENIANI.

Nullam in hoc ſtatu dari gratiam ſufficientem, cui liberum reſiſtat arbitrium, ſtudent evincere adverſarii argumentis ab auctoritate divinæ Scripturæ, ab Auguſtini contra Pelagianos diſputationibus, & ab ipſa ratione depromptis. Ex Scripturis objiciunt I. Quod divinæ voluntatis propoſito nullus reſiſtit, ut habetur in Pſalmo 113. v. 3. *Deus noſter in cælo, omnia quæcumque voluit, fecit*; & in Epiſt. ad Rom. ix. 19. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Igitur ſemper Deus per ſuam gratiam quicquid vult operatur, eique nemo reſiſtit. III. Ut cap. ix. de H. P. demonſtratum eſt, Sacræ Scripturæ nobis gratiam deſcribunt tantummodo efficacem, ut Ezech. cap. xxxvi. v. 26., ad Rom. ix. 16., in 1. ad Corinth. cap. 4. v. 7., atque in aliis locis, quæ ibidem expendimus.

Ex Auguſtino autem urgent I. notiſſimum diſcrimen inter gratiam collatam Adamo, & illam qua indiget homo lapſus in lucta concupiſcentiæ. De quarum prima docet S. Pater quod dabat *poſſe*, de altera quod etiam dat *velle*. Hæc pariter ſunt laudato cap. ix. aliiſque in locis comprobata ex libro de Corrept. & Grat. ad Valentinum. Igitur per Auguſtinum in hoc ſtatu locum duntaxat habet adjutorium *quo*, ſive gratia efficax, quæ nunquam ab effectu disjungitur. Præterea opponunt, quæ ad probandam gratiam efficacem ex S. Patre memorato cap. delibavimus, veluti cum ſcribit de Præd. SS. cap. 8. *A nullo duro corde reſpuitur*. Et de Gratia & lib. arb. cap. 16. *Ille facit ut velimus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati*. Similia docent Proſper, Fulgentius, & ceteri Patres, maxime qui floruerunt poſt exortam hæreſim Pelagianam, ut vidimus eodem capite.

Quæ ex ratione depromunt, omnia ad duo capita reducuntur. Primo: Si in hoc ſtatu admittenda ſit gratia ſufficiens, & talis, cui voluntas reſiſtat, id foret, quoniam hæc gratia dat *poſſe*. At hoc, falſum eſt; quandoquidem ut voluntas poſſit exire in actum, neceſſaria eſt gratia ab intrinſeco efficax. Igitur gratia ſufficiens ab efficaci diſtincta in hoc infirmitatis ſtatu non datur. Deinde alia eſt notio ſufficientis gratiæ apud Molinianos, alia apud Thomiſtas. Illi propugnant gratiam ſufficientem, verſatilem & ab arbitrio pendulam, quæ redditur efficax a voluntatis conſenſu abſque uberiori auxilio: & videtur hæc notio ſufficientis gratiæ propria & vera; nam quiſquis habet quod ſufficit, nullo alio indiget adminiculo. Thomiſtæ defendunt gratiam ſufficientem, quæ dat *poſſe*, ſed nunquam exit in actum, niſi accedat efficacis gratiæ adjutorium: atque hæc notio gratiæ ſufficientis videtur impropria, quoniam illud non eſt revera ſufficiens, quod non complectitur quicquid requiritur, ut ponatur actus. Quid igitur? Janſeniſtæ negant gratiam ſufficientem Moliniſtico ſenſu, nec poſſunt hac de cauſa reprehendi, eo quod hanc gratiam negent omnes Thomiſtæ. Rurſus Janſeniſtæ admittunt gratiam quæ producit parvam & invalidam voluntatem, reſpectu cujus voluntatis eſt efficax, & negant illam gratiam ſufficere ad obſervanda præcepta, quia ad hoc neceſſaria eſt alia gratia tribuens voluntatem magnam, atque robuſtam, & conſentientes habent Mediſtas aſſerentes non eſſe illud auxilium ſufficiens, ſi aliud neceſſarium ſit ad operis complementum. Nihil ergo peccant Janſenii aſſeclæ, dum negant gratiam ſufficientem: ſed cum Mediſtis docent gratiam ſufficientem ſenſu Thomiſtico non eſſe revera ſufficientem; & cum Thomiſtis negant dari gratiam ſufficientem juxta notionem Mediſtarum. De qua argumentatione plura Blaſius Paſchalis in prioribus Epiſtolis Provincialibus editis ſub ficto nomine Ludovici Montalti.

Ad ar-

Ad argumenta ex Scripturis, & ex Auguſtino petita, reſpondere poſſumus uno verbo, iis probari gratiam efficacem, ſed non excludi ſufficientem, aliis cum divinarum literarum, tum Auguſtini teſtimoniis evidentiſſime comprobatam. *Si enim dixiſſet Janſenius gratiæ interiori efficaci non reſiſti, nihil a fide, vel a caſtigatiori Theologia dixiſſet extraneum: totque haberet ſuæ aſſertionis patronos, quot SS. Auguſtini & Thomæ numerantur Sectatores*, inquit Franciſcus Vanraſt Tom. 2. *Veritatis in medio poſitæ* pag. 59. Ad ſingula ſpecialiter reſpondent Thomiſtæ diſtinguendo in Deo duplicem voluntatem, antecedentem, conditionatam, omneſque homines reſpicientem generaliter; & voluntatem conſequentem, ſpecialem atque abſolutam. Juxta quam diſtinctionem, dicunt non reſiſti quidem huic voluntati, reſiſti tamen priori: & ſufficientem eſſe gratiam, quæ a prima illa voluntate deſcendit, efficacem vero, quæ confertur voluntate poſtrema. Explicavimus horum Theologorum Doctrinam cap. 1. lib. v. Placuit nobis duplicem illam voluntatem explicare ratione effectuum, ſive connotatorum; & diximus ſemper voluntatem Dei eſſe efficacem reſpectu alicujus effectus, ut Deus voluit efficaciter ſalutem & Redemptionem omnium, quantum ad impoſitionem ordinis, ſive inſtitutionem ſtatus, in quo omnes poſſent ſalvari, oblato pro omnibus ac ſingulis pretio redemptionis, inſtitutis Sacramentis, ac præparatis collatiſque non ponentibus obicem ampliſſimis gratiarum muneribus. At non ſemper voluntas Dei eſt efficax comparate ad effectum ulteriorem, ad quem neceſſarium eſt amplius adjutorium ob malitiam & infirmitatem humanam: atque hoc pacto Deum efficaciter nolle reproborum ſalutem, quantum ad executionem ordinis, ideſt quantum ad actualem gloriæ conſecutionem. Ex quibus infertur, omnem Dei voluntatem ac ſimiliter omnem gratiam efficacem eſſe comparate ad aliquem effectum, at talem non eſſe reſpectu operationis, quam impedit noſtra prava voluntas. Neque id negant Thomiſtæ, qui docent omne auxilium ſufficiens comparatione alicujus actus eſſe efficax reſpectu alterius, ut vidimus de H. P. cap. VIII. ad 4. ob. Gratia ergo inſpirans voluntatem parvam & invalidam reſpectu hujus voluntatis eſt efficax, quoniam actu hanc voluntatem inſpirat; reſpectu operationis liberæ, V. G. converſionis, & adimpletionis præcepti, eſt ſufficiens tantummodo, & redditur efficax dum impetratur a Domino voluntas magna & robuſta. In ſententia quoque Congruiſtarum, aliorumque omnium conſtituentium naturam gratiæ in actu indeliberato intellectus & voluntatis (quem actum non valeo percipere quid ſit, ſi non eſt ſancta illuminatio & ſancta inſpiratio.) omnis gratia comparate ad notitiam piamque affectionem illam indeliberatam efficax dicenda eſt; licet ſæpe ſæpius ſit inefficax in ordine ad operationem, reluctante ac reſiſtente libero arbitrio. Jam ſatis, ut arbitror, rem declaravi. Expedita eſt ergo reſponſio, omnem voluntatem Dei, & omnem gratiam eſſe efficacem in ordine ad effectum proximum & immediatum, V. G. ad inſpirationem ſanctæ dilectionis; non in ordine ad effectum, quem, dum inſpiratur ſancta delectatio, liberum arbitrium vult, ſed non vult ſemper ea caritate, & voluntate robuſta, quæ facit, ut faciamus. Atque ita verum eſt quicquid de divina voluntate tradunt Scripturæ; verum quicquid de Gratia aut parva, aut magna, ſcribit Auguſtinus: falſiſſimum autem quod tenet Janſenius affirmans naturali ordine conſequi ex dilectione ſemper operationem aliquam cum libertate, quæ per Janſenium ſufficit ad meritum, conjunctam, & nunquam interiori gratiæ reſiſti.

Exiguus reſtat ſcrupulus circa traditum ab Auguſtino auxiliorum diſcrimen. Jam diximus ſupra cum Noriſio, S. Patrem Auguſtinum admittere quidem in hoc infirmitatis ſtatu amplius adjutorium, ſed non denegare adjutorium *ſine quo non*. Addo adjutorium illud collatum Adæ & dari in hoc ſtatu, & non dari. Datur, quia datur gratia ſufficiens non conjuncta cum actu, & adjutorium *ſine quo non* erat gratia ſufficiens cum actu pariter non conjuncta. Non datur, quia non datur gratia ſufficiens ſenſu Moliniano, cujus ope voluntas actu bene agat ſine uberiori auxilio; & adjutorium illud Adami erat ipſa gratia ſufficiens Moliniſtice, penſilis a flexu arbitrii, quemadmodum præmonui de H. P. cap. VIII.

Prima ratio Janſeniſtarum convellitur diſtinguendo minorem. Gratia ſufficiens non dat *poſſe* conjunctum cum actu, & proxime completum & expeditum, concedo. Non dat *poſſe* ab actu ſejunctum & incompletum, nego. Vide quæ dixi ad 1. propoſitionem Janſenii in ſolutione argumentorum 2. claſſis. Addendum unum eſt, ne Thomiſtæ, qui docent per gratiam ſufficientem conſtitui potentiam proxime & complete potentem producere effectum, verborum meorum ſenſum reſpuant, me cum Noriſio cap. 4. Calumniæ ſublatæ & cum Theologis probatiſſimis ibidem enumeratis appellare potentiam proxime expeditam illam, quæ ut ponat actum, gratiam uberiorem non poſtulat, qualem habuit Adam cum adjutorio *ſine quo*, & habet homo infirmus cum adjutorio *quo*, ſive cum gratia efficaci etiam a Sanctis imploranda, juxta canonem X. Synodi Arauſicanæ. Quamobrem etiam renati ac Sancti, cum gratiam & adjutorium petere debeant, *ut in bono poſſint opere perdurare*; etſi gratiam habeant ſufficientem, non habent ſemper proximam perſeverandi potentiam. Atque hoc docet Auguſtinus dicens, *Qui vult facere mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam, poterit autem cum magnam habuerit, & robuſtam*. Igitur per Auguſtinum cum ſola gratia ſufficiente non poteſt mandata facere, qui caritatem non habet magnam atque vehementem: ideſt non poteſt proxime, complete, expedite; poterit vero cum impetraverit gratiam uberiorem, congruam, & efficacem. Invaluit in Scholis noſtris illa diſtinctio: potentia alia eſt expedita ab omni impedimento *impotentiæ*, alia eſt expedita ab omni impedimento *nolentiæ*; prima eſt cum gratia ſufficiente, altera cum efficaci. Utere, ſi lubet, hac diſtinctione: non aliud dices barbarizans, quam plane, & latine Noriſius tuus.

Nunc vero ad argumentum Blaſii Paſchalis, qui belle confundit quæſtionem Grammaticalem cum Theologica exhibens in Epiſtola exercitationem quamdam ludicram, & jocularem. Aliud eſt verbo contendere, aliud dogmate. Dogma Janſenii eſt ſub delectatione victrici tale vinculum injectum eſſe voluntati, ut neceſſitate flectatur, nec actus oppoſitus in ejus ſit poteſtate. Ergo per Janſenium ſub gratia parva, premente perverſa cupiditate, non eſt potentia recte operandi; & ſub gratia magna & robuſta non ſtat poteſtas peccandi, & neceſſitate alligati illud tantum facere poſſumus, quod magis delectat; ita, ut alternantibus delectationibus, nec una alteram ſuperante, neceſſario inefficacibus deſideriis hæreat animus. Agnoſcis, Janſeniane, ſermonem domeſticum. Dicas, te amabo, audis talia proferentem Mediſtam? Is adverſum te clamat, liberum arbitrium nunquam deperdere potentiam reluctandi, ſed per ſufficientem gratiam eſſe in æquilibrio virium, ut agere poſſit utrumlibet. Negat tale æquilibrium Thomiſta, & me quidem judice, optime, quia ad actum gratiam exigit efficacem; in ſola autem gratia ſufficiente docet conſiſtere, veram, & in actu primo expeditam potentiam recte operandi, quemadmodum ſub gratia efficaci defendit cum determinatione actus perſiſtere indifferentiam potentiæ. Num in hac ſententia dici debeat humana voluntas ſine efficaci adjutorio potens completa potentia, an incompleta, verborum lis eſt: & completam illi dicunt *in actu primo, & in linea potentiæ*; incompletam *in linea operationis*, & *in actu ſecundo*. Mitte logomachiam. Sententiæ Molinianorum ac Thomiſtarum conveniunt in admittenda gratia, cui voluntas reſiſtit. Talis non eſt gratia parva Janſenii; quoniam hæc ſuum habet effectum non ſolum indeliberatum & neceſſarium, qualis eſt in noſtra ſententia mentis illuſtratio, & pia voluntatis affectio; ſed etiam effectum perfecte liberum, quia in ſenſu Janſenii, ubi eſt voluntas, ibi eſt libertas. Merito ergo exploditur gratia parva Janſenii, & rejicitur illius dogma concordi Catholicorum omnium refutatione.

De quæſtione Grammaticali, ideſt, an Gratia ſufficiens Thomiſtico ſenſu, ſit vere & proprie ſufficiens, non opus eſt definite ſententiam dicere. Ego ſane mallem appellare *inefficacem*, eo quod non inſpiret voluntatem illam robuſtam, quæ inſpiratur ab efficaci. Idcirco habui frequentius in conſuetudine ſermonis vocabulum illud, quam *ſufficientis*: quod tamen in ſenſu Thomiſtico probo maxime, ut explicavi in cap. 8. H. P. At num inſpecta ſignificatione vocabuli, Gratia illa Thomiſtarum notione ſufficiens vere ſit talis, Scholaſtici non conſentiunt. Negant talem eſſe Mediſtæ omnes, & cum illis Honoratus Tournely P. 2. de Grat. q. VII. art. 4. Concl. 3., quia ea gratia inſufficiens cenſendi eſt, quæ non complectitur totum id quod requiritur, ut actus ponatur, vel ſaltem ut impetretur auxilium ad ponendum actum neceſſarium. Videtur conſentire Noriſius, qui, ut dictum eſt modo, negat dari ſine adjutorio efficaci potentiam proxime expeditam ad perſeverandum in accepta juſtitia. Solam gratiam efficacem eſſe proxime ſufficientem defendit Cumel Tom. 3. diſp. 5. ſect. 1. Cardinalis Brancatus de Laurea Opuſc. 3. de Gratia cap. 4. Franc. Macedo in Scrinio cap. VIII. & in Cortina pag. 318. Ex noſtris Baſilius Poncius I. P. Relect. de Grat. cap. 17. Joannes Schuveitzerus diſſert. 3. de Præd. dub. 6. & Petrus Clenaerts de Grat. efficaci cap. 6. §. 3. not. 7. Conſentiunt Theologi Lovanienſes in Juſtific. cap. XII. n. 177. Horum, aliorumque ſenſus eſt, Gratiam inefficacem non eſſe revera ſufficientem, ſi gratia ſufficiens accipiatur *grammaticaliter*, quatenus cum illa poteſt poni actus abſque gratia validiori. Juxta hanc notionem eſſet ſufficiens illa gratia, quam propugnant Moliniſtæ, ſi in præſenti ſtatu daretur, & ſufficeret naturæ infirmæ adjutorium collatum Adæ innocenti.

Alia ex parte non deſunt Thomiſtis rationes atque exempla ad probandum gratiam inefficacem appellandam eſſe vere ac proprie ſufficientem. Primo docent plura neceſſaria eſſe ad actum, quam ad potentiam; quod veriſſimum eſt, probatumque a nobis ſuperiori propoſitione eodem exemplo apud Thomiſtas frequentiſſimo oculi, qui poteſt videre, etiamſi, ut actu videat, neceſſaria ſit lux. Verum poſſe oculum cernere, niſi præbeatur luminis adjutorium, negat Auguſtinus lib. de Geſtis Pelagii cap. 3. De natura & gratia cap. 26. De pecc. meritis c. 5. libri 2. Epiſt. 106. nunc 186. Sed Thomiſtæ reponent, loqui Auguſtinum de potentia conjun-

cta

ſta cum actu. Dicent inſuper, recte appellari ſufficiens in uno genere, quamquam alia in alio genere ſint neceſſaria. Quod commonſtrabunt facile in omni genere cauſarum, cum erudito Thomiſta Franciſco Sylvio in 1. 2. q. 3. art. 3. & Aurelio noſtro Piette Lovanienſi Tom. 3. cap. 2. q. 2. Afferent exemplum ex Angelico Præceptore 3. p. q. 61. art. 1. ubi pertractans de neceſſitate Sacramentorum, cum 3. loco objeciſſet: *Poſita cauſſa ſufficienti nihil aliud videtur neceſſarium ad effectum: Sed paſſio Chriſti eſt ſufficiens cauſa noſtræ ſalutis: Non ergo requiruntur Sacramenta ad ſalutem humanam*; ita difficultatem ſolvit; *Ad tertium dicendum, quod paſſio Chriſti eſt ſufficiens cauſſa humanæ ſalutis: nec propter hoc ſequitur, quod Sacramenta non ſint neceſſaria ad humanam ſalutem: quia operantur in virtute paſſionis Chriſti, & paſſio Chriſti quodammodo applicatur hominibus per Sacramenta*. Ita ſufficiens eſt gratia quælibet, quantumvis minima, licet requiratur gratia prædeterminans, ut ad actum reapſe applicetur. Accedit comparatio naturalium omnium potentiarum, quæ completæ dicuntur ſingulæ in ſuo genere, quamquam actu non operentur, niſi prima cauſſa movente. Itaque pro libito gratiam, quæ opponitur efficaci, dicito aut inefficacem, aut ſufficientem; mea enim non refert, utrum horum dixeris: dummodo fatearis contra Janſenium interiorem aliquam gratiam, cui etiam in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtitur.

PROPOSITIO III. Janſenius protulit & enunciationem illam hæreticam: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*. In qua aſſertione opponitur Auguſtino.

THESIS JANSENIANA.

Enunciaſſe hæc Janſenium probatur I. quia in ſola immunitate a coactione contendit ſitam eſſe perfectiſſimam libertatem, ſcribens lib. VI. de Grat. Ch. cap. 6. *Duplex neceſſitas Auguſtino: coactionis; & ſimplex, ſeu voluntaria: illa, non hæc repugnat libertati*. Et lib. 7. cap. 19. *Nulla neceſſitas actibus voluntatis liberis formidanda eſt, ſed ſola vis, coactio, & neceſſitas violentiæ*. II. quia libertatem, per quam homines viatores aut ſub victrici delectatione merentur, aut ſub dominatu concupiſcentiæ delinquunt, lib. 6. de Grat. Ch. cap. 7. comparat libertati Dei, *qua peccare, injuſtus eſſe, & ſeipſum negare non poteſt*: & cap. proximo æquiparat voluntati Beatorum, qui Deum amant, *ſublata omni indifferentia & contrarietatis, & contradictionis*. Affert & 9. cap. exemplum arbitrii Chriſti, qui promeruit, etſi in eo *indifferentia ad non peccandum non remanſerit*. III. Fluit hæc tertia poſitio ſponte ſua ex Janſenii principiis. Nam, ut conſtat ex dictis, *nullum peccatum fit ab hominibus, quin voluntas, quadam delectatione prius titillante, & pruriante, provocetur*, ac pariformiter recte non operatur voluntas, *niſi ſancta delectatio ſuperet pugnantem concupiſcentiam*. Conflictus eſt inter utramque delectationem, *qui ſopiri non poteſt, niſi altera alteram ſuperaverit*, adeo, ut *urgente delectatione carnali, impoſſibile ſit, ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat*: & ſimiliter, *dominante ſola ſuavitate ſpiritus ardentiſſime voluntas Deum ita immobiliter diligat, ut peccare non poſſit*. Hæc Janſenius lib. IV. de Grat. Ch. cap. 9. Ergo per Janſenium quiſquis meretur, neceſſario abripitur a ſuperiori ſancta delectatione; qui vero peccat, neceſſitate ſuccumbit ſub premente cupiditate, & tam meritum quam demeritum nulla alia ratione dicitur liberum, niſi quia eſt voluntarium.

ANTITHESIS AUGUSTINIANA.

At magnus Auguſtinus, quamquam fatetur, *tanto eſſe ad quæcumque mala perferenda quemque iniquorum duriorem, quanto in eo major eſt cupiditas mundi; & quemque juſtorum tanto eſſe ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quanto in eo eſt major caritas Dei*, De Patient. cap. 17. Quamquam docet in hoc ſtatu, in quo caro concupiſcit adverſus ſpiritum, in tali certamine laborantes ac periclitantes indigere gratia, *qua carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat*, de corrept. & grat. cap. XI. Quamquam in voluntate, prout naturali inſtinctu fertur in finem, agnoſcit, *congenitam libertatem immutabilis voluntatis*, lib. VI. Op. Imp. n. 11.; nihilo tamen minus liberum arbitrium, cujus proprietas eſt mediorum electio, negat liberum habere motum, *niſi poteſtatem habeat motum ſuum cohibendi*; lib. 3. de lib. arb. cap. 3. negat eſſe peccatum, *unde non eſt liberum abſtinere*; negat hominem, quandiu corruptibili corpore rationalis anima detinetur, *non poſſe reſiſtere gratiæ*; de nat. & grat. cap. 67. Ergo docet Auguſtinus non poſſe cum neceſſitate permanere libertatem arbitrii, non motum culpabilem, non proprie acceptum peccatum, non meritum ſpectans ad mediorum electionem, non demeritum, non opus aliquod dignum retributione, vel pœna. Sed de his plura cap. 2. & 3. præcedentis diſſert. de H. Luthero-Calviniana.

ÆQUITAS CENSURÆ.

Tertia Janſenii propoſitio eadem cum præcedenti cenſoria animadverſione damnata eſt. Et quidem merito. Poſitio enim Janſenii cohæret articulis 39. & 56. Baji: & propoſitionibus Lutheri & Calvini anathemate damnatis a Tridentino ſeſſ. VI. canone 4. & 6.; ut conſtat ex citata diſſertatione: in qua etiam Hæreticorum, Novatorumque quælibet argumenta diluimus.

PROPOSITIO IV. In hoc etiam abſurdum Janſenius prolapſus eſt, ut ſcripſerit, *Semipelagianos admiſiſſe prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc fuiſſe hæreticos, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas obſiſtere, vel obtemperare*. Quod eſt plane falſum, & a doctrina S. P. Auguſtini alienum.

THESIS JANSENIANA.

Hanc propoſitionem eſſe Janſenii legitimam & genuinam puto nullum Janſeniſtarum negaturum, modo legerit quæ habentur lib. VIII. de H. P. cap. 6., ubi Janſenius inquit: *Maſſilienſium opinionibus, & Auguſtini doctrina quam diligentiſſime ponderata, certum & indubitatum eſſe debere ſentio, quod Maſſilienſes præter prædicationem atque naturam, veram etiam & internam & actualem gratiam ad ipſam etiam fidem, quem humanæ voluntatis ac libertatis adſcribunt viribus, neceſſariam eſſe fateantur*. En primum quartæ propoſitionis membrum. Audias alterum: *In hoc ergo proprie Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſet, ſi vellet, neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus & abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio & poteſtate*. Et de grat. Chr. cap. 12. lib. 2. appellat Semipelagianos *gratiæ medicinalis deſtructores, liberi arbitrii præſumptores, meritaque cenſuræ ſeveritate damnati*; quoniam admittebant libentiſſime adjutorium Dei, quo poſſent credere & orare, ſi vellent, ita ut & adjutorium, & ipſum velle & nolle in eorum libero, quemadmodum hominis primi, relinqueretur arbitrio. Atque hæc ſcribere, ut ſingula convenirent, neceſſum erat novo Dogmatiſtæ non admittenti gratiam medicinalem, niſi victricem, cui humana voluntas indeclinabili obtemperet neceſſitate.

ANTITHESIS AUGUSTINIANA.

Gratia interior, quam adverſus Pelagianos propugnavit Auguſtinus, & profitetur Eccleſia, non eſt ſolum liberum arbitrium, ſive gratia legis & doctrinæ tantummodo mentem colluſtrantis, ſed illuminatio tangens cor hominis, & faciens ut innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat. Hæc major propoſitio eſt Auguſtini lib. 2. de Peccat. meritis cap. 17. aliiſque in locis productis de H. P. cap. VIII. Hanc Gratiam ad initium Fidei Semipelagiani minime neceſſariam eſſe putarunt, auctore ipſo Auguſtino de Præd. SS. cap. 3. in Ep. 227. ad Vitalem nu. 9. & alibi, prout oſtendimus de H. Semip. c. ultimo. Ergo juxta Auguſtinum Semipelagiani non admiſerunt neceſſitatem interioris gratiæ ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei. Quod vero Maſſilienſium error ſitus non fuerit in hoc, quod homo lapſus poſſit cum adjutorio gratiæ credere, eſſet tamen in poteſtate arbitrii non credere, tam falſum eſt, quam eſt falſum non pertinere ad liberum arbitrium poteſtatem agendi vel non agendi, & libertatem *a neceſſitate*. Iſtud vero per Auguſtinum eſt falſiſſimum, quomodo vidimus diſputantes de libertate in præcedenti velitatione. Igitur per Auguſtinum falſum eſt in hoc erraſſe Maſſilienſes, quod vellent initium fidei eſſe a gratia, cui poſſet liberum arbitrium vel obſiſtere, vel obtemperare.

ÆQUITAS CENSURÆ.

Damnata eſt hæc propoſitio tamquam falſa, & hæretica. Falſa eſt, ſi Semipelagiani ad fidei initia non admiſerunt interiorem Gratiam adjuvantem voluntatem per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti. Hæretica eſt autem, ſi reluctandi gratiæ agnoſcere poteſtatem ſit dogma fidei, non error Maſſilienſium. At demonſtratum eſt, Semipelagianos illam interiorem gratiam non admiſiſſe: poſſe vero liberum arbitrium diſſentire gratiæ excitanti ac moventi, non error eſt, ſed definitio fidei expreſſa IV. Canone Seſſ. VI. a Synodo Tridentina. Igitur quarta Janſenii poſitio ſumma æquitate declarata & damnata eſt tamquam falſa, & hæretica. Si autem moveris argumentationibus contrariis poſitis cap. V. de H. Semipelagianorum ad ſubſcribendum illorum opinioni, qui tenent Semipelagianos ad initium fidei non denegaſſe auxilium indifferens & verſatile; ſtat adhuc æquitas Pontificiæ Cenſuræ, ſive dixeris cum Gonet, inter Semipelagianos fuiſſe aliquos, qui nullam gratiam, aliquos vero, qui gratiam pediſequam ad primordia fidei faterentur, atque ita propoſitionem Janſenii univerſaliter eſſe falſam: ſive potius, complexam hanc eſſe; & cenſuræ notam inuſtam

poſtre.

poſtremæ parti, ſcilicet, *Et in hoc erant hæretici &c.*, nulla notatione illata priori propoſitionis membro, in quo comprehenditur quæſtio facti in utramque ſententiam apud Theologos diſtracta; & in qua ſupervacuum foret ſtilo luxuriem diſputationis oſtentare.

PROPOSITIO V. Janſeniana eſt, refutata ab Auguſtino, debitiſque cenſuris compreſſa atque illiſa inſequens enunciatio: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.*

THESIS JANSENIANA.

Scripſit Janſenius lib. III. de Grat. Chr. cap. 21. *Omnibus illis, pro quibus Chriſtus Sanguinem fudit, & quatenus pro eis fudit, etiam ſufficiens auxilium donari, quo non ſolum poſſint, ſed etiam reipſa velint, & faciant id, quod ab iis volendum, & faciendum eſſe decrevit.* Non ergo, ſi Janſenio fides habenda eſt, obtulit Salvator noſter Jeſus Chriſtus divini ſanguinis pretium pro iis, qui efficaci gratia privantur. II. Pergit Novator: *Nullo modo principiis ejus* (ideſt Auguſtini) *conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus, vel pro infidelium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe ſentiatur. Ex quo factum eſt, ut non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quam pro Diaboli deprecatus fuerit.* At Chriſtus diaboli nullo modo Redemptor eſt. Igitur nullo modo, juxta enormem Janſenii ſenſum, erit Redemptor non perſeverantium. III. Hæc profert eodem capite Yprenſis: *Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Chriſtus paſſus aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino generaliter ſanguinem fudit, cum hoc potius tamquam errorem a fide Catholica abhorrentem doceant eſſe reſpuendum*; & ibidem dogma de generali hominum Redemptione appellat *Machinam a Semipelagianis introductam*. Repudiavit ergo Janſenius Redemptionem pro omnibus tamquam Semipelagianiſmi purum, putumque commentum.

ANTITHESIS AUGUSTINIANA.

Contra Auguſtinus Chriſtum pro omnibus & ſingulis pretioſum ſanguinem effudiſſe innumeris locis commonſtravit. I. Docet demonſtratque verbis Pauli 2. ad Corinth. 5. 14. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*, contrahi ab omnibus originale peccatum, quemadmodum pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: At originarium peccatum contrahitur ab omnibus ac ſingulis hominibus, nemine prorſus excepto: Igitur Chriſtus pro omnibus ſingulisque mortem oppetiit. Eſt Auguſtini prima hæc argumentatio lib. XX. de Civ. Dei cap. 6. *De qua morte ait Apoſtolus, Ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt unus; ut qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſive originalibus, ſive etiam ignorando additis: & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus.* Lib. VI. contra Julianum cap. 4. *Nega igitur Chriſtum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, ideſt de contagio peccatorum. Qui fieri poteſt, inquis, ut res arbitrii conditioni ſeminum miſceatur? Si fieri non poteſt, non eſſet unde parvulos nondum de corpore egreſſos mortuos diceremus. Quia ſi Chriſtus & pro ipſis mortuus eſt, ergo & ipſi mortui ſunt. Audis Juliane? Hæc Apoſtoli verba, non mea ſunt.* Similiter lib. 2. Op. Imp. n. 175. *Quicquid argumenteris, quicquid Apoſtolicorum verborum coneris evertere ſive pervertere, a morte qua in peccato eſt parvulos non oſtendis immunes, quia & pro eis Chriſtum mortuum negare non audes.*

Præterea: Si pro ſolis prædeſtinatis mortuus eſt Chriſtus, ergo nec pro parvulis qui ante baptiſmum emoriuntur, nec pro infidelibus qui veritatis verbum non audiunt, nec pro obduratis qui in ſcelerum turpitudine perſiſtunt, nec pro juſtis, qui ſanctitatis faciunt jacturam: quippe horum nemo ſortis electorum aſt particeps. At Auguſtinus affirmat hos omnes pretio Sanguinis Chriſti fuiſſe redemptos. Igitur in redemptorum numero non comprehendit tantum electos. Et quidem Chriſtum Redemptorem eſſe parvulorum demonſtratum eſt ſuper. De infidelibus ait S. P. in Pſalmum 61. *Expandens manus ſuas ad populum incredulum in Cruce poſitus Sitio dixit, quamvis illi non hoc dederint quod ſitiebat. Ipſos enim ille ſitiebat, illi acetum dederunt*: & Tract. in Joannem IV. *Populi autem ſpernentes propter ſuperbiam ſuam humilitatem Dei crucifixerunt Salvatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum.* De peccatoribus obduratis, qui reſipiſcere nolunt, ſcribit Tract. in Joan. XXXVI. nu. 4. *Venit Chriſtus, ſed primo ſalvare, poſtea judicare, eos judicare in pœnam, qui ſalvari noluerunt, &c.* Quid vero de Judæ perditione? Enarrat. in Pſalm. 68. inquit: *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium quo ipſe a Domino redemptus erat.* Et Tract. 55. in Joannem, *Jam talis* (inquit) *venerat ad convivium explorator Paſtoris, inſidiator Salvatoris, proditor Redemptoris.* De his demum, qui a juſtitia decidentes damnantur, ſæpe numero repetit illud Apoſtoli, *Peribit infirmus, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Vide epiſt. 15. 137. & 180., nunc 73. 98. 228. Igitur pro iis qui pereunt, pro Juda ceteriſque improbis, pro Judæis & incredulis omnibus, pro infantibus non regeneratis docuit Auguſtinus intemeratæ Virginis Filium crucis patibulum ſubiiſſe: & ingenue Julianum allocutus eſt ſub initium quinti libri: *Sententia noſtra Chriſtum Salvatorem prædicat omnium hominum.*

Inſuper, qua fronte ſcribere potuit Janſenius ſanctiſſimum Parentem Auguſtinum exiſtimaſſe nullo modo piiſſimum Salvatorem oraſſe pro reprobis, quemadmodum non oravit pro diabolo? Legimus Serm. 382. hæc Sancti Doctoris verba: *Quando in Cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos, ſed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæviebant, & ille orabat: illi dicebant Pilato, Crucifige: ille clamabat, Pater ignoſce.* Et Tract. 1. in Epiſt. Joan. *Sic dilige inimicos tuos, ut in ſocietatem tuam vocentur. Sic enim dilexit ille, qui in Cruce pendens ait: Pater ignoſce illis .... Mortem ſempiternam ab illis expellebat prece miſericordiſſima, & potentia præſtantiſſima. Multi ex eis crediderunt, & dimiſſus eſt eis fuſus Sanguis Chriſti.* Igitur per Auguſtinum licet non omnes Dei inimici, ideſt peccatores, remiſſionem accipiant, nec omnes potentia præſtantiſſima eripiantur a morte æterna, pro omnibus tamen oravit dicens, *Pater ignoſce illis*: quod ſane pro Diabolo impium aut ſtultum eſt credere humani generis Reparatorem præſtitiſſe.

ÆQUITAS CENSURÆ.

Poſitio quinta Janſenii damnata eſt tamquam *falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo ſenſu ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impia, blaſphema, contumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica.* I. Dicitur *falſa*, quia opponitur veritati, ſive veritas requiratur in ſacris libris, ſive in Patrum auctoritate, ſive in definitionibus Conciliorum, ſive in ipſa ratione, communique ſenſu Theologorum. Legimus enim in 2. ad Corinthios præcitato capite 5. *Unus pro omnibus mortuus eſt.* 1. ad Timoth. 2. *Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*: & cap. 4. v. 10. *Salvator eſt omnium hominum*: Trident. Synodus Seſſ. 6. cap. 2. *Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolum autem pro noſtris, ſed & pro totius mundi*: & initio proximi cap. 3. *Ille pro omnibus mortuus eſt.* Conſentiunt Patres tam Græci, quam Latini. Athanaſius de Incarnat. Verbi, *Mortuus eſt* (inquit) *ad omnium redemptionem*, Ἀπέθανε δὲ ὑπὲρ πάντων λύτρον. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 3. *Orbis univerſi peccata ſuſcipiens mortuus eſt*, τὰς οἰκουμενικὰς ἁμαρτίας ἀναλαβὼν, ἀπέθανεν. Greg. Nazianz. Orat. 42. *Exiguæ ſanguinis guttæ univerſum orbem inſtaurarunt*, Ῥανίδες αἵματος ὀλίγαι κόσμον ὅλον ἀναπλάττουσι. Optatus Milevitanus libro contra Parmenianum tertio, *Conſtat ſanguine Chriſti omnes redemptos.* Ambroſius de Paradiſo cap. 8. *Omnes volebat liberare.* S. Proſper ad Ob. IX. Gallorum, *Rectiſſime dicitur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus.* Sanctus Leo Serm. 1. de Nat. Dom., *Sicut nullum a reatu liberum invenit, ita pro liberandis omnibus venit.* Mitto brevitatis gratia omnes alios. Convenire in hac ſententia Scholaſticos, & recentiores ſcriptores, fatetur Janſenius lib. 3. de Grat. Ch. cap. 21. nec opus eſt, ut ſingulos commeremus. Theologicæ rationes, quæ Janſenianum ſcitum profligant, ſunt prorſus innumeræ. Una infertur ex originali peccato, cujus chirographum Salvator affixit cruci, & hanc Paulus & Auguſtinus paullo ſupra abunde illuſtrarunt. Altera deducitur ex verbis Apoſtoli citato loco ad Timoth., ubi nos hortatur ad orandum pro omnibus exemplo Chriſti, qui pro omnibus ſeipſum dedit in redemptionem: & de hac plura diximus lib. V. cap. 1. Alteram ſuppeditat locus productus ex cap. 4. ejuſdem Epiſtolæ ad Timotheum: eo enim loco Apoſtolus loquitur de ſpe; ideoque ſicut non eſt, qui ſperare non debeat; ita non eſt qui non ſit a Chriſto Redemptore ſalvatus. Petitur alia ratio a poteſtate tradita Chriſto judicandi orbem terrarum, quippe non alia ratione Dominus Jeſus Chriſtus, in quantum filius hominis eſt, *totum judicare debet, niſi quia pro toto pretium dedit*, ut S. P. docet in Pſalmum 95. n. 15. Igitur Janſeniana Theſis opponitur veritati, quæ ubique conclamat Chriſtum univerſi humani generis Reparatorem ac Redemptorem, clamat ore Apoſtolico, clamat oraculis Conciliorum, clamat omnium Patrum ſermone, clamat denique concordiſſimis Scholaſticorum enunciationibus.

Nec *falſa* eſt duntaxat, verum etiam *temeraria*; quoniam Sacroſancta Eccleſia Apoſtolicis doctrinis, & Majorum ſuorum inſtitutis edocta natum Salvatorem adorat dicens, *Jeſu Redemptor omnium*, & redeuntem in cælum, *Salutis humanæ Sator, Orbis redempti conditor*: Janſenius autem puſilli Electorum gregis Salvatorem tantummodo appellat, perverſaque doctrina impulit audaces, ſuperbos, & mendaciſſimos filios iniquitatis, ut Breviaria depravantes infantem Jeſum carmine mutato compellent, *Jeſu redemptor optime.* Audaces, inquam: *Legem enim credendi lex ſtatuit ſupplicandi*, ut Cœleſtinus ſcribit in Epiſt. ad Gallos. Præſcribere itaque fidelibus publicam orandi

di formam ſpectat ad eos, qui proponere poſſunt firmiſſimam legem credendi. Hanc vero auctoritatem quo jure arrogant ſibi quidam Janſeniani? Dixi & *ſuperbos*; quadrat enim iis quod ſcribit Auguſtinus in Pſalmum 95. *Multum ſuperbi ſunt, qui dicunt illud* (pretium redemptionis) *tam parvum eſſe, ut ſolos Afros emerit, aut ſe tam magnos eſſe, pro quibus ſolis illud ſit datum*. Addidi & *mendaces*; quandoquidem eſt revera Chriſtus Redemptor optimus; ſed quia *copioſa eſt apud eum redemptio*, ut regius cecinit Vates Pſalm. 129. v. 7. Non eſt autem copioſa redemptio, quæ anguſto limite coarctatur. *Temeraria* eſt igitur Theſis Janſeniana talibus verbis ſententiiſque conflata, ac talem præbens aſſertoribus ſuis anſam temeritatis.

Eſt etiam V. illa propoſitio *ſcandaloſa*, infirmiſque occaſionem tribuit ſpiritualis ruinæ. Videtur mihi ſternere viam ad dubitandum de fide. Credimus reſurrectionem mortuorum, ſine qua ait Apoſtolus in 1. ad Corinth. cap. 15. v. 14. *inanis eſt fides noſtra*. Probat eodem loco Paulus reſurrectionem mortuorum, quia, *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur*, v. 22. ut autem docet Auguſtinus Serm. 155. num. 15. omnes moriuntur in Adam, quia *Adam peccando damnavit in mortem corpora noſtra*; omneſque vivificabuntur in Chriſto, *quia ſuum ſanguinem dedit pro ſalute noſtra*. Si ergo ſunt aliqui, pro quorum ſalute ſanguinem Jeſus non fudit, hi non reſurgent. Periclitatur in Janſeniano dogmate etiam Chriſtiana ſpes. Sperandum ab omnibus demonſtrat S. Pater præclaro argumento in Pſalmum 148. n. 8. ſcribens, *Promiſſionis Dei tales arrhas accepimus: tenemus mortem Chriſti: tenemus ſanguinem Chriſti. Quis mortuus eſt? Unicus. Pro quibus mortuus eſt? Utinam pro bonis, utinam pro juſtis. Sed quid? Etenim Chriſtus, ait Apoſtolus, pro impiis mortuus eſt: qui donavit impiis mortem ſuam, quid ſervat juſtis niſi vitam ſuam? Erigat ergo ſe humana fragilitas, non deſperet, non dicat, Non ero*. Fundamentum itaque, cui innititur ſpes Chriſtiana, eſt Sanguis Chriſti: nam animadvertentes illum pro omnibus impiis fuſum eſſe, erigimur ſpe, quod nobis, quantumvis ſceleſtiſſimis, applicabitur, quia non pars, ſed univerſum humanum genus redemptum eſt. Denique in hæreſi Janſeniana labefactatur etiam caritas. Nam ſcribit Apoſtolus in II. ad Corinth. v. 14. *Caritas Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. Et ad Rom. cap. VIII. ad caritatem nos vehementer hortatur, quia Deus *proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Vide & Auguſtinum lib. de Catechiz. rud. cap. 4. lib. II. de nupt. cap. 33. & Tract. VII. in Epiſt. Joannis.

Jam vero *impiam* eſſe prædictam propoſitionem, *contumelioſam, & derogantem divinæ pietati*, ex dictis manifeſta conſecutione deducitur; nam derogat divinæ miſericordiæ, extenuat pretium Sanguinis Chriſti, magnum redemptionis opus imminuit, & Salvatoris meritum, cruciatus, obedientiam, orationem, & vulnera parvipendit. Hæc omnia magna ſunt & eximia, quia *ſemel dedit, & pro omnibus dedit*, inquit S. Pater ſerm. 34. alias 31. ex editis a Sirmondo. Et quidem non eſſet paſſio Chriſti infiniti valoris, niſi melioris teſtamenti ſponſor factus, ſemel ſeipſum offerendo, & oblationem ſuam per Sacramenta applicando ſalvare in perpetuum non poſſet accedentes per ſemetipſum ad Deum. Pari ergo ratione non eſſet originalis peccati remedium, non eſſet mors mortis, neque communis chirographi abolitio, ſi non eſſet pro omnibus hominibus applicata. Ut enim intenſione virtutis, ita extenſione beneficii eſt una, magna, & copioſa Redemptio. Ubi ergo nimia illa caritas, ſi vix Deus puſillum electorum gregem dilexit? quomodo ſuperabundans Reparationis gratia, ſi tam tenax & parca? Tandem *hæretica* ſervato omni jure æquitatis declarata eſt poſtrema illa theſis Janſenii, utpote contraria divinis literis, repugnans doctrinis Patrum, & adverſa Symbolo Conſtantinopolitano, quod recitamus quotidie dicentes, *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis*: Synodo Arelatenſi, quæ anathema dixit aſſerenti *quod Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit*; & Tridentinæ Œcumenicæ de Chriſto affirmanti, *ille pro omnibus mortuus eſt*. Utinam oblatum pro omnibus pretium nobis proficuum ſit etiam divinorum beneficiorum communione, juſtitiæ præſertim, & finalis perſeverantiæ; quod petimus cum Auctore Commentariorum Salviani lib. 2. contra Avaritiam,

Participes fac nos meritorum, Chriſte, tuorum,
Ne careat fructu paſſio, morſque tua.

C A P U T IV.

Quibuſdam prænotationibus poſitis, diluuntur ea, quæ adverſus univerſorum redemptionem objiciuntur.

VERSAVI poſitiones Janſenii, quantum boni temperamenti Theologo ſufficere videbatur. Reliquum eſt, ut diluantur quæ Novatores objectant adverſus poſtremam, de qua, licet pertractantes de voluntate Dei ſatis plura, unde oppoſitiones quælibet eliduntur, ſtuduerimus exornare, iterum differendum eſt, cum ob ampliſſimam hujus argumenti dignitatem, tum ob doctrinæ capita, quæ hinc juxta cujuſque intelligentiam varia ac perplexa dimanant.

Prænotandum eſt autem, Chriſtum, licet pro omnibus mortuus ſit, ſpeciali tamen titulo mortuum eſſe pro aliquibus, quibus fidei, ſanctitatis, & maxime finalis perſeverantiæ conferuntur beneficia. Quod demonſtratur apertiſſime primo teſtimoniis ſacrarum Scripturarum. In his quippe legimus Joan. XVII. Chriſtum ſpecialiter pro electis oraſſe, *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*: in I. ad Timoth. *Salvator omnium maxime fidelium*: & ad Eph. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, &c.* Secundo ex Tridentino Concilio, quod ſeſſ. VI. 3. ait: *Verum, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*: cui conſonat Catechiſmus Romanus, qui cap. 4. num. 24. ſecundæ partis declarat Chriſtum non eſſe mortuum pro univerſis, in quantum *ſalutis fructum delectis ſolum attulit*. Tertio probatur ex Patribus: nam S. P. Auguſtinus in Pſalmum 87. ſcribit: *Solis prædeſtinatis ad æternam ſalutem, non autem omnibus, ejus bona opera profuerunt*. Serm. de Natali S. Vinc. *Quando perit, qui ſanguine Chriſti redemptus eſt?* & Tract. 45. in Joannem, ait Filium a Patre traditum pro *præſcitis, prædeſtinatis, juſtificatis, glorificatis*. Divus etiam Proſper ad object. 9. Gallorum ait, *Cum itaque rectiſſime dicatur pro totius mundi redemptione crucifixus; .... poteſt tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipſius profuit*. Demum probatur manifeſta ratione, propterea quod non omnes qui vocantur ſunt electi, cum tamen electi ſimus in Chriſto ante mundi conſtitutionem. Quare rejicimus ſententiam eorum, qui docent Chriſtum æquali affectu pro omnibus mortem oppetiiſſe, ut ſingulis eadem gratia conferatur, ſive ex præſcientia operum naturalium, quæ eſt ſententia Semipelagianorum; ſive gratia congrua, & donum perſeverantiæ ex præſcientia operum, quæ unuſquiſque facturus eſſe prænoſcitur cum gratia omnibus æqualiter diſtributa, ut tenent nonnulli Catholici. In quorum opinione peculiaris Chriſti erga electos benevolentia non tam aperte deprehenditur.

Si pulſet imbecillitatem mentis noſtræ gravis quæſtio, cur Salvator omnium, mortuus pro omnibus & ſingulis, quibuſdam tantum in genere paſſionis ſuæ beneficia applicare decreverit, & uni, non alteri impertiri gratiam aut converſionis, aut finalis perſeverantiæ; reddent fortaſſe rationem aliquam Theologi, quos nuper commemoravi: ſed ego hebes ingenio, & ſententiæ, quam palam feci, pro mea virili defenſor, non habeo quid reſpondeam, niſi cum Auguſtino de Corrept. & Grat. cap. XI. *Quibus deeſt, pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum*. Quærenti autem, cur naſcentibus omnibus cum demerito originalis peccati, ſi Chriſtus cumulate pro omnibus ſatisfecit, non omnibus æqualiter proſint merita Salvatoris; cum Auguſtino cap. XII. de Dono Perſev., *Iterum, atque iterum dicimus, nec nos piget, O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Et hoc adjicimus, Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris*. Atque ut hæc reſpondeamus, confortat nos B. Proſper ſcribens ad VII. ob. Gallorum, *Non eſt calumniandum Deo, quare iſtis non dederit, quod aliis dedit: ſed confitendum eſt, & miſericorditer eum dediſſe, & juſte non dediſſe quod non dedit*. Igitur firmiſſime tenemus Redemptionem ſpectare ad prædeſtinatos ſpecialiſſimo quodam titulo communicationis divinarum gratiarum: cujus rei nullam nos poſſumus cauſſam reddere, niſi inſcrutabile Dei judicium, & voluntatis ejus propoſitum.

Ad ſingulos autem, univerſoſque homines quomodo ſe extendat Redemptio, inveſtigandum modo eſt accuratius. Docent Moliniſtæ Chriſtum ita mortuum pro omnibus, ut ſingulis applicentur auxilia ſufficientia, quibus poteſt unuſquiſque ſine efficaci gratia bene operari, & ſi bene operaturus prævideatur, etiam congrua, & ad ſalutem conſequendam magis idonea. Hoc ſenſu Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum defendant illi, prout lubet. Nos probare hanc ſententiam non poſſumus, primo quia gratiam hoc ſenſu ſufficientem in hoc ſtatu nullus Theologorum admittit ex iis, qui nobiſcum gratiam per ſe efficacem propugnant. Præterea dogma Fidei, quale eſt Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, non eſt ſuſtinendum incertis Scholarum opinionibus, ſed probatis ab omnibus, & communibus. Et forte Janſenius tam audacter negavit pretium redemptionis oblatum pro omnibus, callide occaſionem arripiens a catholicis quidem, ſed recentioribus Scholarum opinionibus, quas arbitrabatur a quibuſdam non ſatis valide propugnari. Quod innuit ipſe Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſti cap. 21. ſcribens: *Illa extenſio tam vaga modernorum Scriptorum non alio ex capite, quam ex generali, & indifferenti voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione, fluxit*. In quo tamen labitur Janſenius errore maximo; quoniam extenſio Redemptionis ad omnes non profluit ex incerto Moliniſtarum placito, ſed ex puriſſimo veritatis fonte, ex Scripturis, Conciliis, ac Patribus. Si ergo ex hoc

ſtate nos liquido poſſumus fidem catholicam explicare; cur ad unam Scholaſticorum interpretationem confugiemus, rejectis aliis Catholicorum Doctorum opinionibus? Inſuper hæc illatio, *Deus voluit dare Chriſtum redemptionem pro omnibus, nullo excepto: Ergo omnibus præparavit ſufficientia remedia per Chriſtum*; negatur tamquam non diſſimilis ab objectis Maſſilienſium a Theologis Lovanienſibus, & Duacenſibus in Cenſura ad Aſſert. VII. Moliniſtarum, & in illorum Juſtificat. cap. XII. Conſtat autem utramque Univerſitatem loqui de Gratia ſufficienti ſenſu Moliniſtico. Lovanienſes itaque ad illam Aſſertionem hæc reſpondent, *Non diſſimilis erat olim Maſſilienſium ratiocinatio, ſed cui ſic reſpondendum: Chriſtus Redemptor eſt omnium, quoad pretii ſufficientiam, quia merito Sanguinis ejus omnes a peccato liberari poſſent, ſi crederent: non eſt autem Redemptor omnium ſecundum efficaciam, quia non omnibus per eum datur ut credant. Ut enim infidelis credat, præter prædicationis beneficium, neceſſarium eſt gratiæ ſpecialis donum, quo fiat, ut prædicationi conſentiat.* Duacenſes ſimiliter, *Huic argumento*, inquiunt, *quod idem & Fauſti fuit, reſponſum jam olim a beato Proſpero*, allatiſque Proſperi verbis, de quibus infra, *Sufficientia ergo, quam poſtulat generalis redemptio, in pretio Sanguinis Chriſti eſt, non autem in auxilio omnibus collato, ut prætendit objectio.* Poſtremo Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus eſt dogma fidei: gratiam autem omnibus ac ſingulis conferri eſt quæſtio adiaphora, quæ negative reſolvitur ab Antiquorum plurimis, a noſtratibus fere omnibus, &, ſi paucos excipias, ad fidem non pertinere cenſent omnes, etiam recentiores; Tournely P. 2. de Gratia Quæſt. VIII. art. 4. pag. vet. edit. 634. & P. Benitez De Vera Chriſti Gratia Diſp. 2. dub. 1. pag. 138. n. 3. Non ergo tenemur ex quo Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, aſſerere omnibus gratiam eſſe collatam; neque ex univerſalitate gratiæ penſare univerſitatem redemptionis.

Quantum ſpectat ad ſententiam Thomiſtarum, qui diſtinguentes in Deo duplicem voluntatem, antecedentem, & conſequentem, alio plane ſenſu a Mediſtis, in quorum Schola voluntas conſequens ſupponit præſcientiam operum futurorum; fatemur Chriſtum mortuum pro omnibus attenta voluntate antecedenti, & mortuum pro ſolis prædeſtinatis voluntate conſequente; explicata utraque voluntate, ut diximus P. 1. lib. V. cap. 1. & paullo ſupra in 2. Propoſ. Janſenii. Mortuus eſt itaque Salvator noſter pro omnibus voluntate antecedenti, cujus effectus eſt inſtitutio cujuſdam ordinis complectentis cauſam & remedia, quibus poſſunt peccata quæque remitti: atque ita D. Thomas 3. p. q. 49. art. 1. ad 3. *Chriſtus ſua paſſione nos a peccatis liberavit cauſaliter, ideſt, inſtituens cauſſam noſtræ liberationis, ex qua poſſent quæcunque peccata quandocunque remitti, vel præterita, vel præſentia, vel futura. Sicut ſi Medicus faciat medicinam, ex qua poſſint quicunque morbi ſanari etiam in futurum.* Non eſt autem mortuus quantum ad voluntatem ſequentem, cujus effectus eſt ordinis executio, ſive applicatio remedii, quibus peccatum deletur, cum iſtud applicetur per fidem, per caritatem, & per Sacramenta; & reproborum pluribus non præparetur voluntas a Domino, ut credant, ut diligant, ut Sacramentis Eccleſiæ ſanentur. Quod D. Thomas diſerte tradit eodem loco, & ſequenti art. 3. ad 1. *Paſſio Chriſti ſortitur effectum ſuum in illis, quibus applicatur per fidem, & caritatem, & per fidei Sacramenta. Et ideo damnati in inferno, qui prædicto modo paſſioni Chriſti non conjunguntur, effectum ejus percipere non poſſunt.* Ex qua præclara D. Thomæ doctrina tria conſectaria inferuntur. Primum eſt, quod ad generalem illam voluntatem, ſecundum quam Chriſtus pro omnibus eſt crucifixus, ſat eſt quod Chriſti paſſio præceſſerit ut cauſſa quædam univerſalis; ſive inſtituerit remedia, quibus, ſi applicentur, deleri poteſt qualecunque peccatum; non eſt autem neceſſe, ut applicentur reapſe; ideoque ex morte Chriſti pro omnibus conſequitur, aut gratiam, aut fidem, aut caritatem a ſingulis hominibus actu participari. Alterum eſt, quod ut aliquis dicatur redemptus debet eſſe in ſtatu, in quo aut poſſit conjungi cum Chriſto, ut ſunt Infideles & increduli, aut conjungatur reapſe, ut ſunt fideles, & recti. Tertium quod conſequitur eſt, voluntate ſequente, cujus effectus eſt applicatio fructuum paſſionis Chriſti, non omnes fuiſſe redemptos æqualiter, quia non omnibus indiſcriminatim eodem modo paſſio Chriſti applicatur, ſed aliquibus gratia ſufficiens, aliquibus auxilium efficax, aliquibus etiam donum finalis perſeverantiæ confertur. Atque hinc eſt, quod adverſus Pelagianos, & Semipelagianos negantes perſeverantiam eſſe donum ſpeciale S. P. Auguſtinus explicat dictum Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, pro generibus ſingulorum, & aliquando affirmat Chriſtum Dominum oraſſe tantum pro ovibus ſuis, & pro prædeſtinatis ſanguinem fudiſſe; quod iis remedia applicentur, & ſoli pleniſſimum Redemptionis fructum percipiant. Conſentit autem Auguſtino beatus Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. & in 1. ad Tim. lect. prima.

Hanc veram eſſe cum de voluntate ſalvandi omnes, tum de omnium Redemptione doctrinam, paucis demonſtro. Principio Apoſtolus ad Rom. III. v. 25. ait de Chriſto: *Quem propoſuit nobis propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*. Eſt igitur Chriſtus propitiatio peccatorum omnibus propoſita, & exhibita; ſed quæ per fidem, quemadmodum per alia gratiarum munera, applicatur nobis ad percipiendum fructus ipſius, ut recte obſervat S. Thomas cit. Q. 49. art. 1. ad 5. ideoque non eſt idem ſpectare ad numerum redemptorum, & fructus Redemptionis actu participare. Accedit Concilium Tridentinum, cujus cap. 3. Seſſ. 6. hæc ſunt verba: *Verum etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Et Catechiſmus Romanus P. 2. cap. 4. num. 24. *Si ejus virtutem inſpiciamus, pro omnium ſalute ſanguinem a Salvatore effuſum fatendum erit: ſi vero fructum, quem homines ex eo perceperunt, ad multos tantum eam utilitatem pervenire facile intelligemus.* Eadem eſt perpetua S. P. Auguſtini contra Pelagianos Doctrina. Ubique enim docet Chriſtum eſſe Redemptorem parvulorum, quoniam etiam in eis eſt peccatum, quod non *liberat niſi Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, non niſi medicus, qui venit non propter ſanos, ſed propter ægrotos*: ita de Peccat. meritis lib. 1. cap. 23., & in III. contra Jul. cap. 2. *Ceterum rogo te, quomodo poteſt intelligi iſta redemptio, niſi a malo redimente illo, qui redemit Iſrael ab omnibus iniquitatibus ejus? Ubi enim redemptio ſonat, intelligitur & pretium.* In tantum ergo per Auguſtinum parvuli a Chriſto redempti ſunt, in quantum non ſolum baptiſmo tinguntur, ut eis addatur nova gratia, & adoptio filiorum Dei, verum etiam ut eruantur de poteſtate tenebrarum, & remittatur eis originale peccatum per lavacrum regenerationis, in quo mundamur per ejus ſanguinem. Quod tamen lavacrum inſcrutabili Dei judicio non omnibus parvulis applicatur. Explicat Magiſtri doctrinam S. Proſper, qui objicientibus Semipelagianis Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, niſi omnibus conferatur gratia, per quam conſequantur ſalutem, reſp. ad ob. IX. Gallorum, *Nullus omnino eſt ex omnibus hominibus, cujus natura in Chriſto Domino ſuſcepta non fuerit, quamvis ille natus ſit in ſimilitudinem carnis peccati, omnis autem homo naſcatur in peccato. Deus ergo Dei filius mortalitatis humanæ particeps factus abſque peccato, hoc peccatoribus & mortalibus contulit, ut qui nativitatis ejus conſortes fuiſſent, vinculum peccati & mortis evaderent. Sicut itaque non ſufficit hominum renovationi natum eſſe hominem Jeſum Chriſtum, niſi in ipſo eodem, de quo ipſa ortus eſt, ſpiritu renaſcantur: ſic non ſufficit hominum Redemptioni crucifixum eſſe Dominum Chriſtum, niſi commoriantur ei, & conſepeliantur in baptiſmo. Cum itaque rectiſſime dicatur pro totius mundi redemptione crucifixus propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipſius profuit.* Addit Proſper: *Qui dicit, quod non pro totius mundi Redemptione Salvator ſit crucifixus, non ad ſacramenti virtutem, ſed infidelium reſpicit partem, cum ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti pretium totius mundi ſit: a quo pretio extranei ſunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut poſt redemptionem ad eandem ſunt ſervitutem reverſi.* Videatur etiam Reſp. ad 1. Vincentianam. Tandem ut rationem Theologicam addam a Tridentino Concilio, ab Auguſtino, & a Proſpero iiſdem locis productam; hominibus, niſi ex ſemine Adæ propagati per ipſum conciperentur, non erit proprium originale peccatum; & ideo Adam omnem hominem, univerſamque naturam infecit, quia omnes ab eo generantur carnali propagatione: Ita hominibus non convenit Redemptionis proprietas, niſi ſpiritu regenerentur in Chriſto; a quo cum Sacramentis collata ſit virtus non ſolum delendi originale peccatum, ſed etiam omnia actualia; ubi abundavit delictum, ſuperabundat gratia; & plus nobis per Chriſtum reſtitutum eſt, quam ablatum fuerit per Adam.

Hæc cum ita ſint, indulgeant mihi viri docti, ſi cum Novatoribus diſputans, non dixero Chriſtum aut oraſſe, aut ſanguinem fudiſſe pro omnibus inefficaciter, efficaciter pro ſolis electis; aut mortuum pro reprobis affectu tantum humano, & pro prædeſtinatis voluntate Patri nolenti ſincere univerſorum ſalutem per omnia concordi: quippe opinione, aut ſententia noſtra omnis oratio Chriſti pro omnibus ac ſingulis certiſſime impenſa, ſpectato ſaltem aliquo effectu, per quem viatores omnes poſſunt, ſi velint, ſalutem apprehendere, ſincera, & efficax fuit; & omnis Dei voluntas impletur quoad effectum ſuum immediatum ac proprium: voluit etiam & Chriſtus, & Pater redemptionem hominum ſingulorum, non prædeſtinatorum duntaxat. Quare miſſis nunc opinionibus diſcrepantibus Scholarum, uſurpans verba Conciliorum ac Patrum dico univerſos homines redemptos, quatenus propoſita eſt omnibus propitiatio per fidem in Sanguine Chriſti, quatenus Chriſtus ſua paſſione inſtituit cauſſam noſtræ liberationis, quatenus obtulit pretium vi cujus omnia peccata delentur, quatenus demum humanam naturam ſuſcepit propter communem hominum perditionem. Atque hæc eſt voluntas antecedens, quam dixi connotare ordinis inſtitutionem. Pro generibus autem ſingulorum, non pro ſingulis generum Redemptor eſt crucifixus, in quantum applicatur paſſio Chriſti aut per fidem, aut per caritatem, aut per Sacramenta:

in

in quantum non omnes mortis ejus beneficia recipiunt: in quantum ad multos tantum fructus redemptionis pervenit: in quantum denique mortis Chriſti fructus electi ante mundi conſtitutionem percipiunt. Hæc vero eſt voluntas conſequens, & connotans inſtituti remedii applicationem, non Sacramenti virtutem. Quanta vero facilitate hiſce præceptionibus diluantur omnia objecta Janſenianorum, nemo non videt.

Objiciunt I. Matthæi xxvi. 29. legitur: *Hic eſt Sanguis novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Joannes xvii. 9. refert hæc Domini verba: *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt*. Apoſtolus ad Hebræos ix. 28. ait: *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata, &c.* Igitur pro multis tantum, & præſertim pro prædeſtinatis Chriſtus mortem oppetiit.

Reſp. Laudatis teſtimoniis commendari nobis Chriſti redemptionem, quatenus ad fructum paſſionis attinet, cujuſmodi eſt remittere & exhaurire peccata, & oves tam ſolicite cuſtodire, ut nemo de manu Paſtoris eas rapiat: quæ reſponſio & ipſis allatis teſtimoniis innuitur, & traditur a Catechiſmo Romano P. 2. cap. 4. num. 24. *Cum igitur* pro vobis *dicitur, vel eos qui aderant, vel delectos ex Judæorum populo, quales erant diſcipuli, excepto Juda, quibuſcum loquebatur, ſignificavit. Cum autem addidit* pro multis, *reliquos electos ex Judæis, aut Gentibus intelligi voluit. Recte ergo factum eſt*, ut pro univerſis *non diceretur; cum hoc loco tantummodo de fructibus paſſionis ſermo eſſet, quæ ſalutis fructum delectis ſolum attulit. Atque huc ſpectant verba illa Apoſtoli, Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Et quod Dominus apud Joannem inquit, Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt*. Hæc omnia Romanus Catechiſmus. Poſſumus etiam *multos* priori ac poſtremo loco accipere pro *omnibus*, cum Auguſtino lib. 3. contra Julianum cap. 3. lib. 2. de Nupt. & concup. cap. 33. & de Peccat. meritis lib. 1. cap. 24. eo prorſus modo, quo alibi explicavimus verba Apoſtoli ad Rom. v. 15. *Unius delicto multi mortui ſunt*. In qua acceptione Chriſtus eſt mortuus pro multis, quantum ad inſtitutionem remedii, ad pretii oblationem, ad Sacramenti virtutem, & in quantum crucifixus eſt propter communem hominum redemptionem. Hac advertentia facile conſimilia loca expediuntur, & cum productis contra Janſenium conciliantur.

Arguunt 2. Auctoritate Auguſtini. Qui exponens verba Joannis, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, tract. 1. in Epiſt. Joannis, nomine totius mundi docet deſignari *Eccleſiam*. Et tract. 100. in Joan. inquit: *Pro iſto mundo non rogat, neque enim qui ſit prædeſtinatus ignorat*. Item de adulterinis Conjugiis cap. 15. *Non omnis*, inquit, *qui homo eſt, ſanguine Chriſti redemptus eſt*. Igitur opinatus eſt Auguſtinus Chriſtum non eſſe propitiationem pro peccatis hominum univerſorum, nec pro ſingulis oraſſe, & crucis patibulum ſubiiſſe.

Reſp. eodem modo, Chriſtus non eſt propitiatio omnium peccatorum, quemadmodum nec Mediator, nec Redemptor omnium, quantum ab oblationem pretii, inſtitutionem remedii, & Sacramenti virtutem, nego: quantum ad paſſionis fructum uberrimum, applicationem remedii, & redemptionis ſingularem proprietatem, concedo. Liquet reſponſio ex prænotatis, atque ex antitheſi capitis præced. Prop. v.

Inſurgunt: Si Chriſtus noverat quinam eſſent prædeſtinati, & quinam reprobi, quomodo poterat pro omnibus fundere ſanguinem & orare? Perſpicua ſunt verba Sancti Doctoris lib. 21. de Civ. Dei cap. 24. n. 1. *Si de aliquibus* (Eccleſia) *ita certa eſſet, ut qui ſint illi etiam noſſet, qui licet in hac vita adhuc ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in ignem æternum ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo*. Chriſtus ergo, quem reproborum numerus & exitus non latebat, pro illis nequaquam oravit, quemadmodum non oravit pro diabolo.

Variæ a Theologicis huic argumento adhibentur reſponſiones. Complures affirmant Eccleſiam non oraturam pro reprobo, quem talem eſſe certiſſime ſciret, oratione abſoluta & efficaci, ſed tantum inefficaci & conditionata: atque hoc pacto Chriſtum rogaſſe pro iiſdem reprobis. Reſpondent alii Eccleſiam in hypotheſi non oraturam, quoniam oratio conjunctam habet ſpem obtinendi: tunc vero non remaneret ſpes ſalutis reproborum, cum ſpes non verſetur circa objectum *poſſibile*, ſed probabiliter futurum. Dicunt alii non exoraturam, ne videretur velle mentiri Deum, & falſum eſſe quod ab illo eſt certiſſime manifeſtatum. Sunt qui reponunt per illam revelationem Eccleſiam moneri, ut a communibus orationum ſuffragiis reprobos manifeſtos excludat; quemadmodum tenetur pro ſingulis deprecari, eo quod nullius in particulari futuram noverit damnationem. Illud quoque ſolet a nonnullis reſponderi, Eccleſiam deprecaturam quidem eſſe pro illis reprobis humano affectu, ſed ſtatim ſeſe divinæ voluntati addicturam; atque ratione conſimili Chriſtum humana voluntate ſe pro omnibus obtuliſſe, ſed divinæ ſe accommodando ex univerſali erga omnes particularem erga prædeſtinatos effeciſſe, eo ferme pacto, quo in horto oravit dicens, *Tranſeat a me calix iſte*, ſed addidit, *Veruntamen fiat voluntas tua*. Ut ut hæc omnia probabiliter dicta ſint.

Ego argumentum diluo eadem reſponſione. Chriſtus & oravit & mortuus eſt, quantum ad communem cauſſam pertinet, ut inſtitueret remedia, quibus omnium hominum poſſint delere peccata, pretium Sanguinis ſui pro omnibus offerens. Quomodo enim eſſet omnium Redemptor, Salvator, Animarum Medicus, & Mediator Dei & hominum; niſi pro omnibus pretium obtuliſſet, preces fudiſſet, remedia inſtituiſſet, nec non etiam inimicis, reprobis, obduratiſſimis paraſſet, atque exhibuiſſet? In hac præparatione atque exhibitione remedii omnes viatores aut habent, aut poſſunt habere partem, quia vel ſunt uniti Chriſto, vel poſſunt uniri; licet aliqui viatores poſſint ſola potentia quæ non reducetur ad actum: excluduntur omnino ab iſtiuſmodi remediis dæmones & damnati, quia nec Chriſto uniuntur, nec ſunt in potentia ut Chriſto uniantur. Ita docet iiſdem fere verbis S. Thomas 3. p. q. 8. art. 3. Vides, cur Jeſus omnes & orando, & moriendo redemerit; etiam ſi noſceret plures eſſe prædeſtinatos ad mortem. *Ergo* (ait Auguſtinus Tract. xii. in Joan.) *quantum in Medico eſt, ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta medici obſervare non vult*. Eccleſia nunquid orat, ut exhibeatur Redemptionis pretium, & remedia inſtituantur ſalutis? Minime. Orat ut applicentur; ut qui ſtant, non cadant, ut iniqui revertantur ad Dominum, ut a corde infidelium auferatur velamen, ut peccatoribus remittatur quodcumque ſcelus, ut æternam ſalutem quilibet conſequatur. Hæc ſpeciatim, & abſolute deprecari iis, qui a Domino ſunt judicandi ut ſempiterno igne cum diabolo puniantur, & habent cor impœnitens, & prævidentur certiſſime futuri in termino, ut pœnitere non poſſint amplius, neque ex inimicis converti in filios, de quibus diſputat Auguſtinus; id quidem ſuperfluum eſt, nec faceret Eccleſia ſi noſceret, nec fecit Salvator, qui novit.

Quod ſi quæras, quomodo hæc cohæreant cum iis, quæ ſcripſimus in poſtrema Antitheſi, pro omnibus crucifixoribus oraſſe Dominum, clamando, *Sitio*; & dicendo, *Pater ignoſce illis*? Reſpondeo optime cohærere omnia. Salvator enim offerens in ara crucis ſemetipſum hoſtiam & Redemptionem pro omnibus, in ea univerſali & miſericordiſſima prece ſingulari affectu complexus eſt quos ex inimicis amicos, & ex crucifixoribus prævidebat futuros eſſe diſcipulos: atque ita cum oraret pro ſingulis ſolvens pretium, & inſtituens noſtræ deliberationis remedia, quantum ad horum applicationem oravit non pro omnibus Crucifixoribus, ſed pro illis ſolum, qui erant prædeſtinati: atque his ſpecialiter profuit ſanguis Chriſti, & mors ipſius profuit: quemadmodum declarat iiſdem locis S. Pater, Proſper ad obj. Gallorum, & S. Thomas 3. p. q. xxi. art. 4. ad 2., ubi etiam demonſtrat omnem orationem Chriſti fuiſſe exauditam, omnemque voluntatem ipſius cum ratione conjunctam fuiſſe adimpletam.

Tandem objiciunt. Eatenus Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, quatenus voluntate rationis voluit una cum Patre omnes homines ſalvos fieri. At hæc voluntas non reſpicit omnes, ac ſingulos homines. Primo quoniam in Schola Auguſtini Apoſtolica ſententia, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, accipienda eſt de generibus ſingulorum. Deinde quia hæc voluntas juxta Antiquorum placitum eſt in Deo duntaxat metaphorice. Rurſus quia non conferuntur omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, quamquam id communiter docent illius voluntatis antecedentis propugnatores. Ulterius quoniam nequit intelligi quomodo Chriſtus ſit univerſorum Redemptor niſi vel quantum ad ſufficientiam pretii, vel quantum ad applicationem. Primum non negat Janſenius: alterum vero juxta dicta hactenus, videtur a veritate alienum. Aut ergo ſubſcribendum Janſenio; aut repudianda Auguſtiniana dogmata probando placita Moliniſtarum de Redemptione æquali affectu pro hominibus univerſis peracta.

Reſp. hæc omnia priori, eodemque reſponſo diſpelli. Ad primum fateor eamdem eſſe de voluntate antecedenti, & de morte Chriſti, rationem; ſed voluntas illa antecedens connotat ſententia noſtra inſtitutionem remedii, pretii oblationem, redemptionis virtutem: non diſtributionem & applicationem beneficiorum, & paſſionis Chriſti effecta, atque munera, quæ ſint etiam extraneis communia. Veriſſimum eſt ergo Apoſtolicam ſententiam accipiendam eſſe cum Auguſtino pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, ſi loquamur de largitione gratiarum, & præſertim de dono finalis perſeverantiæ, quod Semipelagiani omnibus afferebant eſſe commune. At hæc largitio non ſpectat ad univerſalem Redemptionem, ſed ad illius, ut inquit ad 1. Ob. Vincentianam beatus Proſper, *proprietatem*. Similis eſt ad id, quod ſequitur, reſponſio: nam voluntas antecedens eſt in Deo metaphorice, ſi comparetur ad actualem conſecutionem ſalutis, & Redemptionis proprietatem: ſincera eſt autem & vere, & etiam effectum ſuum conſecuta, ut refertur ad unam cauſſam humani generis a Domino in veritate ſuſceptam, ad effuſionem Sanguinis, ad inſtitutionem Eccleſiæ, ad virtutem pretii, ad præparationem remedii, ad vocationem Gentium, & ad efficaciam Sacramentorum. Proximum eamdem habet ſolutionem: ſiquidem conferre gratiam, aliaque Paſſionis Chriſti benefi-

gia non ſpectat ad rationem univerſalem Redemptionis, quæ ſita eſt in valore pretii, & inſtitutione remedii, ideoque nec ad voluntatem Dei antecedentem: ſed ſpectat ad applicationem, per quam qui Chriſto uniuntur poculo immortalitatis ſanantur, aut alia a Capite ſpiritualis vitæ initia, vel incrementa recipiunt; in quo locum habet conſequens Dei voluntas. Ad ultimum eamdem reſponſionem adhibeto, Chriſtum pro omnibus mortuum quantum ad ſufficientiam pretii, veriſſimum eſt, & conſtat hoc paſſim affirmari a Patribus, & Theologis: neceſſe eſt autem, ut præter ſufficientiam pretii ad univerſalem Redemptionem admittatur hujus pretii exhibitio, & inſtitutio cauſſæ liberationis, qua poſſint peccata omnia remitti, & a qua ſunt penitus alieni quicumque Chriſto non uniuntur, nec poſſunt uniri: quales ſunt dæmones & damnati: ut ſupra diximus cum D. Thoma 3. p. q. 8. art. 3. Si enim ad redemptionem ſufficeret ſola pretii ſufficientia, proculdubio etiam damnati & dæmones forent redempti. Eapropter non eſt eadem cauſſa reproborum viatorum, & diaboli, ut temere, impie, & inſcite ſcripſit Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſti cap. 21. Illius ergo propoſitiones, abſque præſidio Scholæ Moliniſtarum, imo & abſque ſubſidio earum reliquarum opinionum, quæ licet probabiles, non ſunt tamen ab omnibus communiter receptæ, ita a me refelluntur & profligantur.

CAPUT V.

Demonſtratur Romani Pontificis circa Facta Dogmatica definitionem eſſe firmiſſimam.

EVERTENDA nunc eſt poſtrema Janſeniſtarum, circa Romani Pontificis in definiendis Factis Dogmaticis infallibilitatem, machinatio. Pontificem ipſum, eique tamquam ſupremo Paſtori & Capiti conjunctam Eccleſiam proferre certiſſimum circa dogmata aut credenda aut rejicienda judicium, negare verbotenus non audent. Eſt autem Dogma, ut hoc loco accipitur, doctrina vera, vel falſa, fideique Catholicæ conformis, ſive repugnans, V. G. Eſt in Deo cum unitate ſubſtantiæ Trinitas Perſonarum, Verbum Patri conſubſtantiale eſt, & conſimilia, quæ credere ac profiteri tenemur: ſive, In Deo eſt una duntaxat perſona, Filius eſt creatura, & alia hæreticorum aſſerta, a Catholicis ſingulis eliminanda & damnanda. Quæſtiones autem circa iſtiuſmodi dogmata appellari ſolent quæſtiones juris: atque in his finiendis errare aut Pontificem aut Eccleſiam, nemo unus, niſi Eccleſiæ refractarius, affirmat.

Verſatur itaque controverſia circa ſolas quæſtiones Facti. Quæſtiones hujuſmodi ſunt, quæ non doctrinam in ſe, ſed ut prolatam ab homine, vel ſcriptis expreſſam, attingunt. V. G. an Sabellius negaverit in Deo plures eſſe perſonas, an in Scriptis Arii Verbi conſubſtantialitas impugnetur. Facta iſtiuſmodi alia perſonalia dicuntur, alia dogmatica. Prioris generis ſunt, quæ perſonam ſolummodo ſpectant, nulla facta dogmatis complexione; ut ſi quæratur, num Sabellius revera blaſphemiam illam protulerit, an Arius ipſe ſcripta ediderit adverſus Verbi divinitatem. Facta dogmatica appellantur, quæ ſimul cum dogmate ſunt conjuncta: Sit in exemplo, Verbum non eſt Patri Omouſion in ſenſu verborum Sabellii, Filius non eſt Patri ſubſtantia ſimilis juxta ſenſum Arianorum, aut Semiarianorum. Itaque in Cauſſa Janſeniana poſſent tres excitari quæſtiones. Una, an quinque Propoſitiones hæreſim contineant, & merito damnatæ ſint. Altera, num Janſenius illarum ſit auctor, & liber qui inſcribitur *Auguſtinus* ſit ab illo conſcriptus. Tertia ſint ne hæ propoſitiones jure-merito proſcriptæ in ſenſu, quem præſeferunt in ipſo libro Janſenii. Prima eſt quæſtio juris, ſive de puro dogmate: altera quæſtio facti perſonalis: poſtrema quæſtio facti dogmatici.

Diximus circa primam quæſtionem inter nos convenire. De ſecunda non agitur, nec Theologi conſentire videntur. Complures in quæſtionibus facti perſonalis cenſent Pontificem poſſe errare, quoniam hujuſmodi quæſtiones ſolent reſolvi ex incertis principiis, rumore vulgi, hominum teſtimonio, & opinione Scriptorum. Hæc mea opinione non ſatis caſtigate dicuntur. De hujuſmodi enim Factis prudentiſſimus Eccleſiæ Rector definitive pronunciare non ſolet. Non enim quicquam Eccleſiæ intereſt, an libri, cui titulus eſt *Auguſtinus*, ſit vere Auctor Janſenius, an Sancyranus, an alius quiſpiam. Sunt facta plura etiam perſonalia, quæ certiſſimis argumentis poſſunt definiri, V. G. *Quinque propoſitiones excerptas eſſe ex libro Janſenii*. Id enim non definitur ſola hominum relatione, ſed examine libri ante omnium oculos poſiti, & non ignoto, ſed notiſſimo charactere procuſi. Sunt ergo facta etiam perſonalia, in quibus Eccleſiæ judicium eſt penitus irrefragabile; ut quando damnat hæreticum coram ac palam falſa dogmata profitentem, aut prohibet librum non ſanæ, aut pernicioſæ doctrinæ. Et ſi aliquando animadvertit in aliquem ob indicia non adeo certa; id facit cauſſa prudentiſſimæ œconomiæ. Quod ſi dixeris nullam aliam eſſe infallibilis judicii regulam, niſi Scripturam & Traditionem, quæ duo in facto perſonali atque individuo minime interſunt; reſpondeo, etiam Philoſophum certam habere ſcientiam per ideas rerum & univerſalia principia, quæ ſingularia objecta non repræſentant; attamen dum hæc vivido ſenſu præſentia ſunt, mens rationalis ideis illis, vel principiis inſtructa, abſque erroris periculo judicat hunc eſſe hominem, illum lapidem. Ita Eccleſia univerſalibus fidei regulis percipit ſolius dogmatis veritatem; & nihilominus dum audit hæreticum, aut librum legit, vi indefectibilis luminis judicat illum eſſe damnandum, hunc prohibendum; nec tamen fallitur. Hæc eſt mea de *perſonalibus factis* ſententia, brevi quidem expoſita, ſed non obſcura, ut arbitror, comparatione. Ad facta dogmatica quod attinet, demonſtrandum eſt, poſſe Romanum Pontificem abſque periculo erroris de iis pronunciare, & definire non ſolum librum Janſenii continere quinque propoſitiones hæreticas, ſed etiam illas hæreticas eſſe in ſenſu Janſenii, ſcilicet juxta doctrinam ab eo traditam in libro, qui inſcribitur *Auguſtinus*. Et quod dixero de Janſenio, idem omnino tenendum eſt de Propoſitionibus Baji, & Queſnellii.

PROPOSITIO. Judicium Romani Pontificis de Factis dogmaticis nuper expoſitis eſt omnino infall...e.

Demonſtratur 1. Ex Scripturis. Petro, ejuſque ſucceſſori Romano Pontifici, Jo. xxi. 17. a Chriſto dictum eſt: *Paſce oves meas*. Quoniam Paſtori cura ovium commiſſa eſt; non tantum Paſtor debet ſalutiferas a veneficis herbis ſecernere, verum etiam arcere gregem a paſcuis, ubi germina veneno imbuta naſcuntur. Ex quo Romanus Pontifex ſit Paſtor Eccleſiæ, conſenſu Janſeniſtarum, ſine erroris periculo diſtinguit *inter herbam & herbam*, ideſt, inter dogma Catholicum & dogma hæreticum, ne oves fallaci, & venefica doctrina paſcantur. Ergo debet certiſſimo judicio diſtinguere inter *pratum & pratum*, ubi herbæ naſcuntur, ideſt, inter libros & libros, in quibus dogmata continentur, & dignoſcere ubi ſalubria inveniantur, ubi autem venenata ac peſtifera. Itaque non tantum definiri poteſt propoſitionem aliquam in ſe eſſe hæreticam, verum etiam eſſe hæreticam, ut traditur in hoc libro. Imo quemadmodum magis dignoſcitur herbarum ſalubritas & venenum, ſi advertitur, quibus in paſcuis, ſylviſque naſcuntur: ita melius pateſcit falſitas aut veritas dogmatis, ſi attenditur doctrina libri, unde ſcatet, & germinat.

Similiter Petro, & Succeſſoribus ejus dictum eſt Mat. xvi. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, ſcilicet nec per falſa dogmata hæreticorum, nec per Tyrannorum perſecutionem. Ex quo portæ inferi non poſſint adverſus Eccleſiam prævalere falſis dogmatibus, conſequens eſt hujus Eccleſiæ Paſtorem in definitione dogmatum falli non poſſe. Igitur cum prævalere non valeat contra ſenſum & doctrinam univerſalis Eccleſiæ doctrina ac ſenſus privati Scriptoris, ſequitur ſummum Eccleſiæ Rectorem in pronunciando de ſenſu ejuſdem Scriptoris decipi atque errare non poſſe.

Rurſus: Quod olim præſcriptum eſt Iſraelitis Deut. xvii. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſſam & cauſſam, lepram & lepram, & judicum inter portas tuas videris verba variari; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi, judicii veritatem*. Illud, inquam, præceptum nunc etiam viget: nam, ut perfectum ſit Eccleſiæ regimen, debet eſſe Judex unus, atque ſupremus. Fuit inter nos olim ambiguum judicium de quinque Janſenii Propoſitionibus. Diſputatum in Galliis, in Belgio, & ubique terrarum, & audivimus *inter portas verba judicum variari*. Ventum eſt ad Apoſtolicam Sedem, & *ad locum, quem elegit Dominus, ad Judicem, qui fuit illo tempore*, ad Innocentium X., neque ad hunc tantum, etiam ad Alexandrum VII. Innoc. XII. & Clementem XI. Hi autem quinque Propoſitiones damnarunt, & damnatas eſſe in ſenſu Janſenii declaraverunt. Igitur *indicarunt judicii veritatem*.

Non eſt quid huic argumento reſpondeant, niſi Judicem ad hanc controverſiam dirimendam eſſe, non Romanum Pontificem, ſed univerſam Eccleſiam: ideoque non defuere qui in cauſa Janſenii & Queſnelli a ſententia Pontificis appellarunt ad futurum Generale Concilium. Sed audacter nimium. Primo enim quorumdam ſententia de appellatione a ſententia Pontificum ad Concilia, & de infallibilitate Romanæ & Apoſtolicæ Sedis dependenter ab aliorum Epiſcoporum approbatione, licet tanta animoſitate tantoque argumentorum apparatu a nonnullis propugnetur, falſiſſima eſt, ut alio in loco probabitur. Nam in præſentia ſufficit aſſerere cum Auguſtino cap. ult. librorum ad Bonifacium, rariſſimas extitiſſe hæreſes, propter quas damnandas opus fuerit *congregatione Synodi*: quod confirmatur perantiqua Eccleſiæ conſuetudine, cum damnaverint Pelagianam hæreſim Innocentius & Zoſimus, errores Berengarii Leo IX., Gilbertum Porretanum Eugenius III., atque, ut alios mittam, articulos Baji Pius V., & Urbanus VIII.

Præterea dato, nunquam tamen conceſſo, licitam eſſe iſtiuſmodi appellationem, ea locum non habet in cauſſa Janſenii, aut Queſnellii. Quando enim major Eccleſiaſticorum pars ſubſcribit decretis Pontificum, etiamſi nonnulli repugnent, etiam juxta recentiorum Gallorum doctrinam

nobis,

nobis, quod ad hanc materiam attinet, adverſantem, locus non eſt hujuſmodi appellationibus. Alias nullius hæreſis cauſſa finita eſſet, cum nulli hæreſi defuerint patroni & pervicaciſſimi defenſores: quorum tamen non obſtante repugnantia, quis non dixerit aut Arianorum, aut Donatiſtarum, aut Pelagianorum, aut aliorum hæreticorum dogmata fuiſſe proſcripta concordiſſima Eccleſiæ Catholicæ auctoritate? Atque judicium Romani Pontificis de Baji, Janſenii, & Queneliii aſſertionibus, ſi paucos refractarios excipias, ab univerſa Eccleſia receptum eſt, ut diximus primo capite hujus Diſſertationis. Ergo dato etiam, & non conceſſo, quod fas eſſet a definitione Pontificis appellare ad Concilium, id nequaquam licitum eſt Janſeniſtis: atque, ut Auguſtinus ſcribit loco nuper laudato, audacter *iſtorum ſuperbia.... hanc gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur.*

Ut modo ad propoſitionem noſtram revertatur oratio, Pontificem, nec non Concilia ab ipſo approbata, in definiendis Factis dogmaticis nunquam falli, demonſtratur ſecundo ex praxi vetuſtiſſima, qua in damnatione hæreſum ſimul damnati ſunt illarum auctores, nunquam quæſtione facti a quæſtione juris diſtincta. Etenim in Concilio Epheſino Seſſ. I. art. 4. legimus, *Anathematizamus omnes hæreſes Arii, Eunomii, & Neſtorii, & eorum qui dicunt carnem Chriſti fuiſſe e Cœlo.* Concilium Conſtantinopolitanum primum præcepit Theodoreto non ſolum ut doctrinam Neſtorii, verum etiam ut Neſtorium ipſum damnaret, feriens eodem anathemate ejuſdem Neſtorii dogmata, epiſtolas, & perſonam. Martinus V. in Synodo Conſtantienſi ſeſſ. ultima præcepit, ut omnes non tantum profiteantur jure, ac rite damnatas fuiſſe hæreſes Joannis Us, Witclefi, & Hieronymi de Praga, ſed horum quoque perſonas, libros, & documenta. Sunt autem in Hiſtoria Eccleſiaſtica exempla id genus innumera. Igitur Eccleſia non ſolum propoſitiones, & dogmata, ſed etiam perſonas, libroſque condemnat.

Inſuper probatur theſis noſtra factis Dogmaticis Janſeniano, & Quenelliano ſimillimis. I. An *in tribus Capitulis*, ideſt in ſcriptis Theodori Mopſueſteni, Theodoreti adverſus Anathematiſmos Cyrilli, & in Epiſtola Ibæ ad Marim Perſam contineatur Neſtoriana hæreſis, quæſtio facti Dogmatici eſt, & tanta contentione agitata, ut non ſolum adverſarios haberet Epiſcopos plurimos, verum etiam diu Vigilius Papa ſententiam dicere detrectaverit, veritus ne fraude Origeniſtarum elevaretur Synodi Chalcedonenſis auctoritas; & nihilominus tria illa Capitula damnata ſunt & V. Synodo can. 12. 13. & 14. ab ipſo Vigilio in *Judicato* anni 548. & in Epiſtola ad Eutychium Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, in qua etiam quintam Synodum approbavit; atque a Pelagio ſucceſſore Vigilii, & Joannes III. ut in Diſſert. de V. Synodo demonſtrat Eruditiſſimus Cardinalis Noriſius. Neque trium Capitulorum damnatio perſonas auctorum directe ſpectat, (excipe Theodorum Mopſueſtenum,) ſed textum, doctrinamque eorundem, ut colligitur ex verbis prædictorum canonum, probatque in ſuo Documento Paſtorali P. 4. cap. X. Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Cameracenſis. Poteſt ergo ratione conſimili tam Pontifex, quam Generale Concilium pronuntiare certum firmiſſimumque judicium de propoſitionibus Janſenianis, etiam ut in texta ſcriptorum Janſenii verbis aut expreſſis, aut æquivalentibus comprehenduntur.

Secundo, ut ex multis alterum producam exemplum; in Synodo Lateranenſi celebrata anno 649. damnati ſunt Cyrus, Sergius, Pyrrhus, aliique Monothelitæ, *ex temerariis ipſorum ſcriptis juxta Apoſtolicam ſententiam, Ex ore tuo te judico, &, Ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis:* quemadmodum Maximus Aquilejenſis exoraverat ſummum Pontificem Martinum I. Ibique canone XVIII. anathemate percuſſi ſunt nefandiſſimi hæretici, *cum omnibus impiis eorum conſcriptis uſque ad unum apicem.* Et ſi plura exempla deſideras, vide citatum Documentum Ducis, & Præſulis Cameracenſis, Honoratum Tournely de Eccleſia q. V. art. 3., atque ut domeſticum Scriptorem aliquem proponam, eximium virum Joannem Laurentium Czepanski in Controverſiis de Eccleſiæ Regimine.

Ulterius demonſtratur propoſitio rationibus Theologicis. Quarum ſit I. Romanus Pontifex infallibilis eſt in Canonizatione Sanctorum. At ſicut quæſtio Dogmatica eſt, propoſitionem aliquam eſſe hæreticam; factum vero dogmaticum, hæreſim hujus propoſitionis contineri in hoc libro; ita dogma eſt viros eximiæ virtutis poſt mortem cultu & veneratione dignos eſſe, factum autem, eximiam virtutem in hoc ſplendeſcere. Si ergo in Canonizatione Sanctorum Pontificem credis eſſe infallibilem, quare titubas, eundem falli in definienda doctrina hujus libri? Quod ſi dixerit, nec in Sanctorum Canonizatione Pontificem infallibilem eſſe, aliorum, noſtraque confutatione alibi revinceris. Si autem reponas in Sanctorum Apotheoſi haberi teſtimonium miraculorum, quæ cum patrari non valeant niſi divina virtute, certiſſimum exhibent veritatis argumentum; valet adhuc noſtra ratiocinatio. Nam ſi dogma eſt, opus divina virtute patratum eſſe veræ fidei, & virtutibus conjunctum etiam ſanctitatis confirmationem: quod hoc individuum opus ſit factum ſuperna virtute, ſpectat ad *Factum*. At in Canonizatione Sanctorum Pontifex definit hoc individuum opus patratum eſſe ſola virtute Dei. Ergo definit quod ſpectat ad *Factum*.

Sit ratiocinatio altera. Textus, qui continetur in Canone aliquo, E. G. in quarto ſeſſionis ſextæ Tridentini Concilii, eſt Dogmaticus, quoniam proponit doctrinam de Gratia & libertate. Igitur textus libri Janſenii pertractantis de libertate & de gratia erit conſimili ratione Dogmaticus. Atqui impium, horrendumque eſt aſſerere poſſe Eccleſiam falli in conſecranda doctrina quæ continetur textu illius Canonis: Ergo execrabilis pariter error eſt affirmare, quod Eccleſia poſſit errare in condemnanda doctrina, quam textus hujus libri complectitur. Futilis autem, & prorſus inepta eſt reſponſio Janſenianorum, quod ille textus ſit brevior, iſte longior & implexus. Nam primo hic quoque textus fuſus ac perdifficilis de gratia & libertate pertractat; eſt ergo dogmaticus. Deinde librorum Auguſtini contra Pelagianos textus nonne eſt longior Janſeniano, & tamen Janſeniſtæ fatentur illum fuiſſe ab Eccleſia jure, & rite probatum? Præterea ſenſus Janſeniani operis ſine ulla ambiguitate percipitur ex paucis verbis librorum de Grat. Chriſti, ubi ſtatuit ſyſtema victricis delectationis tollentis libertatem, ut demonſtravi cap. I. Scripſiſſet itaque Janſenius longe ampliora volumina; non poſſent quinque propoſitiones millenis aliis operiri.

Accedit tertia ratio. Ideo Janſeniani nolunt fateri propoſitiones recte fuiſſe damnatas in ſenſu Auctoris, quoniam contendunt talem eſſe ſenſum Auguſtini, ideoque Conſtitutiones editas contra Janſenium & Queneliium contrarias eſſe definitionibus Pontificum, qui probarunt S. P. Auguſtini de Gratia doctrinam. Si revera contrariæ forent, quod vidimus eſſe a veritate alienum, verſarentur circa eandem materiam, alioqui nulla eſſet hujuſmodi contradictio. In rebus igitur ad eandem materiam ſpectantibus Janſeniſtæ volunt Eccleſiam fallibilem, atque infallibilem. Infallibilem in approbatione doctrinæ Auguſtini: fallibilem in condemnatione doctrinæ Janſenii. Quorſum hæc monſtra, & pugnantium animorum levitas, atque inconſtantia? Plura hujus generis argumenta vide apud noſtrum Paludanum prima parte Apologiæ cap. X., & ſequentibus.

Quarta ratio eſt hujuſmodi. Librum a Spiritu Sancto veritatem inſpirante dictatum eſſe divinæ auctoritatis, & recipiendum in Canone, eſt dogma fidei; hunc librum, E. G. Judith, aut Sapientiæ, aut alium ſimilem aſflante Spiritu Sancto fuiſſe conſcriptum, eſt quæſtio Facti dogmatici. Si in hujuſmodi definienda quæſtione Chriſti Eccleſia errori quandoque ſubjicitur; quomodo Gelaſius Papa in Cap. *Sancta Romana*, quomodo Tridentini PP. Seſſ. IV. præfatos libros decernunt eſſe Canonicos, neque de hujuſmodi definitione muſſitat ullus Catholicorum? Reſpondebant Janſeniſtæ decreta iſtiuſmodi firmari Veterum Patrum traditione. Bene habet. Veteres autem unde hos libros acceperunt eſſe divinos? Profecto ab Apoſtolis. Hi vero unde? Certe Spiritus Sancti aſſiſtentia donati & libros veteris Teſtamenti a Synagoga receptos, & aliquos qui non ſunt in canone Hebræorum, & plures novi Teſtamenti tunc temporis editos, & hos quidem ſine majorum traditione, tamquam divinæ auctoritatis receperunt. Inſuper nego non eſſe Traditionem in Eccleſia, qua poſſit judicari de ſenſu libri Janſenii. Eſt perantiqua traditio, & divinarum quoque Scripturarum auctoritas, dari liberum arbitrium: hujuſque traditionis intelligentiam certiſſimam habet Rector univerſalis Eccleſiæ. Vi autem hujus intelligentiæ, oblato ſibi libro Janſenii, poteſt irrefragabili judicio pronunciare ſparſam in ipſo libro doctrinam eſſe libero arbitrio contrariam.

Sequitur quinta ratio. Eccleſia damnare poteſt aliquam propoſitionem eo quod ex verbis ipſius poteſt judicium ferre an obvius illius propoſitionis ſenſus ſit falſus. Sed etiam judicare poteſt de doctrina alicujus libri ex verbis, ac textu ipſius. Igitur poteſt Eccleſia damnare etiam alicujus libri doctrinam.

Poſtrema ratio moralis eſt hujuſmodi. Eſt neceſſaria diſciplinæ, & regimini Eccleſiæ divini Spiritus aſſiſtentia tam in damnando novo aliquo dogmate, quam in expendendo, & qualificando ſcripto, ex quo illud derivamus. Nam occaſio ſubverſionis, & ſcandali, quæ præberetur fidelibus, ſi Eccleſia propoſitionem falſam definiret ut veram, exhiberetur etiam, ſi hæreticum librum tamquam catholicum approbarat. Itaque ſi Janſeniani fatentur irrefragabile eſſe pronunciatum Eccleſiæ circa aliquam propoſitionem veram aut falſam; & illud fateantur neceſſe eſt, non decipi Magiſterium Eccleſiæ circa doctrinam librorum, ex quibus propoſitum dogma deducitur.

His argumentationibus ex Scripturis, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ratione depromptis duas alias extrinſecas ſuperaddo, unam ex doctrina Cleri Gallicani, & alteram ex ſcriptis ipſorum Janſeniſtarum. Obortis enim in Sorbona circa Propoſitiones Janſenii diſſidiis, Synodus Pariſienſis anno 1650. Epiſtolam ad Innoc. X. ſubſcriptam ab Epiſcopis LXXXV. dedit, in qua hæc leguntur: *Majores cauſſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos, quem Fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat.* Infra: *Experta eſt nuper Beatitudo tua, quantum Apoſtolica Sedis in Geminis Eccleſiæ Capitis errore profligan-*

ſtigando valuerit auctoritas: continuo ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem, & imperium venti, & mare obedierunt, Item: *Flagitamus Beatiſſime Pater, ut clara firmaque de propoſitionum iſtarum ſenſu prolata ſententia, caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia prohibeas, Eccleſiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſtituas*, Hæc eſt Cleri Gallicani ante damnationem propoſitionum Janſenii erga Apoſtolicam Sedem obſervantia,

Damnatis per Innocentium quinque Propoſitionibus, quanto plauſu ſummi Pontificis conſtitutio in Galliis fuerit recepta, commonſtrat Epiſtola xxx. Epiſcoporum ad eundem Innoc. data die 15. Junii an. 1653. In qua gratulantur accidiſſe, *ut quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius I. Pelagianam hæreſim damnavit olim, ſic ad Galicanorum Epiſcoporum conſultationem hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam Innocentius X. auctoritate ſua proſcripſerit*,

Hactenus videri poteſt quæſtionem in ſolo dogmate verſari. Veruntamen ubi poſt Innocentii decretum Janſeniſtæ ſpargere cœperunt quinque propoſitiones in ſenſu Auctoris non fuiſſe proſcriptas; Clerus Gallicanus die 27. Martii anno 1654. iterum hæc ad Pontificem conſcripſit: *Nos in hac Urbe Pariſienſi congregati cenſuimus, & per Epiſtolam Encyclicam his literis adjunctam declaravimus, Propoſitiones illas & opiniones eſſe Cornelii Janſenii a Sanctitate veſtra damnatas diſertis & manifeſtis verbis. Quam enim auctor ille uſurpatione privata novam doctrinam ſub ſpecie veteris inducebat, neceſſum fuit ut Apoſtolica Sedes judicio lato ex publica & antiqua traditione refelleret*. Rurſus tentantibus Janſeniſtis Innocentii Reſcriptum eludere facta diſtinctione quæſtionis juris & facti, Galliarum Antiſtites Synodali Epiſtola Alexandrum VII. Succeſſorem Innocentii anno 1656. certiorem reddiderant, declarantes ſe firmiſſime credere, *Doctrinam Janſenii, quam opere ſuo ille explicavit in propoſitionum confixarum materia, Pontificia Conſtitutione fuiſſe damnatam*. Id vero poſtquam Alexander abſque ulla ambiguitate Kalendis Novembris ejuſdem anni definivit, quanta reverentia Galliarum Præſules Pontificiam Conſtitutionem ſuſceperint, conſtat ex iteratis Epiſtolis ad eundem Pontificem, atque ex Synodalibus Comitiis anni 1661. & 1675. Quæ omnia, cum legi poſſint eruditis notationibus illuſtrata in Controv. 17. memorati P. Joannis Laurentii Czepanski, nec non poſtrema Parte Documenti Paſtoralis Archiepiſcopi Cameracenſis, nos breviſſima narratione complectebamur.

Tandem confeſſione ſuorum Janſeniani revincuntur. Ipſe Janſenius extremis Tabulis de Opere ſuo hæc protulit: *Si Romana Sedes aliquid mutare voluerit, ſum obediens filius*: atque cap. 29. libri Procemialis ſcripſerat: *Mihi conſtitutum erat, eandem, quam ab infantia ſecutus ſum, curſuum meorum ad extremum ſpiritum uſque ducem ſequi Romanam Eccleſiam, & beatiſſimi Petri in Romana Sede Succeſſorem. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque cum illo non colligit, ſpargit, apud quem ſolum incorrupta Patrum ſervatur hæreditas. Quidquid ab iſto Petri cathedra, in cujus communione a teneris vixi, & porro vivere & mori fixum eſt, ab iſto Chriſti Domini noſtri Vicario, ab iſto Eccleſiæ Chriſtianæ univerſæ Capite, Moderatore, Pontifice præſcriptum fuerit, hoc teneo: quidquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo*. Sequantur ergo Janſeniſtæ Romanam Eccleſiam non ſolum dogmatum, ſed etiam ſenſuum ſuorum judicium proferentem; atque ne diſpergant, dum volunt colligere, quicquid ipſa improbat, improbent, & anathemate damnent quicquid damnat.

Antonius Arnaldus fatetur quædam eſſe *Facta, quæ ſpectant ad Traditionem, nullo pacto conjuncta cum illo pronunciato Theologorum, qui volunt Eccleſiam non eſſe in factis dijudicandis immunem ab erroris periculo*. Idem ſcribit Vallonius, & Defenſor *Silentii obſequioſi*, aliique ſectæ homines, apud Ill. Archiepiſcopum Cameracenſem P. 1. & 3. Verum eſt, quod negant id de Facto Janſeniano valere. At e ſuiſmet poſitionibus refutantur. Docent enim facta quædam abſque erroris periculo dijudicari, quoniam *dici plane & omnino non poteſt hujuſmodi facta non eſſe revelata*, cum habeant cum perpetua Traditione vinculum connexionis. Sed, ut paulo ante dicebam, eſt in Eccleſia derivata a Patribus traditio circa libertatem, & gratiam, a qua Traditione num deflectat ſenſus Janſenii optume debet percipere Magiſtra veritatis Eccleſia. Igitur in dijudicando Facto Janſeniano erit ab omni periculo Apoſtolica Sedes immunis.

CAPUT VI.

Ad ea, quæ objiciunt Janſeniſtæ, reſponſio.

STRUUNT nunc aciem, ut evertant ſuperius dogma, Sectarii. Ac primo texunt catalogum Scriptorum, qui affirmarunt judicium Pontificis in dirimendis quæſtionibus facti eſſe obnoxium periculo erroris. Quod tradunt Cardinalis Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. 46. Bellarminus lib. 4. de Summo Pontifice cap. 12. Petavius lib. 1. de Pœnitentia publica cap. 1. & alii Scriptores innumeri. Verum reſpondendum eſt, opinionem iſtorum veram tantummodo eſſe in quæſtionibus facti perſonalis: neque in omnibus, ſed in iis duntaxat, in quibus crimen aut error alicui perſonæ tribuitur ex ſola hominum relatione, quemadmodum in damnando latrone e ſola depoſitione teſtium poſſet errare Judex, At plura ſunt facta, etiam perſonalia, quæ cum certis indiciis dignoſcantur, non ſolum infallibitatem fidei habere poſſunt, ſed etiam naturalem evidentiam, ut dum attente perlegens librum aliquem, in eo video propoſitionem expreſſe conſcriptam, quemadmodum habet judex evidentiam de homicidio latronis, ſi viderit perſpicue illum infligere vulnera, & hominem interficere. Ita neque in hac quæſtione facti, *An quinque propoſitiones ſint in Janſenio*, dici poteſt Eccleſiam erraſſe, cum librum viderit, legerit, aſſiduoque examine cribraverit. Quamquam huic definitioni, *Propoſitiones iſtæ in ſenſu, quem habent, damnatæ, excerptæ ſunt e libro Janſenii*, non aſſentimur aſſenſu naturali, ſed fidei, ob hæreticum ſenſum ſingulis hærentem; quem talem eſſe definit Eccleſia non ex verbis expreſſis, aut æquivalentibus, ſed ex dogmate in talium verborum ſignificatione contento: ideſt, quia ea libro derivatæ creduntur, non tantum quod verba, ſed etiam, & præcipue quoad ſenſum verbis ſingularum propoſitionum expreſſum. Ad ſummum ergo poſſet errare Eccleſia in facto tantum hiſtorico: quale foret, hunc librum E. G. revera fuiſſe a Cornelio Janſenio conſcriptum; id vero prudentiſſime ſupponit ex nomine quod præfert Auctoris, ex hominum conſenſu, ex Janſeniſtarum ipſorum confeſſione.

Reponunt Janſeniſtæ. At Innocentius X. & Alexander VII. quinque propoſitiones damnarunt ex ſola relatione quorundam Epiſcoporum Galliæ. Eſt ergo hæc quæſtio facti, in qua potuit Eccleſia in errore verſari. = Reſpondemus ſplendidiſſime Janſenianos mentiri; nam poſt conſultationem Epiſcoporum Galliæ, adhibitam Romæ diligentiam, qua major deſiderari non poterat, libroſque Janſenii maturo examine fuiſſe luſtratos, manifeſtum eſt ipſorum Romanorum Pontificum teſtimonio, & rerum geſtarum narratione in priori capite hujus diſquiſitionis præmiſſa.

Inquiunt, longiorem eſſe librorum Janſenii textum, nec videri veriſimile Pontifices hujus Scriptoris mentem penitus fuiſſe ſcrutatos. Verum hæc ſunt triplici reſponſione jam confracta & illiſa. I. quia non plura ſcripſit Janſenius magno Protoparente Auguſtino, cujus de gratia doctrinam Romana tenet Eccleſia. II. quia ſenſus Janſenii ſua ſponte ex iis, quæ docet de ſuperiori delectatione injiciente vinculum libertati, evidentiſſime erumpit. III. quia per biennium ſelecti Theologi univerſum Janſenii Opus accurate verſarunt: neque ad omnia illius Auctoris placita directe ſpectat animadverſio Cenſuræ, ſed ad quinque poſitiones obvias, certiſque capitibus coarctatas.

Contendunt inſuper Janſenii gregales illius ſenſum non aliunde diſquirendum, niſi ex rigidiſſimis regulis ac præceptionibus artis criticæ. Reſpondemus autem bellam hanc eſſe luſionem. Ars enim Critica tradit quaſdam regulas ad dijudicandam germanitatem, ætatemque Scriptorum, quæ diſciplinarum ſunt inſtrumenta; & nihil valet ad pronunciandum de Scriptorum illorum veritate, doctrina, & orthodoxia. Sic regulis Critices, nempe ponderatione ſtili, notarum chronologicarum, contextuum, formæ diſputationis, ſynchronorum Auctorum, inquiro num Pœmander ſit genuinum opus Mercurii, an prodierit primis Chriſtianis ſæculis, an Dionyſio Areopagitæ libri de Divinis Nominibus ſint accenſendi, num Auguſtinus aut Gennadius ſcripſerit Opus de Eccleſiaſticis Dogmatibus, an Inſcriptio hujus Numiſmatis, aut lapidis his aut illis Conſulibus quadret, & conſimilia plurima. Id vero quid, ut judicium feras an in Opere Mercurii ſit Catholica de Trinitate Doctrina, ſive in libris Dionyſii tradatur Verbi Divinitas, ſive in eo, qui inſcribitur de Theologicis Dogmatibus, extent veſtigia Pelagianiſmi, ſive in hoc ære vel marmore ſint aureæ latinitatis vocabula? Hoc te non Critica docet, ſed vel dogmatum ſcientia, vel ars diſputandi, vel grammatica vel alia demum facultas, ad quam inquiſitio illa pertineat. Ergo ea præceptionibus Criticis, v. g. ex collatione *Martis Gallici*, diſquires num Janſenius ſcripſerit librum, *Auguſtinus*: ex Epiſtolis agnoſces an Bajonæ editus, an limatus Ypri. Doctrinam ab eruditione Theologorum, & Orthodoxiam a judicio Apoſtolicæ Sedis perquiras, neceſſum eſt.

Perſiſtunt objectare Janſeniani diſtinctionem duplicis Facti, quorum unum dicatur Perſonale, aliud Dogmaticum, commentationem eſſe recentiorum Scholaſticorum, atque antiquioribus Theologis incompertam. Reſpondemus ex adverſo, primum hanc diſtinctionem non eſſe adeo novam, ut jactitant, cum in terminis tradatur etiam a Clero Gallicano, in libro, cui titulus *Relation des Deliberations du Clergé de France*, ante plures annos conſcripto. Dicimus præterea, quod etſi hæc diſtinctio ſub iis verbis non inveniatur in Antiquiorum lucubrationibus, frequentiſſima eſt tamen, ſi rei ſignificatio attendatur, eo quod non tantum dogmata, ſed etiam hæreticorum libri, librorumque doctrina quovis Eccleſiæ ſæculo proſcripta fuerint. Addimus, omnes hæreſes quaſdam intuliſſe quæſtiones, quibus diligentius Catholica Fides defenditur; ac talem eſſe quæſtionem de Factis dogmaticis.

Affirmant Janſeniſtæ, Factum, de quo controvertitur, eſſe factum quoddam decimiſeptimi ſæculi, nullatenus dirimendum pervetuſta Eccleſiaſticorum dogmatum traditione. = In promptu autem reſponſio eſt, novum quidem eſſe factum iſtud, ſi ſpectetur ſcriptio libri, & propoſitionum enunciatio, quo ſenſu nova fuit quælibet hæreſis cum primum cœpit vulgari. Non eſt autem novum comparate ad doctrinam Fidei,

cum repugnet dogmatibus perpetuo in Eccleſia explicite, aut ſaltem implicite creditis.

Producunt exemplum Vigilii Papæ, qui olim tria *Capitula* decretorio judicio probavit, quæ poſtea damnavit quinta Synodus: ideoque aut judicium Vigilii, aut judicium quintæ Synodi circa Factum Dogmaticum falſum erit. = At iſtud argumentum contra Janſeniſtas retorquetur. Enim vero, ut diximus, judicium a V. Synodo, & a Romano Pontifice de tribus *Capitulis* prolatum eſt omnino irrefragabile & firmiſſimum, & tamen verſatur circa Factum Dogmaticum. Igitur neque Synodus Oecumenica approbata a Pontifice, neque ipſe Pontifex errori unquam ſubjicitur in dirimendis Factis Dogmaticis. Jam vero quod aſſerunt Vigilium Papam tria *Capitula* approbaſſe, falſum eſt penitus. Concilium Chalcedonenſe in ſuas Sedes reſtituerat Theodoretum atque Ibam, poſteaquam impium Neſtorium damnaverant; neque in ea Synodo dogmatice tria *Capitula* diſcuſſa ſunt. Cum ergo de trium *Capitulorum* damnatione ageretur, Vigilius Papa veritus ne contra definitionem Chalcedonenſis Concilii e ſuis ſedibus Theodoretus exturbaretur, haud ignorans inimicorum ejus machinamenta, prudentiſſime obſtitit; & cum anno 548. ſcripſit *Judicatum*, & tria *Capitula* damnavit, adjecit clauſulam, *Salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonenſis*. Ob eamdem cauſſam die 14. Maji anno 553. damnatis a V. Synodo Tribus *Capitulis*, timens aliquid fuiſſe innovatum in Cauſſa Theodoreti, & Ibæ, quos Synodus Chalcedonenſis priſtina decoraverat dignitate, edidit adverſus Quintam Synodum *Conſtitutum*. Ceterum ubi Vigilio compertum eſt, nullum a Synodo V. anathema pronunciatum contra Perſonas Theodoreti & Ibæ, ſed tantum adverſus iſtorum ſcripta; ſolus enim Theodoretus Mopſueſtenus duodecimo Synodi anathematiſmo cum ſuis ſcriptis damnatur: Vigilius Synodum, ſimulque trium *Capitulorum* condemnationem firmavit. Animadvertas hoc loco, magna fraude Apologiſtas Janſenii ſcribere eamdem cauſſam fuiſſe Theodoreti, & duorum aliorum Epiſcoporum, ut inferant Theodoretum & Ibam a Synodo Chalcedonenſi abſolutos, & a V. Synodo fuiſſe damnatos. Eſt enim una, eademque Cauſſa in quantum ſpectat ad doctrinam trium *Capitulorum*, non quantum attinet ad trium Epiſcoporum perſonas.

Rurſus opponunt Janſeniſtæ factum Honorii, quod poteſt hac, vel conſimili argumentationis forma proponi. Habemus judicium Eccleſiæ in quæſtione Facti Dogmatici Janſeniano ſimillimi fallax & erroneum in Cauſſa Honorii, quem Sexta Synodus tamquam Monothelitam damnavit, non ex aliorum relatione, ſed ex Epiſtolis ejuſdem Honorii ad Sergium. Etenim quemadmodum olim inſtituta fuit quæſtio, an hæreſis aſſerentium unam in Chriſto voluntatem contineretur in Epiſtolis Honorii; ita nunc controvertitur an ſenſus hæreticus quinque propoſitionum contineatur in libro Janſenii. At in priori quæſtione falſum judicium protulit Synodus Oecumenica. Potuit ergo ſimiliter falli in hac de facto Janſeniano quæſtione Romanus Pontifex.

Reſpondeo quæſtionem de anathemate dicto adverſus Honorium perplexam eſſe, nullatenus tamen ſuffragari Janſenii Apologiſtis. Onuphrius Panvinius, Baronius, Severinus Binius, & alii permulti arbitrantur Acta Sextæ Synodi fuiſſe falſata, nec levi ducti ratione, ſed argumentationibus plurimis in libris de Incarnatione proponendis. Dilabitur, juxta horum ſententiam, prædicta argumentatio: neque enim verum eſt Sextam Synodum dixiſſe anathema Honorio, quod narrare nequaquam prætermiſiſſent Theophanes & Gregorius Monachus Græcus, qui ex autographis voluminibus geſta in hac Synodo literis conſignantes Honorii damnationis non meminerunt. Cenſent alii damnatum a Sexta Synodo Honorium, non quod hæreſim Monothelitarum in Epiſtolis ad Sergium docuerit, ſed quod hæreſi illi quodammodo indulſerit, non ſatis prudens in fovenda familiaritate cum Sergio, neque in oppugnanda hæreſi nimis ſollicitus. Atque in hac pariter ſententia argumentatio illa exareſcit. Poteſt enim probari ingenua fides Honorii, tametſi non probetur Oeconomia. Nonnulli cum Turrecremata lib. 2. de Eccl. cap. 93. putant Concilium revera erraſſe in quæſtione facti: ſed neque hæc reſponſio juvat Janſeniſtas; quoniam eo loco Turrecremata ſcribit, ideo Patres fuiſſe deceptos, quoniam de Honorio judicarunt, non ex ejus Epiſtolis (in quarum una de duplici in Chriſto voluntate altum habetur ſilentium, in altera Honorius Sergium tantummodo hortatur, ut devitet vocabuli novitatem; & conſequenter neque una, neque altera Epiſtola poterat ſenſum Honorii demonſtrare): ſed pronunciarunt judicium *ex falſa informatione, & ex falſis rumoribus*. Unde ad ſummum ſequitur potuiſſe Eccleſiam errare in definienda Facti Janſenii quæſtione, ſi rigidiori Cenſura judicium pronunciaſſet ex ſola quorumdam Epiſcoporum relatione: quo in caſu Factum diceretur hiſtoricum, non Dogmaticum. Petitdidier ſcribit quæſtionem Honorii ad hanc minime pertinere, quoniam Honorii Epiſtolæ non continent judicium Pontificis definientis ex Cathedra, & docentis univerſalem Eccleſiam; ſed commonentis tantum Conſtantinopolitanos præſules. Judicium vero de propoſitionibus Janſenianis definitivum eſſe, publicum, univerſale, & Apoſtolicis Cenſuris communitum, nullus ignorat. Noſter demum Deſirant in *Honorio Vindicato* probat judicium Sextæ Synodi ferire Epiſtolas Honorii male in Græcam linguam translatas, non latinum exemplar; ſed de Honorio alibi.

Adhuc Janſeniſtæ argumentantur. Hæc enunciatio: *Quinque propoſitiones hæreſim continentes damnatæ ſunt in ſenſu Janſenii*, æquivalet his duabus, *Quinque propoſitiones hæreſim continent*, &, *Quinque propoſitiones ſunt in libro Janſenii*: quarum prima eſt purum dogma, altera purum factum. Igitur judicium de hac poſtrema ambiguum & incertum eſt, etiam prout primæ conjungitur: quicquid enim de ſe eſt dubium, ubicumque ponitur, dubium incertumque eſt = Reſp. nego conſequentiam; primo quia etiam de puro facto, quod non pendet a ſola hominum conſultatione & relatione, quale eſt in hoc libro, quem omnes videre ac legere poſſunt, contineri hæreticam aliquam propoſitionem, eſt mea ſententia Pontificis judicium irrefragabile, & invictum, præſertim ſi Fidelibus proponatur credendum, & juramento confirmandum. Deinde licet hæc propoſitio, *Quinque illi articuli extant in libro Janſenii*, ſolitarie & diviſim accepta non eſſet objectum certæ & invariabilis definitionis; eſt tamen, ſi cum priori, ideſt cum dogmate conjungitur. Nam ſi dixero, E. G. *Chriſtus non eſt Deus & homo juxta ſenſum Neſtorii*, hæc ſane enunciatio æquivalet duabus, *Chriſtus non eſt Deus & homo*, &, *Chriſtum eſſe Deum & hominem docuit Neſtorius*. At quoniam prima Propoſitio eſt dogma fidei ſecundum impiam doctrinam Neſtorii, non debet utraque accipi ſolitarie, ſed conjunctim; atque hoc pacto accepta redolet dogma firmiſſime Apoſtolica auctoritate damnatum. Atque ex dictis reliqua omnia Janſenianorum objecta in nihilum recidunt.

CONCLUSIO.

Poſtrema hac diſſertatione univerſa Janſenianæ Hæreſeos machina evertitur. Prolatas a Janſenio quinque Propoſitiones, prædamnatas ab Auguſtino, digna Cenſura proſcriptas, ac ſuprema auctoritate anathematizatas, quantum patiebatur ingenium, otiumque noſtrum, demonſtrare curavimus. Neque eſt, cur moremur ſtudentium juvenum progreſſionem refellendo etiam defenſores *obſequioſi ſilentii*; eos ſcilicet, qui *Formulario* ſubſcribunt ſimulatione & hypocriſi, interiori animo a Janſenii ſenſu non alieni. Hi quippe errorem obtendunt ſola fallaci opinione, quod Eccleſia in quæſtione Facti Janſeniani dirimenda potuerit errare. Id verum non eſſe hactenus commonſtravimus. Sed, etiamſi hac in re Apoſtolica Sedes obnoxia eſſet errori, quod ab omnium mente avertat Spiritus veritatis, non eſt quomodo homines iſti excuſare ſe valeant. In *Formulario* exhibentur quinque propoſitiones, ut excerptæ ex libro, cui titulus *Auguſtinus*, & damnatæ in ſenſu ab Auctore intento, abſque ulla ambiguitate verborum, ita ut mendaciſſime profiteatur obedientiam Eccleſiæ quiſquis hoc idem jurejurando confirmare detrectat. Sed & ſeipſos obſtringunt graviſſimo perjurii crimine: quoniam Alexander VII. veram, ac totalem obedientiam ſe velle declaravit, nec aliquam in tam gravi negotio exceptionem ſeu reſtrictionem unquam admiſſurum: uti teſtatur in Bulla *Vinea Domini* data anno 1705. Clemens XI. Si autem hunc in exponenda Prædeceſſoris ſui mente, vel in damnanda hac nova jurandi methodo, ſimiliter erraſſe autumabunt: videant ſe Paſtori univerſalis Eccleſiæ hoc etiam denegare, quod definire valeat quale ſit licitum, & quale illicitum Juramentum. Si autem hoc non audeant aſſerere, abſtineant prorſus a Juramento, quod Pontifex perniciofum, & impium eſſe declarat. Nec Pontifex tantum, ſed & Theologi prorſus omnes; necnon a Secta Janſeniana quamplurimi, qui ceteris perjurii crimen objiciunt. Neſcio tamen, an iſtorum pervicacia illorum ſuperet impietatem. Meminerint ſcriptum in lege Domini, Exodi xxx. 7. *Nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra*: quod & Gentes tamquam Deorum Oraculum apud Herodotum ſervaverunt:

Α'λλ' ὅρκυ παῖς ἐςὶν ἀνώνυμος, ἐδ' ἔπι χεῖρες,
Οὐδὲ πόδες· κραιπνῶς δὲ μετέρχεται εἰσόκε πᾶσαν
Συμμάρψας ὀλέσῃ κοινὸν, καὶ οἶκον ἅπαντα.

Ideſt,

At Juramento quædam eſt ſine nomine proles,
Trunca manus, & trunca pedes; tamen impetu magno
Advenit, atque omnem vaſtat ſtirpemque, domumque.

Legant & Zachariæ Prophetiam cap. v. verſ. 3. & 4. Ego namque ut librum ad extrema perducam, & noviſſima conferam primis, hæc, aliaque ſcripta omnia Romanæ Eccleſiæ Paſtori & Capiti omnino ſubjiciens Pelagianam, Semipelagianam, Lutheranam, Calvinianam, & Janſenianam hæreſim, ceteraſque omnes damno atque anathematizo, non *obſequioſo* Janſeniſtarum ſilentio, ſed manifeſta confeſſione, ſincero corde, ac ſimpliciſſimo, apertiſſimo, puriſſimoque jurejurando.

DE HÆRESI JANSENIANA
THEOLOGICÆ DISSERTATIONIS
ACCESSIO.

AD priorem Janſenii propoſitionem diximus, numquam Dei præcepta eſſe juſtis *impoſſibilia*. Imo nec impiis, neque ulli mortalium, quamvis illi juſto Dei judicio gratia aliquando ſubtrahatur, *impoſſibilia* dici poterunt. Habet enim quilibet homo liberum arbitrium, licet per Adæ prævaricationem extenuatum infirmumque, non tamen extinctum: quod ad malum utique *ſeipſo ſufficit*, ad bonum vero, ſi *ab omnipotenti bono* adjuvetur. Et quoniam ſemper adjuvari poteſt, ſemper poteſt implere mandata, *potentia* illa, quæ ipſi indita eſt, & qua exſpoliari non poteſt; non autem *potentia*, quæ omni ad agendum neceſſaria virtute, Dei operantis & cooperantis auxilio, inſtructa ſit. Eſt enim apertiſſima S. P. Auguſtini doctrina, ſemper hominis in poteſtate eſſe *quod, ſi vult, facit*. Inquit enim S. Pater *de Grat. & lib. arb.* cap. 16. num. 32. *Certum eſt nos mandata ſervare, ſi volumus: Sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Et de Sp. & lit.* cap. 31. num. 53. quæſtionem inſtituens, an fides in noſtra ſit poteſtate, docet duo quædam eſſe *velle*, & *poſſe*; quippe ipſis evolutis vocabulis ſatis conſtat, *quod ab eo quod eſt velle, voluntas; ab eo autem quod eſt poſſe, poteſtas nomen accepit*. Deinde affirmat, illud quemque habere in ſua poteſtate, *Quod ſi vult, facit: ſi non vult, non facit*. Hinc infert Auguſtinus, fidem in poteſtate hominis eſſe, *Quoniam cum vult, quiſque credit: & cum credit, volens credit*. Quod de fide, idem de converſione impii, atque de ceteris Dei mandatis, eſt proculdubio affirmandum. Cum ergo impius converteretur ad Dominum ſi vellet, & præcepta Domini tranſgrediatur, quoniam vult; converſio illa, & iſta tranſgreſſio in ejus eſt poteſtate. Hæc autem poteſtas eſt inſita libero arbitrio, quod eodem libro cap. 33. nu. 58. dicitur *illa media vis, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt*. Atque hæc poteſtas a voluntate interdum ſejungitur; plura enim poſſumus, quæ tamen nolumus: ſed ut adſit voluntas mala, ſufficit ſibi ipſi liberi arbitrii poteſtas, quia *ad malum ſufficit*: ut vero habeatur voluntas bona, requiritur gratia, quoniam *præparatur voluntas a Domino*, atque liberum arbitrium *ad bonum parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono*, ut inquit idem Auguſtinus *de Corrept. & Grat.* cap. 11. num. 31. Quamvis ergo in impiis nulla ſit aliquando *voluntas bona* inſpirata a domino largitore gratiarum; eſt in eis tamen poteſtas ad ſe convertendum, ac pariter in infideli poteſtas credendi: quam poteſtatem inditam libero arbitrio Scholaſtici appellare conſueverunt *Potentiam remotam*. Ne quis audeat hanc doctrinam inſimulare hæreſis Janſenianæ, audiendus eſt Ven. Bellarminus lib. 6. *de Grat. & lib. arb.* cap. 15. quo in loco propoſita ſibi difficultate, an ſine adjutorio Gratiæ prævenientis peccator converti queat, ad hunc loquitur modum, *Reſpondeo converſionem ſemper eſſe in poteſtate liberi arbitrii, quoniam ſemper poteſt converti quando voluerit*. Quod vir ſapientiſſimus demonſtrat ex verbis Auguſtini, quæ ſupra produximus, ex libro *de Sp. & lit.* atque id verum eſſe docet, tametſi *ipſum velle credere aut converti non poteſt homo* (potentia nimirum *proxima*, expedita, completaque in ordine ad actum) *habere, niſi per gratiam prævenientem acceperit ut poſſit*. Sequitur autem Bellarminus: *Atque hoc eſt, quod ſupra diximus, habere hominem ad actus pietatis, ante omnem gratiam, liberum arbitrium, & potentiam remotam, ſed non proximam*. Poſſunt ergo converti ad Dominum, & præcepta ſervare etiam impii, quamvis deſtitusi aliquando, juſto Dei judicio, *gratia prævemente*: atque in dubium nequit revocari quod ait magnus Auguſtinus libro *de Grat. & lib. arb.* cap. 15. num. 31. *Semper eſt autem in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona*.

Si ergo nulla ratione affirmari poteſt, præcepta eſſe *impoſſibilia* iis, quibus gratia ſubtrahitur, propterea quod ſemper babent voluntatem liberam, & poteſtatem ad actus pietatis ante omnem gratiam: multo minus *impoſſibilia* dici poterunt aliquibus juſtis *volentibus & conantibus*, quum ipſis bona voluntas, quam habent, & conatus, niſuſque ejuſdem bonæ voluntatis, omni procul dubio inſpiretur a gratia; ideoque *juſtis volentibus & conantibus* neque deeſt potentia illa, quæ naturaliter indita eſt libero voluntatis arbitrio, neque potentia illa, quam confert ſupernaturale gratiæ adjutorium. Itaque ad juſtos quod attinet, quæſtio inſtitui poteſt, an illis ſubtrahatur gratia *habitualis*, ſive ſanctificans, an aliquando eis deſit quoque gratia *actualis*.

Si de gratia ſanctificante, atque *habituali* inſtituatur oratio; certiſſime tenendum eſt ea nunquam juſtos exſpoliari, niſi antea libero voluntatis arbitrio Deum deſerant, & de ſe præſumentes, neque ſeſe ad gratiam convertentes adjuvantem & operantem, motibus concupiſcentiæ, mundique illecebris obſequantur. Sane de ipſa gratia *habituali* Theologi quidam præſtantiſſimi explicarunt verba Concilii Tridentini ſeſ. 5. cap. 11. *Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur*. Quæ verba deſumpta ſunt ex libro Auguſtini *de Nat. & Grat.* cap. 26. num. 29. Clariſſimus enim Eſtius in 2. diſt. 26. ſect. 43. ad 5. ait: *Nec tamen, ſi juſtus derelinquatur a Deo, ut fit in omnibus qui non perſeverant, ideo falſum erit quod dicunt Patres Concilii, Deum ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerere, niſi ab eis prius deſeratur. Hoc enim dictum eſt de gratia juſtificante, ut ex ipſis verbis patet; atque hunc ſenſum habet: Nunquam Deus aufert gratiam ſanctificantem ab homine, neque amicitiæ renunciat, niſi propter peccatum ejus mortale; nam peccatum mortale eſt, quod gratiam expellit, & amicitiam diſſolvit*. Tradit eamdem explicationem etiam Franciſcus Sylvius, ſcribens 1. p. quæſt. 23. art. 5. *Ejuſmodi ſententias intelligendas eſſe de gratia habituali, qua juſtificamur, ut ſenſus ſit, Deum nunquam ſubtrahere gratiam juſtificantem ab homine, niſi propter peccatum, quo ipſe deſerit Deum; ita ſcilicet, ut quamvis ſint ſimul tempore peccatum mortale & amiſſio gratiæ, peccatum tamen ſit cauſſa meritoria illius amiſſionis: unde Concilium Tridentinum expreſſe loquitur de juſtificatis*. Alvarez item Thomiſta doctiſſimus lib. 11. *de Auxiliis* diſput. 110. num. 19. inquit: *Reſpondetur ſenſum legitimum Concilii Tridentini eſſe quod Deus non privat gratia habituali ſemel juſtificatos, niſi illi prius natura peccatum mortale committant, per quod deſerunt Deum, & merentur gratia juſtificante privari*. Invenies eamdem applicationem apud Medinam, Ledeſma, Nazarium, Salmanticenſes, alioſque plures doctiſſimos, clariſſimoſque Theologos.

Neque a vero aberrare crediderim Guillelmum Eſtium aſſerentem citato in loco ſuam de Gratia *habituali* explicationem *ex ipſius* Concilii Tridentini *verbis* manifeſtam eſſe & perſpicuam. Immediate enim producta verba, *Deus namque ſua gratia*, &c. hæc præcedunt: *Ut juſti ipſi eo magis ſe obligatos ad ambulandum in via juſtitiæ ſentire debeant, quo liberati jam a peccato, ſervi autem facti Deo, ſobrie, juſte, & pie viventes proficere poſſint per Chriſtum Jeſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam*. At hæc gratia, qua juſti liberati ſunt a peccato, & ſervi facti ſunt Deo, eſt gratia ſanctificans, & *habitualis*, nemine prorſus diſſentiente. Syntaxis etiam proxime ſequentium verborum; *Deus namque gratia ſua ſemel juſtificatos non deſerit*; haud obſcure Eſtii, aliorumque ſententiam confirmat, quippe ea verba, *Gratia ſua*, non cum verbo *deſerit*, ſed cum participio *juſtificatos* conjuncta ſunt. Sequuntur vero hæc alia, utique de ſola gratia adoptionis, & juſtificationis accipienda, & præcedentium conſecutio & illatio: *Itaque nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſola ſe hæredem eſſe conſtitutum, &c.* Non male igitur Eſtius ex ipſis Concilii verbis inferebat, explicandum illud eſſe de gratia ſanctificante. Profecto de eadem gratia loquitur S. P. Auguſtinus lib. *de nat. & grat.* cap. 26. ex quo & ſenſum & verba Patres Tridentini hauſerunt. Auguſtini quippe verba ſunt iſta: *Ipſe autem Deus cum per mediatorem Dei & hominum hominem Jeſum Chriſtum, ſpiritualiter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, ideſt, juſtificat impium, & cum ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut pie ſemper juſteque vivatur*. De gratia itaque, per quam homo juſtificatur, ita ſentimus, ut de fide tenendum eſſe credamus illam non amitti, niſi per peccatum mortale, quo homo recedit a Deo, ejuſque amicitiæ renunciat.

Arbitrantur nonnulli, nec injuria, non poſſe defenſores ſcientiæ *Mediæ* interpretari Concilii Tridentini verba, de quibus dictum eſt modo, niſi de Gratia *habi-*

„ *tuali* atque juſtificante. Ad hunc etenim modum quidam ratiocinantur: Gratia actualis, quæ ab habituali diſtinguitur, alia eſt congrua, quæ effectu non caret, & alia eſt ſufficiens quæ nunquam ſubtrahitur mortalibus. Efficacem ſenſu Auguſtiniano ac Thomiſtico non admittunt Mediſtæ, Cujus ergo gratiæ denegatione deſerit Deus juſtos, qui peccando ipſum deſeruerunt? Gratiæ ne ſufficientis? Minime, quoniam in Mediſtarum ſententia nulli mortalium gratia iſta ſubtrahitur. Gratiæ ne congruæ? Nequaquam, ſiquidem hæc gratia congrua non adeſt ſemper juſtis, qui Deum deſerunt. Deſerit ergo Deus ſemel gratia ſua juſtificatos, ſi deſeratur ab ipſis, non ſubtrahendo eis gratiam *congruam* quam non habebant dum peccarunt; non gratiam *ſufficientem*, qua nunquam privantur: deſerit ergo ſubtractione gratiæ *habitualis*, non ſubtractione gratiæ actualis. Qua argumentatione, cujuſcunque generis ſit, nullatenus percelluntur, qui gratiam *per ſe efficacem* propugnant, & *ſufficientem* non ſemper ſingulis adeſſe contendunt. Sed inquirendum jam eſt, quænam gratia aliquando ſubtrahatur juſtis, qui recedunt a Deo, & ad bonum commutabile noxia deliberatione convertuntur.

„ Statuendum eſt primo, Juſtis aliquando deeſſe gratiam efficacem, qua minima quædam peccata vitent, quæ tamen peccata patrando non deſinunt eſſe Juſti. Id Sacroſancta Tridentina Synodus definit præcit. ſeſſ. 6. de Juſtific. cap. 11. his verbis: *Licet enim in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti: nam juſtorum illa vox eſt, humilis, & verax, Dimitte nobis debita noſtra, &c.* Eadem eſt ſententia S. P. Auguſtini, auctoritate S. Cypriani, & teſtimonio divinarum Scripturarum luculenter comprobata libro 4. *contra duas Epiſt. Pelag.* cap. 10. num. 27. repetita in lib. *de Dono Perſev.* cap. 5. num. 8. explicata exemplo Abelis in lib. *de Nat. & grat.* cap. 38. num. 45. relata in Canones C. *de quotidianis*, de Pœnit. diſt. 3. atque experimento, omniumque conſenſu firmata.

„ Aſſerendum eſt 2. Juſtis aliquando ſubtrahi gratiam *efficacem* ad perſeverandum, quæ nempe cum perſeverantia conjungitur. Primum fulcitur hæc aſſertio definitionibus Tridentini Concilii prælaudata ſeſs. 6. canone 22. & 23. quibus ſtatuitur Juſtum in accepta juſtitia *ſine ſpeciali auxilio Dei* perſeverare non poſſe, poſſe autem peccare, & gratiam amittere, neque affirmari poſſe nunquam fuiſſe juſtificatum *Eum qui labitur & peccat*. Cum gratia autem per ſe efficaci, quæ dat *poſſe & velle*, atque operatur *velle & perficere pro bona voluntate*, non componitur lapſus ab accepta juſtitia, ſive peccatum. Probatur deinde ex Auguſtino, qui lib. 2. *De Peccat. meritis, & remiſſ.* cap. 19. num. 32. ait: *Nos quantum conceſſum eſt ſapiamus, & intelligamus, ſi poſſumus, Dominum Deum bonum ideo etiam Sanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant non a ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & ſuavitatem, qua det fructum ſuum terra eorum.*

„ Tertio aſſerendum eſt Juſtis *volentibus* ſervare divina præcepta adeſſe gratiam orationis, per quam impetrare poſſunt voluntatem robuſtam, quæ ad obſervantiam præceptorum plane ſufficiat, atque efficax ſit: ad actu orandum, non qualemcumque voluntatem, ſed adjutam gratia per ſemetipſam *efficaci* eſſe neceſſariam; ſi juſtus eadem gratia privatur, id ſubrepenti illius ſuperbiæ tribuendum erit. Hujus aſſertionis pars prior innititur capiti undecimo ſuperius citato Tridentini Concilii hæc definienti: *Nemo temeraria illa, & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Hæc verba deprompta fuerunt ex Auguſtino libro de Nat. & Grat. cap. 43. num. 50. De Gratia itidem & libero arb. cap. 15. num. 31. ait S. Pater: *Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt*, Si volueris conſervabis mandata, *ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plene velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur.* Vide & proximum caput ejuſdem libri 17. num. 33. unde verba, quæ iterum producere neceſſum non eſt, exſcripſimus ſuperiori libro XIV. cap. 8. prop. 3. Lege etiam SS. Fulgentii & Proſperi teſtimonia apud illuſtrem Noriſium in Vindiciis cap. 3. §. 6. pag. 1007. tom. 1. & ad Germanitatem 14. pag. 1467. necnon in Janſeniani erroris calumnia ſublata cap. 2. & 3. nimirum pag. 1066. & ſeqq. tertii Voluminis edit. Veronenſis. In quibus locis Noriſius docet homines cum illa ſola gratia, qua volunt ſervare mandata, *poſſe orare Deum pro impetrando auxilio proxime ſufficienti ad perficiendum opus imperatum.*

„ Affirmandum ulterius eſt, Juſtis *ad actu* orandum neceſſariam eſſe gratiam, non qualemcumque, ſed ſuapte natura efficacem. Ratio eſt, quoniam *ipſa oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio*, ut ajunt Africani Patres in epiſtola ad Innocentium, quæ eſt inter Auguſtinianas 95. Oramus autem, non ſolum ut nobis ſpiritum agendi, ſpiritum fidei, ſpiritum cujuſque virtutis, verum etiam *Spiritum orationis* nobis Dominus largiatur. Ita docet S. P. Aug. Epiſtola 194. num. 18. Inſuper arbitramur nos, gratiam natura ſua efficacem iis teſtimoniis plurimis ſcripturarum & Patrum, maxime Auguſtini, Proſperi, & Fulgentii, evidentiſſime comprobari, quibus aſſeritur Deum *facere ut faciamus*, & non tantum in nobis operari *bonum poſſe*, ſed etiam *bonum velle*. At eadem phraſi, eadem prorſus ratione divina ſcriptura, & prælaudati Patres loquuntur, dum ſermonem inſtituunt de oratione, prout oſtendimus infra lib. 18. cap. 8. prop. 5. Præterea ſi gratia *efficax* neceſſaria eſt ad ſingulos actus, neceſſaria quoque eſſe debet ad actum orationis; alioqui, ut alibi dicemus, corruit univerſum efficacis Gratiæ Syſtema, cum apud Thomiſtas affirmantes fieri non poſſe ut cauſſa ſecunda prodeat in actum, niſi efficienter præmoveatur a Cauſſa prima; tum apud Auguſtinenſes illos, qui eamdem phyſicam & efficacem præmotionem ſaltem exigunt in hoc ſtatu, in quo caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & in quo virtus in infirmitate perficitur. Attendat prudens lector, quomodo loquatur S. Pater libro *de Dono Perſev.* cap. 23. num. 64. poſteaquam docuerat neminem orationibus ſuis a Domino petere quod a ſe ipſo ſe ſumere exiſtimet, non ab illo: *Præſertim* (ita Auguſtinus) *quoniam* „ *quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Spiritus, ait Apoſtolus, interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui enim ſcrutatur corda, ſcit quid ſapiat Spiritus, quia ſecundum Deum interpellat pro Sanctis* „ *Quid eſt* „ *ipſe Spiritus interpellat* „ *niſi interpellare facit, gemitibus inenarrabilibus, ſed veracibus, quoniam* „ *veritas eſt Spiritus? „ Ipſe eſt enim de quo alio loco dicit:* „ *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda noſtra clamantem, Abba, pater.* „ *Et hic quid eſt*, clamantem, *niſi clamare facientem, tropo illo quo dicimus lætum diem, qui lætos facit? Quod alibi manifeſtat, ubi dicit,* „ *Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.* „ *Ibi dixit* clamantem; *hic vero*, in quo clamamus: *aperiens videlicet quomodo dixerit*, clamantem, *ideſt, ſicut jam expoſui, clamare facientem. Ubi intelligimus, & hoc ipſum eſſe donum Dei ut veraci corde & ſpiritaliter clamamus ad Deum. Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant eſſe a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus: & hoc eſſe dicunt, quod gratia præceditur merito noſtro, ut ſequatur illa cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulſantibus; nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris eſſe, ut oremus, hoc eſt, petamus, quæramus, atque pulſemus. Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater: Quod vidit & beatus Ambroſius. Ait enim* „ *Et orare Deum gratia ſpiritalis eſt: ſicut ſcriptum eſt, Nemo dicit, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto.* Hactenus Auguſtinus, eodem modo gratiam quæ *det velle*, quæ *facit ut faciamus*, requirens ad agendum & ad orandum, nullo alio appoſito diſcrimine, niſi quod gratia plena *ſufficiens* ad orationem non ſit proxime pleneque *ſufficiens* ad implenda mandata; per illam tamen hæc impetretur, ſi humiliter ſuppliciterque petatur.

„ Affirmandum eſt inſuper, Juſtos aliquando, licet gratia *habituali* exornatos, & ſimul ſubfultos adjutorio *proxime ſufficienti* ad orandum, actu non orare, imo obicem ponere potentiæ proximæ ad ponendum actum orationis, propterea quod *putant ſe arbitrii ſui viribus implere legem jubentem, & iſta implicati ſuperbia ad gratiam non convertuntur juvantem.* Quæ ſunt verba S. P. Auguſtini *lib. 3. ad Bonifacium* cap. 7. num. 20. Profert hæc aliaque plura Cardinalis Noriſius in Calumnia ſublata cap. 3. §. 2., ideſt, tomo 3. pag. edit. Veron. 1087. & ſeqq. ubi demonſtrat exemplo Petri *hominem ex ſuppoſitione judicii practice erronei obicem ponere potentiæ proximæ ad orandum.* Id vero cum nos prolixe explicaverimus hoc eodem libro 17. cap. 3. prop. 1. in Reſponſione ad Janſeniſtarum objecta, & rurſus libro 18. cap. 8. prop. 5. ipſis Noriſii verbis uſurpatis, Sanctorumque Patrum ſententiis, quas ille profert, exſcriptis; jure unuſquiſque mirabitur, fuiſſe viros alioqui doctos, qui ſcripſerint Noriſium agnoviſſe in juſtis *gratiam proximæ ſufficientem ad orandum*, hanc vero a me denegari, ideoque illum ab hæreſi Janſenii eſſe immunem, me autem in eamdem hæreſim impegiſſe. Quam atrox & iniqua ſit hæc calumnia perſpicue agnoſcet quiſquis & Cardinalis præſtantiſſimi, & libros noſtros in his quæ nuper laudavimus locis perlegere, ſimulque conferre minime dedignabitur. Ut ad juſtos mea revertatur oratio; Auguſtinus in lib. *de nat. & gratia* poſteaquam ſcripſerat Deum ſpiritualiter ſanare ægrum, & vivificare mortuum, ideſt, juſtificare im-

„ pium,

„ pium, eumque ſanare, non ſolum ut deleat quod peccavit, ſed ut præſtet etiam ne peccet, (quod utique tam *habitualis*, quam *actualis* gratiæ præclarum eſt argumentum) cap. 27. num. 31. ad hunc loquitur modum: *Sed Deus, inquiunt, poteſt omnia ſanare. Hoc utique agit, ut ſanet omnia: ſed agit judicio ſuo, nec ordinem ſanandi accipit ab ægroto. Proculdubio quippe firmiſſimum Apoſtolum volebat efficere, cui tamen dixit, virtus in infirmitate perficitur: & non ei totiens oranti aufert naſcio quem ſtimulum carnis, quem ſibi dicit datum, ne magnitudine revelationum extolleretur. Cetera enim vitia tantum in malefactis valent, ſola autem ſuperbia etiam in recte factis cavenda eſt. Unde admonentur illi, ne dona Dei ſuæ poteſtati tribuendo, ſeſeque extollendo gravius pereant, quam ſi nil operarentur boni, quibus dicitur* „ *Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini: Deus enim eſt qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate* „. *Quare ergo cum timore & tremore & non potius cum ſecuritate, ſi Deus operatur, niſi quia propere voluntatem noſtram, ſine qua bene non poſſumus operari, cito poteſt ſubrepere animo humano, ut quod bene operatur ſuum tantummodo exiſtimet, & dicat in abundantia ſua, Non movebor in æternum? Ideo qui in voluntata ſua præſtiterat decori ejus virtutem, avertit paululum faciem ſuam, ut qui hoc dixerat fieret conturbatus: quoniam ipſis eſt ille tumor ſanandus doloribus. Non itaque dicitur homini, Neceſſe eſt peccare, ne pecces: ſed dicitur homini, Deſerit aliquantum Deus unde ſuperbis, ut ſcias non tuum, ſed ejus eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe.* Hinc habes, juxta Auguſtinum Deum juſtificando impium, conferre illi etiam gratiam ad non peccandum, illum tamen aliquando deſerere, dum ſubrepente ſuperbia non convertitur ad implorandam gratiam juvantem: atque id eſt, quod nos diximus cum Noriſio, *obicem ponere potentiæ proximæ ad orandum*.

„ Poſtremo aſſerendum eſt, nullam a nobis cauſam proferri poſſe, *præter voluntatem divinam*, cur Deus aliquibus juſtis conferat gratiam illam robuſtam atque effectricem, quæ ſuperat ſubrepentem ſuperbiam, & concupiſcentiam carnis vincit concupiſcentia ſpiritus; quam utique gratiam occulto, ſed juſto judicio ſubtrahit quibuſdam aliis juſtis, qui tentationibus propria voluntate ſuccumbunt, neque perſeverant in accepta juſtitia. Hæc eſt apertiſſima S. Patris Auguſtini doctrina. Is enim ſcribit in libro *de Dono Perſev.* cap. 7. num. 13. *Poſt caſum hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad Deum; neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.* Sequenti num. 14. *Ac per hoc ſicut operatur ut accedamus, ſic operatur ne diſcedamus*: & paulo infra, *Manus igitur Dei eſt iſta, non noſtra, ut non diſcedamus a Deo.* Legendum eſt proximum cap. 8. num. 16. 17. & 18. ubi ad inſcrutabilia, juſtiſſima tamen judicia Dei refert, cur Deus non omnibus gratiam largiatur: cur in una eamdemque cauſa parvulorum, etiam geminorum, diverſum inveniatur judicium: cur quibuſdam, qui eum coluerunt bona fide, non donetur perſeverantia? repetens (dignam Auguſtino ſententiam!) *Qui liberatur, habet unde gratias agat: qui damnatur, non habet quid reprehendat.* Concludit num. 19. *Voluntate ſua cadit, qui cadit, & voluntate Dei ſtat, qui ſtat.* „ *Potens eſt enim Deus ſtatuere illum* „: *non ego ſe ipſe, ſed Deus. Quod omnis qui humiliter, & veraciter pius eſt, eſſe veriſſimum ſentit.* Non repetam quæ ſcripſi lib. 18. cap. 7. pertractans de Dono perſeverantiæ. Addam dumtaxat verba S. Proſperi ad objectionem 14. Vincentii: *Ad prævaricationem legis, ad neglectum religionis, ad deſertionem fidei, ad corruptelam diſciplinæ, ad perpetrationem qualiſcunque peccati; nulla omnino eſt prædeſtinatio Dei: nec fieri poteſt, ut pre quem a talibus malis ſurgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo ſanctitate vivitur, ſi in virtute proficitur, ſi in bonis ſtudiis permanetur, manifeſtum munus eſt Dei, ſine quo nullius boni opreis fructus acquiritur: ſi autem ab iis receditur, & ad vitia & peccata tranſitur; nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & receſſurum non deſerit antequam deſerat, & facit plerumque ne deſerat, aut etiam, ſi diſceſſit, ut redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum veſtigare; cum ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe quod ſtatur, & non ab illo eſſe quod ruitur.*

„ Ex iis, quæ diximus, compertum eſſe puto, Auguſtini ejuſque diſcipulorum exploratiſſimam ſententiam eſſe, omnia Dei præcepta cunctis ea ſervare volentibus *eſſe poſſibilia*: juſtis, qui volunt & conantur, *ſufficientem gratiam* adeſſe, eorum voluntatem, etſi aliquando parvam, habere *potentiam proximam ad orandum*: huic potentiæ proximæ obicem interdum poni, quando nempe homo ſibi fidens, ac de propria virtute ſuperbiens putat ſe ipſum poſſe permanere in accepta juſtitia, & peccata vitare: ad vincendam hanc ſubrepentem ſuperbiam neceſſum eſſe ut Deus gratia per ſe efficaci operetur in homine *velle & perficere*: cur hanc gratiam alicui juſto interdum deneget, ita ut unus voluntate Dei ſtet, alter voluntate propria cadat, non eſſe temere veſtigandum. Si cum S. Thomæ & Ægidii diſcipulis velis aſſerere, juſtis ſemper adeſſe *gratiam ſufficientem & potentiam proxime expeditam, & in linea*, ut inquiunt, *potentiæ completam*: quoniam hi ad executionem actus *efficacem gratiam* requirunt, ab illorum ſententia nullatenus eſt recedendum, miſſa ea quæſtione Grammaticali, quam parvi momenti eſſe puto. An potentia illa, quæ ad actum ponendum indiget præmotione efficientis gratiæ, poſſit vere proprieque appellari *proxima, expedita & completa*: de qua tamen quæſtione plura dixi §. *De quæſtione Grammaticali* ſuperiori cap. 3. prop. 2. plura etiam in *Vindiciis Auguſtiniani Syſtematis* diſſert. 4. cap. 1. §. 5. nonnulla etiam addam paullo infra, ad retundendas adverſariorum noſtrorum calumnias. Si vero cum Moliniſtis ſentias, talem juſtis, ceteriſque hominibus ſemper adeſſe *potentiam*, quæ ut prodeat in actum non indigeat *efficientis gratiæ* adjutorio; ultro fateor me ab hac ſententia recedere. Sed de priori damnata Janſenii propoſitione dictum eſt ſatis.

„ Quantum attinet ad ſecundam Janſenii propoſitionem; de fide tenendum eſt dari internas illuſtrationes, pioſque voluntatis affectus divina gratia excitatos, quibus liberum hominis arbitrium reſiſtit; ideoque propoſitionem illam jure meritoque fuiſſe confixam. Id conſtat momentis ſuperiori cap. 3. prop. 2. productis, & quotidiano confirmatur experimento. Quoties enim vocamur a Domino, non exteriori dumtaxat voce, minitante lege, promiſſione bonorum, exhortationibus, exemplisque, multiplici nempe genere gratiarum illarum, quas neque hæreſis denegat Pelagianorum, verum etiam irradiante intrinſecus mentis noſtræ tenebras immiſſo cælitus lumine, & cordis noſtri duritiam ſuavitate ſpiritus commovente; nec tamen prava ſemper obtemperat voluntas, nec ſemper ad lucis divinæ radios gelu animorum noſtrorum diſſolvitur? Cum id certiſſimum ſit, quæſtio oritur, an ad vitandam ſecundæ Janſenianæ propoſitionis cenſuram neceſſum ſit adfirmare, gratiam illam, cui in ſtatu naturæ lapſæ reluctatur liberum humanæ voluntatis arbitrium, eſſe revera *ſufficientem*, ac talem abſque ulla ambiguitate eſſe a Theologis confitendam.

„ Sunt qui id negant, propterea quod nomen Gratiæ *ſufficientis*, ſi vocis attendamus etymologiam, ſignificat *id quod ſatis eſt ad agendum*: ad agendum vero requiritur auxilium efficax; ideoque iſtud tantummodo vere proprieque videtur eſſe *ſufficiens*. Deinde, ut ajebat Opuſc. 3. cap. 101. Cardinalis de Lauræa, diſcrimen inter gratiam *ſufficientem & efficacem* antiquis Theologis fuit prorſus inauditum, atque in uſum receptum eſt contra vim nativæ ſignificationis, quæ ineſt huic vocabulo, *ſufficiens*. Tertio nunquam Eccleſia definitione aliqua conſtituit, ut gratiam illam, quæ ab efficaci ſecernitur; vere ad agendum *ſufficientem* eſſe dicamus; neque mihi videtur veriſimile, velle Eccleſiam ipſam Magiſtram veritatis, exigere Confeſſionem fidei ad placita recentiorum inter ſe repugnantium Theologorum dogmata ad eamdem fidem ſpectantia exponi, & propugnari oportere vocabulis ambiguis, in varium ſenſum detortis, atque a pluribus contra obviam, grammaticalem, propriamque ſignificationem adhibitis. Doctores graviſſimos id ſentientes laudavi citato in loco §. *De quæſtione Grammaticali*. Teſtimonia vero Theologorum docentium auxilium illud, quod ab efficaci diſtinguitur, non eſſe vere proprieque *ſufficiens*, neque conferre potentiam *proxime expeditam completamque* ad agendum, in medium protuli in *Vindiciis* diſſert. 4. cap. 1. §. 2. neque verboſus ero ſemel, iterumque eadem repetendo.

„ Quoniam autem, quidquid ſit de ſenſu *Grammaticali*, auxilium *ſufficiens* Theologico ſenſu a nobis nequaquam reſpuitur; ſedulo Theologicus iſte ſenſus eſt expendendus. Nam aliter auxilium ab efficaci, quod cum actu conjungitur, diſtinctum appellatur *ſufficiens* a Thomiſtis, aliter vero a defenſoribus ſcientiæ Mediæ. Explicabo Thomiſtarum ſententiam verbis inſignis Theologi Thomæ de Lemos, qui pro Gratia ſeſe efficaci in congregationibus de Auxiliis ſtrenue naviterque pugnavit. Is ergo *in Panoplia Gratiæ* lib. 4. p. 2. tract. 3. cap. 2. primum ait: „ Aliquos ex diſcipulis Sancti Thomæ in iſta materia ſatis peritos (inter diſcipulos illos connumeramus Franciſcum Sylvium Theologum percelebrem Univerſitatis Duacenſis, Franciſcum Zumel Ordinis S. Mariæ de Mercede Theologum præſtantiſſimum in Salmanticenſi Academia, ceteroſque, de quibus agimus prælaudato cap. 1. Vindiciarum) arbitrari minus congrue auxilium illud, quod dividitur contra efficax, vocari ſufficiens, cum potiſſime S. Thomas auxilium ſufficiens accipiat pro efficaci. „ Addit Lemos: „ At poſtquam tot antiquiores Scholaſtici, inter quos Cajetanus, Ferrarienſis, & complures alii, illa voce, *Auxilium ſufficiens*, uti cœperunt, loquendum eſſe cum pluribus, & ita illam vocem explicandam, fundandam & defendendam, ut rem congruenter ſignificatam importet „. Monet deinde Lemos „ in hac parte attendendum non

eſſe

eſſe ad puram *Grammaticalem* vocabuli ſignificationem, ſed ad Theologorum & Catholicorum uſum. Purus enim Grammaticus illud dicit ſufficiens, ultra quod aliud non requiritur. Ex his doctiſſimi Thomiſtæ verbis aperte colligitur, Sancti Thomæ diſcipulos auxilium, quod ab efficaci ſecernitur, appellare *ſufficiens*, non ſenſu *Grammaticali*, ſed ſenſu *Theologico*, propterea quod acerrime pugnant pro neceſſitate gratiæ ſemetipſa efficaci, qua præmovente ac prædeterminante liberum arbitrium actu operatur, actu Deo vocanti ac trahenti aſſentitur.

„ Si modo petas, qua ratione Auxilium *ſufficiens* dicatur tale, ſi ad ponendum actum auxilium *efficax* requiratur; communior Thomiſtarum reſponſio erit, appellari congrue ac recte *ſufficiens*, ſpectato ſenſu *Theologico*, non autem ſenſu *Grammaticali*. Quorum Thomiſtarum ratio eſt, quoniam auxilium ſufficiens a Theologis definitur, *Illud ſine quo non poteſt homo bene operari, & cum quo bene operari poteſt*; hujuſmodi autem Auxilium ii habent, qui deſtituti gratia efficaci non operantur bene reipſa. Quod autem bene non operentur reipſa, non eſt ex defectu divini auxilii in ſe ipſo ſufficientis, ſed ex defectu liberi arbitrii ponentis reſiſtentia ſua obicem atque impedimentum. Eſt enim conſtans S. P. Auguſtini, Sanctorumque Proſperi, Hilarii, Fulgentii aliorumque contra hæreſim Pelagianam pugnantium, necnon doctoris Angelici doctrina, adſcribendum eſſe hominum voluntati, non Gratiæ divinæ defectui, ſi homo ſuffultus adjutorio *ſine quo non*, vel non convertatur ad Dominum, vel non permaneat in accepta juſtitia, quemadmodum de primo parente ſcribit Auguſtinus *de Corrept. & Grat.* cap. 11. *Ut nollet, de libero deſcendit arbitrio.* Exemplis hanc Thomiſtarum ſententiam explicavi ſuperius cap. 3. prop. 2. §. *Alia ex parte.*

„ Dixi *communiorem* hanc eſſe Thomiſtarum ſententiam, non dixi ſententiam eſſe Thomiſtarum omnium. Memini quippe me legiſſe apud Joannem Gonzales Controv. 5. art. 6. *Archiepiſcopus Tranenſis, Magiſter Herrera, & alii aſſerunt auxilium, quod contra efficax dividitur, in re non eſſe ſufficiens, ideſt, non reddere potentiam complete actuatam in ratione principii, ſed indigere auxilio efficaci: quod in illorum ſententia duo facit, & complet potentiam, & illam applicat ad operandum infallibiliter.* Revera id affirmat Alvarez diſput. 79. de Auxiliis, Herrera Controver. 4. Ledeſma Tract. de Auxiliis q. unica art. 3. & 11. &c.

„ Manifeſtum ex his fieri arbitror, iniquiſſimam eſſe illorum inſimulationem, qui nos in 2. Janſenianam poſitionem impegiſſe ſcriptitarunt, propterea quod de Gratia *ſufficiente* diſſerendo ſenſum Grammaticalem a Theologico diſtinguendum eſſe aſſeruimus; diximus malle nos ad omnem ambiguitatem tollendam, præſertim dum res agitur cum Moliniſtis, Gratiam ab Efficaci diſtinctam appellare *ineſſicacem*, quam *ſufficientem*, in ſenſu Thomiſtico id a nobis probari quammaxime, Thomiſtas tamen in ea quæſtione, an per auxilium ſufficiens potentia completa ſit & proxime expedita, ſive, ut inquiunt, *actuata*, minime inter ſe convenire; ſpectato denique ſenſu *Grammaticali* & obvio, quod ſufficiens ſit illud, præter quod nihil aliud requiritur ad agendum, ſufficientem revera futuram fore illam gratiam, quam diſcipuli Ludovici Molinæ *ſufficientem* eſſe definiunt; at Gratiam ſufficientem in iſtorum ſenſu in hoc ſtatu naturæ lapſæ non dari. Quæ omnia cum ſint aſſerta doctiſſimorum Theologorum, ac Thomiſtarum præſertim; duo neceſſaria conſecutione inferuntur, ſcilicet, Inſimulatores noſtros nunquam ſcholæ Thomiſticæ adiiſſe præclaros vulgatoſque Doctores, & nullam aliam *ſufficientis* auxilii habuiſſe notionem, quam traditam a Moliniſtis, ad quos nunquam futurum fore ſperamus, ut noſtrates iſtiuſmodi calumniis laceſſiti, deſertis Majorum Caſtris, accedant.

„ Gratia itaque *ſufficiens* dicitur a Moliniſtis *quæ includit omnia auxilia neceſſaria ſimpliciter, quæ per modum principii concurrunt ad ſupernaturalem actum*. Tradit hanc definitionem Suareſius lib. 3. *de Auxiliis* cap. 6. num. 4. Fatemur recte definiri hoc modo auxilium ſufficiens, ſi hujus vocabuli, *ſufficiens*, ſenſus attendatur grammaticalis: ſed negamus dari in hoc ſtatu Gratiam hoc ſenſu *ſufficientem* diſtinctam ab Efficaci; quoniam *ad ſupernaturalem actum* ipſa Efficax Gratia requiritur; ideoque gratia ſejuncta ab efficaci minime comprehendit *quidquid per modum principii ad ſupernaturalem actum concurrit*.

„ Quod hac in re ingerit haud levem difficultatem, eſt, quomodo dici queat hominem præditum gratia ſufficienti, & exſpoliatum gratia efficaci, ſive habentem ſolummodo auxilium *ſufficiens*, ut explicatur a Thomiſtis, habere potentiam completam proximamque bene ac ſupernaturaliter agendi, ſi ad agendum neceſſaria ſit gratia efficax, qua caret. At reponunt Thomiſtæ per Gratiam ſufficientem conferri libero arbitrio omnem virtutem, quæ requiritur *ex parte actus primi*, & per gratiam efficacem dari applicationem & complementum ſe tenens *ex parte actus ſecundi*: per auxilium ſufficiens dari *potentiam expeditamque* facultatem bene operandi, & opus bonum perficiendi, ſi velit: per auxilium efficax operari a Deo in nobis ipſum velle ac perficere: in omni re, in omni natura, Angelica quoque ac divina, potentiam ab operatione diſtingui, nec ſemper unam conſequi ad alteram: tradente Angelico doctore duplex eſſe divinum gratiæ auxilium, unum *quo datur facultas exequendi*, alterum *quo ipſa operatio perficitur*. Verbo dicam, per Gratiam *ſufficientem* redditur homo idoneus & potens ad agendum; *per efficacem* applicatur ad actum. Vide S. Thomam in caput 3. Epiſtolæ ad Epheſios, Thomam de Lemos Tract. 3. de divinis Prædefinit. cap. 16. Joannem Baptiſtam Gonet in Manuali Tract. 7. de Grat. cap. 15. Antoninum Maſſoulié Tom. 2. diſſert. 3. quæſt. 1. art. 1.

„ Nequaquam ex his conſequitur, Gratiam *ſufficientem* abſque efficaci eſſe inutilem, eo quod hæc gratia efficax ex Dei beneplacito confertur, nec præcedentibus hominis conatibus, meritiſque rependitur. Nam quod careat homo gratia per ſe efficaci (imo ſententia noſtra etiam ſufficienti) in cauſa eſt impedimentum, quod objicit ipſamet humana voluntas. Ut enim ſcribit Angelicus Doctor 1. 2. q. 112. act. 3. ad 2. *Defectus gratiæ prima cauſſa eſt ex nobis: ſed collationis gratiæ prima cauſſa eſt a Deo, ſecundum illud Oſeæ 13. Perditio tua ex te, Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum.* Idem S. Doctor q. 3. de Malo ait: *Ex indiſpoſitione hominis provenit, ut motio primi moventis non ſit perfecta, ita ut perfectam operationem producat: quæ indiſpoſitio vel eſt præcedens peccatum, vel eſt error, ignorantia, vel ſaltem inadvertentia; propter quorum aliquod motio Dei moventis ſufficienter ad bonum non ſit ita efficax, ut perfectam in homine operationem producat. Quæ omnia relata ex culpa hominis ſunt.* Uberiori doctrina, & ſtylo fuſiori hoc idem docet S. Thomas in libro 3. contra Gentes cap. 159. ubi ita loquitur: *Licet aliquid per modum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſeipſum impedire ne eam recipiat. Dicitur enim de quibuſdam* (Job. 21.) *Dixerunt Deo, Recede a nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Et* (Job. 24.) *Ipſi fuerunt rebelles lumini. Et cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim, quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Timoth. 2. Sed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant; ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur; licet videre non poſſit, niſi lumine ſolis ſit præventus.* Cohæret hæc S. Thomæ doctrina Auguſtino, qui animadvertens gratiam non reddi meritis, & eſſe liberrimum Dei beneficium, docet eſſe penes Dei beneplacitum, juſtitiam, & excellentiſſimam poteſtatem, dare hominibus vel denegare gratiam parvam & magnam, *ſufficientem*, atque victricem; ſed vel unam, vel alteram negandi cauſſam eſſe ex hominum demeritis repetendam, adeo, ut in diſtributione gratiarum miſericordiam & amplitudinem beneficiorum Dei, in ſubtractione autem agnoſcamus pœnam peccati, rectiſſimumque judicium. Teſtimonia autem Auguſtini id tradentis proferam lib. 18. cap. 8. ubi pertractabo de auxilio *ſufficienti*, quod ſententia noſtra aliquibus judicio Dei denegatur.

„ Hinc quidam non male inferunt Gratiam *ſufficientem* & *efficacem* non diſtingui reipſa, & quemadmodum Thomiſtica loquitur ſchola, *entitative*; ſed eamdem gratiam, quæ in uno *efficax* eſt, in altero eſſe duntaxat *ſufficientem*, quoniam in uno non reperitur excæcatio & obduratio, quæ adinvenitur in alio. Quod de Tyriis & & Sidoniis diximus differentes de præſcientia futurorum conditionatorum. In qua ſententia non verſantur tantummodo Auguſtinenſes, verum etiam Nicolaus L'Herminier Tract. *de Gratia ſufficiente* tomo 4. pag. 340. & ſeq. & Antoninus Maſſoulié tom. 2. diſs. 3. q. 6. art. 2. De hujus Auctoris mente plura in Vindiciis noſtris diſs. 4. cap. 1. §. 2. num. 6. Præſtat modo illius verbis, quæ hucuſque dicta fuerunt, exponere. „ Quod divinæ gratiæ motio (inquit) verbi gratia, ut quatuor interdum effectum non habeat, non oritur ex defectu ipſius motionis divinæ, quæ vim agendi non habeat; eſt enim veriſſime ſufficiens, imo & natura ſua efficax: nec minorem in ſuo ordine vim habet agendi, quam habeat V. G. calor in ordine phyſico, quem nemo negaverit vim habere ſufficientem comburendi, ita ut ſi admotum lignum igni non comburat, id non oriatur ex eo quod ipſi igni deſit ſufficiens vis agendi, ſed quod lignum oppletum humiditate, & aqua, impreſſioni ſed vi & efficaciæ ignis obſiſtat. Atqui idem de voluntate ſentiendum eſt. Nam ſi prava voluntas minori V. G. obſtinatione obfirmata eſſet, minuſque intenſus eſſet pravus ipſius habitus, quo veluti pondere a virtute colen-

da retrahitur, & ad vitium impellitur; ipſa eadem divinæ gratiæ motio, ut quatuor, voluntatem ad virtutem impelleret, atque hujus conſenſum obtineret; ſuperaret enim vim pravi habitus, & malitiam voluntatis, eamque a ſequendo vitio retraheret. Quod ſi eadem divinæ gratiæ motio, ut quatuor, voluntatis conſenſum non obtineat; id non oritur ex defectu ipſius motionis gratiæ divinæ, ſed ex prava diſpoſitione voluntatis, quæ ob pravum habitum intenſum V. G. ut quinque, ipſius actionis impreſſioni, & vi ſeu efficaciæ divinæ motionis non ſubjicitur. Atque inde alterum etiam conſequitur, quod non levem difficultatem ingerere ſolet, qua ratione ſcilicet, & qua æquitate poſſit imputari homini ad culpam, quod non agat, & divina præcepta non impleat, cui divina motio deeſt, quæ tamen ut ageret neceſſaria foret. Imputatur enim ad culpam homini æquiſſime, cum non oriatur ex defectu motionis & gratiæ divinæ quod non agat, ſed ex obſtinatione & malitia creatæ voluntatis. Sufficeret enim reipſa ea motio, qua impellitur V. G. ad erogandam pauperibus eleemoſynam, cum præceptum caritatis proximi urgeret, niſi pravo avaritiæ & cupiditatis laqueo compedita voluntas teneretur. Quod ſi in eo ſtatu pravæ cupiditatis, quæ voluntati dominatur, eamque conſtringit, præter eam motionem altera ipſi neceſſaria ſit, eo majoris remedii ope egeat; imputet ſibi & magnitudini morbi, non motioni divinæ, prava hominis voluntas, quæ ſeipſam ſua malitia & cupiditate conſtrinxit: nihil enim deeſt ex parte motionis, ſed ſolum deeſt ex parte voluntatis, quæ ſeſe pravo habitu implicuit; & ut olim ex S. Bernardo retulimus, nihil habet quid reſpondeat prava voluntas, cum ipſa fecerit. Tantum enim abeſt, quod malitia voluntatis hominem minus reum efficiat, ut contra magis eum gravet. Quis enim unquam ex ſua malitia excuſationem in peccatis merito prætendere poſſit, quem ipſa malitia, quo major eſt, magis reum peragit? „ Hactenus Maſſoulié: cujus doctrinam pluribus explicat celebris Auctor operis Gallice inſcripti *de L' Action de Dieu* ſect. 7. cap. 12. ſummorum virorum calculis adprobatus; tametſi *Bibliothecæ*, & *Dictionarii* Janſeniſtarum, proſcriptorum nempe librorum, compilatores hunc quoque Janſenianis accenſeant, frivola illa ineptaque ratione ducti, quod philoſophicis argumentis utatur; quaſi hoc non liceat Scriptori Catholico, & quaſi idem auctor ſæpenumero placita illuſtrium Theologorum, Sanctorumque Patrum teſtimonia non proferat.

„ Profecto nullus erit paullum in doctrina Auguſtini verſatus, qui nobis opponat repetendam eſſe gratiæ divinæ efficaciam ab hominum voluntate, non ex Dei beneplacito, ſi cauſa cur non eſt efficax ſit ipſa voluntas pravis irretita cupiditatibus, & congelaſcens ad imbrem gratiæ. Etenim poteſt voluntas ſeipſa ponere impedimentum, quoniam ſeipſa ad malum ſufficit, non poteſt ſeipſa impedimentum auferre, quia ad bonum impotens eſt, niſi ab omnipotenti bono adjuvetur. Præterea major vel minor humanæ voluntatis obduratio eſt utique majus aut minus demeritum: at nullam habet rationem meriti, quo Deus moveatur ad majorem, vel minorem gratiam elargiendam. Interdum enim Deus optimus perditiſſimis peccatoribus miſericorditer largitur gratiam, quæ *a nullo duro corde reſpuitur; & eum illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum; illum autem non tantum; iſtum illo, illum iſto modo, penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecreta ratio, & excellentia poteſtatis.* Demum *nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat: ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, Gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates; qua ut non adjuventur in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo.* Agnoſcit, opinor, prudens lector verba Auguſtini allata quoque ſupra libro 13. cap. 8. & rurſus repetita cap. 8. libri XVIII. nec aliud neceſſum eſt addere ad ſecundam theſim Janſenianam.

„ De tertia autem & de quarta ſimul pertractabo. Utraque enim eo collineat, ut neget neceſſariam in hoc ſtatu infirmitatis libertatem indifferentiæ ad merendum vel demerendum, & hanc indifferentiam ad errores Semipelagianorum amandet. Qui ſane, licet ad initium fidei piumque voluntatis affectum amiſiſſent gratiam non efficacem, & hanc ſolam negaviſſent, quod exitioſam crederent libertati (quæ eſt quæſtio hiſtorica & perdifficilis); eorum tamen error in adſtruenda libertate indifferentiæ, & talem profitendo gratiam, cui poſſet humana voluntas obſiſtere, vel obtemperare, nulla ratione conſiſteret. Catholici quippe omnes fateri debent, nunquam gratiam, quamtumvis efficacem illam ſtatuamus, injicere humanæ voluntati vinculum neceſſitatis nunquam ea opera, quæ antecedenti neceſſitate, deliberatione voluntatis remota, peraguntur, meriti aut demeriti habere rationem. Quo autem pacto cum gratia victrici, ac præmovente conciliatur libertas, difficillima eſt quæſtio, quæ ingenium quoque magni Auguſtini torquebat. At ita prædicanda eſt Chriſti gratia, ut non tollatur libertas humana, quamquam mentis noſtræ imbecillitas ad percipiendum quomodo Deus operetur in nobis velle & perficere abſque læſione libertatis, nequeat facile atque expedite perſtringere. Sententia noſtra eſt, liberum arbitrium in iis tantum, qui ratione pollent, adinveniri; quippe irrationalia naturali inſtinctu, non autem judicio libero, in ſua objecta feruntur. Quare etſi arbitrium liberum potentia eſt, neque eſt a voluntate diſtinctum; ejus tamen proprietas eſt *electio:* quoniam ideo dicimur eſſe liberi arbitrii, quod ex pluribus unum eligere poſſumus rejecto altero. At electioni præcedit conſilium, quod determinatur per ſententiam rationis. Hæc eſt ſententia S. Thomæ prima parte q. 83. per quatuor articulos explicata. Judicium vero rationis anceps eſſe non poteſt circa finem, in quem naturaliter fertur, ſed tantum circa media, quæ ad finem conducant: unde & liberum arbitrium definitur, *vis electiva mediorum.* His innixi principiis dicimus voluntatem neceſſario moveri ab objecto illo, quod eſt univerſale bonum, non a particulari bono quod poteſt non velle: propterea quod Bonum univerſim acceptum eſt objectum, in quod voluntas naturaliter fertur: neque enim aliud eligere poteſt, quam illud, quod judicio rationis ei tamquam bonum proponitur. Neceſſitate item voluntas videntis Deum per eſſentiam, nimirum prout eſt in ſe, inhæret Deo, in quo ſita eſt vera beatitudo; quoniam in Deo, non in ſpeculo & in ænigmate viſo, ſed facie ad faciem, locum non habet indifferentia judicii, neque apprehendi poteſt ratio aliqua mali. Si excipias Bonum in communi, & Deum viſum in ſe, nullum bonum particulare neceſſario attrahit voluntatem; quia nullum judicium rationis de particulari bono adeo eſt neceſſarium, ut percipi nequeat bonum aliud eſſe præeligendum. Atque ita nunquam indifferentia libertatis amittitur, quamtumvia mentis illuſtratio vivida ſit, & motio voluntatis robuſta, excepta, ut diximus, viſione beatorum, & voluntatis inclinatione in bonum univerſale. Cujus rei hæc ratio proferri poteſt, quoniam mens creaturæ rationalis conditæ ad imaginem Dei capax eſt omnem veritatem aſſequendi, nec ita una cognita veritate conſtringitur, ut nequeat ex una progredi ad aliam, judiciumque ſuum commutare; quemadmodum nec voluntas naturaliter appetens beatitudinem ac tendens in ſummum Bonum, adeo hoc, vel illo bono particulari ſatiatur, ut non poſſit illud deſerere cui inhæret, atque aliud appetere; donec in patria Sanctorum impleatur torrente voluptatis, & ſatientur cum apparuerit gloria Domini. Tunc enim ſuaviſſima neceſſitate incommutabili bono adhærebit; neque bona reliqua libertate indifferentiæ eligere poterit, niſi quatenus cum illo Bono incommutabili ac ſummo nectuntur, *ſervato*, ut inquiunt Scholaſtici, *non perturbato ordine finis.* Paucis rem perdifficilem explanavi, ſi explanavi tamen: non enim adeo præſumo de ingenii mei tarditate, ut credam omnem a me penitus dirimi difficultatem. At dari in hoc quoque ſtatu, & neceſſariam eſſe ad merendum & demerendum libertatem indifferentiæ firmiſſime teneo, meique ingenii infirmitatem ſincera confeſſione profiteor. Hæc fortaſſis lucidiora erunt, ſi recolantur quæ ſcripſi *in vindiciis* diſſert. 4. cap. 1. §. 3. num. 8.

„ Eodem capite primo §. 7. num. 5. refutavimus illos, qui ad libertatem indifferentiæ neceſſarium putant *æquilibrium*, quo voluntas habeat potentiam æque expeditam ad bonum & ad malum, iiſdemque viribus præditam ut pro ſuo lubitu in unam, vel in alteram partem declinet. Idem *æquilibrium* rurſus arbitror refellendum, ne iſtas lucubratiunculas perlegentes pervolutare debeant cetera a me conſcripta volumina. Principio æquilibrium iſtud traditum fuiſſe a Pelagianis oſtendimus ex Epiſtola S. P. Auguſtini 186. ad Paulinum num. 34. Addimus verba S. Patris in *Opere imperf.* contra Julianum libro 2. num. 118. *Libra tua, quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta ſuſpendere, ut voluntas quantum eſt ad malum, tantum etiam ſit ad bonum libera, vergendo in unam partem, te indicat delirantem.* Non audemus hoc teſtimonio tamquam Pelagianos traducere Moliniſtas nonnullos *Æquilibrii* propugnatores, ſpretis Eccleſiæ definitionibus iſtiuſmodi criminationes vetantibus: Moliniſtæ enim ad bonum ordinis ſupernaturalis aliquam Dei gratiam requirunt, quam Julianus ceterique Pelagiani negabant. Petimus nihilominus, Annon indicet delirantes *libra* illa, quam nonnulli in iis peccatoribus putant reperiri, qui vix divinæ gratiæ ſentiunt motionem, & pravorum habituum implicantur conſuetudine? qui tenui gratiæ aura juvantur, atque jactantur concupiſcentiæ procellis, fluctibuſque vitiorum merguntur? qui ariditate ſpiritus languent, & non experiuntur cæleſtium gratiarum dulcedinem? qui ardent fragrantiſſima caritate, nec percelluntur motibus indomitæ cupiditatis? Eſt ne in horum voluntate *libra* ex utraque parte per æqualia momenta *ſuſpenſa.* Præterea prædicto Juliano aſſerenti homini *tam liberum eſſe Deo obedire imperanti quam diabolo perſuadenti*, reſpondet S. P. præcitato *Opere imperf.* lib. 3. num. 110. & ſeq. hujus uti-

„ qua

„ que generis fuiſſe liberum arbitrium Adæ in prima ſua conditione; at ob prævaricationem ipſius evaſiſſe vitiatum atque opus eſſe ut ſanetur per gratiam Reparatoris, quod Pelagiani negantes in manifeſtam prolapſi ſunt hæreſim. *Verum dicis* (ait Auguſtinus) *Hoc eſt liberum arbitrium, tale omnino accepit Adam; ſed quod datum eſt a Conditore, & a deceptore vitiatum, utique a Salvatore ſanandum eſt. Hoc vos non vultis cum Eccleſia confiteri; hinc eſtis heretici.* Alibi Sanctus Doctor docet periiſſe libertatem illam, quæ fuit in Adam, plenam habendi cum immortalitate juſtitiam: at non periiſſe liberum arbitrium *naturaliter* nobis inditum; quin potius per illud peccata patrari, pluraque ſcelera admitti *delectatione peccati*. In ſecundo autem Adam, nempe per Chriſtum, dari nobis gratiam *potentiorem*, quæ non tantum tribuit *poſſe*, ſed etiam *velle*, nec tantum voluntatem adjuvat, ſed etiam operationem, ac præſtat ut rationalis creatura *volendo appetat, agendoque perficiat*: bujus vero gratiæ adminiculis eos, qui ſervi erant peccati, liberos eſſe juſtitiæ, & liberos a peccato non fieri niſi gratia Salvatoris. Vide Auguſtinum lib. 1. *contra duas Epiſt. Pelag.* cap. 2. & 3. *de Gratia Chriſti* cap. 14. *de corrept. & grat.* cap. 11. & 12. &c. Jam vero nemo unus inficias ibit, liberum arbitrium primi hominis fuiſſe in æquilibrio poſitum. Quiſquis ergo in homine lapſo, in quo periit prima illa libertas a miſeria & a peccato, & liberum arbitrium vitiatum eſt, atque indiget ſanari per gratiam Chriſti, æquilibrium illud comminiſcitur, primi parantis prævaricationem, bujuſque derivata in poſteros confectaria videtur penitus ignorara, atque in eadem libra integrum hominem atque infirmum, ſua pace fruentem & concupiſcentiæ jactatum fluctibus, aut impie, aut ignoranter appendere. Quod ſi loquamur de Gratia Reparatoris, de illa maxime, *quæ aufert duritiam cordis*, nec ſolum dat *poſſe*, ſed etiam *velle*: nullus profecto dixerit arbitrium hominis tali gratia præventum in æqua lance ſuſpendi, atque hinc inde pari facilitate inclinari; quando certum eſt gratia illa deſtitutum motibus pugnantis cupiditatis aſſentiri, & tentationibus ſuccumbera: contra vero ea gratia præveniente, voluntate ſpiritus voluntatem carnis ſuperari, & indeclinabiliter agi, neque vinci aliqua adverſitate. Atque id aſſerimus (ne quis rurſus nobis ſuccenſeat) *in ſenſu compoſito*, & neceſſitate dumtaxat *conſequente* admiſſa cum noſtratibus, ac Thomiſtis, acerrime æquilibrium, de quo diſſeritur, oppugnantibus. Sed quoniam de hoc Æquilibrio pertractatum eſt alibi, atque de poſtrema propoſitione Janſenii ſubjicera nonnulla oportet, hæc tantummodo in præſentia de tertia & quarta adnotaſſe ſufficiat.

„ Dicamus ergo de quinta. Nihil magis familiare fuit male de Chriſti gratia ſentientibus, quam aſſerere conſequi ex S. P. Auguſtini doctrina Deum nolle ſalutem hominum univerſorum, quoniam non omnibus juxta eamdem doctrinam confertur *donum perſeverantiæ*; ſed ante mundi conſtitutionem affirmatur facta *ſecundum propoſitum voluntatis divinæ* electorum & raproborum diſcretio. Eadem ratione de morte Chriſti diſſerendum eſt. Quibus enim *perſeverantia* per Chriſti merita non confertur, & pro quibus non oravit Dominus, (cujus oratio exaudita fuit, ut demonſtrat S. Thomas 3. p. q. 21. art. 4. teſtimonio Apoſtoli ad Hebræos cap. 5.) pro his ipſum Chriſtum non eſſe mortuum, neque fudiſſe Sanguinem, neceſſaria conſecutione inferri Semipelagiani autumabant. Cum enim oratio Chriſti exaudita ſit, & abſoluta ejus voluntas *Deo ſemper fuerit conformis*, ut loquit citato in loco Doctor Angelicus; Semipelagiani opponebant, Si Deus ante præſcientiam meritorum unum præ alio eligit, non vult omnes homines ſalvos fieri, neque Unigenitus Dei Filius omnes homines ſua paſſione redemit. Hoc Semipelagianos objeciſſe rafert S. Proſper in Epiſt. ad Rufinum, in Carmine de Ingratis, & in reſponſionibus ad objecta Vincentii, & Calumniantium Gallorum. Idem opponunt, qui *diſcretionem* illam traditam ab Auguſtino *ſecundum quod placuerit Creatori*, nullaque præcedente futurorum meritorum ratione, rajiciunt in Scholis Catholicorum, eatenus a Semipelagianis diſcrepantes, quatenus nullum meritum, neque bonæ voluntatis initium agnoſcunt, quod gratia non auxiliante in hominibus inveniatur. Contra vero Auguſtino tam cæco affectu adhærentes, ut ab illo ſolam Dei voluntatem abſolutam, efficacem, & quemadmodum a Scholaſticis appellatur, *conſequentem*, & huic undequaque conſentientem voluntatem Chriſti Reparatoris aſſertam fuiſſe contendunt, qua in claſſe ſunt Janſeniſtæ quintæ propoſitionis defenſores, ceterique Prædeſtinatiani; ultro audacterque pronunciant nec Deum revera velle omnes & ſingulos homines ſalvos fieri, neque Unigenitum Dei Filium pro omnibus & ſingulis mortem oppetiiſſe. Diſcrati itaque Auguſtinianæ doctrinæ propugnatoris æque intereſt illam tueri, atque a Semipelagianorum aliorumque ad erſariorum objectamentis vindicara; & duritiem erroremque illorum rejicera, qui cum ſe Auguſtino addictos temere jactent, indigne ſentiunt de voluntate Dei circa ſalutem omnium, indigne item de copioſa apud Dominum redemptione. Atque id pro mea virili facere modo aggredior.

„ Itaque Deus peculiari quadam ratione, nimirum ſimpliciter, abſolute, ſive, ut inquiunt Scholaſtici, voluntate *conſequente*, & quæ eſt de rerum effectu, vult ſalvos fieri ſolos prædeſtinatos, ideoque & Chriſtus, cujus voluntas ſemper Deo Patri conformis fuit, *pro ſolis prædeſtinatis* peculiari ratione, & voluntate efficaci, ac ſimpliciter, ut reciperent fructum paſſionis ſuæ uberrimum, oravit, ſanguinem fudit, & tradidit ſpiritum. Id probant teſtimonia ſcripturarum ſanctarum producta præcedenti cap. 4. ex Joannis cap. 17. atque ex Auguſtino Tract. 100. in Joannem, & primo in Epiſtolam ejuſdem Joannis, quæ explicavimus verbis Catechiſmi Romani, ac Tridentini Concilii. Huc ſpectant quæ produximus ex beato Proſpero ad 9. objectionem Gallorum, *Poteſt dici* Chriſtus *pro his tantum crucifixus, quibus mors ipſius profuit*. Haud aliter ſentit S. Thomas, qui 3. p. q. 21. art. 4. docens orationem Chriſti ſemper fuiſſe exauditam, objicit ſibi ſecundo loco: *Ipſe oravit, ut peccatum crucifixoribus ſuis ignoſceretur, ut patet Lucæ 22. Non tamen omnibus peccatum illud fuit dimiſſum; nam Judæi fuerunt pro illo peccato puniti. Ergo videtur, quod non omnis oratio ſit exaudita*. Et num. 3. *Præterea, Dominus oravit pro his, qui erant credituri per verbum Apoſtolorum in ipſum, ut omnes in eo unum eſſent, & ut pervenirent ad hoc, quod eſſent cum ipſo. Sed non omnes ad hoc perveniunt. Ergo non omnis ejus oratio eſt exaudita*. Has vero duas oppoſitiones Angelicus Doctor ita dirimit: *Ad ſecundum dicendum, quod Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, ſed pro his ſolum, qui erant prædeſtinati, & per ipſum vitam conſecuturi æternam. Unde patet reſponſio ad tertium*. Accedit quoque apertiſſima ratio: quoniam, ut legitur in Pſ. 113. *Omnia quæcumque voluit Deus fecit*; ideoque omnis Dei voluntas impletur, ut docet 1. p. q. 19. art. 6. S. Thomas. Conſtat etiam naturæ lumine Deum eſſe omnipotentem, ejuſque voluntati neminem poſſe reſiſtera: unde Auguſtinus in Enchiridio cap. 103. n. 27. ait: *Omnipotens velle inaniter non poteſt quodcumque voluerit*. Demonſtrat eo loci S. Pater Deum non futurum fore omnipotentem, ſi ne fieret quod vult, impedira poſſet humana voluntas. Ajebat pariter S. Proſper Carm. de Ingratis cap. 13.

„ *Nam ſi nemo uſquam eſt, quem non velis eſſe redemptum;*
„ *Haud dubie impletur quidquid vult ſumma Poteſtas.*

„ Hinc graviſſima oritur Quæſtio, quomodo intelligenda ſint verba Apoſtoli ad Timotheum 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, cum permulti ſint filii perditionis ac tenebrarum, qui propria voluntate ſalvi non fiunt; multi etiam excæcati, qui facti rebelles luminis, ad lucem veritatis non veniunt. Profecto celeberrimum illud Apoſtoli teſtimonium intelligi nequit de voluntate illa peculiari, quam paullo ſupta diximus in Scholis appellari *conſequentem*, nunquam impediri, & connotare rerum effectum. Auguſtinus igitur diſputans contra hæreticos, & inimicos Gratiæ Dei, ea verba Apoſtoli exponentes de voluntate Dei, quæ ſpectet hominum univerſorum ſalutem eadem prorſus ratione, nulla habita electorum præ raprobis diſcrepantia; in prælaudato cap. 103. Enchiridii, & de Corrept. & Grat. cap. 14. ita Apoſtolicam ſententiam exponit, ut quoniam *Deo volenti nullum hominum reſiſtit arbitrium*, ita debeamus intelligera quod dictum eſt, „ Qui omnes homines vult ſalvos fieri, *tamquam ſi diceret, nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem ſalvum fieri velit, ſeu quod nullus fiat ſalvus niſi quem velit, & ideo rogandus eſt, ut velit; quia neceſſe eſt fieri ſi voluerit*. Ex hoc autem principio, *Deo volenti nullum hominum reſiſtit arbitrium*, tres S. Pater infert explicationes Apoſtolici teſtimonii: quarum prima eſt *de hominum ſingulorum generibus*; Siquidem in numero prædeſtinatorum „ ſunt Reges, privati; nobiles, ignobiles; ſublimes, humiles; docti, indocti; integri corporis, debiles; ingenioſi, tardicordes, fatui; divites, pauperes, mediocres; mares, fœminæ; infantes, pueri, adoleſcentes, juvenes, ſeniores, ſenes; in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in voluntatum & conſcientiarum varietate conſtituti; & ſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus „. Lege præcitatum cap. 13. Enchiridii. Hanc autem primam S. P. Auguſtini expoſitionem affert probatque, ut mox dicam, etiam Angelicus Doctor Thomas. Expoſitio altera, quam Scholaſtici vocant *per diſtributionem accommodam*, traditur verbis ſuperius exſcriptis, Deum nempe velle omnes homines ſalvos fieri, non quod nullus ſit hominum, quem Deus nolit ſalvari, ſed quia nullus fit ſalvus, niſi quem Deus vult ſalvum fieri: quam pariter expoſitionem profert probatque Angelicus. Is enim citata quæſt. 19. art. 6. ubi inquirit, utrum voluntas Dei ſemper impleatur, opponit 1. *Videtur quod voluntas Dei non ſemper impleatur.*

„ *Dicit*

„ *Dicit enim Apoſtolus* 1. *ad Tim.* 2. *quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sed hoc non ita evenit. Ergo voluntas Dei non ſemper impletur*. Reſpondet autem ad hunc plane modum: *Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum Apoſtoli, quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri, &c. poteſt tripliciter intelligi. Uno modo ut ſit accommoda diſtributio, ſecundum hunc ſenſum; Deus vult ſalvos fieri omnes homines qui ſalvantur, non quia nullus homo ſit quem ſalvum fieri non velit; ſed quia nullus ſalvus fit, quem non velit ſalvum fieri, ut dicit Auguſtinus. Secundo poteſt intelligi, ut fiat diſtributio pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum, ſecundum hunc ſenſum: Deus vult de quolibet ſtatu hominum ſalvos fieri; mares & fœminas; Judæos & Gentiles; parvos & magnos; non tamen omnes de ſingulis ſtatibus*. Tertia S. Thomæ reſponſio innititur diſtinctioni voluntatis *antecedentis* & *conſequentis*, de qua diſtinctione dicam infra. Perſpicuum eſt hanc duplicem S. Thomæ expoſitionem fuiſſe ab Auguſtino præmonſtratam. Tertia demum ipſius Auguſtini expoſitio eſt; Deum velle homines omnes ſalvos fieri, quia ipſe per auxilium gratiæ prævenientis facit, ut ſalvi fieri velimus, & ab ipſo Deo id quotidianis orationibus poſtulemus. *Poteſt etiam ſic intelligi* (inquit S. Pater in libro de Corrept. & gratia cap. 51.) *quod omnes homines Deus vult ſalvos fieri, quoniam nos facit velle; ſicut miſit ſpiritum Filii ſui clamantem, Abba, Pater, ideſt, nos clamare facientem*. Similia habentur lib. 22. *de Civit. Dei* c. 1. & 2. Quamcumque ex his Auguſtini Expoſitionibus præferas, maniſeſtiſſimum eſt prælaudatum Apoſtoli teſtimonium ad omnes Prædeſtinatos, atque ad eos qui volunt ſalvos fieri, non ad ſingulos promiſcue homines, peculiari ratione ſpectare.

„ Quod Auguſtinus, hoc idem Patres, qui data opera Pelagianam confutarunt hæreſim, tradiderunt, Proſper præſertim, & Fulgentius. Ac Proſperi verba in reſp. ad nonam objectionem Gallorum, & ad primam Vincentianam, laudavimus præced. cap. 4. §. *Hanc veram eſſe*. Adde quæ leguntur in Epiſtola ad Rufinum cap. 13. *Confiteamur omnipotentiſſimam Domini bonitatem omnes ſalvare, & omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Hanc eſſe planiorem lucidioremque doctrinæ Evangelicæ, & Apoſtolici teſtimonii intelligentiam Proſper teſtificans hæc ſubjicit: *Ut in confitenda Dei gratia defæcatiſſimam ac ſaluberrimam Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequaris*. Fulgentius item de Fide ad Petrum cap. 31. num. 66. *Ex hac regula*, inquit, *quæ cæleſtibus inſerta monſtratur oraculis, ſic intelligamus omnes homines, quos vult Deus ſalvos fieri, ut noverimus, omnes qui ſalvantur, nonniſi ex ejus gratuita bonitate ſalvari*; & paucis interjectis: *Sic ergo quos vult ſalvat, quemadmodum quos vult vivificat. Nihil namque voluit & non fecit, qui ſcriptura teſte, Omnia quæcunque voluit fecit*; ac rurſus: *Nefas eſt autem, ſi quis omnipotentem dicat aliquid facere non poſſe quod velit*. Idem Fulgentius in Epiſtola ad Venerium Diaconum ceteroſque Monachos Orientis, quæ eſt numero 15. ſcribit: *Omnes prædeſtinati ipſi ſunt, quos vult Deus ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroque ſexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate & conditione ſalvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur, quia poteſtas ejus nullatenus vincitur. Ipſe eſt enim qui omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, & cujus voluntati nemo reſiſtit*. Laudavi autem præ ceteris Proſperum, & Fulgentium, quoniam ille præ omnibus adverſus Reliquias Pelagianorum ſtrenue pugnavit: iſte vero & ſcripſit de Fide ad Petrum omnibus Africanis Patribus in eamdem ſententiam conſpirantibus, & connumeratur inter Patres, de quibus Canone 3. Concilii Valentini celebrati anno Domini 855. legitur, *Omne quod contra illos ſapitur, a recta fidei regula abhorrere ſentitur*.

„ Memorata Synodus Valentina in memoriam revocat noſtram quid geſtum ſit nono vertente ſæculo in Cauſa Gotheſcalchi. Cum is tamquam Prædeſtinatianus audiret (jure ne, an injuria, non quæram modo) adverſus ejus ſententiam, quæ venerat in ſuſpicionem hæreſeos, celebrata eſt auctore præſertim Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi Synodus Cariſiaca anno 853. in qua edita fuerunt quatuor Capitula, de quibus egimus libro 6. diſſerentes de Hæreſi Prædeſtinatianorum. Definitum eſt autem in tertio, *Deum omnipotentem omnes homines ſine exceptione velle ſalvos fieri, licet non omnes ſalventur*; & in quarto capitulo, *Chriſti ſanguinem pro omnibus fuſum, licet non omnes paſſionis myſterio redimantur*. Magna de his Synodi Cariſiacæ Capitulis exorta eſt controverſia. Etenim illa eodem anno 853. proſcripſit S. Prudentius Trecenſis Antiſtes in ſua *Tractoria*, quam per Vicarium ſuum miſit ad Synodum Senonenſem. In quo S. Prudentii Scripto quatuor Cariſiaca Capitula fuere proſcripta, & adverſus tertium definitum eſt, approbante Senonenſe quoque Concilio, *Deum omnes quoſcunque vult ſalvare, & quicunque non ſalventur, penitus non eſſe voluntatis illius ut ſalventur*; & adverſus quartum, *Chriſti ſanguinem pro ſolis credentibus fuſum*.

„ Circa eadem tempora prodiit contra Capitula Cariſiaca liber de *tribus quæſtionibus*, auctore Servato Lupo, & Opus de tribus Epiſtolis, ac aliud *de tenenda veritate Scripturæ*, auctore S. Remigio Lugdunenſium Archiepiſcopo. Servatum Lupum fuiſſe presbyterum Maguntinum quidam ſcripſerunt; ſed judicio clariſſimorum Virorum Sirmondi, Mabillonii, Baluzii, aliorumque, fuit Lupus Abbas Ferrarienſis, ſive, ut Galli vocant, *Des Ferrieres*. Itaque Lupus per omnia ſententiam S. Prudentii ſecutus eſt, pro Gotheſcalcho certavit, Hincmarum & decreta Synodi Cariſiacæ impugnavit; quod & fecit in Epiſtola ad Carolum Regem. At S. Remigius, quem Servato Lupo ducimus præferendum, ſententiam ſuam plenius & accuratius expoſuit; nam in libro *de tribus Epiſtolis* cap. 11. pertractans de verbis Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ait hunc eſſe *obſcuriſſimum & difficillimum locum*, in quo ſcilicet exponendo, non verba Apoſtoli, ſed ſenſum, non litteræ ſuperficiem, ſed medullam & veritatis radicem oporteat inveſtigare. Subinde ait cap. 13. *in tribus modis* ab Auguſtino traditis eſſe veram teſtimonii Apoſtolici intelligentiam, neque in illis ullam abſurditatem, ullam repugnantiam fidei inveniri; *Quia ſive* omnes homines, quos Deus vult ſalvos fieri, *omnia hominum genera accipiantur: ſive* omnes homines ſalvos fieri Deum velle *ita intelligatur, quia omnes qui ſalvantur, nonniſi ejus voluntate ſalvantur; ſive eo modo dictum credatur*, omnes homines Deum velle ſalvos fieri, *quia in Sanctis ſuis ipſe hoc vult, qui eis talem voluntatem inſpirat, ut omnes homines velint ſalvos fieri, ſicut ſeipſos. In his, inquam, omnibus & vera omnino & ſalubris intelligentia eſt*. Addit S. Remigius expoſitionem quartam, quam ait eſſe *ſecundum pium ſenſum quorundam Patrum* (hos autem Patres minime nominat) ut nimirum dicamus Deum velle omnes homines ſalvos fieri *Bonitate Creatoris*, qua creaturam ſuam bene a ſe conditam perire non vult; & Deum nolle omnes homines ſalvos fieri, *Judicis æquitate*, qua eamdem creaturam ſuam vel originali, vel etiam actuali peccato nequiter inquinatam & vitiatam, impunitam eſſe non ſinit. Verum de hoc quarto explicandi modo ita nos S. Remigius monet: *In quarto autem modo illud ſine dubio cavendum, quia & occaſionem Pelagianæ pravitati præbet, quod Deum, ut ſalvet homines, humanas expectare aſſerat voluntates*. Admonet ulterius, ut ſi velimus aſſerere Deum velle omnes homines ſalvos fieri *bonitate Creatoris*, non credamus *hanc voluntatem bonitatis ſuæ humana obſiſtente voluntate implere non poſſe, ſed obſiſtente humana iniquitate implere nolle*. In libro pariter *de tenenda veritate ſcripturæ* edito nomine Lugdunenſis Eccleſiæ cap. 12. iſta leguntur: *Ecce aliquis ſentiat & dicat, ſicut etiam antiquitus & ſenſum eſt & dictum. Non dixit Apoſtolus*, univerſaliter, & generaliter, *&, ut iſti* (ſcilicet, Hincmarus, & Patres Synodi Cariſiacæ) *addiderunt*, ſine exceptione. Qui vult omnes homines ſalvos fieri; *Sed ſpecialiter ad eos retulit, de quibus ſupra dixerat*, Pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in ſublimitate ſunt, *ut quod dixit*, Omnes, *omnia genera hominum intelligi voluerit, omnium ſcilicet Gentium, ſexuum, conditionum, ordinum, dignitatum. Quid habet hæc intelligentia inconſequens, aut contrarium veritati?* Hæc SS. Prudentii, & Remigii, atque totius Lugdunenſis Eccleſiæ doctrina contra Capitula Cariſiaca, approbata fuit, ut ſupra diximus, in Synodo Valentina, necnon anno 859. in Synodis Lingonenſi, ac Tullenſi. Perſpicuum eſt ergo, & demonſtratum auctoritate SS. Patrum, maxime Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, Prudentii, Remigii, necnon plurium Synodorum, peculiari ratione, & voluntate *efficaci atque abſoluta*, Deum velle ſalutem duntaxat Electorum, & fidem atque ſanctificationem illorum, qui credunt, & juſtificantur, & univerſim loquendo velle quæ ſuum conſequuntur effectum, nolle quæ effectum non conſequuntur; ſed voluntatem Dei ſemper impleri, eique volenti ſalvum facere humanum non reſiſtere arbitrium: verbo dicam, voluntas Dei, & Paſſio Chriſti *ſpeciali titulo* ad Electos ac Prædeſtinatos dicenda ſunt pertinere.

„ Quamquam vero Deus *efficaci & abſoluta* voluntate Electos a ſe ante mundi conſtitutionem, non autem ſingulos homines, velit ſalvos fieri, & pro iiſdem Electis *efficaci* item *& abſoluta* voluntate per omnia paternæ conformi piiſſimus Redemptor affixus ſit Cruci; allucinatur tamen quiſquis ex dictis nititur demonſtrare, Deum nullo pacto velle ſalutem univerſorum hominum, & Chriſtum mortem pro univerſis non ſubiiſſe; ac notam eſſe *Semipelagianiſmi* ad ſingulos homines divinam ſalvandi illos voluntatem, & redemptionem humani generis extendere, ut dogmatizavit in quinta propoſitione Janſenius, & in triceſima Paſchaſius Queſnellus. Ad omnes quippe & ſingulos homines illam voluntatem, & redemptionem liberaliſſima Dei beneficentia extendi, ſupra

„ cap.

„ cap. 3. & 4. demonſtratum eſt. Neque oppoſitum evincunt argumenta ſuperius producta. De voluntate enim *efficaci & abſoluta*, ut non ſemel diximus, Auguſtinus, ejuſque diſcipuli Proſper & Fulgentius, contra Pelagianos horumque Reliquias loquebantur, victricem gratiam, electionem gratuitam, & perſeverantiæ ſpecialiſſimum donum, quæ utique cunctis ſingulisque hominibus communia non ſunt, propugnantes. Etenim Pelagiani docebant ita Apoſtolicum teſtimonium, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, accipiendum eſſe, ut ideo non omnes ſalvi fiant, *quia ipſi nolunt petere, cum Deus velit dare, nolunt quærere, cum Deus velit oſtendere, nolunt pulſare, cum Deus velit aperire*, negando eſſe in Deo certam voluntatem aliquos in ſuum regnum introducendi ante futurorum operum præſenſionem: quam voluntatem S. Pater in Deo eſſe demonſtrat exemplo præſertim parvulorum, quos utique Deus æquali voluntate non diligit, cum aliqui pereant maternis in viſceribus, aut non percepta gratia baptiſmatis, aliqui contra rapiantur in cælum poſt acceptum lavacrum regenerationis; necnon exemplo Jacob & Eſau, quorum unum Deus dilexit, alterum odio habuit, antequam quidquam boni egiſſent, vel mali. Atque id Auguſtinus declarat libro 4. *contra Julianum* cap. 8. atque in aliis locis quampluribus. Pari ratione Semipelagiani divinam voluntatem ſalvandi omnes homines eadem omnino ratione ad Electos reprobosque referendam eſſe putabant, rati in eo apparere Dei bonitatem, *Si neminem repellat a vita, ſed indifferenter univerſos velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire*, ut in Epiſtola ad Auguſtinum, quæ libro *de Præd. Sanct.* præmittitur, refert beatus Proſper: ſive, ut inquit S. Fulgentius in libro *de Incarnatione & gratia*, teſtimonium Apoſtoli, *Qui vult omnes ſalvos fieri*, non ſicut oportet intelligentes, utpote qui hanc Dei voluntatem accipiendam exiſtimabant *ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ*. Quapropter ex productis Auguſtini, Proſperi, & Fulgentii verbis, aliiſque conſimilibus bene multis argumentum utique petitur invictiſſimum ad refutandos Semipelagianos ac Pelagianos, atque ad adſtruendam firmandamque voluntatem Dei *abſolutam*, & *conſequentem* circa ſalutem Prædeſtinatorum: ſed nullum inde præſidium captare poſſunt Janſenii Queſnelliique patroni. Haud ſecus ſentiendum puto de ſanctis Præſulibus Prudentio ac Remigio, de præcitatis Synodis, viriſque doctiſſimis, Floro Lugdunenſi, Lupo Servato, Ratramno Corbejenſi monacho, & ſi qui fuerunt alii, qui ſteterunt contra capitula Cariſiaca. Hi enim verebantur, ne prætextu damnandæ hæreſis Prædeſtinatianæ, quam ſuſcitatam ajebant a Gothelcalcho, impeteretur S. P. Auguſtini doctrina, & in Deo ſtatueretur voluntas illa, quæ pari ratione, abſque ullo diſcrimine, indifferenter, & *ſine exceptione* reſpiceret vaſa miſericordiæ, & vaſa iræ, atque ſenſim irreperet, ac in florentiſſimo Galliarum regno iterum germinaret hæreſis Semipelagiana, quæ ibidem olim radices fixarat, clariſſimoſque nacta fuerat propugnatores. Eapropter admonebat S. Remigius, ut ſuperius animadverti, ne doctrina Synodi Cariſiacæ *minus proſpecte* ſuſcepta præberet *occaſionem Pelagianæ pravitati*. Verebatur quoque S. Remigius, ne aſſerentes Deum velle *ſine exceptione* ſalutem omnium, & Chriſti ſanguinem *ſine exceptione* pro omnibus fuſum, in alium graviſſimum, & in Origeniſtis damnatum errorem impingerent; quaſi putarent etiam infideles & impios, qui ab exordio mundi ad Chriſtum uſque obierunt, & damnati ſunt, & quibus nequit proculdubio fructus redemptionis applicari, fuiſſe redemptos, ac poſſe aliquando ſalutem conſequi æternam. Sane Hincmarus hanc hæreſim, de qua S. P. Auguſtinus *ad Quodvultd.* num. 79., immerito ſibi fuiſſe affictam conqueritur in libro *de Prædeſtinatione* cap. 29. Quare adverſus eamdem hæreſim in libro *de tribus Epiſt.* cap. 19. prælaudatus S. Remigius ita invehitur: *Quamvis igitur idem Dominus noſter ad omnes ſalvandos & omnes redimendos, etiam quos nec ſalvavit, nec redemit, ideſt infideles & impios in ſua infidelitate & impietate perditos, & pereuntes, ſive perituros veniſſe contendatur: unum tamen eſt quod nos & fideliſſime credimus, & veriſſime novimus, quia pro illa innumerabili & infinita multitudine impiorum, qui ab exordio mundi uſque ad paſſionem Domini per quatuor ferme annorum millia in ſua impietate ſunt mortui, & apud inferos æterna perditione damnati, nunquam Dominus paſſus, nunquam mortuus eſt, nec ad eos ſalvandos ullatenus venit, nec pro eis pretioſum ſanguinem ſudit; quoniam ſolos illos ex his, qui ab exordio mundi uſque ad paſſionem ejus extiterunt, eadem paſſione ſua redemiſſe & ſalvaſſe, atque ab inferni clauſtris eduxiſſe credendus eſt, qui & fideliter eum ſperaverunt venturum, & fideliter per eum redemptionem, & liberationem ad ſalutem ſe accepturos eſſe crediderunt*. Sive ergo dixeris Remigium, quique illi adhæſerunt, reprobaſſe Capitula Cariſiaca, quod crediderint affinia eſſe Semipelagianorum dogmatibus, ſeu quod ſuſpicarentur inſtaurari in eis hæreſim nuper deſcriptam: minime ex illorum auctoritate conficitur, nulla ratione Dei voluntatem circa ſalutem omnium verſari, nullaque ratione improbos, qui damnantur, in Chriſti redemptione comprehendi.

„ Sed oritur quæſtio omnium difficillima, Quomodo Deus velit ſalvos fieri *omnes*, etiam qui non ſalvantur, & quomodo Dominus redemerit *omnes*, etiam qui pereunt; nec aliter reſpondendum eſſe cenſeo, niſi Deum velle omnes homines ſalvos fieri *voluntate antecedente*, non voluntate *conſequente*, & Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe quantum *ad ſufficientiam oblationemque pretii*, non quantum ad applicationem & communicationem fructus paſſionis ſuæ. Primum *de voluntate*, deinde de *redemptione* diſſerendum eſt ea, quam patitur controverſiæ qualitas, perſpicuitate. S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. docet Deum velle omnes homines ſalvos fieri *voluntate antecedente, non voluntate conſequente*, laudatque S. Joannem Damaſcenum, cui diſtinctionem iſtam refert acceptam. Docet eamdem diſtinctionem non eſſe intelligendam ex parte voluntatis divinæ, in qua nihil eſt prius vel poſterius, *ſed ex parte volitorum*. Vide an hæc diſtinctio eadem ſit ac tradita a nobis, repetenda ex objectis, ſeu connotatis: Docet voluntatem *antecedentem* tendere in bonum, conſideratum *abſolute*, & voluntatem conſequentem tendere in bonum conſideratum *cum aliquo adjuncto*: quod explicat exemplo Judicis, qui abſolute, & circumſtantiis non attentis vult hominem vivere, quoniam hominem vivere bonum eſt: at animadvertens hunc hominem eſſe homicidam & latronem, vult illum occidi, quoniam bonum non eſt latrones & homicidas impune in vita ſervari. Ad hunc modum ait Deum *antecedente* voluntate velle omnes homines ſalvare, quoniam omnes homines ſalvari, ſi & natura humana capax æternæ ſalutis, ipſaque æterna ſalus abſolute, in ſe, & abſque adjunctis ſpectentur, bona ſunt; & voluntate *conſequente* velle aliquem damnare, quia conſiderata circumſtantia peccati ad mortem, & divinæ juſtitiæ lege, bonum non eſt iniquum illum ſalvari. Connotat itaque juxta Doctorem Angelicum voluntas *antecedens* humanum genus ſecundum ſe, & humanam naturam individuis, in quibus reperitur, ſingulatim & in particulari non inſpectis. Et quoniam *voluntas comparatur ad res prout ſunt in ſe ipſis, in ſe ipſis autem ſunt in particulari*; ſequitur quod ſola voluntas conſequens, quæ comparatur ad res *conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus*, ſit *ſimpliciter* velle; voluntas autem *antecedens* ſit voluntas *ſecundum quid*, & magis dicenda ſit *velleitas*, quam *abſoluta voluntas*. Hæc ſanctus Thomas. Ex cujus doctrina evidenter infertur, ex voluntate *antecedenti* nullum conſequi effectum, quoniam quæ efficiuntur, particularia ſunt, exiſtunt in ſe ipſis, atque ad ea comparatur voluntas *abſoluta* & *conſequens*, non autem voluntas *ſecundum quid & antecedens*. Quare ibidem S. Thomas ſcripſerat in 1. *Sent. diſt.* 46. quæſt. unica art. 2. *Operatio non correſpondet voluntati antecedenti, ſed conſequenti*. Recte ergo mentem Angelici aſſecutus eſt Thomas de Lemos, qui in *Panoplia* tom. 2. Tract. 2. cap. 12. num. 107. inquit: *Voluntas Dei antecedens, quæ præciſe ratione antecedens eſt, abſque eo quod habeat Dei voluntatem conſequentem adjunctam, nunquam impletur*. Pariter Joannes Baptiſta Gonet Tract. *de volunt.* diſp. 4. art. 4. num. 94. *Sanctus Thomas expreſſe docet voluntatem antecedentem non habere effectum, niſi voluntas conſequens adjungatur*. Quod Lemos & Gonet ajunt, neceſſarium eſt conſectarium fluens ex principiis Thomiſticis: ſiquidem juxta eadem principia nihil omnino efficitur niſi Deo præmovente ac prædeterminante; præmotio autem ac prædeterminatio ſunt actus voluntatis *conſequentis*, non *antecedentis*, ut patet. Ex eadem Thomiſtica doctrina ſequitur voluntatem *antecedentem* non eſſe illam veram propriamque voluntatem, quæ ſemper impletur, tum quia voluntas ipſa *antecedens* nullum habet effectum, niſi adjunctam habeat voluntatem *conſequentem*, ut dictum eſt modo; tum etiam quia S. Thomas præcitato art. 6. in corpore demonſtrat voluntatem Dei ſemper impleri, quoniam *voluntas Dei eſt cauſa univerſalis omnium rerum*; cumque ſub ſe omnes cauſas ſecundas comprehendat, iſtarum effectus nullo pacto evadere poteſt ordinem cauſæ univerſalis: *Unde* (verba ſunt ejuſdem Doctoris) *quod recedere videtur a divina voluntate ſecundum unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundum alium; ſicut peccator, qui quantum eſt in ſe recidit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur*. Id S. Doctor comparatione motus primi cæli, ſtellarumque aliquando lumen ſubtrahentium ob corporearum cauſarum occurſum, apposite evidenterque declarat. Art. 4. præcitatæ diſtinct. 19. docuerat voluntatem Dei eſſe cauſam rerum, quoniam *effectus determinati ab infinita ipſius Dei perfectione procedunt, ſecundum determinationem voluntatis & intellectus ipſius*: at voluntatem determinantem eſſe illam, quæ dicitur *conſequens*, nullus Thomiſtarum inficiatur.

„ Ex quo autem voluntas *antecedens* non comparetur ad res, prout ſunt in ſeipſis, ſeu ut exiſtunt conſtitutæ in certis circumſtantiis & adjunctis, ac præterea ea-

dem

„ dem voluntas dicatur ab Angelico Præceptore voluntas *ſecundum quid*, & *velleitas* potius, quam *voluntas abſoluta*, oritur quæſtio altera perdifficilis, An hæc voluntas ſecundum quid, ſeu *velleitas*, ſit in Deo *formaliter*, aut *eminenter* duntaxat, ſeu per tropum & metaphorice. Dicuntur autem ea eſſe in Deo tantum eminenter ac metaphorice, quæ imperfectionem includunt aliquam, ut ira, dolor, & pœnitentia. Itaque Thomiſtarum nonnulli docent utramque partem eſſe probabilem, ut refert Alvarez de *Auxiliis* libro 4. diſput. 34. at longe probabiliorem eſſe putant iidem, aliique Thomiſtæ celebriores, voluntatem, de que loquimur, eſſe in Deo metaphorice tantummodo ac eminenter. Etenim id ſentiunt Bannes & Zumel laudati eo loci ab Alvarez; quorum primus in 1. p. q. 19. art. 6. ait: *Multo probabile videtur, quod in Deo non ſit formaliter voluntas quæ ſignificatur hoc nomine, velleitas; ſed ſufficit quod talis voluntas ſit in Deo eminenter:* & alter ibidem, *Sane in Deo eſt unica & ſimpliciſſima voluntas, & efficaciſſima, cui nemo reſiſtit: Sed iſta voluntas antecedens non eſt efficaciſſima: ergo non eſt actus poſitivus verus in Deo*. Perlegerat hæc Franciſcus Silvius inter Propugnatores Doctrinæ Thomiſticæ Theologus præſtantiſſimus: qui Commentario in priorem partem, & in articulum 6. q. 19. productis momentis eorum, qui aſſerunt voluntatem *antecedentem* eſſe *formaliter* in Deo, inquit: „ *Nihilominus cum Bannesio & Zumel reſpondeo videri probabilius, quod voluntas antecedens non eſt in Deo formaliter & proprie, ſed ſolum eminenter & per tropum, quomodo ira, miſericordia, pœnitentia & ſimiles affectiones, quæ in hominibus imperfectionem includunt, dicuntur eſſe in Deo*. Animadvertit vir clariſſimus hanc eſſe inter Thomiſtas ſententiam communiorem & veriorem, ut affirmat Navarete *controv.* 8. in præcitatum articulum 6. his verbis, *Communior atque verior reſolutio eſt, illam voluntatem non eſſe formaliter in Deo, ſed tantum eminenter*. Ludovicus Molina in *Concordia* ſupra eumdem art. diſp. 1. fatetur eamdem eſſe revera mentem Cajetani, & Marſilii. Videſis Cajetanum in primam ad Timotheum 2. Marſilium in 1. D. 45. art. 1. Adde Theologos innumeros, qui tradunt voluntatem Dei ſalvandi omnes eſſe *voluntatem ſigni*, non *beneplaciti*. Ita Hugo de S. Victore in *Summa* tract. 1. cap. 13. Gonzales diſput. *de Juſtitia Orig.* tomo 1. pag. 526. Joannem Driedonem in *Concord. liberi arbitrii & prædeſtinat.* cap. 4. primæ partis, Florentium de Coq tom. 1. tract. 1. cap. 3. Cardinalem de Lauræa Opuſc. 2. Franciſcum Macedo in *Cortina* theſi 14. & in libro, cui titulus, *Mens ſummi Pontificis Innocentii X. divinitus inſpirata* pag. 106. Ibidem Macedo alios Theologos laudat, præſertim Cæſarem Vanium, a quo ait *generalem illam erga omnes homines voluntatem, & commune ex illâ gratiæ ſufficientis auxilium multis argumentis impugnari*. Contendit quoque Macedo fuiſſe in eadem ſententia Vaſquez & Maldonatum præſtantiſſimos Societatis Jeſu Scriptores. Ex noſtratibus legendi Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 46. & Baſilius Legionenſis 1. p. q. 6. cap. 12.

„ Prætermittendus non eſt Guilelmus Eſtius, qui in 1. Sent. diſt. 45. præmiſſa diſtinctione voluntatis divinæ in voluntatem *beneplaciti*, & *ſigni*, quarum illa proprie voluntas eſt, eaque conſtitutum a Deo eſt ut ſit & fiat quidpiam Deo placitum, V. G. ut mundus exiſtat & conſervetur, ut nemo electorum pereat, & nullus reproborum ſalvetur: altera eſt temporarium aliquod ſignum voluntatis, ut præceptum, conſilium, prohibitio, operatio, permiſſio; præmiſſa, inquam, hac diſtinctione docet Eſtius voluntatem *ſigni* improprie voluntatem dici, nec ſemper impleri, atque de hac voluntate accipiendum eſſe quod ait Apoſtolus ſcribens ad Timotheum, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*. Obſervat idem Eſtius non ideo voluntatem *ſigni* talem dici, quaſi præcepta, conſilia, aliaque ſigna voluntatis divinæ, demonſtrent voluntatem & beneplacitum Dei; ſed quia ea, quæ in nobis ſolent eſſe ſigna volendi, in Deo voluntates dicuntur; quemadmodum ea, quæ in nobis ſunt ſigna indignationis & iræ, dicuntur in Deo ira & indignatio. Tradiderat idem S. Thomas 1. p. q. 19. art. 11. ubi etiam docet hanc voluntatem ſigni diſtinctam a voluntate beneplaciti eſſe in Deo metaphorice tantum: *In Deo* (inquit Doctor Angelicus) *diſtinguitur voluntas proprie & metaphorice dicta. Voluntas enim proprie dicta vocatur voluntas beneplaciti; voluntas autem metaphorice dicta eſt voluntas ſigni, eo quod ipſum ſignum voluntatis voluntas dicitur*. Ibique ad ſecundum: *Signa voluntatis dicuntur voluntates divinæ, non quia ſint ſigna quod Deus velit; ſed quia ea quæ in nobis ſolent eſſe ſigna volendi, in Deo divinæ voluntates dicuntur. Sicut punitio non eſt ſignum quod in Deo ſit ira: ſed punitio in ipſo quod in nobis eſt ſignum iræ, in Deo dicitur ira*. Poſt hæc aliaque plura Eſtius illorum ſententiam amplectitur, „ Qui negant in Deo *formaliter* & proprie eſſe voluntatem *antecedentem*, cui voluntas *beneplaciti* non reſpondeat, ideſt, voluntatem *velleitatis* nomine ſignificatam: atque ſufficere dicunt hujuſmodi voluntatem *eminenter*, ſive per tropum in Deo conſtitui, quomodo ſunt in Deo ira, pœnitentia, miſericordia, & quæcumque bonæ affectiones, quæ ita in hominibus ſunt, ut imperfectionem aliquam includant, paſſionem, defectum; propter quas imperfectiones neceſſe eſt vel per eminentiam cauſalitatis, vel quocunque alio tropo ſermonis, Deo tribuantur. Conſtat autem Deum in piorum cordibus operari hunc affectum ut omnes velint ſalvos fieri. Eſt igitur hujuſmodi affectus in Deo eminenter. „ Hæc Eſtius, qui poſtea plures interpretationes Apoſtolici Teſtimonii producit, rejecta tamen tamquam Scripturis minus conſentanea, & refutata ab Auguſtino, illorum expoſitione, qui contendunt „ Deum velle omnes homines ſalvos fieri, *quod omnibus det gratiam ſufficientem ad ſalutem*.

„ Innititur vero ſententia illorum Theologorum, qui negant voluntatem Dei *antecedentem* eſſe in Deo *formaliter*, rationi ſatis obviæ atque invictæ. Voluntas enim illa multiplicem imperfectionem includit. Etenim impotentiæ nota eſt velle aliquod, quod impedire poſſit humana voluntas, ut docet in Enchiridio Auguſtinus. Importat quoque deſiderium habendi aliquid, quod non ſit, neque habetur, ſcilicet, ſalvationem hominum univerſorum. Inſuper ea voluntas eſt actus imperfectus & incompletus, cujus nempe fruſtratur effectus: idque non tantum demonſtrant prælaudati Theologi, verum etiam S. Bonaventura apud Trigoſum in *ſumma Theologica* Clementi VIII. dicata q. 14. art. 1. dub. 2. & Polman in *Breviario Theologico* p. 1. num. 249.

„ Sunt quidem alii, qui *antecedentem* voluntatem ſalvandi omnes, etiam acceptam in ſenſu S. Thomæ, ideſt, prout verſatur circa ſalutem hominum in ſe ſpectatam abſque ulla circumſtantiarum, meritorumque hominum ratione, conſtituendam eſſe in Deo cenſent proprie, non metaphorice, adeo, ut dicenda ſit voluntas *beneplaciti*, non *ſigni*. Sed ii tamen ab explicata Thomiſtarum ſententia, me quidem judice, non recedunt, ſi ſolam Mediſtarum opinionem excipias. Thomiſtæ enim, ut vidimus, docent *antecedentem* voluntatem non habere effectum aliquem, niſi voluntas aliqua conſequens illi adjungatur. Quid vero alii Theologi docent? Scotus 1. p. diſt. 46. q. 1. ait, Deum velle *voluntate antecedente* omnes homines ſalvos fieri, quatenus *dedit eis dona naturalia, & leges certas, & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem*. Voluntati igitur *antecedenti* conjungit Scotus voluntatem *efficacem & conſequentem*, non quidem conferendi vitam æternam, ſed dona naturalia, leges, & adjutoria communia, & ſufficientia. Ægidius Romanus, & S. Bonaventura in eamdem diſtinctionem 46. tradunt, voluntatem *antecedentem* connotare ordinationem ad *ſalutem, tum ex parte naturæ data, tum ex parte gratiæ oblata*. Exponam id paullo poſt accuratius. Modo hoc unum adnotandum eſt, dare hominibus naturam æternæ beatitudinis capacem, eiſque gratiam offerre, effectus aliquos eſſe: ideoque voluntas *antecedens* ab omni voluntate efficiente & *conſequente* nequaquam ſejungitur.

„ Diſtinctionem voluntatis *antecedentis & conſequentis* tradidit S. Joannes Damaſcenus libro 2. *de fide Orthodoxa* cap. 29. his verbis: *Sciendum eſt Deum præcipua & antecedente voluntate velle omnes ſalvari, & regni ſui compotes fieri; non enim nos ut puniret condidit, ſed ut participes ſimus ipſius bonitatis tamquam bonus: peccantes porro puniri vult tamquam juſtus. Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur, & beneplacitum quod ex ipſo eſt: ſecunda autem conſequens voluntas & permiſſio ex noſtra cauſſa ortum habens*; & paullo infra, *Eorum autem, quæ in nobis ſita ſunt, bona quidem primario vult Deus ac ſecundum beneplacitum, mala vero, quæ revera mala ſunt, neque primario, neque conſequenter vult, ſed libero arbitrio permittit*. Vide lib. 5. *Theol. Dogmatum* cap. 4. Dionyſium Petavium Græce, & Latine doctiſſimum. Productam ex Damaſceno diſtinctionem voluntatis divinæ approbat S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad primum, eaque utitur ad explicandum teſtimonium Apoſtoli, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, præmiſſis aliis duabus expoſitionibus Auguſtini: quarum una eſt ſecundum diſtributionem *accommodam*, altera pro generibus ſingulorum. Utramque ſuperius deſcripſimus. Hanc vero ex Damaſceno petitam ita explanat Scholarum Angelus, ut voluntas *antecedens* tendat in bonum in prima ſui conſideratione abſolute ſpectatum ſecundum ſe, præciſis rerum circumſtantiis; & voluntas *conſequens* comparetur ad res, ut ſunt in ſeipſis, ſive in particulari, & in certis poſitæ circumſtantiis. Quapropter voluntas *antecedens* juxta Damaſcenum, prout exponitur a S. Thoma, potius *velleitas* eſt, quam voluntas; nec videtur in Deo proprie & *ſimpliciter* admittenda, quoniam voluntas proprie ac *ſimpliciter* accepta non eſt de rebus ſecundum ſe conſideratis, ſive quatenus bona ſunt abſtractim ab adjunctis & circumſtantiis. Paragrapho, *Sed oritur quæſtio*, &c. rem totam enucleatius expoſui.

„ Sunt tamen nonnulli, qui alio ſenſu Damaſceni ver-

ba

„ be interpretantur, & quidem plana & nativa; non violenia vel extorta, eorumdam verborum ſignificationa. Secundum Damaſcenum, inquiunt, Voluntas antecedens aſt *Dei beneplacitum*, quo vult aliquid *ex ſeipſo*, ſcilicet, ex propria liberalitata ac bonitate, nulla meritorum vel demeritorum ſpectata rationa; atque ita condera hominem ad imaginem ſuam naturalibus & ſupernaturalibus beneficiis cumulatum, ad illum poſtea redimendum mittera Filium ſuum factum in ſimilitudinem carnis peccati, omnibus ſalutis adytum aperire, gratiarum auxilia ſingulis exhibere, necnon in ſententia, quam nos propugnamus, diſcernere a maſſa perditionis electos, aiſque parata beneficia, quibus certiſſime liberantur; hæc, inquam, ceteraque hujus generis, quæ a noſtra voluntate, ſiva a præcedentium meritorum conſideratione non pendent, ſed ea vult Deus *ex ſeipſo*, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, ſunt objectum voluntatis *antecedentis*, ſenſu explitato. In eodem autem ſenſu, ipſam voluntatem *antecedentem* eſſe in Deo propriam & ſinceram, vel, prout loquuntur Scholaſtici, *formaliter*, non metaphorice, avidentiſſima res eſt; propterea quod aſt voluntas *beneplaciti*, non *ſigni* dumtaxat; eique ſuus reſpondet effectus, quo effectu caret voluntas *antecedens* accepta in priori ſenſu tradito a S. Thoma. Quoniam vero voluntas, cujus effectus ponitur, eſt voluntas *conſequens*; ſi voluntati *antecedenti* poſtremo ſenſu explicatæ ſuus reſpondet effectus, quænam erit juxta Damaſcenum voluntas *conſequens?* Ea profecto, quæ *ex noſtra cauſa ortum habet*; ſcilicet, non eſt Dei beneplacitum, ax ſeipſo, atque ex bonitate ſua tantummodo proficiſcens, ſed ax juſtitia, qua ob præſcientiam meritorum prædeſtinatis coronam, raprobis ſupplicium gahennæ miſericors Pater, & Juſtus Judex rependit. Non videtur hæc verborum Damaſceni axpoſitio aliena ab illa, quam innuit S. Remigius ſcribens ſecundum pium ſenſum quorumdam Patrum vella Deum ſalutem omnium *bonitate creatoris*, nolle ſalutem omnium *æquitate judicis*.

„ Ex voluntate *antecedenti* hactenus explicata Molinæ diſcipuli conſequi putant Deum largiri omnibus & *ſingulis* hominibus auxilium gratiæ ſufficientis. Quomodo enim, ajunt, Deus vult ſincere ac propria ſalutem univerſorum hominum, ſi aliquibus denegat media, quæ neceſſaria ſunt ad conſequendam ſalutem? Quidquid ſentias de hac Mediſtarum doctrina, quam ab aliis quoque probari fateor, nihil negotii hoc argumentum Thomiſtis, nobiſque faceſſit. Thomiſtæ quippe reponent voluntatem *antecedentem* nequaquam referri ad homines, ut in ſe exiſtunt, & in certis poſiti ſunt circumſtantiis, & illius nullam dari operationem, nullum effectum: addent illorum plurimi, eamdem voluntatem potius dicendam eſſe *velleitatem*, quam voluntatem *ſimpliciter*, reperiri in Deo metaphorice, non *formaliter*, & eſſa voluntatem ſigni, non *beneplaciti*. Hæc Thomiſtarum reſponſio conſtat ex dictis: noſtram, hac minime repudiata, ſubjiciemus inferius. Monemus interim, illam Mediſtarum ſententiam idoneam non eſſe ad probandum invicte, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe. Ratio evidens eſt, quoniam dogmata fidei non ſunt exigenda ad placita peculiaris ſcholæ, ſed ad firmiſſimas certiſſimaſque definitiones Eccleſiæ. At Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus aſt dogma fidei: omnibus vero auxilio gratiæ ſufficientis conferri, neque ab Eccleſia definitum aſt, neque a Catholicis univerſis conceditur. Agemus de hac controverſia libro 18. Subſcribimus interim S. P. Auguſtino, qui epiſt. 217. num. 16. ait: *Scimus gratiam non omnibus hominibus dari: Scimus eis, quibus datur, miſericordia Dei gratuita dari: ſcimus eis, quibus non datur, juſto judicio Dei non dari*; & Patribus Africanis in Sardinia exulantibus in ſua Epiſtola cap. 9. *De gratia non digne ſentit quiſquis eam putat omnibus hominibus dari*.

„ Jam vero inter præmiſſas aliaſque Theologorum ſententias, quid nobis plenius ac probabilius aſſerendum ſit, in medium eſt proferendum. Alibi in Deo ſolam diſtinctionem admiſimus *ſecundum connotata*. Nam *formalem* ex natura rei major pars Theologorum rejicit, excepta florentiſſima Scoti ſchola. *Virtualis* Thomiſtica, cum ſit *una perfectio æquivalens pluribus diſtinctis*, vel eſt potius dicenda *diſtinguibilitas*, quam diſtinctio, vel a noſtra non differt, quatenus percipi nequit ſina relatione *connotatorum* & effectuum plurium illarum cauſarum, & virtutum, quibus ſuprema cauſa, & ſimpliciſſima Dei virtus æquipollet. Quare ſi tricis omiſſis verborumque involucris, ad perceptiones mentis ſerio convertamur; non video quid interſit inter has duas poſitiones, *In Deo eſt una perfectiſſima virtus ab ejus natura omnino indiſtincta, quæ punit, & miſeretur, quod præſtant in homine duæ virtutes diſtinctæ, Juſtitia & miſericordia:* atque, *In Deo juſtitia & miſericordia ſunt idem omnino cum natura, neque alia ratione diſtinguuntur, niſi reſpectu connotatorum, videlicet, quia Deus punit & miſeretur, quod faciunt homines diverſa actione ac virtute*. Nec aliter affirmandum eſſa puto de diſtinctione *rationis*; aatenus quippe humana mens Dei miſericordiam a Dei juſtitia ſecernit, quatenus non valens una perceptione aſſequi ſupremam incomprehenſibilem Deitatem, quæ immutabilis perſaverans punit, & parcit, metitur illam pro modulo ſuo, quaſi duæ res ſint miſericordia & juſtitia, quemadmodum duo effectus ſunt inflictio pœnæ, atque veniæ largitio. Vereor idcirco, ne plures circa divinorum attributorum diſtinctionem exortæ ſententiæ manaverint ex idearum confuſione, & interdum logomachia decertetur in Scholis. At ſit unicuique ut lubet opinandi licentia: id ſana mihi videtur vero ſimilius; ideoqua non repudiata diſtinctione *virtuali* Thomiſtarum, neque diſtinctione *rationis* aliorum Theologorum, *formali* autem Scotiſtarum in ſua probabilitate relicta; uti feci in reliquis Dei proprietatibus, ita in ejus voluntate *antecedente*, & *conſequente*, illam diſtinctionem admittendam eſſe arbitror quæ petitur ex objectis, ſeu *connotatis*.

„ Ergo voluntatis *antecedentis* objectum, & connotatum eſt *inſtitutio ordinis*, quo poſſit unuſquiſque ſalvari, in qua inſtitutione Deus vult homines ſingulos conſequi poſſa hæreditatem regni cœleſtis: & ideo pro omnibus dedit in redemptionem unigenitum Filium ſuum: pro omnibus is pretium obtulit, pro omnibus ſanguinem fudit: Eccleſiam ædificavit, quæ omnes ad ſe venientes materni ulnis exciperet, atque in illa Sacramenta quæ vim habent omnia delendi peccata, ſacroſque miniſtros qui omni creaturæ prædicant Evangelium, & Dei myſteria diſpenſent, ſacrificium offerant, atque peccata dimittant, adeſſe voluit; theſauros demum omnium gratiarum, non tantum legis doctrinæ, exhortationum, conſiliorum divinorum, aliarumque ſimilium, verum etiam internarum, ideſt, ſanctarum cogitationum, piorum motuum cordis, timoris ſancti, fidei ſupernaturalis, ſpei, caritatis, ceterarumque virtutum, paravit, aperuit, ipſa cœlorum janua omnibus patefacta. Harum tamen donorum diſtributio & applicatio eſt objectum voluntatis *ſequentis*, quæ donorum illorum divitias diſtribuit, prout vult, & ſecundum excellentiam poteſtatis ſuæ, uni hanc, alteri illam gratiam ſuppeditans, quibuſdam parvam, quibuſdam magnam, aliis talem cui humanum reſiſtit arbitrium, aliis talem quæ a nullo duro corde reſpuitur, iis vero, quos elegit ante mundi conſtitutionem & a maſſa perditionis diſcrevit, finalem quoque perſeverantiam. Cur Deus miſericors & juſtus beneficia, quæ voluntate *antecedente* pro cunctis inſtituit, cunctiſque paravit, voluntate *conſequente* non omnibus diſtribuat, aut non æquali modo diſtribuat, nemo noſtrum debet inveſtigare, niſi velit errare; quamquam firmiſſime tenendum eſt munera illa gratiarum, quæ commemoravi, & ſi quæ ſunt alia ejuſdem vel alterius generis, ſiva omnia cumulatim, ſive plura, ſive perpauca, iis quibus dantur, miſericorditer dari, iis vero quibus denegantur, juſto judicio denegari; ita, ut ſalus a Deo, perditio a nobis ſit repetenda.

„ Exponit hoc modo voluntatem antecedentem *per impoſitionem ordinis, inſtitutionem Sacramentorum, ac præparationem & exhibitionem divinarum gratiarum*, Ægidius Romanus in 1. ſent. diſt. 46. atque univerſa ejus Schola apud Fridericum Gavardi quæſt. 4. *de voluntate* art. prout oſtendimus in *Vindiciis* diſſert. 4. cap. 1. §. 6. n. 12. Utuntur & alii Theologi præclariſſimi eadem explicatione. Scribit enim Sanctus Bonaventura in eamdem diſtinctionem 46. art. 1. q. 1. *Prout Deus dicitur vella omnium ſalutem, quantum in ſe eſt, & antecedenter, connotatur in omnibus ordinatio ad ſalutem, tum ex parte natura data, tum ex parte gratia. Dedit enim Deus naturam, ſecundum quam poſſent eum cognitum quærere, & quæſitum invenire, & invento inhærere, ac per hoc ſalutem obtinere. Gratiam ſimiliter obtulit, dum Filium miſit, & obtulit, cujus pretium omnium ſaluti ſufficit. Leges etiam & mandata tribuit ſalutis, & oſtendit. Ipſe etiam præſto eſt omnibus inquirentibus, & prope eſt omnibus invocantibus eum. Velle ergo hominem antecedenter ſalvare eſt ordinatum ad ſalutem facere, & volenti pervenire non deeſſe. Unde velle antecedenter ſalvare non connotat ſalutem, ſed ordinabilitatem ad ſalutem.* Similia leguntur apud Harvetum, & Durandum, qui aſſerunt Deum vella homines ſalvos fieri, *Quatenus dedit omnibus naturam ordinabilem in beatitudinem, & omnibus, quantum in ipſo eſt, præbet auxilia communia, quibus poſſunt ad beatitudinem dirigi, eamque mereri:* Ita Durandus. *Ex hoc ipſo*, quod *Deus contulit homini ea quibus ordinatur ad beatitudinem, dando intellectum & voluntatem, præcepta & conſilia, dicitur velle ſalutem omnibus voluntate antecedente:* Ita Hervetus.

„ Si rem penitius ſcrutemur, hæc voluntatis *antecedentis* explicatio non differt ab ea, quam tradidit S. Thomas, & poteſt cum illa facillime conciliari. Enimvero Thomiſtæ doctiſſimi affirmant per voluntatem *antecedentem* præparari *media*, ſeu auxilia, quibus homines

„ ſufficienter ordinentur, & promoveantur ad vitam æternam, licet non omnibus eadem media applicentur, exemplo allato medici, qui aperiens apothecam omnium medicamentorum genere abunde inſtructam, dicitur velle, quantum eſt ex ſe, infirmorum omnium ſanitatem, quamvis non omnes infirmi parata medicamenta percipiant. Ita Lemos, Joannes a Sancto Thoma, Gonet, & alii, de quibus plura præcitato cap. 1. diſſertationis 4. Exemplum illud medici præmonſtratum fuit a Doctore Angelico 3. *p. q.* 49. *art.* 1. ut vidimus capite proxime præcedenti. Namque objicit S. Thomas modum loquendi adhibitum a S. Bonaventura, & ab Ægidio Romano; ſiquidem quæſt. 23. *de Verit.* art. 2. docet effectum voluntatis *antecedentis* eſſe *dare omnibus naturam ad beatitudinem ordinatam*. Scripſit quoque S. Thomas in 1. ſent. diſt. 46. q. 1. art. 1. *Vocatur voluntas antecedens, qua Deus omnes homines vult ſalvos fieri ſecundum Damaſcenum; & ejus voluntatis effectus eſt ordo naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita, tam naturalia, quam gratuita, ſicut potentiæ naturales, & præcepta legis, & hujuſmodi.*

„ Hæc cum ita ſint, hactenus dicta facile conciliantur. Si enim voluntas *antecedens* ſpectetur *connotative* ad proprium objectum, quod eſt naturæ rationalis ordinabilitas in vitam æternam, *præparatio* donorum cum naturalium, tum ſupernaturalium, ejuſdemque vitæ æternæ *poſſibilitas*; eadem *antecedens* voluntas eſt in Deo *formaliter*, ac proprie, neque ſuo caret effectu, immo impletur ratione voluntatis abſolutæ, & conſequentis, quæ illi adnectitur, quoniam revera natura rationalis condita eſt intelligendi & volendi capax, ad beatitudinem ſupernam adſpirans, ac propter illam producta: ei inſuper lex proponitur, pro ea parata ſunt omnia gratiarum genera, habet eadem propitiationem in Sanguine Chriſti, exhibitum pro illa eſt liberationis pretium ſuperabundans, & inſtituta ſunt remedia, quibus peccata omnia poſſint deleri, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur, ac tempus permanet converſionis & pœnitentiæ. Recte etiam hæc voluntas dicitur a S. Joanne Damaſceno voluntas eorum, quæ Deus vult *ex ipſo*, atque ab aliis Patribus, ut ait S. Remigius, *ex bonitate Conditoris*, quoniam Deus, ut nos conderet ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ut erueret de poteſtate tenebrarum, ut nobis januas cæli aperiret, ut tanta, ac tam præclara remedia & adjutoria inſtitueret, pararet, atque exhiberet, non permotus eſt præſcientia meritorum noſtrorum, ſed beneficentiſſimæ voluntatis ſuæ beneplacito. Si vero voluntas illa *antecedens* ſpectetur *connotative* ad objectum voluntatis *conſequentis*, nimirum relate ad actualem conſecutionem ſalutis, ſive ad applicationem gratiarum, aliorumque mediorum ad ipſam ſalutem conducentium, rectiſſime dicitur a S. Thoma *velleitas* potius quam voluntas, & *ſigni* potius, quam *beneplaciti*, nec alia ratione explicari poteſt, quam *pro generibus ſingulorum*, vel *ſecundum diſtributionem accommodam*, quemadmodum fecit ſapientiſſimus Auguſtinus. Cujus rei apertiſſima ratio eſt, quoniam non omnes hæreditatem capiunt ſalutis, neque omnes paſſionis Chriſti fructum percipiunt; immo in plurimorum Scholaſticorum ſententia non omnibus ſemper actu applicantur auxilia ſufficientia, quibus in pœnam præcedentium peccatorum juſto Dei judicio privantur: & idcirco ad hujuſmodi homines, qui reprobantur, & deſeruntur a Deo, comparatur ſolummodo illa voluntas *conſequens*, quæ juxta Damaſcenum *ex noſtra cauſſa ortum habet*, & juxta alios Patres oritur *ex æquitate juſtitiæ*.

„ Ex his quoque infertur Chriſtum mortuum eſſe *pro omnibus*, quatenus *communem hominum cauſam ſuſcepit*, & in pretio ſanguinis ejus eſt illa ſufficientia, quam poſtulat generalis redemptio, ut inquit Beatus Proſper; quatenus inſtituit *cauſam noſtræ liberationis*, ex qua poſſent viatoribus quæcumque peccata quandocumque remitti, ut docet Doctor Angelicus; quatenus *dedit ſemetipſum redemptionem* pro omnibus, ut Sacræ teſtantur litteræ, & definiunt Sacroſancta Concilia: & nihilominus veriſſime dici crucifixum *pro ſolis prædeſtinatis*, in quantum iis mors ipſius peculiariter profuit, in ipſo electi ſunt ante mundi conſtitutionem, in ipſo creati ſunt in operibus bonis, pro ipſis ſpeciali affectu piiſſimus Redemptor oravit, ne quiſquam illos raperet de manu ſua: verbo dicam, pro iis crucem ſubiit qui fructum paſſionis ejus, propitiationem peccatorum, adoptionem perfectam, filiorumque hæreditatem percipiunt. De hac tamen re alibi plura in Opuſculo *de Gratia ſufficienti*.

„ Hæc ſunt, quæ de voluntate Dei circa omnium hominum ſalutem, & de omnium hominum redemptione facta per Chriſtum hoc in loco proferenda eſſe putavi. Saltem hoc unum fatebitur ingenuus lector, ea, quæ de hoc argumento in libris *de Theologicis diſciplinis*, & in *Vindiciis Auguſtiniani Syſtematis* produxi, non eſſe fraudes, & cavillulas hominis infecti Janſenianæ hæreſis labe, neque vocabula ad illudendum inventa, ut quidam calumniabantur; ſed cuncta, quoad ſententias & verba, ex Auguſtino, Proſpero, & præſtantiſſimis Theologis fuiſſe deprompta. Quare iidem potius calumniatores imperitis fucum fecere, & nos novitatis redarguendo vetuſtatem penitus ignorarunt. Conſtat etiam quam imperite ad hæc dogmata ſtatuenda opportunum ſolummodo cenſeatur placitum illorum, qui ſufficiens gratiæ divinæ adjutorium actu ſingulis conferri contendunt. Quorum opinio, ut ut probabilis ſit, non eſt tamen adeo certa & univerſim recepta, ut illi adverſantes induci debeant in ſuſpicionem erroris. Nec tamen ego ſcita illorum Theologorum pro univerſali gratiarum diſtributione pugnantium expendam ſeveriori judicio; ſalva enim fide, unicuique fas eſt in proprio ſenſu abundare. Abſolvam itaque hanc diſſertationem verbis S. Remigii lib. *de tenenda verit. Script.* cap. 12. *Sit ergo inter nos etiam de hac re pia cautela & moderatio, quatenus & Sanctis Patribus debitus ſervetur honor, &, quolibet quis acquieſcat modo, ex illis ſenſibus, qui de hac ſententia ab eis poſiti ſunt, non judicemus eſſe hæreticum; ſed potius vitemus contentionis malum, per quod etiam de pacificis & eccleſiaſticis ſenſibus poteſt qui contentioſus eſſe voluerit, hæreticum efficere quod ſentit.* In libro etiam *de tribus Epiſtolis* cap. 13. S. Remigius ita loquitur: *Quæ omnia cum tam obſcura ſint, & tam profunda atque perplexa, nollemus inter fratres & cariſſimos noſtros aliquid de his contentioſe ventilari, vel temere definiri, ſed potius quod in eis certum eſt, ſine dubitatione defendi: quod tamen etiam inter magnos diverſo modo, ſed non diverſa pietate ſentientes, ambiguum atque incertum remanſit, etiam æquum eſt reverenter honorari, quia neutrum videtur eſſe falſum, vel fidei contrarium.* Eo libentius hæc Sancti Remigii exſcripſimus verba, quo comprehendunt monitum utiliſſimum ac ſaluberrimum, & ille pro Sancti Patris Auguſtini ſententia pugnavit acerrime, ceteriſque præferendas duxit expoſitiones ejuſdem Auguſtini pertinentes ad Apoſtolica teſtimonia, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, & *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*: de quibus a me pertractatum eſt hactenus.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER DECIMUS OCTAVUS,

Complectens Scholaſtica Commentaria in quædam Epigrammata divi Proſperi circa divinorum Auxiliorum ad ſingula bona Opera neceſſitatem.

HÆRESIBUS adverſus Chriſti Gratiam, & humani arbitrii libertatem, quantum inſtituti noſtri ratio poſtulabat, hactenus refutatis, progredimur ad illas quæſtiones reſolvendas, in quibus exercere ſolent diſputantium Scholaſticorum ingenia, & quæ præſertim ſpectant ad ejuſdem Gratiæ neceſſitatem. Occurrunt quippe in his quæſtionibus difficilia quædam, & ſcitu ſummopere neceſſaria, circa officia moralium virtutum, infidelium opera, obſervationem præceptorum & tentationem victoriam: quæ ita a nobis ſunt propugnanda, ut continuo inſectemur recenſitos errores, neque ab Auguſtiniana doctrina ullatenus divellamur. Fuerunt enim Scriptores permulti, qui de his differentes tradiderunt liberum arbitrium poſſe abſque Chriſti gratia facere quod non poteſt, aut ex adverſo nequaquam poſſe quod poteſt: atque hoc in libro, quantum illi receſſerint a veritate, curabimus demonſtrare. Diſputatio præterea inſtituenda eſt de magno dono finalis perſeverantiæ, necnon de ſufficienti Gratia omnibus quidem a Deo Optimo Maximo miſericorditer exhibita, ac præparata; ſed quam nonnulli pervicaces impiique temere proſundant & reſpuunt. Atque his explicandis præmittimus Epigrammate Proſperi, qui tam metrica, quam ſoluta oratione doctrinam S. P. Auguſtini egregie illuſtravit.

CAPUT I.

Inquiritur an ad habendam notitiam legis neceſſaria ſit Chriſti Gratia.

EPIGRAMMA.

Scrutari legem poſſunt ut cumque quieti,
Si mundi a ſtrepitu libera corda vacent.
Ut mens ergo piis ſtudiis intenta juvetur,
Prælia divinis carnea vincat Amor.
Nam Templum Domini per ſacra ſilentia creſcit,
Et ſacris ſtructus non ruitura Domus.

PROPOSITIO I. Poteſt utcumque rationalis creatura veritatem aliquam naturalem, non ſolum ſpeculativam, ſed etiam practicam, abſque ſupernaturali gratia ſcrutari, dummodo libera mente ab obſtrepentibus ſenſuum fallaciis ſeſe ad intimam rationis claritatem convertat.

Veritates naturales ſunt, quæ humanis diſciplinis traduntur, & nativam intellectus facultatem non ſuperexcedunt, ut quæ aſſequimur per Phyſices, aut Mathematices rudimenta. Quarum veritatum aliæ ſunt ſpeculativæ, aliæ practicæ. Illæ in veritatis contemplatione, illæ autem in praxi, ſive operatione verſantur. Atque ſi hæc operatio ſpectat ad officia virtutum; illius cognitio appellatur *moraliter practica*. Utrum virtus moralis ſiſtens in ipſo operis officio vera ſit virtus nullo vitio permixta, nolumus hoc priori capite definire. Tantummodo aſſerimus poſſe unumquemque hominem veritatem naturalem etiam practicam, cujuſmodi eſt pronunciatum illud naturalis legis, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, aſſequi per lumen rationis cuique inditum. Id vero duplici apppoſita conditione, 1. ut mens retrahat ſe a ſtrepitu ſenſibilium illecebrarum ad ideas ingenitas, & ad indeficibile lumen. 2. ut ſuæ infirmitatis conſcia non audeat ſperare, ſe poſſe ad omnia perfecte cognoſcenda abſque ſpeciali dono pertingere. Hæc continentur priori diſtico Epigrammatis.

Quod aliquam veritatem naturalem abſque gratia Salvatoris percipere valeamus; probatur I. Nulla eſt enim in ſerie veritatum naturalium ſublimior, quam unum eſſe Deum Conditorem rerum univerſarum, deinde ſpiritum hominis nulla materiei diſſolutione interire. Id vero rerum viſibilium contemplatione, atque intima conſcientia, idearumque libramentum animal ratione præditum attingere, argumentationibus plurimis demonſtravimus. II. Certiſſimum eſt, & confirmatum auctoritate Auguſtini lib. 1. ad Simplic. Q. 2. *non ſolum bonum ingenium, ſed & honeſtas, & utiles diſciplinas comparari ante gratiam ſalutarem.* III. Chriſtus mortuus eſt ut juſtificaremur, quemadmodum S. P. demonſtrat in celebri Epiſt. ad Sixtum, non autem ut Philoſophi, & Mathematici efficeremur. Igitur ad Philoſophicas, & Mathematicas diſciplinas capeſſendas neceſſarium non eſt ſupernaturale Gratiæ adjutorium. IV. Dæmones nulla ſupernaturali gratia exornati ſunt, & nihilominus quanta pollent naturalium ſcientiarum notitia! Ex miraculis Chriſti ſuperna virtute patratis illius quoque divinitatem agnoverunt clamantes apud Matth. cap. VIII. 29. *Quid nobis, & tibi, Jeſu fili Dei?* & Lucæ IV. 41. *Tu es filius Dei.* V. Peccatum Adami etſi homo ignorantiæ & difficultatis vulnus contraxit, unde naſcimur tardioris & hebetioris ingenii, non tamen rationis lumen penitus extinctum eſt. Poteſt ergo native facultate eniti, ut exercitatione & labore rerum naturalium cognitionem adipiſcatur.

Deinde quod poſſit percipere etiam veritatem moralem practicam, ideſt, proponentem officia virtutum, miſſa interim quæſtione illa, an opus in ſolo officio conſiſtens bonum ſit undequaque; probatur auctoritate, ratione, & experimento. Enimvero S. P. Auguſtinus in 2. de Trinit. cap. 13. ſcribit: *Quicquid prudenter, fortiter, temperanter, & juſte agimus, non ad ſapientiam, ſed ad eam pertinet ſcientiam ſive diſciplinam, qua in evitandis malis, boniſque appetendis actio noſtra verſatur. & quicquid propter exempla vel cavenda, vel imitanda, & propter quarumcunque rerum, quæ noſtris accommodata ſunt uſibus, neceſſaria documenta, hiſtorica cognitione collegimus.* Et Venerab. Beda in cap. 2. ad Rom. *Anima rationalis etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat & ratiocinatur, quicquid in ea ratiocinatione verum eſt, non ei tribuendum eſt, ſed lumini veritatis, a quo vel tenuiter pro ſui capacitate illuſtratur, ut verum aliquod in ratiocinando ſentiat. Manu Formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit, Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Accedit Theologica ratio; quoniam illud nuper commemoratum, aliaque univerſalia legis naturæ principia nequeunt invincibiliter ignorari, ut alio in loco demonſtrabitur. Præterea quanta naturali legi conformia, atque ad humanam regendam Rempublicam perutilia tradiderunt Cato, Cicero, Seneca, Ariſtoteles, Plato, Lycurgus?

At dixi ad Lumen rationis, inditamque veritatis imaginem, non ad ſenſuum fluctuantes illecebras eſſe attendendum: quod non eget demonſtratione. Vidimus quippe Atheos ſenſuum fallaciis abreptos negare divini Numinis exiſtentiam; Epicureos animorum immortalitatem; & Politicos omnia ad temporale commodum referentes etiam proximorum internecionem exitiumque curare. Recte ergo monet Proſper, quod ad naturalem legem ſcrutandam debent a rerum mondanarum ſtrepitu libera corda vacare.

Præterea dixi, naturalem hominis lapſi facultatem non poſſe ſingulas naturales veritates *collective* acceptas attingere. Sequitur ex dictis. Si etenim homo per peccatum contraxit vulnus ignorantiæ, luctamque experitur inter intellectum, & ſenſum, nequit diſciplinis etiam naturalibus tam enixe navare operam, ut potuiſſet originali pace fruens, omnibuſque rationis regens ſenſuum officium ac miniſterium. Hinc Auguſtinus in 1. Retract. cap. 9. ſcribit: *Ad miſeriam juſtæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis ſuæ:* quod repetit de Nat. & grat. cap. 22. lib. XXII. de Civ. Dei cap. 22. atque in aliis locis compluribus. Confirmant ſententiam noſtram verba Eccleſ. cap. VIII. v. ult. *Et intellexi quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum quæ fiunt ſub ſole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.* In quem locum præclare Olympiodorus in Catena GG. PP. *Nullus itaque ſapiens, ſive ſæcularis, ſive in vera Sapientia initiatus perfecte poteſt Univerſi cognitionem aſſequi.*

PROPOSITIO II. Ut mens piis ſtudiis intenta juvetur ad æternam vitam capeſſendam, requiritur Gratia, ſive inſpiratio ſanctæ dilectionis vincens carnales cupiditates, ut docet Proſper in altera parte Epigrammatis.

Conveniunt in hac theſi Catholici omnes, eamque comprobant ſequentia momenta. Primo quia quælibet ſcientia cum amore veritatis conjuncta, animumque excitans ad ſalutariter operandum, repromiſſa eſt per merita Mediatoris, atque de illa viri pii Deo gratias rependunt cum Apoſtolo ſcribente ad Corinth. 1. cap. 1. v. 4. *Gratias ago*

Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu: quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia. Deinde auctore eodem Apoſtolo 2. ad Corinth. cap. III. 5. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis:* quæ verba Concilia & Patres acceperunt de ſancta cogitatione cor noſtrum ad recte operandum alliciente. Rurſus oratio fidelium eſt divinæ gratiæ apertiſſimum teſtimonium, ut diximus de H. P. cap. VIII. Fidelis autem Deum orat cum regio Vate Pſalmo CXVIII. v. 34. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Præterea vidimus de H. P. cap. 2. damnatam eſſe aſſertionem Pelagii, quod *Dei gratia ad ſingulos actus non detur.* Atque id accipiendum eſſe de Gratia actuali conſtat ex diſputatis in eadem diſſert. prop. 2. cap. VI. ſpectare autem ad omnia opera ſalutaria, demonſtratum eſt cap. XI. & de H. Semip. cap. IV. Similiter Milevitanum Conc. can. 4. *Donum Dei eſt ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Et Arauſic. 2. can. 9. *Divini eſt muneris cum recte cogitamus.* Auguſtinus denique lib. VI. contra Jul. cap. 26. *Ignorantia minuitur veritate magis, magiſque lucente, concupiſcentia minuitur caritate magis, magiſque fervente: nihil boni horum duorum eſt a nobis, non enim ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt.* An vero hæc omnia probent etiam gratiæ neceſſitatem ad cognoſcendum, perficiendumque bonum opus morale, videbimus proximo capite III.

Argumenta quæ facere videntur adverſus primam propoſitionem confirmant ſecundam, & e contra quæ ſecundam comprobant videntur priorem labefactare, ſed omnia ad concordiam revocantur, ſi dixeris nullam Chriſti gratiam requiri ad cognitionem veri ſpeculativam, bene tamen ad practicam, & ſuſcitantem operum ſalutarium ſive parvam, ſive robuſtam cupiditatem.

Itaque adverſus priorem theſim opponunt. I. Si aliquis nativa intellectus facultate poſſet veritatem aliquam percipere, homines ſcientia præditi poſſent adverſus rudes & imperitos gloriari, contra monitum Apoſtoli in 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te diſcernit? &c.* II. Falſum eſſe pariter quod idem Apoſtolus ſcribit, *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis.* III. Supervacaneum pariter eſſet cum Pſalmiſta notitiam veri orationibus poſtulare. IV. Falſa inſuper eſſet prælaudata Auguſtini ſententia, vulnus ignorantiæ nonniſi medicinali gratia ſanari. V. Item nec recte diceretur hominem ob Adæ prævaricationem naſci cæcum, quomodo affirmat Magnus Gregorius Hom. XI. In Evangelia; nam ut corporali lumine captus nihil poteſt videre, ita affectus cæcitate mentis nihil poteſt percipere. VI. Si ad aliquam veritatem comparandam non eſt neceſſaria gratia Salvatoris, neque neceſſaria erit ad cognoſcendas omnes eundem naturæ ordinem non excedentes.

Reſp. ad 1. loqui Apoſtolum de Fide, & aliis gratiæ donis, in quibus nemo diſcernitur per dona naturalia bonis maliſque communia, ideoque recte hoc loco contra humanam ſuperbiam demonſtrari gratiæ neceſſitatem, ut vidimus de H. P. cap. IX. De ſcientiis autem ſpeculativis ideo gloriari non poſſumus, quoniam ſine gratia inflant, nec diſcernunt inter bonum, & malum; ac præterea non comparatur niſi naturalibus potentiis, & cauſſis præordinatis a Deo, & naturali illuſtratione, atque lumine ipſo divino ſingulis affulgente. Solvitur eadem ratione quod ſequitur. Etenim ſanctam cogitationem nos ad veras virtutes allicientem ac trahentem habere non poſſumus abſque auxilio ſupernaturali; ſpeculativam vero ſine naturali mentis colluſtratione. Apoſtolus autem cap. 3. Epiſt. 2. ad Corinth. loquitur de ſancta cogitatione quæ fideles attrahit, ipſumque reddidit idoneum novi teſtamenti miniſtrum: & conſequenter demonſtrat neceſſitatem auxilii ſupernaturalis ad fidei initium, ut dixi de H. Semip. cap. 4. Sane orando non poſtulamus a Deo cognitionem ſterilem & inflantem, ſed quæ ad mandata divina facienda deſerviat, & ſit lucerna pedibus, & lumen ſemitis. Ab Auguſtino & Gregorio dicitur homo cæcus, in quantum ſola cognitione naturali nequit ad veritatem Chriſtianæ fidei pertingere; & humanis ſcientiis incumbens nequit ſine gratia in viam ſalutis dirigere greſſus ſuos: ſed cum Jerichuntino Lucæ XVIII. 35. *ſedet ſecus viam mendicans.* Poſtremi argumenti conſecutio non minus inepta eſt, quam ſi dixeris, Poteſt infirmus deambulare, Ergo & curſum currere; aut lippiens oculis cernit propinquiora, igitur & corpora quæque longinqua. Nam quod nequeat homo rerum omnium ſibi ſcientiam comparare, facit illius finitudo, virium imbecillitas, faſtidium laboris, craſſities corporis, rerumque amplitudo. Quare laudabilis eſt quiſquis ſpartam, quæ ſibi contigit, ornat, juxta vetus adagium,

Σπάρταν ἔλαχες; ταύταν κόσμει.

CAPUT II.

Quæritur quid aſſerendum ſit de operibus eorum, qui gratia Fidei ſunt deſtituti.

EPIGRAMMA.

Quamvis multa homini poſt vulnera prima ſuperſint,
Quæ vitam hanc faciant laudis habere decus:
Si tamen ingenio claro, & probitatis amori
Fons deſit fidei ſubdita corda rigans;
Cunctarum frugum marceſcit inutile germen,
Nec fruitur vero lumine falſus honor.
Ignoratus enim Deus, & non credita virtus,
Quæ vera ad ſummum provehit arte bonum,
Non ſinit eniti regna ad cæleſtia mentem,
Obſtructam venis, occiduiſque gravem.
Perque omnes calles errat ſapientia mundi,
Et tenebris addit, quæ ſine luce gerit.

PROP. I. Multa fiunt etiam ab Infidelibus, & impiis, quæ ſi operum honeſtatem inſpicias & officia virtutum, habent decus laudis, neque ratione operis appellari debent peccata.

Hæc poſitio pertinet ad dogma Fidei. Et prob. 1. can. 7. Seſſ. VI. Conc. Trid. *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, vere eſſe peccata, &c.* Item Conſtantienſ. ſeſſ. 15. ubi damnatur aſſertum Witclefi, *Omnia peccatoris opera ſunt peccata.* Similiter damnatus eſt XXV. art. Baji, *Omnia infidelium opera ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Eſt tamen diſcrimen aliquod inter errores damnatos a Synodo Conſtant. ac Tridentina, & inter errorem Baji. Witclefus enim & Calvinus affirmarunt peccatum eſſe quicquid fit abſque gratia habituali, & etiam quodlibet opus juſtorum ob concupiſcentiæ labem omnia viciantem; & Bajus aſſeruit quidem art. 35. *omne quod agit peccator eſſe peccatum*, ſed juſtos recte operari non denegavit.

Secundo probatur ſententiis Patrum. S. Baſilius Hom. in 1. Prov. ſcribit: *Sunt & apud nos virtutes ſecundum naturam, ad quas familiaritas ipſa animæ, non ex doctrina hominum, ſed ex ipſa natura ineſt.* Greg. Nazianz. orat. 31. *Alii naturæ indole ad virtutem tendunt.* S. Pater Auguſtinus de Spir. & lit. cap. 27. *Etiam impiorum, neque Deum verum veraciter pieque colentium quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam merito recteque laudamus: quamquam ſi diſcutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitia debitam laudem, defenſionemve mereantur.* Et proximo cap. *Sine aliquibus bonis operibus difficile vita cujuſlibet peſſimi invenitur.* Cujus rei S. Pater optimam ibidem profert rationem, *Quia non uſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta remanſerint, unde merito dici poſſit etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere.* Divus etiam Proſper contra Collatorem cap. 22. *Quis ambigat, hanc ſapientiam humano generi ad temporalis vitæ utilitatem ex natura a Deo condita ſupereſſe reliquiis? Si enim nec ad iſta terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata eſſet, ſed extincta natura.* Et Auctor Hypognoſticon non longe a principio lib. 3. *Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod ſit idoneum quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare; aut peragere: ſed tantum in operibus vitæ præſentis, tam bonis, quam etiam malis. Bonis dico quæ de bonis natura oriuntur, ideſt velle quidquid boni ad præſentem pertinet vitam.*

Tertio probatur depromptis ex Auguſtino rationibus: quarum prima eſt. Gentilis, aut quilibet impius nullam veram & Chriſtianam virtutem exercens, ſed moralem duntaxat, honeſto tamen fine, non improbo ac perverſo, poſt hanc vitam non punietur propter morales virtutes, ſed potius minori afficietur ſupplicio pœnas pendens tantum infidelitatis, vitiorumque ſuorum. *Minus enim Fabricius, quam Catilina punietur; non quia iſte bonus, ſed quia ille magis malus, non veras virtutes habendo, ſed a veris virtutibus non plurimum deviando,* inquit S. Pater lib. IV. contra Jul. cap. 3. At opus, quod exercentes minus deviamus a veris Chriſtianiſque virtutibus, mulctamque vitamus acerbiorem, nequit eſſe peccatum. Peccata ergo non ſunt opera moralium virtutum, quæ interdum ab impiis, & a Gentilibus exercentur. Inſuper quæ habent retributionem ſempiternam, ſunt virtutes, quatenus virtus ad hanc retributionem refertur, ideſt virtutes veræ, undequaque bonæ, & chriſtianæ. Quæ ergo habent in præſenti vita mercedem, virtutes erunt, prout virtus ad præſentem vitam ſpectat, nimirum virtutes humanæ, ſeipſis a naturali ordine non deflectentes, ac bonæ moraliter. Sed Gentilium virtutes quandoque temporalem mercedem obtinuerunt, & ſi ad veram pietatem, verumque Dei cultum fuiſſent relatæ, fuiſſet iis æternum quoque præmium

retri-

retributum. Igitur virtutes erant humanæ, bonæ moraliter, ac ſeipſis a naturalis ordinis inſtitutione non deflectentes. Probatur minor ex his, quæ S. Pater narrat lib. v. de Civ. Dei cap. 12. de Virtutibus Romanorum, quibus voluit Deus regnum impertiri, *quod tempore eſſet poſterius, ſed imperii latitudine, & magnitudine illuſtrius: idque talibus hominibus potiſſimum conceſſit ad domanda gravia mala multarum gentium, qui cauſſa honoris, laudis & gloriæ conſulerent patriæ, in qua ipſam gloriam requirebant, ſalutemque ejus ſaluti ſuæ præponere non dubitarent, pro uno iſto vitio, ideſt amore laudis, pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes*. Geſta itaque a Romanis pro incolumitate patriæ, ſecundum ſe bona erant, utpote publicum bonum illis ſibimet præferentibus, ideoque meruerunt grandiorem, ampliorem que rempublicam: quamquam & opera iſta bona ſuperbo fine vitiarunt, omnia gerentes ob laudis cupiditatem, ut ibidem explicat S. Pater. Verum hoc non operis vitium fuit, ſed ipſorum ambitio: cujus etiam ambitionis pravitatem poterant lumine naturali deprehendere; id enim nec fugit Horatium, qui ad reprimendam dominandi libidinem, ut Auguſtinus animadvertit proximo cap. 13., ſcripſit in Carmine Lyrico lib. 2. ad Saluſt.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam ſi Lybiam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

Præclara pariter ſunt, quæ de iiſdem Romanis ſcribit S. Pater Epiſt. v. ad Marcellinum prope finem: *Rempublicam primi Romani conſtituerunt, auxeruntque virtutibus; etſi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ illos etiam in æternam civitatem poſſet ſalubri religione perducere, cuſtodientes tamen quandam ſui generis probitatem, quæ poſſet terrenæ civitati conſtituendæ, augendæ, conſervandæque ſufficere. Deus enim ſic oſtendit in opulentiſſimo, & præclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam ſine vera religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines alterius civitatis, cujus rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus æternitas*. Huc ſpectant exempla e ſacris literis petita. Obſtetrices enim Ægypti Exodi 1. v. 20. laudantur, & mercedem conſecutæ ſunt, quoniam Hebræorum maſculos non præſocarunt. Et Nabuchodonoſor cap. 29. Ezech. accepit boni operis mercedem, poſſeſſionem terræ Ægypti. In quem locum affirmat Hieronymus, *etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio reperiri*. Quod & repetit in cap. viceſimum ſecundum Matthæi.

Poſtrema ratio eſt, quoniam S. Pater in IV. contra Julianum cap. 3. admittit virtutis definitionem traditam ab Ethnicis Philoſophis, *Virtus eſt animi habitus naturæ modo, atque rationi conſentaneus*: quamquam S. Pater ibidem commonet, quod ii ignari ſupernaturalium bonorum, & originariæ infectionis, *verum dixerunt, ſed quid ſit conſentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium neſcierunt*. Igitur honorare parentes, erogare ſtipem pauperi, & alia quæ propter honeſtatem operum etiam a Gentibus gratia deſtitutis perficiuntur, tametſi ad liberandam & beatificandam naturam mortalium non valeant, naturæ modo, & rectæ rationi ſunt conſentanea; & virtutes, non quidem Chriſtianæ, & ad veram pietatem pertinentes, ſed moraliter bonæ, non vitia, aut peccata, ſunt appellanda.

PROPOS. II. Virtutes infidelium, ut plurimum, ſunt germen inutile & marceſcens, quemadmodum ſcribit Proſper, nimirum, cum ſit in illorum corde radix cupiditatis, ſolent bona opera aut ad inanem gloriam, aut ad voluptatem referri. In eo autem caſu nullus negat hujuſmodi virtutes vitio aut philautiæ, aut inhoneſtatis labefactari.

Demonſtratur primo ex ſacris literis. Matth. VI. 23. habetur: *Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*. Quæ verba explicans S. Pater lib. 4. contra Jul. cap. 3. num. 33. ait: *Hunc oculum agnoſce intentionem, qua facit quiſque quod facit*. Intentio autem infidelium, & impiorum, ut plurimum, vitioſa eſt; ergo etiam omnia opera erunt ut plurimum germina inutilia & infecta. Probatur minor, nam infidelium intentio, ut mox demonſtrabo, vel ad cultum inanium Deorum, vel ad ſuperbiæ typhum protendit, omneſque improbi ſolent intentionem dirigere ad commutabile illud bonum, cujus cupiditate detinentur. Præterea Evangeliſta proximo cap. VII. v. 18. *Non poteſt* (inquit) *arbor mala bonos fructus facere*. Eſt autem homo infidelis, aut impius arbor mala, non quatenus homo eſt, ſed quatenus in ſe malam voluntatem habet, a qua peccata veluti a radice naſcuntur. Ideoque appoſite explicat S. Pater eodem loco num. 30. dicens: *Non itaque in quantum homo eſt, quod eſt opus Dei, ſed in quantum malæ voluntatis eſt, quiſque arbor mala eſt, & bonos fructus facere non poteſt*. Vigente ergo voluntate mala, cui obtemperare ſolent increduli & *habitualiter* improbi, neceſſe eſt, ut marceſcant germina virtutum inde erumpentia. Rurſus impii *fornicantur* a Domino, ut legimus Pſ. 72. v. 23. & Jerem. V. 7. ſcilicet errant in *adinventionibus* ſuis, atque oblectantur illicitis. In animo itaque fornicante ac turpia oblectamenta appetente, pudicitia & virtus quælibet in ſola mente habitans, etiamſi corpore exerceatur, permanere non poteſt.

Deinde probatur theſis experimento ſimulque auctoritate Auguſtini. Nam Romanos, qui amore laudis vehementiſſime tangebantur, *pro iſto uno vitio pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes*, nunquam vera virtute claruiſſe demonſtrat S. P. citato cap. 12. lib. v. de Civ. Dei, propterea quod non ſit vera virtus, *niſi quæ ad eum finem tendit, ubi eſt bonum hominis, quo melius non eſt*. Quod ſi aliqui gloriæ contemptores fuerunt, ut exemplis commonſtrat S. P. cap. 19. ejuſdem libri, ob dominationis cupiditatem beſtias ſuperarunt, *ſive crudelitate vitæ, ſive fluxu luxuriæ*. Eapropter Julianum deprædicantem Romanorum virtutes, ut everteret gratiæ neceſſitatem S. Doctor lib. 4. cap. 3. num. 26. his verbis alloquitur: *An forte & iſtis, qui exhibuerunt terrenæ Patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute civili, non vera, ſed veriſimili, dæmonibus, vel humanæ gloriæ ſervierunt, Fabriciis, videlicet, & Regulis, & Fabiis, & Scipionibus & Camillis, ceteriſque talibus, ſicut infantibus, qui ſine baptiſmate moriuntur, proviſuri eſtis aliquem locum, inter damnationem, regnumque cælorum?*

Ultimo probatur ratione, quam affert ibidem Auguſtinus num. 19. Ad cognoſcendum utrum virtus aliqua vera ſit, non ſolum intueri debemus quod agitur, ſed etiam cauſſa quærenda eſt, cur agatur. Non enim officiis, ſed finibus virtutes diſcernuntur a vitiis. Alioqui veras virtutes dicendum erit eſſe in avaris, *cum lucrorum vias prudenter excogitant, cum pro acquirenda pecunia ſæva, atque aſpera multa fortiter tolerant, cum varias cupiditates quibus ſumptuoſe vivitur, temperanter ſobrieque caſtigant, cum abſtinent ab alieno, & de ſuo ſæpe amiſſo contemnunt, quod videtur ad juſtitiam pertinere, ne jurgiis & judiciis plura conſumant*. Hæ quidem virtutes tali fine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germanæ & veræ cenſendæ ſunt. Conſimili ergo ratione quicquid a Gentilibus agitur voluntate infideli, atque elata, appellari germana virtus non debet.

PROPOSITIO III. Alio quoque ex capite, quæ ſine Chriſti gratia ab infidelibus peraguntur nequeunt inter virtutes connumerari, ſcilicet, quia nihil conferunt ad veram & Chriſtianam pietatem: ſive, ut inquit Proſper in altera parte Epigrammatis, hujuſmodi virtutibus mens ad cæleſtem beatitudinem non enititur.

Hæc propoſitio demonſtratur omnibus argumentis, quibus de H. Pelag. cap. ultimo probatum eſt, morales virtutes nullatenus *poſitive* diſponere ad gratiam. Probat autem S. Pater contra Pelagianos hanc veritatem argumentis innumeris. Memorato lib. IV. contra Jul. cap. 3. oppugnans data opera hæreticum negantem Dei donum eſſe virtutem, eamque tribuentem naturali hominum voluntati; num. 15. evincit Dei gratiam neceſſariam eſſe non ſolum ad capeſſendam perfectionem, ſed etiam ut talis gratiæ opitulationem mereamur; alias ſi homo poſſet ſine gratia *ad aliquid laudabile generoſi cordis ſtimulis incitari*, poſſet gloriari in libero arbitrio, *ac ſic priorem dare, ut retribuatur illi, eoque modo gratia jam non ſit gratia, quia non eſt gratuita*. Appellat prox. num. 16. *acerbiſſimos gratiæ inimicos*, qui dicunt *alienos a fide abundare virtutibus, in quibus ſine adjutorio gratiæ ſolum eſt naturæ bonum, licet ſuperſtitionibus mancipatum*. Pergit num. 17. demonſtrare non eſſe in infidelibus veram juſtitiam, nec veram ſapientiam, tum quia inde ſuperbia recedunt quo appropinquant intelligentia; tum etiam quia ſi per naturam voluntatemque vera haberetur juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſſet, nec non per naturam compararetur Dei regnum, cum ipſum juſtitia ſit, & retribuatur juſtitiæ. Demonſtrat num. 18. eos qui in agone decertant, & ab omnibus ſunt continentes, contendere ut corruptibilem coronam accipiant, ideoque cum ab hujus cupiditate non ſe contineant, veram continentiam nequaquam habent. Numero 18. definit virtutem per ordinem ad ſalutem, veramque felicitatem, ideoque quicquid ſine gratia peragitur, nonniſi virtutem Stoicam & a recto fine deviantem appellat. Urget in ſequentibus Apoſtolicam ſententiam, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, accipiens *fidei* nomen, non ut quidam exponunt pro ſolo naturalis conſcientiæ dictamine; id enim ad refellendum Julianum fuiſſe prorſus ineptum; ſed pro ſuperna inſpiratione illius gratiæ, quam hæreticus evacuare nitebatur. Tandem poſt longam diſputationem, *Scito* (inquit num. 33.) *nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, ſine Dei gratia, quæ datur per Unum Mediatorem Dei & hominum, nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum, regnumque perduci*. Indubitatum eſt igitur, virtutes infidelium veras non eſſe, in quantum virtus ad capeſſendam beatitudinem viam ſternit.

PROPOSITIO IV. Cum erret ſapientia mundi per omnes calles, ut poſtrema parte Epigrammatis docet Proſper, quicquid boni infideles patraverunt, dicendi ſunt non ſine ſuperna illuſtratione ut plurimum patraſſe: non tamen eis neceſſaria fuit, aut eſt, ad non peccandum Fides *habitualis*, nec gratia remiſſionis peccatorum.

Prima propoſitionis pars eſt Auguſtini; altera & Auguſtini, & omnium Catholicorum. Prima ergo pars demonſtratur iis argumentis, quibus proximo capite comproba-

bitur neceſſitas divinæ gratiæ ad opus morale bonum undequaque. Deinde probatur teſtimonio Auguſtini, qui eodem cap. 3. contra Julianum num. 32. ait: *Ex quo colligitur etiam ipſa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius, qui bene utitur malis.* Epiſt. etiam 130. nunc 144. laudata Polemonis continentia, per quam liberatus fuit a dominatu luxuriæ, inquit, *Tamen ne idipſum quidem, quod melius in eo factum eſt, humano operi tribueritis, ſed divino.* Neque hoc loco, ut quidam putant, donum continentiæ tribuitur ab Auguſtino divino operi naturali; nam licet ibidem commemoret formam, vires, ſalutem, & alia bona corporis, quæ non ſunt niſi a Deo Creatore, & perfectore naturæ: ea nihilominus memorat, ut argumentum faciat a fortiori; nam ait: *Quanto magis animi bona donare nullus alius poteſt?* Et mox ſenſum ſuum aperiens addit: *Polemo ergo ſi ex luxurioſo continens factus ita ſciret cujus eſſet hoc donum, ut eum abjectis ſuperſtitionibus Gentium pie coleret, non ſolum continens, ſed etiam veraciter ſapiens, & ſalubriter religioſus exiſteret, quod ei non tantum ad præſentis vitæ honeſtatem, verum & ad futuræ immortalitatem valeret.* Ubi ex verbis Sap. VIII. *Nemo eſſe poteſt continens, niſi Deus det*, probat Auguſtinus continentiam Polemonis fuiſſe ex Gratia, quod facit etiam eodem textu, eodemque argumento lib. IV. contra Julianum cap. 3. num. 18. ubi certiſſime de Gratia ſupernaturali inſtituit diſputationem. Neque naturale donum eſt, quod addita Fidei ſapientia ad immortalem vitam perducit. Quamobrem haud recte exponitur de Gratia ordinis naturalis quod ſcribit S. Doctor de caſtitate Polemonis.

Altera propoſitionis pars demonſtratur I. ex Scripturis commendantibus Lucæ XVIII. Publicani humilitatem, & Act. X. eleemoſynas Cornelii Centurionis; ubique autem peccatores ad converſionem & pœnitentiam hortantibus. II. Ex definitionibus Conciliorum, Romanorumque Pontificum allatis priori probatione primæ Propoſitionis. III. Ex Auguſtino, qui de Præd. SS. cap. 7. ait memoratum Cornelium bene fuiſſe operatum, *antequam in Chriſtum crederet*: De Sp. & lit. cap. 28. affirmat ſine aliquibus bonis operibus *difficillime vitam cujuslibet peſſimi hominis inveniri*: in Epiſt. ad Sixtum docet, *Fidem impetrare remiſſionem peccatorum.* Tractatu 44. in Joannem ſcribit, peccatores *confeſſione mereri juſtificationem, quomodo cæcus illuminationem.* IV. Tandem demonſtratur ratione: nam quiſquis nititur redire ad gratiam, Deum orat, & confitetur peccata; recte operatur, quærit ſalutem animæ, & Deo obtemperat: & tamen contingit ſæpenumero ut nondum adeptus ſit peccatorum ſuorum remiſſionem. Fiunt ergo ſine gratia *habituali*, ſive nondum remiſſo peccato, bona opera plurima, quibus ad juſtificationem obtinendam diſponimur.

AD OBJECTA IN CONTRARIUM RESPONSIO.

Diſpoſita præcedenti ordine diſputatione de Operibus Infidelium, nihil penitus negocii faceſſunt argumenta hæreticorum. Qui primo loco objiciunt: Apoſtolus ad Rom. XIV. verſu ultimo ait, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Infideles fide deſtituti ſunt. Ergo quicquid infideles operantur, peccatum eſt. = Reſp. diſt., & explico Apoſtolicam ſententiam, *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ſcilicet, opera quæ eliciuntur ab homine veri Dei cognitione privato, infideli voluntate ad cupiditatem & jactantiam referuntur, & philautiæ vitio ut plurimum corrumpuntur, concedo majorem: & hujus propoſitionis veritas theſi 2. demonſtrata eſt. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ita ut nullus Gentilium antequam Chriſto ſe devoveat, & *habituali* fide exornetur, poſſit recta voluntate operari, ſive per gratiam actualem, ſive, ut aliis Theologis placet, per lumen honeſtatis ingenitum, nego: & veritas hujus propoſitionis liquet ex theſi quarta. Diſtinguo etiam minorem. Infideles deſtituti ſunt fide *habituali*, & cum gratia ſanctificante conjuncta, quam ſolam veram gratiam eſſe Bajus & Queſnellus exiſtimarunt, concedo. Deſtituti ſunt, dum recte & cum divina acceptatione operantur, omni gratia fidei *actualis*, & ingenito rationis lumine, in quo idea honeſtatis veritatiſque refulget, nego minorem. Etenim in infidelibus imaginem Dei non eſſe omnino detritam vidimus in 1. Propoſit. Adeſſe etiam illis quandoque cognitionem aliquam veri Dei gratia quoque inſpiratam, oſtendimus de H. Semipelagiana cap. IV. præclaro teſtimonio Auguſtini ſcribentis de Cornelio cap. 7. de Prædeſt. SS. *Nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat.* Reſp. 2. eo ſenſu omne quod non eſt ex fide peccatum eſſe, quatenus ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, neque operibus ſine gratia factis, qualia fuerunt antiquorum Romanorum, poteſt ineſſe vera ratio virtutis, per quam ad æternum Dei regnum perduci poſſimus. Quod in tertia propoſitione fuit explicatum.

Objiciunt 2. Matth. VII. v. 18. habetur, *Non poteſt arbor mala fructus bonos facere*: Quilibet infidelis eſt arbor mala: Ergo non poteſt fructus bonos facere. = Reſp. Diſt. minorem: Quilibet infidelis eſt *arbor mala*, in quantum habet in ſe malam voluntatem, quæ eſt radix malorum operum, & qua de bono opere in ſe non in Domino gloriatur, concedo. Eſt *arbor mala*, dum malam voluntatem honeſta cognitione, & Dei gratia repellit, nego. Vide quæ diximus 2. propoſitione. Solvitur eadem ratione quod opponunt ex cap. VI. v. 23. *Si oculus tuus fuerit nequam, &c.* Exponitur enim nomine oculi animorum intentio.

Objiciunt 3. in Epiſt. ad Titum cap. 1. v. 15. legitur, *Omnia munda mundis, immundis autem nihil eſt mundum.* = Reſp. eodem pacto, non eſſe immundam voluntatem, quæ honeſta cogitatione dirigitur; nec, opitulante gratia, agit ob illecebras prementis cupiditatis. Retorquentur etiam iſtiuſmodi argutationes. Enimvero juſtus, qui eſt *arbor bona*, & gratiam ſanctificantem cordis habet munditiam, fideique *oculum* lucidum ac ſupernis flammulis irradiatum, non omnia agit inculpate & ex motivo ſanctæ dilectionis, cum frequenter in peccata venialia prolabatur, atque ad inſtar fructiferæ arboris, bona adhuc perſiſtente radice, aut ſterilis ſit, aut fructus proferat immaturos. Ita infidelis & impius, cui ineſt radix culpæ, ac pravæ cupiditatis, interdum inſpiratione divina virtuoſe operatur; quemadmodum arbor ſterilis ac ſylveſtris flores ac frondes emittit, atque ſi ramuſculus aliquis inſeratur, nonnullos etiam ſalubres fructus producit.

Objiciunt 4. Quicquid ſine caritate fit, juxta Auguſtinum, perverſum & inordinatum eſt: Quicquid agunt infideles & impii, fit abſque caritate: Ergo perverſum, & inordinatum eſt. Ma. prob. nam S. Pater de Grat. & lib. arb. cap. 18. ait: *Præcepta caritatis tanta & talia ſunt, ut quicquid ſe putaverit homo facere, ſi fiat ſine caritate, nullo modo fiat bene.* Et lib. de Grat. Ch. cap. 26. *Ubi non eſt dilectio, nullum bonum imputatur, nec recte opus bonum vocatur.*

Reſp. diſt. ma. Quicquid fit abſque caritate *habituali*, ideſt ſine illa gratia, cujus primus effectus eſt remiſſio peccatorum, qualem gratiam tantummodo Bajus & Queſnellus propugnarunt, non recte opus bonum vocatur, nego majorem. Quicquid fit abſque caritate *actuali*, & gratia quæ juſtificationem præcedit, non eſt opus rectum ac bonum undequaque, & ad ultimum finem, æternamque vitam perducens, concedo. Item concedo non eſſe bonum honeſtum, ſi corrumpatur vitio philautiæ, atque ad creaturam ultimo referatur. An vero ut honeſtum ſit omnique vitio careat, neceſſaria ſit gratia ſupernaturalis, quæſtio eſt ſcholaſtica nullo modo pertinens ad dogma nunc propugnatum; & de hac quæſtione mox dicam. Porro Auguſtinus præter gratiam *habitualem* agnoſcit *actualem*, eamque in Epiſtola ad Sixtum diſtinguit a remiſſione peccatorum, & in locis plurimis appellat inchoatam juſtitiam. Eamdem fatetur præceſſiſſe in Centurione, reperiri in Catechumenis, & non ſemel in infidelibus: atque diſputans adverſus Pelagianos ubicunque gratiam commendat, loquitur de omni ferie auxiliorum, quibus ad vitam æternam proxime, aut remote diſponimur. Quare ſententia Auguſtini evertit opinationem Novatorum illorum, a quibus nulla gratia admittitur præter *habitualem*, neque opus aliquod in peccatore, niſi perverſum atque damnabile.

CAPUT III.

Diſputatur an ad peragendum opus moraliter bonum, quod nec in ſe, neque in intentione operantis vitioſum ſit, requiratur divina gratiæ adjutorium.

EPIGRAMMA.

Ut quædam tenues maculæ in ſplendore piorum,
Major virtutum quas variat numerus,
Æternæ donis nequeunt obſiſtere vitæ,
Nec merito obſcurat grandia culpa levis;
Sic aliquid plerumque boni pars impia geſtat,
Magna mole mali quod facile obruitur.
Nec prodeſt quiddam recte ſapuiſſe malignis,
Si verum & ſummum non coluere Deum.
Una Fides igitur, ſpes una eſt, atque amor unus,
Quo fiat juſtus, ſitque beatus homo;
Nam bona, quæ pravis naturæ ex dote ſuperſunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

PRÆNOTATIO.

In quæſtione, quam nunc propono, celeberrima eſt omnium fere Noſtratium ſententia, poſſe quidem hominem abſque ſpeciali gratia bonum agere *ex objecto*, ſive ſpectato virtutis officio, ut prima parte Cap. præcedentis demonſtratum eſt; at ſi inſpiciatur finis, negant hujuſmodi opus bonum eſſe, cum in ſummum bonum minime referatur. Hanc enim conditionem operi, quod nulla ex parte vitiatum ſit, neceſſariam eſſe propugnant. Ita ex noſtris defendunt Gaſpar Caſalius de Quadripartita Juſtitia lib. 1. cap. 32. Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. 26. Cardinalis Noriſius in Vindiciis cap. 3. §. 4. & cap. 4. §. 5. Petrus Manſo in Opere de Virt. Infidel. & in Vindiciis Noriſianis, Leonardus Vanroy de Act. Humanis cap. 1. Q. 2. Antonius Guerrero Theologiæ moralis Tract. V. §. 2. aliique communiter. His ſubſcribunt Franciſcus Macedo in libro, cui titulus, *Mens vera Auguſtini* pag. 211. & ſequentibus, & in Cortina Theſi 61. & 63. Atque de relatione Operum

omnium

Digitized by Google

omnium in Deum idem tenent Cardinaſis Bona de Vita Chriſtiana I. P. §. 29. Natalis Alexander Tom. 2. Th. Moralis lib. 3. Reg. 57. Ubigant Tract. 3. q. 4. Exam. 3. Lacroix lib. v. de Peccatis dub. 1. q. 34., atque Doctores alii bene multi.

Præſcindendo ab hac quæſtione de neceſſitate referendi omnia opera noſtra in Deum ſaltem *virtualiter*, neceſſitatem gratiæ ad omne opus bonum morale & honeſtum nullo infectum vitio ſuperbiæ defendunt Gabriel Vaſquez 1. 2. diſp. 190. Ripalda diſp. 20. ſect. 6. n. 25. & noſter Baſilius Poncius Relect. de neceſſit. Grat. cap. 5. 7. & 15. Itaque hæc ſententia imperite a nonnullis tamquam accedens ad arrores Quenelli, & Baji refellitur, non ſolum ob viros eximios nuper commemoratos; verum & ob maximam hos inter, ac Novatores, ſententiarum diſcrepantiam. Primo enim Noſtratium ſinguli abſque ullo vitio eſſe fatentur in unoquoque, quantumvis improbo homine, appetitum beatitudinis, quem *natura in malis ſuis non potuit amittere*: deinde negant motus indeliberatos ad damnationem imputari, contra impiam Novatorum iſtorum doctrinam. Admittunt inſuper actualem gratiam ſine remiſſione peccatorum cum Catholicis omnibus, quum illam denegent Theologicorum Dogmatum inverſores. Ac præterea concedunt a paganis, ac ſceleſtiſſimis aliquid boni interdum fieri per gratiæ adjutorium, adverſus Bajum, ejuſque gregarios. Non ergo uno tantum, ſed titulis pluribus noſtri Ordinis Theologi a Sectariis diſcriminantur.

Ad Vaſqueſium quod attinet; docet is ad opera bona moralia ſpeciale gratiæ auxilium requiri; ſed gratiam hanc naturalem eſſe contendit, indebitam tamen & ea meritis Chriſti provenientem. Qua in re Vaſqueſium reprehendunt cum Franciſco Suarez docti viri complures. Si enim, inquiunt, gratia naturalis dici poſſit, & ſancta cogitatio congrua eacitans voluntatem ad opera honeſta ad ordinem naturæ pertineat, & tamen ex meritis Chriſti conferatur; defendi poterit hæreſis Pelagiana gratiam in ipſa natura conſtituens. Addunt non ſufficere ad gratiam, quod indebitum donum ſit, & poſſit a Deo ſine ulla injuria denegari; cum etiam majus ingenium, melior complexio, atque optima educatio non omnibus concedantur, & nihilominus *Gratia Salvatoris* appellari non valeant. Verum, etſi in explicanda Gratiæ congruæ natura ego plorimum a Vaſqueſio diſſideo, quoniam ille congruam vocationem putat, quæ io tali temporis, vel loci circumſtantia Deo lergitore ſubminiſtratur; in hac tamen parte arbitror immerito fuiſſe reprehenſum. Dum enim honeſtam cogitationem inſpirari ob Chriſti merita tam diſerte pronunciat; profecto quantum ad gratiæ ſubſtantiam pertinet, ſupernaturalem fatetur, & a Pelagio diſcordat. Naturalem itaque appellat, in quantum cogitatio congrua præveniens opera moraliter bona, V. G. honorem Parentibus adhibendum, aut elaemoſynam dandam pauperi, non proponit objectum ſupernaturale, ſed intra naturæ ordinem, amandom, aut fugiendum honeſto fine, qui ab homine concupiſcentia jactato nequit haberi abſque gratia. Hoc ſenſu celebriores Scholaſticos propugnaſſe veram Chriſti Gratiam ordinis naturalis commonſtrat eximius Theologus Baſilius Poncius citato cap. v. Diſſolvit etiam præmiſſum Suareſii argumentum; primo quia ingenium & complexio non ſunt per Suareſium effectus prædeſtinationis divinæ, quemadmodum aſt bonus uſus ingenii, & complexionis, & bonum opus virtutis factum ea honeſta cogitatione: quod Suarez docet lib. 1. de Grat. cap. 15. nu. 4. & 6. Cum itaque prædeſtinatin ſit præparatio gratiæ; ipſi gratiæ deputandus eſt bonus uſus ingenji, non ingenium ipſum, membrorumque complexio. Deinde hæc duo, ingenium, & complexio originem habent ex cauſſis ſecundis naturaliter operantibus: at non ita honeſta illa cogitatio. Quamquam enim naturale ſit, quod mihi objectum occurrat, V. G. pauper petens eleemoſynam, animumque meum ad pietatem commoveat; tamen cum is vehementius trahatur amore ſui, quam exterioris objecti, & magis corpore quam ſpiritu, niſi gratia frenetur, nequit ea motio eſſe efficax & congrua, niſi ſuperet contrariam animi affectionem, ac dominantem cupiditatem: quod divini muneris eſt, non vis nativa objecti. Ac de ſententia Vaſqueſii tantum.

Eſt enim altera in Scholis communior, honeſtam cogitationem moralem excitantem quoque voluntatem ad opus faciendum non alium exigere Dei operantis concurſum, præter illum, qui naturali communique lege providentiæ præſto eſt unicuique. Ita cenſent Soto, Bellarminus, Suareſius, & alii plurimi laudati a Franciſco Macedo pag. 210. & hanc eſſe communem ſententiam Thomiſtarum liquet ex Goneto Q. 1. de neceſſitate Gratiæ art. 3. §. v. Tenent enim hi Theologi & vigere adhuc poteſtatem naturalis arbitrii ad peragenda opera moralium virtutum, & hæc ſeipſis in Deum ultimum finem referri per relationem ſibi intrinſecam, atque, ut verba ipſa Goneti uſurpentur, *in ipſa entitate actus imbibitam*. Quare ut ſint bona neceſſe non eſt, ut referantur voluntate operantis, & Gratia dirigente. Perpauci tamen hujus ſententiæ Aſſertores largiuntur arbitrio poteſtatem omnia opera moralia etiam ardua adimplendi; ad hæc enim multi gratiam neceſſariam eſſe propugnant: quæ videtur eſſe ſententia D. Thomæ in 2. 2. q. 109. art. 2. & defenditur ab Eruditiſſimo Viro Iſaaco Haberto lib. 1. c. x. n. 4.

In tanta opinionum diſcrepantia, quoniam pugnare cum omnibus fere Theologis temeritatis nota eſt, deſerere autem ſigna Majorum rebellionis, atque dedecoris, utriuſque partis argumentationes producam, meam opinationem, ut ſpero, lectoribus non injucundam infimo loco ſubjiciens. Quod priuſquam facio; oportet, ut ad phyſiologiam ſublimiorem Ariſtotelica, quam prædicti omnes Auctores ſecuti ſunt, animum revocemus, & nonnulla de vitiorum origine præmittamus. Demonſtravi in prima librorum meorum parte legem incommutabilis veritatis, qua unuſquiſque judicat de objectis menti obverſantibus, non eſſe ſpeciem aliquam creatam hauſtam a ſenſibus, ſed Deum ipſum, ut docet S. Pater de Vera Religione cap. xxx. ſcribens, *Hæc lex, cum ſit omnino incommutabilis, mens vero humana, cui talem legem videre conceſſum eſt, mutabilitatem pati poſſit erroris, ſatis apparet ſupra mentem noſtram eſſe legem, quæ veritas dicitur. Nec jam illud ambigendum eſt, incommutabilem naturam, quæ ſupra rationalem animam ſit, Deum eſſe*. Vitioſum ergo eſt omne opus, quod ab illa incommutabili lege veritatis proponentis quid honeſtum ſit, quid inhoneſtum, deflectit; unde S. Pater eodem libro cap. 20. ita vitium definit: *Eſt autem vitium animæ rationalis voluntas ea faciendi, quæ vetat ſumma & intima veritas*. Sane ſi rationalis anima hanc veritatem in ſe, & abſque ullo velamine conſpiceret, quomodo contingit in patria, nunquam fieret vitioſa, quoniam nulla apparenti mutabilium bonorum deciperetur imagine. *Malum non erit* (inquit ibidem S. Doctor) *cum oculi fuerint recreati, & lucem ſuam congruenter aſpexerint*.

Eſt itaque juxta Auguſtini principia vitium, quando rationalis anima diligens bonum, quod infra illam ordinatum eſt, defluit a bono æterno ad bonum temporale, a bono intelligibili ad bonum ſenſibile, a bono ſummo ad bonum infimum; &, dum ordinem ſuum peragit mutabilitas temporum, *putat eſſe primam ſpeciem, quæ omnium infima eſt natura, quam per lubricos ſenſus caro male docta enunciaverat: & etiam dum arbitrans ſe tenere divinæ providentiæ diſciplinam uſque ad inviſibilium rerum imagines pervenit, ſed neſciens oculorum concupiſcentiam ſe trahere, falſa cogitatione diſtenditur*. Id vero in ſtatu corruptæ naturæ quam facile eveniat, eaplicat proximo capite 21. Auguſtinus hæc ſcribens: *Temporalium enim ſpecierum multiformitas ab unitate Dei hominem lapſum per carnales ſenſus diverberavit, & mutabili varietata multiplicavit ejus affectum. Ita facta eſt abundantia laborioſa, & ſi dici poteſt copioſa egeſtas, dum aliud & aliud ſequitur, & nihil cum eo permanet*; paucīſque interjectis, *Nunc vero corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, quia rapitur in ordine ſucceſſionis extrema corporum pulchritudo*. Habes eaplicatam a magno Auguſtino originem vitiorum. Erit ergo ex oppoſito virtus, cum humanum opus intimæ ac ſummæ veritati erit conſentaneum, non rationi, quæ inferius trahatur a multiformi temporalium ſpecierum imagine. Nam in Auguſtiniana Schola *non eſt vera virtus, niſi quæ ad eum finem tendit, ubi eſt bonum hominis, quo melius non eſt*, inquit S. Pater de Civit. Dei lib. v. cap. 12. Et revera, ſi virtus in eo non apparet, qui ab alio deprimitur ac ſuperatur; neque in animo virtus erit, dum ab æquali vel inferiori flectitur ac dejicitur. Hæc ſententiam meam proponendam, cum aliis primum honorem dedero, facile expedient.

PROPOSITIO. Plerumque, ut loquitur Proſper, impii aliquid boni gerunt, quod facile majori vitio obruitur, & dehoneſtatur. Sine cultu veri Dei hoc non prodeſſe ad ſalutem, & ſine gratia ad beatitudinem non conferre, ſententia Proſperi eſt ſuperius comprobata. An vero bonum illud opus ſine gratia patratum vitio careat, diſputant in utramqua partem Scholaſtici.

Et priores quidem hujus theſis partes cap. præcedenti ſunt demonſtratæ. Nunc præcipua Theologorum momenta diſcutiam. Itaque Auguſtinenſes noſtri neceſſitatem gratiæ ad omne opus morale etiam ordinis naturalis, quod ſit bonum undequaque, hiſce argumentis propugnant. Primo Joannis 15. habetur: *Sine me nihil poteſtis facere*. Concilium Arauſicanum II. can. 22. ait: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum*. Quicquid igitur boni facit homo, eſt a Deo.

Reſpondent adverſarii ſenſum Scripturarum, & Conſiliorum eſſe, quod nemo poteſt aliquid facere ſpectans ad veram pietatem & juſtitiam, niſi per gratiæ adjutorium. Id enim inſinuat S. P. Auguſtinus de Grat. Ch. cap. 26. ſcribens: *Gratiam Dei ſic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet*. PP. Conc. Carthagin. in Epiſt. ad Zoſimum pariter affirmant, *ſine gratia nihil fieri veræ ſanctæque pietatis*. Concilium etiam Arauſicanum II. can. 7. eaplicat verba Joan. 13. *Sine me, &c., quod per naturæ vigorem nihil fieri poteſt, quod ad ſalutem pertineat vitæ æternæ*. Idem docet S. Proſper ad Capitula Gallorum cap. VIII. Eodem ſenſu inquiunt definiri ab Auguſtino & a Synodo Arauſicana, quod nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum, quoniam liberum arbitrium ob originariam noxam attenuatum magnam habet ad peccandum pronitatem, & nihil boni ad juſtitiam veram ſpectantis elicere poteſt ſine Dei munere. Tandem nec bona opera moralia

ſine Deo peraguntur, cum requiratur ad ea concurſus ſupremæ Cauſſæ, in ordine tamen naturalis providentiæ.

His non acquieſcunt primæ ſententiæ Auctores. Enimvero inter veram juſtitiam, & vitium, nullum per Auguſtinum datur medium, quomodo medium non eſt aliquod inter æternum, & incommutabile bonum, in quod ultimo tendit virtus, & inter bonum commutabile ac temporale, in quod vitioſum opus refertur: Quam eſſe ſententiam Auguſtini conſtat ex lib. IV. Contra Jul. cap. 3. & V. de Civit. Dei cap. 12. Si ergo concedas non poſſe hominem ſine gratia facere aliquid pertinens ad veram pietatem, atque juſtitiam; etiam fatearis oportet, non poſſe peragere aliquod bonum, quod tale ſit undequaque, neque ab intima virtutis lege deflectat. Deinde Auguſtinus, & Concilium Milevitanum & Arauſicanum, docent hominem non habere de ſuo niſi mendacium & peccatum. At opus moraliter bonum nequit eſſe peccatum, aut mendacium; igitur a ſolo homine tale opus prodire abſque gratia non poteſt. Inſuper laudatus canon 22. Arauſicanus deſumptus eſt ex Auguſtino Tract. V. in Joannem. Ubi S. Pater ait: *Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur. Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. Si quid autem homo habet veritatis, atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac Eremo, ut ex quaſi guttis quibuſdam irrorati, & in hac peregrinatione interim conſolati, ne deficiamus in via, venire ad ejus requiem, ſatietatemque poſſimus. Si ergo qui loquitur mendacium de ſuo loquitur; qui loquitur veritatem de Deo loquitur*. Accipit ergo Auguſtinus mendacium prout opponitur veritati, & peccatum prout adverſatur juſtitiæ. At quod veritati ac juſtitiæ opponitur, morale bonum a nullo hominum appellabitur. Nemo igitur habet de ſuo bonum aliquod etiam morale, ideſt, a veritatis regula non deflectens. Poſtremo quod reſponſum eſt de concurſu naturali, facile retunditur; quoniam Concilia & PP. urgent ea verba, *Sine me nihil poteſtis facere*, adverſus Pelagianos negantes ſupernaturalis gratiæ adjutorium; eoſque etiam perſtringit Synodus Arauſicana. Ac præterea concurſus ordinis naturalis non deeſt homini mentienti & peccanti; nec tamen recte dicitur hominem ſine Deo peccare, & mentiri non poſſe; ſed cum eodem Evangeliſta dicendum eſt, *Qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur:* & cum Auguſtino, *Liberum arbitrium ad malum ſeipſo ſufficit*. Iccirco his verbis, *Sine me nihil poteſtis facere*, demonſtratur concurſus ſupernaturalis ordinis.

Secundo loco probant primi Auctores ſententiam ſuam teſtimoniis Auguſtini propemodum innumeris. Perpauca eligamus: cetera invenies apud Gregorium de Arimino diſt. 26. 2. lib. ſent. quæſt. 1. & 2. Primo in Epiſt. ad Hilarium Syracuſanum 89. nunc 53. hæc habet S. Pater: *Valet itaque liberum arbitrium ad bona opera, ſi divinitus adjuvetur: deſertum vero divino adjutorio, quantalibet ſcientia legis excellat, nullo modo habebit juſtitiæ ſoliditatem, ſed inflationem impiæ ſuperbiæ, & exitioſum tumorem*. Similiter Serm. 12. de Verbis Apoſt. *Prorſus ſi adjutorium Dei defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante libera voluntate; ſed male adhuc idonea eſt voluntas tua, quæ vocatur libera, & male agendo fit damnabilis ancilla. Cum dico tibi, ſine adjutorio Dei nihil agis, nihil boni dico*.

Occurrunt eadem reſponſione Adverſarii, dicendo S. Patrem aſſerere liberum arbitrium ſine gratia nihil poſſe in ordine ad juſtificationem & vitam æternam. At hæc interpretatio videtur Noſtratibus violenta. Nam primo tam diſerte Auguſtinus ad omne opus bonum gratiam requirit, ut nihil boni ſine gratia dari abſolute pronuntiet. Deinde quodcunque opus ſine gratia patratum non ſolum per Auguſtinum nullo modo habet ſoliditatem juſtitiæ, ſed etiam habet inflationem ſuperbiæ, exitioſumque tumorem. Quis autem opus inflatum ac tumidum dixerit undequaque bonum, nullaque ex parte vitiatum? Tandem ſi poſſumus pariter & ſervare legem naturæ, & Deum diligere, atque ita conſequi vitam æternam; cum in Evangelio ſcriptum ſit Mat. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Id vero ſi dicatur, neceſſum erit ſtatuere vitam æternam diverſam a regno cælorum, ut idem Auguſtinus demonſtrat contra Julianum, ut vidimus lib. XIII. cap. 1.

Tertio probant Noſtrates poſitionem ſuam Theologica ratione. Non eſt enim opus undequaque bonum, quod in Deum tamquam in ultimum finem non refertur. Referri autem hoc pacto nequit ſine gratiæ adjutorio, quoniam ad hujuſmodi relationem requiritur ut diligatur Deus amore benevolo & efficaci ſuper omnia. Tunc enim objectum ſuper omnia amatur, cum ad illud actus ſinguli referuntur. Deum vero non poſſe tali amore naturaliter diligi & Auguſtiniani omnes defendunt, & plures etiam ex Adverſariis. Opus ergo morale ſine gratia factum non erit bonum undequaque. Majorem vero facile demonſtrant. I. Nam Auguſtinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 25. inquit: *Licet a quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cum ad ſeipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, & ſuperbæ ſunt, & ideo non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt:* II. Juliano objicienti virtutes Romanorum, ut Chriſti gratiam evacuaret, negat S. Pater has veras fuiſſe virtutes, argumentis a nobis ſupra productis prop. 2. & 3. ex quo nimirum fuerint a fide & caritate disjunctæ, & vitio philautiæ corruptæ. III. Ut ibidem demonſtratum eſt, virtutes a vitiis non officio diſcernuntur, ſed fine. Finis vero creaturæ rationalis nullus alius conſtitui poteſt præter Deum, quoniam ſolus Deus ipſa creatura rationali melior eſt.

His reſpondent ad opus bonum morale ſatis eſſe, ſi referatur in ultimum finem *negative*, ideſt, non tendat ad finem inhoneſtum; cum ipſa moralis virtus intrinſeca ſui bonitate in Deum ultimum finem referatur, quæ doctrina poteſt admitti, inquit Noriſius, *quia S. Doctor inde virtutes Gentilium vitiari docuit, quod iidem de illis vel apud ſe, vel apud alios gloriam quærerent*. Verum admitti quidem poteſt: at non eſſe doctrinam Auguſtini Theologi noſtri non ſine magna probabilitate demonſtrant. Principio enim virtus, ſi referatur ad ſeipſam, & non propter aliud expetatur, dicitur ab Auguſtino inflata, & ſuperba. Quo ergo jure appellabitur bona undequaque? Inſuper S. Pater lib. V. de Civit. Dei cap. 20. non ſolum redarguit Epicureos, qui finem conſtituunt in voluptate, cui virtutes tamquam ancillas ſubjiciunt; verum etiam philoſophos illos, qui *ad ingerendum pudorem iis, qui virtutem quidem probant, ſed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, illam propter ſeipſam putant appetendam*. Præterea virtus ſeipſa, quatenus opus eſt creaturæ, non eſt humana mente nobilior; ideoque nec vera virtus, juxta virtutis ideam a nobis ſuperius traditam. Ulterius non ſatis eſt ad opus bonum morale ſi referatur in finem ultimum per rectitudinem ſibi intrinſecam. 1. quoniam hæc bonitas phyſica & naturalis eſt, non moralis; morale enim dicitur opus, in quantum fit deliberatione ac libertate. 2. quia etiam opus bonum ex officio, perverſum autem ex fine, quale foret ſublevatio pauperum ob gloriam inanem, habet illam bonitatem operis & officii, nec tamen appellari poteſt bonum opus morale; quoniam *bonum*, ut eſt in proloquio, *ex integra cauſſa*, & in opere illo invenitur perverſitas intentionis. 3. quia virtus qualibet, etiamſi externo opere & per corporis miniſterium exerceatur, habitat tamen in animo; ideoque ex animo, non ex opere ſuam potiſſimum contrahit bonitatem. Inquiunt in hoc differre actus naturales ab actibus moralium virtutum, quod illi boni nequaquam ſunt, niſi in finem ultimum referantur, ut ſunt comedere, ambulare, ædificare domum, plantare vineas; actus vero morales, ut eleemoſyna, honor parentum, caſtitas, & alia hujuſmodi dicuntur boni ſeipſis. Verum facile eſt reſpondere actus iſtos morales bonos utique eſſe comparate ad objectum officiumque virtutis, non autem ratione finis, ad quem ſunt referendi: ſive, ut loquitur Magiſter Gavardi Q. 2. de Grat. art. 4. bonos ſecundum rationem inferiorem, non ſecundum rationem ſuperiorem, ita, ut niſi referantur in Deum, ſecundum ſubſtantiam ſint recti, ſed attenta finis circumſtantia ſint male facti. Atque his prior ſententia magna probabilitate defenditur.

Non deſunt tamen oppoſitæ argumentorum præſidia; eaque ordine eodem ad tria capita revocabo. Sunt eadem plane quæ Prop. 1. cap. præcedentis prolata ſunt ad probandum omnia infidelium opera non eſſe peccata. Itaque 1. aſſerunt Scripturarum ſanctarum, & definitionum Eccleſiæ venerabilem auctoritatem. Etenim Apoſt. ad Rom. 2. ait, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt*. Damnata eſt etiam 22. propoſitio Baji, *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſt. ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, &c. intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus*. Similiter damnata eſt prop. 27. *Liberum arbitrium ſine adjutorio Dei nonniſi ad peccandum valet:* & 25. *Omnia Infidelium opera ſunt peccata*.

Reſpondent Aſſertores primæ ſententiæ, teſtimonium Apoſtoli fuiſſe olim objectum a Juliano, ut inde evinceret virtutes Romanorum fuiſſe moraliter bonas. At Auguſtinus lib. IV. cap. 3. nec non de Spir. & lit. cap. 27. reſpondet Juliano Apoſtolum loqui de Gentibus ad fidem converſis; ita ut *τὸ naturaliter* accipiendum ſit per oppoſitionem ad legem Moſaicam, non per oppoſitionem ad Gratiam. Quam reſponſionem nos quidem reprobare non poſſumus. At de ea rurſus cap. proximo. Ad Bajum quod attinet, dictum ſupra ab eo nullam admiſſam fuiſſe gratiam niſi *habitualem*, & nullum in peccatore, vel infideli opus, quod peccati macula intrinſece non vitietur: quam impiam, hæreticamque doctrinam Catholici omnes repudiant. Perſiſtunt tamen alii in ſententia, propterea quod S. Pater citato cap. 7. de Sp. & lit. & Proſper contra Collatorem cap. 22. aliique PP. commemorati cap. præcedenti admittunt hanc quoque interpretationem, quod Gentes naturaliter plura faciunt ſecundum juſtitiæ regulam laudabilia, quia detrita in eis omnino non eſt Dei imago, neque rationis lumen extinctum. Articulus autem Baji 27. ſimplex eſt, ideoque neque damnatus eſt propter cenſuræ acerbitatem, ut forte viceſimus: nec relative ad alios errores Baji, ſed propter falſitatem, obviumque ſenſum verborum; & conſequenter poſſumus nativa arbitrii facultate plura efficere, quæ nulla peccati labe inquinentur. Hæc illi.

Secundo loco probant poſſe hominem lapſum elicere aliquod opus bonum morale auctoritate Patrum. Origenes lib. 2. in Epiſt. ad Rom. cap. 2. Chryſoſtomus Hom. 67. ad Populum Antiochenum, Hieronymus in Epiſt. ad Demetriadem,

triadem, & Gregorius hom. 25. in Evang. docent Gentiles philoſophos, omneſque homines poſſe ex viribus naturæ eſſe caſtos, liberales, & cognatorum amatores. S. Pater Auguſtinus, præter ea, quæ habet c. 27. & 28. de Spir. & lit. ſerm. 385. alias 38. inter Hom. 50. primo explicat amorem perfectum ad æternam ſalutem adducentem, deinde perverſum ac deteſtabilem divina humanaqua lege damnatum, cujuſmodi aſt immundus amor adulterorum, poſtremo enumerat honeſtos amores licitos, & naturæ conſentaneos, qui a conjuge ad filios, a filiis ad propinquos, a propinquis ad extraneos, ab extraneis ad inimicos perveniunt. Itaque datur per Auguſtinum honeſtus amor, qui nec flagitioſus eſt, nec perfectus. Denique S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. docet poſſe hominem *etiam in ſtatu naturæ corruptæ aliquod bonum particulare agere*.

Hæc omnia facile diluunt prioris ſententiæ Propugnatores, reponentes fieri plura ſine gratia, quæ bona ſunt quantum *ad ſubſtantiam*, non quantum *ad modum*, ſcilicet in ordine ad finem ultimum. Atque hanc mentem eſſe Auguſtini liquet ex dictis. In ipſo quoque Serm. 385. quem pro communiori ſententia erudite verſat Cajetanus Benitez Diſſert. 3. dub. 2. n. 21. Auguſtinus diſtinguit in honeſtis amoribus amicitiam conſuetudinis, & rationis. Ex illa quidem, quæ coaleſcit inter homines per conſuetudinem cohabitandi, & colloquendi, moralis dicenda non eſt, cum habeant illam & pecora: ut axamplo duorum equorum ſimul manducantium comprobat S. Pater. Amicitia autem rationis eſt cum diligimus hominem propter fidem, & mutuam benevolentiam. At quemadmodum maritum, uxorem, filios, & amicos, quos hac rationa diligimus, volumus eſſe incolumes; ita qui intelligit quænam ſit vera ſalus, debet illam amare in ſe, & ipſam amare in amico. Enim vero ſi hanc veram ſalutem deſeramus, amando creaturam fieri adulteros ibid. num. 6. probat ſingulari ratiocinio Auguſtinus. Igitur non video, quomodo in hoc ſermona vulgaris ſententia tradatur.

S. Thomas loco citato expreſſe docet non poſſa hominem lapſum agere *totum bonum ſibi connaturale, itaut in nullo deficiat*; quod perinde aſt, ac ſi diceret poſſe etiam ſervare præcepta & bene moraliter operari *quoad ſubſtantiam*, non *quoad modum*: ut loquitur de Varit. q. 24. art. 14. ad 1. & 2. Ex hoc loco opponit Fortunatus Venerius Q. 3. de Grat. art. 4. n. 60. Angelicum Doctorem aſſerere poſſa hominem lapſum per liberum arbitrium complere opus bonum quod eſt humanæ naturæ proportionatum, eo quod proferat axemplum eleemoſynæ ſpectantis ad opus bonum morale. At eodem in loco diſtinguit S. Thomas *ſubſtantiam* operis a *modo* agendi; negatque actum aleemoſynæ aſſa homini connaturalem, *in quantum inducitur ex caritate, qua mentem hominis Deo unit*. Qui ergo hanc unitionem ad bonum opus, quod tale ſit undequaque, & ſecundum ſubſtantiam, & modum, exiſtiment neceſſariam; affirmabunt ſa beato Thomæ penitus conſentire. Accedit quod S. Doctor eodem articulo affirmat, ſe de gratia *habituali*, non de actuali inſtituere diſputationem hoc inſigni teſtimonio haud ignave ponderando: *Omnes exteriores motus a divina providentia moderantur, ſecundum quod ipſa judicat aliquem eſſe excitandum ad bonum his, vel illis actionibus: unde ſi gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, ſed miſericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominum ſalutem, ſic nec ullum bonum homo poterit facere ſine gratia Dei. Sed communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali juſtificante*. His omnibus occurrent Thomiſtæ dicendo D. Thomam axigere gratiam actualem ad bonum opus ordinatum ad ſalutem hominum. Ita aſt. At opus ad ſalutem non ordinatum bonum eſſe undequaque negant adverſarii, reditque diſputatio ab extremis ad capita.

Veniunt tertio jam loco momenta rationum. Prima eſt, quod Deus obſtetricibus Ægyptiis, Cyro, Nabuchodonoſori, Romaniſque idololatris ob morales virtutes marcedem reddidit temporalem, ut ſupra vidimus. Altera, quod ſpecialis gratia non requiritur ex parte intellectus, cum adhuc vigeat lumen rationis; neque ax parta voluntatis quia liberum arbitrium extinctum non eſt, nec valet tantum ad malum, ut commentus eſt Bajus. Tertia, quia Auguſtinus in Epiſtola ad Evodium nobis ad exemplum proponit Gentilium parſimoniam atqua ſobrietatem: ad eaſque virtutes omnes homines exhortamur: quod profecto non fieret ſi bona non eſſent. Quarta: Nec gratia ad opera moralium virtutum neceſſaria eſt ob luctam inter rationem ac ſenſum; tum quia ſenſus non ſemper rationi adverſatur, ut dum nobis exhibet parentes, filios, pauperes honorandos, ſublevandos, educandos: tum etiam, quia opus honeſtum aliquando eſt ſenſui ſimul & rationi conforme, ut amicum redamare, & debitum reddere uxori. Poſtrema: Ad opus morale bonum non requiritur ut referatur in Deum, & ſat eſt ſi non referatur in finem pravum. At quicquid agitur motivo honeſtatis, non refertur in finem pravum. Ergo eſt bonum morale.

Reſpondent ad primum, bona opera, quibus Deus mercedem rependit, aut non fuiſſe facta abſque gratia, quod præſertim de Obſtetricibus Ægyptiis, de Cyro, & Nabuchodonoſore aliquando inter Judæos verſatis dici poteſt: vel icc irco mercedem illam fuiſſa temporalem, quod eſſent bona ax objecto & officio. Etenim ſi bona opera fuiſſent undequaqua, Deus juſtus iiſdem reddidiſſet mercedem etiam æternam; quoniam illud bonum eſt in Auguſtiniana Theologia, quo homo ad æternum Dei donum dirigitur. Secundum diſſolvunt dicendo utrumque ad gratiam pertinere, & honaſtam cogitationem, & pium voluntatis affectum, ut vidimus c. 1. prop. 2. ideoque viget adhuc lumen rationis, ut ſpeculativa varitatem apprehendat, non piis ſtudiis inhæreat; & validum eſt ſina gratia liberum arbitrium quantum ad officia virtutum, non quantum ad finem, in quem ſunt dirigendæ, ne habeant inflationem ſuperbiæ, & axitioſum tumorem. Tertium eadem facilitate expeditur; nam parſimonia & ſobrietas Gentilium nobis in exemplum proponitur, conſiderato duntaxat virtutum officio, non fine: alioqui fas eſſet operari ob faſtum inanem humanæ gloriæ, quomodo gentiles operabantur; quod in eadem Epiſtola 99. ad Evodium S. P. jure meritoqua refellit. Hortamur vero ad moreles virtutes bene ac ſapienter, cum non ſint intrinſece & ſecundum ſubſtantiam malæ, licet non ſint defectu intentionis omnino bonæ: eamque intentionis deficientiam nemo prudens hortatorio ſarmone ſuadet. Ad quartum eadem eſt adhibenda reſponſio; nam ſenſus quandoque conſentaneus eſt rationi inferiori, & comparata ad objectum operum honeſtorum, at non rationi ſuperiori, & relate ad finem hujuſmodi operum ſenſibilia, immo & creata omnia excedentem. Quippe multa cogitantem deprimit tarrena inhabitatio, ut habetur Sap. IX. v. 15., ideſt, aggravat ne ſurſum mens aſcendat terrenis cupiditatibus implicata. Illud, quod poſtremo loco poſitum eſt, probat opus non ordinatum ad pravum finem non eſſe intrinſece, poſitive, & quantum ad ſubſtantiam attinet, vitiatum, & a radice malæ cupiditatis erumpens, ut falſo opinatus eſt Bajus. Ceterum non probat eſſe bonum undequaque, etiam extrinſace, & conſiderata omiſſiona finis debiti. Atque ex his conſtat quibus argumentis utreque ſententia communita eſt.

Varſatur inter utramqua opinio noſtra. Adhæremus priori, quatenus nullam virtutem veram propriamque agnoſcit, quæ ſiſtat in re creata, quoniam virtus tendit in bonum melios; ut docet Auguſtinus, & idea virtutis commonſtrat: nulla autam creatura melior eſt, quam ſit mens rationalis. Negamus tamen hominem, qui operatur ob intimam, naturalem, & ingenitam ideam honeſtatis, non agere bonum moraliter, ſed opus vitio labefactatum: quoniam vitium non eſt, niſi a voluntate faciendi quod vetat ſumma illa & incommutabilis lex veritatis. Dicimus hanc veritatis ideam, & legem incommutabilem non eſſe in homine lapſo penitus detritam, ideoqua interdum exhibere hominum menti opus peragendum licitum atque honeſtum, neque ad hoc neceſſariam eſſe gratiam Fidei, ſive quod Deus ſe manifeſtet tanquam auctorem ſupernaturalium donorum. Concedimus virtutes eſſe ſuperbas & inflatas, ſi raferentur ad ſeipſas, ſcilicet, ſi appetantur, ut conferatur animo decor continentiæ ac probitatis, quoniam tunc humanæ gloriæ deſerviunt, & multum habent vanitatis: ſed nego referri ad ſeipſas, ſi fiant propter ingenitam rationem honeſtatis; quoniam hæc ratio, cum ſit ænia, ſumma, & immotabilis, ipſe Deus eſt, intime nobis præſens, non quidem ut ſpeciala objectum, ſed ut univerſalis regula veritatis. Dico opera hujuſmodi regulæ conſentanea, atſi in Deum non referantur explicita, quod neceſſarium aſt, ut ad æternam vitam perducant, referri implicite; non quod intrinſeca bonitas honeſtorum operum ſeipſa referatur in ſummum bonum, id enim neceſſarium & naturale aſt, non liberum, & morale; ſed quia intentione animi opera illa fiunt ob intimam legem honeſtatis, quæ implicite eſt ipſe Deus. Atqua hoc arbitror ſufficere ad opus bonum morale ordinis naturalis; quia na ſit vitii labes, ſufficit uniformitas legi naturaliter nobis inditæ.

Hæc tamen cum ſpeculative vera ſint, præmiſſiſque Auguſtiniana doctrinæ præceptionibus perſpicua ſatis: *practice* loquendo affirmo nunquam hominem lapſum agere convertendo ſe ad illam intimam legem abſque cupiditate & philautia, ideoque quodlibet opus bonum fieri ax ſpeciali gratia. Quod probat S. Pater Auguſtinus lib. IV. contra Julianum cap. 3. ſcribens: *Nihil eſt in creaturis, quod attinet ad inſtitutarum divinitus merita naturarum rationali mente præſtantius. Unde fit conſequens, ut mens bona magis ſibi placeat, magiſque ſeipſa delectet, quam qualibet alia creatura, quam vero periculoſe, imo pernicioſe ſibi placeat, cum per hoc tumeſcit typho, & morbo inflationis extollitur quandiu non videt, ſicut videbit in fine ſummum illud & immutabile bonum, in cujus comparatione ſe ſpernat, ſibique illius caritate vileſcat, &c.* Igitur ut in praxi opus aliquod honaſtum ſit, non debet a ſumma, & intima lege deflecti. At homo lapſus magis ſa delectat ſaipſo, quam ſummo bono, ſi non ei ſancta delectatio inſpiretur; quoniam ſine hujus delectationis dono prævalet rationi concupiſcentia; cujus deſideriis non obedire, ut S. D. cap. 62. da Nat. & Gratia, & ubique commonet, abſqua gratia Salvatoris non poſſumus. Igitur inhærere legi honeſta præcipienti, ita ut amore ſui animus non tumeſcat, Gratiæ beneficium eſt, per quam motus concupiſcentiæ

repri-

reprimitur. Eodem pacto de turpi delectatione excitata a multiformi temporalium ſpecierum imagine eſt diſſerendum. Habitans enim lex in corpore noſtro mortali, & mutabilis varietas hominem lapſum per carnales ſenſus diverberans, niſi ſuccurrat gratia medicinalis, rapit voluntatem ac deprimit. Eſt ergo virtus animi *habitus* naturæ modo, atque rationi conſentaneus. Ratio non eſt per peccatum extincta, & voluntas etiam velle & agere poteſt, quæ ad præſentem pertinent vitam. Veruntamen quod vis affectuum inſit naturaliter rationabili animo, & pro judicio voluntatis, cujus nutui ſerviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia dirigantur, eſt ſententia Juliani, quem ita S. Pater alloquitur: *Hæc ubi didiceris, neſcio*. Speculative itaque poſtrema ſententia probabilis eſt, *practice* veriſſima eſt, quamquam nec iſta videtur tanto rigore tenenda, ut vitioſum ſit opus, quod non refertur explicite in Deum. Quæ ſi minus placeant, conſulto præpoſui & exornavi Doctorum ſcita, ut illud hac mea lucubratione facem præferente tuearis, quod rationi magis videbitur conſentaneum.

CAPUT IV.

Oſtendit Gratiæ actualis neceſſitatem ad obſervanda præcepta Decalogi.

EPIGRAMMA.

Non ſervit juſſis Legis prudentia carnis,
Peccati ſtimulos nec ſuperare poteſt.
Sed qua mens anceps patitur mala corporis ægri,
Quærere divinum cogimur auxilium.
Lex igitur facit, ut poſcatur gratia Chriſti,
Ardua qua Legis juſſa queant fieri;
Nec jam non valeant carnales vincere ſenſus,
Quos juſta legis Conditor ipſe juvat.

PROPOS. I. Ad obſervanda divina præcepta, ut oportet, ob anceps judicium mentis, animique corpore gravati ægritudinem, cogimur divinum quærere auxilium.

Dixi, *ut oportet*, ideſt ſine ullo pravo aut inanis gloriæ, aut voluptatis fine, ſive, ut eſt in uſu ſermonis, *quoad modum*. Quod enim præcepta ſaltem faciliora, & nulla gravi tentatione pulſante, quale eſt honorare parentes, impleri queant ſine gratia, quantum attinet ad ſubſtantiam & officium ipſorum, producta Romanorum exempla & præcedens diſputatio commonſtrant. Hæc autem propoſitio pariter ex dictis infertur. Nam ſervare quodlibet mandatum, *ut oportet*, debet eſſe ſine tranſgreſſione legis præcipientis, ut opus rectæ rationi ſit conſentaneum, nec virtus ſit ancilla voluptatis, aut deſerviat exitioſo tumori. At iſtud ſine auxilio gratiæ haberi, ſaltem in praxi, non poteſt. Igitur abſque gratia legis præcepta, ut oportet, impleri non poſſunt.

Probatur 2. auctoritate Conciliorum & PP. Milevitana Synodus can. 4. ait: *Quiſquis dixerit, eandem gratiam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc nos tantum adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam etiam præſtari, ut quod faciendum cognoverimus etiam facere diligamus atque valeamus, anathema ſit*. PP. Concilii Carthaginenſis in Epiſt. ad Innocentium inter Auguſtin. 90. nunc 175. perſtringunt Pelagianos, quoniam perſuadebant hominibus animalibus non percipientibus quæ ſunt ſpiritus Dei, *ad operandam, perficiendamque juſtitiam, & Dei mandata complenda ſolam ſibi humanam ſufficere poſſe naturam, non attendentes quod ſcriptum eſt, Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*. Idque paucis interjectis comprobant argumento ſatis in Schola noſtra trito & communi, petito ex orationibus, quibus intellectum & caritatem poſtulamus ad legem ſcrutandam, & faciendam. Quod repetitur, & magis inculcatur proxima Epiſtola 95. nunc 177. S. P. Auguſtinus de Grat. Ch. cap. 26. poſtquam oſtendit dilectionem, qua divina mandata complemus, donum eſſe Dei miſerantis, qui prior dilexit nos, antequam illum nos dilexerimus, inquit: *Etſi enim Dei mandatum videtur aliquando, non a diligentibus, ſed a timentibus fieri, tamen ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur, quia omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ſcilicet cupiditatis vitio, aut inanis gloriæ tumore corruptum, ut ſupra explicavi. Hujus autem generis ſi omnia vellem proferre, infinitus forem, ac verba profunderem.

Falſum eſt autem quod aliqui reponunt Conc. Milevitanum, & Carthaginenſe, Innocentium Romanum Pontificem, Auguſtinum, & alios Pelagianæ hæreſis impugnatores gratiam aſſeruiſſe neceſſariam, non ad *ſimpliciter*, ſed *ad facilius* præcepta implenda Decalogi, aut ſaltem ad ea ſervanda in ordine ad vitam æternam, unde & PP. & Concilia appoſite adhibuerint ea verba, *ut oportet*. Prior enim reſponſio quomodo ab errore Pelagii differat, ego quidem non video: quoniam & ille in altero ſui erroris ſtatu gratiam *ad facilius* implenda mandata increpatus a fratribus non denegavit. Exploditur etiam ea reſponſio ſequenti Canone v. Milevitano: *Item placuit, ut quicumque dixerit gratiam dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam, tamquam etiamſi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere divina mandata, anathema ſit*. Sive ergo *facilius*, ſive *ſimpliciter* Dei mandata nequeunt ſine gratia adimpleri.

Altera autem reſponſio in primis refutatur ex dictis; quippe non obſervantur inculpate mandata, niſi cupiditas & inanis gloria procul abſcedant; quod diximus munus eſſe gratiæ medicinalis. Deinde memorati PP. Carthaginenſes citata Epiſtola probant non poſſe inſtitutam hominis naturam per propriam voluntatem ſine gratia implere Dei legem, ſive naturalem in corde conſcriptam, ſive in literis datam, eo quod condelectari legi Dei ſecundum interiorem hominem, & vincere legem ſitam in membris, & captivantem in lege peccati, munus eſt gratiæ; de qua ad Rom. VIII. ait Apoſtolus: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*. Atque hoc pariter argumentum eſt in Auguſtino frequentiſſimum. Igitur Spiritus nos adjuvare debet non ſolum ut in vitam æternam nitamur, verum etiam ne opus legis pravo fine inquinetur, & lex membrorum interiori legi prævaleat. Nec illud inſuper percipere poſſumus, quomodo æternam vitam minime conſequeretur quiſquis abſque ullo vitio obtemperaret divinæ legi; cum in Evangelio Matthæi cap. XIX. v. 17. legatur: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; & apud Auguſtinum de Nat. & Grat. cap. 2. *Natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, ſi poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem, perficiendamque juſtitiam, de præmio debet eſſe ſecura, hoc eſt de vita æterna; etiamſi in aliqua gente, aut in aliquo ſuperiore tempore fides eam latuit ſanguinis Chriſti*. Præterea ſi fatentur adverſarii neceſſitatem gratiæ ad implenda præcepta, ut *oportet*, neceſſum eſt, ut fateantur hoc idem de obſervantia præceptorum, quæ nulla intentione vitietur. Fit enim *ut oportet*, quod fit ut præcipitur, fruendo Deo, non creaturis, & bono incommutabili, non occiduis hærendo: id vero, quemadmodum dictum eſt capite præcedenti, & propoſitione, quam nunc ſubjicio, dilucide planeque explanabitur, poſtulat divini muneris largitatem.

PROPOS. II. Non poſſumus abſque Gratia carnales vincere ſenſus, atque ſuper omnem creaturam diligere Deum; quod eſt in lege maximum, & primum mandatum.

Explicatur ac ſimul probatur hæc propoſitio. Dum quærimus, an poſſimus ſine ſpeciali gratia ſervare primum legis mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum*, non inſtituitur diſputatio de Amore Dei, ut comprehenditur ſub communi ratione boni, ſive ut animus noſter fertur naturali inſtinctu in beatitudinem, quæ nulla eſſe poteſt præter ipſum Deum; ipſe enim ſolus rationali creatura melior eſt, eamque poteſt ſatiare, atque perficere. Talis quippe amor inditus eſt, neceſſarius, naturalis, neque eſt materia præcepti. Similiter non diſputatur, num ſine gratia amare poſſimus Deum, ut auctor eſt ſupernaturalium donorum, fidei, juſtificationis, beatitudinis credentibus ac diligentibus repromiſſæ, atque ut eſt in ſe Trinus in Perſonis; quæ omnia extra dubitationem eſt longe antecellere viribus mentis, ac voluntatis noſtræ nativis. Non eſt pariter quæſtio, an homo Auctorem ſuum diligere poſſit abſque gratia amore concupiſcentiæ, non propter ſeipſum, ſed unice propter proprium commodum atque utilitatem: quo pacto ſi ametur, eo utimur, & delectamur nobis ipſis, conſtituentes ultimum finem in creatura. Inquiritur, utrum Deus amari poſſit ſuper omnia, ita ut impleatur primum naturalis legis præceptum quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad modum, ſcilicet ametur Deus amore benevolo ac propter ſeipſum, nec ſit amoris medium, ſed finis. Enim vero ſi Deus diligatur propter aliud, nullo modo diligitur ſuper omnia; quoniam, ut inquit D. Bernardus de diligendo Deo, *Quicquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit*. At non poſſumus Deum amare gratis, & propter ſe abſque dono gratiæ ipſius. Igitur ſine gratia implere non poſſumus primum legis naturalis præceptum.

Minorem probo SS. Doctorum auctoritate, & ratione. S. P. Auguſtinus in IV. contra Julianum c. 3. *Amor Dei*, inquit, *quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi a Deo Patre per Jeſum Chriſtum cum Spiritu ſancto. Per hunc amorem Creatoris bene quiſque utitur etiam creaturis: ſine hoc amore creatoris nullus quiſquam bene utitur creaturis*. Et de Grat. & lib. arb. c. 18. *Lex autem ſine gratia litera eſt occidens: in gratia vero Spiritus vivificans: unde eſt nobis caritas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani. Si autem ex Deo, vicimus Pelagianos*. D. Bernardus in libro nuper laudato, *Difficile, imo impoſſibile eſt ſuis quempiam, liberive arbitrii viribus ſemel accepta a Deo libertate ad Deum ex toto convertere voluntatem, & non magis ad propoſitum retorquere, ſicut ſcriptum eſt, Omnes quæ ſua ſunt quærunt*. D. Anſelmus de Concordia libert. cap. antepenultimo docet, *voluntatem poſt deſertam juſtitiam factam ancillam ſuæ affectionis, quæ ad commodum eſt*. Et S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 3. ait: *Unde homo in ſtatu naturæ integræ dile-*

dilectionem ſuipſius referebat ad amorem Dei ſicut ad finem, & ſimiliter dilectionem omnium aliarum rerum: & ita Deum diligebat pluſquam ſeipſum, & ſuper omnia. Sed in ſtatu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit ſecundum appetitum voluntatis rationalis, quæ per corruptionem naturæ ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei. Ratio autem ex dictis eſt manifeſta. Deus enim tunc diligitur propter ſemetipſum, quando recte utimur creaturis, & omnia ad ipſum, non ad privata bona referuntur: ut modo dicebamus cum D. Thoma, & didicimus ab Auguſtino diſputante contra Julianum, & lib. 1. de Doctr. Chriſtiana c. 4. & 22. Atqui ſine gratia recte non utimur creaturis, quemadmodum conſtat ex dictis. Non ergo ſine gratia Deum propter ſemetipſum diligimus.

Eadem poſitio argumenrationibus aliis apud Noſtrates communibus corroboratur. Veniunt primo loco divinæ literæ, quæ caritatem inter præcipua dona Spiritus ſancti commemorant. Ad Rom. v. 5. ſcribit Apoſtolus: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*. Et prima Joannis cap. IV. *Caritas ex Deo eſt*: unde gratiam inſpirantem dilectionem frequentiſſime probat S. Pater. Legito de H. P. cap. 5. & 6. Accedunt Canones Conciliorum. Milevitani can. 4. *Utrumque Dei donum eſt, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus*. Arauſ. 2. can. 25. *Prorſus donum Dei eſt diligere Deum*. Et Trident. Seſſ. VI. can. 3. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, & diligere poſſe, ſicut oportet, anathema ſit*. Præclara eſt ſententia S. P. Auguſtini in Epiſt. 107. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Quam ſententiam ita eſſe accipiendam, ut propter originale peccatum homo contraxerit vulnus concupiſcentiæ, atque opus habeat gratia Liberatoris, demonſtravi de H. Calviniana cap. 3. Poſtremo ſuffragatur ſententiæ noſtræ ipſamet ratio. Etenim rationalis creatura diligens Deum ut auctorem naturæ ſuper omnia, habet bonam voluntatem, qua illi caſte adhæret, & melior fit, quam non babens bonam voluntatem. Atqui ſine caritate, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, non poteſt rationalis creatura babere bonam illam voluntatem, ut diſertiſſime demonſtrat S. Pater in duodecimo de Civit. Dei cap. 9. Igitur ſine caritate, quæ in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum diffunditur, Deum auctorem naturæ diligere non poſſumus ſuper omnia.

Sunt hoc loco breviter elidenda reſponſa Adverſariorum: qui ad omnia hactenus producta reſpondent his probari duntaxat non poſſe hominem lapſum diligere Deum auctorem ſupernaturalium donorum viribus propriis, poſſe tamen illum diligere ut Auctorem naturæ. Atque de ipſo Deo Auctore ſupernaturali accipienda eſſe verba Auguſtini, Conciliorum, divinæque Scripturæ inde conjiciunt, quod Auguſtinus funem diſputationis duxerit cum Pelagianis ſupernaturalium gratiarum oppugnatoribus; Concilia vero loquantur de illa caritate, quæ ad juſtificationem viam ſternit. Ac propterea inquiunt conſulto addidiſſe verba illa, *Ut oportet*.

Haud difficile eſt hanc reſponſionem pluribus titulis falſam convellere. Principio nullum in Auguſtino offendes veſtigium, unde ſuadere poſſis, inſtitui ab illo diſputationem de Amore Dei, ut ſupernaturalium donorum Auctor eſt. Imo ſuperat intelligentiam noſtram, quod Pelagiani non plane rudes, ſed acutiſſimi Dialectici gratiam negaverint neceſſariam ut animus in Auctorem ſupernaturalem trahatur: ſed uti rationalem creaturam naturaliter rectam nullaque originaria labe inquinatam, & legem vel ſingulorum inſculptam cordibus, vel prædicatione manifeſtatam putabant; ita coherenter loquendo ad ſervandam legem naturalem ſufficere autumabant poſſibilitatem naturæ, ad amplectendam ſervandamque legem Evangelicam donum ſupernæ illuſtrationis, quod non deeſſet ipſam naturalem legem ſervantibus. Atque hæc eſſe dogmata Pelagiana nemo unus in hiſtoria hujus hæreſis paullulum verſatus infiĉiabitur. Quapropter dicendum eſt, ſanctum Doctorem dum gratiam propugnat ad diligendum Deum, atque ad implenda mandata, loqui de lege etiam naturali ſingulis hominibus amorem Creatoris præcipiente. Atque id eo maxime, quod nullibi inveneris prædicari ab Auguſtino neceſſitatem divinæ gratiæ medicinalis, niſi ob vulnus pugnacis concupiſcentiæ, & corruptionem naturæ per Chriſtum ſanandæ; non quod objectum dilectionis naturæ univerſæ tranſcendat conſtitutionem. Conſentit autem Auguſtino etiam beatus Thomas. Deinde amor Dei, ut eſt naturæ Auctor, etſi non eſt ſupernaturalis quantum *ad ſubſtantiam*; eſt ſententia Noſtrorum ſupernaturalis *quoad modum*; propterea quod voluntas infirma magis ad bona ſenſibilia, quam ad ſummum protendat. Poſtremo S. Pater in lib. IV. contra Julianum cap. 3. diſerte loquitur de Amore Creatoris. In libro etiam de Civit. Dei XII. diſputat de Bona voluntate, *qua non ad ipſam rationalem creaturam, quæ minus eſt, ſed ad illum, qui ſumme eſt, convertitur*. At hæc duo, Creatorem eſſe, & ſumme eſſe, Deo, ut eſt Auctor naturæ, conveniunt. Igitur ſi a gratia eſt amor Creatoris, & bona voluntas quæ non convertitur ad creaturas; a gratia eſt quilibet amor Dei ſuper omnia. In Epiſtola autem ad Vitalem cauſſam e veſtigio afferens, cur perdidimus liberum arbitrium ad diligendum Deum, ait, *Et lex Dei atque doctrina, quamvis ſancta & juſta & bona, tamen occidit, ſi non vivificet Spiritus, per quem fit, non ut audiendo, ſed ut obediendo, neque ut lectione, ſed ut dilectione teneatur*. Igitur ſine ſubminiſtratione Spiritus ſancti nullum legis præceptum ita dilectione tenetur, ut ſubrepente tumore ſuperbiæ, aut exitioſa cupiditate lex non occidat.

Idem dicendum omnino de allatis textibus Scripturarum, & Conciliorum definitionibus. Primo quia abſolute & nulla adhibita diſtinctione affirmant caritatem eſſe donum Dei. Deinde Joannes in Epiſtola prima cap. 4. demonſtrat eſſe ex Deo caritatem, qua diligimus nos invicem: hanc vero quantum ad objectum naturalem eſſe, nemo eſt qui non videat. Eſt autem Amor proximi ex Deo, quando non ad aliquam creaturam, ſed ad Creatorem ipſum refertur, ut infra in ſolutione oppoſitionum demonſtrabo. Præterea ſi diligatur Deus, *ut oportet*, omnium conſenſione, eſt donum Gratiæ, idque Concilia definiunt. Sed amor Dei ut Auctoris naturæ ſuper omnia eſt amor, quo diligitur Deus, *ut oportet*; Ergo hujuſmodi amor donum eſt gratiæ. Minor in Auguſtiniana Theologia nequit in dubium revocari. Enimvero amor, ut vidimus, rectus eſt, atque, *ut oportet*, quotieſcumque bene utitur creaturis, quotieſcunque voluntas convertitur ad illud quod ſumme eſt, quotieſcunque bono aliquo creato non fruitur. Porro ſi diligamus Deum tamquam Creatorem univerſorum ſuper omnia, utimur, non fruimur creaturis, neque ad iſtas, quæ minus ſunt, ſed ad illud quod ſumme eſt voluntate convertimur. Igitur erit hæc dilectio, *ut oportet*. Ad hæc: dilectione iſta amatur Deus gratis & propter ſe. Quiſquis autem negat dilectionem, qua Deus amatur gratis, non eſſe, *ut oportet*, aperte Auguſtino contradicit; ut liquet ex lib. 1. de Doctrina Chr. cap. 22. de Civit. Dei lib. XI. c. 25. & Ench. cap. 121. nam ſi Deus ametur gratis, & per ſeipſum delectet; amore inhæremus bono incommutabili, neque caritatem noſtram privatum fluxumque aliquod bonum relaxat. Inſuper canon 3. Seſſ. VI. Tridentini addidit particulam *ut oportet*, ex Canone 6. & 25. ſecundi Arauſicani, atque iſtud ex nuper laudato cap. 121. Enchiridii, ut conſtat ex collatione verborum. Auguſtinus vero eo loco Enchiridii affirmat quæcumque Deus mandat, fieri *ut oportet*, cum *referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum*. Dummodo ergo diligatur Deus propter Deum, amabitur *ut oportet*. Demum diligitur, *ut oportet*, quotieſcumque diligitur ut ipſe præcipit: Si diligatur gratis, propter ſe, & ſuper omnia, diligitur, ut ipſe præcipit: Ergo diligitur, *ut oportet*. Perperam itaque detorquent nonnulli has particulas ad ſolam dilectionem Dei donorum ſupernaturalium largitoris.

Quod addunt ſacroſancta Concilia loqui de caritate prout ad juſtificationem æternamque vitam perducit, veriſſimum eſt: ſed magis ſententiam noſtram confirmat. Amor quippe quo bene utimur creaturis, amor quo ſummo bono inhæremus, amor quo Deum diligimus *ut oportet*, amor gratuitus, caſtus, benevolus juſtificationis principium eſt, & ad vitam perducit; ut diximus præcedenti propoſitione. Talem vero eſſe amorem Dei Auctoris naturæ, hactenus probatum eſt. Inſuper neceſſe non eſt ad reconciliationem obtinendam deteſtari peccatum, tamquam offenſam Dei auctoris gratiarum ſupernaturalium, ſed ex præſcripto Conciliorum ac Patrum, imo ex Contritionis formulis probatis uſu univerſorum fidelium, perfecta eſt contritio ſi deteſtemur peccatum tamquam offenſam Dei ſumme boni atque amabilis ſuper omnia. Poſſumus autem ita peccatum deteſtari per amorem Dei ut Auctoris naturæ; quia ſub hac potiſſimum ratione Deus eſt ſummum bonum, infinitum ac perfectiſſimum. Inſuper in Schola Auguſtini ſicut peccat quiſquis avertitur a ſummo bono, & convertitur ad creaturas; ita ad juſtificationem diſponitur quiſquis ſe avertit a creaturis, & convertitur ad ſummum bonum. At per amorem Dei auctoris naturæ, dummodo ſit gratuitus & ſuper omnia, a creaturis ad ſummum bonum convertimur. Igitur per hujuſmodi amorem diſponimur ad juſtificationem. Atque his Adverſariorum noſtrorum reſponſa apertiſſime revincuntur.

Video ex Recentioribus aliquos mediam ſententiam tenere, affirmantes poſſe hominem lapſum ſine ſpeciali auxilio diligere Deum Auctorem naturæ amore imperfecto & inchoato, non autem perfecto & ſuper omnia. Quæ opinio, ſi amorem imperfectum dixeris illum, per quem Deus rebus creatis poſtponitur, neque amor Dei dicendus eſt, ut præmonui præclariſſima ſententia Bernardi, neque rectus eſt, ſed ordinem naturæ pervertens, utpote rebus temporalibus fruens, & fluxis bonis inhærens, quemadmodum de avaris Deum propter nummum colentibus cap. 25. lib. XII. de C. D. docet Auguſtinus. Si vero amorem imperfectum dicas illum, qui poſitive nullam creaturam Deo præfert, ſed ab his abſtrahit; juxta præcedentem diſputationem noſtram de Operibus bonis moraliter, dicendum eſt hujuſmodi amorem ſaltem in praxi non dari, cum magis animum noſtrum trahat appetitus rerum ſenſibilium, aut humanæ gloriæ, quam bonum incommutabile, ut ſupra ex Auguſtino & Thoma probatum eſt.

Ho-

Honoratus Tournely, qui de Grat. Ch. lib. 2. q. 4. art. 5. mediam hanc ſententiam ampleſtitur, ſuis argumentationibus refutatur. In prima enim concluſione pag. 421. Ven. edit. recte ſcribit vitioſum ac perverſum eſſe amorem, per quem poſitive aliquid Deo præfertur. Sequenti Concluſ. probat hominem lapſum ſine gratia non poſſe diligere Deum ſuper omnia amore affectivo, auctoritate D. Thomæ ſuperius producta ea 1, 2. q. 109. art. 3. Atqui expreſſe ibidem docet S. Thomas hominem propter corruptionem naturæ, niſi gratia ſanetur, magis ſequi bonum privatum, quam Deum. Igitur ſine ſpeciali Gratiæ auxilio homo lapſus bonum privatum Deo præfert; & conſequenter diligit Deum amore, ſi non *quoad ſubſtantiam*, ſaltem quoad *modum* vitioſo ac perverſo. Probat ibidem Tournely aſſertionem ſuam ex canone 25. Synodi Arauſicanæ definientis neminem per liberum arbitrium peccato primi hominis attenuatum poſſe diligere Deum, ſicut oportet: & veritate cogente fatetur adverſus Suareſium hunc Canonem eſſe accipiendum de Amore Dei etiam ut Auctoris naturæ, quoniam Synodus Arauſicana repetit impotentiam hominis lapſi ad diligendum Deum ſuper omnia, etiam ex infirmitate per arbitrium contracta. At Canon præfatus non diſtinguit inter amorem Dei inchoatum & perfectum, ſed abſolute pronunciat, *Prorſus donum Dei eſt diligere Deum, & nemo habet quicquam boni, niſi illud illi datum fuerit deſuper*. Igitur quilibet amor Dei ſuper omnia, etiam inchoatus & imperfectus, ex Deo eſt. Et quidem Semipelagiani ab eadem Synodo condemnati, uti pium aliquem affectum, ita fidei initium volebant ea nobis eſſe; ideoque declaravit hæc Synodus citato canone neminem poſſe, niſi gratia prævenerit, *aut diligere Deum, ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum*. Atqui ex dono gratiæ eſt fides non ſolum perfecta, verum etiam inchoata, ut cum Auguſtino cap. 9. de Prædeſtinat. Sanctorum declarat eadem Synodus canone 5. & 6. Igitur ea dono gratiæ eſt caritas & amor Dei non ſolum perfectus, ſed etiam inchoatus. Videatur S. Pater etiam de Gratia & lib. arb. c. 19. ubi deplorat tenebras, & ineptias Pelagianorum, qui cum ſcientiam legis ex Deo eſſe faterentur, volebant caritatem, quæ facit ut ſcientia inflare non poſſit, eſſe ex nobis ipſis. Atque ne plura perſequar; illius operis, cujus incrementum eſt a Gratia, a gratia debet eſſe principium, ut Deo totum tribuatur, & nemo credat ſe priorem dediſſe inchoatam dilectionem, ut ei retribuatur perfecta. Quæ tamen omnia diſputationis cauſſa, & abſque ulla in oppoſitam opinionem cenſura, dicta ſint.

Quæret fortaſſe aliquis, an in ſtatu puræ naturæ Deum ſuper omnia poſſet homo diligere. Si ſtatum illum arbitraris poſſibilem, reſpondebis affirmative, en quod tam Synodus Arauſicana, quam Auguſtinus & Doctor Angelicus videntur repetere dilectionem Dei ex gratiæ adjutorio propterea quod liberum arbitrium granditate primi peccati attenuatum ſit, & voluntas ob naturæ corruptionem magis in bona commutabilia protendat. Si vero in oppoſitam ſententiam declines, reſpondebis iccirco a te ſtatum puræ naturæ denegari, quoniam in eo ſtatu teneretur homo ad amandum Deum ſuper omnia, atque ſi hoc faceret, bonam voluntatem haberet, & ad vitam perveniret æternam. Quod dubio procul divinæ gratiæ poſtulat adjutorium. In hac autem hominum conditione dicendum eſt ob vitium naturæ pravamque inclinationem arbitrii neceſſariam eſſe gratiam medicinalem ſanantem vulnus concupiſcentiæ; cum in ſtatu naturæ integræ ſufficeret auxilium Dei moventis. Atque hæc doctrinæ S. Thomæ videntur conſentanea. Non eſt igitur neceſſe cum hac præſenti quæſtione illam etiam de poſſibilitate puræ naturæ implicare: & huic cum Thomiſtis fere omnibus ſubſcribunt Bellarminus, Vaſquez, Suarez, & alii, qui alteram quæſtionem oppugnant. De illa diſſerui in Supplemento lib. XII. eamque in præſentia, ut me pede & modulo meo dimetiar, cenſeo prætereundam.

CONTRARIA ARGUMENTA EXPEDIUNTUR.

Objicies primo. Deuteronomii cap. XXX. v. 11. legitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non ſupra te eſt, nec procul poſitum*: & v. 14. *Juxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud*. Eſaiæ 44. verſu ult. de Cyro legitur: *Omnem voluntatem meam complebis*. Marc. 1. 19. quidam audiens commemorari a Chriſto præcepta legis ait: *Magiſter hæc omnia ſervavi a juventute mea*. Et v. 21. *Jeſus intuitus dilexit eum*. Paulus etiam ad Philipp. III. v. 6. teſtatur ſe ante converſionem ſuam, juſtitiam, quæ in lege eſt, ſervaſſe ſine querela. Poſſunt ergo etiam ab homine lapſo præcepta legis ſine ſpeciali gratia adimpleri.

Reſp. falſam eſſe conſequentiam. Nam in Deuteronomio dicitur mandatum prope & in corde, quoniam in cordibus noſtris diffunditur caritas, atque *ibi eſt fides, quæ per dilectionem operatur*, inquit Auguſtinus q. in Deuteronomium quarta & quinquageſima. Atque hunc eſſe verborum Deuteronomii ſenſum conſtat ex Epiſt. ad Rom. c. 10. v. 8. 9. & 10. *Sed quid dicit Scriptura? Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei quod prædicamus. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Eſt etiam mandatum legis prope nos, in quantum præſcribit opera rationali naturæ conſentanea, & quæ poſſunt impleri, ſi vitium, quod contra naturam eſt, ſanetur per gratiam. Dicitur Cyrus omnem Dei voluntatem compleſſe, quoniam per eum Populo Judæorum a captivitate revertendi, & ædificandi templum facultas data eſt. Fuiſſe enim Cyrum idololatram antequam Aſtyagem oppugnaret, liquet ea proximo capite, verſu 4. & 5. Aut ſi mavis Cyro ſpecialem gratiam fuiſſe collatam, eſt id quoque probabile ea inſequenti verſu 13. *Ego ſuſcitavi eum ad juſtitiam, & omnes vias ejus dirigam*. In eo autem, cujus meminit Evangeliſta Marcus, dilexit Dominus pium percipiendi vitam æternam ſtudium, & fidem in Chriſtum verſu 17. expreſſam: potuitque, cum eſſet Judæus genere, in ipſo præcedere fides aliqua Mediatoris implicita, & gratia qua præcepta legis impleverit: licet ob immoderatum divitiarum amorem, quem ex verſu 22. & 23. deprehendimus, videatur mihi legem a juventute ſervaſſe quantum *ad ſubſtantiam* operum, ſed ſine perverſo rem pecuniariam Deo præferens. Ac propterea inſeminatum divinitus deſiderium æternæ vitæ ſtatim vetuſtate cupiditatis in illo emarcuit. Apoſtolus ad Philippenſes ſcribens ſe converſatum ſine querela ſecundum juſtitiam quæ in lege eſt, aut ſignificat duntaxat ſe obſervaſſe inſtituta Majorum, & officia a lege Moſis præſcripta, aut legem accipit pro illis præceptis, ſecundum quæ exercebantur judicia, affirmans ſe nunquam fuiſſe delatum ad judices ſupplicio aut verberibus afficiendum. Quem poſtremum ſenſum maxime mihi probant ea verba, γενόμενος ἄμεμπτος, *converſatus ſine querela*, eſt enim ἄμεμπτος idem, ac ſine *expoſtulatione judicii*. Nam quod *ad modum* attinet, legem fuiſſe tranſgreſſum ſerviendo ἐπιθυμίαις, καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις, *deſideriis & voluptatibus variis*, ſcribit ad Titum cap. III. verſ. 3.

Secundo objicies verba Apoſtoli ad Rom. II. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*. = Reſp. 1. juxta ſententiam Auguſtini Apoſtolum loqui de Gentibus ad fidem converſis: quod ſane ſcopo & verbis Apoſtoli undequaque cohæret. Redarguuntur enim eo loco Judæi, qui ea data ſibi lege Gentes ad Chriſtum venientes aſpernabantur, & circumciſione carnis gloriantes legem frangebant. Atque adverſus iſtos Paulus clamat verſu 13. non juſtos eſſe apud Deum auditores legis, ſed factores tantum juſtificari, cauſſam ſubinde afferens, quoniam etiam Gentes, quæ legem non habent, præcepta poſſunt implere, & licet carne circumciſi non ſint, habere poſſunt circumciſionem cordis in ſpiritu, & Judæos eſſe in abſcondito. Tales fuerunt, inquiunt Chryſoſtomus, & Hieronymus in hunc locum, qui verum Deum in lege naturæ coluerunt, ut Melchiſedech, Job, Ninivitæ, Cornelius, & alii gratia Salvatoris præventi. Cum ergo Apoſtolus tam aperte ſermonem inſtituat de obſervantia legis, per quam juſtificamur apud Deum, & in qua præputium juſtitias cuſtodiens, legemque conſummans judicabit eos, qui per literam & circumciſionem ſunt prævaricatores legis; eo quod hi carne, illi autem corde circumciſi ſint; manifeſtum eſt per illud *naturaliter* legem Moſaicam excludere, non gratiam, ſine qua nequit haberi juſtificatio, & circumciſio cordis in ſpiritu. Rectiſſime itaque Auguſtino Juliano hunc eumdem Apoſtoli textum objicienti reſpondet lib. IV. c. 3. n. 25. *Ideo dicuntur naturaliter quæ legis ſunt facere, quia ex gentibus venerunt ad Evangelium, non ex circumciſione, cui lex data eſt: & propterea naturaliter, quia ut crederent ipſa in eis eſt per Dei gratiam correpta natura*. Et de Sp. & lit. cap. 27. n. 47. *Nec te moveat quod naturaliter eos dixit quæ legis ſunt facere. Hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei in qua naturaliter facti ſumus inſtauret in nobis. Vitium quippe contra naturam eſt, quod utique ſanat gratia*.

Reſp. 2. Datu quod Apoſtolus de infidelibus orationem inſtituat; hi *naturaliter* ea quæ ſunt legis exequuntur, in quantum per originale peccatum non ita eſt in mente hominum detrita Dei imago, ut nulla in ea veluti lineamenta remanſerint, unde merito dici poſſit in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere. Ita S. P. Auguſtinus prox. capite 28. n. 48. Ex his autem non ſequitur hujuſmodi infideles præcepta legis complere quantum *ad modum*; ſed quantum *ad ſubſtantiam*, & officia virtutum, quæ ſint in ſeipſis inſpecta rectæ rationis conformia: nec poſſe omnia, ſed aliqua tantum faciliora, ut honorare parentes, nec aliis facere quod nemo perpeti vellet. At hæc, quantum *ad modum* pertinet, non impleri ſine gratia, commonſtrat eo loci Auguſtinus, dicens quod ſi diſcutiatur quo fine virtutes Gentilium factæ ſint, *vix inveniuntur quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemve mereantur*. Nec te moveat particula illa vix, ut dicas aliqua ſaltem a Gentilibus opera rectiſſimo fine & inculpate juxta naturalis legis præſcripta patrari. Quamquam enim nolo ego inter Scholaſticos arbiter ſedere, & opinionem meam præcedenti capite declaravi; obvia eſt reſponſio etiam Gentilibus aliquando gratiam adeſſe ad refringendos inania gloriæ, & cupiditatis ſtimulos, ut demonſtravi c. 2. Prop. IV. Certe Auguſtinus memorato c. 28. de Sp. & litera ab iis, qui ſecundum in-

juſtitiæ regulam opera exercent laudabilia non dehoneſtata perverſo fine, gratiam nequaquam excludit: ſed tantummodo probat ſtare teſtamenti novi diſcrepantiam a veteri, quod per illud lex olim ſcripta in tabulis inſtauretur in corde Fidelium, ſive teſtimonium Apoſtoli accipiatur de Gentibus, quæ venerunt ad Evangelium, ſive de Infidelibus: propterea quod manet quidem adhuc in iſtis lex naturæ, per quam nonnunquam executioni mandant virtutum officia, ſed tamen ut lex inſtauretur in corde, ita ut hæ virtutes bonæ ſint undequaque, nec in praxi animus ſuperbia, aut vitioſa cupiditate vincatur, ipſa lex debet in corde per novum teſtamentum, & per gratiam Chriſti imprimi iterum, & inſtaurari. Abſolvit ergo Apoſtolici textus explicationem S. Pater num. 49. his verbis: *Quodlibet horum accipiatur, conſtat gratiam Dei promiſſam eſſe teſtamento novo etiam per Prophetam: eamdemque gratiam in eo definitam, ut ſcribantur leges Dei in cordibus hominum*. Quapropter ex memorato cap. 28. recte infertur Gentiles quandoque agere ſecundum juſtitiæ regulam, & merito laudari, interdum quoque operari fine non malo: quod nos cap. 2. diſtinctis theſibus explicavimus. Verum in his Chriſti gratiam, & aliquam fidem non præcedere, perperam ex hoc loco quidam deducere moliuntur. Imo ſi animadvertas ſedulo, demonſtratur oppoſitum: primo, quia bene undequaque operantes vincunt naturæ vitium, quod utique ſanat gratia. Deinde quia legem habent non ſolum in mente, ſed etiam inſcriptam cordi, videlicet cum bona voluntate conjunctam. Rurſus quia S. P. lib. IV. contra Julianum cap. 3. num. 32. hæc Gentilium opera Gratiæ deputat. Poſtremo quia eodem cap. num. 25. docet opera quæque infidelium ſine Chriſti gratia, etſi officio ſint bona, ac minus punienda iis, quæ naturalem legem tranſgrediuntur, habere tamen peccatum ſibi conjunctum non ratione ſui, ſed ob intentionem operantium, qui aut terrenæ patriæ exhibent Babylonicam dilectionem, aut dæmonibus, vel humanæ gloriæ deſerviunt. Num vero hæ duæ reſponſiones veræ ſint & legitimæ, videbit qui Auguſtini teſtimonia non divulſa & mutilata, ſed ut jacent laudatis capitibus numeriſque explanata, attente perleget. Hac ſecunda reſponſione ſolvuntur aliorum Patrum ſententiæ primo aſpectu contrariæ. Quotquot enim textum Apoſtoli de infidelibus expoſuere, aut laudarunt in iis virtutum officia duntaxat, aut gratiam penitus non excluſerunt, aut de vitio naturæ inſtaurandæ & ſanandæ eo loci non pertractarunt. Nam & infideles exhibere honorem parentibus, reddere ſuum unicuique, non pejerare, aliqua hujuſmodi facere nulla vituperatione, ſed laude in ſe digna, & merito Patres ſcripſerunt, & nullus negat Catholicorum.

Si dixeris damnatam eſſe Propoſitionem 22. Baji: *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.*

Reſpondetur primo cum Vaſquez 1. 2. diſp. 190. q. 109. cap. 18. num. 578. damnatam eſſe ob acerbitatem Cenſuræ: *Quis dicat*, ait doctiſſimus Jeſuita, *damnari ſententiam hujus Doctoris in eo quod ait, illud teſtimonium de Gentibus fidelibus intelligendum eſſe, cum ſit ſententia S. Auguſtini, & omnium Patrum?* Et infra, *Senſum hujus damnationis, prout a me explicatus eſt, contuli cum Illuſtriſſimo Domino Cardinali Toleto, cum Sacri Palatii Concionator, & Theologus eſſet, anno 1586., eumque probavit, & germanum eſſe dixit, propriaque manu ſubſcripſit, cujus ſubſcriptionis exemplum apud me adhuc eſt*. Quis autem poterat damnationis ſenſum melius percipere, quam Toletus miſſus a Gregorio XIII. Lovanium in Cauſſa Baji, & ab ipſo Pontifice circa Bullam a Lovanienſibus recipiendam pleniſſime inſtructus? Revera cum S. P. Auguſtinus doceat, quod etiam ſi Apoſtolicum teſtimonium accipiatur de infidelibus, ſtat adhuc diſcrimen inter legem, & gratiam, neque hæc interpretatio adjuvat Pelagianos conantes ex hoc loco probare in infidelibus veras eſſe virtutes; conſtat propoſitionem Baji inſimulantis eamdem interpretationem Pelagianiſmi eſſe falſiſſimam, atque acerbiſſimam. Quod tamen addit Vaſquez omnes Patres explicare locum Apoſtoli de Gentibus fidelibus, arbitror eſſe falſum: & propterea articulus Baji eſt etiam Patribus injurioſus. At Patrum ſenſa non repugnare Auguſtino verum eſt, ut ſupra dicebamus. Reſp. 2. in ſenſu ab Auctore intento articulum Baji non ſolum falſum eſſe, ſed etiam hæreticum. Significat enim infideles ſine gratia *habituali*, quam tantum Bajus admiſit, & ſine qua omnia opera infidelium aſſeruit eſſe peccata, non poſſe obſervare legem naturalem; cum poſſint optime *quoad ſubſtantiam* abſque ulla gratia ſpeciali, *quoad modum* vero cum inſpiratione Spiritus ſancti moventis, & nondum inhabitantis.

Ob. 3. Si nemo ſine gratia poſſet diligere Deum tamquam auctorem naturæ, immerito damnata eſſet triceſima quarta propoſitio Baji: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator; vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris literis, ac plurimis veterum teſtimoniis excogitata*. Idem aſſerendum eſt de propoſitione 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola philoſophia cum elatione præſumptionis humanæ, cum injuria Crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus*.

Reſpondetur hujuſmodi propoſitiones rectiſſime fuiſſe proſcriptas. Primo quia datur amor naturalis quo animus fertur in beatitudinem, cujus deſiderium corrupta per peccatum natura non potuit amittere: atque hic amor non eſt a gratia, quemadmodum nec liber ea libertate, quæ ſufficiat ad meritum, ut Bajus, Queſnellus, & Janſenius commenti ſunt, refutati de H. Calviniana cap. 2., ſed eſt amor inditus a natura, indeliberatus, & neceſſarius. 2. Datur amor naturalis etiam deliberatus, quantum ad objectum, eoque revera diligitur Deus, ut eſt Auctor naturæ, neque amor iſte *ſecundum ſubſtantiam* malus eſt, ſed bonus & rectæ rationi conſentaneus, licet aliquando non habeat rectitudinem finis, ſi Deus non diligatur propter ſe, gratis, & amore benevolo. 3. Etiam datur amor Dei Auctoris naturæ & bonus undequaque ſine gratia Spiritus ſancti inhabitantis, quam duntaxat admiſit Bajus, ut conſtat ex articulo 62., in quo rejicit tamquam commentitiam & odioſiſſimam diſtinctionem duplicis juſtitiæ, *alterius quæ fit per Spiritum caritatis inhabitantem, & alterius quæ fit per inſpirationem Spiritus ſancti nondum cor inhabitantis & in eo caritatem diffundentis*. Ex qua prava doctrina ſequeretur quæcunque fiunt ab homine nondum juſtificato vera eſſe peccata: quod & Bajus aſſeruit art. 35., ut cap. 2. dictum eſt. Promeruit ergo etiam articulus 34. & 36. hanc perniciosam hæreticamque doctrinam comprehendens, cenſoriam Eccleſiæ animadverſionem.

Illud quoque reſpondere poſſumus prædictos articulos Baji fuiſſe damnatos, non ob id, quod ſpectat ad duplicem amorem, ſed quod attinet ad nimis auſteri, ſeverique judicii libertatem. Ita Gabr. Vaſquez 1. 2. diſp. 595. cap. 4. num. 28. Suarez etiam Prolegom. 6. de Grat. cap. 2. num. 24. fatetur plures Bajanos articulos fuiſſe damnatos non propter doctrinam, *ſed propter acerbitatem & audaciam*. Quod declaraſſe ipſum ſummum Pontificem Pium V. colligitur ex iis, quæ ſupra diximus de Cardinali Toleto, & conteſtatur Vincentius Contenſonius Tom. 2. lib. VIII. diſp. 1. cap. 2. §. 1. In ſerie harum propoſitionum eſſe præſertim triceſimam quartam, ex eo conſtat, quod Eminentiſſimus Bellarminus lib. 6. de Grat. & lib. arb. cap. 7. tam intrepide ſententiam noſtram defendit, ut ſcribat: *Exiſtimamus non poſſe Deum, niſi ope ejus, diligi neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfecte, neque imperfecte, ulla modo; atque hanc non dubitamus ſententiam S. Auguſtini, imo & Scripturarum, & Conciliorum, quicquid aliqui minus conſiderate in hac parte ſcripſerint*. Quis autem dixerit tantum virum damnatam in Bajo opinionem aut ignoraſſe, aut propugnaſſe?

Objicies 4. quædam argumenta a ratione quorum ſolutio ex dictis facillima eſt, ideoque ea breviter proponuntur. Eſt autem primum: Præcepta Decalogi ſunt proportionata naturalibus viribus creaturæ rationalis; poſſunt ergo naturaliter adimpleri. Alterum eſt: poteſt mens humana citra ſpecialem gratiam Deum cognoſcere, & incommutabilis juſtitiæ legem percipere: igitur poteſt voluntas Deum amare, & ſecundum juſtitiæ regulam operari. Sequitur tertium: Connaturale eſt homini diligere ſummum bonum, ſi illud mente percipiet. At per ideam naturaliter inditam percipimus ſummum bonum eſſe Deum. Ergo Deum diligere connaturale nobis eſt. Accedit quartum: Poſſumus naturaliter diligere creaturas; quare non Deum rebus omnibus creatis amabiliorem? Quintum eſt hujuſmodi: Poteſt homo ſine gratia Deum glorificare; Apoſtolus enim ad Rom. 1. v. 21. reprehendit Gentiles Philoſophos, *quia cum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt*. Cultus autem Dei nihil aliud eſt, quam caritas per Auguſtinum Epiſt. 167. alias 29. Igitur ſi poteſt Deus ſine gratia glorificari, poteſt etiam amari. Poſtremum eſto: Poteſt dari amor inchoatus & imperfectus, qui nec ordinetur ad ſupernalem beatitudinem, nec poſitive Deum præferat bono alicui creato. Ad hunc amorem non requiritur gratiæ auxilium; Igitur, &c.

Reſpondetur ad primum, præcepta Decalogi eſſe naturæ rationali proportionata quantum ſpectat ad objecta, & ad officia præceptorum, non autem quantum attinet ad modum, & finem; idque ob ipſius naturæ corruptionem, cui appetitus laudis, aut noxia cupiditas ſubrepit: hoc tamen pacto etiam eſſe proportionata, ſi virium naturæ ſanetur, & Dei imago, in qua naturaliter conditi ſumus, inſtauretur per gratiam; ut de Spir. & lit. cap. 21. docuit nos Auguſtinus: Qui etiam de natura & Grat. cap. 48. exemplum affert lucis, quam ſani oculi vident, non ægri; & cap. 49. poſſibilitatis ambulandi, quæ eſt in ſanis pedibus, non in confractis; quibus exemplis demonſtrat adverſus Pelagium neminem poſſe abſque adjutorio Salvatoris ita legem ſervare, ut vitet peccatum, quoniam corpus aggravet animam, terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, & vitiata natura, de qua loquimur, medicum imploret, & clamat, *Sana animam meam*.

Ad ſecundum facilior eſt reſponſio, ſi dicamus nullam cognitionem ſive naturalis, ſive practicæ veritatis, ſi ab inſpiratione gratiæ disjuncta eſt, poſſe animum noſtrum ad pia ſtudia inflammare. Vel enim ſcientia cum in-

teriori

tetiori ſuavitate & caritate conjungitur, vel tantummodo veritatem oſtendit non impertiendo caritatem. Si ſit cognitio prioris generis, eſt Gratia Chriſti, qua agitur non ſolum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, auctore Auguſtino de Gratia Ch. cap. XII. Si vero ſit cognitio ſine inſpiratione dilectionis, inflat, non ædificat; neque ad ſervandam legem ſufficiens eſt, quemadmodum commonſtrat S. Pater capite præcedenti, Pauli Apoſtoli auctoritate & exemplo. Neque id ſcientiæ vitium eſt, ſed animi, qui preſſus corpore ab idea univerſali vertitur ad imagines temporalium ſpecierum, eaſque particulari & practico judicio præfert bono ſummo, atque incommutabili, ut poſſit dicere cum Apoſtolo, *Quod odi malum, hoc ago*: aut cum altero, *Video meliora proboque, deteriora ſequor*. Sed vide quæ cap. 3. diſſerui de vitiorum origine, nec non Doctorem præclariſſimum de Nat. & Gratia cap. 50. Poteſt tamen reſponderi, non eſſe de mente humana, & de voluntate eodem modo ratiocinandum. Nam, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. ad 3. *Magis eſt natura humana corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri*. Cujus rei facile eſt cauſſam aſſignare: eo quod a voluntate peccatum proxime procedit, & in voluntate commoratur. Non enim peccat homo malum cognoſcendo, ſed bonum male appetendo: neque ipſa ignorantia ſine libera voluntate poteſt eſſe culpabilis. Quare recta cognitio ſuapte natura non infert voluntatem rectam; & fides ipſa omni cognitione naturali præſtantior ſine caritate nihil prodeſt.

De tertio argumento plura non dicam. Etenim percipimus Deum eſſe ſummum bonum notitia univerſali & ſpeculatrice, non ſingulari & practica, ut explicatum eſt modo: & licet ſit nobis connaturalis dilectio, non eſt tamen ſaltem naturæ corruptæ connaturalis ordo debitus dilectionis, qui eſt uti rebus creatis, & incommutabili bono inhærere; *cum appetitus voluntatis rationalis ſequatur in hoc ſtatu bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam*. Quod ſi dicas voluntatem rationalem naturali inclinatione ferri in ſummum bonum; reſpondeo & hanc inclinationem a contraria & vehementiori retardari: & hanc eſſe perfectionem rationalis naturæ, ut ſit ordinata ad finem per gratiam obtinendum; & demum non repugnare inclinationem naturalem in objectum, cui adhærere non poteſt, niſi divinitus adjuvetur, ut anima ſeparata appetit corporis unitionem, infirmus valetudinem, & quilibet homo perpetuam felicitatem.

Ad quartum hanc reſponſionem habeto. Vel ſermo eſt de amore rerum creatarum propter ſeipſas, vel propter Deum. Si res creatæ amentur propter ſeipſas, fruimur creaturis, & amor caſtus non eſt, ſed exoritur a voluntate infirma, depravata, ac proniori ad privata bona, quam ad ſummum & immutabile. Proinde qui ita amat non proficit, ſed deficit, & exhibendo Babylonicam dilectionem aut inflatur ſuperbia, aut cupiditate deprimitur. Quod ſi creaturæ amentur propter Deum, dilectio ex Deo eſt, neque ſine gratia poteſt haberi; ut affirmat Joannes Evangeliſta, & demonſtrat Auguſtinus de Grat. & lib. arb. cap. 18.

In quinto falſa eſt interpretatio eorum, qui verba Apoſtoli de aliquali dilectione, quæ non ſit dilectio Dei ſuper omnia, ſolent accipere; non enim glorificant Deum, ſicut Deum, qui illum ſingulis creaturis non præferunt. Errant etiam qui Dei cultum in illa aliquali dilectione nituntur commonſtrare ex Epiſtola 29. Auguſtini. Nam S. Doctor ſcribens eo loco: *Quid eſt pietas, niſi Dei cultus? Et unde ille colitur niſi caritate?* loquitur de ſervis Chriſti piis ac fidelibus habentibus pietatem appellatam a Græcis εὐσέβειαν, vel expreſſius θεοσέβειαν; & de caritate, quæ eſt de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, & quæ eſt legis totius plenitudo. Quamobrem non video, cur Tournely, qui in ea eſt ſententia, neminem ſine ſpeciali auxilio gratiæ poſſe diligere Deum ſuper omnia, probet ex verbis Apoſtoli & Auguſtini eſſe ex nobis amorem aliquem inchoatum; cum tam aperte cultum, & dilectionem ſuper omnia uterque commendet. Eſt ergo veriſſima interpretatio, & Apoſtolico teſtimonio conformis. Gentiles philoſophos Dei notitiam habentes, illum non glorificaſſe ſicut Deum, quoniam evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, ideſt magis allecti ſenſibilibus bonis tranſmutarunt veritatem Dei in mendacium, & creaturæ potius ſervierunt quam Creatori. Digniſſimi reprehenſione, quia vel habebant gratiam ſufficientem ad reſiſtendum ſenſuum illecebris, vel hac gratia juſto judicio privati libere traditi ſunt in deſideria cordis eorum. Sed legito cap. 1. Epiſtolæ ad Rom., & viceſimum ſecundum Auguſtini de Nat. & Grat. contra Pelagium.

Ad poſtremum, quoniam nolo eſſe longus in ſingulis explicandis, reſpondeo breviter, amorem illum inchoatum, ſi bono mutabili nequaquam hæreat, eſſe ex Chriſti gratia: *Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo: ſed ſi caritas eſt, tota nobis ex Deo eſt*; inquit lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. AUGUSTINUS.

CAPUT V.

Requiri gratiam Salvatoris ad vitandum peccatum, & tentationes vincendas.

EPIGRAMMA.

Nulla anima eſt, quæ non mortali carne gravetur,
Nec quæ corporea conditione gemat.
Sed confirmare invalidam, & frenare rebellem,
Legitimum & proprium eſt mentis opus dominæ.
Quæ vis naturæ ut moderamine temperet æquo,
Et ſubdat ſceptris noxia quæque ſuis,
Auxilium a Domino & vires petat, ut valeat ſe
Vincere, nec ſenſus incitet illa ſuos.
Nam nullos famulæ poterit compeſcere motus,
Ni fuerit Chriſti ſemper amore potens.

PROPOSITIO: Non poſſumus aut peccatum vitare, aut tentationem aliquam ſine gratia vincere undequaque, ideſt, æquo moderamine, ita ut motus ſenſuum compeſcantur, & frenetur appetitus rebellis.

Sequitur hæc propoſitio ex dictis; nam aliquomodo nos abſque gratia recte operari, & tentationem ſaltem levem ſuperare, inſpecta ſubſtantia operum & officio virtutum, tam verum eſt, quam poſſe impleri ſine gratia aliqua præcepta, & multa opera ab infidelibus fieri, quæ ſecundum ſe nequeunt vituperari. At undequaque ſine ſpeciali gratia nullum peccatum, & nulla tentatio quamvis minima vincitur; quoniam, ut ſæpenumero dictum eſt, ſi non adjuvat gratia medicinalis oritur ex bono opere & tentationis victoria tumor ſuperbiæ, & vitio pellitur vitium. Quod aſſerit hoc Epigrammate Proſper, & Auguſtinus lib. XXI. de Civ. Dei c. 16. & in IV. contra Julianum cap. 3.

Breviter tamen confirmatur propoſitio. I. Divinis literis: Sap. enim VIII. legimus: *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det*. Apoſtolus ad Romanos VIII. 37. ait: *In his omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos*. Eſt in Græco, διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, propoſitio cum genitivo, ſignificans, *cum viribus a Deo datis gratuito amore*, cum ex regulis Grammatices, tum ex verſu 1. & 2. capitis quinti, ubi dicitur, nos habere pacem ad Deum, & acceſſum per fidem ad gratiam, διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Matth. etiam VI. 13. jubemur orare, *Et ne nos inducas in tentationem*. II. Probatur ex definitionibus Eccleſiæ; nam Innocentius in Reſcripto ad Concilium Carthag. *Niſi magnis precibus* (inquit) *gratia in nos implorata deſcendat, nequaquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad reſiſtendum non liberum arbitrium, ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium*. Et ad Patres Milevitanos: *Ecce homines, qui non poſuerunt Deum adjutorem ſibi. Negantes auxilium Dei inquiunt hominem ſibi poſſe ſufficere, nec gratia nunc egere divina: qua privatus neceſſe eſt diaboli laqueis irretitus occumbat*. Synodus 2. Arauſ. canone 9. *Divini muneris eſt, cum & recte cogitamus, & pedes noſtros a falſitate, & injuſtitia continemus*. Et canone 22. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*. III. Probatur ex Auguſtino; qui in Epiſt. 106. nunc 186. c. 9. ait, *ex adjutorio Dei noſtram provenire victoriam*; & cap. 10., *Sine gratia dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere*. In Pſalm. 18. *Deo deſiſtente ab adjutorio laborare potes, vincere non potes*; & Serm. IX. de div. cap. 9. *Sine dubio vinceris, ſi illum adjutorem non habueris*. IV. Probatur ratione: Aut vitatur peccatum Dei amore, aut fine honeſto, aut perverſo & vitioſo. Si hoc dixeris, clavum clavo, peccatum peccato pellis. Honeſtus finis ſine gratia, ſaltem in praxi, non datur. Item nec Dei amor, ut in ſuperioribus demonſtravi. Ergo ſine gratia abſtinere prorſus a peccato, & tentationes ſuperare non poſſumus. *Tunc itaque* (ait S. Pater de Civit. Dei libro XXI. c. 16.) *victa vitia deputanda ſunt, cum Dei amore vincuntur, quem niſi Deus ipſe non donat, nec aliter, niſi per Mediatorem Dei & hominum hominem Jeſum Chriſtum*.

Ad hæc vero ſunt qui reſpondent, valere hæc omnia de victoria tentationum ad veram juſtitiam pietatemque ſpectante. Quibus propoſitione prima capitis præcedentis, & in tertio quoque capite pleniſſime eſt ſatisfactum. Liquet etiam ex dictis hactenus, requiri gratiam non ſolum ut vincamus, ſed ne ipſi vincamur, ne quis ſuccumbat diabolicis laqueis irretitus, ne in falſitatem atque injuſtitiam labamur, ne apertiſſima vitia pellantur aliis occultis, quæ putantur eſſe virtutes, in quibus regnat ſuperbia, & quædam ſibi placendi altitudo ruinoſa, ut Auguſtinus ait eodem cap. 16. de Civ. D. libro XXI. Nullam itaque, quantumvis minimam tentationem poſſumus ſuperare, ſi gratia deſtituamur, niſi forte more Romanorum, in quibus *Vicit amor patriæ, laudumque immenſa cupido*. Id autem quod nonnulli ſcripſere gratiam præſtare ut facilius tentationes & peccata vincantur, pariter refutatum eſt ſupra: atque ulterius rejicitur Epiſtolis nuper laudatis Innocentii, & Auguſtini, locisque aliis innumeris non ſemel in aſpectum productis.

Contra hanc propoſitionem urgent Adverſarii plures pro-

propoſitiones Baji, & Queſnellii, præſertim ex Bajanis 27. *Liberum arbitrium, ſine gratiæ Dei adjutorio, nonniſi ad peccandum valet*: & 29. *Fures ii ſunt & latrones, qui dicunt tentationi ulli ſine gratiæ adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic, ut in eam non inducatur, aut ab ea ſuperetur.* Et ex Queſnellianis 38. *Peccator non eſt liber niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris*; & 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

Verum facilem iſta habent intelligentiam ex Reſponſione ad ob. 3. præcedentis diſſertationis. Liberum enim arbitrium ſine gratia poteſt ſuam beatitudinem appetere naturali inſtinctu, quem non potuit amittere depravata natura: cui proinde poſt lapſum non ſolum tenebræ & malitia manent, ſed etiam imago Dei non omnino deleta, idea honeſtatis, & lumen rationis, & in bonum univerſale congenita & antiqua propenſio. Poteſt actus plures indeliberatos peragere, quos culpabiles Bajus & Queſnellus impie dixerunt. Poteſt exercere officia virtutum, & præcepta aliqua implere *quoad ſubſtantiam*, operatione ſecundum ſe laudabili & honeſta, etſi extrinſece, & ex fine operantis non bona undequaque. Poteſt & rectiſſimo fine vitare peccatum cum ſola gratia actuali ſine habitu fidei & remiſſione peccatorum, qualem Gratiam a juſtificatione ſejunctam Bajus & Queſnellus apertiſſime oppugnarunt. Omni ergo jure iſtorum aſſertiones anathemate confixæ ſunt; & quamquam aliquæ ſenſum catholicum habere queant, & videantur ſpeciem veritatis præferre; ſunt in ſenſu ab auctoribus intento reſpective falſæ, ſcandaloſæ, & hæreticæ. Quæ cum ita ſint, miramur juſtiſſima harum propoſitionum damnatione nonnullos abuti ad criminationem Auguſtinianæ doctrinæ; quaſi nullam tentationem etiam minimam ſine gratia ſuperari non poſſe, non propugnent etiam Bellarminus, Franciſcus Toletus, & Vaſquez, quem vide P. 2. diſp. 192. cap. 107. aut quaſi in condemnatione Baji & Queſnellii proſcripſerit Eccleſia, quæ olim definivit adverſus hæreticos Pelagianos.

Secundo objicient teſtimonia Auguſtini ſcribentis in primo De peccat. meritis cap. 22. *Unde enim fit, ut homo ab ineunte pueritia, modeſtior, ingenioſior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam deteſtetur, atque ad virtutes ceteras provectior, aptiorque conſurgat, & tamen eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia chriſtiana non poſſit?* Idem Auguſtinus lib. 1. de Civ. Dei cap. 23. Marci Reguli virtutem commendat, & lib. v. cap. 12. virtutes inclytas Romanorum.

Reſpondetur hæc nullius eſſe momenti. Sanctus enim Auguſtinus in primo De peccatorum meritis probat eo argumento gratiam fidei Chriſtianæ non rependi virtutibus moralibus & humanis, nec pro integaſta vita rationales animas peſtibus corporeis affligi. Addidit præterea conſulto, *Ex magna parte*, ne opineris, victoriam libidinum, ceteraſque virtutes bonas eſſe in illo homine undequaque. In primo de Civitate Dei Regulum prefert Catoni, quoniam is victus Cæſari dedignatus eſt ſubjici; Regulus autem maluit Romanos ferre ſerviendo, quam eis ſe auferre moriendo: utrumque autem ait peccatum peccato declinaſſe. Aliorum Romanorum virtutes bonas extitiſſe quantum ad officium, non quantum ad finem attinet, & propterea fuiſſe illis redditam mercedem temporalem, ſatis arbitror repetitum. Oppoſitiones aliæ, ſi quæ ſunt, facillimam habent ex dictis ſolutionem.

Quæri loco iſto ſolet, num juſtus gratia ſanctificante exornatus opus habeat etiam actueli, ut peccata declinet. De ea pertractavi de H. Pelagiana cap. vi. Prop. 2. Cum Synodus Arauſicana can. x. definiat etiam juſtis ac ſanctis divinum adjutorium ſemper eſſe implorandum; videtur affirmativa ſententia firmiſſima, atque tutiſſima.

CAPUT VI.

Omnia peccata venialia devitare eſt divina gratiæ ſingulariſſimum privilegium.

EPIGRAMMA.

Magna quidem in multis eſt excellentia Sanctis,
Quorum animos ſuperi gratia roris alit.
Sed dum mens quadam patitur mala corporis ægri,
Et pugnam internis exteriora movent,
Nunquam ita perfecta capitur victoria bella,
Vera ut ſecurus pace fruatur homo,
Inter diſcordes motus contagia ſerpunt,
Ipſaque virtutum gaudia vulnus habent;
Ut faciat notum longa experientia cunctis,
Non eſſe hoc plenam tempore juſtitiam;
Ni Dominus miſerando lavet delicta ſuorum,
Et dans virtutum munera det veniam.

PROPOSITIO. Toto vitæ tempore nequit juſtus pugnam, quam internis movent exteriora, perfecta victoria ſuperare, ita ut diſcordibus motibus rationis ac ſenſuum non excitetur levis quædam noxia delectatio deliberata, & ſervetur in excellentia ſanctitatis plane juſtitia. Quare nemo vitare poteſt peccata quæque venialia in tota vita, niſi ex ſpeciali Dei privilegio.

Hanc propoſitionem communiter a Theologis probatam confirmant omnium plane genere argumentorum. Traditur primo in ſacris literis. Paralip. 11. cap. 6. v. 36. *Non eſt homo qui non peccet.* Eccleſ. 7. v. 21. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Jacobi 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Joan. Epiſt. 1. cap. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Quæ omnia ad omnes homines etiam ſublimioris ſanctitatis pertinere, liquet ex univerſali verborum pronunciatione, ex Can. 6. Synodi Milevitanæ, ex Auguſtino de Nat. & grat. cap. 36. & 2. de Peccatorum meritis cap. 7. & 13. Demonſtratur 2. ex Oratione Dominica, qua etiam eximiæ probitatis viri quotidie orant dicentes, *Dimitte nobis debita noſtra*: quod argumentum repetitur ab Auguſtino loco nuper laudato, & de Nat. & grat. cap. 35. & de Dono Perſev. cap. v. Quæ oratio non ſolum eſt humilis, ſed etiam vera, ut Tridentinum inquit Seſſ. 6. cap. 11. & ſi quis *ſic accipiendam putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita eſt*, noverit hanc interpretationem eſſe Pelagianam memorato Canone vi. Milevitano proſcriptam. Tertio communitur teſtimoniis Sanctorum Doctorum. Inter quos S. P. Auguſtinus de Peccat. meritis lib. 2. c. 7. ait: *Credo Scripturæ dicenti, Non intres in judicium cum ſervo tuo, quoniam non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Et ideo miſericordia Dei opus eſt, quæ ſuperexaltat judicio, quæ illi non erit qui non facit miſericordiam. Et Propheta cum diceret, Dixi pronunciabo adverſus me delictum meum Domino, & tu dimiſiſti impietatem cordis mei, continuo ſubjunxit, Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Non ergo omnis peccator, ſed omnis Sanctus: vox enim Sanctorum eſt, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, &c.* Et de Nat. & grat. cap. 36. *Hac ergo Virgine* (Beatiſſima Dei Genitrice) *excepta, ſi omnes illos ſanctos & ſanctas cum hic viverent congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus, utrum hoc quod iſte dicit, an quod Joannes Apoſtolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, una voce clamaſſent, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; an illud humilius reſponderent fortaſſe quam verius? Sed huic jam placet, & recte placet laudem humilitatis in parte non ponere falſitatis. Itaque hoc ſi verum dicerent, haberent peccatum quod humiliter faterentur, quia veritas in eis eſſet. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non eſſet.* Placuit hæc integra exſcribere, quoniam præcedentia magnopere illuſtrant. De Dono Perſev. cap. 2. inter dogmata quæ adverſus Pelagianos Catholica defendit Eccleſia connumerat, *In quantacumque juſtitia ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Eadem eſt doctrina Hieronymi lib. 2. contra Pelagianos, D. Thomæ 1, 2, q. 109. art. 8. & aliorum.

Demonſtratur tandem propoſitio ratione ex præmiſſo Epigrammate Proſperi, & cit. articulo Thomæ deprompta. Continuo enim, quandiu mens corruptibili corpore gravatur, ſenſus rationi bellum cient, atque diſcordes motus ſuſcitant variæ temporalium bonorum imagines. Ita concupiſcentiæ perpetuis jactatur fluctibus, quorum dum unum comprimit & frangit, alter inſurgit & quatit animum, nunc voluptatis, nunc inanis gloriæ repentino appetitu diſtractum. Ut ergo devitet omnia penitus peccata, debet pervigil ratio ſingulis momentis circumſpicere, fluctus frangere, motus reprimere, & pelſantibus illecebris libera voluntate nullatenus propter ſe delectari. Hoc ſpecialiſſimum beneficium eſſe facile intelliget quiſquis humanam infirmitatem, captivantem concupiſcentiam, pugnas internas atque externas, cogitationum, & affectuum humanorum viciſſitudinem animadverterit. Profecto ſi magna eſt gratia inſpiratio ſanctæ dilectionis tam robuſtæ, ut frangat humani cordis duritiam; major erit gratia, quæ perſeverans diu ab injuſtitia nos continet; maxima vero, quæ per totam vitam a minimis culpis indeſinenter præſervet.

Antequam leves quaſdam oppoſitiones diſpellam, præmoneo, poſſe hominem juſtum vitare ad aliquod tempus omnia venialia peccata, quoniam non ſemper appetitus ſenſitivus in actus aliquos deordinatos prorumpit, præſertim ubi flagrantiſſima caritas animum inflammat & purgat: neque occurrunt momentis omnibus peccandi occaſiones, perverſarumque cogitationum diverticula. Sunt qui hoc tempus adeo coarctant, ut credant ſepties ſaltem in die juſtum cadere: quod videtur comprobari verſu 16. cap. xxiv. Proverbiorum. At hoc loco, *ſepties*, pro, *crebro & ſæpe*, poſitum eſt, ut Gen. iv. 24. Pſ. xi. 7. & Pſ. 118. v. 164. Deinde, licet præclari Theologi, etiam Tournely de Grat. Ch. pag. Ven. edit. 446. verba Proverbiorum accipiant pro peccatis, quaſi ſit idem peccare, & univerſaliter cadere; ait tamen Auguſtinus 11. de Civ. Dei cap. 31. *Pro univerſo ſæpe ponitur, ſicuti eſt, Septies cadet juſtus, & reſurget, ideſt, quotieſcumque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, ſed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit.* Et ſi aliquis hunc locum de peccatis interpretatur, fallitur apertiſſime; nuſquam

enim

enim verbum נפל *Nephal*, *cadere*, iſtic in Hebræo poſitum, eſt *peccare*; ſed ubicunque opponitur verbo קום *Chum*, *ſurgere*, accipiendum eſt de tribulationibus, & calamitatibus hujus vitæ. Quod non ſoli comprobant Auctores laudati a Calmet, ſed complures alii, & Hebraicæ Concordantiæ Eſaiæ xxiv. 20. Jerem. xxv. 27. Amos viii. 14. Mich. vii. 8. Eſt ergo Auguſtini interpretatio veriſſima & certa. Deinde perperam addunt aliqui ea verba, *in die*, quæ non habentur in Vulgata, nec in Hebraico, nec in lxx. atque ſi haberentur, poſſent ſignificare tempus indefinite, ut Joan. xx. 4. Gen. xl. 4. Exod. xiii. 10. &c. Igitur quandiu ſtet juſtus abſque minima labe, & quoties cadat, obſcurum eſt, nec eſt ratio eadem in omnibus.

Illud etiam animadverto non comprehendi in hac generali aſſertione puriſſimam Dei Matrem; de qua ſapientiſſime monuit Auguſtinus de Nat. & Grat. cap. 36. nullam prorſus habendam eſſe quæſtionem. Et Tridentinum Concilium Seſſ. vi. edidit Canonem ordine 23. *Si quis dixerit hominem ſemel juſtificatum .... poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia; anathema ſit*. Ob quam ſacroſanctæ Synodi definitionem abſtinemus etiam a ſententia Magiſtri, & veterum quorumdam Scholaſticorum in iii. ſent. diſt. 3. Sacram Virginem immunem extitiſſe omni peccato tantum, cum Spiritus ſanctus ſupervenit in eam, & Virtus Altiſſimi obumbravit illi, ſcilicet, cum æternum Dei Verbum concepit. Hanc opinionem Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. xxx. q. 2. art. 3. communem appellat inter Doctores: ſed ſupponit Virginem conceptam in originali peccato, cujus fomes per obumbrationem Spiritus, & Virtutis Altiſſimi fuerit extinctus. Id vero aut falſum eſt, aut in diſputationem nullatenus revocandum. Iccirco verba Damaſceni laudata ibi a Magiſtro, & conſimilia quædam aliorum Patrum, ſi non poſſint commoda interpretatione emolliri, erunt debita reverentia prætermittenda. Si quærat aliquis, an Deipara recitaverit Orationem Dominicam productam ſupra in Propoſitionis confirmationem; reſpondeo potuiſſe illam recitare, etiam cum petitione, *Dimitte nobis debita noſtra*, nomine totius Eccleſiæ, & pro ſe etiam, quatenus dimiſſa dicuntur debita, quæ divina liberalitate non contrahuntur. At ceteris Sanctis petitionem iſtam neceſſariam eſſe pro ſeipſis, & pro contractis debitis, demonſtratum eſt ſupra, & definitum etiam Canone 82. Concilii Africani ſub Cæleſtino.

De Sancto Joanne Baptiſta non ita loquendum eſt, cum Auguſtinus ſolam Virginem excipiat, & Tridentina pariter Synodus de hac ſola pronunciet. Legitur quidem Matth. xi. *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta*, & in Hymno Eccleſiæ dicitur illum petiiſſe ſub teneris annis deſerta, *Ne levi poſſet maculare vitam Crimine linguæ*. Sed primis verbis oſtenditur tantum prærogativa Joannis ſuper ceteros antiquæ legis Prophetas, poſtremis ſingulare illius ſtudium in cuſtodia linguæ, & cultu ſolitudinis celebratur. Et obſervatum a multis non male, *ἐγείρεσθαι*, *ſurgere*, quod uſurpatur citato loco Matthæi, ſignificare ſermonis proprietate adventum Prophetarum, ut colligitur ex Lucæ vii. 16. *προφήτης μέγας ἐγήγερται*, & Joan. vii. 52. *ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται*. Verum ſi mavis Joannem ab omni culpa leviſſima fuiſſe immunem, imo ſi id concedere cum Panegyriſtis hujus ævi eximio cuilibet Divo, ne amplificatio Rhetorica candori Theologiæ quid tenebrarum offundat, dicam tantam ſine vulnere victoriam ſingulari gratiæ miraculo tribuendam.

Jam vero contraria argumenta ſolvenda ſunt. Opponebant Pelagiani plura Scripturarum teſtimonia, quibus oſtenditur permultos in hac vita fuiſſe perfectos. Hujuſmodi ſunt: de Job legitur cap. i. *Non eſt illi homo ſimilis ſuper terram, ſine querela, juſtus, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo*. De Zacharia, & Eliſabetha Lucæ i. *Erant autem juſti ambo, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela*. Joannes cap. 3. ait: *Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quia ſemen ejus in ipſo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*. Apoſtolus ad Philipp. 3. *Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus*. Sunt alia hujus generis plurima.

Generalis reſponſio eſt, duplicem dari perfectionem: unam ſecundum vitæ iſtius modum, cui hoc quoque imputatur, ſi ſe quiſque noverit imperfectum; & licet ſine aliquo conſcientiæ vulnere eſſe non poſſimus, remediis ſpiritualibus vulnera noſtra curamus. Altera perfectio eſt patriæ, ubi maximum lucrum eſt ſæcularibus laqueis non teneri, nullis peccatis ac vitiis carnis obnoxium fieri, neque ulla emendandis purgandiſque peccatis adhibenda eſt medicina. Delineat nobis Auguſtinus hanc duplicem perfectionem in lib. iv. ad Bonifacium cap. 10. In ipſa enim perfectionis linea ſunt gradus diſtinguendi, quorum ſummus eſt non poſſe jam eſſe imperfectum. Sed & in hac vita unus altero perfectior eſt: nam, ut S. Doctor ſcribit in 2. de Peccatorum meritis cap. xv., *Poteſt fieri, ut jam ſit aliquis ſapientiæ perfectus auditor, cujus nondum ſit perfectus doctor: poteſt perfectus eſſe juſtitiæ cognitor, nondum perfectus effector*. Plures itaque in hac vita priorem habuere perfectionem, in qua juſtus accuſator eſt ſui; & quotidie orat, *Dimitte nobis debita noſtra*. Singula tamen, quæ opponuntur, verſat ſingulatim S. Doctor citato libro de Peccatorum meritis a cap. 6. ad viceſimum octavum. Demonſtrat Jobum laudari comparatione aliorum, qui erant in terra: Zachariam Sacerdotis officio perfungentem etiam pro ſuis delictis hoſtias obtuliſſe, ſervaſſe cum uxore legem ſine querela, ita ut de illorum vita nemo quereretur, neque recte fuiſſe operatum cum ſimulatione, & hypocriſi. Demonſtrat hominem natum ex Deo non peccare, & peccare non poſſe, quoniam peccatum oritur ex vetuſta nativitate, per quam quandiu vivimus in corpore corruptibili, ipſo Joanne Auctore, ſi dixerimus quia peccatum non habemus nos ipſos ſeducimus: nemo autem peccat, in quantum gratia ſpirituali regeneratur, & eſt in Chriſto nova creatura, novumque figmentum, non adhuc tamen, ut in novitatem perfectam tranſierint totius vetuſtatis reliquiæ. Animadvertit fieri non poſſe, ut pugnent invicem Apoſtolica teſtimonia. Obſervat Apoſtolum Paulum ſcribentem, *Quotquot ergo perfecti, hoc ſapiamus*, demonſtrare ſe in alia re perfectum eſſe, in alia non eſſe; ſicut in doctrina legis dici poteſt quiſquam perfectus, etiamſi eum aliquid adhuc lateat. Sed non pigeat capita citata perlegere.

Rurſus objiciunt: ſi non poſſumus ordinariis gratiæ auxiliis omnia venialia peccata devitare, cur nobis præcipitur a Deo, qui non jubet impoſſibilia, *divina mandata cuſtodiri nimis*, nulla ſcilicet tranſgreſſione etiam parva? Cur oramus quotidie, ut Dominus dirigat *ſenſus, ſermones, & actus noſtros, ut ad nullum declinemus peccatum*?

Reſpondetur utique poſſe in hac vita hominem eſſe ſine peccato per Dei gratiam, & liberum ejus arbitrium: ſed non poteſt potentia proxima & conjuncta cum actu, niſi gratia illa ſit ſpecialis: quemadmodum poteſt quiſque per auxilia ſufficientia obſervare mandata, non tamen obſervabit actu, niſi auxilium ſit efficax. Sufficit autem etiam potentia ab actu ſejuncta, ut Deus impoſſibilia non dicatur jubere, ſitque tranſgreſſio libera, voluntaria, & culpabilis. Hæc eſt reſponſio Auguſtini lib. 2. de Peccat. mer. c. 6. & 16. Quare autem, ut vitentur actu peccata omnia etiam minima, ſingularis gratia ſit neceſſaria, ratio eſt, quia ſimul præceptis omnibus negativis, & poſitivis nonnullis tenemur obſtricti, ſimul internis, externiſque pugnis impetimur, ſimul ratio ac ſenſus ſuas pingunt imagines, ſimulque plura vitanda ſunt, cupiditas, ambitio, ſuggeſtio, negligentia, & motus quilibet inordinatus. Adjuti ergo divina gratia poſſumus quodlibet in individuo peccatum depellere, tentatorem fugare, ſurgentem motum comprimere; at id non conſequemur plena victoria, & ſine vulnere, ita ut nulla minima culpa in diuturno certamine maculemur. Neque nos deſides magnum hoc periculum debet reddere; ſed ad orationem impellit magis, ut Domino auxiliante omne declinemus peccatum, etiam minimum, ſi fieri poteſt; ſin autem, ea ſaltem quæ advertentia patrantur, & mortalibus viam ſternunt: hæc autem maxima. Juxta hanc explicationem, admitto diſtinctionem vulgatam, *collective* omnia peccata venialia non poſſunt vitari, poſſunt bene *diſtributive*. Quæ tamen diſtinctio, ut traditur a nonnullis affirmantibus ſingula peccata diſtributive, & unum poſt aliud occurrere, non ſimul, non dari præceptum omnia *collective* vitandi, neque juſtum habere ad hoc liberum arbitrium, videtur falſa. Nam controverſia inter Cæleſtium & Auguſtinum erat, num in corpore mortis hujus, ubi caro concupiſcit adverſus ſpiritum, poſſit homo vivere abſque ullo peccato, & collective vitare omnia, ita ut nullum omnino committat contra manifeſtum præceptum omnia ſimul vitandi. Legitote librum Auguſtini de Perf. Juſtitiæ capite viii., & ſequentibus.

CAPUT VII.

Num donum Perſeverantiæ Gratia ſit ſpecialis.

EPIGRAMMA.

SÆpe quidem Dominus ſic cuncta adverſa repellit,
Ut nulla attingi vulnere poſſit homo.
Sed mirabilior tunc eſt manus Omnipotentis,
Illata afflictum cum mala non ſuperant.
Laudetur Cuſtos virtutem dans toleranti,
Intima corrumpat ne furor exterior.
Nam non certanti nulla eſt ſperanda corona:
Palmam, qua capitur gloria, finis habet.

PRÆNOTATIO.

Diſputaturus Auguſtinus de magno dono Perſeverantiæ præmonet cap. i. inſtitui diſſertationem de perſeverantia illa, qua uſque ad finem vitæ perſeveratur in Chriſto, ut nullum ſit ulterius cadendi periculum, & de qua legimus in x. cap. Matt. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Ad perſeverantiam enim, qua juſtus continens eſt aliquandiu, ſed eſſe deſiſtit, & quam ſi perſeverantiam placet appellare, nolumus de verbo contendere, jam oſtendimus præter gratiam *habitualem* a juſtis *actuale* auxilium eſſe implorandum, atque iſtud efficax eſſe natura ſua. De priori ergo, ac propria *Perſeverantia* dicturi duplex

munus

munus gratiæ in illa diſtinguimus, exteriorem ſcilicet diſpoſitionem providentiæ, & internam ſanctæ dilectionis inſpirationem. Et illa quidem ſpecialis erga electos providentia in hoc maxime vigilat, ut inſtante animæ tranſitu, extremoque damnationis periculo valida tentationum removeantur obſtacula, ne juſtificatus ſuccumbat, & varii vitæ caſus ita dirigantur, ut mors corpus animamque dividat, dum gratia Juſtificationis hunc ornat, ita ut in oſculo pacis revertatur ad Dominum, qui dedit illum. Quamquam enim mors corporalis aſt ſecundum ſe poſt deperditam originalem juſtitiam, cauſſis quibuſdam naturalibus, ideſt, corporis temperamento, inſalubritate aeris, morborumque vi accelerata & inducta; tamen ut conjuncta eſt cum æterna prædeſtinatorum ſalute, ideſt, in quantum advenit dum juſto ſanctitas adeſt, & antequam de bono convertatur in malum, nectens extrema corruptibilis vitæ atque perpetuæ felicitatis, addit ad naturalium cauſſarum ſeriem beneficium ſupernaturalis & vigilantiſſimæ providentiæ. Quicquid namque divina præſcientia & voluntate diſponitur cauſſa conferendæ beatitudinis, habet ſub naturali rerum mundanarum devolutione occultiſſimum Glorificatoris conſilium, ac beneplacitum. Interna autem ſanctæ delectationis inſpiratio, gratiæ *habituali* ſuperaddita, & adeo valida atque robuſta, ut concupiſcentiæ motus, omniumque tentationum, quarum in morte impetus ſolet eſſe vehementior, propulſet oppugnationem, iis maxime neceſſaria eſt, qui nec immatura, nec repentina morte abripiuntur, ſed cum hoſte luctari debent, & caritate flagrantiſſima pugnantem vincere cupiditatem. Tales ſunt qui ægritudine anxia atque acerba agunt animam, & dum terrena inhabitatio diſſolvitur, mundi commoda, neceſſarios, & omnia temporalia bona, quorum cupiditate non tangi nequeunt, ſentiunt a ſe deperdi: atque majori illuſtratione & inſpiratione ſuperna opus habent, ſi communibus hiſce malis ob anteactæ vitæ teterrimam imaginem, vel inſidias Satanæ accedant deteriora; majorem etiam poſtulant, dum trucæ Martyrium ſubeunt, vel mortem aliam violentam hominum æſtimatione turpiſſimam. Quapropter habet donum Perſeverantiæ, quemadmodum de gratia in univerſum diſputavi, gradus plures, ita ut magis in uno, quam in altero juxta periculi magnitudinem ſplendeat; quamvis ſit in prædeſtinatis omnibus magnum & ſingulare beneficium.

Duo hæc, externam providentiæ directionem, & internam ſpecialis gratiæ inſpirationem complecti donum perſeverantiæ, ex Scripturis S. P. Auguſtinus evidenter demonſtrat. Primum quidem in lib. de Præd. SS. cap. 14. ex verbis Sapientiæ, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*. Quæ verba, cum Semipelagiani aſſererent prædeſtinationem ex præſcientia, ita explicat S. Pater, *Dictum eſt enim ſecundum pericula vitæ hujus, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit quod futurum erat, non quod futurum non erat, ideſt, qui ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto*. Idem docet de Corrept. & Gr. c. xiii. & de Dono Perſ. c. 17. Alterum vero de interiori gratia, per quam Deus operatur noſtras cogitationes & voluntates, demonſtratur a S. P. permultis textibus Scripturarum paullo infra, ne eadem pluries repetantur, producendis: ex quibus liquet perſeverantibus etiam internæ gratiæ inſpirari virtutem. Cur autem *aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis dum juſti ſunt auferantur, alii vero juſti donec a juſtitia cadant, in eiſdem periculis, vita productiore teneantur, quis cognovit ſenſum Domini?* ait Auguſtinus citato cap. 14. de Prædeſt. SS. Ac ſtatim demonſtrans ex divino pariter beneplacito repetendam eſſe adultorum perſeverantiam, addit: *Hinc intelligi datur, etiam illis juſtis, qui bonos, pioſque mores uſque ad ſenectutis maturitatem, & diem vitæ hujus ultimum ſervant, non in ſuis meritis, ſed in Domino eſſe gloriandum: quoniam qui vitæ brevitate rapuit juſtum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipſe in quantacumque vitæ longitudine cuſtodit juſtum, ne malitia mutet intellectum ejus*. Illam ergo divinarum gratiarum diſtributionem juſtiſſimis, ſed inſcrutabilibus judiciis Dei relinquendam certum eſt in Perſeverantibus amicitia quadam præcellere.

Fuit ergo Pelagianorum error poſſe hominem perſeverare uſque in finem abſque gratia Redemptoris per liberum arbitrium: quem errorem de H. Pelagiana pluribus refutavimus. Suborti Semipelagiani, qui electionem ſecundum propoſitum, quaſi libertatem everteret, traditam ab Auguſtino ægre ferebant, docuerunt a nobis eſſe initium fidei, ex cujus præſcientia Deus ſufficientem gratiam impertiretur, & ſi huic liberum cooperaretur arbitrium, adderet dona ampliora, quibus poſſet perſeverare ſi vellet. Nunquam tamen adduci potuerunt, ut ad perſeverandum neceſſarium faterentur adjutorium, *quo* perſeverantia ipſa donatur, neque ut probarent diviſionem gratiæ in eam quæ dat poſſe perſeverare, qualis fuit gratia primi hominis, & gratia ſufficiens hujus ſtatus, & in eam, quæ donat ipſam perſeverantiam, ut prædeſtinati in regnum nonniſi perſeverantes ſint. Quam eſſe Semipelagianorum dogmatum complexionem liquet ex Epiſtolis Proſperi, & Hilarii, nec non ex noſtris de hoc argumento diſſertationibus. Poſtquam ergo cetera capita Semipelagianiſmi contrivi, & iſtud nunc oppoſitum dono Perſeverantiæ confundam. Paucis enim exceptis, qui cum Duvallio tenent Perſeverantiæ adjutorium in iis tantum, qui poſt juſtificationem diu in terris vivunt, ſpecialem gratiam eſſe, non autem in iis, qui juſtificatione accepta protrahunt vitam ad breve tempus, fert communis Theologorum Auguſtinianſium maxime, & Thomiſtarum ſententia, finalem juſtorum perſeverantiam eſſe ſpeciale donum ab ipſa gratia ſanctificante, & ordinariis auxiliis eam comitantibus disjunctum; non repugnantibus Scholaſticis aliis, tametſi in hac ſingulari gratia explicanda ab invicem diſtrahuntur, juxta ſtatutam a ſe ſupernorum auxiliorum œconomiam. At plus forte, quam prænotatio poſtulabat, tradunt temporis.

PROPOSITIO. Mirabilis manus Omnipotentia ſæpe cuncta adverſa repellens, beneficium ſpecialiſſimum impertitur, cum hominem lapſum illata mala non ſuperant, & finem certaminis conſequitur palma, & corona non ſperanda eſt non certantibus, aut in pugna proſtratis.

Hanc poſitionem ex verbis beati Proſperi expromptam ſacris primum literis confirmat S. P. Auguſtinus. Profert cap. 2. de Dono Perſev. num. 2. verba Apoſtoli ad Philipp. 1. v. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo*. Fides ad initium ſalutis pertinet, paſſio ſpectat ad finem. Atqui fides donum eſt ſpecialis gratiæ. Ergo & finis. Addit verba Jeremiæ xxxii. 40. *Timorem Domini dabo in cor eorum, ut a me non recedant*. Non recedere a Domino nihil eſt aliud, quam ei perſeveranter adhærere. Perſeveranter ergo adhærere Domino, illius datum eſt. Laudat cap. 7. verba Pſalmiſtæ: *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti, & non diſcedimus a te*. Iſte homo certe non eſt Adam, in quo diſceſſimus a Deo, ſed Chriſtus, cujus meritis membra corporis ejus uniuntur ac permanent. Cum ergo confirmamur in gratia, ut in Deo ſimus permanentes per Chriſtum, ad nos utique pervenit opus dexteræ Domini.

Demonſtrat S. Pater a capite 3. ad 6. eamdem veritatem ex Eccleſiæ orationibus. A Deo enim forte perſeverantia noſtra non poſcitur? An vero quiſquam credit habere a ſe ipſo, quod petit a Domino? Id quidem abſurdum eſt cogitare: irriſoria quippe eſſet petitio, ſi id ab eo peteretur quod ipſo non donante eſt in hominis poteſtate. Peti autem a Domino perſeverantiam ipſa Dominica oratio demonſtrat. Cum enim dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, non petimus, ut Deus ſanctificetur orationibus noſtris, ſed ut nomen ejus ſanctificetur in nobis. Atque ut ſanctificatur in ſuſceptione baptiſmatis, in quo de gratia Dei ſumitur vivificatio, ita ſanctificatur perſeverantia, per quam vivificatio illa perficitur, ut quod eſſe cœpimus, nunquam deſinat. Et cum dicimus, *Adveniat regnum tuum*; quid aliud poſcimus, niſi ut veniat nobis quod confertur Sanctis perſeverantibus uſque in finem? Tertia petitio, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*, quid aliud poſcit niſi ut terra imitetur cœlum, homo angelum, viator comprehenſorem, & ſit quod nondum eſt mortalis homo, non ut perſeveret quod eſt? In proxima orantes *Panem noſtrum quotidianum*, ſive hic panis intelligatur quotidiana gratiæ ſubminiſtratio, ſive Euchariſtia, pro Perſeverantia illum petimus; nam ut corporalem cibum accipimus, ne anima ſeparetur a corporis membris, ita petimus panem *ἐπιούσιον*, ut hic habet Græcus, ne ſeparemur a Chriſti Corpore. Quinto orationis loco dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*; quibus verbis, etſi videmur tantum petere remiſſionem præteritorum peccatorum, inſtruimur & docemur nos peccare quotidie, & indulgentiam a Deo petimus, quo permaneamus in Eccleſia non habente rugam, neque maculam. Jam vero cum dicimus, *Et ne nos inferas in tentationem*, quid aliud precamur, niſi ut accepta gratia perſeverantiæ ſanctitatem ſervemus? *Si ergo alia documenta non eſſent, hæc Dominica oratio nobis ad cauſſam gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret*. Hæc fuſiori ſtilo Auguſtinus, qui hæc omnia corroborat auctoritate beatiſſimi Martyris Cypriani.

Probant eandem theſim definitiones Conciliorum. Arauſicanum ſecundum canone x. *Adjutorium Dei*, inquit, *etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare*. Tridentinum can. xvi. ſeſſionis vi. donum Perſeverantiæ *Magnum* appellat; & canone 22. *Si quis dixerit*, inquit, *juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit*. Legatur & cap. 13. ubi ait donum perſeverantiæ haberi non poſſe, *niſi ab eo, qui potens eſt eum qui ſtat ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum qui cadit reſtituere, &c.*

Traditio Patrum ſatis eſt hoc in puncto explorata. Ex Auguſtino plura hactenus fuerunt producta. Optamus tamen ut legantur præclariſſima ipſius ſcripta de Dono Perſeverantiæ, de Prædeſt. SS. cap. 14. de Corrept. & Grat. cap. 8. 9. 10. 11. & 12. De nat. & grat. cap. 26. Epiſt. 59. ad Paulum q. 6. Videatur etiam Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 23. in Reſp. 6. ad Capitula Gallorum, & 14. ad Objectiones Vincentianas, Gregorius Magnus lib. 23. Moralium cap. 28., atque ne percenſeam omnes, Divus Thomas 2. 2. q. 137. art. 4. & 1. 2. q. 109. art. 10.

Rationes Theologicæ, doctrinæ Auguſtini in hoc noſtro Opere expoſitæ undequaque conformes, petuntur primo ea prædeſtinatione *ſecundum propoſitum*, Etenim iis, qui prædeſtinati ſunt conformes fieri imaginis Filii ſui, paravit Deus miſericorditer tale donum, per quod perſeverantes uſque in finem ſalvi fiant: quale donum iis, qui non pertinent ad illam prædeſtinationem ſecundum propoſitum, inſcrutabili judicio Dei denegatur. *Unde*, (inquit S. Pater citata ad Paulinum Epiſtola) *niſi quia non pertinent ad illam prædeſtinationem ſecundum propoſitum, ac ſunt pœnitentia vocationem? Cur autem ad eam alii pertineant, alii non pertineant, occulta cauſſa eſſe poteſt, injuſta non poteſt*. Perſeverantia ergo ſolis Electis divina prædeſtinatione præparata eſt: & hanc prædeſtinationem ſine operum præſcientia fieri probat hoc etiam loco Auguſtinus, Atque fruſtra hunc aliquis niteretur exponere de gratuita prædeſtinatione ad gratiam, & vocatione ad fidem; cum dubitationem omnem penitus tollant, quæ iſtic habentur: *Non ſunt in iſta vocatione, qui in fide, quæ per dilectionem operatur, etiam ſi aliquantum ambulant, non perſeverant uſque in finem*, Et de Dono Perſeverantiæ cap. VIII. *Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei*. Porro donum illud, cujus largitio pro inſcrutabili divino beneplacito uni confertur, non alteri, beneficium eſt, non commune, ſed ſpeciale. Si igitur perſeverantia juſtis, quiſque hominibus tali occultiſſimo judicio vel confertur, vel denegatur, gratiæ munus eſt maximum & eximium, in hoc fidei, ceteriſque gratiarum donis æquale, quod divina liberalitate conceditur; longe tamen præſtantius, in quantum confertur ſolis Electis in Chriſto ante mundi conſtitutionem, eoſque ad ſalutem certo perducit. Huc ſpectet, quod cum Chriſtus pro omnibus mortuus ſit & ſanguinem fuderit, quantum attinet ad oblationem pretii, inſtitutionem remedii, & aſſumptam a ſe cauſſam humani generis; oravit tamen pro ovibus ſuis, & crucem ſubiit, ne quis eas raperet de manu ejus, quantum ad ſingularem paſſionis proprietatem, fructuumque ejus participationem ubertimam. Quorum fructuum præcipuum eſſe finalem perſeverantiam puto neminem contradicturum.

Altera Auguſtiniana ratio petitur ea divina diſpoſitione, per quam ita ordinavit Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet quid poſſet liberum arbitrium, deinde quid ſuæ gratiæ beneficium. Quapropter primo homini in bonis poſito Conditoris dedit perſeverantiæ poteſtatem, lapſis vero perſeverantiam ipſam largitur, quoniam virtus in infirmitate perficitur, ne quis in Domino glorietur: ac per hoc nec de ipſa perſeverantia voluit Deus gloriari Sanctos ſuos niſi in ipſo; qui in hoc loco miſeriarum, ubi tentatio eſt vita hominis ſuper terram, animadvertens hominem inter tot, ac varias tentationes infirmitate ſuccumbere, & ſeipſo perſeverare non poſſe, ſi fortiſſimo dimiſerat facere quod vellet, infirmis ſervavit, ut ipſo donante inviciſſime quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inviciſſime nollent. Atque hoc poſtremum eſt donum perſeverantiæ miſericorditer præparatum prædeſtinatis in regnum Dei. Quapropter ſententia noſtra donum quidem gratiæ, ſed non ſpeciale, fuit prædeſtinatio ac perſeverantia Angelorum. Atque hoc idem ſentire arbitramur D. Thomam, docentem in 2. 2. quæſt. & artic. ſup. citato, *quod primo homini datum eſt non ut perſeveraret, ſed ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ difficultatem perſeverandi præberet*. Et in 1. 2. pariter ait hominem lapſum indigere ad perſeverandum *divino auxilio ipſum dirigente & protegente contra tentationum impulſus*. Ex quibus apparet D. Thomam, ubi ait memorata quæſt. ſecundæ partis gratiam neceſſariam eſſe ad perſeverandum, *quia arbitrium de ſe eſt vertibile*; vertibilitatem appellare inclinationem appetitus rationalis in bonum privatum, ob quam in ſtatu naturæ corruptæ neceſſaria eſt homini gratia medicinalis, ut dictum eſt Propoſit. 2. capite quarto, verbis ex ipſo D. Thoma productis.

Poſtrema ratio eſt, quoniam vel inquiritur de dono perſeverantiæ parvulorum, vel eorum qui poſt juſtificationem acceptam, priuſquam occurrant graves tentationes & ſalutis pericula, mortem obeunt, vel eorum denique, qui veniunt ad acerrimum, turbulentumque diſcrimen. In his autem omnibus perſeverantia eſt munus Dei optimi & beneficentiſſimi. In parvulis apparet ſingularis providentiæ diſpoſitio paullo ſupra delineata verbis Sapientiæ cap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*. De quibus verbis, etſi plura diximus, placeat iterum audire Auguſtinum Paulino ſcribentem: *Ne quiſquam præſumptor ita de occultis judicet alienis: quid dicturus eſt de infantulis parvulis, quorum plerique accepto in illa ætate Chriſtiana gratiæ Sacramento, cum ſine dubio pertinerent ad vitam æternam, ſi continuo ex hac vita emigrarent, ſinuntur creſcere, & nonnulli etiam apoſtatæ fiunt, Unde? niſi quia non pertinent ad illam prædeſtinationem*, &c. Et de Corrept. & Gratia cap. 8. *Reſpondeant, qui nos irrident quando in rebus talibus exclamamus, Quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Neque enim Deus hoc non donat quibus voluerit, aut vero Scriptura illa mentitur*, *quæ de morte velut immatura hominis juſti ait, Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non eſt iniquitas, nec acceptio perſonarum, & in cujus poteſtate eſt quamdiu quiſque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta eſt ſuper terram? Sicut ergo fateri coguntur donum Dei eſſe, ut finiat homo vitam iſtam, antequam ex bono mutetur in malum, cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei eſſe in bono perſeverantiam ſecundum Scripturas, de quibus teſtimonia multa jam poſui, fateantur nobiſcum, & cur aliis detur, aliis non detur, ſine murmure adverſus Deum dignentur ignorare nobiſcum*. Atque hæc Auguſtini ratiocinatio valet in iis etiam, qui poſt acceptam juſtificationem diu vitam non protrahunt, & in oſculo Domini moriuntur. De quibus cap. 17. de Dono Perſev. ait S. Pater: *Videte jam a veritate quam ſit alienum, negare donum Dei eſſe perſeverantiam uſque in finem hujus vitæ, cum vitæ hujus quando voluerit ipſe det finem, quem ſi dat ante imminentem lapſum, facit hominem perſeverare uſque in finem*. In illis ergo, qui poſt acceptam juſtificationem cito rapiuntur, perſeverantia finalis donum ſpeciale eſt, quoniam ſpeciali Dei providentia ante imminentem lapſum animam efflant. In illis vero, quos poſtremo loco memoravi, quoniam ulterius egent *divino auxilio ipſos dirigente & protegente contra tentationum impulſus*, perſeverantia cenſenda eſt amplius gratiæ Dei beneficium, *Multa quippe difficilius perſeveratur* (ait S. Pater capite ejuſdem libri ſecundo) *ubi hoc agit qui perſequitur ne perſeveretur, & propterea uſque ad mortem ſuſtinetur ut perſeveretur. Illam proinde difficilis perſeverantiam, iſtam facilius eſt habere; ſed cui nihil difficilius eſt, facile eſt utramque donare*. Atque his argumentationes noſtras abſolvimus, & ornavimus.

SOLUTIO ARGUMENTORUM CUM HAC CONCLUSIONE PUGNANTIUM.

Sed objicies: Per gratiam *habitualem* Deus ſanat animam. Auctore autem Auguſtino de Nat. & Grat. cap. 26. *Sanat Deus, non ſolum ut deleat quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam ne peccemus*. Quiſquis ergo ad juſtitiam perductus eſt, habet in ea perſeverandi adjutorium. Inſuper, ut ibidem docet S. Pater, & definit etiam Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi prius deſeratur*. Etſi autem nonnulli hæc verba explicant de ſubtractione gratiæ ſanctificantis, quam interpretationem nec improbare videtur Nicolaus L'Herminier Tom. IV. pag. 230. ſunt tamen etiam accipienda de gratia actuali, ut demonſtravimus in refutatione adverſus primam theſim Janſenianam. At ſi juſtificatus per gratiam *habitualem*, & ordinaria auxilia perſeverare non poſſet, deſereretur a Deo, antequam Deum ipſe deſereret. Ergo poteſt perſeverare.

Reſp. ad 1. concedo Deum ſanare præſtando etiam, ut non peccemus. *Sed hoc*, ut ibidem addit Auguſtinus, *agit judicio ſuo, nec ordinem ſanandi accipit ab ægroto*. Itaque quos firmiſſimos vult efficere, non ſolum ſanat ne ulterius peccent, ſi velint; ſed præparat etiam in eis voluntatem ut velint non peccare, & ſint perſeverantes uſque in finem. Ad ſecundum conceſſa majori, nego minorem. Qui enim non perſeverat uſque in finem, prior deſerit Deum; quoniam libere & voluntarie ponit obicem, ne actualis gratia conjuncte cum *habituali* impertiatur ei potentiam proxime expeditam, connexam cum ipſa actuali perſeverantia. Atque ita ſubtrahitur ei gratia efficax, quæ deſinit eſſe talis ſuperveniente ſuperbo tumore, aut pugnaci cupiditate. Explicavi rem totam exagitando citatam theſim Janſenii. Atque Auguſtinus proximo cap. de Nat. & Gratia, *Per voluntatem noſtram* (inquit) *ſine qua bene non poſſumus operari, cito poteſt ſubrepere animo humano, ut quod bene operatur ſuum tantummodo exiſtimet, & dicat in abundantia ſua, Non movebor in æternum*. Et de Corrept. & Grat. cap. 13. *Hi ergo qui non pertinent ad iſtum* (Prædeſtinatorum) *certiſſimum & feliciſſimum numerum, pro meritis juſtiſſime judicantur. Aut enim jacent ſub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hereditario debito hinc exeunt, quod non eſt regeneratione dimiſſum: aut per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt: aut gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt; nec perſeverant: deſerunt & deſeruntur, Dimiſſi enim ſunt libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto & occulto*.

Ob. 2. Cauſſe, cur permulti non perſeverent, ex ſolo libero arbitrio petenda eſt. = Reſp. propoſitionem univerſaliter prolatam eſſe falſam: infantibus enim, qui rapiuntur ante baptiſmum nondum capaces uſus rationis, non perſeverantiæ pœna eſt peccati, quod originaliter traxerunt; & ex adverſo in iis, qui decedunt accepto regenerationis Sacramento, finalis perſeverantia eſt abſque libertatis uſu; ut demonſtratum eſt ſupra, Deinde reſpondeo verbis Auguſtini de Grat. & lib. arb. cap. 16. *Certum eſt nos mandata ſervare ſi volumus, & facere cum facimus; ſed præ-*

paratur

paratur voluntas a Domino, & ille facit ut faciamus, &c. Nobis itaque imputatur non perſeverantia, quia libere Dei præcepta tranſgredimur; Deo autem perſeverantia, quoniam ne tranſgrediamur ipſe præparat voluntatem, vireſque nobis præbet efficaciſſimas.

Ob. 3. Juſtus, cum ſit filius Dei adoptivus, habet jus ad gloriam. Ergo & ad finalem perſeverantiam, per quam Gratia cum gloriæ corona conjungitur. = Reſp. diſt. ant. Habet jus *remotum*, & ſi uſque ad mortem in gratia perſeveret, concedo: habet jus *proximum*, eique gloria conceditur, niſi perſeveret reipſa, nego. Nam Matthæi x. v. 22. legimus: *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Si dixeris non denegari media neceſſaria ad conſecutionem ſalutis jus ad illam habentibus; conſtat ex dictis reſpondendum eſſe, quod utique non denegantur media ſufficientia, ſed ponentibus obicem juſto Dei judicio denegatur auxilium efficax, ſine quo nequit homo lapſus proxime perſeverare. Si reponas, nullum Patrem, nullumque amicum negare ſuis debitam mediorum ſubminiſtrationem; pariter reſpondeo, nec Deum neceſſariam gratiarum diſpenſationem denegare juſtis, ſed tantum extraordinariam ac ſpecialem paratam iis juſtis duntaxat, qui filii ſunt & hæredes, & qui perſeverantes in caritate in Deo permanent. Si addas juſtis ſimul cum caritate *habituali* Deum ceteras virtutes largiri; liquet reſpondendum eſſe, præter *habitum* ſupernaturalium virtutum, indigere hominem *gratuito auxilio Dei conſervantis ipſum in bono uſque ad finem vitæ*, atque iſtud in hoc ſtatu eſſe adjutorium, *quo* dirigamur & protegamur *contra tentationum impulſus:* ut dictum ſupra, & de H. P. capite ſexto.

Opp. ultimo. Homo juſtus poteſt ad breve tempus ſine ſpeciali gratia vitare peccatum mortale. Si ergo in eo ſtatu moriatur, dicendus erit perſeveraſſe uſque in finem. At poſſunt illi cauſſæ naturales mortem inferre ab univerſali Dei providentia ordinatæ ac directæ. Igitur in eo caſu non erit perſeverantia donum gratiæ peculiaris. = Reſp. falſam eſſe conſequentiam. Quod enim homini juſto mors ſuperveniat, antequam procellæ tentationum inſurgant, eumque rapiat priuſquam malitia mutet intellectum ejus, non cauſſis naturalibus tribuendum eſt, ſed latenti in cauſſis hujuſmodi altiſſimæ, & erga Electos beneficentiſſimæ Providentiæ. Verum hæc in Prænotatione, & in poſtremo pro ſententia noſtra argumento ſatis enodata fuerunt.

Habes ex dictis veram intelligentiam verborum Apoſtoli ad Rom. v. v. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum*. Ut enim S. Pater ait de Corrept. & Grat. cap. 12. *Primo homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc vero Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolum, ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam, ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint*. Et ſimiliter D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 10. ad 3. *Homo in primo ſtatu accepit donum, per quod perſeverare poſſet, non autem accepit ut perſeveraret: nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt & donum gratiæ quo perſeverare poſſunt, & ulterius eis datur quod perſeverent. Et ſic donum Chriſti eſt majus, quam delictum Adæ*. At ſatis in hac quæſtione noſtra immorabatur oratio.

CAPUT VIII.

De variis Theologorum placitis circa ſufficientia auxilia pro omnibus inſtituta.

EPIGRAMMA.

Omnibus in rebus geminum eſt opus Omnipotentis,
Totum juſtitia eſt quod gerit, aut pietas:
Quæ ſimul in terris deſcendunt lucis ab arce,
Ne cuiquam parti deſit utrumque bonum.
Et quoniam cuncti auxilio miſerantis egemus,
Præcedit ſemper gratia juſtitiam
Damnantem elatos, ſalvantem juſtificatos,
Quos Deus & donis auxerit, & meritis.

PRÆNOTATIO.

Ampliſſimam, ac perdifficilem diſputationem aggredior: in qua cum nec latum unguem velim ab Auguſtino diſcedere, neceſſum ſit autem cum Adverſariis plurimis congredi, oportet, me veritatis præſidio, Doctorum ſuffragiis, rectaque methodi partitione præmuniam. Principio quibuſdam etiam infidelibus, atque pervicaciſſimis peccatoribus interdum conferri divinas inſpirationes, imo & efficacem gratiam per quam ante fidem & juſtificationem aliquando bene operantur, ſatis in ſuperioribus demonſtravi. Inſtituitur itaque diſputatio de omnibus ac ſingulis hominibus in univerſum. Juſtis etiam ſufficientem gratiam adeſſe, & neminem deſeri a Deo, niſi ipſe Deum deſerat, cum omnibus Catholicis profitemur. Exteriores gratias, videlicet exemplum Chriſti omnibus ad imitationem propoſitum, prædicationem Evangelii ſaltem exhibitam, nec non oblatam pro omnibus Redemptionem, inſtituta pro omnibus Sacramenta, paratam omnibus medicinam, promptiſſimum ex parte Dei auxilium conferendum, niſi in hominibus reperiatur propriæ voluntatis repugnantia, aut cauſſa alia juſtiſſimæ indignationis, penes nos extra omnem controverſiam poſitum eſt. De ullo, quantumvis maximo peccatore, donec vitam agit corpoream deſperandum non eſſe, & quandiu eſt in Corpore Chriſti, aut illi poteſt adnecti, eum vel recipere actu, vel poſſe recipere ſalutares ejus influxus, & vitam quoque cum ſuo Capite ſempiternam, & fides Chriſtiana, & ratio ipſa demonſtrat; quoniam, nemo eſt in hac vita, qui gratiam non habeat, aut habere divina liberalitate largiente non poſſit. Haberi veram gratiam ſufficientem, etiamſi non inſpiretur a Domino ſancta victrix delectatio, quemadmodum adverſus ſecundam poſitionem Janſenii propugnavimus, repetimus in præſentia. Illud itaque tantum in quæſtione verſatur, num reapſe auxilia ſufficientia ſingulis omnino hominibus non ſolum parata ſint, & exhibita, verum etiam pro quolibet temporis circumſtantia, & præſertim urgente præcepto collata.

Eſt ergo valde probabilis, & in Scholis recepta ſententia omnibus indiſcriminatim dari ſufficientis gratiæ adjutorium. Illam propugnant celeberrimi Theologi Societatis Jeſu, Molina, Vaſqueſius, Suarez, Valentia, Deſchamps, & qui priori loco commemorandus erat, Eminentiſſimus Bellarminus. Is tamen lib. 2. de Grat. & lib. arb. ſcite animadvertit obduratis non omni momento gratiam adeſſe, ſed quando opportunum Deo videtur gratiarum ſuarum munera diſtribuere. His conſentiunt Thomiſtarum plures, quos inter veniunt digno honore celebrandi Magiſter Avila de Auxiliis cap. 8. Alvarez lib. xi. diſp. 112. Cardinalis Gotti de Reprob. q. 1. dub. 3. Cajetanus Benitez de Gratia Chriſti infideles & obcæcatos adjuvante diſp. 1. & 2. & Salmanticenſes Tom. v. Tract. cxi. q. 14. dub. 3. Non recedunt ab his, opinione noſtra, Recentiores alii, qui putant adeſſe omnibus gratiam orationis, qua poſſint petere auxilium proxime ſufficiens ad implenda mandata; nam & præclariſſimi illi Thomiſtæ non *proxime*, *ſed remote ſufficientem* gratiam omnibus indiſcriminatim concedunt, qua ſi bene utantur, præſto ſit uberior, fidem infidelibus, & converſionis poteſtatem fidelibus impiis ſubminiſtrans. Quam ſententiam de orationis gratia præſente ſingulis erudite propugnant in ſua Inſtruct. Paſtorali Antiſtites Lucionenſis, & Rupellenſis, Doctiſſimus Magiſter Belelli in poſtremo Opere de Mente Auguſtini vol. 1. cap. vii.: & per hanc communem ac ſufficientem gratiam orationis ſine adjutorio efficaci aliquando hominem reipſa orare, docuit olim Alphonſus Le-Moyne, & nuper Honoratus Tournely de Grat. p. 2. quæſt. 7. concl. 5. Laudari ſolet pro hac ſententia Eminentiſſimus Noriſius: ſed hujus aſſertum eſt, Gratiam Orationis, quæ adeſt omnibus juſtis, non adeſſe infidelibus; ut docet clariſſimus Auctor in Janſeniani erroris calumnia ſublata cap. 3.: in juſtis vero gratiam orationis tribuere potentiam proximam ad implorandum adjutorium ſufficiens ad implenda mandata, ſed hominem libera ſuppoſitione judicii practici erronei interdum obicem ponere prædictæ potentiæ ad orandum proximæ. Falſum eſt igitur gratiam orationis juxta Norilium vel dari omnibus, vel ſemper tribuere juſto potentiam proxime expeditam ad orandum. Dogma de Gratia ſufficienti ſingulis diſtributa ad fidem pertinere, ſcriptitarunt poſtrema hac ætate nonnulli. Jam quid intelligunt per gratiam ſufficientem Moliniſtæ, quid Theologi reliqui, & quomodo Thomiſtæ repudiant auxilium ſufficiens Moliniſtico ſenſu, non ſemel libro ſuperiori ſignificatum eſt.

Sententiam præcedenti oppoſitam tradi ab Auguſtino, Fulgentio, ac Proſpero, nec non a D. Thoma, ejuſque diſcipulis celebrioribus, etſi nollent aliqui talia præſidia abjicere, fatetur Theophilus Raynaudus in Lugdunenſi Operum S. Leonis Magni editione, & Gabriel Vaſquez 1. p. diſp. 97. cap. 3. & 2. p. diſp. 193. cap. 4. Liquet confeſſione Salmanticenſium, acerrime defendi a Ledeſma quæſt. unica de Auxiliis art. 16. Godoy Tract. 8. de Prædeſt. diſp. 73. §. 4. Gonzalez ibidem, Dom. Banneſio 1. p. q. 23. art. 3. Goneto de Reprob. diſp. 5. art. 5. Et licet aliqui diſtinguant inter auxilium quod immediate datur ad credendum, & illud quod datur immediate ad faciendum bonum quodcunque morale, & mediate ad fidem, & affirment non quidem primum, ſed hoc poſtremum ſingulis dari, ut Didacus Alvarez lib. xi. de Auxiliis diſp. 112. cujus ſententiam non pauci modo amplectuntur; ceteri tamen tradunt, infidelibus negative, obcæcatis quibuſdam, & parvulis in utero matrum emorientibus

bus nullum ſufficiens auxilium dari, niſi dari accipiatur prout idem eſt, ac præparari & exhiberi, quemadmodum explicat Bannes laudato articulo concl. 6. & 8. Neque hi tantum ex Thomiſtis negant auxilium ſufficiens recipi ab omnibus: ſed alii plures, qui de Gratia ſtilo fuſiori ſcripſerunt: quos inter principem locum obtinet clariſſimus Lemos lib. 4. Panopliæ P. 2. Tract. 3., poſt illum vero Joannes Gonzalez Romani Collegii S. Thomæ Regens, & Controverſiarum de Auxiliis ſcriptor doctiſſimus, Controv. v. art. 8. Mitto Auctorem Hiſtoriæ de Auxiliis eamdem doctrinam propugnantem duobus poſtremis capitibus libri tertii. Hos autem omnes, non more atque inſtituto multorum attuli, ſed ſingulos legere non prætermiſi, animadvertens male Alvareſium, & Zumel a Gonetu pro hac ſententia citari, male a nonnullis pro priori partem Thomiſtarum nobiliorem. Quod attinet ad parvulos præfocatos in utero matrum, non reperies antiquum Thomiſtam, qui teneat iis ſufficiens auxilium applicari, ſi fides habenda eſt, habenda eſt autem plurima, Thomæ de Lemos cap. xv. ejuſdem Tract. num. 215., & Banneſio citato art. Concluſ. 5. Imo Deum nolle ſalutem parvulorum illorum exiſtimavit Gabriel Vaſquez 1. p. diſp. 95. & Cardinalis Sfondratus in Nodo prædeſt. 1. p. ſect. 1. n. 4., quamvis id nos minime probare poſſimus. Negant denique auxilium ſufficiens omnibus indiſcriminatim conferri, præter Auguſtinianæ Scholæ Doctores, Theologi Lovanienſes in Cenſura ad Aſſert. 7. & in Juſtificat. cap. 21. & Duacenſes ad eamdem 7. Aſſert. Abulenſis ad caput 4. Exodi q. 2. Nicolaus L'Herminier Tom. 4. pag. 406. & ſeqq. Atque hos laudaviſſe ſufficiat.

Huic ſententiæ acerrimi quidam Propugnatores prioris vulgo dictitant accedere Janſeniſtas, ut hoc forſitan terriculamento novitas dogmatum veroſitatem oppugnet. Sed quamquam Janſenius infideles & obduratos carere interdum gratia docuit lib. 3. cap. 10. de Grat. Chriſti; cælo tamen toto diſtat a Catholicorum opinione decretum Janſenianum. Ut enim ſtilum in hanc hæreſim exercendo demonſtravi, Janſenius nec gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam, nec indifferentiæ libertatem admiſit; & conſequenter nullum in infidelibus, nullam in obduratis gratiam ſtatuit effectu carentem, & tamen utroſque peccare credidit in eo, quod vitare non poſſunt. E contra quicunque ex Catholicis negant gratiam conferri promiſcue omnibus, nullum peccatum dari exiſtimat ſine indifferentia liberi arbitrii, & fatetur frequentes eſſe ſanctas inſpirationes, quibus reſiſtitur. Quapropter non abs re futurum fore crediderim, ſi placita Scholæ vindicavero, & rigidiora emollire, falſaque revincere adoriar; uti agam, quoniam hiſce de Gratia velitationibus diem dixi ſatis laxam, contractis disjunctiſque pronunciationibus.

PROP. I. Deus pro omnibus, ac ſingulis remedia ſalutis inſtituit, paravitque, exhibuit, & quantum eſt ex ſe nulli prorſus mortalium denegat ſupernas illuſtrationes, aliarumque gratiarum beneficentiſſimam largitatem.

Prob. I. ex Scripturis. Sap. 12. v. 1. habetur: *Oh quam bonus & ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus in omnibus!* Cap. xv11. Ezech. 23. *Nunquid voluntas mea eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis ſuis, & vivat?* Joannes 1. v. 9. *Illuminat omnem hominem.* 1. ad Timoth. 2. 4. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri.* In Epiſt. 1. Joannis 2. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Innumera ſunt hujus generis loca ab unoquoque Theologorum collecta. Confirmatur ex Conciliis: ex Senonenſi in decretis Fidei cap. 15. *Gratia ſemper eſt in promptu, nec momentum quidem præterit, in quo non ſtet ad oſtium, & pulſet.* Ex Trident. Seſſ. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Commonſtratur ex Patribus; nam ſcribit Innoc. ad PP. Carthaginenſes: *Deus quotidiana præſtat remedia.* Serm. 16. de Paſſione S. Leo; *Juſte inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Auguſt. Tract. in Joannem 12. *Quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum.* Stabilitur poſtremo ratione, quoniam Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & pro omnium ſalute tradidit Unigenitum Filium ſuum. Igitur, quantum in ſe eſt, Deus optimus, ac beneficentiſſimus omnes complectitur, omnium miſeretur, omnibus opitulatur.

PROPOSITIO II. Non eſt de fide, quod auxilium gratiæ omnibus miſericorditer exhibitum ac præparatum omnes reapſe recipiant.

Probatur I. teſtimonio, & confeſſione Adverſariorum. Salmanticenſes de ſententia illorum, qui negant ſufficientem gratiam recipi a ſingulis Tom. 5. Tract. 14. q. 4. dub. 3. §. 1. *Prædicta opinio*, inquiunt, *probabiliſſima eſt, & ſatis communis inter graves Theologos.* Antonius Maſſoulié diſſert. 4. de Gratia Adami q. 3. art. 2. *Compertiſſimum eſt, minime ad errorem Janſenii pertinere, ſi quis obduratis & excæcatis denegari a Deo gratiam contenderet, qua præcepta impleant: Cum enim in eodem Janſenii loco univerſaliſſima hæc propoſitio referatur, Infidelibus, excæcatis, obduratis, juſtiſque etiam interdum deeſſe gratiam, qua poſſibilia fiant, alteram de juſtis partem ſanctus Pontifex duntaxat proſcripſit; alteram vero intactam reliquit.* Expende Theſim Janſenianam Cap. 3. Prop. 1. Eminentiſſimus Gotti citato loco docet, *Catholicos Doctores loquendo de hominibus juſtis convenire: At ſi de aliis hominibus loquamur, non ita conſentire.* Benitez adverſus Paulum Lugdunenſem poſitionem hanc noſtram non ſolum probat, ſed magna præterea argumentorum copia colluſtrat. Vaſqueſii ingenuam confeſſionem, ac magnum ſimul animum videas, quæſo, humaniſſime Lector, cap. 3. diſp. 97. in 1. partem. Tournely de Grat. pag. edit. Ven. 634. *Unum* (ait) *hic diligenter obſervate de mera Scholæ quæſtione hic, non de fide moveri quæſtionem. Hoc enim unum hic fides ſtatuit juſtis non deeſſe gratiam, qua poſſibilia ipſis ſint Dei mandata. De ſolis juſtis loquitur Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 11. & Can. 18. De ſolis etiam juſtis actum eſt in prima ex quinque famoſis Janſenii propoſitionibus.* Profert poſthac prædictam P. Antonini Maſſoulié conteſtationem.

II. Probatur: quis enim, niſi natura malevolus & maledicus tamquam fidei adverſam traduxerit ſententiam clariſſimorum virorum, Lemoſii, Banneſii, Ledeſmæ, Goneti, Duacenſis, ac Lovanienſis Academiæ, Driedonis, Gregorii, Noriſii, Abulenſis, aliorumque multorum, quorum nomen nulla erroris tetigit, hac ſaltem in parte, ſuſpicio; ſcripta autem præclara ſtudioſorum manibus teruntur, habentur in pretio, laudibuſque frequentiſſimis exornantur?

III. Unde poterunt evincere viri docti quæſtionem, in qua verſamur, ſpectare ad fidem? Non ex Scripturis, quoniam his probatur duntaxat, Deum quidem omnibus opem ferre, & gratiæ lumen undequaque diffundere; ſed non pauca occurrunt loca minantia perverſis ablaturum Dominum ſepem vineæ producenti labruſcas, derelicturum Babylonem, excæcaturum ſubtractione luminis oculos improborum, nec ſolam miſericordiam & pacem, ſed juſtitiam quoque indignationemque commemorant. Plura etiam fas eſt de exterioribus gratiis interpretari, nonnulla de vi & efficacia inſtituti remedii, multa de auxiliorum præparatione. Neque rem conficient traditione, eo quod hoc ipſo reſponſo Patrum pronunciata expediuntur; & pro negativa ſententia contendunt Theologi inclyti ſtare Auguſtinum, Proſperum, Fulgentium, Gregorium Magnum, Thomam Aquinatem, D. Bernardum, aliorumque numerum maximum, auctoritatemque præcipuam. Atque id num verum ſit, poſtmodum eſt inquirendum: ad hanc enim theſim comprobandam ſufficit, id ſentire Catholicos plurimos, neque omnes repugnare adverſarios. Sed nec ſuadere poterunt ſententiam ſuam voluntate divina generali ſalvandi omnes. Enimvero voluntas iſta antecedens eſt; quam enim appellant ſequentem, non eſt in Deo niſi comparate ad genera ſingulorum, & quatenus nemo ſalvus fit niſi Deo adjuvante & volente. Ex voluntate autem antecedente in ſingulos actualis gratia non derivat, ſive voluntatem illam dixeris ſigni, non beneplaciti: ſive illam explicaveris comparate ad univerſum humanum genus, at non ad hujus generis individua in certis circumſtantiis conſtituta; ſive ejus effectum dixeris inſtitutionem ordinis, non conſecutionem; quam poſtremam ſententiam nos amplectimur, præcedentes duas complures alii tuentur. At ad voluntatem antecedentem uno ex his modis acceptam ſat eſt, ſi remedia ſint inſtituta, & auxilia parata. Quod etiam ſufficere ad generalem Redemptionem, cujus certiſſimum dogma ad ſenſa Patrum ſacrorumque Conciliorum, non ad diſcrepantes opiniones Scholaſticorum exigendum eſt, demonſtravi quarto capite in hæreſim Janſenianam. Atque hæc cum ita ſint, verbis Proſperi Adverſarios alloquimur:

Jam quia ſummatim, ut potui, ſententia veſtra
Decurſa eſt: dic unde probes, quod Gratia Chriſti
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit?

PROPOSITIO III. Non eſt neceſſaria ad imputationem peccati præſens & actualis divinæ gratiæ inſpiratio.

Prob. I. Sufficit ad merendum vel demerendum libertas indifferentiæ *quoad exercitium*, nec requiritur *quoad ſpecificationem*, ſive ſatis eſt, ſi adſit libera poteſtas agendi vel non agendi quod opere ipſo exercetur. At hæc libera poteſtas reperitur in iis etiam, qui ſufficienti gratia ſunt deſtituti. Igitur demereri poſſunt, & revera peccare. Minorem propoſitionem ſequentibus momentis demonſtro. Sit primum. Liberum habemus arbitrium ad malum ſine gratia; non enim ad hoc vel ad illud privatum, noxium, ac prohibitum opus voluntas eſt naturaliter determinata, ſed omne particulare bonum ſive honeſtum ſit, ſive apparens ſemper amandum proponitur cum indifferentia judicii, quoniam niſi bonum ſit ſummum ac perfectiſſimum, & in ſe inſpectum ſine ulla ſpecie & ænigmate, facile in eo deprehenditur ratio aliqua mali. Atqui peccando proſequitur voluntas bonum apparens, ſine naturali determinatione & cum indifferentia judicii. Igitur peccat libere. Præterea Janſenium objicienti Chriſtum promeruiſſe abſque libertate indifferentiæ, quia peccare non poterat, optime reſpondetur, *Quod voluntas Chriſti licet ſit determinata ad bonum, non tamen eſt determinata ad hoc vel illud bonum: & ideo pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium.* Eſt enim hæc reſponſio D. Thomæ 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. Poſſumus ergo objicientibus hominem derelictum a gratia non pec-

Google

peccare, quoniam eſt determinatus *quoad ſpecificationem* ad malum, reſpondere, quod illius voluntas non eſt determinata ad hoc malum vel illud: ideoque peccat per liberum arbitrium unum aut alterum eligendo. Rurſus: Aſſerebat Calvinus peccare homines extincto licet arbitrio, cum peccet etiam Diabolus arbitrio carens. At hæreticum refellit doctiſſimus Bellarminus lib. v. de Grat. & lib. arb. c. 14. ad tertium his verbis: *Reſpondeo tam angelos ſanctos, quam malos dæmones reſpectu finis ultimi non habere liberum arbitrium a neceſſitate: tamen reſpectu mediorum liberum arbitrium etiam a neceſſitate habere, quia multa faciunt quæ poſſunt non facere, & e contra: & in hujuſmodi dæmones vere peccare, & bonos angelos opus vere laudabile facere: quamvis nec pœna, nec præmium eſſentiale creſcere poſſit, cum utrique ſint in termino, & omnia ipſorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriæ ſempiternæ pertineant.* Videte etiam Eſtium in lib. 2. Sent. diſt. VII. §. 5 & diſt. ultima lib. 4. D. Thomam 1. 2. q. 89. art. 4. Si ergo peccant in operibus deliberatis damnati ac dæmones, qui gratiam nequeunt habere, quanto magis mortales, qui illam habere poſſunt? Inſuper Theologi clariſſimi refellunt hoc argumento Janſenianos obtendentes privationem gratiæ, ut dogma ſuum libertati contrarium propugnent: Etiamſi nihil boni abſque gratia poſſimus perficere, habemus tamen in faciendis malis optionem ac libertatem: Igitur ex privatione gratiæ non infertur peccandi neceſſitas. Et ſane, me judice, facilius, hoc reſponſo illorum ora obſtruuntur, quam ſi reſpondeas gratiam adeſſe ſingulis; quoniam hoc poſtremum in controverſia eſt, & Janſeniana conſecutio pleno Catholicorum ore damnata & exploſa. Neque enim, niſi omnia me fallunt, minus ego exagitavi Janſeniſtas eorumque tela contrivi concordiſſimis Scholaſticorum decretis, quam alii præſtiterint propriis ac ſingularibus, licet iſtorum diſputationes longe ſuperent meas eruditionis copia atque ornatu. Saltem ne ambitioſe hæc videar effundere, protegit me ſtilus & eloquentia Petavii ita Janſeniſtas vellicantis lib. IV. de Opif. ſex dierum c. XX. n. 3. *Mihi quidem profecto inſulſum, & abſurdum videtur, iis hominibus, qui alieni ſunt a Chriſti gratia, liberum ineſſe voluntatis arbitrium ob id negare, quod vel boni nihil ſuſcipere poſſunt, vel ejus ſaltem boni, quod naturæ ſuperat captum: ex eoque colligere determinatam, & uni alicui ſic alligatam voluntatem, ut indifferentiam non habeat. Quid enim? non ſaltem eo ipſo habet ancipitem, indifferentemque motionem, quod vel in malis unum quidem optare poteſt e pluribus: vel cum iſtis naturalia bona, & honeſta comparare? quod ad electionis, arbitriique ſuſpenſionem, hoc eſt libertatem ſufficit.* Igitur alieni etiam a gratia, cum habeant liberum malorum ipſorum delectum, & plures ſpecies, in quibus poſſunt vim & facultatem ſuam experiri, peccant pleniſſima libertate.

Confirmatur præterea theſis Patrum auctoritate, & primum Auguſtini. Ipſe enim objicientibus Pelagianis excuſaturos ſe homines, qui nolunt recte vivere dicendo Gratiam, unde bene viveremus, non accepimus, numquid reſpondet, non eſſe inexcuſabiles, quia adeſt unicuique ſufficiens auxilium? Nullibi reſponſionem iſtam invenies. Reſpondet in Epiſt. ad Sixtum, verbis Apoſtoli, *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Reſpondet de Corrept. & Grat. cap. 6. *Si nondum regenerati ſunt, primam eſſe cauſſam, cur objurgati quod ſint inobedientes Deo ſibi debeant diſplicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non eſt iniquitas apud Deum...... Si autem jam regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certe iſte non poteſt dicere. Non accepi, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio.* Reſpondet lib. 1. Operis Imperf. n. 98. Deum ad peccata non cogere, eo quod *homo & peccare & non peccare poteſt: ſed alterum horum non facit, niſi adjutus a Deo.* Reſpondet q. 50. in Deuteron. *Si adjutorium Dei deſit, non ideo excuſabile eſt hominis vitium: quoniam judicia Dei quamvis occulta, tamen juſta ſunt.* Quæ omnia ſine interitu libertatis humanæ accipienda eſſe; oſtendimus capite tertio de H. Calviniana. Nequeunt autem verba Auguſtini intelligi de Gratia *habituali*, ſed debent accipi de illa gratia, quæ ad converſionem, & obſervantiam divinorum præceptorum eſt neceſſaria, ideſt, *de actuali*; alioquin inepta eſſet ad objecta Pelagianorum, & Maſſilienſium querelas S. Patris reſponſio; ut animadvertit Vanroy de Œconomia Grat. cap. 4. q. 4. & Lemos memorato Tractatu Panopliæ cap. XII. Similiter Proſper in Carm. de Ingratis cap. 32. ait:

Non autem recte, nec vere dicitur, illos
Qui ſunt exortes divini muneris, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra
Peccati non eſſe reos, quia recta gerendi
Non data ſit virtus.

Conſentiunt Fulgentius de Veritate Prædeſt. cap. 20. libri 2. & S. Thomas pluribus in locis productis & vindicatis a Lemoſio cap. 14. prænarratæ lucubrationis.

Munitur inſuper aſſertio noſtra argumentatione ſequenti. *Ut homo poſſit converti, non requiritur ut habeat gratiam ſufficientem eo ipſo tempore, quo poſſe dicitur, ſed ſatis eſt, ſi habere illam & obtinere poſſit. Quomodo dicitur homo poſſe manducare panem, etiam cum panem non habet, neque etiam quicquam unde ſibi panem comparet: ut etiam dicitur videre poteſt, qui non habet lucem, ſed in tenebroſum carcerem injectus eſt, quamvis ſine luce viſurus ſit nunquam.* Hæc eſt doctrina Lovanienſium in Juſtificat. cap. XXI. Revera ſemper eſt in natura poſſe recipere gratiam, ideoque ſemper eſt in hac vita libertas in utramque partem flexibilis, in malum ſeipſa, & in bonum adminiculis ſuffulta divinis. Atque hæc eſt potentia, ut dici conſuevit, *remota*. Hinc Thomas Aquinas docet illud non eſſe impoſſibile, quod poſſumus cum auxilio divino, quoniam, ut Philoſophus ait in 3. Ethicæ, *quæ per Amicos poſſumus, aliqualiter per nos poſſumus*. Ita Angelicus Doctor 1. 2. q. 109. art. 4. & 2. 2. q. 156. art. 2. Neque dicas illuſorie hoc dici, ſi auxilium quoque divinum nobis deſit. Deeſt quippe nobis volentibus, & libere ponentibus impedimentum, cum ſimus etiam ſine gratia liberi ad malum, quod optione noſtra eligentes Domino vocanti & extendenti manus ſuas dorſa vertimus.

Poſtremo, vel de infidelibus loquimur, vel de credentibus. Si de illis, aut *negative* infideles ſunt, & non audierunt Evangelium, nec poterunt audire, aut non ſunt tales. Si ſunt *negative* infideles, impoſſibile illis eſt credere in Chriſtum, laborantque fidei Catholicæ ignorantia invincibili. Iis infidelitatem non imputari in peccatum, certiſſimum eſt, cum ignorantia invincibilis tollit libertatem, & excuſet a culpa. Hujuſmodi ergo infideles tenentur ad ſolam legem naturalem ſervandam, & ad bene moraliter operandum. Ad hoc vero opus ne habent gratia, aut non habent? Si opus non habent; eccur requiritur gratia, ut imputetur peccatum? Si gratia indigent: non ponant impedimentum aliquod libero judicio practico repugnantes inſcriptæ naturaliter legi; atque gratia non deerit. Si infideles ſunt *poſitive*? vocati ſunt, & renuerunt: id perditionis ipſorum cauſſa eſt. Denique ſi credunt: certe non poſſunt dicere, *Non accepimus*. Ut ergo ſive fidelis, ſive infidelis inexcuſabilis ſit, non requiritur actualis gratiæ participatio; ſed ſufficit ſi vel collata fuerit aliquando, vel cauſſa cur non detur, ex ipſo ſit repetenda, habeatque in opere ad culpam imputabile libertatem indifferentiæ.

PROPOSITIO IV. Cuilibet fideli, niſi libere ponat obicem, adeſt gratia orationis, qua impetrare poteſt auxilium immediate ſufficiens ad implenda mandata: hac tamen gratia deſtitutus eſt infidelis.

Probatur. Fidelis enim credit ſibi mandata a Domino eſſe præſcripta: novit ſcriptum in Evangelio, *Petite & dabitur vobis*: & niſi ſuperbe de ſe præſumat, propriam infirmitatem agnoſcit, & retrahentem a bono concupiſcentiam experitur. Atqui ſi credit, nec ſuperbe præſumit, habet gratiam ſufficientem ad orandum. Ut enim Auguſtinus ſcribit de Grat. & lib. arbitrio cap. 16. *Ipſa eſt fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et Epiſtola ad Aſſelicum, *Utilitas legis eſt, ut homines de ſua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam, quæ in Chriſto eſt, implorare compellat.* Igitur, niſi fidelis præſumptionis obicem ponat, gratiam habet orandi, eaque niſi in pœnam liberæ elationis non caret. Hinc S. Pater de Nat. & Gratia c. 44. ait: *Deus impoſſibilia non jubet: ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Quæ verba Tridentinis decretis ſunt conſecrata. Ex eodem lib. de Natura & Gratia cap. 55. *Qui voluerit, & non potuerit, nondum ſe plene velle cognoſcat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.*

Ex quibus colligitur 1. non habere infideles gratiam ad orandum, eo quod non credant ſibi a Deo mandata proponi, imo neque Deum eſſe legiſlatorem cognoſcant: unde Paulus ad Rom. X. ait: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Colligitur 2. fideles non ſemper habere potentiam proximam ad orandum; quoniam non ſemper propriam imbecillitatem animadvertunt, *& iſta implicati ſuperbia, ad gratiam non convertuntur juvantem*: inquit Auguſtinus contra duas Epiſt. Pelagianorum lib. 3. cap. 7. Vide quæ ſcripſimus contra primam Propoſitionem Janſenianam.

PROPOSITIO V. Nullus abſque gratia per ſe efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu.

Probatur 1. ex nuper dictis: Quiſque enim implicatur ſuperbia, nec vincit legem ſitam in membris ſuis, & repugnantem legi mentis ſuæ, ponit obicem orationi faciendæ, nec eſt in potentia proxima ad orandum, ut erudite demonſtrat Noriſius in Calumnia ſublata cap. 3. §. 2. Atqui ſine adjutorio *quo*, ſive gratia per ſe efficaci non poſſumus præſumptionem vitare, & carnem reprimere concupiſcentem adverſus ſpiritum, ſcribente Auguſtino de Correp. & Grat. cap. XI. quod *in tali certamine laborantes dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt*; & cap. proximo: *In infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat.* Igitur ſine gratia per ſe efficaci ſedante rixam carnis & ſpiritus, & comprimente ſuperbiæ tumorem, hebeſcit vis orationis & languet.

Deinde aut nihil probant argumentationes Auguſtinenſium ac Thomiſtarum pro neceſſitate gratiæ efficacis productæ de H. P. c. XX. aut probant gratiam per ſe efficacem neceſſariam pariter eſſe ad orandum. Enimvero Scripturis eo loco productis æquiparantur iſtæ: *Spiritus adjuvat*

infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ad Rom. VIII. 26. &, *Miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra clamantem, Abba, Pater*, ad Galatas IV. 6. Nam ut Auguſtinus inquit in Epiſtola ad Sixtum, *Interpellat, quia interpellare nos facit; nobiſque interpellandi, & gemendi inſpirat affectum*. Et infra: *Non hic ait, In quo clamamus; ſed ipſum Spiritum ſanctum clamantem dicere maluit, quo efficitur, ut clamemus*. Eccleſia pariter orat: *Fac ea, quæ tibi ſunt placita, poſtulare. Aperi Domine os meum ad benedicendum nomen ſanctum tuum: Cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur, &c.* Quibus non ſolum petimus poteſtatem orandi, ſed etiam affectum, actum, initium, exercitium, & complementum. Patres quoque eodem prorſus modo de oratione loquuntur, ac de operibus reliquis. Et Auguſtinus quidem laudata ad Sixtum Epiſtola etiam de oratione ait: *Adjutorium igitur Spiritus ſancti ſic expreſſum eſt, ut ipſe facere diceretur, quod ut faceremus facit*. Probat enim eo loco ipſam orationem inter gratiæ munera reperiri, explanatque verba Pauli ſuperius ex Epiſtola ad Romanos producta. De Corrept. & Grat. c. I. demonſtrat, neminem confugere ad gratiam, niſi a Domino greſſus hominis diriguntur. Atque libro II. de peccat. meritis cap. 19. docet neceſſariam eſſe ad orandum *certam ſcientiam, & victricem delectationem*, cauſſam afferens, quod præcedit in voluntate hominis appetitus quidam propriæ poteſtatis, ut fiat inobediens per ſuperbiam: quod vitium niſi adjuvante gratia ſuperetur, nemo ad juſtitiam convertitur. Fulgentius in lib. 2. de Verit. Prædeſt. cap. 4. *Admonemur* (inquit) *ut a quo nobis datur præceptum, ab ipſo petamus auxilium: quod tamen non poſſumus petere, niſi Deus in nobis operetur & velle*. Habet conſimilia Proſper capite contra Collatorem tertio ac viceſimo.

Si præterea orare poſſimus abſque gratia efficaci potentia ab omni impedimento expedita, non abſurdum erit aſſerere quod unum diſtinguit ab altero oratio ſua: quod præparatio uberiorum auxiliorum non eſt ex prædeſtinatione inſcrutabili, ſed ex præſcientia orationis: quod efficax gratia reprobis non denegatur occulto judicio, ſed quia non orant. Quæ ſi affirmentur, corruit ſyſtema Auguſtinianæ doctrinæ, & fruſtra adverſus Moliniſtas pugnamus. Cum itaque ſyſtema illud concuti nequeat: gratia per ſe efficax neceſſaria eſt ad orandum: quamquam voluntas, quæ eſt adhuc parva comparate ad obſervantiam præceptorum, poteſt eſſe valida & robuſta reſpectu orationis: obex enim, ne quis oret, eſt ſuperbia arbitrii, per quam non convertimur ad gratiam juvantem; quo obice ablato alia reſtant ſuperanda obſtacula, per quæ ab obſervantia legis retrahimur. Iccirco ajebat S. Pater: *Qui volueris, & non potueris, nondum ſe plene velle cognoſcat, & oret, &c.*

PROPOSITIO VI. Eſt probabilior ſententia auxilia, quæ omnibus divina munificentia paravit, quibuſdam aliquando deeſſe ob impedimenta, quæ objicit humanum demeritum.

Probatur. Quamquam miſericordiſſimus Deus ex maſſa perditionis tum puerulos in ſinu immundiſſimarum fœminarum procreatos, cum infideles inter barbaros enutritos, ac homines iniquiſſimos ac ſceleſtiſſimos, ut oſtendat divitias miſericordiæ ſuæ, non ſolum perducat ad baptiſmum, alliciat ad fidem, moveatque ad reſipiſcentiam, verum etiam quos vaſa honoris elegit, faciat perſeverantes, & coronet in miſericordia & miſerationibus; ſunt tamen ex his nonnulli, quibus ad oſtenſionem juſtitiæ nec ampliora beneficia largitur, nec renuentes illos vocat, nec trahit pervicaces, ſed occulto, at juſto judicio deſerit auxilia etiam communia ſubtrahendo. Hi autem ſufficientem gratiam non habent. Ergo, &c. Majorem probo generalibus primum argumentis. Nam gratia ſufficiens donum eſt, nec ulla foret in Deo iniquitas ſi Deus illam ſingulis denegaret; alioquin non foret gratia, ſed debitum. *Dando enim* (inquit Auguſtinus de Dono Perſ. cap. 12.) *quibuſdam quod non merentur, profecto gratuitam, & per hoc veram ſuam gratiam eſſe voluit. Non omnibus dando, quid omnes mererentur oſtendit*. Ex D. Thomas 1. 2. q. 106. art. 3. ad 1. *Dicendum quod humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ, & ideo quibuſcunque non datur, hoc eſt ex juſtitia, quibuſcunque autem datur, hoc eſt ex gratia*. Et licet Auguſtinus de perſeverantia loquatur, Thomas vero de nova lege; tenet Doctorum ſanctorum argumentatio de gratia quoque ſufficiente: propterea quod etiam iſta donum gratuitum eſt, & poſt peccatum primi hominis indebitum beneficium. Sunt quidem aliqui huic argumento reponentes, debitam duntaxat eſſe gratiam ſufficientem ſuppoſito legis præcepto, ut imputetur ad culpam tranſgreſſio illius. At ſatis de hac re dictum ſupra in tertia poſitione. Occurrit autem mihi ſatis opportune præclara ratio Noriſii cap. 3. Vind. §. VI. videlicet, quod peccatum Adæ non exemit homines ab obſervantia legis naturæ perinde obligantis peccante Adamo, vel non peccante, & tamen ipſe omne jus ad gratiam amiſit. Præterea S. Pater de Corrept. & Grat. cap. XI. ait, *Nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundum gratiam datur*. Deeſt ergo nunc nonnullis adjutorium *ſine quo*. De tali enim adjutorio loqui Auguſtinum, non autem de efficaci, nec de ſola gratia *habituali*, puto eſſe manifeſtiſſimum. Nam primo homini efficax gratia collata nequaquam fuit, ſed accepit bonam voluntatem & gratiam ſanctificantem, ſimul cum adjutorio, *ſine quo* permanere in accepta juſtitia non poſſet: quod proinde adjutorium eſt gratia actualis, cum ſit ſuperaddita *habituali*, & ſufficiens tantummodo, cum ſit contradiſtincta ab adjutorio *quo*, donante etiam perſeverantiam. Et proculdubio de Gratia actuali neceſſaria infidelibus ut credere poſſint, & impiis ut convertantur, diſputat S. Doctor adverſus Adrumetinos. Gratia ergo ſufficiens non datur juxta Auguſtinum unicuique. Sed progrediendum jam eſt ad particularia theſim articulatim probando.

DE PARVULIS.

Puerulis vita functis in utero matrum denegari adjutorium ſufficiens inde evincitur, quod cum nondum ſint capaces perceptionis & voluntatis, nulla gratia in iis locum habet, niſi exterior, ideſt, miniſtratio baptiſmatis. Atqui hujuſmodi pueris baptiſma non miniſtratur. Ergo nulla his gratia actualis confertur.

Tam plano argumento reſponderi ſolet, Deum velle iis infantibus applicari Sacramentum regenerationis, non quidem voluntate conſequente, ſed antecedente, qua profecto vult illorum ſalutem. Cur autem non applicetur reipſa, non voluntas Dei eſt, ſed vel culpa parentum, vel ſeries cauſſarum ſecundarum immaturam mortem inferentium. At nihil movet me communis iſta reſponſio. Primo, quia ad voluntatem antecedentem ſpectat Sacramenti inſtitutio, & præparatio remedii; ad voluntatem ſequentem ſacramenti miniſtratio, & remedii applicatio: ideoque concedendum eſt tantummodo pro iis parvulis medicinam peccati paratam & inſtitutam; quod extra omnem controverſiam poſitum eſt. Deinde cauſſa, cur iis puerulis non conferatur ſacramentalis ablutio, non eſt ſemper culpa parentum. *Aliquando* (inquit Auguſtinus Epiſt. 107. ad Vitalem) *cupientibus, feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente* (baptiſma) *non datur, cum repente antequam detur expiret, pro quo ut acciperet currebatur. Unde manifeſtum eſt eos, qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino qua locutione ſit dictum, quod omnes homines vult Deus ſalvos fieri, cum tam multi ſalvi non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis*. Et de Dono Perſev. cap. 12. *Plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris ut baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur. Quid etiam, quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit baptiſmate ſubvenire?* Accipe & hæc verba ex libro contra Julianum VI. cap. 14. *Deus aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundiſſimæ fœminæ; & aliquando non vult eſſe ſuum filium, quem format in utero filiæ ſuæ*. Igitur his parvulis denegatur gratia baptiſmatis ob originale peccatum, non ob præſcientiam futurorum operum perperam jactatam a Pelagianis, non ob illorum voluntatem quam non habent contrariam, non ob culpam parentum volentium ac feſtinantium, quemadmodum cum Auguſtino commonſtrat rerum experientia.

Quod vero dicunt, non teneri Deum generalem Proviſorem ad perturbandum ordinem cauſſarum ſecundarum, unde infertur mors peracerba; id quidem veriſſimum eſt. Sed meminiſſe oportet, mortem peccato primi hominis in orbem terrarum fuiſſe inductam. Prævaricatio ergo primi hominis, quemadmodum immaturæ mortis, ita non applicationis baptiſmatis, cauſſa eſt. *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus ſubvenire, illis autem non ſubvenire, cum ſit utriſque cauſſa communis: aut res humanas in parvulis non divina providentia, ſed fortuitis agi caſibus opinabimur, cum rationales vel damnandæ, vel liberandæ ſint animæ, quandoquidem nec paſſer cadit in terram ſine voluntate patris noſtri, qui in cælis eſt*. Ita Auguſtinus citato c. XII. de Dono Perſeverantiæ. Atque his lucem afferunt quæ diximus Capite præcedenti: ubi oſtendimus juſto judicio Dei privari infantes iſtos Sacramento regenerationis propter peccatum, quod generatione traxerunt.

DE INFIDELIBUS.

Quibuſdam infidelibus non conferri actu gratiam ſufficientem ut credant, haud obſcure demonſtratur ex Scripturis. Gratia enim fidei prædicationi comes eſſe ſolet, ſeribente Apoſtolo ad Rom. X. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Interdum tamen inſpirari fidem divinitus abſque exteriori prædicatione, fatemur: ſed beneficium hoc eſt extra communem ordinem, neque eſt temere ſupponendum in ſingulis. Ergo quibus denegatur externa prædicatio, etiam gratia neceſſaria ad credendum communiter ſubtrahitur. At prædicationem non extendi ad univerſos ſingulatim, oſtendit cap. XVI. Act. Apoſt. ubi verſ. 6. & 7. legimus Apo-

ſtolos

Google

ſtolos aliquando prohibitos a Spiritu ſancto, ne loquerentur verbum Dei in Aſia, & cum tentarent ire in Bithyniam, non permiſiſſe Spiritum Jeſu. Igitur antequam in ea provincia Evangelium prædicaretur, perierunt permulti abſque ulla fidei ſupernæ colluſtratione. Succeſſivis quoque temporibus poſt Apoſtolos innumeras reperiri Gentes, quibus nondum prædicatum eſt Evangelium, colligitur ex Auguſtino de Nat. & Grat. c. IV. Epiſtola lxxx. ad Heſychium & ex Proſpero Carm. de Ingr. cit. 2. prop. & lib. Sent. ſent. 4. & Reſp. 4. ad capit. Gallorum. Patefacient & illuſtrabunt vim hujus argumenti quæ ſcribunt in Epiſtola Synodica PP. in Sardinia Exules, & Auguſtinus de Dono Perſev. cap. 19.

Probatur inſuper ipſorum Sanctorum teſtimoniis. Horum primus, ideſt, Auguſtinus eodem libro de Dono Perſ. c. 9. ait: *Ex duabus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem ſequatur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei.* Apertiſſime diſtincto orationis membro docet hic Sanctus Doctor negari aliquibus non ſolum vocationem efficacem & congruam, ſed etiam inefficacem, atque ſufficientem. Quid enim ſibi vult disjunctiva illa locutio, *Aut non vocetur, aut non ita vocetur?* Deinde Gratia ſufficiens ad credendum nequit aliud eſſe, quam ſancta de amplectenda fide cogitatio & affectio, quia Auguſtinus contra Semipelagianos diſputans appellat fidem inchoatam. Et hanc pariter non omnibus dari S. Doctor affirmat cap. IX. de Prædeſt. SS. *Fides*, inquit, *& inchoata & perfecta donum Dei eſt; & donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare.* Sunt ergo aliqui ſine gratia ſufficiente ad credendum. S. Proſper laudata ſent. 4. habet: *Qui dicit quod non omnes vocentur ad Gratiam, ſi de iis loquitur quibus Chriſtus annunciatus non eſt, reprehendi non debet, quia ſcimus quidem in omnes fines terræ Evangelium deſtinatum, ſed non putamus jam omnibus terræ finibus prædicatum; nec poſſumus dicere quod ibi ſit gratiæ vocatio, ubi Matris Eccleſiæ adhuc nulla eſt regeneratio.* Accedit teſtimonium S. Thomæ ſcribentis 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. *Dicendum, quod ſi in poteſtate hominis dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendum Deum & proximum: & ſimiliter ad credendum articulos fidei: ſed tamen hoc poteſt cum auxilio Gratiæ; quod quidem auxilium quibuſcunque divinitus datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis, ut Auguſtinus dicit in lib. de Correptione & gratia.* Ergo per Divum Thomam non datur omnibus ſufficiens adjutorium, ut credant.

Accedunt rationes Theologicæ. Prima: quia fides eſt juſtificationis initium, ut definit Tridentinum Seſſ. 6. c. 8. Quibus ergo deeſt Fides, deeſt gratia. Nec valet, ſi reſpondeas, præter fidem explicitam in Chriſtum, quæ eſt radix juſtificationis, & diſpoſitio proximior, dari fidem aliquam inchoatam, qualem habuit Cornelius: nam & hæc fides *quibuſdam non datur*, inquit Auguſtinus. Præterea: Infidelitas pure *negativa* peccatum non eſt, ut fatentur omnes contra articulum Baji ſexageſimum quintum. Si autem omnes infideles haberent gratiam, ut crederent, poſſent ſuperare ignorantiam, nec forent infideles *negative*: aut e contra, ſi ſuperare ignorantiam poſſent, infidelitas *negativa* peccatum eſſet. De quo argumento legendus omnino eſt ſapientiſſimus Thomas Lemos præfato loco cap. XII. Tandem: Cum infideles ſint filii iræ, filii vindictæ, eccur Deus his omnibus gratiarum ſuarum munera nequit denegare? An quia Deum cognoſcere poſſunt, & legem naturæ quantum ad officia virtutum implere? Nulla naturalis actio habet ſupernaturalium donorum meritum condignum, aut congruum. Quia viget in illis lex, urgetque præceptum? At jam Charybdim illam prætervecta eſt diſputatio. Num hoc poſtulat lex æquitatis? De gratia, non de penſione diſſeritur.

His occurrunt vulgari reſponſione, deſtitutos eſſe infideles ſufficienti gratia ad immediate credendum, non vero remota, & quæ immediate ſufficiat ad diligendum Deum, & bonum aliquod faciendum, per quod poſſit ſeſe ad fidem obtinendam diſponere: ideoque poſſe infideles omnes, quibus nunquam annuntiatus eſt Chriſtus, habere fidem quantum ad actum remotum, & mediatum, licet non poſſint quantum ad immediatum & proximum. Si auxilium remote ſufficiens hi conſtituerent in colluſtrationibus nonnullis cito evolantibus, & leviter excitantibus voluntatem, interdum unicuique a Deo inſpiratis, ſive in ipſa præſentia Dei, qui multimodis per creaturam ſibi ſervientem vocat averſum, docet credentem, adjuvat conantem: quale adjutorium admittit Noriſius in Vindiciis, cap. 3. §. 6. ſingulis hanc gratiam dari concederem. Certiſſime enim perſuaſum mihi eſt, divinam miſericordiam nemini defuturam, ſi nemo negligeret credere quod ignorat.

Verum quia contendunt adeſſe ſingulis infidelibus gratiam proxime ſufficientem ad actum mediatum, ſive diſponentem ad fidem, & adeſſe ſingulis momentis, præſertim dum urget legis præceptum, non videtur vulgaris illa reſponſio admittenda. Primo quia de gratia remota ad credendum, ſive de primo fidei initio diſputat Auguſtinus adverſus Semipelagianos, ubi ait donum Dei eſſe, & quibuſdam dari, quibuſdam non dari. Deinde quia de Corrept. & grat. a cap. 6. ad XI. ſolvens objectionem, quod nullus eſſet corrigendus, nunquam eo confugit, ut reſponderet, præſto eſſe unicuique gratiam ſufficientem ad ſervandam legem naturæ, quam gratiam ſi non pellundarent infideles, adeſſet & donum Chriſtianæ fidei: ſed mittens reſponſum illud, ait in infidelibus cauſſam cur ſint objurgandi, eſſe quia fecit Deus hominem rectum, & gratiam negat ob pravitatem primi peccati. Addit adjutorium *ſine quo* omnibus in hoc ſtatu non dari; & alia plura, quæ produximus ſupra. Sunt ergo per Auguſtinum aliqui deſtituti omni gratia proxime ſufficienti ad qualecunque opus bonum ſive fide patratum, ſive ad fidem diſponens. Ulterius S. Thomas, uti obſervarunt Lemoſius, & Gonzales, productis verbis ex 2. 2. q. 2. art. 5. affirmat in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis aliquibus denegari gratiam, & ad credendum, & ad diligendum Deum & proximum, ideſt ad actum fidei tam immediatum, quam mediatum: & loquitur apertiſſime de Gratia, non efficaci, ſed ſufficiente, per quam dicitur aut fides, aut amor eſſe *in hominis poteſtate*. Illuſtriora ſunt, quæ habet in 3. contra Gentes cap. 159. & 160. quæ legenda ſunt cum animadverſionibus P. Lemos Cap. 14. n. 202. Prolixa enim ſunt, ac piget referre omnia adamuſſim. Perſpicua etiam ſunt verba ſuperius allata ex 1. 2. q. 106. art. 3. Denique ſi in poteſtate hominis eſt aut dilectio Dei, aut temperantia, aut alia virtus, per quam diſponatur ad fidem; nulla erit myſteriorum fidei ignorantia invincibilis; quoniam ſi poneret medium illud remotum, daretur proximum; ideoque non datur, ex illatione ſententiæ oppoſitæ, illius culpa libera, & voluntaria.

DE OBDURATIS.

Aliquibus in ſcelera damnabili obſtinatione ruentibus ſubtrahi aliquando ſufficientis gratiæ auxilium, videtur conforme Scripturis, Patribus, & rationi. Nam Dominus per Eſaiam cap. v. v. 5. & 6. ait: *Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam ſepem ejus & erit in direptionem, diruam maceriam ejus & erit in conculcationem. Et ponam eam deſertam: non putabitur, & non fodietur; & aſcendent vepres & ſpinæ; & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem.* Hæc non tantum de populo Iſrael, quantum de anima multiplicante peccata exponunt Eccleſiæ Patres. Eſt aliqua anima prævaricatrix a Deo derelicta & deſerta in conculcationem & direptionem. Repetit Dominus per Jeremiam LI. 9. *Curavimus Babylonem & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Quæ verba interpretatur Hieronymus Comment. in hunc locum de ſubtractione auxiliorum ſufficientium, proferens exemplum medici, qui videns infirmitatem reſiſtentem remediis adhibitis, ægroto nulla alia medicamenta miniſtrat. Item de Judæis Joannis 12. v. 40. repetuntur verba Iſaiæ: *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde.* In quem locum ait S. Pater Tract. 53. *Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt.* Apoſtolus etiam ad Rom. 1. 24. ait traditos impios a Deo *in deſideria cordis eorum*, deſerendo eos, & ſubtrahendo lucem ſapientiæ, ut diximus de H. Calviniana cap. v. Hæc ex Scripturis.

S. P. Auguſtinus his verbis deſcribit obcæcati miſerrimam conditionem de Nat. & Grat. cap. 22. *Nec cogitat prævaricatorem legis quam digne lux deſerat veritatis. Qua deſertus utique ſit cæcus, & plus neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatuſque non ſurgat, ut ideo tantum audiat vocem legis, quo admonetur implorare gratiam Salvatoris.* Paucis interpoſitis: *Uſque iſta obſcuratio vindicta & pœna jam fuit: & tamen per hanc pœnam, ideſt per cordis cæcitatem, quæ fit deſerente luce ſapientiæ, in plura & gravia peccata collapſi ſunt.* Et de Perſ. Juſtitiæ cap. 19. obcæcatum appellat *deſertum omni lumine veritatis*. Porro qui tantum audit vocem legis, & interiori inſpiratione dilectionis penitus deſtitutus eſt, nullam habet gratiam ſufficientem, quæ proprie ac vere ſit talis. Deinde animadvertens S. Pater obviam quorumdam objectionem, non peccaturos excæcatos, ſi gratia ſint deſtituti, occurrit, ut diximus ſupra Prop. 3. dicens juſtiſſime corripi, quoniam in malam vitam ſunt propria voluntate relapſi, & acceptam gratiam amiſerunt ſuo libero in malum arbitrio. Atque de perſ. Juſtitiæ cap. 6. *Peccatum* (inquit) *eſt, cum vel non eſt caritas, quæ eſſe debet: vel minor eſt, quam debet; ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit: quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit. Si autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit. Et tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur.* Similia habet Proſper ad ſextum Objectum Gallorum: *Priuſquam a dominatione diaboli per Gratiam Dei ipſius liberetur, in illo profundo jacet, in quod ſe ſua libertate demerſit, amans interim languores ſuos, & pro ſanitate habens quod ægrotare ſe neſcit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat noſſe quod langueat, & poſſit opem medici deſiderare qua ſurgat.* Vides adeo impium ali-

quando demergi, ut infirmitatem ſuam nec videat, nec velit ſanari, deſtitutum proinde omni ſancta dilectione & cognitione, & peccare tamen, quia libere ſe merſit in pelagus iniquitatum? Et S. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 160. diſputans de auxilio, non efficaci, non congruo, non proxime ſufficienti, ſed de illo, *ſine quo nullus habere poteſt ea, quæ ſunt neceſſaria ad tendendum in ultimum finem*, hæc de obſtinatis habet: *Quamquam autem illi, qui in peccato ſunt, vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent vel ponant, niſi auxilio gratiæ præveniantur; nihilominus tamen hoc eis imputatur, quia hic defectus ex culpa præcedenti in eis relinquitur*. Licet ergo poſſit quilibet prævaricator converti potentia remota, quatenus poteſt recipere beneficia gratiarum omnibus præparata: licet poſſit plura legis præcepta implere quantum ad ſubſtantiam operis & officia virtutum, & minora impedimenta objicere gratiæ vocanti; licet peccet mala ſua voluntate, & libero arbitrio ad malum illud, aut illud nunquam naturaliter determinato; attamen poteſt in pœnam peccati deſeri a Deo, ut nullo excitetur ſtimulo converſionis, undequaque noxiarum cupiditatum repagulis præpeditus. Atque hæc ex Patribus.

Ad ratiocinationes quod attinet; ſi gratiam conſtituas in miſericordia Dei ſubſtantialiter ubique præſentis, & adjuvantis non repugnantes: habent hanc profecto obcæcati. Si illam conſtituas in qualitate tranſeunte nobis incomperta, inſanus ero, ſi quod ignoro, aut propugnare auſim, aut refellere. At ſi concedis gratiam actualem eſſe mentis illuſtrationem, aut inſpirationem caritatis, aut utrumque; numquam perſuadere mihi poteris, ſceleſtiſſimum quempiam omni momento, etiam cum inſtat præceptum, cogitatione, aut delectatione ſancta quomodolibet excitari. Fallor enim, aut impudentiſſima mulier captans meretricios quæſtus, amplexuſque impudicos, avarus reſtrictus & ſurax, qui aliorum fortunas quotidie vorat, tabeſcens invidia, veteri ſimultate, & ulciſcendi cupidine, aliique hujus generis homines traditi in deſideria cordis eorum, & evaneſcentes in cogitationibus ſuis non habent continuo piam aliquam cogitationem, & voluntatem. Nam, ut Bellarminus ſcribit lib. 2. de Grat. & lib. arb. cap. 6. *Cum vocatio, pulſus, tractus, excitatio illa Dei ſit actio noſtra, quamvis non libera, nempe bona cogitatio, bonumque deſiderium repente ac divinitus immiſſum, quomodo fieri poteſt, ut non ſentiatur in nobis, ſi ſit non ſolum in nobis, ſed etiam a nobis?* Conſtat igitur experientia gratiam obduratis non ſemper adeſſe, eo ſaltem momento quo peccant, & vocationem Dei non percipiunt. Legito D. Bernardum ſerm. 81. in Cantica.

PROP. VII. Quiſquis non adjuvatur a Deo per gratiæ ſubminiſtrationem, queri debet de prava ſua voluntate, non de ipſo Deo beneficentiſſimo gratiarum ſuarum largitore.

Probatur I. Quia Deus quantum eſt ex ſe gratiam largitur omnibus, ut vidimus Theſi prima. II. S. P. Auguſtinus de Peccat. meritis lib. 2. cap. 17. ait: *Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates; qua ut non adjuventur in ipſis itidem cauſſa eſt, non in Deo*. III. S. Thomas, ut nuper diximus, in tertio contra Gentes, ait homines per propriam voluntatem gratiæ ponere impedimentum: & 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. *Defectus gratiæ prima cauſſa eſt ex nobis, ſed collationis gratiæ prima cauſſa eſt ex Deo, ſecundum illud Oſeæ 13. Perditio tua Iſrael, tantummodo ex me auxilium tuum*. IV. Cum inclinatio rationalis appetitus ob corruptionem ſequatur bonum privatum, licet indifferenter & libere, dum ad illud convertitur, retrahit mentem ab incommutabili veritate, & animum flectit ad voluptates noxias, ut quæſtionibus præcedentibus demonſtravi: atque ita obcæcatur deſerente luce ſapientiæ ob pravam inclinationem, cui libere obtemperat.

. Non te moveat quod hanc pravam inclinationem refrenare, & gratiæ impedimenta non ponere nemo poſſit ſine gratia. Hæc eſt objectio Pelagianorum, quam Auguſtinus ſolvit lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. ſcribens: *Liberum arbitrium uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. Unde & Apoſtolus, Cum eſſetis, inquit, ſervi peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Ecce oſtenduntur etiam peccato minime potuiſſe niſi alia libertate ſervire. Liberi ergo a juſtitia non ſunt, niſi arbitrio voluntatis; liberi autem a peccata non fiunt niſi gratia Salvatoris*. Igitur ſine gratia habetur liberum arbitrium ſufficiens ad peccandum, & ad ponendum impedimentum ipſi gratiæ, licet ſine gratia non ſit liberum arbitrium ſufficiens ad vitandum hoc impedimentum, & ad faciendam juſtitiam. Et ratio eſt, quia homo alienus a gratia habet circa actus ſingulos peccati liberam, & indifferentem optionem, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8. ad 1., & demonſtratum eſt Theſi 3. Hac methodo his pertractatis, conſtat omne opus Omnipotentis eſſe aut juſtitiam, aut pietatem, & utrumque bonum in terras deſcendere, deſeri & damnari elatos, & humiles augeri donis, quemadmodum ajebat Proſper in Epigrammate. Conſtat præterea Majores noſtros non immanem ac ferream, ſed æquiſſimam, & ad coercendos impios aptiſſimam tradidiſſe doctrinam: quamquam pia eſt etiam, probabilis, & Catholica ſententia contraria plurimorum Doctorum ſuffragio probata.

OBJECTIONES REFERUNTUR ET REFUTANTUR.

Momenta illorum Doctorum ex dictis eliduntur facillime: at ne quid prætermittamus ad Tironum rudimentum & commodum, ea nunc ſubjicimus diluenda. Aliqua depromunt ex Scripturis, nonnulla ex definitionibus Eccleſiæ, quædam ex Patribus, alia ex Theologicis argumentis. Hauriunt ex priori fonte ſequentia. Legimus Deum optimum maximum omnes hortari, *ut ad illum convertantur*, uti Ezech. 33. v. 11. *Clamitare in capite turbarum, & in foribus portarum urbis proferre verba ſua*, ut Prov. 1. v. 20. *Stare ad oſtium, & pulſare*, ut Apocalypſeos tertio, v. 20. Rurſus *Deum velle omnes homines ſalvos fieri*, ad Timoth. 1. cap. 2. v. 4. *Nolle aliquos perire*, 2. Petri 3. v. 9. *Pro omnibus filium ſuum tradidiſſe*, 2. ad Corinth. 5. v. 14. Rurſus *illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum*, apud Joan. 1. v. 9. *Neminem ſe abſcondere a calore ejus* in Pſalmo 18. v. 7. Præterea conqueritur per Eſaiam 5. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ?* Et Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos?* At ſi non daret ſingulis vires ſufficientes, quo jure aſſereret ſe velle converſionem peccatorum? quid clamitaret, & pulſaret ad oſtium? quomodo illuminaret omnem hominem, & calorem ſuum undequaque diffunderet? quomodo vineæ omnem culturam adhibuiſſet? Cunctis ergo & ſingulis gratiarum ſufficientium dona largitur.

Generalis reſponſio eſt principio Deum quantum in ſe eſt gratiam ſingulis paraviſſe, illam exhibere univerſis, conferre etiam volentibus & petentibus; & reluctantiam, tenebras, cæcitatem pendere ab humanæ voluntatis arbitrio. Deinde vocare omnes per lumen rationis, quo duce omnes percipiunt Dei exiſtentiam, & naturalem legem honeſtatis ac veritatis, ita, ut ſint inexcuſabiles, ſi Deum non glorificent, turpeſque voluptates ſectentur: nam ſi præcedit lumen rationis, libera optio malorum, & electionis poteſtas; habetur pleniſſima libertas ad malum, licet ad bonum neceſſaria ſit gratia. Inſuper etiam ſpeciale adjutorium elargiri omnibus, ſecundum diſtributionem quam vocant *accommodam*. Hæc reſponſio ex ipſis Scripturis infertur. Vidimus enim ſupra quibuſdam non prædicari Evangelium Spiritu ſancto prohibente, derelinqui Babylonem, auferri ſepem vineæ & dirui maceriam, ambulare complures in tenebris, & umbra mortis, excæcari oculos impiorum, ne videant. Eſt etiam familiare divinis eloquiis, ut *omnes* nonnunquam dicant, nec tamen ſingulos velint intelligi; ut probat in lib. de Incarnat. & Gratia Fulgentius ex conſimilibus Scripturæ locis, *In noviſſimis diebus effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri: Omnes gentes, quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te, Domine: Concluſit Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur*, &c. Quis enim dixerit ſingulos homines prophetaſſe, ſingulos veniſſe ad fidem, ſingulos conſecutos fuiſſe miſericordiam? Vult ergo Deus omnium converſionem, clamat, pulſat, illuminat, vineæ culturam adhibet, ſi conſideras univerſitatem humani generis, inſtitutione, ac præparatione gratiarum; ſi autem homines ſingulos in individuo, largitate & diſtributione inæquali, adeo ut *illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum; illum iſto, iſtum illo modo ſecundum æquitatis ſecretæ rationem & excellentiam ſuæ poteſtatis*; ut Auguſtinus docet lib. 2. de Peccat. mer. c. 5.

Eſt præterea quid ad omnia ſingillatim poſſimus reſpondere. Nam Ezechielis XXXIII. domui Iſrael ſcelera objiciuntur, nec dominus Judæos per ſe, ſed per Prophetam alloquitur: *Tu ergo, fili hominis, dic ad Domum Iſrael*: ideoque & de ſolis credentibus, & de ſolis gratiis exterioribus textus ille concludit. Nam per gratiam internam loquitur Deus illapſu, & ſubminiſtratione Spiritus ſui, nec objurgat & invitat tantummodo, ſed etiam inſpirat ſuavitatem ac dilectionem. In Proverbiorum 1. ad Judæos pariter dirigitur oratio, & in mundi Opificio, in promulgatione Legis, & in Prophetarum oraculis ſapientia Dei commendatur. In tertio Apocalypſis non dicitur Deus pulſare ad oſtium ſingulorum, non ſemper: & ſatis ſuperque verbis Bellarmini nuper productis exploditur hæc objectio. Attamen ſi omnium, excepto nemine, velis corda interiori gratia pulſari, neceſſe non eſt, ut id fiat ſingulis momentis vel horis, nec etiam urgente præcepto, ſed certis temporibus ad Creatoris beneplacitum. Adde ibi orationem inſtitui de prædilectis, & ovibus, quarum Chriſtus eſt Paſtor, ut conſtat verſu præcedenti, & expreſſione verborum. De voluntate ſalvandi omnes, & generali humani generis redemptione, ſatis dixi in primo volumine c. 1. libri v. ad 2. & 5. Propoſitionem Janſenii, ac prop. 2. hujus Capitis.

In Evangelio Joannis dicitur Verbum *lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, primo per lumen rationis & legem omni creaturæ rationali impreſſam immutabilis veritatis, juxta illud Pſalmi IV. *Signatum eſt ſuper nos*

lu-

lumen vultus tui, Domine, ut explicat S. Thomas in hunc locum. 2. *non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur, ſed quia niſi ab ipſa nullus illuminatur*, ait S. Pater cap. 103. Enchiridii. 3. quia non ad unum populum venit, ut Moſes, & Prophetæ, ſed ad prædicandum Evangelium omni creaturæ. Atque ita hoc uno verbo demonſtratur Dei Filius Conditor, Legiſlator, & Redemptor univerſorum, ad differentiam Joannis, de quo cum eſſet illuminatus a Deo, & veniſſet vox, & teſtimonium Reparatoris, dicitur verſu proximo, *Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine*. Ceterum confirmat locus iſte ſententiam noſtram. *Si enim ipſe eſt lumen, ſi ab ipſo receſſeris, nec in lumine eris: & quid de te ſequetur? Quod dixit de impiis: Fiat via illorum tenebræ, & lubricum*: ait Auguſtinus Conc. v. in Pſalm. 103. Idem Evangeliſta cap. 3. v. 19. *Lux*, inquit, *venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*. Prætermittenda non eſt inſignis comparatio D. Thomæ 1. 2. q. 79. art. 3. petita a Sole, *qui licet quantum eſt de ſe omnia corpora illuminet, ſi quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebroſum, ſicut patet de domo, cujus feneſtræ ſunt clauſæ: ſed tamen illius obſcurationis nulla modo cauſſa eſt ſol, ſed cauſſa ejus eſt ſolum ille, qui claudit feneſtram. Ita Deus lumen gratiæ interius non immittit illis, in quibus obſtaculum invenit*, &c. Notat tamen ibidem S. Doctor Deum hoc agere proprio judicio, ideoque eſſe cauſſam excæcationis, non prout eſt illa motus animi humani inhærentis malo, ſed prout eſt ſubtractio gratiæ, unde ſequitur quod mens divinitus non illuminetur, & cor non emolliatur ad recte vivendum. Eſaias & Evangeliſta Matthæus loquuntur de Judæorum Synagoga: & præterea ſententiæ noſtræ vim addunt conſequentibus verbis. Nam ille ait, *Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem*: ille autem, *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*.

Ex definitionibus Eccleſiæ hæc promunt. In cap. *Firmiter* definitum eſt hominem lapſum *per veram poſſe ſemper pœnitentiam reparari*. Statutum a Tridentina Synodo Seſſ. 6. cap. 11., quod *Deus ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit*. Senonenſis in decreto 15. de lib. arbitrio hæc eſt perſpicua ſententia: *Nec tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio, cum illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium, & pulſet*. Conſimilia protulit Colonienſis in Enchiridio de Sacramento Pœnitentiæ; *Nullus eſt peccator tam ſceleſtus, cui Deus, quoad in hac vita ſuperſtes fuerit, hanc gratiam penitus ſubtrahat*.

Facile eſt hæc diſcutere. In Cap. *Firmiter* rectiſſime dicitur poſſe hominem lapſum per pœnitentiam reparari, quoniam poteſt Deus illum gratia prævenire. Appoſite Auguſtinus de Nat. & grat. cap. 23. *Nemo dicit ſic hominem factum, ut de juſtitia quidem poſſit in peccatum ire, & de peccato ad juſtitiam redire non poſſit: ſed ut in peccatum iret, ſufficit ei liberum arbitrium; ut autem redeat ad juſtitiam opus habet medico, quia ſanus non eſt, opus habet vivificatore, quia mortuus eſt*. Et tamen hunc medicum aliquando deſerere impium, tradit paullo infra Auguſtinus. Addo laudati Canonis ſenſum eſſe quod poſſint per pœnitentiam deleri peccata poſt baptiſmum patrata, nec relapſorum crimina ſint irremiſſibilia. Ait enim: *Et ſi poſt ſuſceptionem baptiſmatis quiſquam prolapſus fuerit; peccatum per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari*. Tridentinum de Juſtificatis aperte loquitur: noſtramque ſententiam confirmat. Nam ſi non deſerit Deus, niſi deſeratur; ergo ſi deſeratur, deſerit. Ita S. Pater citato lib. cap. 22. 23. 26. 29. & aliis locis ſupra citatis prop. 6. Vide & Adverſariorum noſtrorum Confeſſionem theſi 2. Senonenſe, & Colonienſe Concilium Provincialia ſunt. Præterea illud ait adeſſe ſemper gratiam, quatenus eſt *in promptu*, ſcilicet ſingulis præparata; & omni momento Deum ſtare ad oſtium, & pulſare, non tamen ſingulos homines interius ſentire pulſantem alio ſenſuum ſtrepitu, & ſpecierum varietate diſtractos. At ſi non habent interiorem ſenſum, nempe piam cogitationem & bonum deſiderium, gratia exterior eſt, non interna. Colonienſis Synodus conſulto addidit particulam *penitus*, ut intelligas cuilibet ſceleſtiſſimo peccatori, quandiu eſt in via, non ſubtrahi gratiam omnino, quoniam interdum recipit illuſtrationes, aut ſaltem jus habet ad Sacramenta, quibus peccata delentur. Adverte, nec adverſarios noſtros aſſerere, Deum ſemper, omni momento, & inceſſanter ſanctas cogitationes, & pia deſideria excitare in ſingulorum animo. Rurſus ſententia noſtra, etiamſi quocunque momento adeſſet mentis cogitatio, ſi nullam inſpiraret delectationem cordi immerſo pravis cupiditatibus, non eſſet hæc gratia vere ſufficiens. Nam Gratia Chriſti eſt inſpiratio ſanctæ dilectionis, ut probatum eſt de H. Pelagiana. Denique oportet diſtinguere inter gratiam increatam, quæ eſt divina miſericordia præveniens actus noſtros indeliberatos, & inter gratiam creatam, quæ eſt ab actibus indeliberatis indiſtincta; quemadmodum aliud eſt lumen rationis, & lex immutabilis veritatis affulgens menti, aliud ipſa mentis perceptio. Miſericordia, & veritas ſingulis adeſt, ideoque gratia increata, ſcilicet ipſe Deus. Verum is libere, non aliqua neceſſitate colluſtrat mentem, & excitat delectationem. Igitur ſicut ſemper, & omni momento eſt in mente noſtra æterna lex veritatis illam irradians & colluſtrans, nec tamen ſemper eſt rectum judicium mentis noſtræ, eo quod ſeſe convertat non ad illam æternam legem, ſed ad fluxas ſenſuum imagines: ita ſemper adeſt miſericordia Dei, & gratia increata, nec tamen ſemper eſt ſancta cogitatio & pia animi affectio in animo mortalium hominum, quia non ad miſericordiam juvantem ſe convertit humiliter, ſed ad amorem ſui, & ad ſenſuum illecebras. Iccirco non ſemper adeſt gratia, quæ ſita eſt in ſancta inſpiratione, & motu vitali: de qua præſens ſervet diſceptatio.

Accedit ad Canones Conciliorum propoſitio damnata ab Alex. VIII. anno 1690. *Pagani, Judæi, Heretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum; adeoque hinc recte inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficiente*. Sed merito proſcripta eſt; primo quoniam profertur *indefinite*; atque ſunt inter Paganos & Judæos quamplurimi, quibus gratia confertur; ut diximus de Polemone, & de Cornelio. Præterea Infidelium complures aut degunt inter Chriſtianos, aut audierunt ab iis Evangelium, cujus prædicatio non ſolum eſt beneficium Chriſti notitiam ſuppeditans, ne ſit inexcuſabilis infidelitas ipſorum, ſed etiam ſolet conjungi cum internis gratiæ illuſtrationibus, quæ tamen a nimium addictis cultui idolorum, ſive conſuetudini abrogatorum legalium cito evolant, atque extinguuntur. Eſt etiam probabilius omnes homines gratiæ motionem aliquam per vitæ decurſum experiri, ſed tenuem admodum, & veluti ſemen ſparſum ſecus viam, vel inter ſpinas conculcatum & ſuffocatum. Singulis denique patet ſemper aditus ad miſericordiam, ad Eccleſiam, ad Sacramenta, ad medicinam, & ad Aquam & Sanguinem fluentem e latere Redemptoris.

Depromunt ex libris Patrum quæ ſequuntur. S. Auguſtinus de lib. arb. cap. 18., & de Natura & Grat. cap. 67. adverſus eos, qui de ignorantiæ, & difficultatis pœna ex Adam tranſfuſa queruntur, ſcribit: *Recte enim fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret: cum vero ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras*, &c.

Joannes Gonzales, & Thomas de Lemos reſpondent Auguſtinum aſſerere, quod nullus juſte afferre poteſt in ſui excuſationem ignorantiam, quia Deus aut per legem ſcriptam, aut per naturalem, aut per Evangelii prædicationem homines omnes inſtruit & vocat: & recte, nam qui negat unum eſſe Deum, ſuperare poteſt ignorantiam intima conſcientia ſui ipſius, rerumque aſpectabilium contemplatione: & qui ignorat myſteria fidei, poteſt ea audire ab Evangelizantibus; & ſi non poteſt, non ei imputatur ad culpam. Animadvertunt ſcite Auguſtinum dixiſſe, *Per creaturam ſibi Domino ſervientem*; ne inde inferas ſemper vocare ſeipſo, & per internam ſubminiſtrationem Spiritus ſancti. Proximo cap. 68. ipſe Auguſtinus hanc reſponſionem inſinuat, docens, quomodo infideles ad fidem excitentur Chriſtianis exhortationibus, Chriſtiani autem concutiantur terroribus, & præmiorum laudibus erigantur. Hæc gratia ſat eſt, ut ſint inexcuſabiles, & poſſint remota potentia quærere quod ignorant. Inſuper animadverto, aliud eſſe Deum vocare, aliud eſſe præſentem ut vocet. Illud actualem gratiæ ſubminiſtrationem, iſtud vero præparationem ſignificat, & increatam gratiam interdum ab animorum noſtrorum motione ſejunctam, ut jam explicavi. Et Auguſtinus quidem, non ait, Deum vocare omnes, ſed eſſe *præſentem ut vocet*. Si velis etiam cunctis immitti quaſdam bonas cogitationes certis temporibus, ſed quæ leviter excitent, ut intellectus alio ſtatim evolet, & evaneſcat in cogitationibus ſuis; eſt ſententia Noriſii, cui non repugno.

Addunt Adverſarii S. P. Auguſtinum ſerm. 2. in Pſalm. 58. hæc habere: *Si nolis curari vulnus tuum, admonet, ut cureris; & averſum revocat, & refugientem quodam modo ad ſe venire compellit & attrahit. In omnibus implet quod dictum eſt, Miſericordia ejus præveniet me*. In Pſalm. 102. *Vocat undique ad correptionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis*.

Verum quid hæc? Conſtat in Pſalmum 58. S. Patrem de iis loqui, quorum Dominus ſuſceptor factus eſt, ut in omnibus eorum operibus ſingularem exerceat providentiam. Atque ſi hoc teſtimonium aliquid evinceret; adeſſet ſingulis non ſolum gratia ſufficiens, ſed & congrua, victrix, efficax, & quodammodo *compellens & attrahens*. Addit præterea ibidem S. Doctor, omnipotentem medicum non renuntiare ad aliquem, ſed *Opus eſt*, inquit, *ut curari velis, opus eſt, ut manus ejus non refugias*. Quod ſi refugias, *adit repellentem manus ſuas*, ait Enarrat. in Pſalm. 102. unde altera objectio depromitur. Hæc propterea eadem reſponſione revincitur. Quamquam commemorantur

tur

tur ibidem omnia genera vocationum, exteræ, interioris, communis, ſpecialis, quas omnes ſingulis impendi neminem puto dicturum, Profert nonnulla alia Auguſtini loca Tournely P. 2. de Grat. q. 8. art. 3. quæ apertiſſime ſunt accipienda de lege naturæ & lumine rationis omnibus indito, eodem Auctore non reluctante: unde merito prætermittuntur.

Habetur in expoſitione quarumdam Prop. ex Epiſtola ad Romanos prop. 62. de Pharaone celebris locus: *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur.* Hunc locum avide quidam arripiunt, objicientes non imputandum eſſe peccatum, ſi gratia non adſit, quemadmodum nec imputatum eſt Pharaoni.

Aſt ſi totum argumentum concedatur, nonne ſequitur Pharaoni, & obduratis huic ſimilibus gratiam ſufficientem fuiſſe ſublatam? Si ulterius reponamus editum opus iſtud ab Auguſtino adhuc Presbytero, cum nondum divinæ gratiæ percepiſſet arcana; nonne id liquet ex cap. 23. primi libri Retractationum? Sed confirmat hæc Auguſtini ſententia, quod alibi tradidit de Obduratis, ſcilicet hos peccare, quia licet deſerti a gratia neceſſe ſit, ut offendant, & cadendo vexentur; nihilominus illis imputatur peccatum, quoniam prævaricatores legis digne lux deſeruit veritatis. Senſus quippe eſt Pharaonem non ideo peccaſſe, quia obdurato corde obtemperare non poterat, ſi enim cæcitas omnino eſſet involuntaria, nullum foret peccatum: ſed ideo peccaſſe, quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur. Hunc ſenſum demonſtrant quæ ſequuntur immediate: *Sicut enim in his, quos elegit Deus, non opera, ſed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur: ſic in his, quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipſam pœnam etiam male operentur.* Igitur per ipſam quoque obdurationem peccant improbi, in quantum ipſa obduratio eſt pœna præcedentis peccati, ut pluribus explicat Sanctus Doctor eodem loco, & citato capite tertio ac viceſimo Retractationum.

Mutuantur ex Proſpero quæ ſequuntur. I. Libro 2. de Vocat. Gent. cap. 5. ait: *Adhibita ſemper eſt Univerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit, ſufficit tamen, ſicut Dominus judicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* II. Eodem libro cap. 14. hæc habet: *Neque ob hoc excuſabiles ſunt nationes, quæ alienatæ a converſione Iſrael ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo ſub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ, quæ nunc univerſum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit.* III. Cap. 29. ait: *Univerſitati hominum ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper & conſulit, ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegata ſibi lumine veritatis, neque cuiquam ſit liberum de ſua juſtitia gloriari.* IV. De parvulis ſine baptiſmate morientibus hæc eſt præclara & manifeſta ſententia Proſperi cap. 23. *Non irreligioſe arbitror credi, nec inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua utique ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur.* V. Addunt Stephanus Deſcamps, & Hon. Tournely illuſtre teſtimonium Pauli Oroſii in libro de Arbitrii libertate: *Mea ſemper hæc eſt fidelis atque indubitata ſententia, Deum adjutorium ſuum non ſolum in Corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob credentium fidem gratiæ ſuæ dona largitur, verum etiam univerſis in hoc mundo gentibus propter longanimem ſui, æternamque clementiam ſubminiſtrare, non ut tu aſſeris cum diſcipulo tuo Cæleſtio, cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura confuſa eſt, in ſolo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter univerſis unam gratiam contributam; ſed ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis, & ſingulis miniſtrare.* Et infra, *Evidentiſſime declaratum eſt nemini hominum deeſſe Dei adjutorium, præſertim cum & ſeductor inſtet, & inſit infirmitas.*

Poſſum cum Eruditis viris reſpondere libros de Vocatione Gentium non eſſe Proſperi: quod probari poteſt his teſtimoniis directe pugnantibus cum aliis, quæ habentur in reſponſionibus ad Objecta Maſſilienſium, & in Carmine de Ingratis; ubi generalem voluntatem ſalvandi omnes, & communem humani generis Redemptionem explicat per inſtitutionem & efficaciam remedii, non per actualem gratiæ largitionem, ut oſtendimus de H. Janſeniana cap. 4. & hoc in quo verſamur th. 2. 3. & 6. Vide & Noriſium lib. 2. H. P. cap. XIV. Brevi itaque reſponderi poteſt, hunc Auctorem, & etiam Oroſium, medium quid ſapere inter Semipelagianos, & Auguſtinum.

Horum tamen admiſſa auctoritate, nil conficit pro Scholaſticis omnia adverſus nos pugnaciter conjicientibus. Auctor enim priorum librorum conatur oſtendere etiam Gentiles, hominesque univerſos a fide alienos habuiſſe gratiam quamdam communem, & veritatis notitiam in diſpoſitione elementorum mundi, per quam poſſent optime percipere unius ſupremi Numinis exiſtentiam, ita ut eſſent in cultu Deorum inexcuſabiles; etiam ſi minime recepiſſent internas & inviſibiles illuſtrationes, quæ ſunt dona gratiarum ſpecialia. Sat eſſet titulum capitis 5. libri 1. perlegere: *Omnes in elementis accepiſſe præcepta legalia, ut ſiat inexcuſabiles in idololatria.* Sed quoniam titulis carent Mſs. vetuſtiora, verba Auctoris exſcribamus. *Quamvis ergo hæc,* inquit, *& multa ſimilia veritatis Scriptura pronuntiet, ſecundum ipſam tamen credimus & piiſſime confitemur, quod nunquam univerſitati hominum divinæ providentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptam ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxit, ut & propheticas voces, & præcepta legalia convincerentur in elementorum obſequiis ac teſtimoniis accepiſſe: unde & inexcuſabiles facti ſunt, quia Deos ſibi dona fecerunt, & quæ creata erant ad utendum, venerati ſunt ad colendum.* Internam autem inſpirationem gratiæ communem non eſſe, ſcribit diſerte cap. 3. *Incognoſcibiles illuminationum dilationes, inter quas utique multi in infidelitate deficiunt, non ſolum in populis remotioribus impiorum, ſed etiam in civitatibus fidelium per plurimas domos & familias novimus fieri, &c.* De notitia igitur legis, non de gratia ſpeciali loquitur iſte Auctor. Confer modo verba nobis objecta, & videbis non ſolum perperam adverſus nos uſurpari, ſed etiam Adverſarios noſtros revincere. Gratia enim, de qua diſputamus, non ſolum ſufficit ad teſtimonium, ſed etiam ad remedium, neque eſt ſola notitia veritatis diſtributa in elementis, & reddens inexcuſabilem idololatrarum perfidiam, ſed interior illuminatio, & inſpiratio caritatis, ſine qua plurimi ſub ignorantiæ tenebris perierunt. Atqui auctor librorum de Vocat. Gent. ait impenſam omnibus gratiam ſufficientem ad teſtimonium, & notitiam in elementorum obſequiis, per quam nulli pereuntium ſuppetat excuſatio; & quibuſdam tantum gratiam ſufficientem ad remedium, & ſpecialem ac ſupernaturalem inſpirationem. Ergo affirmat Gratiam, de qua diſputatur, pluribus denegari.

De parvulis cap. 21. præcedenti definite pronuntiat, *ſuper eos illam manere ſententiam, quam humanum genus prævaricatione primi parentis excepit. De immaturitate vero mortis non eſſe rationem conquerendi, cum ſemel in naturam noſtram per peccatum ingreſſa mortalitas obnoxium ſibi omnis vitæ noſtræ fecerit diem.* Hæc eſt ergo cauſſa cur plurimi rapiantur ſine baptiſmo, & non ſemper neglectus parentum. Dum ergo ſeq. cap. 23. ait, etiam parvulos paucorum dierum ad illam pertinere gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, loquitur de notitia veritatis, quam horum parvulorum parentes potuerunt accipere ab obſequiis & teſtimoniis elementorum, & negligentes non ſtuduerunt ſibi ac poſteris conſulere veram amplectendo religionem. Nam cap. 25. ſequenti docet gratiam, quam univerſis generationibus Deus indifferenter impendit, eſſe teſtimonium elementorum, per quod ad quærendum verum Deum poſſunt homines adjuvari. Gabriel Vaſquez diſp. 96. cap. 2. interpretatur poſtremum locum de parvulis qui aliquandiu vivunt, & quibus parentum cura negligit ſubvenire, eo quod appellentur *paucorum dierum homines.* Eſt autem interpretatio, ut arbitror, falſa, & duobus hiſce vocabulis male affixa.

Oroſius autem contra Pelagianos aſſerentes poſſe unumquemque per naturam & liberum arbitrium ſalutem quærere & ingemiſcere, licet adjutorio Dei tandem tribuerent conſecutionem ſalutis, & objicientibus exemplum Zachæi, qui deſiderabat Deum videre, & ideo ſalus domui ejus facta eſt, ait: *Nunquid ſi unus credidit, ſtatim univerſa domus ſine peccato fuit, cui tunc utique Majore domus credente initium ſalutis fuit?* En aperte ſcribit Oroſius, familiam Zachæi, antequam ipſe crederet, non habuiſſe initium illud ſalutis, ideſt poſſe quærere & ingemiſcere, quale initium ſtatuebat Pelagius in natura, & in libero arbitrio. Habemus ergo Oroſium nobiſcum conſentientem. Ex illa vero reſponſione Oroſii emergit ſtatim objectio altera Pelagianorum: Quomodo ergo peccant, qui deſtituti ſunt gratia, & non habent ex ſe poſſe quærere & ingemiſcere? Huic objectioni occurrit Oroſius dicens Gratiam quæ neceſſaria eſt ad libertatem peccandi non eſſe illam ſpecialem quam Cæleſtius & Pelagius putant in ſolo bono naturæ ſingulis contributam; ſed notitiam veritatis & lumen ipſum rationis adjutum teſtimonio, & diſtributione elementorum, atque id per atomos & per momenta ſingulis miniſtrari, & neceſſarium eſſe ne imputetur peccatum; licet ad recte agendum requiratur præterea gratia ſpecialis a natura & libero arbitrio diverſa. Sequitur enim poſt verba, quæ producta ſunt, hæc immediata periodus: *Dicit enim Scriptura, Qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos. At tu forte reſpondes: Ordinem ſuum compoſita bene natura cuſtodit, ac per hoc Deus elementariis ſimul curſibus conſtitutis facit inde, quæ facit. Quid ergo de illa ſententiæ parte, quæ ſequitur, opinaris? Dat pluviam ſuper juſtos, & injuſtos. Utique qui dat, cum vult dat, & ubi vult dat, vel diſpenſando diſpoſitam conſtitutionem, vel effundendo propriam largitatem.*

Quæ ex D. Thoma objiciuntur, hæc ſunt præcipua. I. Q. 14. de verit. art. 11. ait: *Si aliquis nutritus in ſylvis, vel inter bruta animalia ductum rationis naturalis ſequeretur in appetitu boni & fuga mali, certiſſime eſt*

cre-

credendum, quod ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum derigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium. II. In cap. 12. ad Hebræos ait: *Gratia nulli deeſt, ſed omnibus quantum in ſe eſt ſe communicat, ſicut nec ſol deeſt oculis cæcis*. III. 1. p. q. 49. art. 2. *Deus*, inquit, *non deficit ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem*. IV. In 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. hæc habet: *Lex nova quantum eſt ex ſe auxilium dat ad non peccandum*.

Reſpondent ad 1. Thomas de Lemos, & Thomiſtæ alii, utique id eventurum, ſed puer ille non poſſet ſequi ductum rationis ſine gratia, quæ per D. Thomam quibuſdam datur, quibuſdam non datur. Ut enim demonſtratum eſt quæſtionibus præcedentibus ex eodem Doct. Angelico 1. 2. q. 109. art. 3. *Appetitus voluntatis rationalis ſequitur propter corruptionem naturæ bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei*. Quod in puero illo contingeret ex carnis concupiſcentia progenito. Aliqui interpretantur beatum Thomam de puero baptizato: quem certe gratia ſanctificante exornatum Deus non deſeret, niſi ille ſe a Deo averteret libero voluntatis arbitrio. Ego ulterius fateor illi puero ſupernam aliquam illuſtrationem non defuturam, quam tamen pœnalis cæcitas diſpelleret, & voluntas ad malum proclivis peſſundaret. Teſtimonia reliqua demonſtrant tantummodo Deum quantum in ſe eſt auxilia omnibus præparare, eaque ſubminiſtrare nullum ponentibus impedimentum; quamquam iſtud non ponere, aut removere munus ſit gratiæ, quæ aliquibus denegatur, ut docet Angelicus in III. contra gentes cap. 160. & ipſa lect. 3. in cap. 12. ad Hebræos.

Denique momentum graviſſimum putant, quod prop. 3. expunximus, de libertate neceſſaria ad peccatum. Omnino quippe tenendum eſt, nullum eſſe peccatorem in hac vita qui & libere non peccet, & pœnitere, & mandata ſervare non poſſit. Scribit id poſt D. Thomam 3. p. q. 86. art. 1. univerſa Schola Thomiſtarum, ut demonſtrat Tournely de Grat. p. 637. & ſeq. At ſine gratia homo in peccatum neceſſitate prolabitur, nec pœnitere poteſt, nec recte agere. Singulis ergo momentis gratia ſufficiens adeſt cuilibet etiam obcæcatiſſimo peccatori. Hoc argumentum complures Thomiſtarum a ſententia majorum alienavit. Percipere etenim non valent quomodo præcepta Dei ſint poſſibilia, ſi denegetur auxilium, quo opitulante poſſunt impleri. Si reſpondeas cum D. Thoma, non eſſe impoſſibilia, quoniam poſſumus gratiam a divina liberalitate accipere, nec reputatur impoſſibile quod poſſumus per amicos; id verum eſſe fatentur, ſi amici præbeant auxilium; at ſi amici, ut hodierni ſolent, miſeros nos derelinquant, quomodo poſſumus ſpem locare in præſidio amicorum? Accedit quod libertas tantum ad malum etiam in dæmonibus viget; impium eſt autem & horrendum damnatos viatoribus comparare. Quis etiam credat æquiſſimum rectiſſimumque Judicem plectere reum, cui non eſt amplius ad bene agendum libertas? Hæc & conſimilia plura Theologi non vulgares.

Huic præcipuæ argumentationi obvia eſt ex 3. theſi reſponſio. Non eſſe peccatum, ubi non eſt libertas, & omnia præcepta eſſe impiiſſimis etiam & obcæcatis poſſibilia potentia ſaltem remota, eſt prorſus indubitatum. Majorem itaque concedimus, animadvertentes tantum percelebres Thomiſtas affirmare quidem Deum nemini denegare auxilium, & etiam ſingulis dare, in quantum *dare* idem eſt ac præparare & exhibere, non autem prout opponitur vero *accipere*; ut teſtatur Gonzales, & proculdubio docet Bannes, quem primum opponunt. Diſſentiri aliquos fatemur: ſed eruditus Lemoſius ait id ſe vehementer mirari, & Doctores iſtos S. Thomæ doctrinam deſerere, & contrariæ aſſentiri. Legatur caput 20. de Gratia ſufficiente n. 301. tract. 3. 2. p. tom. 4. Panopliæ. Ad minorem dico nullam eſſe in peccando neceſſitatem, ſed libertatem indifferentiæ quantum *ad exercitium*, ideſt in optione malorum. Imo S. Thomas docet abſolute, quod, *poteſt contingere quod aliquis ſit impotens ad faciendum quod oportet: quod ſi ſit propter ejus culpam præcedentem, puta cum aliquis de ſero ſe inebriavit, & non poteſt ſurgere ad matutinas, omiſſio imputatur ad culpam propter cauſſam præcedentem, ex qua omiſſio ſequens redditur voluntaria*. Ita 1. 2. q. 71. art. 5. 2. 2. q. 79. art. 3. ad 3. & q. 150. art. 2. & 4. necnon in III. contra Gentiles cap. 160. Quæ tamen ita accipienda ſunt, ut imputetur peccatum, quando eſt *in exercitio* libera mediorum electio, aut quando dum ponitur cauſſa, prævidetur, aut potuerit, ac debuerit prævideri effectus conſequens. Reſpectu autem bonorum operum, ſentio carentem auxilio ſufficienti non habere potentiam proximam, peccare tamen illorum omiſſione, quoniam ejus *impotentia* eſt libere volita; nam ideo non poteſt, quia per pravam erga malum voluntatem ponit potentiæ *proximæ* impedimentum. Ergo cum hæc voluntas ad malum ſeipſa libera ſit libertate indifferentiæ, quæ ſufficit ad peccatum, impotentia per hanc voluntatem inducta non excuſat a culpa.

Ceterum potentia *remota* ſemper in hac vita ſupereſt cuilibet peccatori, quoniam adjuvari poteſt a Deo, & *quæ per Amicos poſſumus, aliqualiter per nos poſſumus*, ait S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 4. ad 2. At dicis, quid ſi amicus nolit opem ferre? Reſpondeo Deum non defuturum, niſi tu ponas impedimentum. Quamquam inter Deum, & amicos hoc intercedit diſcrimen, quod poſſunt a nobis ſine amicorum auxilio aliqua fieri, ut ad illos ire, & ab illis velle adjuvari; cum tamen in bonis operibus nihil ſit noſtrum, quin a Dei gratia miſericorditer præveniatur: ut in illum Thomæ locum obſervat illuſtris Thomiſta Franciſcus Sylvius. Atque ita verum eſt, quod ſæpe diximus cum Auguſtino, malum nullam habere cauſſam niſi ab hominum voluntate; bonum vero a voluntate divina, a qua denegatur quidem gratia juſto judicio reluctantibus & nolentibus, ſed miſericorditer impenditur cuicunque datur, ſive minus ſit iniquus, ſive iniquiſſimus, ut unuſquiſque cantet Domino miſericordiam, & judicium, & nemo, niſi in ipſo Domino glorietur.

Magnum etiam inter damnatos & viatores a gratia alienos diſcrimen intereſt. Quandiu enim vivunt iniqui, converti poſſunt a Domino gratiæ beneficentiſſimo largitore. Orat etiam pro ipſis Eccleſia Sponſa Agni, eiſque patet ſemper acceſſus ad Sacramenta, & ad largiflua piiſſimi Redemptoris vulnera. Quamobrem de nullo mortali homine deſperandum eſt; imo ſpes debet eſſe vividior, quandoquidem indigni quidem ſunt plurimi, ſed mediatorem habent digniſſimum apud Patrem, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Hoc bono expertes ſunt dæmones, & ſpiritus damnatorum, tametſi peccent libere, conſenſione antiquorum omnium Theologorum. Quare autem non demereantur, non eſt ex deficientia libertatis, ſed quia ſunt in termino, & omnia mala opera exercent cum eadem malitia, eademque ab ultimo fine averſione. Eamdem ergo ſortem eſſe damnatorum, reproborumque viventium, & utroſque peccare in eo, quod vitare non poſſunt, magnum eſt Calviniſtarum, & Janſenianorum deliramentum. Reperiuntur inter viventes nihiloſecius nonnulli, quos adeo tenebræ comprehendunt, & quos ira tradidit Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, & in paſſiones ignominiæ, ut ad ſextam objectionem Vincentii ſcripſerit S. Proſper: *Multorum hominum malitia talis eſt, qualis eſt dæmonum: ſed hoc inter malos homines diſtat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis ſupereſt, ſi Deus miſeratur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla eſt in æternum ſervata converſio*. Arbitror autem iſtiuſmodi reſponſiones doctrinæ veterum Theologorum circa libertatis naturam magis eſſe conformes, ad intelligendam Auguſtini contra Pelagianos ſententiam perutiles, & ad revincendos Janſenii gregarios aptiſſimas. De qua re alibi dictum ſatis.

Sed jam ad extrema libri propitio Numine perventum eſt. Elaboratum cum in iſto, tum in præcedentibus, ne in difficillimis circa Gratiam & libertatem quæſtionibus, quod ad hiſtoriam, quod ad dogmata, quod ad Scholæ placita pertinet prætermiſſum eſſe videatur. Quod an aſſecutus fuerim, prorſus ignoro. Id fortaſſis non perfeci, at conatus ſum equidem. Si Auguſtinianæ Scholæ commodum aliquod attuli, quod optime ſentio vel nullum eſſe, vel perexiguum; fruere, Lector, æquo animo diſſertatiunculis, & quas exhibui hactenus, & quas ſubinde producam. Nunc, quoniam initium fecit libro Doctor Aquitanus finem ſtatuat ejuſdem Doctoris

EPIGRAMMA.

Cæleſtem ad Patriam tendens cognoſce Vocantem,
Cujus proveheris, ſi bene curris, ope.
Nam ſi te virtute tua ad cæleſtia credis
Scandere, de ſuperis pulſus ad ima cades.

OPUSCULUM,

In quo de Gratia ſufficiente pertractatur.

» Plura de Gratia ſufficienti & de efficaci hactenus dicta ſunt: ſed quæſtionis difficillimæ, & quæ torquet plurimorum ingenia, difficultas atque amplitudo poſtulant, ut nonnulla ſubjiciamus. Ac primum ad memoriam revocandum eſt quid ſit gratia illa *ſufficiens*, de qua diſſeritur. Neque enim gratiæ *ſufficientis* nomine illam intelligimus, quæ ſine alterius ſupernaturalis auxilii adminiculo ſalutare opus exequitur: ſiquidem illius modi gratia eſt *efficax*, quocumque tandem modo efficax ſit; eamdemque gratiam efficacem non omnibus ſingulis que hominibus adeſſe quolibet momento, puto experientia compertum eſſe, idque a nemine denegari. Quis enim ſanæ mentis ibit inficias, complures tranſgredi divina præcepta, & a Deo non ita vocari, ut vocantem ſequantur? De gratia itaque *ſufficienti*, quæ ab *efficaci* diſtinguitur, proculdubio diſputant Theologi, ubi inquirunt an conferatur univerſis hominibus, an juſto Dei judicio aliquibus ſubtrahatur.

» Eſt autem auxilium *ſufficiens* idem ac gratia excitans, nempe nobis mentis illuſtrationem, & voluntatis affectum inſpirans, at non illam *certam ſcientiam* & *victricem delectationem*, quam aliquando Deus nec tribuit ſanctis ſuis, ut humiliores ſint, & inſiſtant orationibus,

» con

„ conſcii propriæ infirmitatis, nec ignorantes quid neceſſum ſit a Domino poſtulare. Cum vero ſancta cogitatio, rerumque divinarum perceptio ſit opus mentis, piumque boni deſiderium ſit motus voluntatis, conſequitur ad conſtituendam *ſufficientem* gratiam duo requiri, Deum ſcilicet præmoventem & inſpirantem, ipſamque mentem & voluntatem humanam, quæ cogitat ac deſiderat. Quare abſque ullo prorſus actu intellectus & voluntatis gratia *ſufficiens* apprehendi nequit: ac bene ſapienterque aiebat lib. 6. de Grat. & de lib. arb. cap. 15. Venerabilis Bellarminus: *Cogitare, & deſiderare ſunt actus mentis & voluntatis; quare fieri non poteſt, ut quis ſine actu ſuo ad cogitandum, & deſiderandum excitetur.* Eſtius quoque magni nominis Theologus in 2. ſent. diſt. 26. §. 11. producto canone 4. ſeſſionis ſextæ Tridentini Concilii, a quo anathema infligitur aſſerentibus liberum hominis arbitrium a Deo *motum & excitatum nihil cooperari, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere*; producto, inquam, canone illo, eoque non tantum de gratia cooperante, verum etiam de gratia excitante & movente explicato, ſcite Eſtius infert excitantem ipſam gratiam non conſiſtere *ſine motione aliqua liberi arbitrii ad bonum*. Nec aliter fieri poteſt, prout manifeſta ratio ſuadet. Cum enim cogitatio mentis, & voluntatis affectio a creaturæ rationalis potentia promanent, ac ſint, quemadmodum ſchola loquitur, *actus vitales*, neceſſum eſt illos a facultate intelligente ac volente *formaliter* proficiſci. Quare Joannes Gonzalez Legionenſis, quem inter optimos Fratrum Prædicatorum Theologos connumerare ſoleo, in quinta Controverſia de Auxiliis art. 5. ea quæ ſequuntur, conſcripſit: *Auxilium ſufficiens eſt idem quod gratia excitans. Impoſſibile eſt quod Deus excitet, & moveat animam active per gratiam excitantem, & quod ipſa formaliter in ſeipſa non moveatur. Ergo per aliquem vitalem actum a ſeipſa elicitum movetur ſeu excitatur: anima enim nunquam movetur vel excitatur actualiter, niſi eliciendo aliquem actum.* Haud ſecus ratiocinantur Thomiſtæ reliqui: in quorum teſtimoniis proferendis, cum nulla mihi in ea re ſuppetat difficultas, conſulto abſtinendum eſſe cenſeo. Occurrent tamen ſponte ſua tractatus illorum, ac maxime qui tempore congregationum de Auxiliis floruerunt, ſedulo pervolutanti. Duo ergo ſunt gratiæ *ſufficientis* ſive excitantis principia; unum Deus excitans ac movens, alterum humana mens & voluntas excitata & præmota: nam & hæc ſuorum actuum eſt cauſſa; cum liberum arbitrium non moveatur duntaxat extrinſecus veluti quoddam inanime, tanquam currus, aut rota figuli, ſed habeat quoque in ſeipſo ſui motus cauſalitatem. Sive autem dixeris Deum illorum actuum, qui in gratia excitante reperiuntur, cauſſam efficientem, mentemque & voluntatem humanam cauſſam formalem; ſive Deum appellaveris cauſſam principem, animumque noſtrum mente & voluntate præditum cauſſam ſecundam; nullam ego movebo quæſtionem: neque forſitan quiſpiam erit, qui cauſſarum partitionibus, muneribuſque perceptis, percellatur aliquantulum quæſtiunculis hujus generis.

„ Hinc videor mihi diverſas Doctorum circa naturam, ac definitionem Gratiæ ſententias facillime revocare poſſe ad concordiam. Sunt enim, qui illam conſtituunt in Deo *intime nobis præſente*, qui in ejus *activa excitatione, ac præmotione*, & qui *in actibus indeliberatis intellectus & voluntatis*. Primi itaque principium efficiens gratiæ potius nobis definiunt, quam gratiam; ac ſi quis gratiam ita acceptam ſingulis hominibus adeſſe negaret, hunc ego ſtipitem, ſeu hominem deſtitutum ratione, aut proculdubio blaſphemum, & divinæ immenſitatis ignarum, certiſſime nuncuparem. Etenim Deum eſſe præſentem unicuique noſtrum, atque in ipſo Deo nos vivere, moveri, & eſſe, quamquam id non tradidiſſet Apoſtolus, ea indita nobis divinæ immenſitatis idea & notione didiciſſemus. At ego Dei præſentiam, qua opitulante ad bonum agendum movemur, ſi appellare gratiam velimus, *Gratiam increatam* dicerem, non creatam illam, commutabilem, & incrementi ſuſceptricem, quæ nobis divinitus inſpiratur, & qua Deus modo tantum, modo minus, magiſque nos excitat, pro excellentia poteſtatis ſuæ, & pro voluntatis ſuæ beneplacito. Verum Deus cuique præſens eſt gratiæ cauſſa efficiens, ſuprema & libera: nec poteſt per ſolam Dei præſentiam gratiæ natura explicari, ſed addatur oportet aliqua Dei ubique præſentis operatio. Illi ergo, de quibus ſecundo loco dicebamus, & qui *in divina motione* Gratiam conſtituunt, propius ad veritatem accedunt; ſed minime quid gratia præſtat nobis exponunt, ac videntur modum, quo in nobis gratia efficitur, explicare, non gratiam ipſam, eamque duntaxat ſpectare relate ad Deum moventem, non vero comparate ad illum effectum, qui a Deo movente, ſimulque a mente, & voluntate humana producitur. Ceterum Dei motionem ſeu excitationem requiri ut a nobis actus ſanctæ cogitationis, & ſanctæ voluntatis eliciantur, eſt res adeo comperta, ut a nemine queat in dubium verti. Sinamus itaque illos, qui in divina motione gratiam ſitam eſſe contendunt, in proprio ſenſu abundare: neque enim congruum eſt, in hiſce quæſtionibus, quas unuſquiſque pro mentis ſuæ captu, veritate minime violata, reſolvit, quemlibet noſtrum nimia ſollicitudine angi. Profecto tertii, qui excitantem gratiam locant *in actibus indeliberatis intellectus & voluntatis*, ſive in ſancta cogitatione & pio deſiderio nobis a Deo præmovente & excitante inſpiratis, melius, me quidem judice, naturam gratiæ declarant: nam Dei motionem, cauſſamque gratiæ efficientem, & cauſam quoque *elicitivam*, & utriuſque effectus complectuntur: cauſſam *primam & effectricem*, dum commemorant Deum excitantem ac præmoventem; *elicitivam*, dum actus vitales memorant qui eliciuntur ab anima, atque *effectus* itidem cauſæ utriuſque, dum actus indeliberatos ad cogitationes mentis, & ad voluntatis deſideria coarctant. Cunctos itaque hoc pacto poſſumus conciliare, ut aſſeramus primos gratiam *ſufficientem* definire in ordine ad ſupremam cauſam, alios comparate ad ipſius cauſæ efficientiam ac præmotionem, poſtremos denique relate ad actus in nobis & a nobis ea præmotione productos. Et hæc eſt noſtra diverſa ſentientes conciliandi ratio expedita & planiſſima. Si tamen ceterorum mentem non aſſequimur, non eſt cur nobis debeant hi ſubiraſci: quoniam concordiam curantes nemini irrogamus injuriam: neque enim diſſentientes offendit quiſquis illos conciliare, & trahere in eamdem ſententiam adnititur. At hæc quæſtio de Gratiæ definitione tradita ab aliis parvi momenti eſt, non talis, in qua neceſſum ſit immorari diutius. Profecto ſi quis a nobis peteret, quomodo in nobis fiat prædicta motio, & excitatio, an per intimam Dei præſentiam & immediatam operationem, an per qualitatem phyſicam a Deo diſtinctam; fateremur ultro, libenterque ignorantiam noſtram. Enimvero, multis licet philoſophis tradentibus, nondum plane intelleximus quomodo in nobis variæ cogitationes & deſideria repente conſurgant: multo minus percipere poſſumus qua ratione in nobis operetur Deus altiſſimus & omnipotens. Phyſicam quoque qualitatem, per quam Deus ſupernas illuſtrationes pioſque motus cordis in nobis excitat, ſi nitamur adſtruere; rem agere ſupra vires ingenioli noſtri imprudenter audacterque conabimur. Aliorum ergo de phyſica illa qualitate judicia vellicare non audemus, & quale proferri a nobis debeat, prorſus neſcimus. Obſecro, ut mentis noſtræ tarditati benevolus lector ignoſcat. Aſſerimus nihilominus, & abſque ulla ambiguitate fideliter firmiſſimeque credimus nihil boni poſſe nos cogitare ex nobis, quaſi ex nobis: omnem ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe, & omne donum perfectum deſcendere ex Patre luminum. Illud quoque fide firmiſſima profitemur, miſericordiam qua nobis Deus gratiam largitur, juſtitiam, qua illam aliquibus denegat, quemadmodum omnipotentiam, qua mundum e nihilo condidit, providentiam, qua cuncta gubernat, atque omnia infinitæ & incomprehenſibilis Divinitatis attributa, non eſſe qualitates adventitias, ſive accidentia, ſed eſſe realiter Deum ipſum, quocunque tandem modo diſtinguantur diſtinctione, quæ non ſit rei a re, juxta diverſa placita Scholaſticorum. Ergo quod ad præſens adtinet inſtitutum, a Deo, qui eſt ſua miſericordia, ſua virtus, ſua operatio, occulto ac mirabili modo immittitur mentibus noſtris lumen ut cognoſcant quæ recta ſunt, & affectus ut poſſint cognita facere: atque in ea cognitione, & in eo affectu gratia excitans ac præveniens plerumque a Theologis conſtituitur.

„ Ipſorum Theologorum nullatenus repudiata quam tradunt Gratiæ definitione, nos expreſſius, ut opinor, quinam ſint actus illi mentis & voluntatis indeliberati explicamus, tradentes gratiam eſſe illuſtrationem ſupernæ lucis, & ſanctæ dilectionis inſpirationem. Etenim perſpicua eſt definitio illa Gratiæ ex Auguſtino deprompta, lib. 4. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 5. lib. de Grat. Chriſti cap. 39. *Gratia eſt inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus.* Obvia ſunt inſuper plurima illa loca, in quibus S. Pater adverſus Pelagianos de Gratia diſputationem inſtituens, hanc modo appellat *boni cupiditatem*, modo *voluntatem bonam*, modo *ſanctam dilectionem & delectationem*, modo *inſpirationem caritatis*, modo conſimilibus vocabulis, quæ omnia piam cordis affectionem ſignificant. Quoniam vero non ſemel S. Patris verba produximus, eaque collecta ſunt cum in libro de Hæreſi Pelagiana qui comprehenditur in hoc ipſo volumine, tum in vindiciis noſtris contra Epiſcopum Ruthenum; ab iiſdem repetendis modo abſtinemus. Illius quoque definitionis rationem habemus a beatiſſimo Auguſtino commonſtratam in ſecundo libro de peccatorum meritis & remiſſione cap. 17. num. 25. ubi poſteaquam ait nolle homines facere quod juſtum eſt, *ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat*; atque inde intulit ignorantiam & infirmitatem duo eſſe vitia, *quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum*

Digitized by Google

„ *dum bonum, vel ab opere malo abſtinendum*: poſteaquam hæc ſapientiſſimus Auguſtinus aſſeruit, addidit e veſtigio, *Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates*. Quamobrem ut gratiæ muneri adſcribamus irradiationem mentis quæ percipit quod antea latebat, & ſuavitatem atque dulcedinem qua cor trahitur ad bonum quo antea non delectabatur, facit non tantum Auguſtini auctoritas quam plurimi optimo jure æſtimamus, verum etiam tradita ab illo ratio, ſpectantibus peccatorum originem, ac præſertim originariæ labis conſectaria, obvia ſatis ac manifeſta.

„ Qui reſpuunt illam gratiæ definitionem, ea maxime de cauſa permoventur, quod alia præter amorem & caritatem principia bonorum operum dentur, ut timor domini, ac ſpes, quæ duo ſine caritate perſiſtunt. At primum hi negare non poterunt, nos eamdem definitionem ab Auguſtino accepiſſe. Quo ſenſu a Sancto Patre ac Doctore traditam volunt, eodem ſenſu a nobis repeti fateantur. Si enim S. Pater caritatem & dilectionem accepit pro quolibet cupiditate boni, ſeu pro quolibet motu & affectu bonæ voluntatis, propterea quod timorem ac ſpem, quæ ſine caritate, & ſine gratia perſeverant, ſæpenumero commendavit; idem de nobis ſentiant neceſſum eſt, quoniam diſerte timoris ac ſpei virtutes & actus a gratia proficiſci, & ſine caritate, & gratia ſanctificante conſiſtere, non uno in loco affirmavimus: quod ex librorum noſtrorum lectione, atque ex Apologeticis lucubrationibus ſatis ſuperque manifeſtum eſſe arbitramur. Si vero ita Auguſtinum interpretantur, quod gratiam conſtituerint in ſanctæ dilectionis inſpiratione, quia ut plurimum voluntas trahitur amore, quamvis interdum timore quoque moveatur, & retrahatur a malo: quare, obſecro, eadem ratione non accipiunt quod nos de Gratia Auguſtini verbis protulimus, dum & ipſi timorem cohibere nos a malo, a gratia excitari, bonum eſſe, ad juſtificationem ſaltem remote diſponere, pertractantes de virtutibus, & de Sacramento Pœnitentiæ liquido luculenterque affirmavimus? Non eſt itaque cur aliqui nobis ob prædictam Gratiæ definitionem lites intentent, niſi forte eorum ſub noſtro audeant Gratiæ Chriſti Athletam dicteriis & maledictis inceſſere. Quamquam, ut iſtud addam, allata Gratiæ definitio etiam timori, ac ſpei congruit quammaxime. Ac ſpem non eſſe abſque cupiditate boni, ſive abſque amore, quem Scholaſtici appellare ſolent amorem concupiſcentiæ, nemo penitus diffitetur. Quomodo etiam in ſpe Chriſtiana debeat caritas reperiri, erudito de Juſtitia Opuſculo demonſtravit Archiepiſcopus Turonenſis, quem Janſeniani erroris quidam debitæ Præſulibus reverentiæ, & fraternæ caritatis obliti, fruſtra non ante plures annos inſimularunt. Hujus tamen ſententiam exponere noſtra non intereſt in præſentiarum; quippe ſat eſt ad omnem exſufflandam a nobis calumniam, ſi teſtemur, quod rurſum, iterumque ſæpetimus, nos in Gratiæ definitione uſurpaſſe cum Auguſtino vocabulum *Caritatis*, pro quacunque divinitus inſpirata boni cupiditate. Timorem vero proficiſci ab amore faciliime ſuadetur. Nam voluntas amore trahitur ſolummodo, neque malum timeret, niſi bonum appeteret. Idem ergo amor qui ſertur in bonum efficit ut timeamus malum quo a bono divellimur; quemadmodum eadem caritas qua diligimus Deum facit, ut odio habeamus peccatum, quo a Deo ſejungimus, ejuſque amicitia privamur. At de Auguſtiniana, ac noſtra gratiæ definitione dictum eſt ſatis.

„ Prædicta definitio communis eſt tam gratiæ ſufficienti, quam efficaci: quod enim competit alicui generi, id convenit ejuſdem generis ſpeciebus. *Sufficientem* gratiam, ut ab efficaci ſecernitur, illam dicimus, quæ caret effectu cujus excitat cogitationem in mente, & deſiderium in corde. Dari in hoc ſtatu hanc gratiam ſufficientem fide firmiſſima tenendum eſt. Damnatum oppoſitum in ſecunda Janſenii propoſitione. Plura dixi de hac propoſitione præcedenti libro, & in ſubjecta, additaque huic editioni Appendice. Paucis modo rem ex Auguſtino conficiam. Nam S. Pater de Gratia & lib. arbitrio cap. 17. necnon de Prædeſt. SS. cap. 8. docet voluntatem a gratia excitatam aliquando eſſe *magnam & robuſtam voluntatem, quæ aufert cor lapideum & dat cor carneum*, aliquando autem eſſe *parvam & imperfectam, parvam & invalidam voluntatem*. In libro quoque ſecundo de Peccat. meritis & remiſſ. cap. 19. ait S. Doctor Dominum Deum etiam Sanctis ſuis, quibus auxilia ſufficientia non denegat, alicujus operis juſti aliquando non tribuere *vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem*. Rurſus in libro 1. ad Simplic. q. 2. num. 21. docet S. Pater orationem noſtram aliquando *ſic tepidam eſſe, vel potius frigidam, & pene nullam, imo interdum ita nullam, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus*. Præterea in lib. de Corrept. & grat. S. Doctor duplex adjutorium accurate diſtinguit, unum *ſine quo non*, quod det poſſe, non autem velle; & alterum *quo*, nempe quod non tantum dat poſſe, ſed etiam velle, & quo fit, ut faciamus, primum ſufficiens, efficax alterum: cumque illud dixerit collatum primo homini, utrumque in hoc ſtatu dari affirmat, ſcribens cap. 12. *Nunc vero Sanctis in regnum Dei prædeſtinatis non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint*. Ex quo loco S. Thomas in 1. 2. q. 109. art. 10. ad 3. duplex illud adjutorium, ſufficiens, & efficax, in hoc ſtatu admittendum eſſe demonſtrat. In libro denique de Dono Perſev. cap. 8. haud obſcure Auguſtinus utrumque adjutorium commemorat, *docens inſcrutabilia eſſe judicia Dei*, cur ex duobus impiis ætate jam grandibus *unus ita vocetur ut vocantem ſequatur*; En gratia efficax: *alter autem aut non vocetur, aut ſi vocatur, non ita vocetur ut vocantem ſequatur*; En gratia quæ caret effectu ac ſufficiens. Quid enim eſt gratia illa, quæ cor lapideum non aufert & a duro corde reſpuitur, quæ parvam voluntatem inſpirat, non robuſtam atque perfectam, ſine qua operari, ut oportet, non poſſumus, ſed qua non fit ut nonniſi operantes ſimus: quid eſt gratia, quam frequenter impii recipiunt dum ad pœnitentiam vocantur a Deo, ſed non ſequuntur vocantem, niſi gratia, quæ ab efficaci diſtinguitur, & cui interius animam excitanti in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtitur?

„ Qui nimio ſtudio Janſenium ab omni errore purgare ſatagunt, ſolent reponere ab illo nequaquam denegari auxilium ſufficiens paullo ſupra ex Auguſtino deſcriptum, quo nempe in nobis ſancta cogitatio, & voluntas bona, parva & imperfecta excitatur: ſed impugnari auxilium ſufficiens Moliniſtico ſenſu, illud nempe, quo collam nullum aliud præmovens ac prædeterminans liberum arbitrium ad actum requiritur, non vero illud, quo datur poſſe, & quod ſe tenet ex parte potentiæ; exigit autem, ut hæc prodeat in actum, adjutorium actionis ſuapte natura determinatum & efficax. De quo duplici ſenſu in libro de Hæreſi Janſeniana, & in ſubjecto Additamento memini me pertractaſſe. Porro hæc Apologiſtarum Janſenii reſponſio videtur hujus elocutionibus valde cohærens. Novus enim dogmatiſta libro 2. de Grat. Chriſti Salvatoris cap. 1. ad hunc loquitur modum: *Gratia Salvatoris multiplex eſt, habitualis ſub qua & remiſſio peccatorum continetur, actualis alia; quæ rurſum a Scholaſticis Doctoribus dividi ſolet in ſufficientem & efficacem: de quarum ſingulis multæ magnæque vigent controverſiæ*. In lib. 3. cap. 1. Janſenius perſpicua magis declaratione ſeſe explicat, ſcribens: *Vocantes autem illam ſufficientem gratiam, ſeu ſufficiens adjutorium præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii neceſſarium eſt, ut homo velit, aut operetur, ſic enim a multis recentioribus, & vulgo fere accipi ſolet. Quod ſi vero accipiatur, ut ſufficiens dicatur, ſicut a quibuſdam dicitur, quod ſatis eſt, ut homo poſſit operari, quamvis adhuc aliud neceſſarium ſit ut de facto operetur: de hujuſmodi ſufficienti gratia non eſt hic noſtra controverſia*. Quamobrem apertiſſime Dogmatiſta ſolam gratiam ſufficientem, qualem nobis Moliniſtæ delineant, ex hoc ſtatu naturæ lapſæ eliminat atque expellit. Neque eam ob rem redargui Janſenium debet, & oppugnari. Etenim priori ſenſu nullam dari hominibus lapſis auxilium ſufficiens, tradunt Doctores omnes, qui præter adjutorium ſufficiens, quod dat nudum poſſe, neceſſarium eſſe contendunt aliud auxilium efficax, quo Deus efficiat ut actualiter operemur. Ex quorum Doctorum numero laudantur ſingillatim eo loci Alvarez, Cumel, Navarrette, Sylvius, atque Facultates ſacræ Theologiæ Lovanienſis & Duacenſis in ſuis Cenſuris. Nihil videtur proferri poſſe magis apertum evidenſque ad commonſtrandum rejici a Janſenio ſolam gratiam ſufficientem, quam ſpectato potius ſenſu grammaticali, quam theologico, Moliniſtæ deſcribunt. Ad hæc cum Habert ægre ferens Opuſculum Gallice inſcriptum „ Dénonciation de la Theologie de M. Habert, addreſsée à S. E. M. le Card. de Noailles Archevêque de Paris, & à M. l' Evêque de Châlon ſur Marne „ adverſarios ſuos Janſenianæ hæreſeos inſimularet, ipſos Reſponſione ſua pag. 22. viciſſim reprehendit, quod nullam cum Janſenio interiori gratiæ veram propemodum admitterent reſiſtentiam. „ Le dernier ſubterfuge des Janſéniſtes (inquit Habert) c' eſt d' expliquer la réſiſtance à la grâce intérieure d' une maniére captieuſe, qui exclut la réſiſtance véritable, & qui n' eſt priſe, ſelon eux, que pour un effort de la cupidité, ſelon l' Hiſtoire des cinque Propoſitions, pag. 533. & 534. „ At hujus Reſponſionis refutator, ſive auctor Operis, cui titulus „ De l' injuſte Accuſation de Janſeniſme, Plainte à M. Habert, „ quo ſane Opere Habertus fertur incredibili animi mœrore affectus,

„ illam

illam de negata reſiſtentia calumniam a ſe propulſat, ſecundamque propoſitionem Janſenio adſcriptam fatetur hæreticam eſſe, meritoque damnatam: ſed ait poſſe Janſenium quoque facili negotio defendi, ſi quis ſubire velit hanc inutilem plenamque odio provinciam. Janſenii vero defenſionem, quam ait ſuum non eſſe exornare, his verbis magna exequitus dexteritate. „ Quoique, ait Sectione 57. pag. 181., je n' aie point ici deſſein de juſtifier le livre de Janſenius (car l'erreur y pourroit être contenue, ſans que ceux qui le defendent de bonne foi, fuſſent hérétiques) j' en rapporterai pourtant ici un paſſage déciſif contre l' accuſation que vous renouvellez. *Conſtat*, de Grat. Salvat. lib. 2. cap. 27. *divinitus mente colluſtrari*, *imo vero & ipſa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli*, *qui tamen ab ejus interna ſuaſione & inclinatione diſſentiunt*. „ His, aliiſque ſimilibus, ſi quæ ſunt in Janſenianis diſſertationibus, aſſerunt earum patroni ſecundam ex quinque famoſis poſitionem immerito adſcribi Epiſcopo Ipreſi, atque hanc uncialibus quadratiſque literis falſum illuſtrationes mentis, & motus a gratia in voluntate excitatos, quibus tamen liberum arbitrium obnititur, & reluctatur: dum autem contra ſufficientem gratiam acuit ſtylum, duntaxat illam rejicere, quam invexit Moliniſtica Schola, excludentem ſcilicet auxilium illud per ſe efficax, pro quo Auguſtinenſes omnes cum Thomiſtis navant operam, & ſtudioſe decertant.

„ Nollem ego, qui Eccleſiæ definitiones reverem, neque operam oleamque perdo in Æthiope lavando, ac præterea me hominem eſſe ſentio ignarum atque imperitum, poſteaquam a ſcopulis ſyrtibuſque feliciter enavigavi, me rurſus procellis committere, anſamque præbere calumniatoribus in me debacchandi. In quo enim ſitam credo hæreſim Janſenianam in libris de Theologicis diſciplinis, illorumque librorum vindiciis, quantum ingenioli mei patiebatur infirmitas, declaravi. Quæ itaque pro Janſenio nuperrime dicta ſunt, paucis expendam. Revera idem Janſenius libro 2. de Grat. Salvat. cap. 1. affirmat a Scholaſticis Doctoribus gratiam actualem dividi *in ſufficientem & efficacem*: ſed ea diviſione penitus prætermiſſa, immediate aliam tradit gratiæ partitionem, *in gratiam ſani hominis*, *& ægroti*, cum priori libertatem agendi vel non agendi, quam appellamus libertatem indifferentiæ, cum ſecunda gratia ſolam libertatem a coactione, quæ cum neceſſitate conjuncta eſt, & libertatem indifferentiæ deſtruit omnino, apertiſſime conjungens. Negat itaque Janſenius gratiam ſufficientem, quæ non ſit efficax, eſſe gratiam *hominis ægroti*, eo progreſſus ut ſcribat, ſi in hoc ſtatu admittenda ſit libertas agendi, & non agendi, *evitari non poſſe graviſſima abſurda*, *quibus non ſolum doctrina Auguſtini funditus concutitur*, *ſed etiam ſenſus Chriſtianæ pietatis læditur*, *& communis offenditur*. Atque hæc ſunt verba Janſenii in eodem opere de Grat. Salvat. lib. 7. cap. 14. Quo in loco ulterius ait, ſi nulla alia ſit libertas, quam agendi, & non agendi, ſeu faciendi & abſtinendi ab eo quod facis, ſequitur *operationem divinæ gratiæ e diametro repugnare arbitrii libertati*. Hinc etiam tertia ex proſcriptis quinque propoſitionibus, tamquam ex impuro fonte cœnoſus rivulus, fluit. In lib. 3. cap. 5. utique Janſenius deſcribit gratiam ſufficientem, quæ talis eſt Moliniſtico ſenſu; in hac ita minime redarguendus, conſentientes cum habeat omnes gratiæ per ſe efficacis propugnatores. Verum explicata ibidem gratia ſufficienti ſenſu Thomiſtico, aſſerit iſtam non eſſe gratiam Chriſti, de qua Theologi diſputant; ſubjicit enim: *Talem*, Gratiam, *ſufficientem* fortaſſe *non difficulter S. Auguſtinus admitteret*, *quamvis eſſe illam veram Chriſti gratiam*, *de qua quæſtio eſt*, *pernegaret*. Si autem libro 2. cap. 27. fatetur Janſenius dari etiam in hoc ſtatu colluſtrationes mentis, & motus quoque a divina gratia excitatos in voluntate, quibus tamen ii, qui motibus iiſdem percelluntur, interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiant; neque in hoc videtur redarguendus. In hoc enim a vero aberrat, quod velit hujuſmodi motibus diſſentiri neceſſario, non libere; ſiquidem in Janſeniano ſyſtemate ubi a gratia non inſpiretur ſancta delectatio vividior ac ſuperior delectatione carnis, homo neceſſitate ſuccumbit; & motus voluntatis, qui noxiam cupiditatem non ſuperent, parvam ſolum inclinationem complectuntur, in qua neceſſum eſt liberum arbitrium repeſcere, & iniquius evadere, niſi a Deo victrix delectatio excitetur. Cum inſuper Gratia, quæ tenues illas mentis colluſtrationes parvamque voluntatem inſpirat, non ſit in ſenſu Janſenii ſufficiens ut liberum arbitrium operetur, atque in ſententia ejuſdem Janſenii ad hoc tantummodo conferatur, quod efficaciter præſtat, non ut voluntas in actum ulteriorem perfectumque prodire poſſit, ſi velit, conſequens eſt, illam gratiam nec eſſe ſufficientem ſenſu Thomiſtico, *ſed adjutorium quo* comparate ad effectum illum, quem habet; non *adjutorium ſine quo* relate ad actum perfectum, cujus neque operationem tribuit, neque potentiam. Abjiciunt itaque Janſeniani ex hoc ſtatu naturæ lapſæ auxilium gratiæ ſufficientis, ſive iſtud cum Moliniſtis definias, ſive cum Thomiſtis; tametſi ſpecioſis verbis ſe a Thomiſtis non recedere interdum dictitent. Id ſane de Janſenianis teſtatur Archiepiſcopus Cameracenſis de Fenelon, nomen apud Moliniſtas laudatiſſimum, cujus de Gratia Collectiones defloraſſe & in ſuam Hiſtoriam e Gallicana in Italam linguam tranſtuliſſe fertur Maffejus, regreſſus a Gallis hiſce mercibus opulentior. Cujus rei num fama verax ſit, num mendax, parum mea refert, nihilque derogatum volo honori eloquentis celebriſque Scriptoris. Præſul igitur Cameracenſis Janſeniſtam, cum quo digladiatur epiſtola 9. pag. 22. ita alloquitur: „ *N' eſt il pas vrai*, *que la Grace*, *dont vous parlez*, *eſt la grace intérieure & actuelle de tout l' état preſent*, *en ſorte que comme Adam au Paradis terreſtre avoit la ſeule grace de ſimple pouvoir*, *que vous nommez* le ſecours ſine quo non, *ſans avoir aucune grace efficace ou d' action*; *le genre humain depuis ſa chute a au contraire la ſeule grace d' action ou efficace par elle même*, *que vous nommez* le ſecours quo? *En un mot ne croyez-vous pas que comme le ſecours ſine qua non étoit l' unique Grace du premier état*, *juſqu' à en exclure* le ſecours quo, *de même* le ſecours quo *eſt l' unique grace de l' état preſent*, *juſqu' à en exclure* le ſecours ſine quo non?

„ Hæc quidem Cameracenſis Antiſtes. Sed illorum, qui ætate noſtra pro Janſenio pugnarunt, non quidem quinque probando propoſitiones, id enim jam nulli audent, aut certe perpauci, ſed qui eumdem Janſenium a pravo damnatoque ſenſu autumant abhorruiſſe, plures exiſtimant dari etiam in hoc ſtatu *adjutorium ſine quo non*, ſed iſtud quoque efficax eſſe, & phyſicæ prædeterminationi conjunctum, quam tam integræ, quam lapſæ naturæ neceſſarium eſſe contendunt. In qua ſententia fuit Petitpied in poſthumo Opere de Libertate, vix a ſuis Antonio Arnaldo comparatus, atque Anonymus qui anno 1756. pro ea ſententia Epiſtolas Apologeticas in lucem edidit. Ex quo probe intelligitur, diſputare pro diſcrimine adjutoriorum utriuſque ſtatus, quod nemo unus inficiabitur tradi ab Auguſtino in libr. de Corrept. & Gratia, & aſſerere in priori ſtatu naturæ ſanæ *adjutorium quo* minime neceſſarium fuiſſe, falſo & imperite dici Janſeniſmi teſſeram & characterem; cum etiam qui vocantur Janſeniani in hac quæſtione diſſentiant, & diſcrimen ipſum moleſte ferri a Semipelagianis teſtetur in ſua Epiſtola ad Auguſtinum beatus Proſper. Brevi controverſiam iſtam diſcutere oportet. Tradunt unius partis Janſeniſtæ *adjutorium ſine quo non* collatum fuiſſe Adam ut poſſe perſeverare, auctore Auguſtino, ideoque proprium eſſe ſtatus innocentiæ, non culpæ: Negant id theologi alterius partis, propterea quod Auguſtinus ſubjicit, *nunc* adjutorium ipſum *ſine quo non* aliquibus deeſſe in pœnam peccati, aliquibus miſericorditer dari. Inſurgunt illi, adjutorium *ſine qua non* futurum fuiſſe in Adam permanens, niſi illud deſeruiſſet; cum adjutorium *quo* & phyſice prædeterminans momentaneum ſit, ac præſens tantummodo quando liberum arbitrium actu operatur: ſed hi occurrunt reſpondendo, tam adjutorium *ſine quo non*, quam adjutorium *quo* eſſe gratiam actualem, non habitualem; ideoque non conſiſtere in aliqua re permanente, ſed in motu interiori mentis & cordis tranſeunte, & rurſus adveniente. Aſſertio illorum eſt, adjutorium *ſine qua non* dediſſe *poſſe* perſeverare, non actu perſeverare, quod præſtat auxilium *quo*; unde illud, non iſtud, eſt efficax, ac prædeterminans phyſice; at illi reponunt, conferri *poſſe* per ſanctam inſpirationem quæ præcedit actum, hæc autem inſpiratio phyſica prædeterminatione producitur; & ideo adjutorium *ſine quo non* eſt phyſica præmotio comparate ad ipſam inſpirationem. Plura hinc inde producuntur argumenta, cuncta tamen iſtius generis. En contentio paucis verbis expoſita. Ex una parte inquiunt: „ Le *ſine quo*, qui donnoit le pouvoir, n' alloit pas au de-là, & ne donnoit pas le vouloir. La Premotion le donne „. Ex alia parte ajunt: „ Le *ſine quo* ne donnoit pas le vouloir conſéquemment à des attraits victorieux; mais il le donnoit conſéquemment à des attraits verſatiles, ſoumis au libre arbitre „. Ita præcitatus Anonymus pag. 66.

„ Videtur mihi hujuſmodi controverſia nullius momenti, ac pura puta Logomachia. Certiſſimum quippe eſt auxilium, quod eſt tantum ſufficiens in ordine ad actum, cujus excitat cogitationem aliquam, & deſiderium, comparate ad ipſam cogitationem, piumque deſiderium efficax eſſe. Id tradit etiam Schola Thomiſtica. Clariſſimus enim Lemos lib. 4. Panopliæ p. 2. cap. 7. num. 103. *Communis eſt*, inquit, *& vera Thomiſtarum ſen-*

„ ten-

„ *tentia, quod omne auxilium ſufficiens comparatione unius actus, ſemper eſt efficax ratione alterius, ad quem efficiendum ex abſoluto & efficaci decreto voluntatis divinæ ordinatur*. Idem docent Medina in 2. 2. q. 109. Alvarez diſput. 8. de Auxil. cap. 2. Joannes a S. Thoma in 1. 2. q. 111. art. 1. D. 34. Gonet tom. 1. diſput. 4. de Volunt. num. 147. Nazarius in 1. p. q. 28. art. 3. concl. 2. Gonzalez Controv. 5. art. 7. Contenſon lib. 12. diſſert. 2. cap. 2. Maſſuliè tom. 2. pag. 19. quos e Sacra Prædicatorum Familia ex plurimis laudavi, ut nullus audeat ſententiam, quam & nos alicubi amplexati fuimus, ad placita Janſeniſtarum repellere. Addamus Franciſcum Sylvium Duacenſis Academiæ jubar & decus, qui ut in reliquis omnibus, in hac etiam controverſia Thomiſtis adhærens in 1. 2. q. 113. art. 8. ait: *Revera omnis gratia eſt efficax alicujus effectus, ejus nimirum ad quem proxime ordinatur, & quem Deus abſoluta voluntate intendit, juxta illud Pſalmi* 113. Deus noſter in cælo, omnia quæcunque voluit, fecit; *quamvis non ſit efficax alterius effectus, illius ſcilicet, ad quem ulterius, tum ex ſe, tum ex voluntate Dei antecedente ordinatur*. Fulcitur communis iſta veriſſimaque Thomiſtarum ſententia evidenti ratione; ſiquidem percipi nequit, quomodo in mente piæ cogitationes piaque deſideria, quantumvis minima & imperfecta, excitentur ſupra creaturæ rationalis nativas vires, niſi illorum ſit motio divina principium efficiens. Quod itaque aliquis tradat quodlibet auxilium, etiam *ſine quo non*, & mere ſufficiens effectum habere aliquem, non eſt idcirco inſimulandus hæreſis Janſenianæ; *certum eſt* enim *gratiam ſeu dilectionem Dei ſemper aliquid, nempe id quod ei vult, in anima ejus efficere, quem diligit*, ut 12. q. 90. art. 1. ſcribit Doctor Angelicus. In eo cubat error & hæreſis, ſi dicas cogitationes, deſideria, extimulationes, omneſque actus imperfectos, qui antecedunt voluntatis aſſenſum, & a ſufficienti gratia excitantur, aut non eſſe gratiam Chriſti, aut ideo conferri iis, quibus non datur adjutorium *quo*, ſive perfectæ voluntatis atque operationis, ut in parva & invalida voluntate tepeſcant, & neceſſitate adacti illud tantum agant, ad quod a Deo præmoventur.

„ Sunt vero inſpirationes illæ interdum, ob mentis cordiſque, in quibus conſurgunt, cæcitatem atque duritiam, adeo exiles ac tenues, ut vix animus illas ſentiat, ſed alio cogitatione & voluntate diſtractis cito evolent, & evaneſcant. Quod non opus eſt argumentis evincere, cum id unuſquiſque experiatur in ſemetipſo. Contingit enim animæ quod ſponſæ typum ejus gerenti, ut dum pulſanti non aperit, & quandoque etiam poſtquam aperuit, declinet ſponſus & abeat. Atque id, cum in juſtorum anima, quæ tantum eſt ſponſa, fieri compertum ſit, haud vereor quin frequentius iis animabus eveniat quæ fornicantur ab illo. Sunt complures aſſerentes dari cogitationes & motus cordis, ſeu gratiarum ſufficientium dona, quæ ab habentibus non ſentiuntur. Id affirmantes in inſpirationibus imperceptibilibus & inſenſibilibus conſtituunt gratiam ſufficientem, ut inde facilius evincant nulli mortalium hanc gratiam, quamquam ejus motus non percipiatur, deeſſe. Verum cur his non ſubſcribamus, rationem reddere parati ſumus. Aliud eſt enim de habitibus, aliud de actibus judicandum. Profecto cognoſcere, & ſcire plura poſſumus, etiamſi de iis actu non cogitemus; quoniam neceſſe non eſt, ut habitus ſemper in actus erumpat. Nam neque ſemper dialecticus ratiocinatur, nec ſemper muſicus cantat, aut architectus ædificat. Hinc S. Thomas ait 1. 2. q. 77. art. 2. *Nihil prohibet aliquid ſciri in habitu, quod tamen actu non conſideratur*: & Magnus Auguſtinus lib. 10. de Trinit. cap. 6. num. 7. inquit: Neque enim *multarum doctrinarum peritum ignorare Grammaticam dicimus cum eam non cogitat, quia de medicinæ arte tunc cogitat*. Fatemur propterea dari habitus cum naturales, cum ſupernaturales, quorum actus non ſemper exerceantur. At actum exiſtere ſine actu chimericum eſt & prorſus repugnans. Invenìemus itaque gratiam habitualem abſque actuali cogitatione, & actuali voluntatis motu, nimirum quando juſtus legem Domini non meditatur, aut dormit, aut alio divertitur; cogitationem autem abſque perceptione mentis, deſiderium abſque actu voluntatis nequaquam poſſumus adinvenire. Quis vero imperceptibila dixerit quod percipit, & ignotum ſenſuſque omnes ſubterfugiens quod vult? Præterea ut exercere poſſimus opera naturalia, quorum nobis habitum aſſiduo ſtudio non comparavimus, ſit in exemplo, ut puer eleganter pingat apices litterarum, ut cantor & pſaltes ſervet varia momenta temporum, nihil adjumenti afferunt inſtitutiones, quas non percipimus. Multo minus ad peragenda opera, quæ ordinem ſupernaturalem excedunt, ſubſidio nobis eſſe poteſt imperceptibilis gratiæ adjutorium. Nulli ulterius uſui videtur futuram fore gratiam, cujus motio non capitur, nec ſentitur; quippe ad orandum, ad diligendum Deum, ad facienda quælibet pietatis opera nullo pacto movemur, niſi cognoſcamus infirmitatem noſtram, atque Dei miſericordiam & largitatem, niſi apprehendamus eſſe illum incommutabile bonum, ejuſque præceptorum rectitudinem perpendamus. Inſuper ſui ſuarumque operationum animam conſciam eſſe, communior eſt, ac verior Philoſophorum ſententia. Ad hæc rejicit illam de imperceptibili gratia opinionem etiam Venerabilis Bellarminus, cujus lib. 2. de Grat. & lib. arbitrio cap. 6. hæc ſunt verba: *Cum excitatio illa Dei ſit actio noſtra, quamvis non libera, nempe bona cogitatio, bonumque deſiderium repente ac divinitus immiſſum; quomodo poteſt fieri ut non ſentiatur a nobis, ſi ſit non ſolum in nobis, ſed etiam a nobis?* Poſtremo inſanæ videtur mentis tamquam certum aſtruere quod ignoratur, nec ſentitur, nec agnoſcitur. Si hujus generis ſit aliqua gratia ſufficiens: quis poterit illam tali argumentorum vi demonſtrare, ut nos, qui contraria imbuti ſumus perſuaſione, illam dari & adeſſe ejus motus non ſentientibus concedamus?

„ Non tantum gratiam Dei per ſe efficacem, quæ a nullo duro corde reſpuitur, & qua Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate; verum etiam ſufficientem illam, cui duritia cordis reſiſtit, eſſe donum Dei, ac liberrimæ ejus bonitatis beneficium, non autem e ſola oriri rationalis creaturæ naturali virtute, firmiſſime credimus, & ſaluberrime profitemur. Id nos edocet ipſamet Veritas Chriſtus, qui ad gratiæ ſuæ commendationem cap. 15. Evangelii Joannis ait, *ſine me nihil poteſtis facere*; utque Præco ipſius gratiæ Paulus Apoſtolus ſcribens in altera ad Corinthios epiſtola cap. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Quibus potiſſimum teſtimoniis Auguſtinus, aliique Patres divinæ Gratiæ adverſus Pelagianos horumque reliquias invicti propugnatores frequenter utuntur, ad demonſtrandum nihil eſſe in iis operibus, quæ ſpectant ad pietatem veramque juſtitiam, ſive initium illud ſit, ſive incrementum, quod ab auxilio gratiæ non ſit repetendum. Nam a Pelagianis hoc præſertim poſtulabat Auguſtinus, ut faterentur, *gratiam Dei & adjutorium ad ſingulos actus dari*, ut ipſe inquit epiſt. 186. num. 33. Contra Semipelagianos itidem in lib. de Prædeſt. SS. cap. 11. num. 22. inquit, *Et in ſuis igitur incrementis, & in ſuis initiis Dei donum eſt fides*. Utitur vero S. Pater ad hanc veritatem Catholicam confirmandam prædicta Salvatoris noſtri ſententia in omni cum gratiæ hoſtibus concertatione. Duo tantum loca, ne diu in re notiſſima legentem defatigemus, ſatis erit proferre. Ac primum teſtimonium ſit depromptum ex libro 2. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 8. num. 8. alterum petitum ex lib. 1. Op. Imperf. contra Julianum num. 97. Priori in loco ita legimus: *Dominus ut reſponderet futuro Pelagio, non ait*, Sine me difficile poteſtis aliquid facere; *ſed ait*, ſine me nihil poteſtis facere. *Et ut reſponderet futuris etiam iſtis, in eadem Evangelica ſententia non ait*, ſine me difficile poteſtis aliquid facere; *ſed ait*, ſine me nihil poteſtis facere: addit que Auguſtinus, *Hoc uno verbo initium finemque comprehendit*. Alio in loco S. Pater ita Julianum alloquitur: *Cum diſplicet tibi hominem non poſſe bonum velle, niſi adjuvetur ab eo qui malum non poteſt velle, nonne reſpicis ei te contradicere qui dixit*: ſine me nihil poteſtis facere; *& Scripturæ ubi legitur*, Paratur voluntas a Domino; *& ubi legitur*, Deus eſt qui operatur in nobis & velle? „ Sentit cum Auguſtino auctor Capitulorum, quæ ſubjiciuntur Epiſtolæ S. Cæleſtini I. Romani Pontificis, in quibus iſta leguntur: *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operatur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit; quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus*. Vide canones Arauſicanæ ſecundæ ſynodi, ac Tridentinæ Œcumenicæ, quæque produximus pertractantes de initio fidei & bonæ voluntatis in libro de Hæreſi Semipelagianorum. Cum Magno itaque Auguſtino in prælaudato lib. 2. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 10. num. 23. concludendum eſt: *Sic itaque Dei gratia cogitetur, ut ab initio bonæ mutationis ſuæ uſque in finem conſummationis, qui glorìatur in Domino glorietur: quia ſicut nemo poteſt bonum perficere ſine Domino, ſic nemo incipere ſine domino*.

„ Gratiam ergo, quam eſſe Dei beneficium excedens naturæ ordinem, dictum eſt nuper, immo vel ipſum *Gratiæ* nomen commonſtrat, primo homini collatam

„ ſuff-

fuiſſe, nemo eſt, qui neget. Auguſtinus in libro de Corr. & grat. id luculenter demonſtrat. Ait cap. 10. num. 27. *Deum dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura eſſe praeſcivit, & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere etiam de malis bene facere, quam mala eſſe non ſinere, ſic ordinaſſe angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet quid poſſet illorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuae gratiae beneficium juſtitiaque judicium*. Caſtigatiſſime omnia dicuntur. Deus rerum omnium habet ſupremum pleniſſimumque dominium: omnia valde bona, in numero, pondere, & menſura produxit, univerſis naturam illam atque proprietates impertiens, quae ad praeſtitutum ſingulorum finem requirebantur. Sunt in ipſo Deo omnes ſapientiae, & ſcientiae theſauri, & futurorum ac praeſentium cognitio. Quae cum ſit una res ſimpliciſſima eademque divina, ex objectis partitionem ſortitur, ita, ut dicatur Deus praeſcire futura bona, & mala ex bonis exoritura ſerra quaecunque ſunt, quae fuerunt, quae & erunt, quaeque cum omnipotentiſſima illius bonitate quocunque modo conneꝏctuntur. Recte quoque dicitur Deus mala ſinere, non facere: quippe quae moraliter mala ſunt, illius permiſſione, non cauſalitate eveniunt, ac habent cauſam deficientem, non autem efficientem. Cauſa hujus generis fuit liberum arbitrium Adam, qui ab immutabili bono ſeſe avertens factus eſt legis praevaricator, atque Deum deſerens palam facit quid poſſit humana facultas ſibi fidens, non ſe convertens ad gratiam juvantem. Etiam majori facilitate in ſcelera labitur homo ob praevaricationem primi parentis affectus ignorantia & noxia cupiditate. Huic vero ſi lux veritatis fideique affulgeat, & cor ſancta delectatione trahatur; divinae miſericordiae deputandum eſt: ſi lumine deſtituitur, erratque in adinventionibus ſuis, revereamur oportet incomprehenſibilis juſtitiae judicia. Haec praemiſſis in verbis ſapientiſſimus Auguſtinus. Qui ſubinde declarans quaenam gratiarum dona primo homini in ipſius creatione contulerit, proximo cap. 11. numer. 32. inquit: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum: dederat adjutorium ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere, ſi vellet, quia non deerat adjutorium per quod vellet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet*. Itaque Deus condidit hominem rectum, ſcilicet juſtitia & gratia ſanctificante exornatum, ut fert ſententia Theologorum communior; quamvis ſint, qui ad primaevam illam rectitudinem non exigant ſanctificationis decorem, ac ſatis fuiſſe tradant, ſi homo abſque ullo vitio, & cum perſeverandi poteſtate conditus eſſet. Sed in quo perſeveraſſet, niſi in eo ſtatu, atque in illa bona voluntate, in qua Deus eum fecerat rectum? Quid inſuper erat adjutorium illud, ſine quo perſeverare non poterat, collatum homini qui factus eſt rectus, niſi forte gratia actualis ſuperaddita gratiae ſanctificanti, quae reddit hominem rectum? At de gratia, in qua conditus fuit primus homo, alibi pertractavimus. Porro ut homo in accepta juſtitia perſeveraret, indigebat adjutorio, quod ab Auguſtino appellatur *ſine quo non*. Illud Gratiam *verſatilem* noſtrates appellitant. Non ita *verſatilem* dixeris, quaſi liberum arbitrium poſſet illa uti ad bonum & ad malum: nam ad malum ſe ipſo ſufficit; neque gratia confertur alicui ut poſſit peccare, ſed ut poſſit vitare peccata. Ergo gratiam eo tantum ſenſu *verſatilem* dicunt, quod cum ipſa homo poſſit abſque adjutorio gratiae efficacis velle actu, ſeu nolle: cujuſmodi fuit adjutorium *ſine quo* datum primo homini, a quo perſeverandi poteſtatem accepit, relicto in ejus libero arbitrio velle perſeverare. Cur hoc adjutorium collatum ſit Adam, docet eo loci Auguſtinus. *Si autem hoc adjutorium*, ait Sanctus Pater, *vel angelo vel homini, cum primum facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſet: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam poena peccati eſt*.

„ Quomodo primus homo gratia ſuffultus, originali juſtitia decoratus, poſitus in bonis creatoris ſui, ac nulla carnis adverſus ſpiritum pugna laceſſitus, idest in tanta non peccandi facilitate ceciderit, neſcio qua ratione explicari melius poſſit, quam verbis S. Gelaſii Romani Pontificis in ſua ad Epiſcopos per Picenum conſtitutos epiſtula, & in Opuſculo adverſus haereſim Pelagianam. Enim vero quaeſtionem iſtam ſanctiſſimus aeque, ac ſapientiſſimus Pontifex perſpicue ibidem eleganterque reſolvit: *Si in ipſis primis hominibus*, inquit, *dum ſua nimium felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes non orando, quod utique nuſquam feciſſe referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent ſuppliciter implorando incolumes conſtare nequiverunt; quanto magis poſt praevaricationis ruinam, in quam male ſui confidentia Creatorem nullatenus inquirendo lethaliter inciderunt, abſque divino munere ſuis viribus vel agi ſtare non poſſunt, ſine quo nec integri perſiſtere valuerunt?* Et paullo infra ita beatiſſimus Gelaſius proſequitur: *Hinc illa primae conditionis integritas, dum ita de ſe fidit, tamquam ipſo qui condiderat non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nuſquam feciſſe memoratur, nec de conſervandis quae ſumpſerat poſcit auxilium, nec ad eum etiam pulſata tentatoris acceſſu, devota cucurrit & conſulit, ſuaque ſe credit inter proſpera voluntati, facile ſine praeſidio Creatoris patuit deceptoris inſidiis, & in praevaricationem eracta conſequenter illiciti, conditionem praefinitae mortis invenit*. Haec S. Gelaſius. Ex cujus verbis intelligimus, ſuperbiam illam, qua primus homo dicitur cecidiſſe, fuiſſe nimiam ſuipſius confidentiam, orationis neglectum, & immodicam virium ſuarum aeſtimationem.

„ Poſteaquam primus homo per liberum arbitrium adjutorio *ſine quo* eidem adſtante deſeruit Creatorem ſuum, ex magnae felicitatis ſtatu in hanc miſerrimam conditionem, quam modo patimur, cecidit, ac promeruit gratia, qua adjuvante non ſtetit, in praevaricationis ſuae poenam exſpoliari. Liberum arbitrium periiſſe, & omnino fuiſſe extinctum, nonnulli auſi ſunt affirmare, quorum ſententia haeretica eſt, meritoque damnata. Hanc impietatem quidam Auguſtino adſcribere non verentur. Veniunt in hoc ordine Pelagiani, quorum unus pervicaciſſimus aeque ac impudentiſſimus, nempe Julianus, apud Auguſtinum lib. 1. Operis Imperf. numer. 54. ſcribit: *Liberum arbitrium in natura hominis perſeverat, quod ut tu cum Manichaeis negas, ita nos cum Apoſtolis & omnibus Catholicis confitemur*. Sequuti ſunt Semipelagiani, quorum erat opinio ex Auguſtini doctrina, juxta quam gratia praevenit voluntatem, & ſecundum propoſitum voluntatis divinae facta eſt ante mundi conſtitutionem eligendorum rejiciendorumque diſcretio, *tolli liberum arbitrium, & ſub nomine praedeſtinationis fatalem quamdam induci neceſſitatem*. Legito in ſuis ad Auguſtinum epiſtolis Proſperum & Hilarium. Non abſtinuerunt ab hujuſmodi dicteriis nonnulli Catholici, quorum nomina recitat, & loquendi in eis libertatem redarguit illuſtris Noriſius in Vindiciis tum capite primo, tum paragrapho quarto capitis quinti. Ut inutile eſt horum verba repetere, ita videtur congruum adnotare quinam in carpendo Auguſtino iiſdem praeluſerunt. Interdum quidem S. Pater ait periiſſe arbitrium illud, liberum a miſeria, & a peccato, quale habuerunt primi parentes: ſed nuſquam affirmavit arbitrium liberum *a neceſſitate* extinctum eſſe humana natura; idque paullo poſt ex iis verbis oſtendam, quae ad conflandam Auguſtino calumniam in pravum ſenſum perperam detorquentur. Certiſſimum enim eſt ſententiam Auguſtini de arbitrio libero & gratia Dei, quam ſententiam eamdem eſſe cum illa quam ſequitur & ſervat Eccleſia, teſtatur in epiſtola ad Poſſeſſorem S. Pontifex Hormiſdas, mediam regiamque tenere viam inter illos qui arbitrium penitus deprimunt & extinctum fuiſſe dogmatizant, ac inter illos, qui nimis illud extollunt, & etiamnum valere autumant ad officia pietatis, aut aſſerendo non indigere alia Chriſti gratia praeter illam, quae ſita eſt in lege ac doctrina, aut ſi gratiam aliam fatentur, dari hanc opinantur ad facilius, non ad ſimpliciter operandum; aut ſaltem gratiam confitendo neceſſariam ad actus ſalutares, ex ſolius naturae viribus repetenda eſſe putant fidei & bonae voluntatis initia. Tenent vero haec duo extrema e diametro oppoſita, primum quidem Manichaei, Calviniſtae, hujuſque generis novatores complures; aliud autem Pelagiani, iſtorumque Reliquiae. Ergo Auguſtinus caute prudenterque ab utroque extremo declinans, aeque inimicos libertatis & gratiae indutus virtute ex alto invictiſſime profligavit. Atque cum prioris ſectae hoſtibus decertaret, ſcripſit libros de libero arbitrio, & de duabus animabus: in quorum primo cap. 18. rectiſſime affirmat, *neminem peccare in eo quod nullo modo cavere poteſt*; in altero cap. 11. demonſtrat id eſſe unicuique notum, & inquit: *Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetae, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & magiſtri in Scholis, & antiſtites in ſacris locis, & in toto orbe terrarum genus humanum?* In tam ampla liberi arbitrii commendatione non meminit gratiae Dei, quae omnino ad initium & complementum operis meritorii neceſſaria eſt; propterea quod ipſum arbitrium liberum

„ ad

ad malum ſeipſo ſufficit, ad bonum autem nihil eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti Bono: & ideo gratiæ non meminit, aut ſaltem de ipſa gratia egit tantum leviter ac perfunctorie, quia nondum cum Pelagianis gratiæ hoſtibus inierat certamen. At ubi debellandi iſti erant, qui originale peccatum, hujus pœnas liberoque arbitrio inflicta vulnera præfracte negabant, objiciebantque Auguſtino quod olim ipſe docuerat, non dari peccatum, *a quo liberum non ſit abſtinere*, nobiſque inditam eſſe facultatem ad fidem & ad infidelitatem, ad bonum & ad malum nos inclinandi: neceſſum fuit Auguſtino demonſtrare diſcrimen intercedens inter peccatum quod *propria voluntate* patratur, & peccatum quod ſimul *eſt pœna peccati*, atque in Adæ poſteros ob paternam tranſgreſſionem transfunditur: oſtendere ignorantiam, & concupiſcentiam cum ratione pugnantem, non eſſe hominis inſtituti primordia, ſed *pœnam damnati*; atque explanare quid poſſet in angelis, & hominibus nondum offuſcatis peccato arbitrium liberum, quid modo præſtet arbitrio infirmo gratia Reparatoris. Itaque ſententia Auguſtini eſt, liberum arbitrium, quod ſanum erat in homine primo, & affectum vulneribus perſeverat in nobis, eſſe naturæ ſuæ facultatem voluntatis, quæ bonum & malum eligere poteſt, & velle, & declinare ad dexteram & ad ſiniſtram; ſed non talis eſſe conditionis, ut evitare poſſit peccatum ſine gratiæ adjutorio: quod in Adam talis erat virtutis, ut cum illo perſeverare poſſet ſi vellet, in nobis autem operatur & velle, et qua nos adjuvat ampliori Spiritus Sancti virtute, ne voluntas infirma ſuccumbat, neque ulla adverſitate vincatur. Hæc eſt Auguſtinianæ doctrinæ Synopſis. Igitur objicientibus beato Auguſtino Pelagianis, quod liberum arbitrium negaret cum Manichæis, reſpondit lib. 1. ad Bonif. cap. 2. & libro 2. cap. 5. *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periiſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo, ad bene autem pieque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adjuta.* Quamobrem in ſuis contra Pelagianos libris ſanctiſſimus doctor liberum arbitrium ſimulque gratiam propugnat, demonſtratque nihil in Scripturis ſanctis juberi *propter probandum liberum arbitrium*, quod non inveniatur dari vel poſci ab ejus bonitate, *propter adjutorium gratiæ demonſtrandum*. Videsis præcitatum librum 2. cap. 10. num. 23. de Grat. & libero arb. cap. 15. num. 31. & de Præd. SS. cap. 11. num. 22. atque cum Auguſtini doctrina eam conferre non prætermittas, quam ejus verba ſenſumque complexi tradiderunt ſeſſione ſexta cap. 5. Patres ſacroſancti Tridentini Concilii. Et dictis aperte colligitur, tria Auguſtinum tradidiſſe: unum dari liberum arbitrium, nec periiſſe peccato Adæ: alterum peccare poſſe ſeipſo; ac tertium non poſſe bene pieque vivere, niſi adjuvetur a gratia. An vero ſine gratia exercere queat actus moralium virtutum, gravis eſt quæſtio, quam nolumus hoc in loco prolixe agitare. Breviter dicimus, poſſe ſi operum ac virtutum attendantur officia, non poſſe ſi conſiderentur fines, quibus virtutes diſtinguuntur a vitiis. Auguſtinus hoc docuit in quarto contra Julianum libro capite tertio; ubi etiam ait, quod nemo *ſine gratia Creatoris bene utitur creaturis*. Voluntatem quoque noſtram *propter corruptionem naturæ ſequi bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei*, tradit 1. 2. q. 109. art. 3. Sanctus Thomas Aquinas. Hinc habes, quomodo accipienda ſint quæ leguntur in cap. 29. alias 30. Enchiridii, *Libero arbitrio male utens homo & ſe perdidit, & ipſum*: quibus verbis permoti ſanctum Patrem fuiſſe *libero arbitrio minus æquum* ſcripſerunt inofficioſi cenſores, ignari idem prorſus, quod Auguſtinus, ſcripſiſſe ſanctos Romanos Pontifices, Innocentium I. in epiſtola ad Patres Carthaginienſes, & Gelaſium ad Epiſcopos Piceni. Seſe perſpicue Auguſtinus explicavit, non tantum verbis, quæ paullo ſupra ex libris ad Bonifacium producta ſunt, verum & iis, quæ leguntur in eodem capite Enchiridii ad Laurentium. Nam eo loci ita egregius Doctor proſequitur: *Cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum arbitrium. A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Petri certe Apoſtoli eſt iſta ſententia. Quæ cum vera ſit; qualis, quæſo, poteſt ſervi addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim ſervit, qui ſui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber eſt qui peccati ſervus eſt. Unde ad juſte faciendum liber non erit, niſi a peccato liberatus eſſe juſtitiæ cœperit ſervus. Ipſa eſt vera libertas propter recti facti lætitiam, ſimul & pia ſervitus propter præcepti obedientiam. Sed iſta libertas ad bene faciendum unde erit homini addicto & vendito, niſi redimat ille, cujus illa vox eſt, Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat; quomodo quiſquam de libero arbitrio in bono gloriabitur opere, qui nondum liber eſt ad operandum bene, niſi ſe vana ſuperbia inflatus extollat?* quam cohibet Apoſtolus dicens: *Gratia ſalvi eſtis per fidem, &c.* Hæc in Enchiridio Auguſtinus: cujus perſpicua ſententia eſt, liberum arbitrium fuiſſe in Adam æque ad peccandum, & ad bene agendum facile & expeditum: at poſteaquam primus homo peccato ſe addixit, & cadens demerſus eſt in prævaricationis abyſſum, amiſiſſe ſua libertate deceptum illam bene agendi ac perſeverandi expeditam, completamque per adjutorium gratiæ potentiam: non tamen liberum periiſſe arbitrium in humana natura, ſed permanſiſſe, infirmum licet, & ſauciatum; infirmum, quia gratia exſpoliatum, ſauciatum vero, quia excæcatum ignorantia, & carnis concupiſcentia jactatum, ex qua, cum vehementior ſit ejus ardor, quam febris, contrahitur mentis perturbatio, & animi languor: in hac tamen infirmi hominis conditione, qua libere factus eſt ſervus peccati, per liberum arbitrium poſſe peccare, quoniam ſervus domino, cui addictus eſt, libenter obtemperat, nec peccare eſt aliquod bonum efficere, ſed a bonitate deficere, quemadmodum infirmum mori non eſt vivere, ſed a vita diſcedere; nihilominus liberum illud arbitrium, quod non eſt mortuum, ſed vulneratum duntaxat, poſſe etiamnum bonum agere, ſed cum gratia Reparatoris; ſicut infirmus ambulare poteſt, ſi ſanetur a medico, & ſervus exhibere alteri domino ſervitutem, dummodo a ſervitute prioris domini redimatur. Atque hanc Auguſtini doctrinam, conſecratam canone 13. ſecundi Arauſicani Concilii celebrati anno 529. ſedente in Petri cathedra Felice IV. & confirmati ab hujus ſucceſſore Bonifacio II. crediderim adeo enucleatam eſſe, adeo explicatam, ut nullam aliam debeamus addere expoſitionem.

In ea itaque diſputatione verſabimur aliquantulum, in qua diſſentiunt Theologi, an *ſufficiens* gratia poſt primi hominis lapſum conferatur a Deo univerſis hominibus, cum omnes ſint a Chriſto redempti, affixo cruci antiquæ damnationis chirographo. Ac primum nollem in Deo poſſemus iniquitatem excogitare ſive injuſtitiam, etiamſi omne ſupernaturale auxilium ſubtrahendo cunctos Adæ poſteros in damnatione atque obduratione reliquiſſet. Apoſtolus enim ad Romanos ſcribens cap. 9. 18. ait: *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*; miſeretur autem *largiendo gratiam*; indurat gratiam ſubtrahendo, *non impertiendo malitiam*. Id quidem juſto judicio facere potuit, iniquo non poteſt: ait namque ibidem Doctor Gentium: *Numquid iniquitas apud Deum? Abſit.* Non debemus altitudinem divinorum judiciorum ſcrutari; ſiquidem *incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* ait in eadem epiſtola ſub finem capitis undecimi Paulus. Didicerat Auguſtinus ab Apoſtolo recurrendum eſſe *ad inſcrutabilia judicia Dei*, ſi quæratur cur ex duobus parvulis originali peccato obſtrictis unus aſſumatur, relinquatur alter; ex duobus adultis unus vocetur, alius aut non vocetur, aut non ita vocetur ut vocantem ſequatur; atque ex duobus juſtis uni, non alteri donetur perſeverantia. Diximus & in hac diatribe, & alibi non ſemel, hoc a beatiſſimo Parente doceri libro de Dono Perſeverantiæ capite octavo. Quare nobis memoria recolendum eſt ſaluberrimum monitum Eccleſiaſtici cap. 3. 22. *Altiora te ne quæſieris*; necnon Proverbiorum cap. 25. 27. *Qui ſcrutator eſt majeſtatis opprimetur a gloria.* De iis, qui judiciorum Dei putant ſe poſſe rationem reddere, aut penetrare altitudinem ac profunditatem, interpretatus utrumque locum in Lectione 4. ad prælaudatum caput 9. Apoſtolicæ ad Romanos Epiſtolæ Magnus Aquinas, decus Theologorum. Porro ſi quis a Deo non vocatus, juſtiſſimoque judicio derelictus, & correptus reſponderet non poſſe reſiſti voluntati ſupremi Domini, quoniam ille *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*: merito redargueretur ab eodem Apoſtolo illic vigeſimo verſu ſubjiciente: *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? Annon habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Quibus itidem verbis utitur Auguſtinus in libro de Correptione & gratia cap. 8. num. 17. Et quoniam Angelicum Præceptorem nuperrime commemoravi; digniſſimum cenſeo, quem attente humiliterque audiamus ita in præcitata Lectione quarta loquentem: *Conſiderandum eſt, quod ſi aliquis artifex ex materia vili faciat vas pulcrum & nobilibus actibus accommodatum, totum adſcribitur bonitati artificis; puta ſi ex luto faciat ſcutellas & urceos ad nobilem menſam decentes: ſi vero ex vili materia, puta ex luto, faciat vas accommodatum vilibus uſibus, puta coquinæ, vel hujus officiis, non poſſet vas conqueri, ſi rationem haberet. Poſſet enim conqueri, ſi ex materia pretioſa, quæ ſubjacet artificis operationi, puta ex auro, & lapidibus pretioſis, faceret vas ad vilia officia deputatum. Humana autem natura vilitatem habet ex ſua materia, quia ut dicitur Geneſis 2.* fecit Deus hominem de limo terræ; *ſed majorem vilitatem habet ex corruptione peccati, quod per unum hominem in hunc mundum intravit; & ideo homo lata merito com-*

„ *paratur*. *Job* 30. Comparatus ſum luto, & aſſimilatus favillæ, & cineri. *Unde quidquid boni habet homo, debet bonitati divinæ, quaſi peritiæ figuli adſcribere. Iſa.* 64. Nunc, Domine, pater es tu, nos vero lutum, & fictor noſter tu: & opus manuum tuarum omnes nos. *Si vero Deus hominem ad meliora promoveat, ſed in ſua infirmitate eum dimittens deputat eum ad infimum uſum, nullam ei facit injuriam, ut poſſit juſte de Deo conqueri.* Ex eadem ergo *maſſa corrupta* humani Generis habet Deus liberam poteſtatem facere quoſdam homines præparatos in gloriam, quoſdam autem in miſeria derelioquere. Ait proinde Jeremias cap. 18. 6. *Nunquid ſicut figulus iſte, non potero vobis facere, domus Iſrael, ait Dominus? Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſrael.* Infertur ex dictis, non tantum prædeſtinationem electorum pendere ex liberrima Dei voluntate, verum etiam collationem qualiſcunque divinæ gratiæ; & quemadmodum in iis, qui eliguntur & adjuvantur, *auxilium miſericordiſſimum* nobis voluit Deus commendari, ita in iis, qui vel in *maſſa* perditionis remanent, vel gratiæ privantur adjutorio, agnoſci debet *judicium juſtiſſimum*. Non eſt noſtra hæc oratio, ſed Auguſtini lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 20. num. 38. & de Pitvd. SS. cap. 8. n. 16. Poterat ergo Deus juſtus propter Adæ prævaricationem omnes homines ex eo procreatos exſpoliare qualibet gratia, ſi erga nos decreviſſet exercere juſtitiam. *Nulla eſſet in Deo iniquitas* (inquit lib. 2. de Grat. & lib. arb. c. 4. Ven. Bellarminus) *ſi non ſolum aliquibus, ſed etiam omnibus hominibus auxilium ſufficiens ad ſalutem negaret. Hæc propoſitio certiſſima eſt apud eos, qui ex divinis litteris peccatum originale noverunt. Nam cum per peccatum primi hominis naſcamur omnes filii iræ, nihil nobis jure debetur, niſi pœna.*

„ Nequit de his oriri difficultas ulla, ſi originalis culpæ reatum, quo cuncti naſcuntur obſtricti, eidemque culpæ debita pœna, quam infligere poteſt Deus juſtiſſimus judex, attendantur. Verum cum ipſe Deus, cujus miſericordia ſuperexaltat judicium, & ad cujus omnipotentiſſimam bonitatem pertinet etiam de malis bene facere, permiſerit lapſum Adæ, ut oſtenderet quam ampliora vobis præparaverit gratiarum ſuarum beneficia, ideoque miſerit Filium ſuum factum in ſimilitudinem carnis peccati, ut nos eſſemus in illo nova creatura, novumque figmentum; quæritur an Chriſti ſpectata redemptione, per quam ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia, fiat in ſingulis hominibus, nemine prorſus excepto, beneficentiſſimæ ipſius gratiæ diſtributio. In ea quæſtione opinio noſtra eſt, ad aſſerendum Chriſtum pro omnibus mortem oppetiiſſe, minime requiri ut omnibus actualis gratia conferatur. Mortuus enim eſt Chriſtus pro omnibus, primo propter unam omnium noſtrum naturam, & unam omnium cauſam a Domino noſtro in veritate ſuſceptam. 2. Quoniam ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi, quod ad magnitudinem & potentiam pretii pertinet. 3. Quia eſt propitiatio pro peccatis totius mundi, & omnibus hominibus viatoribus ſupereſt, ſi Deus miſereatur, reconciliatio, cum tamen dæmonibus, necnon hominibus in lethali peccato defunctis, nulla in æternum ſit reſervata converſio. 4. Quatenus ſubſtulit paſſio Chriſti odii cauſam, tulitque in ara crucis immolatus totius mundi delicta, hoc beneficium peccatoribus mortalibus conferens, ut qui nativitatis ejus conſortes fierent, vinculum peccati & mortis evaderent. 5. Quoniam eadem Chriſti paſſio eſt cauſſa univerſalis remiſſionis peccatorum, & Chriſti meritum eſt univerſalis cauſa ſalutis humanæ. 6. Eatenus Chriſtus pro omnibus affixus eſt cruci, in quantum moriens inſtituit cauſam noſtræ liberationis, ex qua poſſent dimitti quæcunque peccata. 7. Quia una oblatione, quæ vim habet peccata omnia expiandi, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis, ac ſemel ſeipſum offerendo, ut ait Apoſtolus ad Hebræos cap. 10. 14. una oblatione conſummavit *ſanctificatos omnes*. 8. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, quia ad Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo, venientes omnes amplectitur, miſſo ad omnes prorſus homines Evangelio. 9. Quia non venit ut judicet mnndum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum, & pro toto pretium offerens, totum judicandi poteſtatem accepit. 10. Quoniam etſi Chriſti voluntate conformi per omnia voluntati Dei Patris rogavit illum abſolute ac ſimpliciter pro ſuis, nempe pro electis, & non pro mundo, ut ipſemet ait Joannis cap. 17. verſ. 9. & 20. voluntate tamen naturali & humanæ pietatis, de qua S. Bonaventura interpretatur ea verba pendentis in Cruce, Lucæ 23. 34. *Pater dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt*, etiam pro crucifixoribus ſuis, ceteriſque reprobis omnibus Deum oravit.

„ Ex Patribus, & ex Scholæ Luminibus, quæ modo de Chriſto pro omnibus paſſo dicta ſunt, iiſdem fere verbis exſcripſimus: ex nulla autem ex prædictis decem rationibus legitime conſequitur, exigere redemptionem totius humani generis, ut ſingulis hujus generis individuis quolibet momento conferatur gratia ſufficiens, ſi *conferre* ſumatur ex parte recipientis. Quod etſi in Vindiciis Auguſtiniani Syſtematis, necnon in Mantiſſa poſtremo addita libro de Hæreſi Janſeniana, exponere ſtudui; rurſus tamen hoc in loco dabo operam, ut rationes illas ſingulas unuſquiſque aſſequatur, per illas ſenſim ac pedetentim diſcurrendo. Ac prima eſt Beati Proſperi in Reſponſione ad 9. Capitulum calumniantium Gallorum, ubi ait, rectiſſime dici Salvatorem pro totius mundi redemptione crucifixum, *propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine perditionem*. At inde non infertur omnibus hominibus, quorum naturam Filius Dei in veritate ſuſcepit, & qui in primo homine perierunt, gratiam dari per quam eruantur a perditione: parvuli enim innumeri pereunt non regenerati baptiſmate, infidelium permultis lux Evangelii non illuceſcit, atque Juſtorum plurimis non eſt præparatum ſpecialiſſimum donum perſeverantiæ. In qua re adoranda ſunt nobis incomprehenſibilia judicia Dei, & in his qui liberantur beneficium gratiæ commendandum eſt, in iis qui reprobantur occultum juſtiſſimumque judicium. Quare ita S. Proſper ibidem concludit: *Cum itaque rectiſſime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem; poteſt tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipſius profuit.* Secunda ratio univerſalem redemptionem explicandi eſt pariter S. Proſperi, cujus ad primam objectionem Vincentii hæc eſt reſponſio: *Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam cauſam pertinet generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi.* Idem repetit S. Proſper in recapitulatione reſponſionum ſuarum ad Capitula Gallorum, & illic pariter docet, pro totius mundi redemptione Salvatorem fuiſſe crucifixum, quantum ſpectat *ad Sacramenti virtutem; cum ſanguis D. N. Jeſu Chriſti pretium totius mundi ſit.* Utitur eadem ratione Doctor Angelicus 3. p. q. 48. art. 2. & q. 22. art. 3. Verum ex quo paſſio Chriſti ſit pretium redemptionis humanæ non tantum ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans, & ex quo ipſe ſit *propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, ut legimus in 1. Joannis epiſtola cap. 2. 2.; non inde ſequitur hoc pretium ſuperabundans univerſis hominibus applicari, nec ſequitur omnium peccata deleri, neque omnes ita ad fidem vocari, ut vocantem ſequantur, neque omnes ex nolentibus fieri volentes; eo quod Chriſtus licet omnia trahat ad ſeipſum, trahit tamen volentes, volentibus autem jure meritoque ait per Oſeam cap. 13. 9. *Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum.* Quare ſi gratiæ, quæcunque ea ſit, aut parvam voluntatem inſpirans, aut magnam & robuſtam, aut fidem, aut converſionem & pœnitentiam, aut remiſſionem peccatorum, aut perſeverantiam elargiens, obicem ponat liberum hominis prævaricatoris arbitrium; non eſt id tribuendum Chriſto, qui nos magno pretio redemit, ſed iis qui magno pretio redempti ſponte remanent in ſervitute peccati, & in dæmonis captivitate. Hinc Tridentiur Patres aſſlante Spiritu ſancto ſeſſ. 6. c. 3. locuti ſunt: *Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii duntaxat quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Igitur ſufficientia & magnitudo pretii, in qua ſita eſt redemptio totius mundi, non importat communicationem meritorum Chriſti, & elargitionem gratiarum; quarum diſtributio non ad ſufficientiam & magnitudinem pretii, ſed ad applicationem & communicationem eſt referenda. Applicatur autem meritum Chriſti hominibus diverſimode, ac prout Dei voluntas pro excellentia poteſtatis, & beneplacito ſuo decrevit aliquibus largiri gratiam prævenientem, aliquibus etiam remiſſionem peccatorum, aliquibus inſuper, quos prædeſtinavit in gloriam, magnum donum perſeverantiæ. Tertia ratio, qua Dominus totum mundum redemit, quatenus ipſe eſt propitiatio pro peccatis totius mundi, deprompta eſt, ut conſtat ex dictis, ex priori Joannis Epiſtola. Ut vero paſſio Chriſti ſit propitiatio pro peccatis hominum, neceſſum eſt, *ut applicetur per fidem & per ſacramenta*, ut docet S. Thomas Quæſt. diſput. q. 29. art. 7. & 3. p. q. 49. art. 1. Enimvero niſi Chriſti paſſio ſingulis applicetur, nequeunt peccata ſingulorum deleri. Veriſſimum quippe eſt quod ad ob. 1. Vincentii ajebat Beatus Proſper: *Poculum immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.* Atque hinc aperta depromitur ratio, cur pretium dominicæ reparationis, quamvis ſuperabundans & infinitum, ad omnes prorſus homines antequam moriantur pertineat, ad reprobos autem, qui jam pervenerunt ad terminum damnationis, quemadmodum ad dæmones, non extendatur; quoniam hominibus etiam valde malis ſupereſt, quandiu vivunt, ſi Deus miſereatur, reconciliatio, nec deeſt eis unquam locus pœnitendi; damnatis vero poſt obitum, ac dæmonibus in peccato immutabiliter permanentibus, *nulla eſt in æternum ſervata converſio*,

„ *ſio*,

„ ſio, inquit in reſponſione ad objectionem ſextam Vincentianam prælaudatus Proſper, & nos diximus paullo ſupra. Quarta ratio explicandi univerſalem Domini redemptionem traditur a præclariſſimis Auguſtini diſcipulis Proſpero, Fulgentio, & Thoma Aquinate. Quorum primus ad ix. calumnientium Gallorum Capitulum ait: *Deus ergo Dei Filius, mortalitatis humanæ particeps factus abſque peccato, hoc peccatoribus mortalibus contulit, ut qui nativitatis ejus conſortes fuiſſent, vinculum peccati & mortis evaderent*: S. Fulgentius item de Incarnat. & Gratia, *Humanam*, inquit, *naturam ſuſcipiens, venit naturam ſalvare quam fecerat*: & Doctor Angelicus 3. p. q. 49. a. 4. *Per paſſionem Chriſti ſublata eſt odii cauſa*; ex hac tamen ratione, ut Chriſti paſſio hominibus communicetur, oportet, ut per ſacramenta applicetur, neque in ſervitute peccati permaneant, vel ſi regenerantur baptiſmo & ſacramento Pœnitentiæ purgantur, ad eamdem ſervitutem libera prævaricatione non redeant. Enimvero ſcribit ibidem Proſper: *Non ſufficit hominum redemptioni crucifixum eſſe Dominum, niſi commoriantur ei, & conſepeliantur in baptiſmo*: & infra; *Cum ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti pretium mundi ſit, ab hoc pretio extranei ſunt, qui aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut poſt redemptionem ad eamdem ſunt ſervitutem reverſi*: & S. Thomas 3. p. q. 49. a. 1. ad 4. *Neceſſe eſt quod ſingulis adhibeatur ad deletionem propriorum peccatorum*. Rationem quintam ac ſextam præmonſtravit nobis idemmet S. Thomas, cujus 3. p. quæſt. nuper citata art. 1. ad 3. hæc ſunt verba: *Chriſtus ſua paſſione nos a peccatis liberavit cauſaliter, idest, inſtituens cauſam noſtræ liberationis, ex qua poſſent quæcunque peccata quandoque remitti, vel præterita, vel præſentia, vel futura*; quod ſatis apte explicans comparatione, ſubjicit: *Sicut ſi medicus faciat medicinam, ex qua poſſint quicumque morbi ſanari in poſterum*. Ibidem ad 4. *Paſſio Chriſti præceſſit ut cauſa quædam univerſalis remiſſionis peccatorum*: atque in quæſt. diſput. q. 29. art. 7. ad 8. *Meritum Chriſti ſufficienter operatur ut quædam cauſa univerſalis ſalutis humanæ; ſed oportet hanc cauſam applicari*, &c. Perſpicuum eſt rationem iſtam cauſæ univerſalis virtutem ſalvandi omnes, atque auxiliorum omnium, quæ ad conſequendam ſalutem neceſſaria ſunt, præparationem importare, non autem applicationem; alioqui neceſſum foret, ut omnibus & ſingulis hominibus non ſolum auxilia remotæ ſufficientiæ, verum etiam ſufficientiæ proximæ, necnon congrua & efficacia, & quotquot ad æternæ ſalutis conſecutionem requiri poſſunt, a domino ſuppeditentur; quoniam gratiarum omnium paſſio Chriſti eſt cauſa univerſalis. Apothecarii etiam, cujus exemplo utitur Thomas, & Medici omnium ſanitatem curantis munus eſt opportuna medicamenta parare, & illa ægrotis præſcribere; neque his imputandum eſt, ſi infirmus aut remedia projiciens, aut medici præcepta tranſgrediens, ſeipſum interimat. Profecto ſeptima ratio deprompta eſt ex Apoſtolo in prælaudata Epiſtola ad Hebræos; neque de ea ratione poſſumus hæſitare. Fide enim tenendum eſt, Dominum & Pontificem redemptionis noſtræ, eſſe ſacerdotem in æternum, introiſſe ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa; nullam aliam iis, qui ejus fidem peſſumdent, reliqui pro peccatis hoſtiam, ut docet idem Apoſtolus, & quemadmodum legitur in Act. Apoſt. cap. 4. 12. non eſſe ſalutem in alio; *nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Infertur ex hac ſeptima ratione hoc unum, neminem juſtificari & ſalvari, niſi per Chriſtum: atque hoc ſenſu S. P. Auguſtinus de nat. & Gratia cap. 41. num. 43. & lib. 2. Operis Imperf. contra Julianum num. 209. explicat ea verba Apoſtoli. „ Per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ „: *Itaque omnes dictum eſt, ne aliquo modo alio, præter ipſum, quiſquam ſalvus poſſe fieri credatur*. Exponit Auguſtinus eodem pacto alteram Apoſtolicam ſententiam, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ut diximus in Tract. de Voluntate Dei, atque prolixius in additamento ad Hæreſim Janſenianam. Vide & S. Fulgentium in libro, quem ſuo aliorumque Patrum Africanorum nomine ſcripſit ad Petrum Diaconum, de Incarnatione & Gratia cap. 31. Profecto ratio octava explicandi univerſam Domini redemptionem deſumpta eſt ex cap. ultimo Marci, ubi legitur Chriſtum aſcenſurum in cælos ita Apoſtolos fuiſſe allocutum: *Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ*; unde Auctor librorum de Vocat. Gentium lib. 2. cap. 2. ajebat: *Neminem excepit, neminem genere ſeparavit, neminem conditione diſtinxit. Ad omnes prorſus homines miſſum eſt Evangelium Crucis Chriſti*. Duo autem ſunt hoc in loco advertenda: primum, prædicationem Evangelii non ſpectare ad illud genus gratiarum, de quibus pertractatur adverſus Pelagianos, ac diſſeritur in Theologicis hiſce diſquiſitionibus; cum illa ſit gratia pertinens ad legem & doctrinam, nimirum ad gratiam, etiam a Pelagianis propugnatam. Alterum, exploratum non eſſe Evangelium ubique terrarum ad hæc uſque tempora promulgatum fuiſſe, cum in dies in novo orbe inſulæ regioneſque detegantur, quarum rudibus barbariſque incolis nondum lux Evangelicæ veritatis illuxit. Ratio autem nona manifeſta redditur ex Evangelio Joannis cap. 5. 27. atque ex tractatu 3. S. P. Auguſtini in idem Evangelium, neque ulla indiget explicatione. Cum enim Dominus univerſum genus humanum redemerit, & totum orbem terrarum, non partem, accepit a Patre *poteſtatem judicium faciendi, quia filius hominis eſt*, inquit Evangeliſta; *atque totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit*, ait Auguſtinus exponens ea verba Pſ. 95. *Judicabit orbem terrarum in æquitate*. Quamquam vero Dominus pro totius mundi redemptione pretium perſolverit, & emerit totum orbem, ideoque judicare debeat gentes univerſas; attamen, ut ſupra diximus cum B. Proſpero, ab hoc pretio extranei ſunt qui *aut delectati captivitate redimi noluerunt, aut poſt redemptionem ad eamdem ſunt ſervitutem reverſi*. Sicut vero Dominus pro omnibus pretium ſolvit, ſed hoc pretium non omnibus applicatur, & ab illo extranei ſunt qui delectantur captivitate, in eaque pervicaciter perſeverant; ita Chriſtus ſol Juſtitiæ illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, & unus mediator Dei & hominum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis, effundit in omnes divitias miſericordiæ ſuæ, omneſque trahit ad ſe ipſum; et qui rebelles lumini, & corda obdurantes ambulare volunt in tenebris & in umbra mortis, atque ſeſe a luce ſupernæ gratiæ ſubducunt, ſi excæcantur, ſi mediatoris deſtituuntur affectu, ſemetipſos duntaxat culpare debent, & redarguere. Decima ac poſtrema ratio aſſerendi Dominum pro omnibus ſinguliſque hominibus mortem oppetiiſſe infertur ex quo pro omnibus pendens in Cruce Patrem oravit. At enim ſententia eſt S. Thomæ 3. p. q. 21. art. 4. Orationem eſſe *quodammodo interpretativam voluntatis humanæ*, & alicujus tunc exaudiri orationem *quando ejus voluntas adimpletur*; ſed voluntatem ſimpliciter eſſe *voluntatem rationis*, qua abſolute volumus quod ſecundum *deliberatam rationem* volumus. Hæc iiſdem verbis Doctoris Angelici dicta ſunt. Ex qua doctrina ipſe infert omnem orationem Chriſti procedentem *ex voluntate rationis*, quæ ſemper conformis fuit Deo, fuiſſe exauditam. *Secundum voluntatem rationis*, ait S. Thomas, *Chriſtus nihil aliud voluit, niſi quod ſcivit Deum velle; & ideo omnis abſoluta voluntas Chriſti, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis, & per conſequens omnis ejus oratio fuit exaudita*. De hac oratione accipienda ſunt verba ipſius Domini, Jo. 11. 41. *Ego autem ſciebam quia ſemper me audis*: & quæ leguntur in Epiſtola ad Hebræos cap. 5. 7. *Exauditus eſt pro ſua reverentia*. Porro attenta in Chriſto *voluntate rationis* modo explicata, Chriſtus oravit *pro ſolis prædeſtinatis*, ut ibidem docet Angelicus. Eſt etiam alia voluntas, quam idem Doctor appellat *ſecundum motum ſenſualitatis*, vel etiam *ſecundum motum voluntatis ſimplicis, quæ conſideratur ut natura*: qua voluntate non aliquid *ſimpliciter* volumus, ſed *ſecundum quid*, ſcilicet, ſi aliud non obſiſtat, *quod per deliberationem rationis invenitur*: & hanc voluntatem non ſemper impleri, nec ſemper orationem hujus voluntatis interpretativam exaudiri, perſpicuum eſt. Quando enim Dominus proximus paſſioni, & naturali voluntate mortem refugiens oravit ad Patrem dicens, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte*, exauditus non eſt, *quantum ad effectum ſenſualitatis*, quæ mortem refugiebat, & de hac oratione prænuntiaverat Pſ. 21. regius Vates, *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies*; ſed exauditus eſt, *quantum ad effectum rationis* attenta voluntate conformi Deo Patri. Hæc S. Thomas prælaudata q. 21. tertiæ Partis. Ex qua doctrina ſequitur, orationem, quam Dominus oravit pro reprobis, fuiſſe ſecundum voluntatem, *ut natura eſt*, non ſecundum voluntatem rationis; neque abſolutam, ſed *ſecundum quid*, & conſequenter neque hanc voluntatem fuiſſe impletam, neque orationem ejuſdem voluntatis interpretativam fuiſſe exauditam, niſi quantum connectebatur *cum voluntate rationis*.

„ Nullam ex productis rationibus exigere, ut ad ſalvandam univerſalem humani generis redemptionem omnibus & ſingulis non præparentur & exhibeantur duntaxat, ſed etiam actu conſerantur, invitis quoque, reluctantibus, & impedimenta ſceleroſæ & nequiſſimæ voluntatis objicientibus, auxilia gratiæ ſufficientis, arbitror ſatis comperium eſſe & perſpicuum. Enimvero juxta rationes ipſas communis redemptio, prout ad omnes indiſcriminatim extenditur, ſita eſt in pretio & ſufficientia Sanguinis Chriſti, a quo pretio multi reperiuntur extranei; in propitiatione peccatorum, quam tamen non percipiunt ii, quibus

„ Chriſti paſſio non applicatur: in inſtitutione cauſæ, qua remitti queant peccata omnia quantumvis gravia, ſed quæ non remittuntur, niſi per Sacramenta, & per fidem caritate formatam; in vocatione gentium, & prædicatione Evangelii, cujus notitia carent quamplurimi; & ne ſingula repetam, in mediatione Chriſti interpellantis pro omnibus, cujus tamen oratio non eſt reſpectu reproborum abſoluta, & interpretativa voluntatis rationis. Ex his autem, quibus univerſalem Redemptionem explicant ſacræ litteræ, ſancti Patres, præſertim qui data opera Pelagianos, & Semipelagianos confutarunt, quomodo, obſecro, legitima conſecutione deducitur, neminem prorſus deſeri a Deo ſubtractione gratiæ actualis, quoniam Chriſtus pro omnibus, nemine prorſus excepto, ſubiit Crucem, mortemque guſtavit? Ego quidem ingenio hebes non video conſecutionis hujuſmodi neceſſitatem. Immo cum Pelagianorum Reliquiæ adverſus S. P. Auguſtini doctrinam opponerent, ex illa conſequens fieri Deum nolle ſalutem univerſorum, neque Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe; nuſquam illius doctrinæ fideliſſimus Interpres & ſtrenuiſſimus Vindex Proſper ad hæc objectamenta dirimenda eo uſus eſt ſubterfugio, quod licet omnes ſalvi non fiant, nec pleniſſimum Dominicæ Paſſionis fructum recipiant, omnibus tamen ſemper, ſingulisque momentis adeſt gratia, non præparata tantummodo, verum etiam actu recepta, qua converti poſſunt, & damnationem vitare. Sane Proſper nullibi hac reſponſione Semipelagianis occurrit, etiamſi obvia foret, ac plana; ſed potius cum Auguſtino conſtantiſſime tradidit communem omnibus eſſe naturam, non gratiam, atque hanc iis, quibus datur miſericorditer dari, quibus autem denegatur, juſto judicio Dei denegari. Id vero in ſuperiori lucubratione demonſtravi, & infra curſim attingam. Certum quoque eſt in hac quæſtione, *utrum gratia ſufficiens detur cunctis omnino hominibus*, Theologos non convenire: quare ergo certiſſimum firmiſſimumque dogma fidei, cujuſmodi eſt iſtud, *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, exponi debet placitis Molinarum, aut aliorum quorumdam ſcholaſticorum, quibus magna Doctorum pars abſque ullo fidei diſcrimine repugnat & adverſatur? Annon ſatius eſt idem dogma revocare ad principia, rationeſque cunctis Theologis probatas, nec ex peculiari Schola petitas, ſed compertas omnibus & Scripturarum Sanctarum confirmatas auctoritate? An hujus ſint generis rationes illæ, quæ a me collectæ ſunt atque expoſitæ, lector dijudicet nullo præjudicio partium abreptus. Ipſe quoque lector ingenue fateatur, ſi aut Moliniſtæ, aut cuipiam altori contendenti eatenus præcepta Dei eſſe omnibus hominibus poſſibilia, & Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe, quatenus omnibus adeſt gratia, qua præcepta illa poſſibilia redduntur, & per quam fructuum paſſionis Dominicæ fieri poſſunt participes; Janſenianus dogmatizans præcepta Dei eſſe aliquibus impoſſibilia, & Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis fuiſſe Cruci ſuffixum paſſumque, reponeret ſententia plurimorum Theologorum ſufficiens gratiæ adjutorium quibuſdam infidelibus, & nonnullis obduratis & excæcatis juſto Dei judicio negari, ideoque falſo ex gratia omnibus ſingulisque collata probari divinorum præceptorum poſſibilitatem, & redemptionem tam prædeſtinatorum, quam reproborum: ſi, inquam, Janſenianus iſta reponeret, numquid Moliniſta ille auderet ſubjicere tam certum eſſe præcepta Dei eſſe ſingulis poſſibilia, & Dominum mortem ſubiiſſe pro omnibus, quam certum eſt gratiam ſaltem ſufficientem omnibus indiſcriminatim conferri, cum primum ſit dogma fidei, alterum vero purum putum placitum quorumdam ſcholaſticorum? Non ergo incerto iſto, & in controverſia poſito ſcholaſticorum quorumdam placito, ſed potius præmiſſis a me certis, inconcuſſis, firmiſſimis, communibuſque rationibus, dogma illud fidei eſt exponendum, & vindicandum; ſi tamen velimus diſſenſiones evellere, & nobis adverſantes faciliori modo revocare ad concordiam.

„ Quamquam vero nos, pro noſtro erga S. P. Auguſtini doctrinam, & Catholicam veritatem amore, ita ſentimus & ſcribimus; nihilo tamen minus aliorum Catholicorum non damnamus opinionem; quin illorum in avellendis eliminandiſque erroribus diligentiam & ſollicitudinem commendamus quam maxime, eorumque conatus libroſque debita proſequimur laude. Imitari quippe debemus Lugdunenſem Eccleſiam, quæ cum beatiſſimo Antiſtite ſuo Remigio, poſteaquam hanc eamdem de Chriſto pro omnibus paſſo quæſtionem ſenſu plane Auguſtiniano, noſtroque expedivit, ita in libro de Tribus Epiſtolis cap. 40. ait: *Si autem placet, ſicut & nobis multum placet, ut etiam iſtorum ſententia ex pietate veniens, propter parem & venerabilem pietatem beatiſſimorum Patrum non teneatur, nulla contentione pro aliis adverſus alios litigetur, non una ſententia pro altera damnetur. Et quia vere fieri poteſt, ut ignorantiam & imperitiam noſtram in hac re aliquid lateat; nihil temere definitur, ut quolibet quis adquieſcat modo, non ſit hæreticum, niſi contentione hæreticum fiat.* Etiam Servatus Lupus in libro de Tribus Quæſtionibus vindicata, & luculentiſſime expoſita S. P. Auguſtini Doctrina, *Eligat*, inquit, *eligat ſane, ſuperioribus acute conſideratis, unuſquiſque quod optimum ei Deus occulta inſpiratione ſuggeſſerit, aut magiſtra ejus Scriptura manifeſta ratione protulerit.* Hac autem moderatione, quam neminem reprehenſurum fore confido, ad inſtitutam de ſufficienti Gratia diſſertationem, a qua, ut pertractarem de Chriſti morte, diſcedere neceſſum fuit, tandem aliquando revertor.

„ Neque affirmo ſolummodo nullam in Deo futuram fore injuſtitiam, ſi non tantum aliquibus, *ſed etiam omnibus hominibus auxilium ſufficiens ad ſalutem negaret*, ut paullo ſupra diximus cum Venerabili Bellarmino: verum etiam fateor me in eam ſcholæ opinionem haud invitum manibus pedibuſque deſcendere, quæ propugnat cum parvulis materno in utero raptis acerba morte, tum infidelibus nonnullis, & perditiſſimorum peccatorum quibuſdam, ipſorum culpa, & occulto juſtiſſimoque judicio Dei ſubtrahi aliquando divinæ interioris gratiæ lumen & intimam cordis motionem. Id vero, quod de injuſtitia nullo pacto tribuenda Deo nuper aſſerui, non tantum habet propugnatorem prælaudatum Bellarminum; ſed, ni fallor, traditur quoque Sap. XII. 12. his verbis: *Quis enim dicet tibi: quid feciſti? aut quis ſtabit contra judicium tuum? aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum, aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* Et S. P. Auguſtinus de Dono Perſev. cap. 8. num. 16. *Non ſimus ingrati, quod tam multos liberat miſericors Deus de tam debita perditione, ut ſi inde neminem liberaret, non eſſet injuſtus.* Quod etiam rationi conſentaneum eſt; illud enim quod tribuendum eſt divinæ miſericordiæ, ſi hominibus denegetur, nullam in Deo injuſtitiæ infert imputationem. At quibus poſt prævaricationem primi parentis confertur gratia, iis miſericorditer confertur. Poteſt ergo abſque ulla injuſtitiæ nota denegari. Neque dicas, etiam in homine primo adjutorium *ſine quo perſeverare non poterat*, fuiſſe gratiæ beneficium, non conditionem naturæ. Licet enim tunc quoque foret ſupernaturale donum, & naturæ ordinem excederet, neque ullis præcedentibus meritis, neque naturalibus creaturæ rationalis proprietatibus illud exigentibus, a Deo conditore naturæ, & largitore gratiæ alias Adamo collatum; tamen quia ille non tali præditus virtute conditus fuerat, ut permaneret in accepta juſtitia abſque adjutorio creatoris: ſi hoc adjutorium vel homini, vel angelo, cum primum facti ſunt, defuiſſet, *non utique ſua culpa cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent*, inquit S. P. Auguſtinus de Corrept. & Grat. cap. 11. *Nunc autem* (ſequitur S. P.) *quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum, &c.*

„ Ex verbis autem Auguſtini nuper productis apertum eſt adjutorium gratiæ aliquibus denegari in pœnam peccati. Neque enim, ut quidam reponunt, S. Pater de Gratia habituali accipiendus eſt; quum diſertis verbis de illo adjutorio ſermonem inſtituat, quod primo homini, quem Deus rectum fecerat, & cum bona voluntate condiderat, præter hanc bonam voluntatem, & rectitudinem, contulerat, ut poſſet in accepta juſtitia perſeverare ſi vellet. Hoc ſane ſola verborum Auguſtini lectione abſque ulla difficultate percipitur. Quamquam non iſtud tantummodo argumentum occurrit, auctoritate Auguſtini ſubnixum. Quid enim expreſſius, iis quæ leguntur de Dono Perſev. cap. 9. *Ex duobus autem jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei?* Quo in loco denegari aliquibus vocationem, quæ procul dubio eſt gratia præveniens & excitans, tam perſpicue evidenterque S. Doctor affirmat, ut neſciam qua lucidiori ratione poſſet id explicare. Nam & disjunctione illa, *Aut non vocetur, aut non ita vocetur ut vocantem ſequatur*, non declarat tantummodo eſſe impios, qui carent vocatione congrua & efficaci, verum etiam eſſe, qui non vocantur, ſcilicet, qui & efficaci, & inefficaci privantur. Accedunt loca illa, in quibus Auguſtinus inquit naturam quidem eſſe communem hominibus, at non gratiam: quod docet in libro de Gratia & lib. arb. cap. 23. num. 23. & de Præd. SS. cap. 5. num. 10. Ut ea plura omittam, quæ alibi collegi atque expendi, addam nonnulla quæ ſimul hanc veritatem confirmant, & Dei in ſubtrahendo gratiam juſtitiam ſimul, & æquiſſimam agendi rationem commonſtrant. Docet itaque Auguſtinus lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 21. num. 29. non eſſe temere inveſtigandum, cur Deus gratiam præſtet indignis,

dignis, vel illam deneget æque indignis aliis. *Hæc gratia*, inquit, *cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta eſſe cauſa poteſt, injuſta non poteſt. Nunquid enim iniquitas apud Deum?* Abſit. *Sed prius Sanctarum Scripturarum authoritatibus colla ſubdenda ſunt, ut ad intellectum per fidem quiſque perveniat. Neque enim fruſtra dictum eſt, Judicia tua ſicut abyſſus multa. Cujus abyſſi altitudinem veluti expaveſcens exclamat Apoſtolus, O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Addit Auguſtinus libro 2. ejuſdem Operis cap. 5. num. 6. rationem gratiarum dona negandi, aut diverſimode diſtribuendi, nullam aliam poſſe aſſignari, quam occultam nobis providentiæ ſuæ œconomiam & æquitatem, pleniſſimamque faciendi quodcunque vult omnipotentiam. *Cur autem*, ait, *illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum: iſtum illo, illum iſto modo, penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecreta ratio, & excellentia poteſtatis.* Ulterius Auguſtinus docet in eodem libro 2. cap. 17. num. 26. nobis dari per Chriſti gratiam ut cognoſcamus quæ facienda ſunt, & cognita ſancta delectatione exequamur: quibus gratiæ muneribus ſi deſtituamur, vel id eſſe reprobi pœnam, vel eruditionem electi; ideoque nobis attendendum eſſe quid de divino munere veniat, quid de noſtra infirmitate, ne in ſuperbiam elati de bonis operibus glorięmur. *Ut innoteſcat quod latebat*, (ita S. Doctor) *& ſuave fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo, ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ, ſive contra ipſam ſuperbiam judicandi & erudiendi, ſi Filii ſint miſericordiæ.* Et poſt pauca: *Ideo quiſque noſtrum bonum opus ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non ſuæ facultatis, ſed divini muneris eſſe vel quod ſcit, vel quod delectatur; ac ſic ab elationis vanitate ſanetur, & ſciat quam vere non de terra iſta, ſed ſpiritaliter dictum ſit: Dominus dabit ſuavitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.*

Duo hic ſunt obiter adnotanda: unum ab Auguſtino rotundis, ut ajunt, quadratiſque verbis doceri, *Gratiam* ad aliquos non pervenire, aliquos non adjuvare, aliquibus Deum non tribuere, ut ſciant & delectentur ſuſcipere & perficere bonum opus. Ignoro quid poſſit luculentius proferri ad commonſtrandum in ſententia Auguſtini deeſſe aliem adjuvantem gratiam, illuſtrationem mentis, & cordis delectationem. Alterum adnotatione dignum eſt, eamdem Auguſtini ſententiam eſſe percommodam & perutilem, ut admiremur, revereamur, nec veſtigare & ſcrutari audeamus abyſſum conſiliorum Dei, & incomprehenſibilem judiciorum ejus altitudinem; ut fateamur penes ipſum Deum eſſe rectiſſimam æquitatis rationem, & incommutabilem perfectiſſimamque juſtitiam, pleniſſimam itidem atque excellentiſſimam poteſtatem; atque ut ſedulo mediteniur divini muneris eſſe, ſi bonum opus incipere, & implere poſſimus, diligenterque caveamus, ne culpa noſtra careamus gratia, quæ præſtat ut nobis innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod antea non delectabat. Quam ob rem illam S. Patris doctrinam non ſolum veriſſimam eſſe putamus, ſed etiam ad elationem animi reprimendam, ad cohibendam humanæ mentis vanitatem & curioſitatem, atque ad humilitatem exercendam conducere, aptiſſimamque eſſe arbitramur.

Profecto ab Auguſtini ſententia non receſſit S. Proſper. Qui ad ſextam oppoſitionem Gallorum docet, aliquando impiorum nonnullos ſub poteſtate ac dominatu principis tenebrarum jacentes, adeo denſa obvolvi tenebrarum caligine, ut ſe miſerrimo ſtatu periclitari non ſentiant, neque ſuperna luce perfuſus agnoſcant ægritudinis ſuæ magnitudinem. Qualem vero gratiam in iis munus ſuum exercere putabimus, qui nec vident, nec intelligunt, nec ullo quærendæ veritatis, & capeſſendæ ſalutis deſiderio excitantur? Sed audiendus eſt Proſper. *Priuſquam* (inquit) *a dominatione diaboli per gratiam Dei impius liberetur, in illo profundo jacet, in quod ſe ſua libertate demerſit, amans interim languores ſuos, & pro ſanitate habens quod ægrotare ſe neſcit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat noſſe quod langueat, & poſſit opem medici deſiderare, qua ſurgat.* Idem Proſper in libro Sent. num. 4. affirmat non omnes vocari ad gratiam, eos præſertim, quibus nondum prædicatum eſt Evangelium, hæc ſcribens: *Qui dicit quod non omnes vocentur ad gratiam, ſi de iis loquitur, quibus Chriſtus annunciatus non eſt, reprehendi non debet; quia ſcimus quidem in omnes fines terræ Evangelium deſtinatum, ſed non putamus jam omnibus terræ finibus prædicatum: nec poſſumus dicere quod ibi ſit gratia vocatio, ubi magiſtris Eccleſiæ adhuc nulla eſt regeneratio.* Atque hoc argumentum præmonſtratum ab Auguſtino epiſt. 80. de Nat. & gratia cap. 9. necnon de Dono Perſev. cap. 19. immo traditum ab Apoſtolo ad Romanos cap. 10. verſ. 14. hoc, inquam, argumentum repetit Proſper in fine reſponſionis ad caput quartum calumniantium Gallorum, demonſtrans illos non recte dici vocatos, *Quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit ſubvenire.* Ad vim autem hujus argumentationis percipiendam, ſedulo advertendum eſt, quod etſi Pagani quoque & Judæi, aliique hujus generis homines aliquem accipiunt a Chriſto influxum, atque in illis ſæpenumero eſt voluntas, non inermis & nuda, ſed ſufficientis gratiæ auxilio ſuffulta; complures enim illorum vocantur & excitantur; idque ab Alexandro VIII. definitum eſt anno 1690. die 7. Decembris damnata propoſitione 5. ex XXXI. & licet ante fidem, & extra Eccleſiam dentur gratiarum dona; ſiquidem oppoſitum ſtatuitur in Conſtit. *Unigenitus* proſcriptis 27. 28. & 29. propoſitionibus Queſnellianis: attamen nulla adeſt gratia & ſancta vocatio ante prævenientem gratiam, quæ intellectum illuminat, & ſanctam delectationem inſpirat, ſive ante pium affectum credendi, quem Auguſtiniana Schola appellat *fidem inchoatam*, & Auguſtinus lib. 1. ad Simplic. q. 2. vocat *inchoationem quamdam fidei conceptionibus ſimilem*, & quam in Cornelio Centurione, antequam ab Apoſtolo Petro inſtrueretur, & ad baptiſmum accederet, extitiſſe idem Auguſtinus affirmat in libro de Præd. SS. cap. 7. Ergo in Paganis quoque & Infidelibus iſtiuſmodi fidei inchoationes, illuſtrationes mentis, & pia deſideria præveniente gratia excitari, firmiſſime tenendum eſt. Sed primum gratiæ initium in iiſdem infidelibus eſſe *per vocationem ad fidem*, ideoque nullam in eis dari ſufficientem gratiam ante inſpirationem illam, quam diximus *inchoationem fidei*, exploratiſſimum eſt, ut aſſerit Franciſcus Sylvius in 1. 2. q. 109. art. 4. & Suarez lib. 1. de neceſſitate Grat. c. 8. & cap. 27. attenta ſaltem ordinaria Dei providentia. Quare ob rem Patres Africani in Sardinia exules in Epiſtola ſynodali ſcripſere, *De Gratia Dei non digne ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari*: ibique, *Non itaque gratia omnibus datur; quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt, qui Fideles non ſunt.* Pariter S. Fulgentius lib. 1. de Verit. Præd. & Gratiæ cap. 20. *Non ergo putemus gratiam Dei non omnibus hominibus dari, non enim omnium eſt fides.* Quæ, ne incidamus in damnatas poſitiones paullo ſupra recenſitas, *de fide inchoata* accipiamus neceſſum eſt. At quorſum hæc? Nimirum ut percipiatur allata S. Proſperi argumentatio, Fulgentii aliorumque Africanorum Patrum ſuffragio firmata: Ante vocationem ad Fidem, ordinaria ſaltem lege divinæ providentiæ, non datur gratia ſufficiens. Sunt qui nondum vocantur ad fidem. Igitur ſunt quibus non datur gratia ſufficiens. Amplificat exornatque Beatus Proſper argumentum illud in Carmine de Ingratis. Illic enim cap. 13. alias 10. primum ſententiam Maſſilienſium ita luculenter exponit:

Gratia, qua Chriſti populus ſumus, hoc cohibetur
Limite vobiſcum, & formam hanc adſcribitis illi:
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens, ſtudeat communem adferre ſalutem
Omnibus, & totum peccato abſolvere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque ſua mota ſe extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ ſe non ſubtrahat ulli,
Sed cupidos recti juvet, illuſtretque volentes.

Hanc vero Semipelagianorum Maſſilienſum opinionem ſequenti capite 14. Proſper hac ratione refellit:

Jam quia ſummatim, ut potuit ſententia veſtra
Decurſa eſt; dic unde probes, quod gratia Chriſti
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum, vitamque beatam
Impertire velit: Nec enim vel tempore noſtro
Omnibus in terris jam certum eſt inſinuatum
Chriſti Evangelium: ne dicam exordia doni
Non potuiſſe ſimul tota decurrere mundo.
Illa quidem ad cunctos ferri ſunt juſſa, ſed uno
Tempore non agitur, quod tempore dicitur uno:
Dumque ſuis aditus Domino pandente miniſtris,
Creſcunt primitiæ; fuerint omnino neceſſe eſt
Quædam terrarum partes, ubi Gratia nondum
Corda hominum tenebris abſolverat impietatis;
Et dira innumeri demerſi nocte peribant,
Cum multæ accepto fulgerent lumine mentes.

At de Proſpero ſatis. Inquirendum modo, an eamdem ſententiam tradiderit Theologorum Princeps Thomas Aquinas. Tradidiſſe nequaquam dubito. Enim vero 2. 2. q. 2. art. 5. pertractans an homo teneatur ad aliquid explicite credendum, opponit ſibi priori loco argumentum iſtud. *Nullus tenetur ad id, quod non eſt in ejus poteſtate: ſed credere aliquid explicite non eſt in hominis poteſtate; ergo &c.* Hoc autem argumentum ita a S. Thoma ſolvitur: *Ad primum ergo dicendum, quod ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid, excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia reparante; ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei; ſed tamen poteſt cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium*

quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis, ut Auguſtinus dicit in libro de Correptione, & gratia. Conſtat auxilium, de quo Angelicus Doctor hoc in loco pertractat, & quod alicui non datur ex juſtitia in pœnam peccati, eſſe auxilium gratiæ ſufficientis. Luculentiſſime autem id S. Thomas declarat lib. 3. contra Gentes cap. 159. & 160., quæ expendas vellem una cum Commentariis Ferrarienſis. Vide & lectionem tertiam in caput 12. Epiſtolæ ad Hebræos. In his enim locis S. Thomas, ubique ſibi conſtans docet, Deum, quantum in ſe eſt, paratum eſſe omnibus gratiam conferre, illam voluntate ſua liberaliſſima dare cuilibet ſe præparanti, Deum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, ſtare ad oſtium, pulſare, & ſi quis aperuerit, intrare ad illum, ut divina teſtantur eloquia. Verum ut Pelagianorum evitentur errores, & liberi arbitrii non extollatur poteſtas; docet ipſum liberum arbitrium impedire divinæ gratiæ receptionem, eique imputari ſi ſuperna luce privetur; quod confirmat exemplo ſolis, quo mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi non videt, & in tenebris commoratur, admonetque procedere ex gratia, quotieſcunque ad gratiam quilibet ſe præparat, & obſtaculum removet; prælaudata demum lectione tertia concludit; *Quando ergo a quibuſdam removetur iſtud obſtaculum, hoc eſt ex miſericordia Dei; quando autem non removetur, hoc eſt ex juſtitia ejus*. Non ero in hac ſententia propugnanda prolixior: nam & illam libro 18. cap. 8. ſtudui momentis plurimis confirmare, de puerulis ſine baptiſmate decedentibus, atque de infidelibus, perditiſque hominibus juxta Scholarum morem ſingillatim pertractans: & revera Auguſtinum, Proſperum, Fulgentium, alioſque Africanos Patres, necnon S. Thomam Aquinatem hanc tradidiſſe doctrinam præter Auguſtinenſium ac Thomiſtarum permultos, ingenui quoque adverſarii, cum Theophilo Raynaudo in Lugdunenſi Editione Operum Sancti Leonis Magni, ultro lubenterque fatentur.

„ Neque in iis explanandis ac dirimendis quæſtionibus ex iſta, tamquam ex fonte, manantibus immorabor diutius, cum ex hactenus dictis expediantur facillime. Itaque breviter, & perfunctorie illas attingam. Prior quæſtio illa eſſe videtur, Quomodo Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtus ſit omnium hominum redemptor, ſi aliquibus ſufficiens gratia negetur, ſine qua nemo poteſt ſalutem conſequi, & liberari a dæmonis captivitate. At hæc prior quæſtio animum noſtrum non pulſat. Haud enim ſemel dictum eſt, antecedentem Dei voluntatem, cujus objectum eſt ſalus univerſorum, nequaquam comparari ad homines conſtitutos in certis & peculiaribus circumſtantiis, & prout ſunt a parte rei, neque ad voluntatem illam pertinere ſingulis dona gratiarum, & conducentia ad ſalutem remedia conferre, ſed inſtituere tantummodo ac præparare. Pari modo affirmavimus Chriſtum eſſe redemptorem omnium quantum ad pretii magnitudinem & oblationem, & quoniam humanam naturam in veritate ſuſcipiens communem cauſſam aſſumpſit, inſtituitque cauſam noſtræ liberationis, paratis exhibitiſque remediis efficaciſſimis, per quæ poſſint quæcunque peccata deleri. Ex quo minime ſequitur fructum dominicæ paſſionis percipi ab omnibus, & gratiarum munere, quæ abunde Chriſtus promeruit, cuique indigno, etiam nolenti & ea objicienti, applicari, quum id ſpectet ad voluntatem Dei abſolutam, quam Schola vocat ſequentem, atque ad peculiarem redemptionis proprietatem. Illud quoque obſervatum eſt ſupra, Maſſilienſes ceteroſque Semipelagianos contra S. P. Auguſtini doctrinam de gratia, & prædeſtinatione, hæc duo potiſſimum objeciſſe, videlicet, ex illa Auguſtini doctrina conſequi Deum nolle ſalutem omnium, & Chriſtum paſſum & affixum cruci non fuiſſe pro omnibus redimendis. Quid Beato Proſpero, quid aliis Auguſtini diſcipulis facilius erat, atque ad objecta illa exſufflanda omnemque repellendam calumniam magis idoneum, & expeditum, quam reſpondere, eſſe quidem prædeſtinatis ante mundi conſtitutionem definita divinarum gratiarum beneficia, quibus certiſſime liberentur; ſed cuilibet tamen reprobo, quantumvis ſceleſtiſſimo, conferri auxilia ſufficientia, quibus liberari poſſit, ſi velit? Cur hujuſmodi reſponſio tam obvia, tam plana, tam a Theologis Scholam noſtram inſectantibus decantata, nunquam a magnis illis Pelagianæ hæreſis debellatoribus, Gratiæ præconibus, Auguſtini vindicibus, in reſponſis ad repetita objecta, in lucubrationibus, libriſque exquiſitiſſimis adinvenitur adhibita? Addo generales illas ſcripturarum ſanctarum locutiones, quibus aſſeritur Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, comprehendere proculdubio etiam parvulos, qui maternis incluſi viſceribus abſque regeneratione baptiſmatis rapiuntur. At parvulis illis nullum dari auxilium ſufficiens in Auguſtiniana Schola certiſſimum eſt. Vide Auguſtinum Epiſtola 107. nunc 217. lib. de Nat. & gratia cap. 8. lib. 6. contra Julianum cap. 12. alias 14. de Prædeſt. Sanct. cap. 12. de Dono Perſ. cap. 11. Adiſis & Gabrielem Vaſquez Societatis Jeſu Theologum præſtantiſſimum in 1. partem diſput. 46. cap. 2. & ſequenti. Igitur ex quo Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, non infertur ſufficientis gratiæ actualis collatio, ſed præparatio duntaxat, atque inſtitutio mediorum, quibus poſſumus ſalutem conſequi ſempiternam. Hoc petito ex parvulis argumento mirum in modum premebantur Pelagiani: neque ad illud elidendum reſponſionem aliam potuerunt excogitare, quam nullam eſſe in parvulis originariæ labis contagionem, raptiſque ſine baptiſmo reſervatam fuiſſe extra regnum cælorum miſeriarum pœnarumque expertem æternam vitam. Quæ Pelagianorum commentatio capite 8. libri 13. a nobis refutata, etiam ſuamet abſurditate refellitur. Nam transfundi in poſteros Adæ originale peccatum docet Catholica fides, & æternam vitam extra cæleſte regnum inquirere delirium ac ſomnium eſt, oppoſitumque Evangelio commentum. Catholici autem, qui originalis culpæ fatentur propagationem, & nulli mortalium ſufficientem gratiam denegari arbitrantur, cum experimento quotidiano cognoſcant infantium permultos non accepta baptiſmi gratia perire, apprehendantque optime in iiſdem infantibus mentem ſupernæ illuſtrationis & voluntatem piorum affectuum eſſe incapacem, eo paſſim confugiunt, ut illis medium ad ſalutem ſufficiens ſaltem remote, & in parentibus affirment adminiſtrari; atque idcirco ſine ſacramento regenerationis decedere, quoniam eis naturales cauſſæ, ut ſeminis infectio, materni uteri infirmitas, infantilium membrorum complexio, cædes aut percuſſio parientis, & cauſæ aliæ hujus generis, quarum cauſarum effectum Deus non tenetur impedire, immaturam acerbiſſimamque inferunt mortem. Mirum, ſi ita ſit, cur magnus Auguſtinus in ea quæſtione, cur ex duobus parvulis unus, non alter perveniat ad gratiam baptiſmatis, recurrat ſæpenumero ad inſcrutabilia judicia Dei, ſcribatque citato cap. 11. de Dono Perſeverantiæ, *In eo ergo, quod aliis* gratiam *dat, aliis non dat, cur* Pelagiani *nolunt cantare Domino miſericordiam & judicium? Cur autem illis potius, quam illis detur, quis cognovit ſenſum Domini? Quis inſcrutabilia ſcrutari valeat? Quis ininveſtigabilia veſtigare?* Sane hæc ſcribenti prædicta reſponſio non occurrit, parvulos, de quibus agimus, gratia privari vel ſola voluntate parentum, vel ob mortem acceleratam ſecundarum cauſarum occurſu. Immo hæc dicturos longe antea invictiſſimis rationibus S. Pater oppugnavit, docens plerumque feſtinantibus parentibus & paratis miniſtris, ut baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente non dari, qui eum parvulum in hac vita non tenuit ut daretur. Sed hæc alibi. Si reponas autem non eamdem eſſe parvulorum, & adultorum rationem; ſcias, oportet, Auguſtinum diſcrepantiam hanc in eo, quod pertinet ad reprobationem, quam Schola negativam appellat, ſive ad non electionem, & ad denegationem gratiarum, aut ignoraſſe, aut rejeciſſe, ad voluntatem Dei, ejuſque judicia inſcrutabilia referendo tam parvulorum diſparem exitum, quam adultorum. De Semipelagianis idcirco, qui auctore Hilario in Epiſtola ad Auguſtinum, *Parvulorum cauſam ad exemplum majorum non patiebantur adferri*, citato capite undecimo de Dono Perſev. ita Auguſtinus ad Proſperum & Hilarium reſcripſit. *Cur autem cauſam parvulorum ad exemplum majorum, ſicut ſcribitis, non patiuntur adferri homines, qui contra Pelagianos non dubitant eſſe peccatum originale, quod per unum hominem intravit in mundum, & ex uno omnes iſſe in condemnationem?* Ac ſi diceret (inquit Controv. 5. de Gratia ſufficienti art. 8. Joannes Gonzalez de Leon) juſte cauſa parvulorum adducitur in exemplum majorum, quia ſicut parvulis æqualiter exiſtentibus in originali peccato, aliquibus juſte negabatur gratia, propter illud, quod Deus juſte volebat in eis punire, aliis autem in æquali damnatione gratis omnino dabatur: ita & majoribus in peccato, ſive originali & actuali ſimul, ſive actuali ſolum exiſtentibus, quibuſdam negatur juſte gratia ob talia peccata, quæ Deus punire vult, aliis autem miſericorditer datur. „ At de priori quæſtione tantum.

„ Altera quæſtio eſt, Qua ratione ii, quibus gratia *ſufficiens* denegatur, poſſint ſervata æquitate redargui & corripi, dum auxilio illo ſunt deſtituti, ſine quo converti nequeunt ad fidem, neque a peccatorum ſuorum abyſſo conſurgere. Verum hac difficultate illi quoque pulſantur, qui exigunt, ut voluntas humana ſalutares actus eliciat, gratiam ſuapte natura efficacem; qua privari complures tam certum eſt, quam dubitari non poteſt peccata plurima perpetrari. Quamvis enim hic adeſſe potentiam ad recte agendum affirment, per auxilium ſufficientis gratiæ *expeditam*, completamque, ut ajunt, *in linea potentiæ*, ſive *in actu primo*; tamen abſque Dei prædeterminatione nihil boni actu exerceri concedunt. Eapropter & ipſi ab oppugnatoribus ejuſdem prædeterminationis urgentur eadem oppoſitione: nimi-

„ rum,

rum, ſi peccator ſine auxilio *efficaci* ac prædeterminante non convertitur, ſi nequit eodem auxilio deſtitutus converti, ea ſaltem potentia, quam Scholaſtici quidam *potentiam poſitionis* appellant; quare idem peccator reprehenditur, & redarguitur? Sed & aſſertores illius gratiæ, quam vocant *congruam*, & a Deo confertur in certis quibuſdam circumſtantiis, in quibus illos aſſenſum præſtituros vocationi ſuæ Deus ipſe præſcivit, eodem premuntur objectamento; propterea quod nemo obtemperabit vocanti, niſi in eis temporis, loci, & diſpoſitionis humanæ accidentariis adjunctis vocetur, in quibus Deus prænovit quid ſit executurus. Ipſa itidem Dei præſcientia, antecedens, æterna, invariabilis, eamdem nobis ingerit difficultatem: ſiquidem, ſi Deus præſcivit hominem iniquum non eſſe obtemperaturum vocationi ſuæ, fieri nequit, ut *in ſenſu compoſito* ejuſdem præſcientiæ avertatur a via ſua mala, & revertatur ad Dominum. Ne itaque id, quod captum noſtrum excedit, nimia curioſitate inveſtigare tentemus; quod non ſemel diximus, iterum ad propoſitam quæſtionem reſpondendum eſſe putamus, gratiam aliquibus denegari in pœnam peccati, aliquibus miſericorditer dari; ignorare nos, cur uni detur, & non detur alteri; exclamandum eſſe cum Apoſtolo, *O altitudo &c.* Ad hanc itaque, & alias ejuſdem generis quæſtiones dirimendas, expeditior via nequit adinveniri, quam reſpondendo neminem queri poſſe de ſupremo gratiarum omnium auctore, ſi ab eo deſeratur; quoniam id peccatorum ſuorum pœna eſt, & unuſquiſque jacet in ſcelerum ſuorum perditione, ac tenebroſa caligine propter liberæ propriæque voluntatis perverſitatem. Atque ut iſtud, quantum ingeniolum valet noſtrum, explicetur Auguſtini doctrina; ſciendum eſt, hanc adverſus eumdem Auguſtinum quæſtionem fuiſſe propoſitam a nonnullis monachis Adrumetinis, & luculenter pertractatam a Sapientiſſimo divinæ gratiæ Propugnatore in libro de Correptione & Gratia, a Proſpero in Epiſtola in qua refert ſimilia opponi a multis ſervorum Chriſti in Maſſilienſi urbe conſiſtentibus, videlicet a Semipelagianis, appellato *Pleno divinæ auctoritatis*. Ajebant itaque Adrumetini illi, & iſti Maſſilienſes: *Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus a malo, & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle, & operari Deus operatur in nobis?* & rurſus: *Præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus qui nobis præſunt, & ut faciamus orent pro nobis; non autem nos corripiant, & arguant ſi non fecerimus.* Ita apud Auguſtinum in præcitato libro de Correptione & Gratia cap. 2. & 3. Sequenti pariter cap. 4. ii, qui a gratiæ prædicatoribus in ſuis malignis operibus corripi volunt, ita loqui perhibentur: *Præcipe mihi quid faciam, & ſi fecero age pro me gratias Deo, qui mihi ut facerem dedit. Si autem non fecero, non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus eſt, ut det quod non dedit, ideſt, ipſam, qua præcepta ejus fiant, fidelem Dei, & proximi caritatem. Ora ergo pro me, ut hanc accipiam, & per hanc ex animo, cum bona voluntate, quæ præcipit faciam. Recte autem corriperer, ſi eam mea culpa non haberem, hoc eſt, ſi eam poſſem mihi dare, vel ſumere ipſe, nec facerem; vel ſi dante illo accipere voluiſſem.* En præcedens quæſtio, majori quam fieri poſſit perſpicuitate, verborumque complexu explanata. At quomodo Sanctus Doctor quæſtionem ipſam reſolvit? *Ad hæc reſpondemus* (inquit cap. 5. Auguſtinus) *Quicunque Dei præcepta jam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonſtrari: non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tu ipſe oſtendi, ut cum deformem te vides, reformatorem deſideres, eique ſupplices, ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitium eſt, quod malus es; quaſi laudanda, vel indifferenter habenda ſint vitia, ut neque laudentur, neque vituperentur: aut vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor; aut aliud agat cum ſalubriter ſtimulat, niſi ut rogetur bonus, & ex malis, qui corripiuntur, faciat bonos qui laudentur.* His, & quæ ſequuntur conſimilibus, Auguſtinus palam facit, querimoniam illam adſpernantium correptiones indicium eſſe perverſitatis nolentium vulnera ſua detegi, damnandoque pudore ferrum & medicamenta recuſantium, & miſericorditer medentibus obloquentium, ne ſanentur. Atque hinc infert nunc majorem, nunc minorem eſſe correptionis utilitatem, quando pro peccatorum diverſitate ſalubriter adhibetur, ut confugiat ad ſupernum Medicum qui corripitur. Paucis vero ſubjectis ita Auguſtinus proſequitur: *Cur autem iſti, qui corripi nolunt, dicunt, Tantum præcipe mihi, & ora pro me, ut quod præcipis faciam? Cur non potius ſecundum ſuum pravum ſenſum & iſta duo reſpuunt & dicunt, Nec ut præcipias mihi, nec ut ores pro me volo?* Quibus aperte Auguſtinus declarat, ejuſdem eſſe perverſitatis nolle redargui, & nolle alterius audire mandata, preceſque pro ſe oblatas contemnere. Animadvertens deinde S. Pater quoſdam correptione proficere, quoſdam non proficere, demonſtrat eos qui proficiunt gratiam a Deo miſericorditer conſequi, nec tamen alios qui Deo non obediunt eſſe extra culpam: quod ita egregius Doctor declarat. *Tunc autem correptione proficit homo, cum miſeretur, atque adjuvat qui facit quos voluerit etiam ſine correptione proficere. Sed quare iſti ſic, illi aliter, atque alii aliter diverſis & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, abſit ut dicamus judicium luti eſſe debere, non figuli. Apoſtolus, inquiunt, ait: Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accuſamur? Quid facimus, qui non accepimus? Qui hæc dicunt, extra culpam ſe videri volunt, in hoc quod non obediunt Deo, quia utique ipſa obedientia munus ejus eſt: quæ neceſſe eſt ut inſit ei cui caritas ineſt, quæ ſine dubio ex Deo eſt, & dat eam peter filiis ſuis: hanc, inquiunt, non accepimus; quid itaque corripimur, quaſi nos eam nobis dare poſſimus, & noſtro arbitrio dare nolimus? Nec attendunt, ſi nondum regenerati ſunt, primam eſſe cauſam, cur objurgati quod ſint inobedientes Deo, ſibi debeant diſplicere, quia facit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non eſt iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas, qua Deo non obeditur, ab homine eſt, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, ſua mala voluntate decidens, pravus effectus eſt.* Poſteaquam vero S. Pater oſtendit idcirco corripiendam eſſe, in eo qui non eſt regeneratus, originem damnabilem, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, ad hunc proſequitur modum: „ *Si autem jam regeneratus, & juſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur; certe iſte non poteſt dicere; Non accepi, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum amiſit arbitrio. Qui ſi correptione compunctus ſalubriter ingemuit, & ad ſimilia bona opera, vel etiam meliora revertitur, nempe hic apertiſſime utilitas correptionis apparet* „. Plura ex libro de Correpr. & gratia exſcripſi, in quo & alia ſunt hujus generis bene multa. Hæc tamen ad propoſitam quæſtionem diluendam ſolvendamque ſatis eſſe videntur: nam & arrogantiam eorum, qui nolunt reprehendi, coercent, & correptionis utilitatem evincunt, & cauſam cur ii, qui gratia deſtituti ſunt, æquiſſime redarguantur, evidenter declarant. Cum vero his Auguſtinus ſæpe ſæpius repetat nolentium corripi querimoniam; quare nunquam reponit, præſto illis eſſe adjutorium gratiæ, qua credere poſſunt, ac pœnitere? quare non ait juſte illos corripi, quia adjuvantur a Domino, nec illi obediunt? quare affirmat non debere lutum dicere figulo, cur me ſic feciſti? Cur nunquam utitur ea reſponſione, quam neoterici quidam Theologi obviam, planam, expeditiſſimamque putant, *Recte corripiuntur, quoniam gratiam habent qua converti poſſunt, & nolunt?* Fallor, aut proculdubio ſapientiſſimus Auguſtinus non credidit eamdem gratiam omnibus qui corripiuntur adeſſe; aut certiſſime non putavit ad gratiam, quæ omnibus adſit, recurrendum eſſe, ut juſta ſit objurgatio & correptio: ideoque quæſtio, in qua verſamur, minime nos cogit ad aſſerendum nulli prorſus mortalium denegari interioris gratiæ adjutorium. Eadem via, & inſiſtens S. P. Auguſtini veſtigiis, progreditur de Correptione diſſerens Doctor Angelicus. Legatur q. 24. de Verit. art. 14. ad 2. & 22. quæſt. 32. art. 2. Ejus doctrina eſt, præcipi nobis correptionem fraternam, ut revera divinæ Scripturæ commonſtrant, Matthæi 10. 15. ad Galatas cap. 5. 13. in priori ad Theſſalon. cap. 5. 14. in 2. ad Theſſalon. cap. 3. 14. 15. debere autem nos corripere alios, etſi gratiam non habeant, neque nos illam per correptionem conferre poſſimus, quoniam adhibere debemus media, quæ Deus ad noſtram, aliorumque ſalutem nobis adhibenda præcepit: ignoramus autem an decreverit nos, alioſque, adjuncta correptione, ſive aliter, inſpirando gratiam trahere ad pœnitentiam. Videſis Franciſcum Sylvium in præcitatum art. 2. quæſtionis ſecundæ in reſponſione ad 4.

„ Tertia quæſtio ea eſt, an illi, qui juſto Dei judicio carerent *ſufficientis* gratiæ adjutorio, præcepta Dei poſſent revera dici impoſſibilia. Non eſt hæc quæſtio penitus prætermittenda; enimvero communis fere eſt recentiorum Theologorum aſſertio, ideo poſſe unumquemque ſervare præcepta Dei, & vitare peccata, quia habet unuſquiſque *ſufficientem* gratiam, qua uti poteſt, ſi velit. Sed verior eſt illorum ſententia, qui docent præcepta Dei eſſe cunctis mortalibus poſſibilia, & eorumdem tranſgreſſionem ad culpam imputari, etiamſi aliquis in pœnam peccati careat ſupernæ gratiæ auxilio. Principio enim ad propugnandam certiſſimam illam, firmiſſimaque fide tenendam aſſertionem de poſſibilitate præceptorum divinorum, fruſtra recurri ad Scholaſticam, & in utramque partem agitatam de gratia *ſufficiente* diſputationem, & ſuadet ratio non exigendi, revocandique ad incerta quorumdam documenta, fluxaſque probationes, inconcuſſa dogmata fidei, & ulterius viri doctiſſimi tra-

diderunt. Ex quorum numero ſi teſtimonia producerem celeberrimarum Academiarum Lovanienſis, & Duacenſis in ſuis cenſuris adverſus Leſſium, & Hamelium, ſi illuſtris Carmelitæ Henrici a Sancto Ignatio in Ethica amoris lib. 9. cap. 25., ſi Hyacinthi Serry Ordinis Prædicatorum in Schola Thomiſtica Vindicata pag. 69., ſi alterius recentioris Scriptoris; jure pertimeſcerem, ne qui omnes adverſarios ſuos ad Baji Janſeniique caſtra detrudunt, vociferarentur nos confugere ad Novatorum præſidia miſerrima atque infirmiſſima. Ab his itaque diſcedamus. Audiatur autem Guilelmus Eſtius, qui in 2. ſent. diſt. 26. §. 41. ubi pertractat de ea quæſtione, An ſine gratia poſſint ſervari mandata legis, inquit: *Verum objicies. Auxilium illud non eſt in poteſtate hominis, præſertim ejus, qui de gratia nihil unquam audivit, ſed tantum ducitur lumine rationis humanæ. Quidam ad hoc reſpondent, nullum eſſe hominem, cui non ſemper adſit obvium & paratum a Deo auxilium gratiæ, per quam poſſit totam legem ſervare, & vitare peccata, modo velit, ut poteſt, eo auxilio uti per liberum ſuum arbitrium. Sed hæc reſponſio neque Scripturis ſanctis, neque doctrinæ ſanctorum Patrum conſonat, atque cum efficaci operatione gratiæ Dei conſiſtit, uti plenius ſuo loco monſtrabimus. At neque Auguſtinus, tametſi vehementer hoc argumento preſſus a Pelagianis, uſquam iſtiuſmodi reſponſionem adhibuit, quod ſpecialiter obſervare eſt in toto libro de perfectione juſtitiæ, ut alia ejus loca, quibus contrarium docet, taceamus.* Adde Franciſcum Sylvium, cujus in 1. 2. q. 109. art. 4. *Quæritur* 1., hæc ſunt verba: *Accedit, quod ſive detur aliqua gratia, quæ tantum eſt ſufficiens & non efficax, ſive non detur; (quâ de re q. 111. differendi locus eſt) ea ſecundum rei veritatem eſt impertinens ad ſalvandum quod homo poſſit divina mandata ſervare; partim quia ut ipſa illa ſervet, ea gratia ſola non ſufficit, ſed oportet quod etiam adſit gratia efficax, quæ a ſola Deo pendet, & gratis, ſeu ſine merito tribuitur: partim quia juxta communem ſententiam gratia ſufficiens non ſemper datur; & tamen homines viatores ſemper poſſunt divina mandata ſervare, ac per conſequens etiam tunc quando non habent gratiam ſufficientem; ergo ut obſervatio mandatorum dicatur eſſe poſſibilis, non eſt neceſſe venire eo, ut dicatur quod habeant gratiam ſufficientem.* Tenentur idem aſſerere, & revera aſſerent omnes illi ex Auguſtiniana & ex Thomiſtica Schola Theologi, qui ſententiam illam propugnant, quam Sylvius teſtatur ætate ſua fuiſſe *communem*, nempe a majori ſaltem Doctorum multitudine traditam. Venerabilis quoque Bellarminus lib. 6. de Gratia & lib. arb. cap. 15. demonſtrat ante omnem gratiam, ideſt, ante illam gratiam *ſufficientem*, quæ nobis inſpiratur bonæ voluntatis initium, eſſe in homine liberum arbitrium, & *potentiam remotam* ad opera pietatis; quamvis ante omnem gratiam nulla detur ad ipſa pietatis opera *potentia proxima & perfecta*. Eo enim loci ſtatuit hanc priorem ſententiam: *Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non ſolum ad opera naturalia, & moralia, ſed etiam ad opera pietatis, & ſupernaturalia*: quam ſententiam demonſtrat ex Auguſtino libro de ſpiritu & littera cap. 33. & lib. 2. de peccatorum mer. & remiſſ. cap. 18. Subjicit ibidem ſcriptor Venerabilis hanc ſententiam ſecundam: *Habet homo ante omnem gratiam potentiam remotam & imperfectam ad opera pietatis facienda*; quam pariter demonſtrat ex Auguſtino libro de Prædeſt. SS. cap. 5. & libro de Grat. Chriſti cap. 5. Prædictam itaque quæſtionem ita arbitror eſſe ſolvendam. Poteſt quicunque mortalium, quoad vixerit, credere, converti ad Dominum, ſervare præcepta, pœnitentiam agere, vitare peccata, atque perſeverare, idque niſi faciat, ei imputari debet in culpam; quoniam habet ad hæc omnia *potentiam remotam*, quæ adjuvari poteſt a gratia, de qua nulli prorſus, quantumvis ſceleſtiſſimo, in hac vita eſt deſperandum. Hæc eſt Doctrina S. P. Auguſtini ſcribentis in libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 5. *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere caritatem, naturæ eſt hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiæ eſt fidelium. Ibique, credere, & non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas a Domino.* Idem S. Pater in lib. 1. Retract. cap. 22. inquit: *In poteſtate hominis eſt mutare in melius voluntatem; ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi a Deo detur, de qua dictum eſt, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cum enim hoc ſit in poteſtate quod cum volumus facimus; nihil tam in poteſtate quam ipſa voluntas eſt, ſed præparatur voluntas a Domino.* Ex hoc S. P. Auguſtini teſtimonio infert Cardinalis Bellarminus præcitato capite 15. libri 6. de Gratia & lib. arbitrio, non eſſe in homine *ante gratiam* potentiam rectam agendi expeditam & proximam; quod & repetit S. Doctor pluribus in locis, præſertim de Corrept. & grat. cap. 12. ubi de Electis ait: *Perſeverandi eis poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate tribuitur.* Ex qua S. Patris perpetua conſtantiſſimaque doctrina manifeſtum eſſe puto, eumdem aliuſque Eccleſiæ Patres, Scholaſticumque Doctores, ubi affirmant nihil boni nos poſſe abſque gratia Chriſti, qui dicit, *Sine me nihil poteſtis facere*, loqui de illa *potentia proxima* quam confert gratia, non *de potentia illa remota*, quæ ſita eſt in natura liberi arbitrii; atque hanc potentiam, quæ munus eſt gratiæ, in aliquibus eſſe, in aliquibus deeſſe, ut diſtinguatur quid veniat *de miſericordia*, quid *de judicio*: nunquam tamen in hac vita præcepta Dei poſſe dici *impoſſibilia*; quoniam ſemper adeſt homini viatori liberum arbitrium cui naturaliter indita eſt *potentia illa remota*, & ſemper conferri poteſt Chriſti gratia, quæ illi tribuat *potentiam proximam*. Hanc eſſe mentem Auguſtini, nequaquam dubito. Ab Auguſtino non recedit Beatus Proſper, qui ad 6. Object. Vincentianam, ut ſupra dictum eſt, docet hoc diſtare inter malos homines & dæmones, *quod hominibus etiam valde malis ſupereſt, ſi Deus miſereatur, reconciliatio; Dæmonibus autem nulla eſt in æternum ſervata converſio*: quia nimirum hominibus viatoribus ſemper poſſibilis eſt reſipiſcentia, & ſcelerum expiatio, quia ſemper eſt poſſibilis collatio gratiæ, *ſi Deus velit eis miſereri*. Haud aliter ſentit S. Thomas. Ille enim 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. inquit, *in hominis poteſtate eſſe* credere articulos fidei, & diligere Deum & proximum, ſed non excluſo auxilio gratiæ: *quod quidem auxilium quibuſcunque datur miſericorditer datur: quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis, aut ſaltem originalis peccati, ut dicit Auguſtinus in lib. de Corrept. & gr.* Ipſemet S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 4. ad 2. *Illud*, inquit, *quod poſſumus cum auxilio divino, non eſt nobis omnino impoſſibile; ſecundum illud Philoſophi in 3. Ethicorum, Quod per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus.* Denum Doctor Angelicus, ne in re cuique ſtudioſo notiſſima moremur diutius, in eadem quæſt. 109. art. 6. ad 2. ait: *Quod dicitur eſſe in poteſtate hominis, hoc intelligitur ſecundum quod eſt motus a Deo.* Salubriter ergo de libero arbitrio, & de gratia Dei ſentit quiſquis cum ſanctiſſimis viris, & Eccleſiæ Luminibus Auguſtino, Proſpero, ac Thoma affirmat eſſe in nobis liberum arbitrium & poteſtatem ſervandi præcepta Dei: hanc tamen poteſtatem minime excludere præmotionem divinæ gratiæ; & hanc gratiam aliquibus miſericorditer dari, aliquibus juſto Dei judicio non dari. Crediderim propoſitam quæſtionem hoc modo fuiſſe ſolvendam. Nam recentiores illi Thomiſtæ, qui tradunt dari omnibus gratiam *ſufficientem*, per quam poſſunt ſervare mandata & peccata vitare, ſi velint, tametſi aſſerant per illam gratiam dumtaxat haberi *potentiam proximam*, ſeu, ne illorum orationem abjiciam, completum eſſe liberum voluntatis arbitrium *in linea potentiæ*, exigunt tamen gratiam aliam per ſe efficacem, ut *actu* velit, & *actu* operetur, ideoque eadem difficultate premuntur. Dicentibus enim, *Poteſt homo adimplere Dei mandata, quoniam habet gratiam ſufficientem, qua poteſt, ſi eadem gratia uti velit*, nonne eadem difficultas proponi poteſt hoc pacto: At illud *velle*, de quo ais, *Poteſt ſi gratia uti velit*, nonne efficitur in voluntate a Deo, *qui operatur in nobis velle & perficere*? Nonne idem *velle* efficitur per auxilium *quo*, ſeu per gratiam efficacem? Nonne hæc ſaltem gratia juſto Dei judicio aliquibus denegatur? Non opus eſt ergo ad hæc divertere ſubterfugia. Via, quam Patres noſtri calcarunt, hæc eſt: Habet homo liberum arbitrium; poteſt quandiu vivit habere gratiam, quæ requiritur ad implenda Dei mandata: nunquam ergo quandiu vivit mandata Dei ſunt homini impoſſibilia. Hac itaque via plana regiaque incedamus.

Quarta, & poſtrema quæſtio erit, quænam ſpes maneat ſalutis iniquiſſimorum hominum, quorum juſtiſſimo Dei judicio excæcantur oculi ne videant, & cor ſubtractione gratiæ obdureſcit. Sed paucis quæſtionem hanc expedimus. Manet enim ſalutis iſtorum hominum ſpes maxima, in Deo, cujus miſericordia eſt ſuper omnia opera ejus, & qui omnipotentiam ſuam parcendo maxime, & miſerando manifeſtat: manet in Chriſto, qui peccata noſtra tulit, pro nobis oblatus eſt, abſtulit cauſam divinæ indignationis, delevit & cruci affixit damnationis chirographum, ſemper vivit ad interpellandum pro nobis, atque eſt propitiatio pro peccatis totius mundi. Per hunc ergo mediatorem Dei & hominum regeneravit nos Deus in ſpem vivam. De hac ſpe Doctor Gentium in epiſtola ad Hebr. 6. 19. inquit: *ſpem ſicut anchoram habemus tutam, & firmam*: & Auguſtinus de Dono Perſever. cap. 6. num. 12. *Tutiores vivimus, ſi totum Deo damus*; atque de Præd. SS. cap. 11. num. 21. *Sed incerta eſt mihi, inquit, voluntas Dei. Quid ergo tua ne tibi voluntas de teipſo certa eſt, nec times? Qui videtur ſtare, videat ne cadat. Cum igitur utraque incerta ſit, cur non homo firmiori, quam infirmiori, fidem ſuam, ſpem, caritatemque committit?* His itaque Opuſculo finem imponimus, Deum cum ſapientiſſimo æque ſanctiſſimoque Parente in libro 10. Confeſſionum ſuarum cap. 29. num. 40. alloquentes, *Et tota ſpes mea non niſi in magna valde miſericordia tua.*

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER DECIMUS NONUS,

In quo diſſeritur de Juſtificatione, bonorumque operum meritis.

GRATIÆ actualis, cui humanum arbitrium obtemperet, præcipuus effectus eſt divinam in nobis imaginem inſtaurare, atque diligentes Deum, eique tanquam palmites viti adhærentes exornare copioſo meritorum fructu, & juſtæ retributionis corona. Poſteaquam igitur de ipſa actuali Gratia in præcedentibus diſſeruimus, pertractandum nobis eſt de Sanctitatis ornatu, ſive de Gratia, quam dicimus *habitualem*; per quam in nobis Spiritus ſanctus inhabitans abſtergit peccatorum maculas, digna reddit pietatis opera, tribuitque diligentibus Deum æternæ hæreditatis pignus & arrham. De hac *habituali* Gratia perpauca tradiderunt antiquiores Scholaſtici, ſatis multa qui data opera poſtremas hæreſes profligarunt. Conſtitutum nobis eſt hanc ſervare rationem, ut devitemus Veterum brevitatem, & prolixitatem ſimul Recentiorum, nec tamen neceſſarium aliquid prætermittamus: quod ſi minime fuerimus aſſecuti; legi poterunt qui de hoc argumento ſtilo ampliori ſcripſerunt, Vega, Bellarminus, Turrianus, Stapletonus, Hadrianus & Petrus Valemburgenſes, Caſalius noſter, & alii. At priuſquam, Lector benevole, pervolutes grandiora volumina, quid pagellæ noſtræ contineant inſpicere non dedigneris.

CAPUT I.

Quid ſit Gratia Sanctificans, quam Scholæ recte habitualem *appellant?*

IN Tridentina Generali Synodo, ut refert qui illius Hiſtoriam literis mandavit, Cardinalis Pallavicinus lib. 8. cap. 2. & ſeqq. cum Patres animadverterent veteres Scholaſticos de Juſtificatione, ſeu *habituali* gratia jejune admodum diſſeruiſſe, plurimum tamen lucis huic quæſtioni affuſum a Scriptoribus Catholicis, qui poſtremas hæreſes, Lutheranam præſertim, & Calvinianam oppugnarunt; ex horum libris docuerunt veritatem mirifice colluſtrari. Affirmarunt inſuper in hac diſputatione, poſteaquam aſſiduis precibus divinum lumen fuerit impetratum, talem methodum eſſe tenendam, ut primo inquiratur quid ſit Juſtificatio; deinde quid Deus efficiat, quidve ex parte hominum ut juſtificentur, ſit neceſſarium: poſtmodum quo pacto intelligenda ſit Apoſtolica ſententia quod homines juſtificentur per fidem: inſuper quale meritum inſit operibus, quæ juſtificationem aut præcedunt, aut ſubſequuntur; ac tandem quænam ſint juſtificationis proprietates & effectus. Hanc vero methodum, cum recta ſit, atque a Patribus Tridentinis probata, in hoc libro Operis noſtri Theologici XIX., tenere jure, meritoque curabimus.

Primum itaque dicturi quid ſit juſtificatio, præmittimus vocabulum iſtud apud Latinos Scriptores minime occurrere, & ideo nugari hæreticos quoſdam a Grammaticis juſtificationis naturam quærentes: quamvis ſi Tullius quoque, Terentius, Livius, aut aureæ Scriptor alius ætatis dictionem hanc uſurpaſſet, ratio nobis habenda foret ſignificationis Theologicæ, non vero Grammaticalis. Ceterum quantum ad Sacras literas attinet, in his juſtificatio accipitur I. pro juſtitiæ declaratione, quo ſenſu ait Eſaias v. 23. *Qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.* II. pro divina lege, qua proponuntur juſtitiæ præcepta, ut Pſ. CXVIII. 5. *Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.* III. pro interna animi rectitudine, qua ſanctitate perfundimur, ut ad Rom. IV. 5. *Credenti eum, qui juſtificat impium.* IV. pro ipſius juſtitiæ incremento, ut Apocalypſ. ult. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* De juſtificatione præſertim in tertio accepta ſenſu Catholici diſſentiunt a Novatoribus, qui nullam propriam veramque juſtitiam admittunt, ſed *forenſem* tantum, ideſt ſitam in ſola ſempiterni Judicis declaratione, ſive in remiſſione peccati per ſolam imputationem juſtitiæ Chriſti; non vero per gratiam & caritatem animæ inhærentem, atque diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum inhabitantem. Dixi, Novatores nullam aliam admittere veram propriamque juſtitiam; nam virtutum *habitus* etiam animæ inhærentes minime negant; ſed his virtutibus vim juſtificandi non tribuunt: quare Petrus Martyr de Locis comm. Claſſ. III. cap. 3. inquit: *Exponitur deinde quod duplicem juſtitiam habere dicamur: unam a Deo nobis imputatam, qua revera juſtificamur, & eam ex operibus minime obtinemus, verum fide apprehendimus: altera vero juſtitia eſt, quæ nobis inhæret, conſtatque fide, ſpe, caritate, omnibuſque bonis operibus.* Catholici itaque adverſus Hæreticos propugnant dari juſtitiam inhærentem, quæ ſit juſtificationis noſtræ *formalis cauſſa*: de qua Tridentina Synodus Seſſ. VI. c. 7. ait: *Unica formalis cauſſa eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed vere juſti nominamur & ſumus.*

Inveſtigandum eſt modo quid ſit hæc inhærens juſtitia. Quidam Theologi, inter quos Dominicus Soto lib. 2. de Nat. & Grat. cap. 17. & Bartholomæus Medina t. 2. q. 100. art. 2., tradunt definitum hoc unum a Tridentina Synodo, quod juſtificatio non in ſola remiſſione, aut non imputatione peccatorum conſtituenda ſit, ſed in interna renovatione; quæ num fiat per qualitatem inhærentem, num per actualem motionem minime conſtat. Et quamquam Vega in citatum Trid. locum, aſſerit ſpectare ad fidem, quod juſtificatio fiat per *habitualem*, non per ſolam actualem gratiam, negant viri docti cum Eſtio in diſt. XXVI. lib. 2. eſſe id a Synodo definitum, cum potius a nomine *habitus* conſulto Patres Tridentini abſtinuerint, ne opinionibus Scholæ aliquod afferrent præjudicium. Verum etſi opinio, in quam protendit Medina, non ſit a Concilio proſcripta; falſum omnino eſt fieri juſtificationem duntaxat per motionem actualem; quoniam hæc perperam fingitur in parvulis nondum ad percipiendam ſanctam excitationem idoneis, qui tamen dum abluuntur baptiſmo, ſancti & juſti efficiuntur; ac præterea juſtitia dicitur animæ ſtola, & quaſi ſpiritualе indumentum, nec non exprimitur certis characteribus, quibus ab actuali ac tranſeunte gratia ſecernitur; ideoque firmiſſime tenemus fieri juſtificationem per gratiam non ſolum interius inſpiratam, ſed permanentem, ſive, ut appellant, *habitualem*.

Jam vero cum certum nobis ſit eam gratiam, per quam *formaliter* juſtificamur, permanentem eſſe, atque inhærentem, in quo autem ſita ſit natura illius Theologi nequaquam conveniant; poterit quiſque ex his, quæ de actuali Gratia diſputavimus, inferre quid de *habituali* tenendum ſit. Actualem ergo quidam Deum, divinamque potentiam atque miſericordiam nobis intime præſentem dixerunt, alii qualitatem phyſicam, ſive actuoſam, ut inquiunt, *entitatem*, complures divinam motionem, permulti illuſtrationem mentis, & caritatis inſpirationem. Inter iſtas autem ſententias nos medium iter arripientes diximus actualem gratiam, ſi conſideretur ex parte Dei, eſſe Deum ipſum inſpirantem nobis bonam voluntatem; ſi ex parte noſtri eſſe pium animi motum. Hoc ſane pacto Gratiam *habitualem* plures Theologi eſſe putant Deum ac Spiritum ſanctum nobis inhabitantem, multi *qualitatem* inhærentem realiter diſtinctam ab anima, nonnulli *habitum* adhuc incompertum, & ab anima nequaquam diſtinctum, plurimi denique ipſum *habitum* caritatis. Itaque medium in hac etiam quæſtione tenentes, dicimus Gratiam *habitualem* conſideratam ex parte Dei eſſe Spiritum ſanctum in nobis inhabitantem, & Deum ipſum in nobis communicatione Spiritus ſui permanentem; & ſi conſideretur ex parte noſtri eſſe caritatem per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris diffuſam; non caritatem illam, quæ eſt a Spiritu ſancto ſolum movente: & quæ eſt ſanctæ dilectionis inſpiratio, ſed caritatem, quæ eſt a Spiritu Sancto inhabitante, & quæ eſt animæ *habitudo*, & quaſi impreſſa divinitatis imago, renovatio ſpiritus, & pulchritudo juſtitiæ: & per quam Deo cari, & Dei amici vere nominamur & ſumus. Atque hac ratione dicimus cum Tridentino ſeſſione VI. cap. 7. quod *Miſericors Deus, qui gratuito abluit & ſanctificat, ſignans & ungens Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*, eſt cauſa juſtificationis efficiens: ipſa autem caritas, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum inhabitantem, eſt gratia *habitualis*, per quam *formaliter* juſtificamur; nam citato loco Tridentini Patres, poſteaquam declararunt cauſſam juſtificationis *formalem* eſſe juſtitiam, qua renovamur ſpiritu mentis noſtræ, affirmant id fieri, *dum per Spiritum ſanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Inhærentem ergo juſtitiam nos quidem caritatem appellamus, quam etiam *habitum* recte dicimus, in quantum eſt permanens in anima decor, ſpiritalis vita, & juſtitiæ indumentum, conſulto abſtinentes ab ea quæſtione mere philoſophica an *habitus* ſit res quædam naturæ ſuperaddita; an, quod probabilius cenſemus, ipſa natura tali *habitudine* affecta, & quaſi materies ſignata impreſſione ſigilli, ſignaculo ſancti Spiritus condecorata. Fuit enim mens Concilii, ut inquit Pallavi-

cinus

cinus lib. VIII. Hiſt. cap. 14. *Statuere ſpeciatim habitum infuſum juſtitiæ, & non generatim internam interiorem juſtitiam, nihil definiendo, an ne ſit actus, an habitus, uti placuit Gabrieli Vaſquez.*

Priuſquam adverſus hæreticos ſtilum moveamus hæc paullulum colluſtrare non pigeat. Dicimus Deum, qui juſtificationis noſtræ cauſſa efficiens eſt, abluere & ſanctificare animam, dum illam ſignat, & ungit Spiritu promiſſionis: ideoque craſſo detinentur errore, qui putant juſtis non communicari perſonam Spiritus Sancti. Oppoſitum ſane demonſtrant ſacræ literæ; nam Paulus ad Rom. v. 5. ait: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*; ubi aperte donum caritatis, ſive charisma, e Spiritu ſancto tamquam effectum a cauſſa diſtinguit. Idem Apoſtolus frequentiſſime prædicat Spiritum ſanctum in nobis habitare, in eadem ad Rom. Epiſtola cap. 8. 9. 11. in prima ad Corinth. cap. 6. in 2. ad Timotheum cap. 1. & aliis in locis. Atque hinc eſt, quod juſtus dicitur Templum Spiritus ſancti, & idem Spiritus ſanctus unctio, pignus, & arrhabo, ut lib. VII. cap. 14. declaravimus. Idem docent Patres, Cyrillus lib. XXXIV. Theſauri, Epiphanius hæreſi 74., Baſilius in v. contra Eunomium, Athanaſius in Epiſtola ad Serapionem, S. Pater Auguſtinus lib. XV. de Trinit. cap. 26. aliique apud Petavium lib. de Trinit. cap. 4. & 5.

Facile eſt ex hac noſtra aſſertione percipere, cur juſti dicantur *ſignati Spiritu promiſſionis ſancto*, cur habeant in corde ſpiritum clamantem *Abba, Pater*, cur effecti ſint Templum Dei, cur in eis Deus permaneat, cur habeant pignus hæreditatis, cur in regnum dilectionis translati ſint. Liquet etiam, quo ſenſu per gratiam ſanctificantem efficiamur conſortes divinæ naturæ, quod fortaſſis nimium ingenioſe Theologi quidam exponunt, dum gratiam conſtituunt in ſuperinducta *entitate*, quæ radix ſit ſingularium attributorum, & fons ſupernaturalium operationum: quemadmodum divina natura metaphyſice accepta principium eſt proprietatum divinarum. At Petrum, dum Epiſt. II. cap. 1. ait nos fugientes concupiſcentiæ corruptionem, fieri *divinæ conſortes naturæ*, minime arbitror animum convertiſſe ad metaphyſicas perceptiones. Quare, abſque tanta ingenii tortura, dico *habitualem* gratiam eſſe divinæ naturæ participationem, quatenus communicatione facta Spiritus ſancti Deus juſtum diligit, apud illum manſionem facit, illum Spiritu promiſſionis ſignat & ungit, illi tribuit chariſmata juſtitiæ, quo anima quaſi in divinam conditionem aſſumpta fruitur Dei conſortio, & ſempiternam beatitudinem promeretur.

Non eſt tamen chariſma iſtud juſtitiæ ſola Spiritus ſancti perſona, ſed ut præmonui, caritas per Spiritum ſanctum diffuſa. Me non latet Theologos quamplurimos gratiam *habitualem* a caritate diſtinguere his argumentis adductos. I. Quia Apoſtolus in 2. ad Corinth. XIII. ait: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei, &c.* & Trident. ſeſſ. 6. can. 11. *Excluſa gratia, & caritate.* Quæ autem ſumuntur conjunctim diſtinguuntur realiter, ut Pater a Filio, & e Spiritu ſancto. II. Quoniam ex Auguſtino de Grat. Chriſti cap. 26. Gratia prævenit caritatem. III. Quia gratia & caritas in ſubjectis realiter diſtinctis exiſtunt, illa nimirum in anima, hæc autem in voluntate. IV. Quia principium operandi e principio eſſendi diſtinguitur. Quatuor hæc argumenta ſunt inter Thomiſtas communia, illaque urget etiam Gonetus Quæſt. III. de Grat. *Habituali* Articulo 2.

Ceterum longe probabilior eſt eorum ſententia, qui eumdem *habitum* eſſe contendunt caritatis & gratiæ, ut cenſent præter Scotiſtas Eſtius in laudatam diſt. XVI. Juenin P. 2. Inſtit. diſſ. 11. q. 1. atque ex noſtratibus Nicolaus Girken Tract. v. Tom. 2. q. 7. Leonardus Vanroy q. 2. de Caritate, Fulgentius Belleli lib. 1. M. Aug. cap. 5. & ſeqq. aliique complures. In hujus aſſerti præſidium afferuntur 1. Scripturæ, quæ eaſdem caritati, & gratiæ tribuunt proprietates: nam caritas hominem reddit adoptivum Dei filium, ut liquet ex 1. Joannis cap. III. 1. *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* Caritas reddit hominem Dei amicum, juxta illud Joan. XIV. 21. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo.* Caritas eſt, per quam Deus in nobis permanet, ut ſcriptum eſt 1. Joan. IV. 16. *Qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo:* atque, ut dictum ſupra, per caritatem accipimus æternæ hæreditatis pignus, & arrham, ideoque caritas omnia ea præſtat, quæ gratiæ ſanctificanti ſolent tribui. II. Cum Tridentina Synodus *de formali* cauſſa juſtificationis loqueretur, aperte inhærentem juſtitiam declaravit eſſe caritatem, quæ in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum diffunditur, ut conſtat ex verbis ſupra productis; in quibus nullam aliam, præter Caritatem, *formalem* cauſſam juſtificationis aſſignat; cum tamen, ut animadvertit Eſtius, cauſſas omnes ſigillatim exponat, & præcipue *de formali* pertractet adverſus hæreticos, qui negant inhærentem juſtitiam. III. Apertiſſima eſt Auguſtini ſententia ſub finem libri de Nat. & Gratia: *Caritas ergo inchoata, inchoata juſtitia eſt: caritas provecta, provecta juſtitia eſt: caritas magna, magna juſtitia eſt: caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* IV. Valde infirma eſt ratio, ob quam ponunt alii inter gratiam, caritatemque diſcrimen, nimirum, quod gratia naturæ gerat vicem, debeatque ceteris donis virtutibuſque ſubſterni: quod falſum eſt, cum abſque gratia permaneant fidei, & ſpei *habitus*, licet informes; ablata autem caritate, etiam *habitualis* gratia diſcedat, ſitque ipſa caritas quæ virtutibus ceteris tribuit decorem omnem, ac meritum; ut erudite explicat in Conc. de S. Marie Magdalena S. Thomas de Villanove.

Ad argumenta autem oppoſita facilis eſt reſponſio. Nam Tridentina Synodus ſeſſ. VI. cap. 7. *formalem* cauſſam juſtificationis, ideoque gratiam *habitualem* videtur locaſſe in ipſa caritate, quæ *diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret.* Perperam vero ex ipſa Synodo, aut ex Apoſtolo opponitur particula *Et*, quaſi realis diſtinctionis invictum ſit argumentum; quum vel nullam diſcriminis rationem importet, vel ſolam diſtinctionem connotatorum. Eadem quippe gratia, quæ dicitur juſtitia quatenus exornat animam, appellatur caritas, in quantum illam reddit Deo caram. Exemplum autem, quod affert Gonetus ex invocatione Trinitatis, in qua particula *Et* demonſtrat realem diſtinctionem Perſonarum, ita ſit reſpondere recitando verba ex Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 1. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*; imo eadem, quæ nobis opponuntur ex cap. XIII. 13. *Gratia, & caritas Dei*, quibus additur, *& communicatio ſancti Spiritus.* Enimvero neminem puto ex particula *Et* probaturum eſſe, quod Deus non ſit Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod Pater miſericordiarum non ſit Deus totius conſolationis, quod gratia & caritas non ſit communicatio Spiritus ſancti. Ubi vero Auguſtinus ait, quod gratia prævenit caritatem, docet neminem poſſe diligere Deum ſine inſpiratione dilectionis, & caritatem, qua Deus dilexit nos, eſſe principium efficiens caritatis qua nos diligimus Deum, ut diximus lib. XIV. cap. 6. explicantes actualis gratiæ naturam. Voluntatem denique realiter eſſe diſtinctam ab anima, & principium operandi diſtingui realiter a principio eſſendi, præſertim ſi loquamur de principio eſſendi *accidentaliter*, eadem facilitate e nobis negatur, qua aſſeritur e nonnullis. Nullo itaque labore propugnamus Gratiam *habitualem* eſſe indiſtinctum a caritate; quum oppoſitum minime evincant contraria argumenta ſuperius producta, & quædam alia ejuſdem generis deprompta ex Viennenſi Concilio, & ex Clem. *de ſumma Trinitate*, quæ demonſtrant tantum juſtificationem fieri per gratiam inhærentem; quod nullus Catholicorum negat.

Ut a quæſtione ſcholaſtica ad inveſtigandam ſanctificantis gratiæ naturam revertatur oratio; dixi caritatem non eſſe Spiritus ſancti perſonam, ſed ipſius donum ac munus, ut adverſus Magiſtrum ſententiarum diſt. XVII. lib. 1. omnes fere propugnant. Nam caritas, ut Apoſtolus ſcribit, per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris diffunditur; ideoque ab illo tamquam effectus a cauſſa diſtinguitur. Caritas etiam minuitur, & recipit incrementum, quod de immutabili ſpiritu nefas eſt affirmare. At quoniam Magiſter hæc prævidens reſpondit, caritatem eſſe e Spiritu ſancto, in quantum Spiritus dat ſeipſum, & augeri vel minui, non quatenus in ſe eſt, ſed prout nobis communicatur, quo pacto Deus in nobis dicitur magnificari atque exaltari; videtur nobis ita caritatem a Spiritu ſancto diſtinguere, ut non ſit creata quædam *forma* habens *entitatem* realiter diſtinctam ab anima, ſed ejuſdem animæ habitudo, mutabilis quidem, & capax incrementi, ſed ab ipſo Spiritu ſancto inhabitante producta: quod ſupra explicavi exemplo impreſſionis ſigilli. Atque ita conciliare facile poſſumus diſcrepantes veterum Theologorum ſententias.

Hæc ne gratis a me dictum prodeunter e Schola Peripatetica conſequantur; profiteor primum velle me in graviſſimis fidei quæſtionibus non Ariſtotelicis documentis, ſed Scripturarum ſanctarum ac Patrum doctrinis accommodatum auditum, nihil de placitis Philoſophorum definiendo. At Scripturæ juſtificantem gratiam ſignaculo cuidam æquiparant, atque illud e Spiritu ſancto effici docent, ſcribente Paulo ad Epheſios 1. 13. *Signati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto:* quæ verba de Juſtificatione accipi a Tridentino conſtat ex dictis. Similiter Patres ad hunc plane modum loquuntur; Athanaſius in Epiſt. ad Serapionem: *Spiritus ſigillum eſt, quo ſignati divinæ naturæ participes efficimur.* Cyrillus in VII. cum Hermia Dialogo: *Hoc igitur quod divinam nobis imaginem inſculpit, & inſtar ſigilli præſtantiorem mundo pulchritudinem ingenerat, nonne Spiritus eſt?* Hieronymus in caput IV. Ep. ad Epheſ. *Signati ſumus Spiritu Dei ſancto, ut & ſpiritus noſter, & anima imprimantur ſignaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & ſimilitudinem, ad quam in exordio conditi ſumus. Hoc ſignaculum ſancti Spiritus, juxta eloquium Salvatoris, Deo imprimente ſignatur.* Accedit, quod *habitus*, qui ſit *entitas* quædam realiter a ſubjecto, cui inhæreat, diverſa, non probant omnes Philoſophi: neque debent ad phyſiologiæ contentiones Eccleſiaſtica dogmata expendi. Merito itaque diximus, *habitualem* gratiam eſſe habitudinem animæ, ipſi e Spiritu ſancto inhabitante, tamquam ſigillo quodam impreſſam: eamque non alia definitione arbitramur deſcribendam, quam ex divina Scriptura et ſanctis Patribus de-

prom-

prompta; *Habitualis gratia eſt Caritas per Spiritum ſanctum inhabitantem diffuſa in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhærens, per quam ſignati Spiritu promiſſionis ſanctæ efficiuntur divinæ naturæ conſortes*. Hanc vero definitionem ex dictis manifeſtam planiſſimamque eſſe arbitramur.

CAPUT II.

Deum nequaquam juſtificare impios illis remittendo tantum peccata, aut imputando juſtitiam Chriſti, ſed illos interius renovando per inhærentem caritatem & gratiam.

QUASI in proſpectu poſita noſtra circa *habitualem* gratiam ſententia, aperte conſequitur, recte a Tridentina Synodo dictum anathema ſeſſ. VI. can. XI. hæreticis, quorum alii in ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, alii in ſola peccatorum remiſſione, aut externo Dei favore gratiam, qua juſtificamur, conſtituerunt, excluſa gratia & caritate, quæ per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris diffundantur, nobiſque inhæreant. Ac prima hæretica opinio quod juſtitia ſtatuenda ſit in ſola remiſſione peccatorum eſt inter Lutheranos fere communis; quod ſtatui debeat in imputatione juſtitiæ Chriſti, eſt error Calviniſtarum. Martinus Becanus lib. I. de Juſtific. ait Calvinum pugnantia docere, & quaſi jugulare ſeipſum, eo quod in libro de vera rat. reform. Eccl. meminerit inhærentis juſtitiæ, atque aliis in locis inhærentis etiam caritatis; ſed oſtendi ſupra verbis Petri Martyris duplicem ab hæreticis tradi juſtitiam, neque denegari *habitus* inhærentes virtutum: diſcrepare autem illorum ſententiam a noſtra, quod illi negent virtutum habitus ad veram juſtitiam ſpectare, & nolint hanc per formam inhærentem conſtitui; atque nihil aliud eſſe contendant, quam extrinſecam & *quaſi forenſem* condonationem. Spectare hanc condonationem & externum favorem Dei ad cauſſam juſtificationis *formalem* etiam nonnulli Catholici cum Alberto Pighio propugnarunt, at non excluſa caritate, & gratia inhærente: de qua tantum cum hæreticis diſputamus. Pighius videtur efficientem cauſſam confundere cum *formali*; quam *unicam* eſſe declarat Tridentinum Concilium eadem ſeſſ. VI. cap. 7.

PROPOSITIO: Juſtificantur impii per Gratiam, & caritatem, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffunditur, atque illis inhæret.

Theſim iſtam iiſdem plane verbis Synodus Tridentina definit: *Si quis dixerit hominem juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundantur, atque illis inhæreant, aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit*. Eamdem vero theſim hæc ſcripturarum loca commonſtrant. In veteri teſtamento Sanctus David juſtificationis gratiam expoſtulans, *Aſperges me* (inquit Pſ. L. II. 12.) *hyſſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor ... Omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me, Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*. Atque Ezechiel ſpiritum ſanctificationis promittens c. 36. verſu 25. ait: *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab univerſis idolis veſtris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, &c.* In novo pariter teſtamento Apoſtolus juſtificatos adloquens ſcribit ad Rom. V. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*. Ipſe Dominus ita Apoſtolos paullo ante mortem conſolatus eſt Joan. XIV. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Illis itaque qui juſtificantur mundities, & ſpiritalis candor infunditur, & in eis veluti hyſſopo purgatricem vim habente purificabatur infectus lepra, peccati macula virtute ſupernaturali abſtergitur. In illis cor immutatur, ſordes abſcedunt, innovatur ſpiritus, & nova interior habitudo producitur. Apud illos diffuſa caritate Deus inhabitat, ſcilicet peculiari munere præſens adeſt, nec ſola inſpiratione actualis gratiæ pertranſit, ſed ornatu juſtitiæ animam induens in ea conſiſtit ac permanet. Neque majori vocabulorum expreſſione deſignari poterat Spiritus ſanctus inhabitans, juſtitia inhærens, & *formaliter* juſtificans Gratia.

Deinde expendamus, quæſo, effectus gratiæ ſuperius recenſitos, atque ex iiſdem Scripturis depromptos. Redduntur juſti *Dei filii*, per adoptionem quidem, at non legalem & declaratoriam, ſed ſublimioris generis, quæ novam in nobis generationem, nativitatem, vitam, ſalutem, ac ſpiritum efficit. Ait de juſtificandis Joan. III. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne caro eſt, quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt*. Inquit Apoſtolus ad Titum III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde, per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*. Addit ad Rom. VIII. 15. *Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*. Ut ergo naturaliter nobis inhæret natura hominis, per quam naſcimur carne, per quam generamur filii Adæ, per quam filiorum voces emittimus: ita per gratiam juſtificationis inhæret nobis ſupernaturaliter naturæ divinæ participatio, qua renaſcimur ſpiritu, qua regeneramur in filios Dei, qua voce Spiritus vivificantis clamamus, *Abba*, Pater.

Idem evincunt chariſmata, quæ Spiritus ſanctus dicitur impertiri. Per ipſum juſti, tamquam ſigillo, *ſignati ſunt ſpiritu promiſſionis ſancto*, ad Epheſ. I. 13. *acceperunt pignus Spiritus*, 2. ad Corinth. I. 22. fiunt *templum Spiritus ſancti*, I. ad Corint. VI. 19. Hæc quidem inhærentem ſanctitatem ſignificant. *Signari* enim non eſt in ſola imputatione, aut favore externo haberi acceptum, ſed ſignaculo quodam, & quaſi charactere ab improbis ſeparari. *Arrha* quoque, vel *pignus*, non ſola promiſſio eſt, aut ſola legis præſcriptio; ſed quædam portio ejuſdem rei, quæ promittitur, auctore Auguſtino ſerm. de verbis Apoſtoli XIII. Inhabitatio denique & permanentia Spiritus ſancti, non eſt ſola divina ſubſtantia, aut immenſitas; alias non in juſtificatis tantummodo, verum etiam in impiis ac damnatis Deus tamquam *in templo* maneret: ſed eſt etiam energia, effectus, chariſma, quo anima afficitur, inungitur, exornatur. Ex ſcripturis itaque conſtat impium per gratiam inhærentem juſtificari.

Demonſtratur Catholica veritas etiam auctoritate Sanctorum. Veniunt primo loco antiqui Patres, qui ea verba Geneſis, *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, non de ſola rationalis animæ creatione, ſed de juſtitia ac ſanctitate præſertim interpretantur, ut Cyrillus Dialogo V. de Trinit. Nazianzenus Orat. 36. Severianus de Opificio mundi, & alii. Hi ſanctitatem nihil aliud eſſe definiunt, quam effigiem quamdam & ſimilitudinem Dei communicatione Spiritus ſancti, quaſi impreſſione formatam, ita ut Adam per creationem revera factus fuerit in animam viventem; per inſpirationem caritatis evaſerit ſpiritalis, & gratia Spiritus ſancti vivificatus. In quam opinionem olim inclinaſſe Auguſtinum, liquet ex ejus libro 2. de Geneſi contra Manichæos cap. 8. Et quamquam dicendum eſt Adamum ab initio gratiam ſanctificantem accepiſſe, ut demonſtravi libro XII. cap. 7., attamen qui in hac gratia Dei ſimilitudinem cum laudatis Patribus ſtatuunt, ſupponunt illam intrinſecam, atque inhærentem. Deinde S. P. Auguſtinus, cujus verba exſcripſiſſe videtur Synodus Tridentina, de Spiritu & litera c. 9. n. 15. ait: *Sicut fides Chriſti dicta eſt, non qua credit Chriſtus; ſic juſtitia Dei, non qua Deus juſtus eſt, ſed qua induit hominem dum juſtificat impium*. Vide Trident. Seſſ. VI. cap. 7. & can. 10. *Formalis* ergo juſtificationis cauſſa, non eſt juſtitia, qua Deus juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit: ideoque non eſt juſtitia Chriſti nobis imputata, ſed intrinſecus inhærens; ſive caritas ſit, ſive *habitus* alius a caritate ſejunctus: quod poſtremum ad fidem nequaquam ſpectat. Denique Chryſoſtomus Hom. I. in Epiſt. ad Epheſios comparatione iſta gratiam ſanctificantem declarat: *Si quis acceptum quemdam ſcabioſum, & peſte ac morbo, ſenioque, paupertate ac fame confectum & perditum, ſtatim formoſum fecerit juvenem omnes homines pulchritudine vincentem .... deinde eum conſtituerit in ipſo flore ætatis, & poſtea eum purpura induerit, & diadema impoſuerit, & omni ornatu ornaverit: ita noſtram innuit, & ornavit animam, pulchramque fecit, deſiderabilem, & amabilem*. Quis non videt his verbis juſtificationem ita deſcribi, ut ſit interior animæ renovatio, ſuperadditum ornamentum, atque inhærens pulchritudo? Vide hujus voluminis pag. 6. quo pacto idem Chryſoſtomus deſcribit gratiam per lavacrum regenerationis collatam.

Accedunt argumentationes a ratione petitæ, & Auguſtini verbis corroboratæ. Negari non poteſt, quod ſicut per Adam naſcimur filii iræ, ita per Chriſtum juſtificemur; cum hoc diſcrimine, quod per Adam contrahimus propagatione naturæ ſolum originale peccatum, & per Chriſtum delentur etiam illa, quæ propria voluntate patravimus. Legatur in quinto ad Romanos Capite Paulus Apoſtolus. At Adam, in quo omnes moriuntur, præter quod eis, qui divina tranſgrediuntur præcepta, imitationis exemplum eſt, occulta etiam concupiſcentiæ lue tabificavit omnes per ſeminalem originem de ſtirpe ſua venientes. Igitur & Chriſtus, præter quod ſe ad juſtitiam imitantibus præbuit exemplum, dat etiam iis, quos juſtificat, occultiſſimam Spiritus ſui gratiam, quam latenter infundit: quare ait S. Pater lib. I. de Peccat. meritis cap. 10. *Legimus juſtificari in Chriſto, qui credunt in eum propter occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritalis, qua quiſquis hæret Domino unus ſpiritus eſt*. Similia docet S. Pater proximo capite XV. Præterea quemadmodum impius exhibet ſe immundi ſpiritus hoſpitium, quando reatu nectitur concupiſcentiæ; ita juſtus fit Dei templum, dum in corde ejus caritas per Spiritum ſanctum diffunditur. Itaque, ut ratiocinatur S. Pater in celebri Epiſtola ad Sixtum, *niſi mundatam domum habitet Spiritus ſanctus, nonne cum aliis ſeptem redit ſpiritus immundus, & erunt noviſſima hominis illius pejora, quam erant prima? Ut autem habitet Spiritus ſanctus, nonne ubi vult ſpirat, & caritas Dei, ſine qua nemo bene vivit, diffunditur in cordibus noſtris, non a nobis, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis?* Inſuper Domino tam ſalus, quam juſtitia tribuitur; ſed non dicitur homo ſalvatus, niſi Deus illi impertiendo æternam vitam ipſum vere propriaque ſalute donaverit: non ergo dicendus erit juſtificatus, niſi Deus vere iniquitatem delendo, et ve-

ram

ram juſtitiam, qua interius adornatus ſit, impertiatur: unde inquit Auguſtinus de Spiritu, & lit. cap. 11. *Ideo juſtitia Dei dicitur, quod impertiendo eam juſtos facit, ſicuti Domini eſt ſalus, qua ſalvos facit.* Denique niſi juſtificatio fiat per juſtitiam inhærentem, fiet profecto aut per favorem extrinſecum, aut per juſtitiam qua Deus juſtus eſt, aut per ſolam remiſſionem peccatorum, aut per imputationem juſtitiæ Chriſti. At juſtificatio, ſi ſit Spiritu ſancto inhabitante, & caritate in cordibus noſtris diffuſa, intrinſecus hæret, ideoque non conſiſtit in ſolo favore extrinſeco; ut S. Pater demonſtrat citato libro de Spiritu & litera cap. 17. Juſtitia autem, qua Deus juſtus eſt, quonam pacto nos juſtificare poteſt, niſi *efficienter*, ſcilicet impertiendo interioris hominis pulchritudinem, qua Deo cohærentes ipſius habitaculum efficiamur? Ita quidem docet S. P. Epiſtola 85. ad Conſentium, nunc 120. Illis vero, quos Deus juſtificat, non ſolum remittit peccata, verum etiam inſpirando virtutem, & diffundendo caritatem, ſanat animi languores, non ſolum ut deleat quod peccaverunt, ſed ut præſtet etiam ne peccent, auctore ipſomet Auguſtino de Nat. & Grat. cap. 26. Ac tandem per Chriſtum utique nobis juſtitia donatur; ſed juſtitia, qua induti non nudi inveniamur, qua nobis confertur pignus ſpiritus, qua efficimur per renovationem filii Dei, & induentes novum hominem recipimus quod perdidit primus homo; ut docet S. Doctor de Spirit. & lit. cap. 18. de Trinit. lib. a. c. 7. & de Civit. Dei lib. XXII. cap. 28. Hæc argumenta tanti ſunt ponderis, ut etiam aliqui Proteſtantium partibus addicti juſtificationem conſtare dixerint remiſſione peccatorum, & regeneratione, ſanctificatione, ac donatione Spiritus ſancti, ut Joannes Æpinus, Andreas Fricius, Bucerus, & Ratiſbonenſis hæreticorum Conventus; de quibus Caſſander in Conſultatione de Controverſiis inter Catholicos & Proteſtantes ad IV. Art. Confeſſ. Auguſtanæ, Grotius in Annotatis ad Caſſandrum, & Boſſuet in Hiſt. Variat. lib. III. num. 35. lib. XIV. num. 43. & lib. XV. n. 142.

OBJECTIONES SOLVUNTUR.

Hæretici opponunt primo verba Apoſtoli ad Rom. IV. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam:* & verſu 5. *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam.* Verſu etiam 7. afferuntur verba Davidis, *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* His, inquiunt, conſtat juſtificari impium per imputationem juſtitiæ Chriſti, & per non imputationem peccati.

Reſp. ſenſum verborum Apoſtoli eſſe, quod ideo Abraham reputatus eſt juſtus, quoniam in tentatione fidelis inventus eſt; & juſtificatio non ex operibus legis, ſed a fide & gratia ſuum habet initium. Redarguit enim illos, qui autumabant non ex fide in Deum, ſed ex obſervatione legis, & abſque fide haberi juſtificationem. Explicant Apoſtoli verba textus Scripturæ, quibus propriam ſententiam expreſſit. Etenim Gen. XV. 6. facta Abrahæ a Deo promiſſione naſcituri Iſaac, & numeroſæ poſteritatis, legimus: *Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Machab. I. cap. 2. verſ. 52. *Abraham nonne in tentatione inventus eſt fidelis, & reputatum eſt illi ad juſtitiam?* Præterea Apoſtolus utitur eadem ſententia ad Galatas III. 6. ut demonſtret ex fide in Chriſtum, non ex operibus legis datum eſſe Spiritum ſanctum, retundens illorum opinionem, qui jactabant homines per carnis circumciſionem juſtificari. Itaque juſtitiæ originem, fontem divinarum gratiarum, aliarumque virtutum fidem altricem eſſe, Paulus demonſtrat: ſed inhærentem juſtitiam nobis conferri non denegat, & ibidem inquit: *Hoc ſolum a vobis volo diſcere: Ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?* Nec opera ad juſtificationem pertinere negat Apoſtolus, ſed docet fidem cooperari operibus, & ex operibus conſummari, ita ut qui operatur, & qui occaſione & viribus deſtitutus operari non poteſt, ex fide juſtificetur. Habemus fideliſſimum Pauli interpretem alium Apoſtolum, Jacobum nempe cap. II. 21. Idem tradit Clemens Romanus in Epiſt. ad Corinth., S. P. Auguſtinus in I. de Peccatorum meritis cap. 14., & etiam in libro de Abraham Philo Judæus. Verum de Operibus poſtea. In verſu 5. ait Apoſtolus, quod *credenti reputatur fides ejus ad juſtitiam*; non fides Chriſti, ſed *fides ejus*, qui credit in Chriſtum, ἡ πίστις αὐτοῦ, oſtendens fidem pluſimum prodeſſe, atque propter illam opera magni æſtimari. In Pſalmo denique 31. non *imputari peccatum*, idem eſt, ac non inveniri in impio, cui juſtificationem Deus impertitur, maculam culpæ. Hanc ſignificationem habet verbum hebraicum חשב. Si velis *non imputari*, idem eſſe, ac non exigi ab homine juſtificato pœnam peccati, neque id diffiteor. Allata modo Apoſtolicorum verborum explicatione, reſpondeo Scholaſtica methodo. Laudatis verbis docet Paulus fidem eſſe juſtificationis initium, per eam opera hominum reputari & æſtimari, atque Abraham fuiſſe Deo acceptum, quia in tentatione fidelis inventus eſt, concedo. Docet aut impium juſtificari per ſolam fidem, aut per ſolam juſtitiam Dei, aut per ſolam non imputationem peccati; nego.

Opp. 2. Idem Apoſtolus ad Rom. V. 19. inquit: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem juſti conſtituuntur multi.* Eſt igitur juſtificatio obedientia Chriſti nobis imputata.

Reſp. retorquendo argumentum. Qui conſtituuntur peccatores per inobedientiam Adæ, propagatione naturæ contrahunt peccatum, quod non eſt imputatio prædictæ inobedientiæ, ſed reatus & macula, per quam naſcuntur filii iræ, filii gehennæ, filii vindictæ; ut diximus pag. 12. Igitur qui conſtituuntur juſti per obeditionem Chriſti recipiunt regeneratione ſpiritali occultiſſimam gratiam, quæ non eſt imputatio hujus obeditionis, ſed inhærens juſtitia, & caritas a Spiritu ſancto inhabitante diffuſa, per quam efficimur filii Dei, filii promiſſionis, filii adoptivi; ut demonſtratum eſt paullo ſupra. Deinde reſpondeo diſtinguendo ant. Per inobedientiam Adæ conſtituimur peccatores, & per obeditionem Chriſti conſtituimus juſti, tanquam per cauſſam *efficientem ac meritoriam*, concedo: tanquam per cauſſam *formalem*, nego antecedens.

Opp. 3. Juſtificari impium per ſolam imputationem juſtitiæ Chriſti, doctrina eſt Apoſtolica Sanctorum Patrum auctoritatibus confirmata. Etenim vero Paulus in I. ad Corinth. de Chriſto ait cap. I. 30. *Qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Et I. ad Eph. 6. *Gratificavit nos in dilecto Filio ſuo.* Hæc verba exponens Bernardus in Epiſt. ad Innoc. ait, *Chriſtum factum nobis eſſe juſtitiam a Deo Patre.*

Reſp. Chriſtum factum nobis eſſe ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem, redemptionem, atque in ipſo nos Deo Patri eſſe gratificatos, quatenus eſt cauſſa *efficiens*, per quam ſapiamus, per quam a peccatis purgemur, per quam donemur gratia Spiritus ſancti, ea ſcilicet figura metonymiæ, qua Deus in Pſalmis dicitur fortitudo noſtra, virtus, ſpes, ſalus, protectio; qua Joannis XII. 50. mandatum ejus dicitur vita æterna; qua ad Rom. VIII. 6. prudentia carnis mors dicitur, prudentia autem ſpiritus vita, & pax; qua Mich. I. 5. Samaria dicitur prævaricatio Jacobi, &c. Et quidem in I. ad Corinth. hortatur Apoſtolus, ne gloriemur in nobis, quoniam *Chriſtus factus nobis eſt ſapientia a Deo, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio*: quorum verborum liquet hunc ſenſum eſſe, non propriis viribus, ſed beneficio mortis Chriſti, in quo ſumus nova creatura, novumque figmentum, & in quo ſignati ſumus Spiritu promiſſionis ſancto, accepiſſe nos doctrinam fidei, juſtitiam, aliaque gratiarum munera. Præterea ex quo Chriſtus factus ſit nobis ſapientia a Deo, ſequitur ne fidelibus minime inhærere ſcientiam Chriſti, fideique virtutem? Minime. Itaque ex quo Chriſtus dicatur noſtra juſtitia, noſtraque juſtificatio, non conſequitur nobis juſtificationis gratiam nequaquam infundi. Pari ratione Bern. in eadem Epiſtola aſſerit Chriſtum factum nobis juſtitiam a Deo Patre, quoniam illius meritis nobis juſtitia donatur, neque hæc nobis *innata eſt, ſed indulta*; ibique etiam ipſe affert exemplum culpæ, quæ in nos per Adam traducitur. Explicatur eodem pacto locus ex Epiſtola ad Epheſios depromptus, cujus ſupra attulimus inſignem Chryſoſtomi expoſitionem. Addimus hic & gratiæ fieri mentionem; nam habetur, *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo*: extat in antiquis Mſſ. ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, *qua gratia nos affecit.* Demum propoſitio *In*, ſæpe ponitur ab Apoſtolo pro *Per*, hoc eodem capite verſu 4. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* v. 10. *inſtaurare omnia in Chriſto*; verſ. 11. *in quo & nos ſorte vocati ſumus*, verſu 13. *in quo credentes ſignati eſtis, &c.* Fatetur id Glaſſius Lutheranus, probatque quindecim aliis exemplis De Præpoſit. Canone VI. num. 5. Itaque brevi argumentum diluentes negamus antecedens; quoniam appellatur Chriſtus juſtitia, & ſanctificatio noſtra *efficienter*, non autem *formaliter*.

Opp. 4. In eadem ad Epheſ. Epiſt. IV. 24. ait Apoſtolus: *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* At indumentum extrinſecum eſt. Igitur & juſtitia.

Reſp. Argumentum in hæreticos retorquendo; primo, quia indumentum revera adjacet corpori; itaque juſtitia revera adhæret animæ. Deinde, quia ibi hortamur ut induamus novum hominem, quemadmodum ut deponamus hominem veterem, hoc eodem loco verſu 22. & ad Coloſſ. cap. III. 9. Atqui veterem hominem induimus contrahendo peccatum, & obſequendo deſideriis carnis, iræ, indignationi, malitiæ, cæteriſque malæ concupiſcentiæ affectionibus. Ergo induimus novum hominem, gratiam recipientes, atque virtutes, quarum Chriſtus exemplum nobis eſt, exercentes. Præterea, quia Apoſtolus ad Epheſ. IV. docet nos induere novum hominem, dum renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & ad Coloſſ., dum reformamus ſecundum divinam imaginem. Renovatio autem ſpiritus, divinæque imaginis reformatio important interiorem animæ pulchritudinem. Inſuper diſtinguo minorem: Indumentum extrinſecum eſt; indumentum corporis, tranſeat; indumentum animi, nego. Uſitata enim Scripturarum phraſi virtutum *habitus* indumentis æquiparantur. Occurrit exemplum Sap. V. 18. Eſaiæ LIX. 17., 2. ad Corinth. 2. 4., I. ad Theſſalon. V. 8. & citato cap. III. ad Coloſſ. verſu 12. Vide Auguſtinum lib. I. de moribus Eccleſ. cap. XIX. num. 36., & Serm. CLXVI. alias 25. de diverſis num. 4.

Opp.

Opp. ultimo. In 2. ad Corinth. v. 21. inquit Apoſtolus: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*. At Chriſtus peccatum fecit ſolum imputatione: Nos ergo ſola imputatione juſtitia efficimur. Confirmatur hoc argumentum ex Auguſtino ſcribente cap. xli. Enchir. num. 13. *Ipſe ergo peccatum, ut nos juſtitia: nec noſtra, ſed Dei, nec in nobis, ſed in ipſo: ſicut ipſe peccatum non ſuum, ſed noſtrum, nec in ſe, ſed in nobis conſtitutum, ſimilitudine carnis peccati, in qua crucifixus eſt, demonſtravit*.

Reſp. peccatum non dici hoc loco ab Apoſtolo ipſam peccati maculam, ſed ſacrificium, quod in ara crucis Chriſtus obtulit, ut nos Patri reconciliaret, & moriens in carne, in qua erat ſimilitudo peccati, nobis ſpiritalem vitam elargiretur. Id liquet ex verbis Apoſtoli, & ex citato cap. xli. Ench. Non enim ait Paulus, *Is, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, tamquam pro nobis Chriſtus ipſe peccaverit; ſed, *Eum, qui non noverat peccatum*, ideſt, Chriſtum, *pro nobis peccatum fecit*. Quid eſt autem, *Fecit Deus Chriſtum pro nobis peccatum*, niſi, Fecit pro nobis ſacrificium pro peccatis? Hinc S. P. *Propter ſimilitudinem carnis peccati* (inquit) *in qua venerat, dictus eſt & ipſe peccatum, ſacrificandus ad diluenda peccata. In vetere quippe lege peccata vocabantur ſacrificia pro peccatis: quod vere iſte factus eſt, cujus umbra erant illa*. Senſus ergo apertiſſimus verborum Apoſtoli, & Auguſtini eſt, quod ſicuti cauſa efficiens, ac meritoria paſſionis Chriſti, qua mortuus eſt in ſimilitudine carnis peccati, non eſt peccatum quod ei inerat, quia nunquam vixerat ſecundum vetuſtatem peccati, ſed peccatum in nobis conſtitutum ac noſtrum; ita cauſſa efficiens ac meritoria, per quam mundati lavacro baptiſmatis renaſcimur, non eſt juſtitia noſtra, ſed Dei, nec in nobis, ſed in ipſo; eo quod mortui peccato morte Chriſti reviviſcentem gratiam adepti ſumus. Ceterum ut Chriſtus ob peccatum, quod nobis inerat, vere mortuus eſt, & vere factus eſt ſacrificium pro peccatis; ita ob juſtitiam, quæ eſt in illo, vere nos peccato morimur, vere acquirimus ſpiritalem vitam, ac ſpiritus novitatem: ideoque argumentum illud, quod prima fronte videtur difficile, confirmat Catholicorum ſententiam. Quare in forma, ut inquiunt, diſtinguo majorem: Efficimur juſti juſtitia Dei in Chriſto, *efficienter*, ac meritorie, concedo: *formaliter*, nego. Atque hac diſtinctione cetera omnia, ſi tamen alia ſunt, diſpelluntur.

CAPUT III.

An Deus hominem impium juſtificans vere illi remittat peccata?

CONSEQUITUR hoc fidei Catholicæ dogma ex præcedenti: ſi enim impio, dum gratia divina juſtificatur, revera infunditur Caritas ipſum Deo gratum reddens, atque illi cor novum, & ſpiritum novum impertiens, eique ſanctitas inhæret intrinſecus; profecto non tegitur peccati nequitia hoc tantum ſenſu, quod *imputatione* juſtitiæ Chriſti non cenſeatur ad pœnam: ac, veluti Jacob hœdina pelle contectus, peccator iniquus permaneus, & indutus veſte Agni, qui tollit peccata mundi, divinam benedictionem, æternamque hæreditatem accipiat; ſed reapſe juſtus redditur, ſanctus, atque interiori pulchritudine, animique decore exornatus. Verſemur nihiloſecius in hac quæſtione pauliſper, ne videamur neceſſarium aliquid prætermiſiſſe.

PROPOSITIO. In juſtificatione impii a Deo vere remittuntur peccata.

Demonſtratur primo Scripturis ſupra productis. Sanctus enim David Pſ. L. ſic Deum precatur: *Dele iniquitates meas! Cor mundum crea in me, Deus*: & per Ezechielem Dominus ſanctificationis ſpiritum promittens cap. 36. *Mundabimini* (inquit) *ab omnibus inquinamentis veſtris*. Hæc, aliaque loca, ſi in proprio, obvioque ſenſu accipiantur, (accipi autem debent, quum nulla ſequatur repugnantia) veram animi munditiem, innovationem, rectitudinem, pulchritudinemque ſignificant.

Præterea niſi affirmemus vere juſtificatis remitti peccati maculam; conſequuntur graviſſima abſurda iiſdem ſacris literis adverſantia. Sequitur primo Eccleſiam Sanctorum, ad quam pertinent juſti perſeverantes in gratia, habere rugam & maculam, atque in cœlesti Jeruſalem habitare aliquos coinquinatos, neque mundos corde dumtaxat, ſed immundos etiam fœdoſque frui puriſſimæ, divinæque lucis ſplendore. Deinde ſequitur Deum non judicaturum eſſe homines ſecundum veritatem, neque ſecundum opera ſingulis retributurum eſſe mercedem; quum illos, quorum e Auctoribus hæreticis, anima inquinata eſt & immunda, & quorum opera perverſa ſunt & abominatione, odioque digniſſima, ſit Judex univerſorum laudibus & coronis cumulaturus. Tertio ſequitur, ut animadvertit Martinus Becanus libro 1. Man. cap. 16. q. 3. juſtum comparandum eſſe, in Proteſtantium ſententia, ſepulcris dealbatis, in quibus fœtida cadavera latent; ac propterea juſtitiam, quam magnopere jactitant Calviniani, illam eſſe, quam in Phariſæis Chriſtus Dominus execrabatur.

Addam ratiocinationem teſtimonio Auguſtini confirmatam. Originale peccatum per lavacrum baptiſmatis, quantum ad reatum, & maculam penitus tollitur. Pariter ergo deletur peccatum actuale in renatis per gratiam Sacramento pœnitentiæ collatam. Antecedens negatur ab Hæreticis; ſed probatur Scripturis, in quibus baptizari dicuntur homines *in remiſſionem peccatorum*, Act. II. 38. baptizati vocantur *abluti, ſanctificati, vocati*, 1. ad Corinth. VI. 11. ipſumque baptiſmum Paulus appellat *lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti*, ad Titum III. 5. Et confirmatur auctoritate Patrum, præſertim S. P. Auguſtini ſcribentis lib. 1. ad Bonif. cap. 12. *Dicunt etiam baptiſma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc adverſus Pelagianos, niſi infidelis, affirmet? Dicimus enim baptiſma dare omnem indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, &c.* Vide & Ench. ad Laurent. cap. lxiv. Jure itaque, meritoque Tridentina Synodus ſeſſ. v. can. 5. ſic definit: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema ſit*. Argumenta autem petita a concupiſcentia, quæ remanet in renatis, ſoluta ſunt lib. XIII. cap. 5. neque enim concupiſcentia ad luctam permanens peccatum eſt, ut ibidem declaravimus.

AD OBJECTA RESPONSIO.

Verum objiciunt hæretici. I. In Pſalm. XXXI. legimus: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Teguntur itaque ſcelera, non delentur.

Reſp. Ita tegi peccata, ut deleantur, quemadmodum cooperiuntur cicatrices cataplaſmate; nam contecta ſimul dicuntur peccata, & *iniquitates remiſſæ*, ſive, ut legit Syrus, necnon Hieronymus, *dimiſſa eſt iniquitas*. Et quidem tali pacto remiſſa eſt iniquitas, ut peccati labes nequaquam permaneat; quum habeat Hebraicus Codex, אשרי נשוי פשע Græcus etiam, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι. Eſt enim נשא, ſive, ἀφίημι, *auferre*; & נשוי־פשע, *Quorum ſcelus ablatum eſt*. S. P. Auguſtinus Enarrat. 2. in hunc Pſalm. num. 9. docet ideo peccata tegi, quoniam Deus non amplius illa intuetur, ut puniat. *Cooperta ſunt* (inquit) *peccata, abolita ſunt, tecta ſunt. Si texit peccata, Deus noluit advertere; ſi noluit advertere, noluit animadvertere; ſi noluit animadvertere, noluit punire; ſi noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. Non ſic intelligatis quod dixit peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, niſi punire peccata? Ut noveris, quia hoc eſt Dei videre peccata quod punire peccata, quid ei dicitur? Averte faciem tuam a peccatis meis*. Diſtinguo itaque conſequens; teguntur ſcelera, ut ſanantur, nec puniantur, quemadmodum vulnera conteguntur emplaſtro, concedo: ut lateant & vivant, ut corpus cooperitur veſte; nego conſequentiam.

Opp. 2. Impius poſt juſtificationem coram Deo remanet turpis & inquinatus: Non ergo illius macula delera eſt. Ant. probatur verbis Iſaiæ LXIV. 6. *Facti ſumus ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſa juſtitia noſtra*. Et Pſalm. 142. 2. *Et non intres in judicio cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*.

Reſp. nego antecedens. Ad Eſaiæ locum reſpondeo, abjici poſt promulgationem Evangelii, tamquam immundas, purificationes legales, quas appellat *juſtificationes* etiam Paulus ad Hebræos IX. 1. atque poſt Chriſti adventum Judæos in lege ſua merito haberi tamquam reos, & contaminatos: atque id ab Eſaia prænuntiatum eſt. Hanc interpretationem confirmat A-Lapide ex Verſione Arabica, ex Comment. Hieronymi, atque ex confeſſione Muſculi Lutherani. Addimus expoſitionem Forerii Tom. III. Sac. Critic. P. 2. pag. 723. Theologi Tridentini apud Pallav. lib. VIII. his Eſaiæ verbis docuerunt demonſtrari, non quod cuncta Judæorum opera forent contaminata & criminoſa, ſed quod multorum, quamvis viderentur honeſta, quamplurimis noxarum maculis aſpergebantur: atque hanc pariter expoſitionem probamus. Demum ipſe Calvinus in hunc locum inquit: *His ſe nonnulli torquent, quod Propheta de ſceleris inquinamentis loquens ſine exceptione Judæos omnes exprimat; in quibus tamen nonnulli reſtabant puri Dei cultores: ſed fruſtra, quia non loquitur de ſingulis, ſed de univerſo corpore, quod cum infra omnes abjectum, atque extrema clade affectum eſſet, panno ſordido comparatur*. Vide J. B. Du-Hamel Tom. 3. pag. 767. Pſalmiſta vero hoc unum demonſtrat, juſtos in aliqua venialia peccata prolabi, ut etiam ipſi debeant divinam implorare clementiam, non autem de ſua juſtitia præſumere: quamobrem ait etiam Job. IV. 17. *Numquid homo Dei comparatione juſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir?* Recte Auguſtinus in citatum Pſalmum: *Noli ergo mecum intrare in judicium. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de theſauro tuo regulam, coaptas me ad eam, & pravus invenior*. Ceterum idem David, niſi juſtus innocentiam & rectitudinem exiſtimaſſet inhærere, minime Pſalmo XVII. 21. dixiſſet: *Et*

retri-

retribuit mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam; & verſu 24. *Et ero immaculatus cum eo*.

Opp. 3. Hieronymus lib. III. in Hierem. verſ. 13. allatis verbis Davidis, *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, ait hæc verba referenda, *non ad comparationem Dei, ut veteres, & novi hæretici volunt, & patroni hæreticorum, ſed ad ſcientiam ejus*; cauſſam proferens, quoniam, *Homo videt in facie, & Deus in corde*; & *quod vitiis, atque peccatis omnis impletur humana conditio*. Etiam Gregorius libro xxxv. Moralium in fine omnia in homine *pura mala* eſſe declarat. Solet opponi etiam Ambroſius explicans libro 2. de Jacob juſtificationem exemplo ejuſdem Jacob ſeſe veſtimentis Eſau, ac pelle hædina occultantis. Ex his inferunt Heterodoxi hominem ſemper eſſe contaminatum & impium, atque juſtitia Chriſti contegi tantum extrinſece.

Reſp. cum Velloſillo Adv. in v. Tom. Hieronymi q. 4. Sanctum Doctorem reſpexiſſe ad humanam conditionem Dei gratia deſtitutam, nec non ad venialia crimina, in quæ cadit etiam juſtus in corpore corruptibili ingemiſcens. Novos ergo, ac veteres hæreticos appellat Hieronymus Origeniſtas, & Pelagianos; quorum dogma erat poſſe hominem vivere abſque peccato; ut diximus libro xiv. cap. 2. Gregorius loquitur de bonis operibus, quæ nos approbamus & commendamus; in quibus appetitus laudis, typhuſque ſuperbiæ inficit honeſtatem. Ita reſpondet ad articulum 35. Lutheri Roffenſis. In comparatione Jacob cum homine juſtificato deprompta ex Ambroſio (niſi tamen ſuppoſita ſit) ſicut in aliis quibuslibet, neceſſum non eſt ut res rebus amuſſim reſpondeant. Dicimus præterea juſtitiam Chriſti, qua cooperimus, meritoriam juſtificationis cauſſam eſſe, non *formalem*. Ac demum in hoc ſitam eſſe comparationem illam putamus, quod ſicut Jacob aliena veſte indutus inceſſit, ita Chriſtus factus in ſimilitudinem carnis peccati vere languores noſtros tulit, & attritus eſt propter ſcelera noſtra. Quamobrem in libro contra Mendacium cap. 10. ſcribit Auguſtinus: *Per hædinas pelles peccata, per eum vero, qui eis ſe operuit, ille ſignificatus eſt, qui non ſua, ſed aliena peccata portavit*.

Prætermiſi hæreticorum argumenta petita ex comparatione debiti quod ſola Chirographi abolitione remittitur. Enimvero in peccato præter reatum pœnæ reperitur quoque reatus culpæ, ſive macula, ideſt, inhærens animæ turpitudo, averſio a Deo, rectique ordinis carentia. Diſſeram de hac peccati macula lib. xxi. cap. 8. Quamquam ergo debitum pœnæ quodammodo deleri intelligatur per Dei condonationem; tolli nequit animæ deformitas & nequitia niſi per infuſam ſanctificationis gratiam. Fieri quippe non poteſt, ut per ſolam denominationem extrinſecam juſtitiæ auferatur privatio, ſicuti tenebræ diſpelli non poſſunt niſi per lucem; aut ſaltem hac providentiæ lege ita impius juſtificatur, ut ejus macula per inhærentem gratiam abſtergatur, ac deleatur.

A P P E N D I X.

Subnectimus hoc loco Scholaſtici quæſtiones duas, unam an de potentia ſaltem abſoluta poſſit Deus abſque gratia inhærente peccata dimittere, alteram num *habitualis* gratia & peccatum conſiſtere ſimul valeant, tenentibus in utraque quæſtione affirmativam partem diſcipulis Scoti, negativam cum Thomiſtica ſchola noſtratibus. His omnino ſubſcribendum cenſeo. Quomodo enim mors tolli poteſt, niſi per vitam? Quomodo animæ vulnus, niſi per ſanitatis inſtaurationem? Quomodo hominis carnalis vetuſtas, niſi per innovationem ſpiritus? Quomodo cor lapideum, niſi per carneum? Præterea quum reatus culpæ ſit privatio juſtitiæ, privationes autem per ſolam *formam* abſcedant; tam repugnat hominem impium abſque gratia juſtificari, quam cæcum abſque facultate viſus illuminationem recipere, curvamque lineam ſine rectitudine fieri directam. Defendi quidem poſſet Scotiſtarum opinio, ſi in peccato eſſet ſola ratio debiti, ſive reatus pœnæ; ſed cum exiſtat in illo etiam maculæ turpitudo, non video qua valida argumentatione poſſint iidem Scotiſtæ oppoſitam ſententiam avertere.

Idem de altera quæſtione dicendum eſt. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, luciſque cum tenebris? Quomodo erit idem homo ſimul ac ſemel ad Deum converſus, & averſus ab illo; natus ex Deo, atque peccato mortuus; templum Spiritus ſancti, ac Diaboli membrum; Dei filius, & filius Belial; amicus, & hoſtis ejuſdem Dei? Deinde cum gratia ſanctificans ſit a caritate indiviſa, ſi peccatum & ſanctitas ſimul exiſtant; cur non poterit *habitualis* caritas ſtare cum reatu damnationis æternæ, ut commentus eſt prop. xxxi. & xxxii. Michael Bajus? Planior ergo, probabilior, ac vera eſt ſententia Noſtratium. Nam quod movet Maſtrium, alioſque Scotiſtas, in Gratia rationem qualitatis phyſicæ *formaliter* differre ab eo quod eſt eſſe animæ ſanctitatem atque munditiem; aut deletionem peccati eſſe gratiæ effectum *ſecundarium*, quod poteſt divinitus impediri; aut poſſe juſtitiam & culpam eo pacto ſimul manere, quo fuit in Chriſto cum beatitudine triſtitia; id me nihil penitus movet. Principio *formalem* illam diſtinctionem non probo; neque, ſi detur, gratia erit gratia ſpectata ratione *qualitatis*, ſed ratione propria, quam dicunt *ſpecificam*; quemadmodum albedo non eſt albedo, quoniam *qualitas* eſt, ſed quoniam inter qualitates propriam habet naturam, & ſubjectum afficit peculiari ratione; quam ſi auferas, perperam autumabis albedinem permanere. Atque ita nego in gratia diſtingui eſſe *qualitatem*, & eſſe munditiem animæ: & præterea, ut figmentum illud admittam, nego gratam eſſe gratiam in quantum eſt *qualitas*, cum gratia ſit, quatenus ſanctificat animam, & illam Deo gratiam reddit. Peccatum vero deletur quidem per gratiam, ſed tamquam privatio per formam; nec fieri poteſt, ut forma ac privatio ſimul exiſtant; ſit in exemplo, vita & mors, lux & tenebræ, curvitas & rectitudo: unde affirmamus in Schola, quod poteſt Deus aliquam producens formam impedire effectum illius *poſitivum*, at non *privativum*. Beatitudo denique, ac triſtitia fuerunt in Chriſto comparate ad diverſas affectiones animæ, diverſumque objectum. Beatus enim erat ſecundum ſuperiorem rationem, quatenus mens divinitati adhærebat, & triſtis quatenus corporali ſenſu ſuſcipiebat illatam ſibi paſſionem; ut exponam lib. xxvi. At quomodo eadem animæ voluntas poteſt eſſe a Deo averſa, & ad Deum converſa? Itaque non videntur ratiocinationes Scotiſtarum nimis validæ: & quamvis illorum opinio ſit Catholica; noſtra tamen majorem vim habet ad refellendos hæreticos oppugnantes inhærentem juſtitiam, ac ſimul ſtatuentes juſtificationem & culpam.

C A P U T IV.

Quomodo adulti ad juſtificationem diſponantur.

TRIDENTINA Synodus ſeſſ. vi. cap. 5. & 6. adverſus hæreticos, qui autumant fieri juſtificationem per ſolam fidem abſque ulla prævia diſpoſitione, motuque liberi arbitrii, declaret quid ex parte noſtri neceſſarium ſit, ut juſtificationis gratiam conſequamur. Ac primo definit ipſius juſtificationis exordium in adultis a Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe, damnans Pelagianos ac Semipelagianos errores, quod ſalutis initium ſit ex nobis, atque ex humanæ voluntatis conatu. Neque enim putandum eſt, Catholicos, qui negant homines ſola fide juſtificari, ad Pelagiana dogmata declinantes opinari, quod operibus ſine præveniente gratia patratis inſit ratio aliqua meriti. Nam ſi hoc ſenſu Proteſtantes contenderent, non ex operibus homines juſtificari, ſed per fidem, quatenus fides eſt prima gratia, & opera legis abſque fide ſterilia ſunt, facile poſſet inter nos illoſque ratio concordiæ inveniri. Nullus quippe Scholaſticorum unquam reclamavit adverſus Paulum, qui redarguens Judæos ſeſe inflantes, propterea quod onus legis tulerant, & cæremonias ſervaverant, ſcribit ad Romanos cap. iv. Abraham non ex operibus fuiſſe juſtificatum, ſtatuens initium ſalutis fidem Chriſti. Nec reclamavit, dum ſimiliter Ambroſius, Hilarius, aliique protulerunt gratiam non eſſe ex operibus, ne quis glorietur. Nihil enim verius, quam humanam naturam nulla fide paſſionis Chriſti & reſurrectionis imbutam, nihil naturaliter poſſe, quod pertineat ad ſanctitatem veramque juſtitiam, ut docet S. Pater Auguſtinus de Nat. & Grat. c. 2. de Prædeſt. SS. cap. 15. aliiſque in locis compluribus. Egimus de hoc ſatis in libro de Hæreſi Pelag. cap. 12. Merito ergo Tridentinum Concilium hæreticis calumniandi Catholicos tamquam Pelagianos occaſionem omnem arripiens repetit juſtificationis exordium a gratia præveniente: atque ea cautione præmiſſa tradit quomodo adultus ad gratiam ſanctificantem diſponi debeat adverſus Lutheri & Calvini aſſeclas negantes neceſſariam eſſe ex parte peccatoris aliquam præparationem.

Monſtrum hoc hæreticorum aſſertum videri poteſt: nam Lutherus in Viſitatione Saxonica, *Multi* (inquit) *dum audiunt, ut ſolummodo credatur omnia ipſis remitti peccata, fingant ſibi fidem, & putant ſe mundos eſſe, per quod fiunt temerarii & ſecuri*. Berentius in Lucam ait *fidem juſtificare, quæ ſit per caritatem efficax, & abſolvatur per pœnitentiam*; & Hieronymus Zanchius in Miſcellaneis: *Nemo adultus poteſt ſalvari ſine caritate in Deum, & proximum*. In Colloquio etiam Altenburgenſi an. 1568. inter alia traditum eſt, *Bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem*; quod & Philippus Melanchthon aſſentitur in Diatriba de Juſtif., Witembergenſes, & Proteſtantes alii in Miſena Urbe congregati an. 1548. ita ut conquerantur a Caniſio, & Bellarmino pleraque paradoxa ex libris ipſorum congeri quæ ibidem non extent. Sed redarguuntur jure, meritoque: nam Flacciani, ideſt, Jenenſes, ſic a Flaccio Illyrico dicti, omnia opera pernicioſa eſſe contendunt. Melanchthon ut animadvertit ad art. iv. Confeſ. Auguſtanæ noſter Joannes Hoffmeiſterus, in Locis ſcribit propter ſolam Chriſti miſericordiam, non propter dignitatem operum remitti peccata. Zanchium protervere ſtudet in examine Calvinianæ ματαιολογίας Hinkelmannus. Verum hanc inter partes hæreticas velitationem cenſemus eſſe logomachiam; ſiquidem qui neceſſitatem operum ad ſalutem concedunt, minime loquuntur de neceſſitate *efficientiæ*, quaſi ad ſalutem per ſe gignendam, & juſtificationem promerendam aliquid valeant, ſed de neceſſitate, quam Witembergenſes vocant *præſentiæ*, abſque concurſu ad actum juſtificationis, quam ha-

Google

haberi putant per ſolam in Chriſtum fiduciam. Quamobrem Synodus Tridentina opportune non ſolum actus juſtificationem præcedentes commemoravit, ſed etiam docuit, quod impii divina gratia excitati *ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo & operando diſponantur*. Verbo dicam: Opere hæretici nequaquam negant; bona eſſe, habere meritum, & ad juſtificationem diſponere, id negant.

Conſulto etiam Tridentini Patres de ſolis adultis loquuntur. Pueri enim ad gratiam baptiſmatis per actus liberi arbitrii diſponi non poſſunt: & fruſtra quidam hæreticorum in illis præcedere putant firmam in Chriſtum fiduciam, præveniente uſu rationis ætatem. Unde ſomnium iſtud, atque portentum? Opponentibus autem ad tollendam neceſſitatem diſpoſitionis puerorum exemplum reſpondet S. P. Auguſtinus libro I. de peccat. merit. cap. 19. *Si propterea pænitentes dicendi non ſunt, quia ſenſum pænitendi nondum habent: nec fideles dicendi ſunt, quia ſimiliter ſenſum credendi nondum habent. Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba geſtantium quodammodo profitentur; cur non prius etiam pænitentes habentur, cum per eorumdem verba geſtantium diabolo, & huic ſæculo renunciare monſtrantur? Totum hoc in ſpe fit vi Sacramenti, & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Eccleſiæ. Ceterum quis ignorat, quod baptizatus parvulus ſi ad rationales annos veniens non crediderit, nec ſe ab illicitis concupiſcentiis abſtinuerit, nihil ei proderit quod parvus accepit?* Exemplum itaque parvulorum ſi non demonſtrat quod in adultis ad juſtificationem neceſſaria non ſit fides; neque demonſtrat quod in eiſdem neceſſariæ non ſint reliquæ diſpoſitiones.

Eſt itaque harum diſpoſitionum prima, Fides. Hanc minime Catholici excludunt, fatentes homines juſtificari *ex fide, & ſine fide neminem poſſe placere Deo*, ut ad Rom. v. & ad Heb. XI. docet Apoſtolus: nec ignorantes etiam Apoſtolis fuiſſe præſcriptum, ut priuſquam gentes baptiſmate tingerent, illas Evangelicis imbuerent veritatibus. Ab ipſa fide initium eſſe ſalutis, illamque donum Dei eſſe, ne quis glorietur, poſtremo Capite de H. Semipelagiana oſtendi collectis ex Auguſtino argumentis. Putant Hæretici fidem, qua juſtificamur, eſſe fiduciam, & certitudinem, qua abſque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis certe credamus remitti nobis peccata. At recte Concilium cap. 6. fidem, a qua ſumitur juſtificationis exordium, illam eſſe declarat, qua credimus *vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt, atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. Eam autem Hæreticorum fiduciam expungit ſeq. cap. 9. & Canone 13. Enim vero licet ad juſtificationem etiam ſpes, humiliſque ſine jactantia fiducia neceſſaria ſit, quum & nobis dicatur quod olim Paralytico Mat. IX. 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua;* tamen fiducia illa in fide fundata eſt, quia ideo in aliquo fiduciam collocamus, quoniam credimus illum fidelem eſſe, ac veracem. Fiducia itaque nequit eſſe fundamentum ſalutis, neque prima ad juſtificationem diſpoſitio.

Ad fidem ergo, qua in Deum credimus, timor & ſpes conſequantur neceſſe eſt: timor, quo peccatorum noſtrorum conſideratione utiliter concutiamur; ſpes vero, per quam ad conſiderandam Dei miſericordiam animum convertentes ſperemus nobis Deum propter Chriſtum propitium fore. Ac de timore legimus Prov. XIV. *Timor Domini fons vitæ:* de ſpe ad Rom. VIII. *Spe ſalvi facti ſumus.* Ubi ergo per fidem intelligit homo ſe legem tranſgreſſum & damnationis ſempiternæ reum eſſe, Deum autem miſericordem ac juſtum, haud ignorans non poſſe impium, niſi reſipiſcat, vitare gehennæ ſupplicium, concutitur divinæ juſtitiæ timore; ſed propriam infirmitatem, atque demeritum perpendens, ad Deum confugiens, quem ſcit nolle mortem peccatoris, & neminem in ſe ſperantem deſerere, cum regio Propheta, *Domine* (inquit) *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum.* Ita fides timorem, timor ſpem, ſpes orationem generatque præcedit.

Enumerat deinde ſacroſancta ſynodus dilectionem, qua Deum *tamquam juſtitiæ fontem* diligere incipimus, nec non odium, & deteſtationem peccatorum, denique propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum, inchoandi novam vitam, & divina mandata ſervandi. De his, ubi diſputabimus de Sacramento pœnitentiæ, erit ſingillatim pertractandum. Sat eſt modo animadvertere, quod ſicuti e Deo per pravam cupiditatem averſi ſumus, ita ad ipſum debemus per ſanctam dilectionem converti; nam ſcriptum eſt Ezech. XVIII. 30. *Convertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris; & non erit vobis in ruinam iniquitas:* quibus exhortationibus plena ſunt divinarum Scripturarum eloquia. Quoniam vero propoſitum novæ vitæ operibus comprobatur, nequaquam putandum eſt excludi a Tridentinis Patribus, præſertim in peccatoribus vetuſta conſuetudine gravatis, opera quædam præparatoria, quæ debeant aliquando juſtificationem præcedere. Etenim hortatur Dominus improbos per Joelem II. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu;* & per Evangelicas Inſtitutiones Lucæ III. ut faciant *fructus dignos pænitentiæ*: & Petrus Iſraelitis compunctis corde Act. 2. verſu 38. inquit: *pænitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* Hinc haud vulgares Theologi docent quibuſdam peccatoribus abſolutionem non eſſe impendendam, niſi etiam externis operibus ſtuduerint ſe præparare; quod probant auctoritate Cypriani in libro de Lapſis, ex antiqua Eccleſiæ diſciplina, juxta quam peccatores laborioſis operibus ante reconciliationem addicebantur, aliiſque argumentationibus plurimis. Verum de his alibi. Nunc, quod inſtitutum erat, expoſuimus Catholicorum ſententiam circa diſpoſitiones ad juſtificationem neceſſarias, commonſtrantes ſimul requiri ad illam actus liberi arbitrii.

CAPUT V.

Quo ſenſu affirmet Apoſtolus hominem gratis & per fidem juſtificari.

OMNEM modo hæreticorum molem ſubvertemus, Paulinæ, cui nimium fident, ſententiæ ſenſum ac ſcopum inquirentes. Tertio, & quarto capite Epiſtolæ ad Rom. ſcribit Apoſtolus, haberi juſtitiam per fidem Jeſu Chriſti, juſtificari impium gratis per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, & juſtificari per fidem ſine operibus legis. Abraham non ex operibus juſtificatum, ſed per fidem. His Apoſtolicis ducti momentis Sectarii nihil in impio, ſi fidem excipias, ad juſtificationem obtinendam requirunt. Ipſam quoque fidem pro ſuo arbitratu explanant & circumſcribunt. Quum enim fide una Chriſti credamus Incarnationem, & quidquid nobis aut Scriptura, aut Traditio proponit, nec non virtutem ſigna & prodigia patrandi, propoſitumque bonis præmium, atque remunerationem, ſicuti eadem ſpe remiſſionem peccatorum, æternamque vitam expectamus, atque eadem virtute caritatis diligimus Deum, & proximum: diſpeſcunt in triplicem illi fidem, *Hiſtoricam*, qua traditis myſteriis aſſentimur, *Miraculorum*, qua res mirandæ efficiuntur, fidemque *Promiſſionum*, qua firmiſſime tenemus imputari nobis juſtitiam Chriſti. Ac fidem, per quam juſtificamur, non fidem *hiſtoricam*, non fidem *miraculorum*, ſed eſſe ſolam fidem *promiſſionum* divinarum, temere pugnaciterque contendunt. Dabo itaque operam, ut primum Pauli mentem percipiamus, commonſtrans ab ipſo nequaquam in juſtificationis negotio actus liberi arbitrii, aut ſupra enumeratas diſpoſitiones expungi; evertam deinde Hæreticorum de ſola fide *promiſſionis* commentum.

PROPOSITIO I. Paulus Apoſtolus non eo ſenſu docet homines juſtificari per fidem ſine operibus legis, ut ſola in Chriſtum fiducia gratiam juſtificationis obtineant, neque ad hanc diſponantur etiam ſpe, dilectione, ceteriſque virtutibus.

Demonſtratur I. Hoc unum intendit Apoſtolus, ne Judæi ad fidem Chriſti converſi glorientur quod fuerint ſemen Abrahæ, quod divinas acceperint promiſſiones, quod ob circumciſionem & reliqua legis opera, non per gratiam divinumque propoſitum, non per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, vocati fuerint ad Evangelium, dirigens in hunc ſcopum Epiſtolæ ad Romanos duo præcitata capita; in quibus docet quod lex, excluſa fidei gratia, minime ad juſtitiam conducit, quod tam Gentium, quam Judæorum opera, per circumciſionem atque præputium expreſſa, ex fide, & per fidem, ſcilicet præveniente gratia, cujus primus effectus fides eſt, accepta ſunt illi, qui eſt Deus non Judæorum tantum, ſed & Gentium; quod Abraham non habet gloriam, niſi apud Deum, propterea quod non per carnis circumciſionem, ſed per fidem Mediatoris factus eſt Pater multorum gentium. Hæc ſola Epiſtolæ Paulinæ lectione comperta ſunt. At qui talia, & ad hunc finem pronuntiat, a Juſtificatione excludit duntaxat opera, quæ fidem præcedunt, ac fiunt abſque gratia præveniente; ſive opera legis, aut Moſaicæ ſint, aut naturalis, abſque ulla Reparatoria fide patrata; non autem excludit opera fide directa, & facta divinæ gratiæ adjutorio. Paulus ergo, dum inquit hominem juſtificari per fidem, non ex operibus legis, minime excludit opera gratiæ, timorem, ſpem, caritatem, pœnitentiam, & novæ vitæ propoſitum.

Præterea. Si Paulus quæcunque bona opera excludit, de nuda ac ſola fide ſermonem inſtituet, non de fide operante per dilectionem. Id vero quis ſibi poterit perſuadere? Principio idem Apoſtolus ad Galatas v. 6. ait: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per caritatem operatur.* Et in primi ad Corinth. XIII. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum.* Quo pacto putet ſolam fidem juſtificare, qui tam aperte docet fidem abſque caritate nihil prodeſſe? Deinde ad Hebræos XI. 17. inquit: *Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones.* Fidem itaque in Abraham commendat non ſterilem, & otioſam, ſed cum obedientia & opera conjunctam. Recte Auguſtinus De Fide, & Operibus cap. 14. *Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: Et Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur,*

tur, *ita nihil prodeſſe aſſeverat*, *ut dicat*, *Si habeam omnem fidem*, *ita ut montes transferam*, *caritatem autem non habeam*, *nihil ſum*, *&c.* Et de Grat. & lib. arbitrio cap. 7. *Homines autem non intelligentes quod ait ipſe Apoſtolus*, *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, *putaverunt eum dicere ſufficere homini fidem*, *etiamſi male vivat*, *& bona opera non habeat. Quod abſit*, *ut ſentiret Vas electionis*, *qui cum dixiſſet quodam loco*, *In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet*, *neque præputium*, *mox addit*, *ſed fides*, *quæ per dilectionem operatur. Ipſa eſt fides*, *quæ fideles Dei ſeparat ab immundis dæmonibus*; *nam & ipſi*, *ſicut dicit Apoſtolus Jacobus*, *credunt & contremiſcunt*, *ſed non bene operantur.*

Inſuper cum Paulus Apoſtolus ſcribens ad Romanos affirmaſſet juſtificari hominem per fidem ſine operibus, nonnulli id ita acceperunt quaſi credentes in Chriſtum, etiamſi facinoroſe viverent, ſalvi eſſe poſſent per fidem: atque ad illorum retundendum errorem Epiſtola Judæ, prima Joannis, & ſecunda Petri ſcriptæ dicuntur. Id quidem cenſet Auguſtinus citato cap. xiv. de Fide & Op., & lib. lxxxiii. QQ. q. 76., conſentiunt veterem multi, & poteſt ex eo demonſtrari, quod Petrus ibidem cap. 3. verſu 16. ait in Epiſtolis Pauli eſſe quædam *difficilia intellectu*, *quæ indocti & inſtabiles depravant*, ipſum tamen Paulum ſcripſiſſe, ut omnes ſatagerent inveniri immaculati & inviolati, *ſecundum datam ſibi ſapientiam*. Ac Jacobus cap. 2. verſu 21. utitur eodem exemplo Abrahami, quo indocti illi, atque inſtabiles abutebantur. De Paulina ergo ſententia juxta Jacobi, Joannis, ac Petri doctrinam æquum eſt judicare. At Petrus cap. iii. hortatur nos, ut ſimus *in ſanctis converſationibus & pietatibus expectantes*, *& properantes in adventum diei Domini*. Joannes de caritate & obſervantia mandatorum ſpecialiter tractat; Jacobus vero ſic de Abraham loquitur: *Abraham Pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt*, *offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides conſummata eſt?* Certe abſque impietate ſuſpicari non poſſumus Paulum & Jacobum pugnantia conſcribere, cum uterque fuerit divino Numine afflatus, atque unus alterius mentem expreſſerit. Deinceps, ut ratiocinatur Auguſtinus eadem q. 76., *Qui putant iſtam Jacobi Apoſtoli ſententiam contrariam eſſe illi Pauli Apoſtoli ſententiæ*, *poſſunt arbitrari etiam ipſum Paulum ſibi eſſe contrarium*, *quia dicit alio loco*, *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum*, *ſed factores legis juſtificabuntur. Et alio loco*, *ſed fides*, *quæ per dilectionem operatur. Et iterum*, *ſi enim ſecundum carnem vixeritis*, *moriemini*, *&c.* Conſequens ergo eſt, ut Paulus redarguerit Judæos ſe Gentibus in Chriſtum credentibus præferentes, quaſi meritis bonorum operum, quæ in lege ſunt, ad gratiam Evangelicam perveniſſent. At legiſe citatis in locis Auguſtinum, nec non in Pſalm. 31. & 67. prope finem, ac de Civ. Dei lib. xvi. cap. 23.

Rurſus demonſtretur Catholica veritas teſtimoniis Patrum, ad juſtificationem etiam ſpem, timorem, caritatemque neceſſariam eſſe affirmantium. Clemens Alex. lib. 2. Stromatum docet, *fidem præcedere*, *timorem ædificare*, *dilectionem perficere*. Baſilius in Pſ. 33. ait: *Timor ſalutaris ad pœnitentiam ducit*. Ambroſ. initio librorum de Pœnit. inquit: *Nemo poteſt bene agere pœnitentiam*, *niſi qui ſperaverit indulgentiam*. Hieronymus in cap. 3. Epiſt. ad Rom. *Non peccatorem dixit* (Paulus) *juſtificari per fidem*, *ſed impium*, *ideſt non credentem*. Docent conſimilia Patres alii apud Bellarminum lib. 2. De Juſtificat. cap. xiii. Neque audiendi ſunt hæretici reponentes opera quidem comitari fidem, ſed hanc ſolam ſalutem apprehendere; non enim alia vis juſtificandi ineſt fidei, niſi quam illi caritas impertitur: quum Apoſtolus fidem commendet, quæ per dilectionem operatur, neque fides ipſa ſit forma virtutum, ſed caritas fidei ac virtutibus reliquis conferat perfectionem. Caritas quippe legis plenitudo eſt: qui non diligit, manet in morte: & ſi quis tantam habeat fidem, ut montes transferat, non tamen diligat, nihil ei prodeſt; quod ex dictis, atque ex iis, quæ de virtutibus alibi diſputamus, arbitror manifeſtum.

Ut revertar ad Paulinam Epiſtolam, ita poſtremo loco ratiocinabor. Judæis obſervationem legis, & circumciſionem jactantibus, cur Apoſtolus opponit exemplum Abrahæ, repetitque verba Geneſeos xv. 6. *Credidit Abram Deo*, *& reputatum eſt illi ad juſtitiam?* Hæc de Abrahamo prolata fuere annis xv. priuſquam circumcideretur. *Priuſquam enim eſt circumciſus*, *ſic de eo promulgatum eſt*, *credidit Abraham Deo*, *&c.* inquit cum Tryphone diſputans Juſtinus. At jam eo tempore Abraham Deo mandante exierat de terra ſua, divinaſque acceperat promiſſiones, atque, ut ſcribit Hom. viii. in Epiſt. ad Hebr. Joan. Chryſoſt. *meritis*, *& recte factis eminebat*. Declarat itaque Apoſtolus Chriſtianæ fidei vim ac robur, ut non ex circumciſione Judæi ad hanc eligi promeruerint, quandoquidem ex fide Abraham juſtificatus ſit nondum circumciſus, ſed ut fides ipſa circumciſioni, ceteriſque bonis operibus intelligatur præceſſiſſe. Forte dices: ſi longe ante circumciſionem ea verba prolata ſunt; cur Jacobus ſcribit referenda eſſe ad Iſaac immolationem? Id recte ſcribit. Divinæ promiſſiones factæ ſunt Abraham Gen. xii. 3. quando de domo Patris ſui egreſſus eſt: & confirmatæ Gen. xxii. 18. quando Iſaac immolaturus montem conſcenderat, in præmium utrobique ſingularis obedientiæ. Demonſtraturus itaque Jacobus fidem Abrahami non fuiſſe inertem ac ſolam, illam iis ſingulari Abrahæ obedientia proponit, non repugnans Geneſi, quoniam etiam poſt filii immolationem Abraham divinas promeruit benedictiones; neque Apoſtolo, quoniam & ille idem affirmat in Epiſtola ad Hebræos. Atque hæc magis, magiſque commonſtrant loqui Apoſtolum de fide operante, & obedientiæ adjuncta: ut dictum hactenus.

PROPOS. II. Fides, quæ eſt juſtificationis exordium, non eſt ſola fides divinarum promiſſionum.

Apertiſſimis Scripturæ locis oſtenditur. Ac primo: Fides illa Deo pergrata eſt, divinamque uberiorem gratiam promeretur, qua credimus divina myſteria, Trinitatem præſertim, ac Verbi Incarnationem. Fides autem iſta non eſt fides ſola promiſſionum, ut liquet. Igitur fides promiſſionum ea non eſt, unde ſumitur juſtificationis exordium. Prob. min. nam Matth. xvi. 16. Petrus ob illam fidei confeſſionem, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, audire meruit, *Beatus es*, *Simon Bar-Jona*, *&c.* Marci ultimo 15. ait Dominus diſcipulis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit*, *& baptizatus fuerit*, *ſalvus erit*. Joan. vi. 69. Petrus ita Dominum allocutus eſt: *Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus*, *& cognovimus*, *quia tu es Chriſtus filius Dei*. Joannis xx. 31. *Hæc ſcripta ſunt ut credatis*, *quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei*; *& ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Act. viii. Philippus Spadoni baptiſmum petenti, poſteaquam illi Jeſum evangelizaverat exponens Iſaiæ prophetiam, ait: *Si credis ex toto corde*, *licet*. Apoſtolus ad Rom. x. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jeſum*, *& in corde tuo credideris*, *quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis*, *ſalvus eris*. Fides, qua Petrus confeſſus eſt Chriſti divinitatem, quam evangelizando Apoſtoli diſſeminarunt, ob quam Chriſti verba & opera literis mandata ſunt, per quam credimus eumdem Chriſtum a mortuis reſurrexiſſe, de qua vaticinati ſunt Prophetæ, eſt fides divinorum myſteriorum. Itaque hæc fides ad conſequendam ſalutem diſponit. Ad hæc, ut præcedenti capite diximus, qualem fiduciam in Chriſti Redemptione habere poſſumus, niſi fides præcedat, qua credamus illum eſſe filium Dei, & pro hominum ſalute incarnatum & paſſum? Hæc ergo fides omnium gratiarum fundamentum eſt, nec aliud ponere poſſumus, ut inquit Apoſtolus in 1. ad Corinth. cap. 3. & Auguſtinus de Fide, & Op. cap. xv.

OBJECTIONES CONTRARIÆ REFUTANTUR.

Multa quidem adverſus primam propoſitionem objiciunt hæretici, ſed poſſunt omnia ad tria capita reduci. Primum eſt, quod Apoſtolus ad Rom. iii. 28. docet *juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*; de quo loco plura in prima propoſitione: & quod præſertim objectant, ſcopus Apoſtoli eſt demonſtrare juſtificationem gratis haberi, quoniam ſi quis ex operibus juſtificatur, *habet gloriam*, *ſed non apud Deum*. Hinc eſt, quod etiam Tridentinum Concilium Seſſ. vi. cap. 8. definit, *nihil eorum*, *quæ juſtificationem præcedunt*, *ſive fidem*, *ſive opera*, *ipſam juſtificationis gratiam promereri*. Et Auguſtinus de Fide, & Operib. cap. xiv. num. 21. inquit: *Sciat quiſque per fidem ſe poſſe juſtificari*, *etiamſi legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim juſtificatum*, *non præcedunt juſtificandum*. Alterum caput eſt, quod plura Scripturæ loca fidei juſtificationem, atque ſalutem tribuunt, ut ad Rom. 1. 17. *Juſtus ex fide vivit*. x. 10. *Corde creditur ad juſtitiam*. Matth. ix. 22. *Fides tua te ſalvam fecit*. Et ſi dixeris hæc accipienda eſſe de fide, quæ operatur per dilectionem, extat Lucæ viii. 50. apertus textus ſolam fidem commemorans, nempe: *Crede tantum*, *& ſalva erit*. Quare Auguſtinus lib. 1. ad Boniſ. cap. 21. de Sanctis veteris teſtamenti ait: *Quantælibet fuiſſe virtutis antiquos prædices juſtos*, *non eos ſalvos fecit*, *niſi fides Mediatoris*. Tertium caput eſt, quod Patres a ſola fide ſalutem agnoſcunt. Legatur Chryſoſtomus Orat. de Fide & lege, Tertullianus de Baptiſmo, Auguſtinus ipſe quæſt. 76. ex lxxxiii. Ex his talis objectatio conſurgit. Si juſtificationem præcederet aliqua liberi arbitrii diſpoſitio, non eſſet gratia, ſed merces; neque recte Scripturæ ac Patres fidei tantum ipſam juſtificationem tribuerent. Id omnı procul dubio falſum eſt. Nulla ergo liberi arbitrii diſpoſitio juſtificationem præcedit.

Reſp. juxta Apoſtolum juſtificari quidem hominem per fidem, ſed per illam fidem, quæ per dilectionem operatur; atque eo tantum ſenſu excludi opera, quatenus ea ſe inſpecta nullatenus ad juſtitiam perducunt, omnemque vim ac robur a præveniente gratia recipiunt. Explicatum id paullo ſupra ejuſdem Apoſtoli, & S. P. Auguſtini expreſſiſſimis verbis. Affirmamus propterea hominem juſtificari gratis per fidem, etiamſi juſtificationem præcedat timor, ſpes, dilectio, & contritio. *Quia ipſa fides*, *unde incipiunt bona*, *quæcunque ſunt*, *merito*, *gratuitum donum Dei eſt*: inquit Epiſtola ad Sixtum 150. nunc 194. num. 9. Gratiæ prædicator Auguſtinus. *Et quia opera ſunt ex fide*, *non ex operibus fides*, *ac per hoc ab illo ſunt nobis opera juſtitiæ*, *a quo eſt fides*, *de qua dictum eſt*, *Juſtus ex fide vivit*, inquit idem

Augu-

Auguſtinus de Grat. & libero arb. cap. VII. num. 18. Atque recte monet Apoſtolus, *ne quis glorietur*; quoniam cum ipſa fides ſit donum Dei, non poſſunt homines dicere: *Idea accepimus gratiam, quia credimus, tanquam ſibi fidem tribuentes, gratiam Deo*, inquit eo loco Sanctus Pater: quemadmodum inaniter quidam Judæorum jactabant ſe ad fidem Chriſti ob circumciſionem fuiſſe vocatos.

Eadem profecto mens eſt Tridentinorum Patrum; nam ſacroſancta Synodus paullo ante ea verba, *Nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promerentur*, diſpoſitiones, quas juſtificatio conſequitur, enumerat. Deinde per omnia Auguſtino cohærens inquit: *Cum Apoſtolus dicit juſtificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ ſenſus tenuit, & expreſſit, ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium*. Illam quoque rationem addit, quam affert Apoſtolus, *Quoniam ſi juſtificatio gratia eſt, jam non ex operibus, ut idem Apoſtolus inquit, alioquin gratia jam non eſt gratia*. Cum itaque dictum illud Apoſtolicum non ſit accipiendum de operibus a gratia Chriſti profectis, quibus ineſſe rationem meriti Synodus ipſa definit, ſed tantum de iis, quæ fiunt abſque prævenientis gratiæ adjutorio, a quo juſtificationis exordium ſumendum eſt; ſequitur apertiſſime Concilium, ubi ait neque fidem, neque opera juſtificationis gratiam promereri, aut loqui de fide prorſus informi & mortua, quæ ad juſtitiam nihil magis, quam donum linguarum, aut prophetiæ, aut ſcientiæ, ſi nihil adſit Chriſtianæ dilectionis poteſt conferre; aut ſaltem de merito *de condigno*, quo carent opera ante juſtificationis gratiam patrata. Legite Eſtium in III. & IV. caput Paulinæ ad Romanos Epiſtolæ.

Habent ſenſum eumdem verba Auguſtini ſcribentis de Fide & Op. cap. XIV. num. 21. quod opera non præcedunt, ſed ſequuntur juſtificatum: opera nempe, quibus æterna vita tanquam merces rependitur. Enim vero ibidem inquit Apoſtolum tribuentem juſtificationem fidei, definire, *non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem planeque Evangelicam, cujus opera ex dilectione procedunt*. Deinde ſupra cap. VIII. num. 8. oſtenderat in baptizandis requiri pœnitentiam ex verbis Act. II. 38. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum, &c.* Requirit etiam cap. IX. & ſeq. ſervandi mandata propoſitum. Ait præterea citato num. 21. ſe de hac quæſtione prolixius in libro de Spiritu & litera diſputaſſe. Quid autem hoc in loco Auguſtinus? Cap. 10. num. 15. ait: *Juſtificati gratis per gratiam. Non itaque juſtificati per legem, non juſtificati per propriam voluntatem; ſed juſtificati gratis per gratiam ipſius, non quod ſine voluntate noſtra fiat: ſed voluntas noſtra oſtenditur infirma per legem, &c.* Apertiſſime itaque docet Auguſtinus hominem gratis juſtificari, & opera juſtificationem non præcedere, quoniam prior eſt gratia, quam meritum; ac bona voluntas, & quidquid juſtificationem præcedit præſupponunt gratiam prævenientem.

Solvuntur ex dictis, quæ ſecundo loco objiciuntur. Dum enim Scripturæ ac Patres fidei juſtificandi vim tribuunt, accipiendi ſunt de fide, quæ per dilectionem operatur, & in quantum fides eſt primum gratiæ donum, per quod cetera impetrantur. Superiori capite conſimiles Scripturæ textus protulimus, etiam timorem Domini, ſpem, caritatem, & converſionem cordis præcipientes. Fidem ergo juſtificare fatemur, ſolam atque informem negamus ad juſtificationem ſufficere. Oppoſitum ſane non evincunt ea verba apud Lucam VIII. 50. *Crede tantum, & ſalva erit*. De ſalute filiæ principis ſynagogæ, ejuſque a mortuis excitatione, non de ſanctificationis gratia, iſta prolata ſunt: ac poſſunt etiam operarii iniquitatis, ut colligitur ex Matth. VII. 22. virtutes multas in Chriſti nomine operari; ideoque alia fides ad patranda miracula, alia ad ſanctificandas animas eſt neceſſaria. Sanctus autem Auguſtinus dum I. libro ad Bonif. cap. XXI. ait antiquos juſtos nonniſi fide Mediatoris ſalutem conſecutos, redarguit Pelagianos autumantes, quod veteres Patriarchæ ſalvi facti fuerint abſque Chriſti gratia: quare per τὸ, *niſi fides*, excludit opera ſolius naturæ viribus facta, non auxilio gratiæ, ac per fidem in futurum Reparatorem perfecta: quod commonſtrant hæc verba paullo poſt appoſita: *Per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus nos ſalvos fieri, quemadmodum & illi: hoc vos non vultis inimici gratiæ Chriſti, ut eadem gratia Jeſu Chriſti ſalvi facti credantur antiqui; ſed diſtribuitis tempora ſecundum Pelagium, in cujus libris hoc legitur; & ante legem dicitis ſalvos factos eſſe per naturam, deinde per legem, poſtremo per Chriſtum, quaſi hominibus duorum ſuperiorum temporum, ante legem ſcilicet, & in lege, ſanguis Chriſti non fuerit neceſſarius, &c.*

Eadem plane ſignificatione affirmarunt Patres hominem ſola fide juſtificari excluſis operibus factis abſque gratia; aut ſi mors, vel impedimentum aliquod ſuperveniat, ſola fide ab operum conſummatione, ſed non a bona voluntate, ac mandata ſervandi propoſito ſejuncta; ideſt, fide illa, quam Hieronymus in Dialogo Orthodoxi & Luciferiani appellat *devotam in Deum animam*, & per quam dicimur in ſacris literis credere, non mente tantum, ſed etiam *corde*; ut Act. VIII. 37. & ad Rom. X. 10. *In Evangelio enim voluntas quæritur, quæ etiamſi effectum non habuerit, præmium non amittit*: inquit idem Hieronymus in cap. XII. Matthæi. Hanc eſſe Auguſtini mentem in lib. LXXXIII. quæſt. Q. 76. præter ea, quæ ſupra ex eodem loco produximus, hæc verba confirmant: *Quod ſi cum crediderit, mox de hac vita deceſſerit, juſtificatio fidei manet cum illo: nec præcedentibus ejus operibus, quia non merito ad illam, ſed gratia pervenit; nec conſequentibus, quia in hac vita eſſe non ſinitur*. Idem docet Chryſoſtomus pertractans eo loco de Latrone, qui tempus recte operandi non habuit; propriam tamen iniquitatem confeſſus eſt, & regnum Chriſti ſperavit & petiit, ut narrat Evangelica Hiſtoria, & in eloquentiſſima de ipſo Latrone Homilia idem Chryſoſtomus. Inquit de hoc Latrone Cyrillus Hieroſolym. Catech. XIII. *Vellet juſte agere latro, ſed venit mors*. Tertullianus denique loquitur de fide per caritatem formata, quam *integram* vocat. Tribus ergo hæreticarum objectionum capitibus hæc tria Orthodoxæ doctrinæ opponuntur; quibus præmiſſæ argumentationis explicatur major propoſitio, minor autem apertiſſime refutatur.

Argumenta, quæ urgentur ab hæreticis adverſus ſecundam propoſitionem, poſſunt pariter ad tria capita revocari, ad exemplum Paralytici ex Evangelio depromptum, ad Apoſtolicam Divi Pauli doctrinam, atque ad fidei definitionem & firmitudinem. I. De Paralytico legimus Matth. IX. 2. dictum illi a Domino: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Fides itaque, per quam delentur peccata, nihil eſt aliud, quam firma in Chriſtum fiducia. II. Apoſtolus in prælaudata ad Romanos Epiſtola de fide, qua juſtificatus eſt Abraham, cap. IV. 16. ait: *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio*: his verbis commendat Paulus fidem duntaxat promiſſionis divinæ. Addit verſu 18. *Qui contra ſpem in ſpem credidit*; atque hic pariter ſpes firmiſſima deſignatur. Sequitur verſu 20. 21. 22. *In repromiſſione Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſime ſciens, quia quæcumque promiſit potens eſt facere. Ideo & reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Ea majori verborum expreſſione declaratur, quod Abraham juſtificatus ſit ob fidem pleniſſimam, & certam ſine animi fluctuatione fidentiam. III. Fidem ita nobis deſcribit idem Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos cap. XI. 1. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum*; ubi Græcum vocabulum ὑπόςασις, *ſubſtantia*, commonſtrat fiduciæ conſtantiam, ac firmitatem: de qua etiam Jacobus cap. I. 6. inquit: *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*; ubi oſtendit fidentiæ firmitudinem a Deo omnium gratiarum dona impetrare. Exemplum itaque, Evangelium, doctrina Apoſtolica, ipſaque Fidei natura ac poteſtas demonſtrant, quod juſtificationis exordium e ſola fide divinarum promiſſionum ſit repetendum.

Reſp. ad 1. nos pariter, ut diximus cap. præcedenti, ſpem & fidentiam exigere ad juſtificationem obtinendam: cum Tridentina Synodus iiſdem verbis Matth. IX. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, doceat ſeſſ. VI. cap. 6. diſponi ad juſtificationem impios, dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore. *De hac diſpoſitione ſcriptum eſt* (inquit ibidem Sacroſancta Synodus), *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. Et, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Negamus tamen probari exemplo Paralytici, quod initium juſtificationis ſit fides *promiſſionum*, & quod hæc debeat in nobis excludere omnem formidinem. Cur enim tanta in Paralytico, & in iis, qui eum ad Chriſtum adduxerant, ſpes & fiducia, ut una cum grabato ſubmitterent illum e tecto; niſi quia Redemptoris fama longe, lateque diffuſa, & accedente fidei illuſtratione, credebant revera ipſum eſſe Chriſtum, & omnipotentia eſſe præditum? Hæc ergo ſpes, hæc fiducia non fuit collati beneficii prior cauſſa, quia jam fidem Chriſti ex auditu conceperant. Quod ſi potuit paralyticus omnem exuere dubitationem, quoniam ſine verborum ambiguitate Dominus illi impendebat remiſſionem peccatorum; non eſt idem aſſerendum de nobis, quibus non tribuit abſolutionem ipſe Chriſtus videns, ut in paralytico, fidem noſtram, ſpem, animique dolorem, ſed abſolutionem nobis impendunt Sacerdotes, quos latet interior cordis noſtri contritio; ideoque non expellunt a nobis omnem prorſus formidinem. Ergo paralytici exemplum perperam opponitur ab hæreticis.

Idem aſſerendum eſt de verbis Apoſtoli, quorum ſenſus liquet ex præcedentibus reſponſionibus. Ait enim Paulus firmam eſſe promiſſionem *ex fide*: quia ad Chriſti hæreditatem non ſolum vocantur Judæi, quorum Abraham eſt Pater ſecundum carnem; ſed etiam Gentes, qui per fidem reputantur in ſemine; ideoque promiſſio facta Abrahæ etiam ſuper nos confirmatur, quia non per circumciſionem, ſed per fidem dictus eſt *Pater multarum gentium*. Quid hæc, quæſo, ad inanem fiduciam hæreticorum, quum Apoſtolus in genere tantum affirmet factam promiſſionem *omni ſemini*, non autem ſingulos in individuo poſſe firmiter credere, ſe nactos eſſe gratiam Abrahæ ſemini repromiſſam? Quod addidit, *Contra ſpem in ſpem credidit*, ſignificat tantum

Abraham præter *ſpem naturæ* credidiſſe ſe conſecuturum a Domino ſobolem, tametſi erat corpus ejus emortuum, cum fere centum eſſet annorum, & emortua pariter eſſet vulva Saræ, ut ipſe Apoſtolus ibidem ait. Atque his confirmat, quæ ſupra dixerat, nonniſi per gratiam, & per fidem conſtitui Abrahami poſteros, adverſus Judæos carnalem propagationem, & carnis circumciſionem jactantibus. Ea autem, quæ ſequuntur verſu 20. & ſequentibus, retorquentur in Adverſarios. Primo, quia per Apoſtolum, Abraham *non hæſitavit diffidentia*, ſed credidit naſciturum ſibi filium, cum fere centum eſſet annorum, quoniam pleniſſime ſciebat poſſe Deum facere quæcunque promiſit; non fuit ergo fidentia Abrahami initium juſtificationis ipſius, ſed potius effectus fidei, qua in Dei veracitatem, & omnipotentiam credebat. Deinde huic fidentiæ acceſſerat obedientia, qua jam ambulaverat coram Domino, & exierat de cognatione ſua; quomodo ergo hæc ſola fiducia Abrahamum juſtificavit? Præterea ſi Abraham non hæſitavit diffidentia, quia tam aperte Deus ei revelavit futurum, ut Sara nonagenaria pareret filium; quo pacto ſecluſa revelatione divina poteſt haberi firmiſſima ſine ullo timore fiducia? Demum ſi Apoſtolus de fide, qua Abraham credidit Deo prænuntianti partum Saræ, Gen. XVII. cum eſſet annorum 99. ait: *Ideo reputatum eſt illi ad juſtitiam*; ergo idem Apoſtolus non loquitur de prima Abrahami juſtificatione, & hæc recipit augmentum, quod hæretici negant; quia de ipſo Abraham dictum eſt, *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*, Geneſ. XV. 6. cum ageret annum ætatis ſuæ 84. Sed de juſtitiæ certitudine atque incremento plura cap. ultimo.

Poſtremum argumentum nihil probat, & in hæreticos retorquetur. Si conſulamus Græcos Patres, fides dicitur ὑπόςασις ἐλπιζομένων, *ſperandarum rerum ſubſtantia*, metonymice, in quantum præſtat ut menti firmiter hæreant quæ non videntur, & nondum ſubſiſtunt, ut eſt reſurrectio mortuorum, & immortalitas corporum. Ita Chryſoſtomus, Theophylactus, & Theodoretus in cap. XI. Epiſt. ad Heb. nec repugnat Auguſtinus Tract. LXXIX. in Joannem. Alii ita hunc locum interpretantur, ut fides ſit ſpei noſtræ baſis & fundamentum. Jacobus docet, ut orans Deum non ſit hæſitans, nihil diſceptans de fide, &, quemadmodum habet Græcus, διακρινόμενος, dijudicans, atque in dubium revocans Dei potentiam, & promiſſionem. Profecto nequit ex his inferri aut ſolam fiduciam juſtificare, aut orantes Deum non poſſe de propria conſcientia titubare ac timere.

CAPUT VI.

Exponitur Hæreticorum, atque Catholicorum de bonis operibus, illorumque meritis dogma.

HÆRETICORUM circa bona opera hæc eſt ſententia: Omnia hominum opera, ſi in ſua dignitate cenſeantur, nihil eſſe aliud, quam ſordes & inquinamenta. Ita ſcribit libro III. Inſtit. Calvinus. Et Lutherus pariter art. 33. aſſerit, juſtum in omni opere bono peccare. Moventur illi ex quo nemo poſſit in hac vita perfecte legem implere, ut divina Scriptura, & Patres omnes teſtantur. *In multis labimur omnes*, inquit cap. III. Jacobus; & Salom. VIII. primi Regum, *Non eſt homo, qui non peccet*. Juſtitias noſtras panno menſtruatæ æquiparari a Propheta, diximus ſupra cap. 3. Etiam juſtis orandum eſſe, *Dimitte nobis debita noſtra*, demonſtratum eſt cap. 6. præcedentis libri. Ex Græcis Patribus, non eſſe aliquem inter homines qui non delinquat, docet in XI. caput ad Rom., in XIII. Epiſt. I. ad Corinth. Chryſoſtomus. Ex Latinis Cyprianus in Expoſit. orat. Dominic. Auguſt. de Peccat. merit. lib. 2. cap. 7. Greg. lib. IX. moral. cap. 26. Horum autem, aliorumque teſtimonia tam aperta ſunt, ut nequeant in dubium revocari.

Catholici e contra plura dari opera, quæ nullatenus peccata ſunt, longe meliori ſenſu propugnant, ac talia eſſe cenſent illa omnia, quæ a nobis fiunt ſecundum legis præſcripta, neque a malæ cupiditatis radice proficiſcuntur. Id probant literarum ſanctarum, ac Patrum auctoritate ſuffulti. *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus*, ut legitur cap. IV. Gen. ideſt, *grata hæc habuit, ac laudavit*; quemadmodum exponit Hom. 18. Chryſoſtomus. Dicitur Noe cap. 6. *inveniſſe gratiam coram Domino*: ac deinceps alii Patriarchæ dignis laudibus celebrantur. Job appellatur cap. 1. *homo ſimplex & rectus, timens Deum, ac recedens a malo*. Ait de ſeipſo David Pſ. 118. *Ab omni via mala prohibui pedes meos*. Magdalena Chriſti pedes inungens dicitur Matth. 26. *bonum opus operata*. Paulus ad Titum III. dicit fidelium opera *bona & utilia hominibus*. Jacobus cap. 2. repetit juſtificationem ab ipſis operibus. Patres quidem omnes ad bene operandum nos vehementer hortantur; Juſtinus diſputans cum Tryphone, Irenæus lib. IV. H. 71. Chryſoſtomus Hom. 30. in Joan. Auguſtinus toto libro de Fide & Operibus. Fieri iſtiuſmodi hortationes ut magis ſceleribus inquinemur, ſuperat rationem ac fidem noſtram.

Momenta ſane hæreticorum difficile non eſt refutare; ſi advertas aliud eſſe, hominem quamvis juſtum aut negligentia, aut alia cauſſa, dum etiam ſanctis operibus incumbit, plura venialia peccata committere; aliud ſancta opera vel a mala radice procedere, vel eſſe legis, præceptorumque tranſgreſſiones, vel eſſe inſpecta dignitate ſua damnabilia. Hoc poſtremum jure negamus; quoniam quiſquis recte operatur, ducitur ſpiritu Dei, ſervat mandata, redditque ſe dignum remuneratione & corona. At primum non diffitemur; nam a radice alia, a qua minime exoriuntur opera bona, ideſt ab infirmitate atque ab inhærente concupiſcentia, facile oritur defectus aliquis, pro quo nobis divina miſericordia eſt continuo imploranda. Hac ratione in multis omnes labimur, & oramus quotidie, *Dimitte nobis debita noſtra*: ſed vide præcedentis libri caput 2. ac 6. Porro quod inquiunt Heterodoxi, quolibet peccato, quantumvis minimo, penitus juſtitiam labefactari, diluetur libro XXI. cap. 8. ubi demonſtrabimus dari peccata natura ſua venialia. Locus Iſaiæ LXIV. expoſitus eſt paullo ſupra cap. 3. Ibidem præterea propheta commendat juſtorum opera, dum ait verſu proximo: *Occurriſti lætanti, & facienti juſtitiam: in viis tuis recordabuntur tui*. Prior itaque hæreticorum aſſertio, quod omnia opera hominum inquinata ſint, merito a Tridentina Synodo fuit proſcripta ſeſſ. VI. can. 25. meritoque a nobis refellitur.

Altera hæreticorum propoſitio eſt, bona opera non eſſe ad ſalutem neceſſaria: quod Novatores ſolent diverſa ratione explicare. Nam quidam autumant juſtum non adſtringi ad præceptorum obſervationem; quod ſcriptum ſit ab Apoſtolo 2. ad Corinth. V. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas*: & I. ad Timot. I. *Juſto non eſt lex poſita*. Verum hæc, & conſimilia ita ſunt accipienda, ut juſti non coacte, ſed lubenter impleant mandata, ut exponam cap. 2. libri proximi. Hanc ergo hæreticorum aſſertionem nunc omitto. Flacci, Jenenſium, & Hinkelmanni opinatio, quod bona opera ad ſalutem nullo pacto ſint neceſſaria, ut vidimus cap. IV. rejicitur a ceteris Proteſtantibus. Hinc neceſſitatem bonorum operum confeſſi ſunt in Confeſſ. Saxonica, de qua legendus Du-Hamel Tom. 3. pag. 796. Videtur mihi Gerardus Voſſius in Theſibus habitis in Academia Leidenſi omnem ſuorum fraudem detegere. Is inquit bona opera eſſe homini Chriſtiano triplici nomine neceſſaria, primo ut Chriſtum glorificet; deinde ne ob bonorum operum neglectum amittat bonam conſcientiam; tandem ut proximum caritatis officiis ſtudeat lucrifacere. Negant igitur neceſſitatem bonorum operum, quaſi his apprehendatur vita æterna, quam nulla ratione bonis operibus hominem juſtum promereri opinantur.

Ergo doctrinam illorum, qui bona opera prorſus rejiciunt, ſenſu unanimi Catholici omnes repellunt. Ducuntur invictiſſimis argumentis. Primum eſt, quod nobis ut bene operemur præcipitur, Iſ. 58. Matth. 5. Marc. 8. Joan. 15. ad Coloſſ. 3. atque in omni fere Scripturarum ſanctarum pagina. Sufficit animadvertere, quod non ſit amicus Chriſti, qui ejus mandata non ſervat, dicente eodem humani generis Reparatore apud Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſervate*. Quare ſapienter unumquemque commonet beatus Jacobus cap. 1. *Eſtote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos*. Alterum argumentum eſt, quod fides ſola ad ſalutem non ſufficit, dicente eodem Apoſtolo in fine ſequentis capitis, *Fides ſine operibus mortua eſt*. Plura huc ſpectantia fuerunt in articulo ſuperiori producta. Tertium argumentum eſt, quod vita æterna nonniſi bonis operibus rependitur; ſummus enim Judex Matth. 25. dicturus eſt electis: *Poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* De iniquis vero S. Petrus in altera Epiſtola cap. 2. *Melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato*. De quo, aliiſque Scripturarum locis, legendus eſt Auguſtinus capite de Fide & Operibus quarto ac viceſimo. Poſtremum argumentum peti poteſt ex Patrum traditione. Nam Chryſoſtomus orat. V. adv. Anomœos ait: *Dogmatum ſalubritati addamus illam, quæ in vita & operibus eſt, puritatem, ne dimidiata tantum habeamus ea, quæ ad ſalutem perducunt*. In Epiſtolam ad Romanos cap. VIII. *Fieri non poteſt, ut ſalvetur, qui poſt fidem torpeſcit*. Et libro IV. de Sacerd. *Nihil lucri ex ſana fide, ſi vita ſit corrupta*. Ambroſ. in cap. IV. Epiſt. ad Hebræos; *Non ſufficit fides, ſed debet addi vita fidei condigna*. Auguſt. cap. VII. de Grat. & lib. arb. eos reprehendit, qui putant aſſerere Apoſtolum ſcribentem ad Romanos: *Sufficere homini fidem, etiamſi male vivat, quod abſit, ut ſentiret Vas electionis*. Magnus Gregorius in Epiſt. ad Francorum Reges Theodoricum, & Theobertum: *Si vita deeſt, fides meritum non habet, beato Jacobo atteſtante, qui dicit, Fides ſine operibus mortua eſt*. Atque huc ſpectant omnia, quæ dicta ſunt capite præcedenti. Quum hæc ſatis aperta ſint, & conſentientem habeamus magnam Adverſariorum partem, minime negantium bonorum operum neceſſitatem; totum, ni fallor, diſſidium in hoc ſitum eſt, quod hæretici denegent homines per bona opera poſſe aliquid promereri, & ad æternam vitam illa tantum requirant, vel quatenus ſunt ſigna fidei, vel ob triplicem rationem ſuperius a Voſſio explicatam; Catholici autem firmiter teneant ipſam æternam vitam bonis operibus ut cauſſæ meritoriæ a Deo promitti, atque rependi.

Quam-

Quamobrem puto hæc perpauca tali methodo atque ordine de neceſſitate operum a me expoſita ſufficere ad dirimendam omnem in hac materia controverſiam, ſi accurate attendantur quæ de operum merito nunc proponam.

DE MERITO.

Ut a ratione nominis exordiar; Calvinus in III. Inſtit. cap. 15. nomen meriti ait faſtuoſiſſimum eſſe, e Scripturis extraneum, & ab aliquo *Sophiſta ſabulo* inductum. Nimium profecto in Scholaſticos homo iſte excandeſcit, rabula ipſe, ravuſque latrator. Ajebat Hugo Grotius in Animadverſiones Riveti Artic. 6. de hoc vocabulo meriti, *Voces ab omni antiquitate uſurpatas commode interpretari, non autem moroſe rejicere, pia eſt modeſtia*. Jam unde Meriti nomen derivatum ſit, Calvino demonſtratur. Illud accepimus ex ſacris literis: ex Eccleſi. XVI. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique, ſecundum meritum operum ſuorum*: ex innumeris aliis locis, quæ commemorant juſtorum *mercedem*, capita proximo proferendis. Unde enim præmium, quod datur pro labore, *merces* dicitur, niſi a *merendo*? Eadem voce uſi ſunt fere omnes Eccleſiæ Patres, Cyprianus de Præceptis Eccleſ. inquit: *Præceptis obtemperandum eſt, ut accipiant merita noſtra mercedem*. Ambroſ. I. de Officiis cap. 15. *Meritorum præmia remanent poſt mortem*. Auguſtinus Epiſt. ad Sixtum: *Vita æterna meritis præcedentibus redditur*. Meriti ergo nomen nobis Dei verbum ac Patrum ſententiæ tradiderunt.

At quoniam Calvinus parum ſibi conſtans poſtea inquit vetuſtos Eccleſiæ Scriptores hujus voculæ abuſu materiam erroris poſteris tribuiſſe; vindicato *Meriti* nomine, de ipſa jam re diſſeramus. Nos meritum hac definitione deſcribimus: *Meritum eſt bonorum operum, quæ ſunt ex gratia, quædam dignitas aut præſtantia, ob quam illis ſive ex decentia, ſive ex juſtitia rependitur aliquod præmium pertinens ad vitam æternam*. Diximus *ad vitam æternam*; nam bona temporalia, cum bonis æque ac malis communia ſint, nequeunt eſſe bonorum operum retributio, niſi ſub ea tantum ratione, quod ad ſalutem æternam poſſunt auxiliante gratia ordinari, veluti dum quis utitur divitiis eleemoſynam largiendo, corporis animique valetudine, orando, atque exercendo pietatis, aliarumque virtutum officia. Diximus etiam, *quæ ſunt ex gratia*; quoniam, ut conſtat ex diſputationibus adverſus Pelagianam ac Semipelagianam hæreſim, nullum ſine gratia opus aut fidem, aut juſtificationem, aut æternam vitam promeretur. Diximus præterea, ſive, *ex decentia, ſive ex juſtitia*; quippe non omne meritum talem habet dignitatem, ut illi merces ac præmium ſervata æquitate debeatur, ſed complura ſunt imperfecta & exigua, quibus præcedentibus dona largitoris ob profuſam ejus liberalitatem ſolent rependi; ut dum bonæ voluntatis conatibus retribuitur gratia operationis, huic vero juſtificatio.

Duplex propterea *meriti* genus diſtinguimus; quorum unum appellatur *meritum de condigno*; alterum *meritum de congruo*. Meritum *de condigno* eſt illud, cui ex juſtitia retribuitur æterna vita; atque locum habet in ſolis juſtificatis, & *habitualem* gratiam ſupponit. De hoc merito ait Apoſtolus ad Tim. IV. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*. At meritum *de congruo* illud eſt, cui ex ſola decentia remuneratio confertur: & tale meritum habetur etiam in peccatoribus, dum gratia præveniente exciteti, fide, ſpe, & dilectione ad juſtificationem diſponuntur. De hoc merito loquuntur Concilia & Patres, dum definiunt contra Pelagianos: *Gratiam non dari ſecundum merita noſtra*; ut demonſtravimus ſupra libro XIV. de H. Pelag. cap. 12. Non ſunt hæc nomina, *Meritum de congruo*, & *Meritum de condigno*, alicujus recentioris Scholaſtici commentatio; cum iiſdem utatur etiam Guilelmus Arvernus apud Iſacium Habertum in Theologia Græcorum Patrum pag. 445. Floruit autem Guilelmus circa annum 1240. duobus integris ſæculis, antequam Lutherus & Calvinus ad Religionis, & Chriſtiani nominis dedecus naſcerentur. Ac meritum *de condigno*, quod proprium meritum eſt, etiam ex ſacris litteris nomen accepit, ubi dicitur operarius *dignus mercede ſua*, Matth. X. & qui non ſunt inquinati, appellantur *digni* ut cum Agno ambulent *in Albis*, Apoc. III. Meritum vero *de congruo* neceſſum fuit, ut a priori diſtingueretur, & Pelagiana præſertim dogmata ſecernerentur a Catholicis, hoc ipſo vocabulo, aut alio conſimili deſignare. Id uno, dum pronuntiamus vocem *meriti*, volumus inſinuare auditoribus.

Hæretici meriti vocabulum prorſus damnare non audent, eoque utuntur in Confeſſionibus ſuis, ut liquet ex Harmonia Confeſſ. ſect. 9. Reſpuunt tamen illud, tanquam ambiguum, & ſuperbiæ nomine periculoſum. Atque ad rem quod attinet, ſtatuunt falſo, & impie ſentire, quotquot bonis operibus cenſent æternam vitam retribui juſtitiæ debito. Hoc eſt præcipuum inter nos, illoſque diſſidium, in quo an noſtra, an illorum melior ſit cauſſa, nequit definiri, niſi attendantur neceſſariæ ad meritum conditiones.

OPERIS MERITORII CONDITIONES JUXTA DOCTRINAM HÆRETICAM.

Quatuor ſunt conditiones, quas requirunt hæretici, ut bona opera poſſint mereri vitam æternam; illaſque præ ceteris enumerant, atque exponunt Forbeſius de Juſtificat. lib. V. cap. 3., & Voſſius diſput. IV. Leidenſi. Prima conditio eſt, inquiunt, quod opera ſint undequaque perfecta, tam graduum, quam partium ratione. Videtur hæc conditio conſentanea rationi, eo quod juſtitia poſtulet inter datum atque acceptum æqualitatem. Præterea ſi opera bona non merentur *ex condigno* juſtificationem, quia ſunt imperfecta, neque habent eamdem dignitatem; multo minus promereri poterunt vitam æternam, quum hæc ſit ipſa juſtificatione longe perfectior. Victoriam canit Voſſius ob quamdam Joannis Feri ſententiam in Act. cap. XV. *Apoſtoli concludunt, quod fides juſtificat, non opera, neque lex. Cur fides? Quia innititur gratiæ, & miſericordiæ Dei, promiſſis Dei, meritis Chriſti. Cur non juſtificat lex? Quia nemo eam ſervavit. Cur non opera? Quia imperfecta ſunt. Hæc quidem ſumma totius Concilii Apoſtolici*.

Hanc priorem conditionem perperam ſtatuere nituntur. Quamquam enim opera in ſe ſpectata, atque, ut Scholaſtici loquuntur, *materialiter*, imperfecta ſint, & juſtus ſæpenumero in venialia crimina prolabatur; ut per bona opera vitam conſequatur æternam, ſat eſt, quod juſtus operans habeat per gratiam *habitualem* tantam dignitatem ac perfectionem, ut per iſtam opera poſſint cum promiſſa mercede æquiparari, ac ſint æternæ vitæ quaſi radix & ſemen. Nam etiam Chriſti paſſio, ſi tantum attendas patibulum Crucis, ſanguiniſque effuſionem, finita eſt, nec omnium Martyrum excedit cruciatus; at inſpecta tamen dignitate perſonæ, omnem exaltationem promeruit, & magis efficax fuit, quam paſſiones Martyrum univerſorum. Ergo non opera juſtorum quantum ad ſolam officiorum exhibitionem ſpectanda erunt, ſed quantum ad excellentiam virtutis illis dignitatem tribuentis. Minimum quidem eſt ſemen quercus, at producit proceram arborem: & aqua ſuapte natura per meatus terræ dilabitur, ſed in canali compreſſa adſcendit ad altitudinem ſcaturiginis. Reperitur in juſto Spiritus ſancti chariſma, atque *ſemen Dei manet in eo*, I. Joan. 3. in eo pariter eſt *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, Joan. 4. Igitur ad hæreticorum argumentum petitum ex definitione juſtitiæ, etſi reſponderi poſſit cum D. Thoma in 2. diſt. 27. art. 3. non reperiri inter Deum & creaturam juſtitiam *commutativam*, quæ exigit inter datum, & acceptum æqualitatem, ſed ſolam juſtitiam *diſtributivam*, quæ poſtulat ſolam condignitatem proportionis ſervandæ in diſtributione præmiorum, ita, ut majori merito major compenſatio, minori minor retribuatur; reſpondeo dari inter bona opera, & vitam æternam, æqualitatem, non *quantitatis*, ſed virtutis. Id non valet de operibus, quæ præcedunt juſtificationem; quoniam in iis deeſt principalis conditio ad meritum *de condigno*, ideſt, ſtatus gratiæ ſanctificantis. Joannis Feri doctrinam ab Hiſpanis Cenſoribus in Complutenſi editione pluribus in locis caſtigatam non tenemur amplecti. Locus tamen, quem Voſſius tanta confidentia objectat, accipiendus eſt de operibus ſine gratia patratis, quæ *gratiæ & meritis Chriſti* non innituntur, quemadmodum commonſtrat verborum ac ſententiarum antitheſis.

II.

Altera ad meritum conditio juxta hæreticos eſt, quod opus meritorium ſit prorſus indebitum, quia ſub meritum non cadunt ea, ad quæ obſtringimur. Conditionem iſtam requiri putant, quoniam Chriſtus Lucæ XVII. 10. inquit: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus*. Deinde Theophylactus in hunc locum ait: *Servus ſi non operabitur, dignus eſt multis plagis: cum autem operatus fuerit, contentus ſit quod plagas effugerit*. Præterea Bernardus in libro de quadruplici debito docet ſic opera nolire deberi Deo, ut poſſet illa citra præmii ſpem exigere a nobis. Adducunt exemplum, quoniam ſubditus non meretur, ſi præſtet principi obedientiam; nec filius, ſi parentibus debitum exhibeat obſequium.

Verum & hæc conditio male conſtituta eſt. Si enim admittatur; nec opera Chriſti fuerunt meritoria, propterea quod debebat ipſe quoque præcepta Patris implere. Oportet ergo in bonis operibus diſtinguere ipſorum debitum a merito bonæ voluntatis: cum enim Deus hominem condiderit liberi arbitrii, ac dominum ſuorum actuum, neque ad bene operandum quemquam impellat neceſſitate; habetur ratio meriti non a conditione ſervili, ſed a dominio liberæ voluntatis. Ac ideo in his, quæ neceſſitate fiunt, nihil eſſe meriti non ſolum fatemur, verum etiam contra Janſenianos tanquam dogma fidei argumentis pluribus demonſtravimus. Itaque allatum ſervorum, filiorumque exemplum in hæreticos retorquetur. Negamus enim illos nihil promereri dum juſſa dominorum, atque parentum libera voluntate exequuntur. Merentur plane; & magis filius,

quam ſervus; quia licet plus debeat patri, majori amore & alacritate mandatis ejus obtemperat. Cauſſa itaque meriti non eſt opus quod debetur; ſed operis quod debetur libera & non coacta executio. At ad textum Lucæ reſpondendum eſt modo. Ipſum duplici ratione adverſus Heterodoxos urgere poſſumus. Ait Evangeliſta: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis*; igitur omnia præcepta ſervari poſſunt. Addit: *Quod debuimus facere, fecimus*; igitur qui ſervat præcepta non peccat, ſed facit quod debet. Debemus autem dicere etiam poſt præceptorum obſervationem, *Servi inutiles ſumus*; primum quia ex opere noſtro nihil Deo acceſſit utilitatis & lucri: deinde quia nullum bonum opus propriis viribus ſine gratia auxiliante potuiſſemus efficere: inſuper quia cavendum nobis eſt, ne conſurgat ex bonorum operum æſtimatione tumor ſuperbiæ: ulterius quia poterat nobis Deus mandata proponere, nulla repromiſſa mercede: quo ſenſu loquuntur Theophylactus ac Bernardus. Vulgatis his reſponſionibus addo, Chriſtum apud Lucam exemplo ſervi, qui tantum imperata domini facit, hortari Apoſtolos cupientes fidei virtutiſque augmentum ad ſollicitudinem ac vigilantiam, ne ad inſtar ſervorum nutum ac præceptum attenderent; cum ſit inutile operari invito animo, voluntatis autem bonæ indicium ſit ſtudioſa ſollicitudo. Sic & Petrus hortatur Paſtores Eccleſiæ Ep. 1. cap. v. 2. *Paſcite, qui vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie*. Conſimilem habet ſententiam Chryſoſtomus in 1. ad Corinth. 12. 18. ac Plautus Sticho:

Qui manet ut moneatur ſemper ſervos homo officium ſuum,
Non voluntate id facere meminit, ſervos is habitus haud probu' eſt.

Denique hortatur Dominus etiam ad perſeverantiam; nam ſervus *inutilis* hic, & Matth. xxv. 30. idem eſt ac *ceſſator*, vertente Syro apud Grotium בטילא. Qui ergo mandata ſervaverit, non coacte, ſed voluntarie, ac perſeveraverit uſque in finem, non erit ſervus inutilis, ſed audiet a Domino: *Euge ſerve bone, & fidelis, &c.* Matth. xxv. 21.

III.

Tertiam Bonorum operum merita, juxta hæreticos, conditionem habere debent, ut illa plane vel imprimis ſint noſtra, non ejus, a quo expectamus mercedem. Bona autem opera, licet ſint a nobis tamquam a voluntario inſtrumento, ſunt principaliter Dei: quod oſtendit teſtimonium illud Apoſtoli 1. ad Corinth. xv. 10. *Amplius quam omnes illi laboravi, non ego, ſed gratia Dei mecum*. Hinc vita æterna dicitur *Gratia* ab eodem Apoſtolo ad Rom. 7. atque ab Auguſtino in Epiſt. ad Sixtum, de Grat. & lib. arbitrio cap. 8. in Enchirid. cap. 107. in Pſalm. 70. Enarrat. 2. & aliis in locis. Gloriantur propterea Novatores, quod ſibi conſentiant Paulus Apoſtolus, & magnus Hipponenſis Antiſtes.

In hac quoque conditione aſſignanda labuntur errore maximo. Opus patratum a gratia noſtrum eſſe negant immerito. Eſt quidem rationalis creatura inſtrumentum Dei; ſed animatum, liberum, ſe movens, propria præditum poteſtate, & potens diſſentire gratiæ illum moventi atque excitanti. Opus ergo meritorium debet etiam noſtrum reputari. Demonſtratur id apertiſſime Evangelicis verbis, apud Joannem xv. 5. ubi Salvator ait: *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia ſine me nihil poteſtis facere*. Areſcentem palmitem, atque a vite reciſum non germinare uvas, atque impium non manentem in Chriſto æternam vitam non promereri, certiſſimum quidem eſt, dicente Domino, *Sine me nihil poteſtis facere*; ſed uvas non produci a palmite, licet nequeat *ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite*; a juſto nimirum non ferri fructum bonorum operum, repugnat dominicæ ſententiæ, *Hic fert fructum multum*. Hac eadem vitis & palmitis ſimilitudine uſi ſunt Tridentini Concilii Patres apud Pallavic. lib. VIII. cap. 4. addito experimento, quod ſi uvæ nigræ palmes inſeratur viti uvæ candidæ, uvam inde prognatam nigram eſſe conſpicimus: ideoque trahit uva certam qualitatem etiam a palmite. Attulerunt ibidem Juriſconſulti legem, quæ incipit, *Servi electione*, tit. de Legat. & Fideicommiſſ. & alteram, cujus initium eſt, *In re communi*, tit. de Servit. Urb. præd. pronuntiantes, *Id quod non eſt tantummodo meum, ſed mihi cum alio commune, meum abſolute dici poteſt*. Allata ibidem fuerunt & verba Cæleſtini Papæ in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, Auguſtini in Pſalm. 145. Baſilii in Summa Moralium cap. 4. diſerte aſſerentium bona opera a nobis fieri, licet non ſine gratiæ ſupernaturalis inſpiratione. Ne repetamus omnia, arbitramur ſatis eſſe, ſi cum magno Auguſtino de Grat. & lib. arbitrio c. 16. dixerimus: *Certum eſt nos mandata ſervare, ſi volumus: certum eſt nos velle cum volumus: certum eſt nos facere cum facimus*. Itaque præparari voluntatem noſtram a Domino, ipſumque per gratiam prævenientem facere ut faciamus, bonorum quoque operum cauſſam principem Deum eſſe, abſque repugnantia concedimus: eadem autem opera noſtra non eſſe, utilia non eſſe, meritoria non eſſe, jure meritoque negamus.

Ne glorientur hæretici tam audacter Pauli Apoſtoli, & Hipponenſis Epiſcopi patrocinio; obſervandum eſt vitam æternam recte dici mercedem ſimul & gratiam. *Gratia* eſt, ſi ad divinam prædeſtinationem referatur, qua Deus ſtatuit electis conferre gratiam, ſine qua recte agere & perſeverare non poſſent; *merces*, ſi referatur ad juſtitiam, qua recte agentes & perſeverantes coronat. *Gratia*, ſi attendatur quod opera bona præcedit; *merces*, ſi quod illa conſequitur, inſpiciatur. Apoſtolus ad Rom. VI. poſtquam demonſtravit quomodo fuimus ſervi peccati, cujus ſtipendium eſt mors, inquit: *Gratia autem Dei vita æterna*; ſed ad Timoth. IV. poſtquam ait ſe curſum ſuum conſummaſſe, addidit, *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*. Itaque Gloria, ſi ſpectetur quod fuimus ante electionem ſecundum propoſitum, *gratia* eſt; ſi attendatur conſummatio bonorum operum, *corona juſtitiæ*. Nam in electione ac præparatione gratiæ nihil quod noſtrum ſit poſſumus invenire; at ſervata lege, inveniemus aliquid noſtrum, nimirum obedientiam. Atque hæc eſt Doctrina Auguſtini in locis, quæ objectant hæretici, probantis contra Pelagianos gratiæ prævenientis neceſſitatem. *Ipſa vita æterna* (inquit citata Epiſtola ad Sixtum) *meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita, quibus redditur, non a nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud, niſi quia gratis datur: nec ideo, quia meritis non datur, ſed quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur*. Plura ibidem S. Doctor, quæ repetit de Gratia & libero arbitrio cap. IX. & de Corrept. & Gratia cap. XIII. demonſtrans vitam æternam eſſe mercedem, quia redditur bonis operibus; licet ſit gratia, in quantum Deus bona opera in bonis operatus. Neque aſſerere poſſumus ſolam gratiam operari, non liberum arbitrium, propterea quod ſcribat Apoſtolus, *Non ego, ſed gratia Dei mecum*. Quomodo enim hanc hæreticam interpretationem patiuntur proxima verba, *Amplius, quam omnes illi, laboravi?* Quomodo ait Paulus, *Gratia Dei mecum*, niſi & ipſe ſit operatus? Hoc enim ergo demonſtrat, nihil ſe feciſſe abſque divinæ gratiæ auxilio, quo ſenſu Matth. x. 20. legitur: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*; non quod Apoſtoli minime loquerentur, ſed quia loquebantur, *prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*. Act. II. 4.

IV.

Quartam operis meritorii conditionem parem a prima diſſimilem hæretici hanc eſſe ajunt, ut opus non tantum ſit dignum atque perfectum, ſed etiam habeat cum mercede proportionem æqualitatis; quod probare nituntur ex idea juſtitiæ, atque ex Apoſtolica ſententia ad Rom. VIII. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus ſæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Verum hæc ex ſupradictis refelluntur; ſive dixeris mercedem bonorum operum non ſpectare juſtitiam *commutativam*, ſed ad *diſtributivam*; ſive diſtinctionem feceris inter id quod ſpectat ad officium operis, & quod attinet ad principium, & dignitatem ortam ex gratia *habituali*, quæ eſt propter inhabitantem Spiritum ſanctum participatio divinitatis, conſtituitque hominem juſtum filium Dei & hæredem, ei tribuens æternæ vitæ arrham, & pignus. Atque hoc poſtremum aſſertum nos probamus, non denegantes inter Deum & hominem etiam juſtitiam *commutativam*, dummodo non ſit ſermo de illa juſtitia, quæ mutuæ utilitati, qualis inter homines intercedit, conjuncta eſt, & de qua accipiendum eſſe Divum Thomam contendunt haud vulgares Theologi. Eadem reſponſione ſententiam Apoſtolicam explicamus. Non ſunt utique paſſiones hujus ſæculi ſpectatæ in ſeipſis condignæ, ut æquiparentur futuræ gloriæ; illæ quippe leves ſunt & finem habent, & merces eſt bonorum omnium aggregatio nunquam fini, aut viciſſitudini ſubjecta. Digna tamen eſt hujus ſempiternæ mercedis retributio, ſi attendamus illum, qui patitur, eſſe filium Dei, & hæredem, eique repromiſſam eſſe conglorificationem cum Chriſto, dummodo cum Chriſto compatiatur. Quare ait Apoſtolus eodem loco: *Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Videſis 2. Epiſtolam ad Corinth. IV. 17. Verbo dicam: non eſt æquiparatio inter opus atque mercedem, ſpectata operis ſubſtantia; concedo: inſpecta ſanctificantis gratiæ, unde meritum proficiſcitur, dignitate; id nego.

Addunt nonnulli hæreticorum conditionem quintam, ut ille cujus gratia opus præſtatur, recipiat emolumentum aliquod vel honorem. Si aſſerant nullum operibus noſtris Deo accedere commodum, atque intrinſecum emolumentum, verum dicunt; nam Job cap. XXXV. 7. inquit: *Porro ſi juſte egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* At conditione hac poſita quomodo invenient meritum in operibus Chriſti? aut quomodo invenient debitum in operibus malis, dicente Jobo ibidem: *Si peccaveris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Quod ſi affirment bonis operibus homines non præſtare Deo honorem, gloriam & laudem, mentiuntur plane, atque refutantur verbis Chriſti Matth. v. 16. *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera*

ve-

Digitized by Google

veſtra bona; & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt; & Joan. xv. 8. *In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis*: necnon Apoſtoli I. ad Corinth. VI. 20. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

CONDITIONES OPERIS MERITORII JUXTA DOCTRINAM CATHOLICAM.

Expunctis conditionibus, quas ad meritum requirunt Hæretici, de his agendum modo eſt, quas conſtanter admittunt Catholici, & ſeptem connumerantur. Sunt autem, ut Opus meritorium ſit bonum, ſit liberum, ſit ſupernaturale, ſit elicitum in ſtatu viæ, ſit ex caritate profectum, ſit cum divina promiſſione conjunctum, ſit hominis juſti, atque gratia *habituali* exornati; etſi, ut dicam infra, non omnes hæ conditiones requirantur ad meritum *de congruo*. Ajunt Calviniani nos in aſſignandis hiſce conditionibus certare more Andabatarum, neque inter nos convenire, quoniam Robertus Holkot negat requiri libertatem, Michael Bajus neceſſarium non putat ſtatum gratiæ, nec promiſſionem divinam; hanc propugnare Scotum, Marſilium, & Vagam, negare Cajetanum, & pleroſque Thomæ Aquinatis Sectatores: denique non opus eſſe, ut a caritate proficiſcatur, quæ fuit opinio Guilelmi Antiſiodorenſis, & quorumdam Recentiorum. Sed fruſtra obganniunt Sectarii. Etenim, quod ad rem attinet, fatentur omnes Orthodoxi meritum bonorum operum: conditiones etiam præcipuas ex recenſitis admittunt ſinguli, quod ſit liberum, quod ſupernaturale, quod ex gratia ſanctificante, atque his conditionibus poſitis aliæ, me judice, ſequuntur ſuapte natura; quoniam opus bonum liberum in ultimum finem eſt referendum, ideoque fieri debet ex caritate. De ſtatu viæ nulla oriri poteſt dubitatio, quum in curriculo ſit bravium & corona, non curſus & labor. Roberti Holkot nulla a nobis habetur ratio, & nulla pariter Baji. Divinam promiſſionem in ſacris literis haberi, neque Scotus, nec Thomiſtæ negant, certantque de formali meritorum ratione, ut dicam infra. Sed miſſis iis, quæ parum neceſſaria videntur, de ipſis conditionibus agendum eſt ſingillatim.

Prima igitur conditio eſt, ut opus meritorium ſit *bonum*. Neminem fore puto, qui conditionem iſtam explodat. Ait enim Dominus ad Cain Gen. IV. 7. *Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit?* Et Apoſtolus ad Rom. II. 9. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum*: & infra cap. VI. 23. *Stipendia enim peccati mors*. A citandis aliis textibus ſuperſedeo; quid enim frequentius legimus, quam impios theſaurizare ſibi iram, habere odio animam ſuam, arcendos eſſe a regno Dei, atque ſempiternis gehennæ ſuppliciis damnandos? Ratio etiam hoc demonſtrat, quoniam accepta ſunt Deo duntaxat opera ſua, quæ illum laudant, & æternæ legi conveniunt: at mala opera Deus nec prædefinit, nec præcipit, nec approbat, eaque tantum permittit ad oſtenſionem juſtitiæ, profectumque bonorum. Qui ergo rejicit priorem hanc meriti conditionem, is neque Chriſtianam fidem habet, neque rectam conſcientiam, neque communem rationem. Seſcentis autem quodnam ſit opus bonum, lib. XXI. ſatisfacere curabimus. Nunc ſat eſt, ſi reponamus illud bonum opus cenſeri, quod ab æquitatis regula non deflectit, quo fruimur Deo & utimur creaturis, cujus non ſolum officium commendatur, ſed etiam finis recte dirigitur. Qui enim juſtitiam faciunt ut videantur ab hominibus, *mercedem non habent apud Patrem, qui in cælis eſt*; & qui gloriam ſuam quærunt, & laudem captant, *receperunt mercedem ſuam*. Matth. VI. v. 5.

II.

Præterea neceſſe eſt, ut opus meritorium ſit *liberum*, non ſola libertate voluntatis immunis a coactione, ſed etiam voluntate arbitrii non obſtricti neceſſitate: ea nempe libertate, qua homo ſuorum actuum habet poteſtatem atque dominium, & de qua pluribus in locis, ſed præſertim libro XVI. cap. 2. ac 3. inſtituimus diſputationem. Hanc libertatem requiri ad meritum conſtat ex verbis Eccleſ. XXXI. 10. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit; ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*: conſtat ex Auguſtino, qui de Grat. & lib. arb. cap. 2. poſtquam demonſtravit exigi in divinis monitis ad aliquid faciendum, vel non faciendum opus voluntatis, concludit: *Quando enim volens facit, tunc dicendum eſt opus bonum, tunc ſperanda eſt boni operis merces ab eo, de quo dictum eſt: Qui reddet unicuique ſecundum opera ſua*: conſtat ex damnatione tertiæ propoſitionis Janſenii, & articulorum Michaelis Baji, & ex canone 4. Seſſ. VI. Conc. Tridentini, quæ non ſemel ſunt repetita: conſtat ex ratione, quoniam nequit ad meritum imputari quidquid non eſt ſub poteſtate hominis operantis: conſtat denique ex Gentilium Philoſophorum conſenſu, inter quos ajebat Euryphamus Pythagoricus hominem promereri vituperationes ac laudes, honores & ignominias, in quantum *pro jure ſuo poteſt aut virtuti ſtudere, aut vitium ſectari*. Certiſſimum eſt itaque quod recte hæc ſecunda meriti conditio ſit conſtituta, cum quiſque mereatur aut demereatur, quoniam libertas, ut inquit in primo contra Symmachum libro Prudentius,

Conceſſa eſt homini, formam cui flectere vitæ,
Atque voluntatis licitum eſt; ſeu tramite dextro
Scandere, ſeu lævo malit decurrere campo.

At hæc omnia juxta doctrinam lib. XVI. propugnatam dicta ſunto.

III.

Tertia operis meritorii conditio eſt, ut ſit *ſupernaturale*, ideſt factum prævenientis gratiæ auxilio. Probant hujus conditionis neceſſitatem præmiſſæ adverſus Pelagianos & Semipelagianos diſputationes, atque libri proxime præcedentis priora capitula. Recte Arauſicana 2. Synodus canone 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, hæretico fallitur ſpiritu*. Et Tridentina Seſſ. VI. canone 2. *Si quis dixerit ad hoc ſolum divinam gratiam per Chriſtum Jeſum dari, ut facilius homo juſte vivere, ac vitam æternam promereri poſſit, quaſi per liberum arbitrium ſine gratia utrumque, ſed ægre tamen, & difficulter poſſit; anathema ſit*. Plura ſunt argumenta Auguſtini; ſed modo ſufficiat repetere illud, quod urget contra Julianum lib. IV. cap. 3., gratis eſſe mortuum Chriſtum, ſi poſſimus abſque ipſius gratia ad regnum pervenire. Neque prætereundum eſt quod tradit D. Thomas 1. 2. q. 104. art. 3., opus meritorium, in quantum ex libero arbitrio procedit, maximam habere cum vita æterna inæqualitatem; ideoque requiritur, ut valorem ſuum accipiat a virtute Spiritus ſancti moventis. Poſtremum argumentum eſt, quod homo gratia deſtitutus, ut inquit Proſper adverſus Collat. cap. XXIX., *Bonis ſuis male utitur*;

Et licet eximias ſtudeat pollere per artes,
Ingeniumque bonum generoſis moribus ornet;
Cæca tamen finem ad mortis per devia currit,
Nec vitæ æternæ veros acquirere fructus
De falſa virtute poteſt:

inquit de humana voluntate idem Proſper in Carm. de Ingratis.

IV.

Quarta conditio eſt *ſtatus viæ*. De hac Eccleſiaſtes cap. XI. 3. ait: *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit*. Et Chriſtus Dominus apud Joannem IX. 4. *Venit nox quando nemo poteſt operari*. In hunc locum appoſite Joannis Commentator illuſtris Auguſtinus Tract. XLIV. *Aliud eſt tempus operationis, aliud receptionis: reddet enim Dominus unicuique ſecundum opera ſua. Cum vivis fac, ſi facturus es: erit enim tunc nox valida, quæ involvat impios. Sed & modo omnis infidelis quando moritur, illa nocte ſuſcipitur, & non eſt ut illic aliquid operetur*. Lege & Auguſtinianam ad Heſychium Epiſtolam, & ex Græcis Olympiodorum ſuper Eccleſiaſten. Hujus conditionis cauſſam eſſe præordinationem divinam, eſt communis ſententia Theologorum. Ac illius præordinationis poſſumus hanc afferre rationem, quod cum Deus temporalem hominum vitam militiæ & laboribus deſtinarit, ſtatuit in altera vita coronam atque mercedem. Quamobrem diſſoluta hujus habitationis domo, quibus nihil reſtat diluendum, ad perpetuam & non manufactam tranſeundum eſt; ac viciſſim qui induuntur purpura & byſſo, epulantur ſplendide, atque voluptuoſa fruuntur vita, impingunt in illius calamitatem, de quo Lucæ XVI. 22. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno*. Defecta hujus conditionis neque Sancti majorem gloriam, neque damnati gravius ſupplicium promerentur. Sancti quidem pro nobis intercedunt; ſed illorum oratio obtinet nobis beneficia potius per modum impetrationis, quam meriti: quamquam ſunt aliqui negantes hanc Sanctorum impetrationem recte non dici meritum, ob illorum dignitatem intimamque cum Deo unitionem. Verum hæc dignitas ac præſtantia ex meritis, quæ conſummarint in via, non ex iis, quæ in patria ſuperaddiderint, ortum habet. Etiam Chriſtus ſempiternum habens Sacerdotium, ſemel ſeipſum offerendo, vi hujus ſacrificii, operiſque jam peracti ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, *ſemper vivens* (inquit Apoſtolus ad Hebræos VII. 25.) *ad interpellandum pro nobis*. Omnium ergo meritorum cumulus virtutum comparatur, ut inquit Juvencus Presbyter,

Dum rapida tecum graditur per compita vita.

V.

Præterea nos ad meritum *de condigno* neceſſarium putamus, quod proficiſcatur *ex caritate*. Et caritatem quidem *habitualem*, cum ſit vel a gratia ſanctificante indiſtincta, vel ſaltem ab illa indiviſa, puto a Theologis univerſis requiri. Illa etiam caritas, quæ eſt inſpiratio bonæ voluntatis præveniens omne opus ſalutare, cum ſit ipſamet actualis gratia, debet opera meritoria, nullo Theologo diſſentiente, præcedere. Ego neceſſariam puto illam quoque caritatem, quæ virtus ſpecialis eſt, nimirum dilectionem, ſaltem *virtualiter* exiſtentem. Certe Apoſtolus neceſſitatem caritatis inſinuat locis productis cap. V. prop. I. Eamdem commendet, atque æternam vitam repromiſſam affirmat Chriſtus apud Joannem XIV. 21. dicens: *Qui diligit*

me diligetur a Patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Et Jacobus cap. 1. 12. de viro, qui in tentatione probatur, ait: *Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe*. Hanc eſſe mentem Divi Patris Auguſtini demonſtrabo libro xxi. cap. 4. Illud tantum nunc dico eſſe apertiſſimam ejus ſententiam, *Amorem, quo pervenitur ad Deum, non eſſe niſi a Deo, & ſine hoc amore Creatoris nullum bene uti creaturis*; lib. iv. contra Jul. cap. 3. *Per legem adduci hominem ad fidem, per fidem impetrare ſpiritum largiorem, per ſpiritum diffundi caritatem, per caritatem impleri legem*; Epiſt. 144. ad Anaſtaſium: *Bonum non eſſe fructum, qui de caritatis radice non ſurgit*; de Spirit. & lit. cap. 14. Vide quæ ſupra diximus de H. Pelag. cap. 7. S. Thomæ ſententia liquet ex 1. 2. q. 114. art. 4. ubi ait: *Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad caritatem: ad alias autem virtutes ſecundario, ſecundum quod earum actus a caritate imperantur*. Ratione demum hæc veritas comprobatur. Primo quoniam gloria magis dilectioni, quam operibus rependitur; alioqui non foret Beata Virgo ſublimior Apoſtolis, qui pro nomine Chriſti contumelias ac mortem perpeſſi Evangelium ubique prædicaverunt. Deinde quia caritas, cum ſit plenitudo legis, non ſolum præcepta omnia comprehendit, atque ad illa ſervanda voluntatem inflammat; verum etiam finem dirigit, unde in moralibus pullulat decus, pretiumque virtutis. Poſtremo quia merces omnium ampliſſima & præſtantiſſima actibus virtutis omnium maximæ debet rependi. Atque ex his colligitur actus ceterarum virtutum, quidquid ſentiant a Schola aliqui, non promereri *de condigno* vitam æternam, niſi a caritate ſint *eliciti*, vel *imperati*.

VI.

Sextam conditionem ſtatuimus divinam promiſſionem. Illam neceſſariam putant Scotus, Bellarminus, Suaraſius, alii; cum aliquo tamen diſcrimine, quod velit Scotus hanc eſſe meriti rationem *formalem*, alii autem ſolummodo *conditionem*. Illam minime neceſſariam putat cum paucis aliis Vaſqueſius. Thomiſtæ complures diſtinguunt inter ordinationem Dei, & extrinſecam promiſſionem, illam quidem, non iſtam prærequirentes ad meritum. Quoniam non vacat momenta expendere ſingulorum; dico divinam promiſſionem ad meritum *de condigno* recte exigi. Videtur primo id conforme Tridentino decreto ſeſſ. vi. cap. 16. *Bene operantibus uſque in finem & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda*. Videtur etiam huc ſpectare articulus Baji ab Apoſtolica Sede proſcriptus: *Sicut opus malum eſt ſua natura mortis æternæ meritorium: ſic bonum opus ex ſua natura eſt vitæ æternæ meritorium*. In multis locis deberi æternam mercedem ex divina promiſſione, ſcribit Magnus Auguſtinus. Enarrat. in Pſalm. 109. ait: *Fidelis Dominus, qui ſe nobis debitorem fecit, non aliquid a nobis accipiendo, ſed omnia promittendo*. Et ſerm. 16. de verbis Apoſtoli, nunc 158. *Debitor factus eſt Deus non a nobis aliquid accipiendo, ſed aliquid quod ei placuit promittendo*. Idem ſcribit Fulgentius in prologo lib. ad Monimum: *Seipſum ſua largitate dignatus eſt facere debitorem*. Idem Cyprianus in Epiſtola de Opere & eleemoſyna: idem ſcribens ad Victricium Paulinus. Atque iſtorum auctoritati accedit ratio. 1. Quia ſumus natura Dei ſervi, a quibus poteſt ille omnia opera ſervato æquitatis jure ſine remuneratione aliqua exigere. 2. Quia nullo alio pacto poteſt Deus conſtitui hominum debitor, niſi quatenus rationi & veritati maxime convenit, ut ſit fidelis, ac ſtet promiſſis. 3. Quia bona opera dignitatem quidem & proportionem habent cum æterna mercede ob gratiam ſanctificantem; ſed nulli operanti, tametſi portaverit pondus diei & æſtus, debetur ex juſtitia merces, niſi fuerit conductus, niſi pactum cum Domino interceſſerit, niſi conventione facta perſolvendi denarium diurnum. Lege Evangelicam parabolam Matth. cap. xx. 4. Quia ideo peccator abſque ullo pacto per opera iniquitatis fit debitor juſtitiæ, quoniam ad contrahendum debitum ſufficit, ſi creatura Domini ſui legibus teneatur; ſed per opera bona, niſi adſit liberalis promiſſio, nequit Deus fieri debitor creaturarum, quoniam univerſorum Dominus nullius obligationis capax eſt, niſi ex liberali conventione ac promiſſo.

Lubenter his poſitis omnium Scholaſticorum, quamvis invicem pugnare videantur, ſubſcribo ſententiis. Ac probo doctrinam Scoti, in quantum promiſſio *formaliter* neceſſaria eſt, ut merces ex juſtitia ſit perſolvenda. Verum quoque docent Thomiſtæ, quatenus hæc promiſſio extrinſeca eſt, nec tribuit operibus illam pretii, ac valoris dignitatem, quam habent ab inhærente juſtitia. Aſſentior Bellarmino ac Suaraſio, quatenus conventio aut promiſſio inducunt inter Dominum ac famulum obligationem. Neque dicas promiſſionem iſtam etiam ab hæreticis agnoſci; hi enim eo modo aſſerunt reddi æternam vitam ex promiſſione divina, *quo levanti feſtucam deberetur regnum, ſi illi promitteretur*. Hac ſimilitudine utitur Voſſius diſp. iv. Theſi 2. num. 6. abuſus verbis quorumdam veterum Scholaſticorum, negantium bonorum operum & vitæ æternæ condignitatem, ſed ſpectata, ut dictum ſupra, ipſorum operum *ſubſtantia*, non operantis in Dei filium adoptione, atque inhabitatione Spiritus ſancti. At nos ita divinam promiſſionem ſtatuimus, ut etiam fateamur bonorum operum dignitatem, atque de præmio vitæ æternæ aſſeramus cum Bernardo extremo libro de Grat. & libero arbitrio, *Promiſſum quidem ex miſericordia, ſed jam ex juſtitia perſolvendum*.

VII.

Tandem ad meritum de condigno requiritur *habitualis gratia*. Ita Tridentina Synodus ſeſſ. 6. cap. 16. idque probat ex quo nullum meritum haberi poſſit, niſi Chriſtus *tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites in ipſos juſtificatos virtutem influat*. Proferri poteſt hujus veritatis multiplex ratio: ac prima quoniam hæreditas non ad ſervos pertinet, ſed ad filios; & conſtituimur filii Dei adoptivi per gratiam. Sequitur alia ratio, propterea quod iniquitas dividat inter Deum, & hominem, atque impiorum munera reprobet Altiſſimus. Accedit tertia, eo quod grataunter nihil recipitur, niſi exhibitum ſit ab amico. Additur ratio quarta; nam nulla eſt inter gloriam, & opera noſtra æqualitatis proportio, niſi ob inhærentem juſtitiam. Poſtrema ratio ſit, quod nec nummi valorem habent, niſi impreſſa Principis imagine, aut inſculpto aliquo charactere, ac præſertim ſi fuerint ex viliori materia conflati. Quæ omnia cum ex hactenus dictis perſpicua ſint, conſequitur ſeptem has conditiones ad meritum *de condigno* fuiſſe a nobis rectiſſime conſtitutas.

Ad meritum autem *de congruo* ſufficit, ſi opus bonum ſit liberum, atque ex gratia actuali, & aliquo Dei amore procedens. Gratia autem *habitualis* non eſt ad hoc meritum neceſſaria, quia non ex operis dignitate, ſed ex ſola decentia divina beneficia hoc meritum conſequuntur. Quare impii, dum fide, ſpe & caritate ad juſtificationem diſponuntur, hanc promerentur tantum *de congruo*. Neque meritis hujuſmodi redditur divina gratia ſemper, atque infallibiliter, ſed pro Dei beneplacito, atque ſi ex parte recipientis nullum ponatur impedimentum. Stat autem meritum *de congruo* etiam cum gratia ſanctificante, dum juſtus aut aliis gratiam promeretur, aut ſibi donum finalis perſeverantiæ, quæ non ex juſtitia conferuntur, ſed ex liberalitate divina. Promiſſionem denique meritum *de congruo* neque requirit neceſſario, neque excludit; ad tale enim meritum ſufficit ſi opus habeat aliquam rectitudinem, cujus intuitu Deus beneficium aliquod impertiatur.

CAPUT VII.

De merito bonorum operum, quæ juſtificationem præcedunt, & ſubſequuntur.

EXPOSITA Hæreticorum, & Catholicorum doctrina circa meritum bonorum operum, atque explicatis conditionibus ſingulis, erroribuſque Proteſtantium refutatis, haud operoſum eſt omnem controverſiam dirimere. Cum vero operibus abſque gratia patratis, etiamſi honeſta cenſeantur, & bona ſint ex *objecto* atque officio, nullum ineſſe meritum doceat Catholica Fides, & præmiſſa Pelagianorum dogmatum confutatio; coarctatur quæſtio ad opera, quæ fiunt præveniente Spiritus ſancti adjutorio; & quorum aliqua præcedunt juſtificationem, ut ſalutaris timor, oratio, actus Theologalium virtutum, contritio, & peccatorum confeſſio; aliqua ſubſequuntur, ut juſtorum pœnitentia, eleemoſyna, divinorumque omnium præceptorum obſervatio.

PROPOSITIO I. Opera, quæ præcedunt juſtificationem, habent meritum *de congruo*, non *de condigno*.

Hujus theſeos, cui omnes, etſi aliqui excipiunt Scotum, ſubſcribunt, veritas primo demonſtratur; quoniam opera, quæ juſtificationem præcedunt, ex definitione Tridentini ſeſſ. vi. cap. 6. atque ex *Scripturis* allatis ſuperiori cap. iv. ad ipſam juſtificationem diſponunt, & Deus convertitur ad impium ſe, dum gratia excitatur, convertentem ad Deum. Atqui iſtiuſmodi diſpoſitionibus ineſt ratio meriti *de congruo*; quia, ut oſtendimus lib. xiv. auctoritate & ratione, non eſt reputanda nullius meriti petentis fides, quærentis pietas, & pulſantis inſtantia, præcipue ſi quærendo, petendo, & pulſando invenire, accipere, & intrare dicatur. Igitur opera, quæ fiunt ante juſtificationem cum auxilio prævenientis gratiæ, promerentur juſtificationem ipſam *de congruo*. Atque hoc argumentum corroboratur ſequenti. Si præveniens gratia conatus bonæ voluntatis exigeret aut expectaret, ut Pelagiani primum, deinde Semipelagiani affirmarunt, gratia daretur ſecundum merita noſtra; nam idcirco hoc Pelagianum aſſertum damnatum eſt, quia tollitur gratia, ſi a libero præveniatur arbitrio. Itaque ſi Deus, ut hominem juſtificet, exigit atque expectat motus liberi arbitrii per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ſe diſponentis; nequeunt iſtiuſmodi motus omnino expoliari ratione meriti. Accedit expreſſa S. P. Auguſtini auctoritas. Ait enim Epiſtola non ſemel laudata ad Sixtum: *Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito*

eſt,

eſt, ſi fides hanc impetrat; neque enim nullum eſt meritum fidei, qua ille dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit juſtificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui ſe humiliat exaltatur. Et de Prædeſt. Sanctorum cap. 2. *Quis autem dicat eum, qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri?*

Quod vero eadem opera, quæ juſtificationem præcedunt, habere nequeant meritum *de condigno*, conſtat ex capite præcedenti. Deeſt quippe illis princeps conditio, ſcilicet, ſtatus gratiæ, & filii adoptivi dignitas, ac divinæ naturæ participatio. Quare citata Epiſtola ait S. Pater: *Poſſunt quidem dicere remiſſionem peccatorum eſſe gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti poſſunt peccatores?* Hanc tantum aſſertionis noſtræ partem confirmant argumenta, quæ pro ſententia Soto attributa poſſunt afferri. Ubicunque enim Patres, Theologi, ac præſertim laudatus Auguſtinus, & D. Thomas docent hominem impium nihil mereri, ita accipiendi ſunt, ut nihil mereri dicatur tali merito, quod innitatur juſtitiæ; habeatque cum remuneratione æquiparandam dignitatem. Etenim hoc meritum, quod verum propriumque meritum eſt, comitatur duntaxat bona opera hominis juſtificati. Aut certe ita accipiendi ſunt, ut gratia non dicatur conferri operibus naturalibus, *nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque ſunt meritu*; inquit in eodem loco Auguſtinus. Vide quæ ſcripſimus ſupra cap. v. ad Hæreticorum objectiones.

PROPOSITIO II. Hominis juſtificati bona opera vere promerentur vitam æternam, non tantum *de congruo*, ſed etiam *de condigno*.

Quod bona opera juſti æternam vitam promereantur probatur I. ex divinis Scripturis. Sap. v. 16. legitur: *Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum*. Matth. v. 12. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*: & xxv. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim, &c.* Lucæ vi. 23. *Ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo*. Ad Rom. ii. 6. *Reddet unicuique ſecundum opera ejus*. II. ad Timoth. i. 12. *Potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem juſtus Judex*. Apocal. ultimo 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua*. Apparet ex his æternam vitam eſſe bonorum operum mercedem. Merces autem meritis rependitur, ideoque bona opera a merito non ſunt disjuncta.

Eadem eſt perpetua & conſtans Sanctorum Patrum Traditio. Etenim ut aliquorum ſententias proferam, Martyr Ignatius in Ep. ad Romanos, *Sinite* (inquit) *ut beſtiarum eſca ſim, per quam poſſim Deum promereri*. Baſilius in Pſalm. 33. *Omnis actio juſti digna eſt, quam Deus reſpiciat*. Et de Sp. S. cap. 24. *Homo ex operibus juſtitiæ ſalvatur*. Greg. Nazianz. Orat. 31. & 40. nos ad *bona opera* hortatur, *ut non ſolum habeamus gratiæ donum, ſed etiam præmium conſequamur*. Chryſoſtomus Hom. 2. in Epiſt. 2. ad Timoth.: *Vitæ ratione, & bonorum operum Deum habemus debitorem*. Cyrillus in Theſ. 26. docet *præmium gloriæ certantium laboribus reſpondere*. Idem docent Latini Patres. Cypriani, Ambroſii, & Auguſtini teſtimonia produximus capite præcedenti. Proſper ad 6. ob. Gallorum inquit: *Juſtificatus homo, ideſt, ex impio pius factus nullo præcedente bono merito accipit donum, quo media acquirat & meritum*. Bern. denique ſerm. 81. in Cant. *Omne quod feceris bonum, malumve, quod quidem non facere liberum ſit, merito ad meritum deputatur*. Cum ergo tam Scriptura, quam Patres bonorum operum merita conteſtentur, jure optimo Tridentina Synodus in Spiritu ſancto congregata propoſitionem noſtram ſeſſ. vi. can. 32. dicto hæreticis anathemate definivit.

Quamquam autem laudata Synodus expreſſe meritum *de condigno* non commemorat, in gratiam, uti arbitramur, quorumdam antiquiorum Scholaſticorum, qui affirmarunt nullum dari in creatura condignum meritum, propterea quod nequeat Deus ejuſdem creaturæ conſtitui debitor; nihilo tamen minus nos etiam meritum ipſum *de condigno* majori probabilitate defendimus. Cum vero bona juſtorum opera mereri vitam æternam ſit dogma Catholicum, atque præmiſſis argumentis valida propugnatum; addam aliqua, quæ demonſtrant in bonis operibus hominis juſtificati non meritum qualecunque, ſed habens cum repromiſſa mercede condignitatem. Ac primum ſit, quod citato Canone Tridentini ſtatutum eſt juſtorum opera *vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, &c.* quæ ſane verba *verum meritum* commonſtrent, non ſolam congruitatem, atque decentiam. Deinde Hæretici meritum *de congruo* nequaquam negant. Etenim Bucerus in diſput. Ratiſponæ anno 1546. inquit: *Si ſancti Patres aut alii intelligant per mereri facere ex fide gratia bona opera, quibus Deus mercedem promiſit, hoc ſenſu uſurpare illud verbum minime damnabimus*. Voſſius etiam, ut ſupra diximus, teſtatur aliquod meritum agnoſci etiam a Confeſſione Wittembergenſi, & Auguſtana, & Eccleſias Reformatas tantum negare, quod bona opera vere proprieque, non ea promiſſione ſolum, ſed etiam juſtitiæ debito propter æqualitatem operis & mercedis cenſenda ſint vitæ æternæ meritoria. Atque id, ni fallor, ſequitur directe ex hæretico de juſtificatione dogmate ſuperius impugnato: nam ideo negant Sectarii æqualitatem operis & mercedis, quoniam non admittunt juſtitiam inhærentem, quæ tribuat bonis operibus dignitatem. Niſi ergo meritum *de condigno* neceſſum ſit propugnare, cur hac in parte cum Novatoribus tam acerba contentio? Præterea Theologi Tridentini, Auctore Pallavicino lib. viii. cap. iv. *Operibus poſt acceptam juſtitiam peractis, adeoque divina gratia informatis, redditiſque ob merita Chriſti potentioribus, cujus vivum membrum effectus eſt is, qui ea peragit, omnes concedebant rationem meriti condigni, ad conſervandam, augendamque eamdem gratiam, æternamque felicitatem conſequendam*. Idem docuerunt Theologi poſteriores: quorum profecto doctrina, cum ſcripſerint poſt exortam hæreſim Lutheranam & Calvinianam, placitis Durandi, aliorumque paucorum eſt præferenda. Inſuper nec veterum quorumdam placitum re ipſa diſcrepat a communi recentiorum Theologorum ſententia. Si qui enim juſtorum opere mereri *de condigno* negarunt, & vitam æternam pretium tantum, non juſtam retributionem eſſe dixerunt, loquuti ſunt verbis a Scriptura non penitus alienis, & præciſa ordinatione ac promiſſione divina. His quippe argumentationibus ducebantur; quod non repugnat Deum conſervare juſtos in hac mortali vita, & nunquam illos ad cæleſtem hæreditatem adſumere; quod poſſit illos abſoluta potentia redducere in nihilum; quod pleniſſima libertate creaturas producat, & pro ſuo beneplacito prædeſtinatorum numero adſcribat; quod ſupremus Dominus nihil debeat ſervulis, nihilque ab his capere poſſit emolumenti; quod denique æterna vita dicatur ab Apoſtolo *gratia*, neque ſine beneficio Creatoris poſſit obtineri. Urget hæc argumenta peracutus Theologus Ariminenſis in 1. ſent. diſt. xvii. q. 1. art. 2. At hæc non valere ordinatione divina, ac promiſſione ſuppoſita, liquet ex dictis; neque id negat Gregorius noſter ibidem in ſolutione primæ argumentationis Aureoli. Ex quibus infertur Scholaſticos verbotenus, non re invicem diſſentire, eorumque diſcrepantiam fruſtra nobis ab heterodoxis opponi; recte demum Tridentinos Theologos monuiſſe, ut principio hujus libri dictum eſt, in his quæſtionibus veritatem majori in luce a Scriptoribus collocatam, qui ſerpentes hæreſes ſubſecuti ex inſtituto illas exagitarunt.

His permoveor ut non ſolum bonis juſtorum operibus verum meritum cum univerſis Catholicis tribuam, ſed etiam meritum condignum; etſi ad evitandam inanem gloriam nonnulli cum Thoma Valdenſi & Paulo Burgenſi putent ab hujuſmodi vocabulo eſſe abſtinendum. Confirmant aſſertum noſtrum quæ hactenus dicta ſunt. Sacræ enim literæ æternam vitam appellant coronam juſtitiæ, depoſitum, bravium, mercedem, & denarium diurnum: quibus ſane verbis ſignificatur retributio, qua, ſervata æquitate, non debet operarius defraudari. Appellatur præterea juſtus filius Dei, regni hæres, palmes adhærens viti, & obſignatus ſpiritu promiſſionis, qui eſt arrha & pignus hæreditatis. Atque his juſtorum dignitas, & jus ad gloriam, qua nequeant, ſi permaneant in gratia, ſpoliari, ſatis aperte declaratur. Patres etiam tradunt Deum ſe juſtis debitorem feciſſe, licet non accipiendo aliquid, ſed quod ipſi placuit promittendo: unde ſequitur Dominum, qui eſt largitor gratiarum, eſſe debitorem coronæ; ut Enarrat. in Pſalm. lxxxiii. ait Auguſtinus. Denique in bonis operibus hominis juſtificati reperiuntur omnes conditiones, quas requiri ad meritum *de condigno* paullo ſupra fuit demonſtratum. His itaque nunc in Epitomen redactis, ſed jam ſtilo fuſiori explanatis, poſitum theorema valide propugnatur.

AD OBJECTA HÆRETICORUM RESPONSIO.

Sequitur ut reſpondeamus hæreticis brevi, nec prolixo ſermone, cum fuerint præcedenti capite ſoluta omnia fere illorum ſophiſmata. Opponunt nobis priori loco ſacras literas, in quibus vita æterna appellatur *Gratia & miſericordia*, ut Pſalm. cii. *Coronat te in miſericordia, & miſerationibus*. Iſ. lv. 1. *Venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac*. Ad Rom. vi. 23. *Stipendia enim peccati, mors: Gratia autem Dei vita æterna*. Et ad Epheſ. ii. 8. *Gratia enim ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ut ne quis glorietur*.

Hæc ſoluta ſunt in refutatione ii. Conditionis ab Hæreticis pro opere meritorio ſtatutæ: ubi oſtendimus quomodo æterna vita ſit miſericordia ſimul, & merces; miſericordia ob gratiam prævenientem: merces propter liberam hominis obedientiam. Ita Auguſtinus in lib. de Grat. & lib. arb. cap. 9. exponit verba Pſalmiſtæ. *Numquid non corona* (inquit) *bonis operibus redditur? Sed quia ipſa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum eſt, Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate, ideo dixit Pſalmus: Coronat te in miſeratione & miſericordia; quia ejus miſeratione bona opera operamur, quibus corona redditur*. Eſaiæ textus liberaliter de terra promiſſionis, myſtice de fide in Chriſtum, & vocatione ad Eccleſiam eſt accipiendus; utrumque beneficium eſt. Si velis illum de gloria exponere; nota verborum proprietatem. *Emite*, inquit Propheta; pretium itaque eſt ex-

exhibendum. Addit *ſine argento*, quoniam regnum cælorum comparatur, non bonis fortunæ, ſed libertatis. Ait *ſine commutatione*, quoniam Deus nihil a nobis accipit emolumenti. Quod habetur ad Romanos 6. *Gratia autem Dei vita æterna*, eamdem poſtulat interpretationem. Ut enim S. Pater ſcribit eodem loco, & in Epiſt. ad Sixtum, *Cum poſſet* (Apoſtolus) *dicere, & recte dicere, Stipendium autem juſtitiæ vita æterna; maluit dicere, Gratia autem Dei vita æterna*. Cur autem? *Quia ejus miſeratione bona opera nostra, quibus corona redderetur*, inquit Auguſtinus priori loco: *Deinde ne juſtitia de humano ſe extolleret bono merito*; addit S. Pater Epiſtola nuper laudata. Verbis depromptis ex cap. 2. ad Epheſios eadem eſt adhibenda reſponſio. Niſi enim gratia foret ad actus ſingulos neceſſaria; *poſſent homines dicere: Ideo accepimus gratiam, quia credimus, tamquam ſibi fidem tribuentes, gratiam Deo; propter hoc Apoſtolus cum dixiſſet, Per fidem, & hoc, inquit, non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Rurſus ne dicerent ſe ſuis operibus donum tale meruiſſe; continuo ſubjecit, Non ex operibus, ne forte quis extollatur: non quia negavit, aut evacuavit opera bona, cum dicat Deum unicuique reddere ſecundum opera ejus; ſed quia opera ſunt ex fide, non ex operibus fides*. Ita S. Pater eodem libro de Grat. & lib. arbitr. cap. 7. Itaque in nobis gloriari non poſſumus, quia licet vitam æternam promereamur; omne meritum a divina gratia procedit, neque coronam redderet juſtos Judex, niſi gratiam largitus eſſet miſericors Pater.

Deinde Heterodoxi objiciunt quædam teſtimonia Sanctorum ſcribentium divina miſeratione nobis æternam gloriam conferri; beatitudinem nihil aliud eſſe, quam munificentiſſimam Dei gratiam; Deum non merita noſtra coronare, ſed dona ſua: ipſum Deum nulli facturum injuriam, etiamſi juſtis nollet cæleſtem gloriam largiri. Ita ſcribit Hilarius in Pſalm. lI. Baſilius in Pſalm. xiv. Auguſt. Conc. 2. in Pſalm. lxx. & Bern. Serm. 1. de Annunt.

Quoniam hæc conformia ſunt productis ſupra Scripturis, eamdem quoque poſtulant reſponſionem. Confertur ergo nobis beatitudo miſeratione divina, quia Deus elegit nos ante mundi conſtitutionem in Chriſto, ut eſſemus ſancti & immaculati; quia miſericordia ejus prævenit nos; quia nemo venit ad fidem, nemo ad gratiam, nemo ad coronam, niſi Pater traxerit illum. Dicitur beatitudo munificentiſſima Dei gratia, propterea quod prædeſtinatio Sanctorum, non hominis volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; neque ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, tamquam ex nobis, ſed miſericordia Dei prævenit nos in benedictionibus dulcedinis, excitat dormientes, adjuvat operantes, & reddit coronam juſtitiæ perſeverantibus. Coronat Deus dona ſua, non merita noſtra, quia ipſe operatur in nobis velle & perficere; & ejus adjutorio operamur bona, quibus merces ſempiterna rependitur. Nulli utique faceret Deus injuriam, ſi gloriam, cujus abſolutus Dominus eſt, nec juſtis concederet; ſi vel opera tantum ſpectamus, vel ſolam Domini auctoritatem: at ſi operibus accedat divina præordinatio, & liberalis promiſſio, fidelis eſt, nec aliquem fraudat mercede; juſtus eſt, & reddet unicuique ſecundum opera ejus.

Objiciunt denique hæretici: Pontificiorum dogma ſecum pugnat, ac ſeſe avertit; eſt Chriſto injurioſum & impium; ſacrilegum demum, & ſuperbiæ atque arrogantiæ pleniſſimum. Repugnans eſt, & ſeipſum evertit, quia ſi bona opera habent meritum ex gratia, & ex divina promiſſione, quomodo coronam promerentur ſuamet dignitate? Eſt præterea injurioſum Chriſto, quoniam imminuit vim & efficaciam paſſionis ipſius: & cum ſoli ut Redemptoris noſtri obedientiæ, mortiſque merito tum gratia, tum gloria ſit tribuenda; Pontificiorum ſcitum hanc ſaltem concedit ſummæ operum efficaciæ. Item impium eſt, atque ſacrilegum; evacuat enim divinam miſericordiam, & Dominum univerſorum facit debitorem creaturarum. Viam tandem aperit ad humani ſpiritus faſtum; cum fas ſit, hoc ſtatuto dogmate, in operibus noſtris, meritiſque confidere.

Verum & hæc parum urgent, atque ex dictis facile refelluntur. Non repugnat Catholicum dogma, eo quod divina promiſſio, (quam tamen, ut diximus, non omnes Communionis noſtræ Theologi ad meritum *de condigno* requirunt) non eſt neceſſaria ut bonis operibus conferat dignitatem, ſed ut Deus æternam vitam juſtis tamquam coronam juſtitiæ rependat; eo pacto, quo paterfamilias non tenetur ad ſolvandum operariis denarium diurnum, niſi facta cum illis conventione. Cum gratia autem ſtat meritum, quia etiam liberum arbitrium operatur, licet operari recta non valeat ſine ipſa gratia: quemadmodum palmes viti inſitus producit fructum; etiamſi fructum ferre, niſi manſerit in vite, non poſſit. Conſtat hoc exemplo nullam a nobis irrogari injuriam paſſioni & meritis Chriſti; qui ſemetipſum *viti*, & juſtum *palmiti* comparavit. A vite enim provenit, ſi palmites fructum ferant: a gratia Chriſti, ſi juſtificatorum opera vitam ſempiternam promereantur. Ob hanc eamdem rationem non evacuatur a nobis gratia; quia licet aſſeramus vitam æternam conferri meritis, dicimus tamen hæc merita abſque gratia non comparari. Sed neque nos Deum facimus debitorem, qui ex nobis aliquid capiat utilitatis & commodi: illum dicimus ſe facere debitorem noſtrum, non aliquid a nobis accipiendo, ſed promittendo, ita ut poſſint juſti conſummato curſu proferre verba Auguſtini ſerm. xvi. de Verbis Apoſtoli, nunc clviii. c. 2. *Redde quod promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti*. At hæc omnia ex præcedenti capite ſunt manifeſta: iterum, ſi hæc videantur ſummatim dicta, illud perlegas.

Reſtat ut aliquid dicamus de iis, qui in bonis operibus habent ſpem ac fiduciam. Principio nefas eſt ſpem locare in operibus, quaſi a ſola liberi arbitrii facultate procedant, cum ad malum quiſque ſe ipſo ſufficiat, ad bonum vero nihil ſit, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono. Deinde non debemus peracta opera, quamvis bona videantur, ita æſtimare, ut nullo concutiamur timore; cum neſciat homo utrum amore, vel odio ſit dignus, atque etiam juſtis quotidie divina miſericordia ſit imploranda. Præterea cum Deus operetur in nobis velle & perficere, ac facillimum ſit juſtitiam deperdere, maxime ſi relinquatur ſibi ipſi humana infirmitas, ſic vero deſeratur qui nimium præſumit; æquum eſt, ut cum timore, & tremore operemur ſalutem noſtram. Ad hæc, quia divina auxiliante gratia factum eſt, ſi quid boni peregimus; debemus exercere humilitatem, vitantes ſuperbiam illius qui dicebat, *Non ſum ſicuti ceteri hominum*; & imitantes Apoſtolum dicentem, *Non ego, ſed gratia Dei mecum*. His ſervatis, dicimus in bonis operibus locandam eſſe ſpem divinæ retributionis, uti collocarunt Nehemias, David, Paulus, aliique viri ſanctiſſimi. Ad excitandum fervorem, torporemque expellendum debet quiſque firmiſſime credere, quod non ibunt in vitam æternam, niſi qui bona egerunt; atque ſi ipſe bene agere ſtuduit, & bonam conſcientiam gerit, repetat cum Davide Pſalm. xvii. *Retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam*: Ne appetitus laudis ſubrepat, indigere ſe divina miſericordia, & meritis paſſionis Chriſti ſedulo animadvertat. Demum ne præſumat, meminerit non cuilibet juſto, ſed ei, qui perſeveraverit uſque in finem, paratam eſſe æternæ ſalutis retributionem. Videntur mihi Tridentini Patres hæc omnia comprehendiſſe Canone xxvi. Seſſ. 6. *Si quis dixerit, juſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & ſperare æternam retributionem a Deo per ejus miſericordiam, & Jeſu Chriſti meritum, ſi bene agendo, & divina mandata cuſtodiendo uſque in finem perſeveraverint; anathema ſit*.

CAPUT VIII.

Explicatur quid poſſimus de congruo, & quid de condigno *apud Deum promereri*.

IN ſerie auxiliorum omnium, atque gratiarum, quæ nobis ad conſequendam beatitudinem conferuntur, connumeratur primo divina prædeſtinatio, deinde gratia fidem præveniens; atque hæc dona cum ſint abſque præſcientia meritorum, fide Catholica certum eſt bonis operibus non rependi. Loquor autem de prædeſtinatione ad Gratiam, quoniam de electione ad gloriam non eſt una Scholaſticorum opinio; noſtraque priori volumine fuit ſufficienter expoſita. Conſequuntur vocationem ad fidem liber voluntatis aſſenſus, timor, ſpes, caritas, & peccatorum deteſtatio, quibus cap. iv. oſtendimus homines ad juſtificationem diſponi, & in præcedenti demonſtratum eſt, quomodo hæc juſtificationem ipſam promereantur *de congruo*, ideſt, moveant divinam miſericordiam ad remittendum peccatum, & ad impertiendam caritatem, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum inhabitantem: idque Deus ſemper præſtat, dummodo humana voluntas ſe recte diſponat, neque divinarum gratiarum virtuti ſua malitia, aut pervicacia opponat obicem.

Spectare poſſumus in ipſa juſtificationis gratia primum ipſius in animam ingreſſum, deinde juſtitiæ augmentum, poſtea diuturnam in ſanctitate perſiſtentiam, inſuper reparationem poſt lapſum, & denique finalem perſeverantiam. Ac primam ſanctificationis gratiæ collationem nemo meretur *de condigno*; quoniam hoc meritum, ut liquet ex dictis, non reperitur in peccatore. Augmentum vero juſtitiæ poteſt homo juſtificatus etiam *de condigno* promereri, ut declarat Tridentina Synodus Seſſ. 6. can. 32., dummodo ita ſatagat de virtute in virtutem, & aſcenſiones in corde ſuo diſponat; nam qui Deo accepti ſunt, ſi magis diligant, magis in virtute meritoque proficiunt; atque *liberati a peccato, ſervi autem facti Deo*, habent *fructum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam*; inquit Epiſtola ad Rom. vi. 22. Paulus Apoſtolus. Ut juſtus in gratia ſanctificante perſiſtat, nedum diuturno tempore, ſed exiguo etiam ac minimo, poteſt ſolum mereri *de congruo*, inſtans orationibus, & juxta monitum Apoſtolicum videns ne cadat: at id mereri *de condigno* non poteſt. Enim vero ut juſtitiam ſervet, & tentationibus non ſuccumbat, indiget auxilio gratiæ efficacis; iſtud vero cur uni detur, non alteri, inſcrutabilia ſunt judicia Dei: & quamvis Deus juſtum non deſerat, niſi prius ab eo deſeratur; nemo ſe continet ab injuſtitia ſine adjutorio, quod cui datur miſericorditer datur, cui non datur juſto judicio non datur. Reparationem poſt lapſum nemo poteſt *de condigno* mereri, dicente Domino per Ezechielem cap. xviii. 24. *Si averterit*

ſe

ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, numquid vivet? omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. Ergo qui ſanctitatis jacturam fecerit, ſi miſericorditer trahatur ad pœnitentiam, gratiam iterum conſequetur, non meritu *condigno* præcedentis juſtitiæ, quæ deperiit; ſed merito *de congruo* præſentis contritionis & gemitus. Iſtius quippe deſiderium, & oratio *non innititur juſtitia, ſed tantum miſericordia*, ut aſſeruit 1. 2. q. 104. art. 6. Doctor Angelicus; & rationem tradidit Epiſtola VII. Cyprianus, *quoniam recedente diſciplina Dominica receſſit & gratia.*

Quod dixi de perſiſtentia in gratia ad aliquod tempus, multo magis affirmandum eſt de perſeverantia finali. Hanc itaque non poteſt juſtus *condigne* mereri, cum ſit ſpecialiſſimum donum divino beneplacito præparatum electis, ut demonſtravi præcedentis libri capita VII. Poteſt enim Deus recto judicio homini juſto efficacem gratiam ſubtrahere, atque convertentem ſe ad deſideria cordis ſui abſque injuſtitia deſerere: & quemadmodum rapit parvulum, ne malitia mutet intellectum ejus, ita aliquando permittit juſtificatum delinquere in ſenectutis maturitate, & abſque juſtitia, a qua mala voluntate receſſit, in æternum perire. Habet enim figulus poteſtatem alia vaſa in honorem, & alia in contumeliam efformandi: & Deus elegit vaſa miſericordiæ, in quæ effundit divitias gratiæ, & ſuſtinet vaſa iræ ad oſtenſionem juſtitiæ. Hinc de electis, reprobiſque naturæ concedentibus ſcripſit Honorius Fortunatus,

Quale placet figulo, vas fictile tale paratur;
Quando placet figulo, vaſa ſoluta ruunt.

Si nunc petas quare juſtus poſſit mereri *de condigno* vitam æternam, & non finalem perſeverantiam; reſpondeo quod utique vita æterna debetur bonis operibus, dummodo accedat ipſa perſeverantia, cui repromiſſa eſt ſalus, & corona juſtitiæ. Attamen placuit Deo promittere vitam æternam tamquam bravium bonis juſtorum operibus, ut omnes ſic currerent ut comprehenderent; non placuit promittere perſeverantiam ipſam, ut nemo præſumeret, ſed unuſquiſque propriam ſalutem operaretur cum timore & tremore. Denique non eſt conſequens, ut ſi merces ſit finis, merces etiam debeat eſſe medium ad ipſum finem perducens, ſed pro ſua liberalitate Dominus talenta diſpenſat, & pro libito vocat operarios; at pro juſtitia ſervum fidelem de reportato lucro remunerat, & pro conventione ſolvit ſtatutum denarium. Non eſt ergo de perſeverantia, & de gloria eodem pacto ratiocinandum; quoniam hæc finis eſt, illa medium. At citato capite ſeptimo plura huc ſpectantia.

Verum *de congruo* hoc magnum perſeverantiæ donum juſti mereri poſſunt; reprehendit quippe Auguſtinus in libro, quem de hoc argumento conſcripſit, cap. 6. eos, qui volunt *ita hanc perſeverantiam prædicari, ut non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit.* Neque aliud petimus, dum verbis Davidicis Deum deprecamur, *Ne des in commotionem pedes meos*; aut in quotidiana oratione, *Et ne nos inducas in tentationem.* Hæc oratio demonſtrat perſeverantiam eſſe gratiæ divinæ beneficium, neque ulli mortalium deberi ex juſtitia: impetrari tamen orando, ideoque cadere ſub merito, quod appellamus *de congruo*. Quod ſi dixeris peti a nobis etiam vitam æternam, dum oramus, *Adveniat regnum tuum*, & nihilominus illam nos promereri *de condigno*; reſpondemus cum Auguſtino citato loco Sanctos hac petitione nihil aliud orare, *niſi ut in ea ſanctitate, quæ illis data eſt, perſeverent; neque enim aliter veniet regnum Dei, quod non aliis, ſed iis, qui perſeverant uſque in finem, certum eſt eſſe venturum.* Præterea ſic orantes neſcimus an odio, vel amore ſimus digni, ideoque regnum petimus titulo potius beneficii, quam depoſiti atque coronæ; ut ſi forte inquinati ſumus occulta aliqua culpa, illam Deus miſericorditer abſtergat, & ita inveniamur idonei ipſi regno, in quod non intrat aliquid inquinatum vel immundum.

Qui perſeveraverit uſque in finem, juxta Evangelicam ſententiam Matth. X. 22., *hic ſalvus erit.* Itaque juſtus, ſi in gratia deceſſerit, *vere* promeretur vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum. Sunt e Schola aliqui, qui negant primum gloriæ gradum cadere ſub merito *de condigno*, eo quod titulo hæreditatis debeatur homini exornato gratia ſanctificante, cujus primus pariter gradus *condignum* meritum antecedit: at non repugnat gloriam eſſe ſimul hæreditatem atque mercedem; quia dum efficimur filii Dei per gratiam *habitualem*, conſtituimur quidem coheredes Chriſti, ſed hoc titulo, ut cum Chriſto crucem tollamus, & abnegemus noſmetipſos. Recte dirimit Scholaſticorum illorum oppoſitionem divinus Apoſtolus ad Romanos VIII. 17. *Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Quamobrem non ſolum gloriæ augmentum, ſed etiam conſecutio cadit ſub meritum, ut aperte declarat Synodus Tridentina canone 32. non ſemel laudato.

Regnantes in gloria electi, & etiam peregrinantes a Domino poſſunt *de congruo* promereri aliis primam gratiam; ut illam promeruit Stephanus Apoſtolo Paulo: quia caritatis virtute ſubnixus orans pro lapidantibus vicit Saulum crudeliter ſævientem; & ita *quem habuit in terra perſecutorem, in cælis meruit habere conſortem*; inquit Serm. de S. Stephano Fulgentius. De bonis temporalibus, quæ ne cupidius appetantur tam juſtis, quam impiis Deus voluit eſſe communia, dixi ſupra cadere ſub meritum, quatenus præordinantur ad vitam æternam; ſub qua ratione pertinent quoque ad effectus prædeſtinationis divinæ: atque ideo nefas eſt illa aut nobis, aut aliis expetere, ubi a ſummo Bono animum noſtrum avertant, aut nos a proximi caritate divellant. *Hæc enim merces ſumma eſt, ut ipſo Deo perfruamur, & omnes, qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipſo perfruamur.* His verbis Auguſtini lib. 1. De Doctrina Chriſtiana cap. 32. noſtra de merito bonorum operum diſſertatio concluditur.

CAPUT ULTIMUM.

Probatur quod poſſint juſti excidere a gratia, quod non habeant de illa certitudinem fidei, & quod non ſint omnes in juſtitia ac merito prorſus æquales.

DOCUERUNT Tridentini Theologi poſtremo loco inquirendum eſſe de proprietatibus Juſtificationis, quas tres enumerant Heterodoxi, indemutabilem perſiſtentiam, firmiſſimam certitudinem, & æque magnam in ſingulis dignitatem; omneſque profluunt ex reprobato dogmate quod ſola fiducia juſtificet, atque ſit immobilis atque inextinguibilis, nec debeat ſtatui inhærens juſtitia capax augmenti. Igitur poſt antiquos errores Joviniani, & Pelagii, quorum damnatum dogma fuit amitti non poſſe gratiam per Baptiſmum ſuſceptam, docuit Calvinus lib. III. Inſtitut. cap. 2. in electis omnibus, quantumvis exigua ſit fides, certam haberi arrham ſalutis, & tenui illi fidei æqualem tribuit juſtitiam; propterea quod, ut explicat Vindelinus lib. 4. Theolog. cap. 24. juſtitia Chriſti per fidem apprehenſa æqualiter imputetur. Nonnulli, præſertim Lutherani, excipiunt peccatum Apoſtaſiæ; ut quod ſi quis animo prorſus libero, nec perterritus metu impendentis mali, neque ſpe allectus melioris fortunæ labatur, dicatur peccata in Spiritum ſanctum, neque habere remiſſionem in hoc ſæculo, neque in futuro, permixta cum aliarum hæreſum colluvione etiam Novatiana.

Sed quoniam inquiunt hæretici complures, immerito a Catholicis accuſati, quod aſſerant ſemel juſtificatos numquam peccare; dicam in quo conveniant, & in quo diſcrepent, brevi injuſtas querimonias repulſando. Quidam graviſſima ſcelera juſtos patrare fatentur, ſed tamen negant illos amittere Spiritum ſanctum, atque excidere a gratia, eo ferme pacto, quo peccant amantes, atque deſtituti exercitio libertatis. Sentit id citato loco Calvinus, Theodorus Beza in Colloquio, quod habuit cum Jacobo Andrea Lutherano, Dordrectana Synodus contra Arminianos coacta anno 1619. canone 4. 5. & 6. Zanchius in Miſcel. Chamierius Tom. 3. lib. VI. cap. 12. Rivetus in Apologetico, & alii. At nonnulli cum Pareo & Forbeſio non negant aliquando juſtificatum ita deperdere ſanctitatem, ut in reatu mortis æternæ permaneat, donec reſipiſcat, omnes tamen juſtos putant ad pœnitentiam adduci poſt ſcelera; quoniam licet actu iniquitatem operentur, retinent habitudine fidem & caritatem, quæ ſemen eſt vitæ æternæ. Atque hæc ſentientes peccatum, ſpectato etiam debito damnationis, ſtare autumant cum gratia ſanctificante. Ne ergo querantur Remonſtrantes oppugnari a nobis quod ipſi non aſſerunt; affirmamus dari inter juſtos plures, qui, cum prædeſtinati non ſint, non ſolum in graviſſima crimina voluntarie prolabuntur, verum etiam peſſima morte decedunt, & de ipſis prædeſtinatis permultos ſæpe cadere a ſanctitate, quamvis his divina miſericordia conferatur gratia converſionis, & finalis perſeverantia: dicam verbo, non eſt ſemel arrepta juſtitia talis generis, ut non poſſit extingui; nec adeo certa, ut non debeat juſtificatus, quandiu agit mortalem vitam, ullatenus pertimeſcere.

PROPOSITIO I. Juſtus vitam agens mortalem poteſt excidere a ſanctitate.

Id primo evincitur a Scripturis. Si enim ſemel juſtificatus perire nequit, cur Ezechielis XVIII. 18. ſcriptum eſt: *Cum receſſerit juſtus a juſtitia ſua, feceritque iniquitates, morietur in eis?* Cur Apoſtolus ad Epheſ. V. 5. hortatur filios lucis, & ſanctos ad vitandum omne crimen, *Hoc intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hereditatem in regno Chriſti, & Dei?* Cur iis, qui Spiritus ſancti templum ſunt, in prima ad Corinth. III. 17., *Si quis* (inquit) *Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus?* Cur denique omnes ita alloquitur eadem Epiſtola X. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat?* Si juſtus non poſſit amittere Spiritum ſanctum, cur talia monita urgeantur, non video. Deinde non exhortationibus tantum, ſed parabolis atque ſententiis in Evangelio Catholica Doctrina ſtatuitur. Etenim Matth. XIII. 7. & Lucæ VIII. 14. proponens Dominus parabolam ſeminantis docet multos eſſe qui credunt, ſed ad inſtar ſeminis cadentis inter ſpinas, *a ſolicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum.* Addit divina Scriptura in veritatis confirmationem exemplum multiplex. Primum eſt

pro-

protoparentis Adæ, quem Deus cum bona voluntate & in gratia creaverat, & tamen inobedientia ſeipſum ac poſteros perdidit. Alterum eſt Satanæ, aliorumque damnatorum Angelorum, quos licet conditos participes æternæ lucis, ſuperbia tumidos tradidit Deus inferni rudentibus in perpetuum excruciandos. Alterum eſt Davidis, qui cum diu innocentiam ſervaſſet, prolapſus in adulterium atque homicidium ſe coram Deo ejuſque Prophete Nathan confeſſus eſt impium & peccatorem. Petro etiam dixerat Jeſus, quod mundus eſſet, & nihilominus negavit ſe noſſe Magiſtrum anathematizando & jurando. De Simone Samarita legimus in Actibus Apoſtolicis, quod credidit, baptizatus eſt, & adhæſit Philippo, ſed poſtea ſcelere, quod ab ipſo Simoniacum dicitur, ruit in perditionem. Divinæ itaque litteræ monitis, ſententiis, exemplisque Remonſtrentium dogma redarguunt, damnant, eliminant.

Afferam nunc ex Patribus teſtimonia locupletiſſima. Chryſoſtomos in caput VIII. ad Romanos inquit: *Si dum hic es, depuleris a te Spiritus gratiam, & non ea ſervata abeas ex hac vita, periiſti quamquam reſurrexeras:* & in caput V. Epiſt. ad Epheſios: *Levet eſt*, inquit, *ſervare inimicos, ſed eos qui poſtquam facti ſunt amici, amici manent; itaut ſi ad inimicitias priores redeant, irrita ac vana fiant illa omnia.* Tertullianus de Pœnitentia ſcribit: *Nonne multi poſtea excidunt? nonne a multis donum illud aufertur?* Et Scorpiaco: *Proſpexerat Deus etiam poſt lavacrum, poſt editionem fidem perituros plerosque rurſum poſt ſalutem.* Cyprianus de Exhortatione Martyrii ſcribit: *Erutos de faucibus Diaboli, & de laqueis ſeculi liberatos non debere denuo ad ſeculum reverti, ne perdant quod evaſerint.* Hieronymus libro II. contra Jovinianum: *Si peccaverimus, & per peccati januam ingreſſus fuerit Diabolus, protinus Chriſtus recedit.* Sed quoniam ab Hæreticis creditur in illorum opinione fuiſſe Auguſtinus, opus eſt, ut illos refellamus Sanctiſſimi Protoparentis auctoritate. Ergo S. Pater de Corrept. & Grat. cap. VIII. demonſtret, *quod filiis ſuis Deus quibuſdam, quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, non dat perſeverantiam.* Et cap. XIII. ejuſdem libri ait: *Propter hujus ergo utilitatem ſecreti, ne forte quis extelleatur, ſed etiam eos qui bene currunt timeant, dum occultum eſt qui perveniant; credendum eſt quoſdam de filiis perditionis, non accepto dono perſeverandi uſque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquamdiu fideliter & juſte vivere, & poſtea cadere.* Item de dono Perſev. cap. IX. *Ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei .... Nonne utrique a Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit, Omnem flatum ego feci, unius ejuſdemque naturæ animas acceperant? Nonne poſtremo utrique vocati fuerant & vocantem ſecuti, utrique ex impiis* JUSTIFICATI, *& per lavacrum regenerationis utrique renovati?* Idem docet S. Pater in Epiſt. ad Sixtum. Idem in poſtremis adverſus Julianum ſcriptis, libro I. num. 128. Idem Auguſtini fideliſſimus diſcipulus S. Proſper ad object. Gallorum III. & VII. Cum vero ex laudata Epiſtola ad Sixtum inferrent quidam Monachi Adrumetini, non eſſe corripiendos quibus non confertur donum perſeverantiæ, reſpondet S. Pater Auguſtinus eitato libro de Corrept. & Grat. cap. 6. corripiendos utique eſſe, quia, *ſi nondum regenerati ſunt, prima cauſſa cur objurgati quod ſint inobedientes Deo ſibi debeant diſplicere, eſt quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, & non eſt iniquitas apud Deum .... Si autem jam regeneratus & juſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certe iſte non poteſt dicere, Non accepi, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio.*

Verba haſtenus ex Auguſtino producta non ſolum S. Patris mentem demonſtrant, verum etiam invictiſſimum ſuppeditant argumentum. Nam ſi ſemel juſtificatus non poſſet in ſe Spiritus ſancti gratiam extinguere, quilibet juſtus actu perſeveraret, nec eſſet perſeverantia ſpecialiſſimum donum, nec teneretur juſtus ad illam precibus aſſiduis petendam, nec deeſſet cauſſa cur ſalutem ſuam operaretur cum timore & tremore, & revereatur Omnipotentem, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Atqui, ut docet divina Scriptura, docet Auguſtinus, docet experimentum, juſtorum quamplurimi non habent donum perſeverantiæ, illud petere debent, & quamvis bene current, timere dum occultum eſt quo perveniant. Ergo poſſunt ſemel juſtificati gratiam, & caritatem amittere.

DILUUNTUR QUÆ OBJECTANT PROTESTANTES.

Nituntur hæretici errorem ſuum comprobare his Scriptorum ſanctarum locis. David Pſ. XXXVI. 24. de homine juſto ait: *Cum ceciderit, non collidetur.* Et Pſ. CXVIII. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Hieremiæ XXXII. 40. de gratia novi teſtamenti prænuntiatum eſt: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* Igitur ſemel juſtificatus etiamſi in gravia ſcelera cadat, non frangitur neque colliditur; igitur qui ſemel tenuerunt viam juſtitiæ, nunquam ab illa operando iniquitatem deflectunt: igitur qui ſemel ob merita Chriſti ſanctitate exornantur, poſthac a Domino non recedunt.

Ad primum ex Pſalm. 36. depromptum, etiamſi complures Theologi docent ſermonem haberi de Juſtis, qui ſedulo vitantes peccandi pericula, levia quidem peccata committunt, ſed gratiæ præſidio muniri præſervantur a turpioribus; noſtra tamen reſponſio, eaque veriſſima eſt, loqui Pſaltem de tribulationibus hujus vitæ, quibus, ſi Dominus ſupponat manum ſuam, animus juſtorum non frangitur. Ac reſponſionem iſtam confirmant, quæ ad locum huic ſimilem dixi præcedenti libro cap. 6. Ita interpretatus Auguſtinus, ſerm. 2. in eumdem Pſalmum num. 17. ſcribens: *Contingat illi, ut aliquam tribulationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam, aliquam afflictionem, aliqua damna, & cetera, quæ abundant in vita iſta; proponat ſibi Dominum ſuum quanta genera tentationum paſſus eſt, & non conturbabitur cum ceciderit, &c.* Ad ſecundum petitum ex Pſalmo 118., ut omittam communem reſponſionem, quod ibi præteritum tempus ponitur pro præſenti; ita ut ſenſus ſit, Qui operantur iniquitatem, non ambulant in viis ejus, quemadmodum Pſalmo I. verſu I. uſurpatur pro præſenti idem præteritum הלך *ambulavit, abiit*; affero interpretationem S. P. Auguſtini ſerm. 2. in eumdem Pſalmum 118. num. 2.: *Si ambulant, non operantur iniquitatem; ſi non operantur iniquitatem, non habent peccatum, quia peccatum iniquitas eſt.* Qui ergo peccat, iniquitatem habet, non æquitatis, atque juſtitiæ ornamentum. Hieremiæ verba poſtremo loco producta Hugo Grotius in diſcuſſione Rivetiani Apologetici ita exponit, ut quia Hebræi fœdus initum in Ægypto multimodis violarunt, Deus, ut ad pios mores redirent, renovavit idem fœdus, addens beneſacta maxima, munitiſſimam urbem, & Doctores egregios, & conteſſans nullam apud ſe priorum criminum reſiſtere memoriam; ſed quoniam hæc Riveti argumentum, me Judice, non diſſolvunt, eo quod in illo novo fœdere etiam gratia Evangelii prænuntiata eſt; reſpondeo propheticum textum, non de gratia *habituali*, ſed de actuali, quæ facit ut faciamus, & aliquando deeſt juſtis, eſſe accipiendum, ut demonſtrat Auguſtinus libro IV. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. VI. num. 14., & præſertim de magno dono perſeverantiæ omnibus electis miſericorditer præparato, at non, ut demonſtravimus, juſtificatis omnibus: quod idem eximius Doctor tradit de dono perſev. cap. VIII. num. 19. & cap. IX. num. 21.

Opponunt rurſus hæretici. Legitur Matthæi VII. 18. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere.* Item Epiſtola I. Joannis, III. 6. *Omnis, qui in eo manet, non peccat;* & verſu 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & peccare non poteſt.* Præterea in eadem Epiſtola cap. 2. v. 19. de reprobis habetur: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.* Atqui juſti ſunt arbor bona, ſunt nati ex Deo, ſunt ex numero illorum, quos Deus ſumma caritate complectitur. Igitur peccare non poſſunt, neque ex illo numero excidere.

Reſp. Juſtos eſſe arborem bonam, quatenus habent caritatem, & bonam voluntatem, quæ eſt radix bonorum omnium; unde nequit produci fructus malus, quoniam hic non a caritate & voluntate bona, ſed a cupiditate & voluntate mala procedit: atque hæc cupiditas in homine juſtificato poteſt rurſus excitari, ideoque ſi illi obſecundet, fiet arbor mala. Reſponſio eſt S. Patris de Grat. Chriſti cap. XVIII. num. 19. Eadem ratione qui natus eſt ex Deo, & in ſe habet ſemen ejus, non poteſt peccare, quia peccatum non a gratia, quæ eſt bonum ſemen, ſed a malitia voluntatis derivat: ideoque recte ſcribit idem Auguſtinus Tract. IV. in Epiſt. I. Joannis cap. 3. num. 8. *In quantum in ipſo manet, in tantum non peccat.* Quid vero ſi bonum ſemen a ſollicitudinibus, divitiis, & voluptatibus ſuffocetur? Addo utriuſque ſententiæ ſenſum eſſe, quod bona opera, & præſertim caritatis, diſtinguunt inter filios Dei, & filios Diaboli, quoniam qui male agit, & odit fratrem ſuum, non poteſt eſſe non improbus. Atque idcirco addit Matthæus, *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, & Joannes, *In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii Diaboli.* Sunt ergo iſtiuſmodi loca exponenda in *ſenſu compoſito*, videlicet, quod componi nequeat cum gratia ſanctificante ſcelerum contaminatio. Tertium ſic ſolvitur a S. Doctore de dono perſeverantiæ cap. VIII. *Quid eſt, quæſo, non erant ex nobis? Nonne vocati fuerunt, ex impiis juſtificati, & per lavacrum Regenerationis renovati? Sed ſi hoc audiret ille, qui ſciebat procul dubio quod dicebat; reſpondere poſſet, & dicere, vera ſunt hæc, ſecundum hæc omnia ex nobis erant; veruntamen ſecundum aliam diſcretionem* (id eſt divinam ad regnum prædeſtinationem) *non erant ex nobis.* Corruit his interpretationibus admotis male architectata hæreticorum argumentatio.

Inſuper ex perfectione caritatis hæc objiciunt. In ultimo Canticorum verſu 7. legimus: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem;* Joannis IV. 13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum:* & Apoſtolus in I. ad Corinth. XIII. 8. *Caritas nunquam excidit.* Si ergo juſti caritate præſtant, quomodo hæc extingui poteſt, quomodo exſiccari, quomodo excidere?

Reſp.

Reſp. quod *aquæ multæ non poſſunt extinguere caritatem*; quia ſi loquamur de juſtis, gratia ſanctificans ſuperat omnium cupiditatum impulſus, dummodo tamen adſit etiam gratia actualis, neque huic voluntas libera obſiſtat; ut dixi hujus voluminis pag. 43. Si autem loquamur de Eccleſia, cujus cum Chriſto unitionem delinear ibidem Canticum Canticorum, nequeunt aquæ multæ extinguere caritatem, quia neque ingruentibus hæreſibus, neque ſævientibus perſecutionibus, neque vigentibus malis aliquorum moribus deſerit Salvetor Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Scribentem ad Corinthios Apoſtolum demonſtrare præcellentiam Caritatis ſupra fidem & ſpem, & reliqua Dei dona, ex quo caritas diligenter in hac vita cuſtodita permaneat in Patria, demonſtrant quæ ſequuntur: *Sive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt, &c.* At poſſe in hac vita caritatem amitti docet idem Apoſtolus 1. ad Teſſal. v. 19. eiiſque in locis ſupra citatis. Quod legitur Joannis IV. accipiendum eſt conditionate, nimirum ſi fontem aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam juſtificatus non deſeret; niſi enim fontem illum plures peccato deſererent, non dixiſſet Dominus per Jeremiam XVII. 13. *Dereliquerunt fontem aquarum viventium.* Obſervandum eſt inſuper Chriſtum Dominum comparatione aquæ, quam mulier Samaritana hauriebat e puteo, & illius, quam idem exhibuit ſemel ebibendam, uti ad prædicandum Evangelium, & fidem Reparatoris. Poſſumus ergo nomine hujus aquæ intelligere Baptiſmum, & novi Teſtamenti doctrinam, quorum unum non iteratur, altera perpetua eſt, & ſalit in vitam æternam: atque non abhorret hæc interpretatio a mente Cypriani, & Chryſoſtomi. Demum Auguſtinus Tractatu in Joannem XV. refert præcitatum locum ad Sanctorum beatitudinem, de qua in Pſalmis legimus, *Apud te eſt fons vitæ*: &, *Satiabimur, cum apparuerit gloria tua*; necnon, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*. Suns autem omnes hæ reſponſiones ſatis manifeſtæ, veriſſimæ, atque optimæ.

Perpauca ſunt, quæ ex Patribus poſſunt ab hæreticis objectari. Gregorius hom. v. in Ezech. XI. in Matth. & XIII. in Joannem videtur affirmare quod caritas nunquam otioſa eſt, ſed ſtabilis, operatrix & perſeverans. Recte reſpondet in III. Sent. diſt. 31. & 22. q. 24. S. Thomas, hæc attributa convenire caritati, quatenus a Deo procedit, non prout e ſuſcipiente recipitur. Addit Gregorium priori loco agere duntaxat de caritate Electorum, quam eo ſenſu appellat permanentem, quia in patria non excidit, & in quantum ubi eſt caritas, eſt etiam gratia Spiritus ſancti, quæ tamen non ſemper cum habitibus & officiis ceterarum virtutum conjuncta eſt. In aliis locis ſermonem inſtituit de caritate actuali, quæ ſi efficax ſit, ſuperat terrena deſideria, & operari non renuit. Velloſillus in Advert. ad IX. Quæſ. in B. Gregorium profert quædam teſtimonia S. P. Auguſtini, quæ putet difficilia, nec ea ullatenus explicat. Primum depromptum eſt ex Tract. III. in Epiſt. 1. Joannis, ubi ait S. Pater: *Unctionis Sacramentum virtus ipſa inviſibilis: unctio inviſibilis Spiritus ſanctus: unctio inviſibilis caritas illa eſt, quæ in quocunque fuerit, tamquam radix illi erit, quamvis ardente ſole areſcere non poteſt. Omne quod radicatum eſt, nutritur calore Solis, non areſcit.* Alterum petitur ex proximo Tractatu VIII. *Radicata caritas eſt: ſecurus eſto, nihil mali procedere poteſt.*

Verum hæc neque difficilia ſunt, neque ſententiam Auguſtini aliis in locis expreſſam arguere valent antilogiæ. Tractatu in Epiſt. Joannis tertio exponit ea verba: *Hæc ſcribo vobis de his, qui vos ſeducunt, ut ſciatis quia unctionem habetis, & unctio quam accepimus ab eo permaneat in nobis.* Ea S. Pater ita interpretatur, ut non debeamus timere qui nos tentant ſeducere aut promittendo temporalia bona, aut carceres, catenas, ignes, aliaque tormenta minitando. *Nemo* (inquit Auguſtinus) *vos ſeducat ad mortem, promiſſionem vitæ æternæ deſiderate. Quid poteſt mundus promittere? Quicquid promittat, fortaſſis te craſtino morituro promittit. Et qua fronte ad illum, qui manet in æternum, exiturus eſt? Sed quid minatur mihi potens homo, ut aliquid mali faciam? quid minatur? carceres, catenas, ignes, tormenta, beſtias, nunquid ignem æternum?* Cum ergo tam Joannes, quam Auguſtinus hortentur juſtos, ut permaneant in caritate; conſequens eſt poſſe illos unctionem Spiritus ſancti amittere. Quo ergo ſenſu ait S. Pater, *quamvis ardente ſole non areſcere?* Profecto non ait ipſam caritatem non areſcere; ſed non areſcere id quod in caritate radicatum eſt; ſcilicet deperdi quæ operamur ducti fallaci ſpe temporalium bonorum, ac ſervili hominum timore, permanere autem fructum caritatis & dilectionis etiam poſt mortem. Atque hinc eſt, quod immutata Auguſtini ſententia in cap. *Unctio* diſt. x. de Pœnit. ubi legimus, *Caritas eſt, quæ in quocunque fuerit areſcere non poteſt*, appoſite eſt in Correct. Romana hæc adnotatio: *Non negat* (Auguſtinus) *caritatem poſſe areſcere, ſed quod in caritate radicatum eſt.* Idem eſt ſenſus alterius loci ex Tract. VIII. Ibidem quippe Divus Pater diſtinguit inter opera, quæ bona videntur, ſed fiunt ſuperbia aut mani cupiditate, & illa, quæ ex radice dilectionis procedunt; affirmatque nunquam opera prioris generis eſſe bona, nunquam opera caritatis eſſe mala: at caritatem eſſe in hac vita indemutabilem, non aſſerit Auguſtinus: *Radicata eſt cupiditas*, inquit, *ſpecies poteſt eſſe bonorum factorum, vere opera bona eſſe non poſſunt: radicata eſt caritas, ſecurus eſto, nihil mali procedere poteſt.* Denique caritatem non areſcere, & nunquam excidere in Patria, veriſſimum eſt, ut diximus paullo ſupra.

PROP. II. Nullus mortalium abſque ſpeciali revelatione habet certitudinem fidei de propria caritate & juſtitia.

Dixi *certitudinem fidei* cum Tridentina Synodo ſeſſ. 6. cap. 9. & can. 15. diſtinguenda eſt enim duplex certitudo, *fidei* nimirum, & *ſpei*: qua diſtinctione facta corruunt omnia hæreticorum ſophiſmata. Itaque certitudo *fidei* eſt illa, qua ob divinæ revelationis auctoritatem orthodoxis veritatibus præbemus aſſenſum; quæque veritates ipſæ non pendeant ab ulla mutabili conditione, credi debent abſque fluctuatione ulla hæſitantis animi. Talis eſt certitudo, quam habemus de Trinitatis & Incarnationis myſteriis ceteriſque Symboli articulis. At certitudo *ſpei* illa eſt, qua bonam conſcientiam habentes, neque nobis gravium ſcelerum conſcii, bonis etiam operibus inſudantes in ſpem erigimur repromiſſæ nobis certantibus & vincentibus retributionis. Hæc autem ſpes non ſolum innititur divinæ promiſſioni, ſed etiam humano ſtudio, & diligentiæ cum gratia Chriſti adhibendæ, quoniam Deus non abſolute coronam promiſit, ſed certantibus & currentibus: ideoque comparate ad Deum Chriſtiana ſpes erigitur & roboratur, ſed attenta hominis infirmitate, non caret ſolicitudine atque timore. Quod de ſpe juſtorum in ordine ad gloriam dictum eſt modo, idem tenendum eſt de ſpe perſeverandi uſque in finem; nam qualis ante juſtificationem ſpes requiratur in peccatore, diximus præcedenti cap. XV. Plura de hac duplici certitudine Thomas Stapletonus Tom. 2. libro IX. cap. 11.

Itaque propoſitionem demonſtro 1. ex Scripturis. Proverbiorum XI. 2. legitur: *Omnis via viri recta ſibi videtur: appendit autem corda Dominus*; & præcedenti cap. v. 9. *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Eccleſiaſtes cap. IX. 1. ait: *Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Apoſtolus in 1. ad Corinth. IV. 4. 5. *Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum; qui autem judicat me Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus judicare, &c.* Occurrit hoc loco in Græco verbum δεδικαιῶσθαι, *eſſe a vitiis purgatum & liberum*; ita enim accipitur Eſaiæ LIII. 11. Dan. XII. 3. Act. XIII. 38. ad Rom. VI. 7. & aliis in locis. Apoſtolicorum ergo verborum ſenſus eſt: Etſi nullius criminis mihi conſcius ſum, non propterea ſum immunis ab omni culpa; fortaſſis enim habeo peccatum, quod me habere neſcio. Atque hunc ſenſum optime aſſecutus eſt, expoſuitque Chryſoſtomus, iiſdem fere verbis; necnon S. Pater Auguſtinus in Pſalmum XLI. 8. ubi etiam cor hominis comparat impenetrabili abyſſo. *Si profunditas eſt abyſſus* (ait S. Pater) *putemus quod cor hominis abyſſus eſt. Quid eſt profundius hac abyſſo? Abyſſum invocant Sancti prædicatores verbi Dei. Numquid & ipſi abyſſus? Ut noveris, quia abyſſus & ipſi, Apoſtolus ait: Minimum eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die. Quanta autem abyſſus ſit, audite amplius: Neque enim ego meipſum judico. Tantam ne profunditatem creditis eſſe in homine, quæ lateat ipſum hominem, in quo eſt?* Vide & Epiſtolam S. Bernardi n. 42. ad Archiepiſcopum Senonenſem.

Addimus manifeſtæ rationis præſidia. Ac primum ex Tridentina Synodo locis citatis depromptum ſit. Ad juſtificationem non ſolum requiritur divina miſericordia, meritum Chriſti, & efficacia Sacramentorum; verum etiam conatus liberi arbitrii, & congruens voluntatis humanæ diſpoſitio. Igitur quemadmodum nefas eſt dubitare de iis, quæ ſe tenent ex miſericordia Dei, & Chriſti meritis atque inſtitutione, ſed hæc omnia ſunt ſpei, fiduciæque noſtræ fundamentum; ita ſi reſpiciamus propriam infirmitatem atque indiſpoſitionem, poſſumus formidare ac timere, neque certi omnino ſumus nos gratiam Dei eſſe conſequutos; quoniam ſi in noſmetipſos animum convertamus, occurrit juſta cauſſa timoris atque formidinis. Sit alterum momentum: Inanis illa hæreticorum fiducia quemadmodum infert certitudinem juſtitiæ, ita infert certitudinem perſeverantiæ, & prædeſtinationis divinæ. Et revera Heterodoxi opinantur hominem juſtificatum amplius peccare non poſſe, & certum eſſe de ſuamet prædeſtinatione, ut liquet ex canone XV. & XXIII. ſeſſ. VI. Trid. Atqui fiducia hæreticorum non recte infert certitudinem perſeverantiæ, ut demonſtravimus propoſ. præcedenti; neque certitudinem prædeſtinationis, ut docet S. P. Auguſtinus de dono perſ. cap. 24. de Civit. Dei lib. XI. cap. 24. de Corrept. & Grat. cap. XIII. & ut aperriſſima conſecutione deducitur ex prædictis. Igitur illa hæreticorum fiducia non recte infert certitudinem juſtificationis.

Ex his ſequitur non poſſe haberi talem certitudinem, quæ omnem excludat hæſitationem, abſque revelatione ſpeciali; qualem habuit felix latro, mulier peccatrix, & plurium opinione Moyſes, Elias, Stephanus, & ipſe Paulus: de quo non evincit oppoſitum Epiſtola ſuperius citata

ad

ad Corinthios; tum quia hæc ſcripta videtur circa annum Vulgaris æræ 57. & Epiſtolæ ad Timotheum, in quibus occurrunt aliqua hujus certitudinis veſtigia, datæ ſunt vertente anno 66. tum etiam, quia potuit Apoſtolus ex Dei revelatione diſcere, quod non potuerat ex propria conſcientia. In ceteris eximiæ ſanctitatis viris poteſt eſſe certitudo moralis, & ſpei, quam paullo ſupra deſcripſimus, & quæ oritur ex frequentia bonorum operum, & conſcientiæ tranquillitate, quemadmodum a fructibus dignoſcitur arbor bona. At ſicut inter fructus bonæ arboris poteſt aliquis infici aut attractione maligni ſucci, aut contactu animantis venefici; ita contingit, ut aliquando opus, quod optimum arbitramur, ſit aut labe latentis concupiſcentiæ, aut finis perverſitate vitiatum. Qui tamen habet bonam conſcientiam, ac ſtudet recte operari, habet etiam ſpem bonam, ut ſcribit Enarrat. in Pſalm. cccr. Auguſtinus. Hanc ſolam certitudinem ſpei commendant aliqui Patres; quorum auctoritate perperam hæretici nobis litem intentant.

Præcipua tamen ipſorum arma ſunt ſequentia literarum ſanctarum loca. I. Joannis v. 13. legitur: *Qui credit, habet vitam æternam*. Et Apoſtolus ad Rom. vi. inquit: *Juſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum*. In eadem Epiſt. cap. viii. 16. ait: *Ipſe autem ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei*. Et verſu 38. *Certus ſum*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli .... neque creatura alia poterit nos ſeparare a caritate Dei, &c.* Ex his inferunt ſemel juſtificatum firmiſſima in Chriſtum fiducia apprehendere vitam æternam, idque ſe certiſſime noſcere ex Spiritus ſancti præſentia.

His reſpondentes dicimus ſcopum Joannis eſſe hortari Parthos, ceteroſque fideles ad fidem Incarnationis & divinitatis Chriſti: hæc enim ſola fides dilectioni conjuncta filios Dei ad vitam æternam perducit. Igitur qui credit habet vitam æternam, non re, ſed ſpe, & dummodo mandata cuſtodiat, jure adoptionis. Extat conſimilis phraſis, quam Rhetores appellant metonymiam, in ipſius Joannis Evangelio v. 24. vi. 47. xvii. 3. atque hoc ipſo loco præced. verſu 11. & 12. Apoſtoli verba in Epiſtola ad Romanos imperite ad ſtabiliendam juſtificationis certitudinem detorquent Sectarii; per εἰρήνην quippe, ideſt, *pacem*, Paullus ſignificat reconciliationem & gratiam, non infallibilem hujus gratiæ notitiam. Quæ petuntur ex cap. viii. 16. ejuſdem Epiſtolæ ita a Catholicis exponuntur: Ex Apoſtolicis verbis unum colligitur, Spiritum ſanctum perhibere juſtis teſtimonium, quod ſint filii Dei; non enim Spiritus ſanctus inhabitans datur, niſi Dei amicis & juſtis. At non ait Apoſtolus, quod ipſis juſtis teſtimonium ipſum Spiritus ſancti ſit infallibiliter notum; cum nequeant juſti certis indiciis diſcernere num teſtimonium conſcientiæ ſit Spiritus ſancti, an ſpiritus præſumptionis & cenodoxiæ. In corde itaque juſtorum inhabitat Spiritus ſanctus; hujus teſtimonium verax eſt; ſed quemadmodum illa inhabitatio cognoſcitur ſolis conjecturis, cujuſmodi ſunt abſolutio Sacerdotalis, & bona conſcientia; ita per ſolam probabilem conjecturam poſſumus agnoſcere, num quod redditur Spiritui noſtro ſit teſtimonium Spiritus ſancti. Si autem Spiritus ſanctus expreſſe teſtificetur aut remiſſionem peccatorum per ſpecialem revelationem, aut veritatem fidei per evidentiam miraculorum; fatemur huic teſtimonio certiſſimam fidem eſſe adhibendam. In poſtremo loco certitudo ſignificat tantummodo firmum animi propoſitum, ut in eadem Epiſtola cv. 14. unde Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam legit, *Confido enim*; & Græcus pariter habet, πέπεισμαι γάρ, &c.

PROPOSITIO III. Gratia ſanctificans non eſt æqualis in omnibus omnino juſtis, & in ſingulis capax eſt augmenti.

Ab hac poſtrema theſi me paucis expediam, cum priori Volumine demonſtraverim in cæleſti Jeruſalem diverſas reperiri manſiones, quæ meritorum inæqualitati reſpondeant. Sequitur etiam hæc theſis ex præcedentibus; cum enim ſanctitas ſit *forma* quædam animæ inhærens, haud dubium, quin per opera pietatis majori accedente diſpoſitione recipiat gratia incrementum, & efficiatur perfectior. Huc ſpectat quod legimus Prov. iv. 18. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectam diem*: quod ſcribit Apoſtolus ad Philipp. i. 9. *Hoc oro, ut caritas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu*: quod ſcriptum eſt in poſtremo Apocalypſeos, verſu 11. *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc*. Quum inſuper legem credendi ſtatuat lex ſupplicandi; dari juſtitiæ ceterarumque virtutum incrementum commonſtrat S. Mater Eccleſia, ita Deum exorans Dom. xiii. poſt Pentecoſten: *Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei, & caritatis augmentum*. Idem docet S. Pater in libro de Sancta Virginitate, & Tract. 67. in Joannem, Fulgentius lib. iii. ad Traſimundum, & Patres alii, quos neceſſe non eſt, ut iterum proferamus. Vide quæ ſcripſimus de Inæqualitate beatitudinis: ubi etiam plura diximus de Parabola Operariorum, quam poſt Jovinianum nobis objectant Sectarii: ſed quam importuno, irritoque conatu, oſtendimus eo loci. His ergo controverſiis finem conſtituat Canon xxiv. Seſſ. vi. Tridentini Concilii: *Si quis dixerit juſtitiam acceptam non conſervari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa fructus ſolummodo, & ſigna eſſe juſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſſam; anathema ſit, &c.*

Una cum diſſertationibus de Gratia Chriſti Volumen tertium (*) abſolvimus, quod in lucem prodit, quamquam nobis univerſæ Theologiæ exornandæ occupatio neque ad utendum lima, neque ad ſpongiam adhibendam otium ſuppetit. Hinc eſt, quod duplici nomine imploramus Lectoris humanitatem; nimirum quia divina inſcienter tractamus, & quia inculte admodum, & impolite. Ut enim prælo committeretur Theologicum Opus elaboratum, atque perfectum, alio nobis ingenio opus erat, alio etiam temporis adjumento. Nunc, quoniam Exercitationes noſtræ ad hunc modum ſe habent, ob oculos legentium ſtatuimus verba Ovidii, De Ponto lib. iii. Elegia 9.

Scribentem juvat ipſe favor, minuitque laborem,
Cumque ſuo creſcens pectore fervet opus.
Corrigere at res eſt tanto magis ardua, quanto
Magnus Ariſtarcho major Homerus erat.

(*) Auctor loquitur de Editione Romana in 4. in qua Volumen Tertium Decimonono hoc Libro claudebatur.

Explicit liber undeviceſimus.

AUGU-

AUGUSTINI SERVANDÆ LEGIS, ET VITÆ INSTITUENDÆ PRÆCEPTIO.

HÆC *Diſciplina ipſa Dei lex eſt, quæ apud eum fixa, & inconcuſſa ſemper manens, in ſapientes animas quaſi tranſcribitur, ut tanto ſe ſciant vivere melius, tantoque ſublimius, quanto & perfectius eam contemplantur, & vivendo cuſtodiunt diligentius. Adoleſcentibus ergo ſtudioſis ejus ita vivendum eſt, ut a venereis rebus, ab illecebris ventris & gutturis, ab immodeſto corporis cultu & ornatu, ab inanibus negotiis ludorum, a torpore ſomni atque pigritiæ, ab æmulatione, obtrectatione, invidentia, ab honorum poteſtatumque ambitionibus, ab ipſius etiam laudis immodica cupiditate ſe abſtineant. Amorem autem pecuniæ totius ſuæ ſpei certiſſimum venenum eſſe credant: nihil enerviter faciant, nihil audacter. In peccatis autem ſuorum vel pellant omnino iram, vel ita frenent, ut ſit pulſæ ſimilis: neminem oderint, nulla vitia non curare velint. Magnopere obſervent cum vindicant, ne nimium ſit: cum ignoſcunt, ne parum. Nihil puniant quod non valeat ad melius: nihil indulgeant, quod vertat in pejus. Suos putent omnes, in quos ſibi poteſtas data fuerit. Ita ſerviant, ut eis dominari pudeat: ita dominentur, ut eis ſervire delectet. In alienis autem peccatis moleſti non ſint invito. Inimicitias vitent cautiſſime, ferant æquiſſime, finiant citiſſime. In omni vero contractu atque converſatione cum hominibus, ſatis eſt ſervare unum hoc vulgare proverbium: Nemini faciant quod pati nolunt. Rempublicam nolint adminiſtrare niſi perfecti. In omni vita, loco, tempore, amicos aut habeant, aut habere inſtent. Obſequantur dignis etiam non hoc expectantibus. Superbos minus curent, minime ſint. Apte congruenterque vivant. Deum colant, cogitent, quærant, fide, ſpe, caritate ſubnixi. Optent tranquillitatem, atque certum curſum ſtudiis ſuis, omniumque ſociorum, & ſibi quibuſque poſſunt mentem bonam, pacatamque vitam.* Lib. II. de Ordine cap. VIII.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS,

De Juris, & æqui Regulis, ideſt de Legibus, quæ humanos mores dirigunt, & coercent.

QUONIAM præcedentibus libris de divina Gratia plura conſcripſi, & quibus in rebus Auguſtiniana doctrina ab erroribus Janſenii, & Catholicum dogma diſcrepet a placitis Novatorum conatus ſum demonſtrare, atque id feci præter conſuetudinem quorumdam Scriptorum, qui aut diſſertationes alias præmittunt, aut illas, in quibus ſum verſatus, diverſa methodo, diverſiſque principiis exornant; neceſſario faciendum eſt, ut paucis aperiam hujus conſilii rationem. Cum Janſenianos naviter ſtrenueque debellaverint tam illi, qui Molinæ vel Suareſii partibus addicti ſunt, quam alii, qui Dei gratiam in actuoſa qualitate conſtituunt, ſed callidi dogmatiſtæ confugiunt ad ſententiam eorum, qui juxta Auguſtinum in ſanctæ dilectionis inſpiratione putant conſtituendam, & efficax auxilium contendunt nihil aliud eſſe quam delectationem victricem, atque hinc illegitime inferant, neque gratiam ullam ſuo unquam carere effectu, neque vigere in hoc infirmitatis ſtatu libertatis in partem utramlibet poteſtatem; pretium operæ me facturum exiſtimavi, ſi oſtenderem Auguſtinienſium neminem denegare ſub robuſta ac valida delectatione veram reluctandi potentiam, ſicuti nec ſub minima ac parva facultatem obtemperandi. Poſtquam vero id pro mea virili explicavi, nullum ex iis, qui gratiam ab intrinſeco efficacem repellunt, norunt tamen illam a probatiſſimis Theologis propugnari, fore arbitror adeo iniquum & malevolum, ut me Janſenianis adnumeret, & non potius fateatur, quod pro ſua erga me humanitate teſtantur ingenui viri, hac differendi ratione a receſſu perfugioque, quo in tanta vexatione ſe recipiunt, Janſenianos ipſos facilius ejici, & exturbari. Ac de natura gratiæ, ſi Noſtratium ſententiam expoſui, omnes alias a Catholicis colutratas honeſte excipiens, moderate oppugnans, nullam ſuggillans, nec afficiens auctorem aliquem injuria; mihi perſuadeo eam rem, niſi ſit laudi, vituperationi bonorum nequaquam fore. Diſputationes denique jam abſolutas iis, quas nunc ſubjiciam, præmiſi, quod origo actionum humanarum, quarum præceptiones ac normam hoc volumine tradam, ſi fiant ut oportet, & ad finem ultimum referantur, divino ex munere ſit repetenda; &, ſi gratia deſit, regnet peccatum per mortem, & per legem arguatur tantum prævaricatio. In ſuperioribus itaque libris nihil forte vel ante rem, vel præter rem diſputavi: & cum dederim nunc rationem conſilii mei, quod reliquum eſt operis, ita, ut inſtitui, perſolvam.

CAPUT I.

Vocabulum Legis exponitur, ac definitur: traditur partitio legum; & ſtatuitur ad actum voluntatis legem potiſſimum pertinere.

ERGO præter Gratiam, quæ humanam adjuvat infirmitatem, neceſſaria fuerunt rationalibus præcepta quædam & inſtituta, quæ imperarent quæ facienda ſunt, & prohiberent contraria: atque hæc inſtituta LEGES dicimus. Unde Legis nomen ſit derivatum, non conſentiunt Scriptores: opinantibus quibuſdam dici legem a *ligando*, quoniam ſubditos ad obſervantiam præceptorum obſtringit. Arbitror derivaſſe potius a *legendo*, ut animadvertit in ſua Etymologia Gerardus Voſſius, & Prolegom. 25. Alphonſus Salmeron. Nam ſicut a ducendo Dux, a regendo Rex, ita a legendo lex dicitur, ut demonſtrat Latini ſermonis conſuetudo. Græci appellant *νόμον* a *νέμω*, *tribuere*, quod ſuum diſtribuat unicuique: Hebræi autem תורה, *Tora*, quaſi *verborum*, ut interpretatur Marinus, *jactationem*. *Legere* autem, unde derivamus latinum vocabulum, aliquando idem eſt ac eligere, unde eſt in Eclogis Virgilianis, *Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga*: aliquando eſt idem ac pervolutare & cognoſcere, & lectionem ad librum aliquem adhibere. Juxta priorem legendi ſignificationem ait Auguſtinus q. 20. in Leviticum: *Legem ab eligendo Latini Auctores appellatam eſſe dixerunt*; & juxta poſtremam Iſidorus lib. XI. cap. 10. *Dicitur lex, quoniam ſcribitur, & legenda proponitur*. Igitur qui a ligando derivarunt, non etymologiæ rationem habuerunt, ſed potius muneris ac poteſtatis. Hinc & varia nomina lex adſcivit, cujuſmodi ſunt, Pactum, Teſtamentum, Mandatum, Voluntas Domini.

Definitur autem Lex a Cicerone lib. 1. de Legibus, *Recta ratio imperandi, & prohibendi*: a Theologis autem Scholaſticis his, aut conſimilibus verbis: *Lex eſt præſcriptum aliquod ab eo, qui communitatis curam habet, ad commune bonum directum, & ſubditis intimatum*. Quæ definitio legem deſcribit comparate ad legiſlatorem; nam reſpectu ſubditorum traditur hæc alia vulgaris: *Lex eſt menſura actuum humanorum, per quam ad id quod rectum eſt agendum, & ad id quod pravum eſt omittendum diriguntur*. In quibus definitionibus explicandis non eſt, ut immoremur, neceſſe admodum. Atque tradita Legis definitio cuique legi communis eſt.

Lex vero alia eſt naturalis, alia autem poſitiva. Naturalis dividitur in *æternam*, quæ eſt rectus univerſorum ordo a ſapientia & providentia Dei prorſus indiſtinctus, ſive, ut ajebat Tullius, *Æternum quiddam, quod univerſum mundum regit, imperandi, prohibendique ſapientia*: & in *participatam*, quæ eſt ipſa naturæ vis, & ratio prudentis, ſive Auctore ipſo Tullio, *non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus*. Legem *Poſitivam*, eam videlicet, quæ a libera Legiſlatoris inſtitutione dependet, ejuſque arbitratu ponitur, & conſtituitur, in divinam, humanamque diſpeſcunt. Et *divina* quidem alia eſt *antiqua*, quam libri Moſis comprehendunt, alia *Nova* tradita in libris novi Teſtamenti, maxime Evangeliorum. Lex *humana* ea eſt, quam homines ferunt: & alia eſt Eccleſiaſtica, Civilis altera. *Eccleſiaſtica* Pontificum decretis, definitionibus Conciliorum, communibus Patrum ſententiis, & perantiqua Eccleſiæ diſciplina conſtituta eſt: *Civilis* ſita eſt in ſtatutis Imperatorum, Reipublicæ conſtitutionibus, atque populorum conſuetudine. Itaque hæc eſt generalis Legum partitio.

Id vero circa quod verſantur leges, Jus appellitant. Et illud pariter dividitur in *naturale*, *poſitivum*, *divinum*, *humanum*, *Eccleſiaſticum*, *Canonicum*, & *Civile*, juxta traditas legum diviſiones. Ulpianus lib. 1. ff. de Juſt. & Jure, partitur omne jus in *publicum*, & *privatum*: & illud arbitratur eſſe quod ad ſtatum pertinet rerum Romanarum: hoc autem, ideſt, jus privatum, aliud eſſe *naturale*, aliud *jus gentium*, aliud *jus civile*. Et is quidem *Jus naturale* facit etiam brutis commune: quod etſi poteſt ſenſu aliquo probari, cum & inter bruta & res omnes creatas ſit forma quædam regiminis, rerumque agendarum menſura; eſt nihilominus dictum improprie: eſt enim anima legis ipſa ratio, qua bruta carent. Nec placet Juriſperitis *jus naturale* in ordine quodam infimo locari, *Romanum* autem in ſupremo; cum per ſe conſtet, jus naturale ampliori latitudine ſe extendere, Romanum ſpeciem aliquam conſtituere. Magis ergo placet Jus naturale dividere in *primævum*, *ſecundarium*, & *perſonale* aut *locale*. Primævum illud eſt, quod pertinet ad ipſam rationalis naturæ conſtitutionem; illud ſcilicet, quo præcipiuntur mutua hominum dilectio, connubia, filiorum educatio, cultus parentum, aliaque humanæ ſocietatis officia, quæ forent in uſu etiamſi Adam non peccaſſet, neque ſuborta eſſet familiarum diviſio. Secundarium eſt illud, quod exigente uſu, & humanis neceſſitatibus conſtitutum eſt: irruente præſertim familiarum diviſione, & incommodis erumpentibus ex propagatione humani generis ab Adamo prævaricatore. Atque hoc Jure diviſiones Regnorum, Conſtitutiones Rerumpublicarum, Legationes, Jura belli & pacis, emptio, venditio, locatio, conductio, depoſitum, mutuum, aliique contractus fuerunt inducti. Quæ cum omnibus Gentibus promiſcue communia ſint, hoc jus naturæ *ſecundarium* dicitur a Juſtiniano lib. 2. Inſtit. tit. 1., *Jus Gentium*. Perſonale enim, aut Locale reſpicit peculiarem locorum, aut perſonarum conditionem. Sunt vero loca aut Regna, aut Provinciæ, aut Civitates, aut oppida: & omnia ſtatutis quibuſdam propriis reguntur. Homines autem ſunt aut liberi, aut ſervi. Et liberi quidem jus habent ſic facere, ut volunt, prout lib. 1. de Officiis, & in Paradoxo v. loquitur Cicero. At ſervi dominio aliorum ſubjiciuntur, unde & *mancipia* dicuntur quaſi manu ab hoſtibus capiantur. Nec tamen homines liberi poſſunt ſemper pro arbitrio agere: omnes

omnes quippe, etſi liberi, ſuperioribus legibus obſtringuntur; & *parvulus hæres*, auctore Apoſtolo ad Galat. IV. *nihil differt a ſervo*: & *Pater aſſiduat illi flagella*, more ſervorum, ut in Eccleſ. aaa. Emanaverunt enim Jura omnia Gentium, & Perſonarum a lege ſuprema, æterna ſcilicet & naturali, cujus præceptis tenentur omnes. At de diviſione Legis & Juris dictum modo.

Reliquum eſt, ut videamus an ad actum intellectus, aut voluntatis ſit lex referenda: qua in re diſſentiunt Scholaſtici. Sed parvi momenti quæſtio eſt; atque utrumlibet affirmes, noſtra parum intereſt. Opinor diſtinguendam eſſe legem, ut in Legislatore, in Tabulis, & in ſubdito ſubjicitur. In Tabulis mortua eſt, litteris conſcripta, aut ſculpta. In ſubdito pariter non ſemper cum voluntate conjuncta eſt; ſæpe enim plurimi, qui legibus tenentur, eas nolunt implere. Igitur de lege quatenus pertinet ad legislatorem inſtituitur quæſtio: eamque paucis reſolvens affirmo legem, etſi intellectionem ſupponat, ad actum voluntatis propriæ referri. Legitur enim Pſal. 142. *Doce me facere voluntatem tuam*. Pſ. 102. *Notus fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſrael voluntates ſuas*. Mech. 1. *Det vobis cor, ut colatis eum: & faciatis ejus voluntatem*. S. P. Auguſtinus lib. IV. de Civ. Dei cap. 6. ſcribit principio rerum gentium, nationumque fuiſſe pro legibus *Arbitria principum*. Ipſe denique Juſtinianus lib. 1. Inſt. tit. 2. §. 2. *Quod principi placuit*, inquit, *legis habet vigorem*. Ad voluntatem ergo, arbitriumque Legislatoris lex pertinet. Recte Ciceru dn legibus: *Cum legem dico, nihil aliud intelligi volo, quam imperium, ſine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt*. Atque hæc rationi conſentanea ſunt; niſi enim ad rationem mentis accedat judicium imperans honeſta, & prohibens contraria, non habetur lex, ſed ſuſpenſa quædam apprehenſio. Imperare autem & prohibere actus eſt voluntatis; quoniam nihil aliud eſt *Imperare*, quam intimare, decernere, denuntiare, velle ut Majorum præcepta innoteſcant, & compleantur. Deinde Lex inferiores dirigit: & directio, etſi pertineat ad intellectum, quatenus eſt perceptio, & propoſitio rerum meliorum; ſi tamen accipiatur pro vi illa movendi, & intimatione, quæ in Lege præcipua ſunt, ſpectet ad voluntatem.

Objiciunt: Lex illuminat, dicente Davide, *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. II. Lex imperat: at imperare per D. Thomam actus rationis eſt. III. Lex eſt quædam regula & menſura pravi & recti, ad quam humanæ actiones exigi debent. Quæ regula mentis & intellectionis eſt opus. IV. Saltem Lex naturæ actus voluntatis non eſt, cum nihil ſit aliud, quam lumen rationis cuique rationali creaturæ manu Formatoris impreſſum.

Reſp. ad 1. Eatenus legem illuminare, quatenus nobis divinam proponit voluntatem, cui obtemperantes, & ſocietatem habentes ad invicem ambulamus in luce. Ad 2. nego quod imperare ſit actus rationis. Ait enim Auguſtinus lib. VIII. Confeſſ. cap. 9. *Voluntas imperat*: & D. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. ad 2. voluntas *imperat omnes actus voluntatis*, atque q. 9. art. 1. in Corp. *voluntas movet alias potentias animæ ad ſuos actus*. Quapropter ubi S. Thomas imperium tribuit intellectioni, illud accipit pro ſola directione mentis, non pro illa intimatione, & vi movendi, in qua potiſſimum lex ſita eſt. Ad tertium dico, utique legem comparate ad ſubditum eſſe menſuram pravi & recti, ſed relate ad Legislatorem eſſe hujus menſuræ intimationem, & præſcriptionem. Præterquamquod ait Angelicus 2. 2. q. 104. art. 5. primam regulam, cui actiones humanæ conformari debent, eſſe Dei voluntatem, ſecundam aliorum Superiorum imperium. Eadem reſponſio adhibetur ad 4. ſiquidem lex naturæ in homine eſt vis, & acumen ipſum rationis; ſed quatenus a Deo eſt, dicit intimationem divinæ voluntatis, & æqui rectique præſcriptionem, quam rationalis animus intima conſcientia intuetur in ſemetipſo manu Conditoris inſcriptam.

CAPUT II.

Legum conditiones exponit, & pertractat de illarum Auctore, & iis, qui legibus ſubjiciuntur.

QUINQUE autem traduntur conditiones legum univerſarum: ac prima eſt, *ut lata ſit qualibet lex pro aliqua communitate*. Primo quia in eo differt lex a præcepto, quod illa communis eſt, & iſtud peculiare. Et lex quidam appellatur præceptum, ſed accepto præcepti vocabulo in ſignificatione ampliori & generica, ut habetur lib. 1. ff. de legibus. Habetur præterea lib. 1. Inſt. tit. Jure: *Leges non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur*. Deinde legem æternam ac naturalem eſſe communem ſatis compertum eſt: de legibus autem civilibus & Canonicis idem affirmat in Procemio Decretalium Gregorius Nonus. Prima itaque legum conditio recte conſtituta eſt.

Solet opponi primo definitio legis ſuperius tradita, quod ſit menſura humanarum operationum. Videtur ergo, ut quemadmodum operari eſt individuorum, ita ad hæc tantummodo leges pertineant. Datur quoque, ut dictum eſt ſupra, & habetur lib. I. de Conſt. Princ. *Jus perſonale*. Inſuper *Commune*, *Reſpublica*, aliaque iſtiuſmodi nomina ſunt intentione hominum inſtituta, ideoque non ſunt ſubjectum legis idoneum: Denique imponitur lex interdum uni tantum, uti ſacrificium Abrahami. Allata ergo legum proprietas haud ſcite præſcribitur.

Reſpondemus, Legem ferri pro aliqua Communitate *diſtributive*, ideſt generaliter proponi ita, ut ad omnes ſingulosque perveniat: ideoque univerſalis eſt, & unicuique in particulari normam exhibet æquitatis. Ita ratio, prudentia, ars, facultas referuntur ad plures, etiamſi qui his utuntur ſint individui. Jura Perſonalia & ipſa ad publicum commodum ordinantur; confert enim ad bonum Corporis ſingulorum membrorum harmonia, atque ad utilitatem Reipublicæ & communis rei politiam recta munerum, magiſtratuum, negotiorum, hominumque partitio. Præceptum autem uni impoſitum a lege ſecernitur: quamquam poteſt privatis perſonis imponi a Superiore mandatum pro bono, & commodo Reipublicæ.

Altera conditio eſt, quod *leges ad commune bonum ſunt referendæ*. Hanc legum conditionem etiam Erhnici probavere. Ariſtoteles enim 8. Eth. cap. 10. *Lex* (inquit) *ſubditorum ſpectat utilitatem*; & Cicero in 1. de legibus, conſtituendas leges ſcribit *publicæ ſalutis cauſa*. Hinc ait in V. Etymolog. Iſidorus, *Lex eſt nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate Civium conſcripta*. Accedit ratio; nam Deus pro bono univerſitatis leges ferre per Eſaiam teſtatus hiſce verbis: *Lex a me exit in lucem populorum*. Omnem vero poteſtatem ac principatum a Deo eſſe, teſtantur ſacra eloquia, & natura ipſa proclamat. Quiſquis ergo accepta a ſupremo Numine poteſtate in ferendis legibus utitur, tenetur illius ad exemplum aptare decreta ſua, eaque ſtatuere in commodum populorum.

Dices fortaſſe nonnullas leges pertinere ad Principes, ut de perſolvendis vectigalibus; nonnullas ad milites, ut de manubiis, & auro coronario; complures ad pupillos, ad libertos, & manumiſſos: dari etiam Privilegia, quæ cedunt privatorum utilitati. Reſpondeo leges, quæ lib. I. Inſtit. ff. *de Conſtit. Princ.* dicuntur particulares, ad privatum bonum tamquam ad finem proximum referri, ad commune vero tamquam ad finem ultimum. Et quidem felicitati Reipublicæ plurimum confert, ſi Principi vectigalia & portoria ſolvantur: conſulitur enim hoc pacto illius majeſtati & honori, quippe hac ratione facilius ſubditis inſeris obſervantiam, hoſtibuſque incutit terrorem, atque formidinem. Quod de cæteris dicendum eſt: nam ſi rectus in perſonis prætermittitur ordo, & pupillis patrias fortunas adimere, milites fraudare, ingenuos cum meritoriis verſari fas ſit, nihil erit in civitate non inhoneſtum ac turpe. Eo etiam tendunt privilegia, quæ conferuntur, ut ipſorum ſpe allecti cives egregiis operibus incumbant, nec ſtudia ſine remuneratione torpeſcant. Aut reſpondemus privilegia privatis hominibus irrogata melius dici *Exceptiones a Lege*, ut ait Gloſſa in Cap. *Erit autem lex*: & Cicero in tertio de Legibus: *Majores noſtri in privatos homines leges ferri noluerunt: id eſt enim privilegium*.

Conditio tertia erit, *ut Lex ſit juſta, neque inhoneſta præcipiat*. S. P. Auguſtinus hanc legit proprietatem tradit in primo de lib. Arb. cap. 5. dicens: *Lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit*. Conſentit Iſidorus, qui lib. 5. Etymolog. cap. 2. hæc habet: *Lex erit omne quod ratione conſtiterit, quod religioni congruat, quod diſciplinæ conveniat, quod ſaluti proficiat*. Ratio autem ſatis eſt manifeſta: injuſtitiæ enim & ſcelera commune bonum non provehunt, ſed evertunt.

At dices: Nonne leges fornicationes aliquando permittunt? Immo ipſe fomes concupiſcentiæ nonne ab Apoſtolo ad Rom. VII. v. 23. *lex* appellatur? Præterea quanta arbitrio Regum præcipiuntur injuſta? Ne alia proferamus exempla, Ægyptiorum Rex Pharao juſſit, ut aquis mergerentur Hebræorum infantuli: præcepit Saul, ut interficerentur Sacerdotes Domini: aliique innumeri indixerunt decretis ſuis immania, turpia, horrendiſſimaque flagitia. Reſpondeo fornicationem a legibus non præcipi, ſed permitti. Permiſſio autem peccati, ut vitentur majora crimina, non eſt indecore, ſed ipſo Numine digna. *Legem quidem ſatis video* (ait Auguſtinus loc. cit.) *munitam contra hujuſmodi accuſationem, quæ in eo populo, quem regit, minoribus maleficiis, ne majora committerentur, dedit licentiam*. Fomes peccati lex dicitur ab Apoſtolo ob pœnam culpæ originalis; ut enim miles deſtitutus ſtipendio tranſit ad legem agricolarum, & qui capitur jure belli, ſervus fit capientis, ita homo per peccatum a lege liberi tranſiit ad captivitatem, quæ eſt lex pœnalis. Injuſta vero decreta virorum principum non leges dicenda ſunt, ſed Tyrannorum præſcriptiones; quippe ut ajebat Cicero lib. 1. de Oratore, *Docemur auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere*.

Quarta legum conditio eſt, *ut ſint perutiles*: quæ ex præcedentibus conſequitur, & vix a ſecunda diſtinguitur. Si enim conſtitutæ ſunt leges publicæ ſalutis cauſa, ſi præmia conferri jubent, & vitia inſectantur, ſi diſtinguuntur a tyrannide, quod hæc eſt dominatus ad ſubverſio-

nem

Digitized by Google

rem pauperum, lex vero ad regimen æquitatis; conſequens eſt, ut hæc ſit utilitatum, opportunitatumque conſultrix.

Poſtrema conditio eſt, *ut leges ſint diuturnæ*. Lex enim æterna cum ſit rectus ordo divinæ immutabilis providentiæ, eſt prorſus invariabilis. Naturalis etiam creata, & hominibus indita nequit a mente rationabilium deleri. Divina lex per Muſen lata, cum eſſet promiſſio & figura novi fœderis, perduravit uſque ad Joannem & Chriſti baptiſma, atque hujus morte ſciſſo velo templi, & conſummatis figuris tranſiit in Evangelicam. Vigebit hæc uſque ad conſummationem ſæculi. Humanæ leges perſeverant poſt obitum legiſlatoris, ab eoque ſucceſſores adipiſcuntur auctoritatem ſtatutæ legis, ſive hæreditate, ſive electione. Oportet ergo, ut leges ſint divinæ, ſalutares, rectæ, univerſales, & inſtitutæ ad commodum populorum.

Ferre ſervatis his conditionibus leges ad Communitates duntaxat ſpectat, earumque Rectores. Quod probatur cum auctoritate, tum ratione. Iſidorus namque lib. 5. ita legem deſcribit: *Lex eſt Conſtitutio Populi, ſecundum quam Majores natu aliquid ſanxerunt*: quam deſcriptionem probat diſtinctio Decretalium 2. Ratio autem hæc eſt. Habet lex vim imperandi & coercendi, ut Ariſtoteles ait x. Ethic. Conditor ergo legis nullus eſt, niſi qui imperare & coercere poteſt, ideſt, Rector communitatis. Ex quibus liquet, quæ domi ſuæ imperant Patresfamilias, eſſe quædam particularia ſtatuta, non leges, niſi in quantum illa domus pars eſt Civitatis, ejuſque regimen refertur ad patriam commoditatem. Leges autem a quibuſdam privatis præſcriptæ tunc auctoritatem obtinuerunt, cum illis acceſſit publici Magiſtratus, aut Principis comprobatio.

Jam de iis dicendum eſt, quos legum obſervantia tenet obſtrictos, a quorum numero excipiunt Novatores cœtum Juſtorum. Tuentur errorem ſuum prava quorumdam locorum Scripturæ intelligentia. Ea ſunt, ad Rom. vi. 14. *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*. Item ad Galat. ii. 4. *Subintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent*: & cap. iii. 19. *Propter tranſgreſſiones* (lex) *poſita eſt*: nec non cap. 5. v. 18. *Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*. Poſſent & opponere quod habetur in Decret. d. 19. q. 2. *Qui lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut publica conſtringatur*.

Refellitur autem Novatorum ſpiſſus ac turbulentus error locupletioribus ejuſdem Apoſtoli teſtimoniis. Qui in Epiſt. ad Rom. cap. 3. v. ultimo ſcribit: *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus*. Ideſt, *Legem ſiſtimus in his, quæ & nunc novo teſtamento introducta etiam cumulatiore præcepto prohibentur*, inquit hunc locum citans Tertullianus de Pudicitia. Et capite ejuſdem Epiſtolæ xiii. ait Apoſtolus, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*: quem locum quidam hæreticorum avide arripiunt, ut evincant etiam ſummos Sacerdotes & Epiſcopos teneri legibus temporalium dominorum; tametſi nequeunt iſti facta Sacerdotii comparatione dici ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι, *præcellentes poteſtates*, quoniam ut corpora ſpiritibus, ita temporalis politia eſt ſubjicienda Eccleſiaſticæ. Interim eorum confeſſione conſtat *omnem animam*, ideoque & juſtam ſubjici Legiſlatoribus. In poſtremo etiam ad Hebræos v. 17. ſcribit Paulus: *Obedite præpoſitis veſtris, ſubjacete eis*. Sed quid plura? nonne de Juſtis dictum eſt a Domino Jo. xv. 10. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione?* Indubitatum eſt ergo, quod *nemo quantumvis juſtificatus liberum ſe ab obſervantia mandatorum putare debet*; ut definit ſeſſ. 6. cap. 11. ſacroſancta Synodus Tridentina. Atque his ſuffragatur ratio. Lex enim ratione ſua duo importat; unum, ut ſit regula rerum agendarum: alterum, ut reluctantes bene agere vi, & auctoritate coerceat. At juſti, quamquam ſponte obtemperant legi, atque ſecundum rationem iſtam ei minime ſubjiciuntur, reguntur tamen ſuperiorum ſuorum inſtitutis atque mandatis. Legibus ergo inſpecto munere ipſarum præcipuo, quod eſt intimare & dirigere, etiam juſtificati ſubjiciuntur. Quinimo ſubduntur legibus etiam quoad vim coactivam, in quantum poſſunt ab illarum obſervatione deſciſcere, & quandoque a malefactis retrahuntur timore ſupplicii.

Inania autem ſunt, quæ objiciunt Heterodoxi. Nam Apoſtolus ad Romanos loquitur de lege moſaica, & de lege premente & minitante, ut opponitur gratiæ adjuvanti, & Evangelio, quod appellatur Act. 14. 3. λόγος χάριτος, *verbum gratiæ*. Quare Auguſtinus de Grat. & lib. arbitrio cap. 12. ait: *Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia: non quia lex mala ſit; ſed quia ſub illa ſunt, quos reos facit jubendo, non adjuvando. Gratia quippe adjuvat, ut legis quiſque ſit factor, ſine qua gratia ſub lege poſitus tantum erat legis auditor*. In Epiſtola ad Galatas perſpicuum eſt, ſermonem cap. 2. fieri adverſus παρεισάκτους ψευδαδέλφους, *ſuperinductos falſos fratres*, Judæos ſcilicet ſimulantes ſe eſſe Chriſtianos, & compellentes circumcidi, & jugum veterum legalium iterum imponentes. Noſtram ergo libertatem tuetur Paulus a ceremoniis Judaicis, non ab obſervatione præceptorum. Proximo cap. 3. ait legem poſitam propter tranſgreſſiones declarandas, puniendas, & coercendas, ut Lyranus, Menochius, Eſtius, aliique docti Interpretes obſervarunt. Eadem eſt reſponſio S. P. Auguſtini de Grat. Ch. cap. 8. Nonnulli particulam *propter* accipiunt, quaſi hoc loco ſignificet non finalem cauſam, ſed eventum, ac ſi diceretur, poſita lege ſequutæ ſunt tranſgreſſiones: proferuntque hujus ſignificationis exempla ex Adelphis & Eunucho Terentii, ex Cicerone in Catilinam, & aliis Latinis Scriptoribus probatiſſimis. Sed non opus eſt, ut ad Grammaticos Rhetoreſque confugias, dicente eodem Apoſtolo in ſeq. cap. v. 23. de probis ac temperatis, *Adverſus hujuſmodi non eſt lex*; nimirum ſunt juſti immunes a pœna & coercitionibus, quibus ex adverſo obnoxii ſunt legum contractores. Ex quibus facile exponitur ſimilis locus ad Timoth. 1. cap. 1. v. 9. *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis*: quoniam juſtus ſponte ſe legi conformat, & lubens juſtitiam apprehendit, *non tamquam per pædagogum terrentem & ſuadentem*, inquit S. P. Aug. de Spiritu & lit. cap. x. Idem ſenſus eſt alterius teſtimonii. Quos enim Spiritus ducit, & caritas trahit, non ſunt ſub lege premente, & vindicante, ſed præcepta legis faciunt animo alacri & libentiſſimo. *Sub lege eſt enim* (inquit Aug. de Nat. & Grat. cap. 57.) *qui timore ſupplicii quod lex minatur, non amore juſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati*; & infra: *Ergo ſi ſpiritu ducimini, non adhuc eſtis ſub lege: utique lege, quæ timorem incutit, non tribuit caritatem*. Eadem reſponſione eliditur quod depromptum eſt ex Decretis.

His communia ſingulis legibus complexi ſumus. Quod ad legum attinet promulgationem loco opportuniori diſcutiendum eſt: nam lex naturalis inſcripta omnium cordi nulla promulgatione indiget. Ad ſingulas ergo leges in particulari examinandas ſtylum, animumque convertimus.

CAPUT III.

Pertractatur de Lege æterna, a qua omnes aliæ derivantur.

PRÆCELLIT itaque leges omnes Æterna. Hanc definit S. P. Auguſtinus libro adverſus Fauſtum XXII. cap. 27. *Lex æterna eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*. Et in primo de lib. arb. cap. 6. *Ut breviter* (inquit) *æternæ legis notionem quantum valeo verbis explicem, ea eſt, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima*. Æternam hanc legem abſque ullo fidei lumine etiam Ethnici Scriptores aſſecuti fuerunt. Cryſippus lib. 1. de Finibus, Hecato lib. 6. Manlius, cujus extant in priori de Aſtronomia libro hi verſus,

Hoc opus immenſi conſtructum Corpore mundi
Membraque naturæ diverſa condita formæ
Aeris, atque Ignis, Terræ, Pelagique jacentis
Vis animæ divina regit, ſacroque meatu
Conſpirat Deus, & tacita ratione gubernat.

Occurrunt ſimilia in IV. Georgicon, & in 6. Æneidos Virgilii, collecta in Apparatu Jur. Canon. ab Emmanuele Gonzalez. Videntur autem hi poetæ operam dediſſe Platonicæ philoſophiæ, juxta quam, ut refert Plutarchus lib. 1. de Placitis Philoſoph. Θεὸς ἐστὶ νοῦς τοῦ κόσμου, *Deus eſt intelligentia & anima mundi*. Præclare Tullius in ſecundo de Legibus. *Hanc video ſapientiſſimorum hominum eſſe ſententiam, Legem nec hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum eſſe aliquod populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regit imperandi, prohibendique ſapientia*.

Æterna Lex ita expoſita duas habet quaſi ἀναλογίας, ſive ſimilares rationes, unam reſpectu irrationalium creaturarum, & alteram reſpectu hominum & angelorum. Et comparate quidem ad res creatas ſenſu & ratione carentes, quemadmodum in his eſt quædam obedientia improprie dicta, rei ſcilicet arbitrio carentis ſuo; ita lex late & metaphorice appellatur ipſe ordo perpetuæ gubernationis. Quod vero ad rationales pertinet, propriam habet rationem legis, eique vera obedientia reſpondet, videlicet obtemperatio animi libertatem ſuam retinentis. Satis præterea conſtat hanc legem dici æternam, non ex parte rerum agendarum, ſed ipſius Dei cuncta ab æterno diſponentis & ordinantis, eo ferme pacto, quo ſempiternam dicimus prædeſtinationem, providentiam, voluntatemque divinam. Quamobrem neceſſe non fuit, ut lex iſta promulgaretur ab æterno, ſed hoc tantum, ut inſtitueretur vim habitura in rerum creatarum conditione. Ex parte tamen Dei promulgatam ab æterno in Scriptura libri vitæ, & in Verbo divino, docet 1. 2. q. 91. art. 1. ad 2. Doctor Angelicus: quod alii rejiciunt, propterea quod generatio æterni Verbi per ſe ad conſtituendam legem non requiratur, alioqui (ait Vaſqueſius) *ſolus Pater promulgaſſet hanc legem*. Sed puto hanc eſſe inutilem logomachiam. Enimvero ſi cum D. Thoma diſtinguamus in promulgatione intimationem ipſam factam verbo, vel ſcripto, a notitia & audientia ſubditorum, non video cur Eximii Doctoris reſponſio ſophiſtice impugnetur. Nos autem qui promulgationem nihil aliud intelligimus, niſi paratæ jam legis propoſitionem & publicationem, æternam legem inſtitutam dicimus ante tempora ſæcularia, promulgatam vero in temporum conditione.

His

Digitized by Google

His conſtitutis locum non habent plura, quæ ab antiquioribus Scholaſticis diſputantur, veluti num lex æterna ſit idea rerum exiſtens in mente Dei: quod contra communiorem ſententiam tuetur idem Vaſquez. Nos quippe ideam ad perceptionem mentis, legem ad voluntatis decreta referimus, neque aliam inter hæc ponimus diſtinctionem, niſi connotatorum. Ipſa ergo natura Dei, quatenus omnium rerum rationes exhibet, eſt idea: quatenus præſcribit rerum univerſarum ordinem & menſuram, eſt lex æterna. Ex quibus appareat opinionem Vaſqueſii etiam falſam eſſe in ſententia Thomiſtarum: qui referunt quidem Legem ad opus intellectionis, ſed cum Doct. Angelico q. 93. art. 1., tenent ideas reſpicere proprias naturas ſingularum rerum, leges vero ſingulas ad commune bonum Dei ſapientia dirigi. Atque hinc eſt, quod ideas ratione objectorum multiplicant, & legem æternam unam duntaxat conſtituunt. Similiter docent providentiam in hoc differre a lege, quod illa ſingulas res in partes diſtribuit, & nihil jubet, aut vetat; & lex refertur ad unum rectiſſimumque ordinem univerſorum, quem perturbari non ſinit. Verum ſi dixeris Deum optimum maximum *inferiores partes creaturæ ſuæ convenientiſſimis legibus admirandæ diſpenſationis ornare*, & ſi providentiam dixeris *legem in diſtributione temporum datam*, id nullatenus improbabo, ſed excipiam Auguſtiniana verba ex lib. de Catechiz. rudib. & X. de Civit. Dei cap. 15., abſque ulla contradictione. Quippe & legem, & providentiam, & ideam, & ſi quid aliud divinum dicimus, aut cogitamus unam ſummam rem eſſe ſine ulla hæſitatione profiteor.

Remanet inquirendum an lex æterna omnium aliarum ſit cauſſa, illique Creaturæ omnes ſubjiciantur. Quantum ad priorem quæſtionis partem reſpondemus affirmative, ducti auctoritate Sanctorum, Philoſophorum conſenſu, & lumine ipſo rationis. Accipe dicta Patrum. Auguſtinus Tract. 6. in Joan. inquit: *Ipſa jura humana per Imperatores & reges Deus diſtribuit generi humano:* & in 1. de lib. arbitrio cap. 6. *nihil eſt in temporali lege juſtum, quod ab æterna non derivetur*. Idem docet de vera Religione cap. 32. lib. 14. de Trinitate cap. 15. & quæſtione ſuper Exodum ſeptima ac ſexageſima. Tertullianus in ſuo Apologetico his verbis Gentiles compellat: *Sciatis ipſas quoque leges veſtras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de divina lege, ut antiquioris forma mutuatas*. Teneas modo teſtimonium Tullii ſcribentis in 2. Philipp. *Lex nihil aliud eſt, niſi recta, & a numine Deorum tracta ratio*. S. Clemens Alexandrinus probat id fuiſſe omnibus exploratum lib. 1. Strom. ex Ethnicorum fabulis: quæ narrant Minoem ad Jovis antrum venientem per novem annorum circulum, leges ab ipſo Jove accepiſſe, Lycurgum pariter ab Apolline, quem frequenter adibat apud Delphos; Zeleucum Locrorum leges accepiſſe a Minerva Plato & Ariſtoteles literarum monumentis mandarunt. Scriptum eſt autem alibi, Gentilium numina a Cacodæmone fuiſſe conficta ad æmulationem veræ divinitatis. Ratio autem hoc idem ſuadet. Primum quia a prima Cauſſa omnia moventur, & ab una arte procedunt omnes aliæ, auctore ipſo Ariſtotele 1. Eth. Igitur etiam ſuprema æternaque Lex eſt ceterarum omnium fons & origo. Deinde omnia quæ ſunt per participationem proficiſcuntur ab eo quod eſt per eſſentiam, quemadmodum humana ratio quæ eſt participatio divini luminis, & humana poteſtas quæ eſt participatio divinæ auctoritatis, ſunt a lumine & poteſtate ſupremi Numinis. Cum ergo lex æterna ſit talis ſeſe atque naturæ ſua, oportet, ut ſit cauſſa & fons ceterarum. Præterea neceſſum eſt, ut diximus, quamlibet legem eſſe juſtam. Juſtitia autem, in qua virtutis ſplendor eſt maximus, mala prohibet, & recta imperat. At omne malum æterna lege prohibitum eſt, omne bonum ipſa æterna lege intentum eſt. Quælibet ergo lex aliquid aut prohibens, aut imperans ab Æterna dimanat.

Nec urget quod ſolet opponi legem æternam eſſe immutabilem, & obſtringere ſubditos jure divino, quæ duo non conveniunt humanæ legi. Ut enim prima Cauſſa eſt independens, & habet modum operandi longe diverſum a cauſſis ſecundis, & tamen iſtæ ab illa prima Cauſſa vim ſuam effectricem naturamque participant: ita lex æterna eſt ſumme invariabilis, neque poteſtate aliqua devolvi poteſt, & nihilominus ab ea trahuntur leges ſingulæ, quas ſæpenumero contingit mutari. Cujus rei hæc idonea ratio profertur: quod prima Cauſſa efficit in aliis vim agendi, actionem ipſam, & modum actionis, ut hæc neceſſario operatur, hæc contingenter, pro uniuſcujuſque cauſſæ natura. Ita lex æterna ceteras efficit, ut quælibet obliget juxta dignitatem ac naturam ſuam, videlicet lex naturalis jure naturali, & lex humana jure humano. Exemplum aliud affert Auguſtinus de Vera Religione cap. 17. loquens de lege veteri & nova, quæ cum ſint ab uno Deo, non iiſdem tamen præceptis, neque eodem tempore viguerunt. *Poteſt* (inquit) *quis hoc putat perturbari, ſi unus medicus alia per miniſtros ſuos imbecillioribus, alia per ſemetipſum valentioribus præcipiat ad reparandam vel obtinendam ſalutem. Ut enim ars medicinæ cum eadem manet, neque ullo pacto ipſa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis eſt noſtra valetudo: ita divina providentia cum ſit ipſa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variæ ſubvenit, & pro diverſitate morborum alii alia jubet aut vetat, ut a vitio unde mors incipit, & ab ipſa morte naturam ſuam ad eſſentiam, ex qua deficiunt, ideſt ad nihilum tendunt, reducat & firmet. Sed dicit mihi, Quare deficiunt? Quia mutabilia ſunt. Quare mutabilia ſunt? Quia non ſumme ſunt. Quare non ſumme ſunt? Quia inferiora ſunt eo, a quo facta ſunt.* Hæc igitur viciſſitudo & infirmitas creaturarum poſtulat diverſa præcepta modo leviora, modo rigidiora, omniumque ab una lege incommutabili præſcribuntur.

Huic æternæ legi ſubjecta eſſe omnia creata, tam neceſſaria, quam contingentia, res eſt omnibus manifeſtiſſima. Audiatur Auguſtinus hæc de ſummo Numine ſcribens in magno Opere de Civ. Dei cap. 11. libri quinti: *Qui dedit carni originem, pulcritudinem, valetudinem, propagationis fœcunditatem, membrorum diſpoſitionem, ſalutem, concordiam; qui & animæ irrationali dedit memoriam, ſenſum, appetitum, rationali autem inſuper mentem, intelligentiam, voluntatem: qui non ſolum cœlum & terram, nec ſolum angelum & hominem, ſed nec exigui & contemptibilis animantis viſcera, nec avis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium ſine ſuarum partium convenientia, & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo credendus regna hominum, eorumque dominationes & ſervitutes a ſuæ providentiæ legibus alienas voluiſſe.* Legatur & caput VIII. Proverb. a verſu 27. ad 32. & Matthæi VI. iiſdem numeris. Revera creaturæ aut naturali quadam neceſſitate operantur, aut contingenter. Si neceſſitate, connectuntur cum effectis ſtata firmiſſimaque divina diſpoſitione: atque ut Auguſtinus ajebat lib. XIX. ejuſdem Operis cap. 12. *Nihil a legibus ſummi creatoris ordinatoriſque ſubtrahitur, a quo pax univerſitatis adminiſtratur*. Contingentia rurſus aut naturalia ſunt, aut libera. Si naturalia, nutu divinaque ordinatione reguntur: nam, ut inquit Pſ. 148. 8. Regius vates, *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, & Evangeliſta cap. VIII. 27. *venti, & mare obediunt ei*. Si autem agentia libera ſunt, iſta quidem aut bene agunt aut mala. Bona ſunt a Deo dirigente ac movente: mala ſunt a Deo permittente. *Nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inviſibili & intelligibili ſummi Imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem juſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica*. Ita Auguſtinus in ſententiis collectis a Proſpero num. 58.

Objecta quædam e ratione petita, quod contingentibus lex intimari non poſſit, quod careant libertate ac ratione, arbitror eſſe prætermittenda. Dixi enim ſupra æternam legem diverſam habere erga res productas *analogiam*, & reſpectu irrationalium requirendam non eſſe intimationem, aut obedientiam proprie dictam. Sunt tamen e Scholaſticis, qui reponunt his quoque creaturis intimari legem per formam eis inditam, per quam Creatorem ſuum quodammodo ſentiunt, & illi obtemperant. Cetera deprompta ex rebus adverſis, quibus probi viri plerumque jactantur, ex infortuniis, oſtentis, eventibuſque fortuitis, quæ non videntur a divina lege ordinata, quoniam opponi ſolent ab incredulis adverſus Divini Numinis exiſtentiam, atque providentiſſimam univerſitatis adminiſtrationem, in prima horum librorum Parte fuerunt diſcuſſa.

CAPUT IV.

Diſputatur de Jure naturæ primario, & primo quæritur quid ſit, an ſit, & quibus præceptis conſtet lex naturalis.

PROXIME ſequitur, ut pertractet diſſertatio noſtra de naturali lege ſpectante ad conſtitutionem rationabilium; cujus naturam valde affinem eſſe legi æternæ, & unam nihil aliud eſſe, quam alterius tranſcriptionem, ex priori capite, atque ex ſubjectis theſibus comprobatur.

PROPOSITIO I. Lex naturalis eſt ipſius æternæ legis in mente hominum per participationem incommutabilis rationis divinæ facta tranſcriptio.

Hæc definitio traditur ab Auguſtino lib. 83. QQ. q. 53. eamque brevi explanabo. Dicitur *tranſcriptio æternæ legis*; quoniam nullam vim habere poteſt creata natura, quæ ipſi ab auctore ſempiternæ legis non imprimatur. Atque ſecundum hæc priora verba legem naturalem etiam bruta animalia, & creaturæ omnes ſibi habent inſertam. Hinc Plutarchus in Camillo: *Lex* (inquit) *eſt natura, cujus & beſtiæ ſunt participes*. Libanius Declam. 44. *Reverentur & feræ naturam*. Et quidem bruta amoris alicujus, & æquitatis legem tenere commonſtrat Demoſthenes in Olynthiacis ex cultu parentum etiam beſtiis naturaliter indito: & Cicero in Tuſculanis ex cura, qua feræ pro ſuis partubus ita iruſtim, & ungue pugnant, ut vulnera excipiant, nulloſque impetus reformident. Animadvertit in his Caſſiodorus etiam ingeneratum deſiderium adulteria vindicandi. De hac lege cecinit Maro in Georgicis:

Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumque
Et genus æquorum, pecudes, pictæque volucres
In furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.

Quæ tamen cum analogia dicta eſſe, ſupra præmonui.

In conſequentibus verbis exponitur lex naturæ, ut obſtringit homines ratione præditos: quos a Deo lumen rationis, & recte operandi regulam participare, nemo, niſi ratione deſtitutus ſit, in dubium vertit. Nam, ut Auguſtinus ſcribit ſerm. 2. de Verbis Domini: *Quis legem in cordibus hominum ſcribit, niſi Deus?* Sitam vero naturalem legem in participatione rationis, & interiori quadam intimatione, quæ, ut verbis utar Damaſceni lib. 4. de Fide cap. 23., conſcientiam noſtram pertrahit & vellicat, ſcribit eleganter Marcus Tullius in 1. de Legibus his verbis: *Eadem ratio, cum eſt in hominis mente confirmata & confecta, lex eſt*. Ita Maximus Martyr Tom. 5. Bibl. PP. ait: *Lex naturæ eſt ratio naturalis, quæ captivum tenet ſenſum ad delendam vim irrationalem*. Similia docent Ambroſius Epiſtola 70. & D. Thomas 1. 2. q. 94. art. 1. & ſeqq.

Appoſite autem additum eſt hanc rationem divinam a creatura participatam eſſe *incommutabilem*, cum eadem ſit in omnibus exhibeatque unam ſummam, & intimam regulam honeſtatis in ſingulis hominibus, quantumvis aut educatione, aut locorum, temporum, & morum diſtantia diſcrepent ab invicem. De qua re ſatis diſſerui præcedenti libro XVIII. cap. 3. Quod ſi quis petat, quomodo fieri poteſt, ut eadem ratio divina una, ſumma & incommutabilis ſit participata ab omnibus rationalibus creaturis, & tamen ſingulorum mens creata ſit, finita, & mutabilis; reſpondemus cum Auguſtino lib. 14. de Trinit. cap. 15. rationem illam divinam, & legem incommutabilem transferri *in cor hominis non migrando, ſed tamquam imprimendo: ſicut imago ex annulo & in ceram tranſit, & annulum non relinquit*. Mutabilis eſt ergo omnis homo ſubſtantia ſua, ſed habet ſpiritum immortalem, cui tanta indita eſt vis, ut poſſit ſe convertere ad lumen indefectibile veritatis, & ad regulam æquitatis ſummam & immutabilem: quorum primum eſt lux intima veritatis, quam ex Auguſtino non uno in loco explicavimus, alterum lex æterna; utrumque autem ipſe Deus.

PROPOSITIO II. Exiſtit lex naturalis nuper delineata.

Demonſtratur theſis apertiſſimis verbis Apoſtoli ſcribentis ad Romanos cap. 11. v. 14. & 15. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex. Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*. Plura huc ſpectantia collegit Caſſianus Collat. 8. cap. 23. & Alardus Gazæus in Commentariis. Hujuſmodi ſunt, Abelem naturali inſtinctu nondum lege ſcripta mandante didiciſſe Deo ſacrificium de primitivis ovium eſſe offerendum: Noemum munda animantia diſcreviſſe ab immundis nondum hæc legali diſtinguente mandato: Henochum ambulaſſe coram Domino nullam legis præſcriptionem ab aliquo conſecutum: ex lege naturæ didiciſſe Sem & Japhet non revelandam turpitudinem patris ſui: Abrahamum ea lege ductum Sacerdoti decimas obtuliſſe, Loth excepiſſe humaniter hoſpites ac peregrinos, Jobum pertuliſſe hujus vitæ incommoda mirabili manſuetudine. Hæc tamen, & ſimilia memineris accipienda eſſe per excluſionem legis ſcriptæ, non autem divinæ gratiæ: de qua Caſſianus non recte omnino. Huc etiam ſpectant quæ præcedenti propoſitione dicta ſunt. Neque enim arbitror plura eſſe dicenda de veritate, quam ratio ipſa ſuadet. Legis quippe naturalis exiſtentiam demonſtrat ingenitus appetitus virtutis, quæ cum debitum in finem tendat, æternæ legis participatione dirigitur: demonſtrat fuga, & ingenerata abominatio vitiorum: demonſtrat denique perpetuus conſcientiæ ſtimulus, quem naturalem legem appellat Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam: quamquam conſcientia & ſynderesis verſentur circa ea quæ hic & nunc facta aut facienda ſunt ſingulatim, & lex circa commune bonum univerſaliter. Sed quia ab hac lege iniquus deflectit; ideo mala ſibi conſcium depaſcit ſynderesis, latens in pectore fractæ legis teſtimonium: atque ut Juvenalis egregie loquitur,

> . . . . *Quos diri conſcia facti*
> *Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,*
> *Occultum quatiente animo tortore flagellum.*

Eſt igitur naturalis, & uniuſcujuſque cordi inſcriptæ legis argumentum ſingulare ipſa conſcientia hominum univerſorum. Atque ex his conſtat legem naturalem in omnibus eſſe unam, ſingulíſque præſcribere amorem virtutis & vitiorum abominationem: etſi fuerunt, ac ſunt plerique, qui a recta ratione animum avertentes, inhoneſta præferunt honeſtis; quoniam fere belluinis moribus obbrutuerunt, aut vitiatis fermento cupiditatum, ſi quid propines dulciculæ potionis, protinus amareſcit. Hinc etiam colligere poſſumus, cur præcepta legis naturæ fuerint litteris innovata: quod ſane factum eſt, propterea quod ob vetuſtam vitiorum conſuetudinem, idololatriam, novaſque cupiditates cœperat eadem lex deſueſcere. *Quare etiam ſcripta tradita eſt, ut prævaricatores cernerent in Tabulis quod in cordibus non legebant*; ait in Pſalmum 57. Doctorum Aquila.

PROPOSITIO III. Præcepta legis naturæ omnia reducuntur ad duo, ad dilectionem Dei, & proximi.

Arbitror theſim hanc nulla indigere probatione ob apertiſſimam Chriſti ſententiam Matth. XXII. 40. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ*. Sane cum lex naturalis ſit participatio legis æternæ, hæc vero omnia in finem ſuum dirigat; neceſſe eſt, ut in creatura rationali, quæ diligendo in proprium finem tendit, lex naturæ amandi præceptis coaleſcat. Cum ergo, ut Auguſtinus ſcribit in primo de Doctrina Chriſtiana cap. 23. quatuor ſint diligenda, unum quod ſupra nos eſt, alterum quod nos ſumus, tertium quod juxta nos eſt, quartum quod infra nos eſt, & de ſecundo & quarto nulla præcepta danda fuerint; ſequitur in duobus ſpectantibus ad Deum qui eſt ſupra nos, & proximum qui juxta nos eſt, univerſam naturæ legem pendere. Diligendi quippe ſemetipſum ſupervacaneum eſt homini intimare mandatum; primo quia, Auctore Apoſtolo ad Eph. 5. 29. *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit*, ita ut ii quoque, qui dicunt malle ſe omnino eſſe ſine corpore, non corpus ſuum, ſed corruptionem ejus & gravamen odio habeant: & qui illud continentia, & laborioſis operibus exercent, non id agant, ne corpora careant omnino, ſed ne carnali concupiſcentia ſuperbiens animum deprimat, & inolita lege peccati captivet. Deinde quantumlibet homo excidat a veritate, remanet illi dilectio ſui, & dilectio corporis ſui; in qua modum tenere debet, ne placeat ſibi tumore ſuperbiæ; nec opus eſt ut ad hoc addantur præcepto amoris incitamenta. Quod pariter de rebus infra nos poſitis, eam inſit animo pœnalis cupiditas, & inclinatio ad fruendum inferioribus, æquum eſt cogitare. In his ergo, quæ ad dilectionem ſui, bonorumque temporalium pertinere videntur, non eſt opportunum ſtatuere amandi præceptum, ſed amorem ſe a bono incommutabili avertentem cohibendi potius & refrenandi. Atque id præſtant præcepta, quæ dicimus *negativa*, numerum duobus recenſitis minime ſuperaddentia, quoniam prohibent duntaxat amoris vitia, depravatam inclinationem, & conſequentia opera peccatorum. Poſtremo dilectio ſui, rerumque omnium, quatenus licita eſt, præſcribitur his duobus præceptis. Cum enim jubemur amare Deum ſuper omnia, monemur etiam amare propter Deum, quidquid amamus; quod in Auguſtiniana Theologia eſt inhærere tantum bono incommutabili utendo commutabilibus. Quare bona quæque creata ita in uſum ſunt adſumenda, ut quicquid diligendum cadat in animum, non contringat impetum dilectionis, ſed hæc in ſummum bonum, ut rivulus ad fontem pleniſſimum, magis tendat. Ac ſimiliter cum dictum eſt, *Diliges proximum ſicut teipſum*, tui abs te dilectio prætermiſſa non eſt. Dilectio autem proximi erat ſpeciali mandato præcipienda, ne homo ſibi placens aliis appeteret dominari, & tamquam ſibi debitum vindicaret honorem exhibendum Auctori ſuo. Atque proximum diligendum ab homine tamquam ſeipſum ſatis apparet, quod & ipſe in eumdem finem tendat, eamdemque præferat imaginem Creatoris. Quamobrem ſi recte proximum diligimus, hoc cum illo agendum eſt, ut etiam ipſe diligat Deum ſuper omnia. Hanc tibi ex Auguſtino naturalem legem finxi: atque ex hac forma perſpicis optime, illam præcepto duplicis dilectionis comprehendi.

Nituntur hæc duo præcepta prænotionibus naturæ lumine notis. Quarum prima eſt, *Diligendum eſſe bonum, malum autem fugiendum*; altera, quæ ex iſta conſequitur, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Prima omnem Dei dilectionem dirigit, facta inter bonum & bonum comparatione. Facile eſt enim percipere ſummum bonum eſſe ſolum Deum qui ſumme eſt; cetera ab hoc non bonitatem & eſſentiam habere; & quod bonitate careant, hoc malum eſſe. Igitur ſummum bonum cauſſa ſui ipſius, reliqua ſummi boni cauſſa erunt diligenda. Quoniam vero ſummum bonum eſt ſummum eſſe, ideſt, ſumma veritas, ſumma æquitas, ſumma honeſtas: cum malum ſit privatio boni; fugiendum erit mendacium, iniquitas, & turpitudo, & quidquid habet veritatis, æquitatis, & honeſtatis defectum. Atque ex his arbitror te ſatis intelligere, quomodo omnis virtus in genere accepta a lege naturali proficiſcatur, & omne vitium ipſi legi naturali adverſetur. Virtus enim in electione boni, vitium in boni deficientia dignoſcitur. Et quoniam facta bonorum omnium diſtinctione deprehendis proximum habere tecum eamdem cum ſummo bono connexionem; conſurgit præſcriptio alia rationis, ne quod tibi non vis, facias alteri: atque inde promanant præſcripta reliqua ad ſervandam concordiam & publicam tranquillitatem ſummopere neceſſaria. Hæc vero demonſtrant, quænam ſit ſuprema naturalis legis deſcriptio, & norma rationis: quam Scholaſtici principium, & *dictamen* appellavere.

Dictum eſt autem ſpectare ad legem naturalem omnes virtutes in genere: ſunt enim plures, quæ ſpeciatim conſideratæ lege naturali non ſunt præſcriptæ; ut vota a religioſis emiſſa, & virtutes Theologicæ fidei, ſpei, & caritatis. Alioqui dicendum foret omnes qui Evangelii conſilia non ſervant eſſe legis naturæ fractores, & naturalem eſſe Fidem & juſtificationis exordium. Itaque hæ quoque virtutes generatim conſideratæ ad legem naturalem pertinent, quatenus conforme eſt naturali rationi, ut ſi prima veritas aliquod manifeſtet, cum mentiri non poſſit, fidem certiſſimam illi præſtes: ſi promiſſum facit, confidas: ſi ſpiritum dilectionis ſubminiſtrat, caſte diligas; & ſi dederit eligendi

optio-

optionem, id quod lubet haud immemor acceptæ libertatis perficies, quod denique ſponte juraveris, ſtudeas reddere. Atque hæc ad legem naturalem ſpectare tam certum eſt, quam ſummum illud bonum diligendum eſſe ſuper omnia: nam niſi credideris, errorem tuum præfers veritati, & niſi impleveris juramenta, ſummam majeſtatem graviſſima afficis injuria. Quatenus autem eligis vivere juxta conſilia Evangelica; duceris non communi univerſorum hominum ſenſu, ſed proprio & ſingulari: quippe animadvertens tui, rerumque tuarum circumſtantias, arbitraris melius tibi fore, ut ſummum illud bonum aſſequaris, negotiis ſecularibus nuncium mittere; cum aliis videatur utilius uxorem ducere, familiam alere, & nubere potius, quam uri. Ergo conſilia Evangelica ſunt hoc pacto optionis tuæ ac poteſtatis, non præſcriptionis rationiſque communis. Atque ideo conſilia dicta ſunt, quod non ſingulos adſtringant, ſed propoſita ſint quid magis expediat conſultantibus. Fides denique, Spes, & Caritas ſupernaturales dicuntur, in quantum poſtulant divinæ gratiæ adjutorium, ordinemque naturæ ſupergrediuntur, ſive conſiderata naturali arbitrii poteſtate, ſive ſubſtantia & magnitudine rerum non apparentium.

CAPUT V.

Quæritur an lex naturalis poſſit immutari, habeatque in ipſa locum Epikeja.

TRIBUS modis contingit legem aliquam immutari, abrogatione, ſubtractione, atque diſpenſatione. Abrogatio eſt legis, quoad præcepta & vim obligandi, diſſolutio: ſubtractio eſt præceptorum legis immutatio quædam, & coarctatio: diſpenſatio denique eſt a lege, quæ integra permanet, aliquorum exemptio. His accedit Epicheja, quæ juxta ſignificationem Græci vocabuli ſignificat *æquitatem*: ſed recepta ſermonis conſuetudine, nihil eſt aliud, quam legis interpretatio, aut declaratio. Preſſe etiam ac ſtricte accipitur Epichaja pro tali declaratione, qua judicium fertur, legem pro omnibus latam, aut quæ poſſet pro legiſlatoris habitu omnes obſtringere, in peculiari aliquo caſu deficere, ut quando interpretamur ad quoſdam ægrotos præceptum non pertinere jejunii.

Circa autem diſpenſationem obſervandum eſt, propriam tunc eſſe, cum materia legis, ſive id, circa quod lex verſatur, idem perſeverat, ita ut lex deſinat obligare eos duntaxat, quod ſit in poteſtate legiſlatoris auferre vim obligandi. Atque hoc pacto diſpenſari dicitur Religioſus a Choro, civis a ſolvendis vectigalibus, gregarius miles ab agendis excubiis, cum peculiari Superioris, Principis, & Imperatoris beneficio a communi, qua tenerentur, lege ſervanda excipiuntur. Interdum tamen contingit, ut in his actibus, qui jure naturæ conſtituuntur, quædam diſpenſationis ac mutationis imago fallat incautos, quando ſcilicet, non ipſius legis præſcripta immutantur, ſed ipſa res, circa quam jus naturæ verſatur, recipit mutationem. Sit in exemplo: ſi Deus quemdam occidi præcipiat, aut rem alienam auferri, non ideo licitum fit homicidium & furtum, nec diſpenſatur in lege, *Non occides, non furaberis*; ſed aufertur horum præceptorum materies, ſive actus prohibitus his præceptis, non enim homicidii aut furti ſcelus eſt, quod perficitur auctoritate ac præſcripto Domini vitæ, & rerum omnium ſupremi. Similiter dum creditor in acceptum refert, non tenetur debitor ſolvere, non quod jus ſolvendi debitum diſpenſetur, ſed quoniam deſiit pecunia, quæ debebatur, deberi. Atque hæc diſpenſatio orta ex circumſtantiis & mutatione rerum, improprie, & ſermonis analogia, ut liquet, dicitur diſpenſatio. De hac vero diſpenſationis imagine arbitror loqui nonnullos Juriſperitos, qui docent non tantum Deum, verum etiam Papam diſpenſare contra Jus naturale, ut habet Gloſſa 2. p. Decreti cap. 1. q. 7. cap. *Auctoritatem*. Quare horum placita minime præſidio ſunt opinioni Scotiſtarum affirmantium diſpenſari a Deo in præceptis ſecundæ Tabulæ. Ut enim ſcribit, conſentientibus ceteris, Barboſa lib. 1. Juris Eccl. Univ. cap. 2. num. 155. *Jus quidem naturale immutabile eſt, ut habetur* §. Sed naturalia, *& prima hujus juris præcepta firmiſſima ſemper manent, ſed in particulari recipiunt mutationem ob rerum circumſtantias, quo in caſu poteſt Pontifex diſpenſare*. Juriſperiti ergo loquuntur de diſpenſatione impropria dicta, quam ſupra delineavi: & fruſtra illorum nonnulli Scholaſticorum ſcita verborum abuſione confodiunt.

PROPOSITIO I. Lex naturæ per abrogationem, aut ſubtractionem mutari non poteſt.

Demonſtratur prior pars. Lex enim æterna, Auctore Auguſtino lib. 1. de lib. Arb. cap. 6., variari omnino non poteſt; lex autem naturalis nihil eſt aliud, quam legis æternæ in humana mente tranſcriptio. Eſt ergo per legem naturalem nobis inſcripta actuum humanorum ratio & regula invariabilis. Deinde nequit lex naturæ a rationalium creaturarum mente deleri. Sunt namque rationales creaturæ mente, & diligendi facultate eſſentialiter præditæ. At lex naturæ ab ipſa ratione indiſtincta eſt: unde Auguſtinus Conc. 25. in Pſ. 115. ait: *Sine lege naturali eſſent, ſi præter naturam generis humani eſſe potuiſſent*. Igitur ut ratio, ita lex naturæ nequit abrogari. Præterea naturalis appellatur lex iſta, quod ab ipſa natura, rerumque ſubſtantia non diſcrepet. Rurſus, nefas eſt rectæ rationi in moribus repugnare. Si autem abrogaretur lex naturalis, fas eſſet agere adverſus rectam rationem, quoniam recta ratio, & lex naturalis eadem res eſt. Igitur lex naturalis ſcindi, atque diſſolvi non poteſt. Atqui ex his etiam probatur propoſitionis pars altera. Enim vero ſi præcepta naturalis legis varientur ac minuantur, neceſſe eſt ordinem naturalem rerum, qui his præceptis diriguntur, pariter immutari. Quod pugnat apertiſſime cum lege æterna, ut liquet ex præclara ſententia Auguſtini ſcribentis adverſus Fauſtum, *Lex æterna eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*. Nequit ergo legi naturali ſubtrahi præceptum aliquod.

PROPOSITIO II. Neque Romanus Pontifex poteſt diſpenſare, ne obſervetur lex naturalis.

Privatum hominem non poſſe a naturali lege quemquam diſpenſare, aperta ratio commonſtrat. Quiſquis enim legi ſubjicitur, poteſtatem in ea diſpenſandi non habet, cum diſpenſatio ad Legiſlatorem ſpectet, non ad ſubditum. Sed quilibet privatus homo naturali legi ſubjicitur, propterea quod quicumque ſine lege ſcripta peccant, ſine hac pereunt, ob tranſgreſſionem legis quam habent ſcriptam in corde, ut ſcribit Apoſtolus ad Rom. cap. 11. verſu 12. Igitur nemo privatus aut ſe, aut alium ab obſervantia legis naturalis poteſt eximere. Probatur ergo de Romano Pontifice. Ac primo is quoque naturali legi ſubjicitur. Deinde cum hujus auctor ſit ſupremus naturæ Conditor, gerit adhuc Eccleſiæ Rector in his, quæ ſpectant ad legem naturæ, perſonam inferioris. At inferiorem non poſſe a lege quemquam eximere, indubitatum eſt, & habetur in Clementina cap. *Romani*, de Elect. Ulterius ubinam legimus collatam a Deo fuiſſe Romano Pontifici poteſtatem ſupra invariabilem naturæ legem? Inſuper Pontifex diſpenſare non poteſt a lege Divina: nam, ut habetur in cap. *Sunt quidam*, ſi quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ deſtruere, quod abſit, niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur. Similia habentur in cap. *Statura*. Atqui lex naturæ non minus indiſſolubilis eſt, ac ſit ea, quam Prophetarum, & Apoſtolorum ſcripta comprehendunt. Igitur ad diſpenſandum a lege naturæ non ſe extendit ſuprema Romanorum Pontificum auctoritas. Tandem, ut mox dicturus ſum, nec Deus poteſt diſpenſare ſupra legem naturæ: multo minus Pontifex.

Oppones primo maximam Pontificis auctoritatem, ad quam ſpectat proculdubio poteſtas collata Petro, ampliſſima Domini largitione, *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Adde commune apud Juriſprudentes pronunciatum: *Papa habet jura omnia in ſcrinio pectoris ſui*. Ad hæc: ad jus naturæ pertinet, ut Epiſcopi & Paſtores proprio gregi incumbant; & nihilominus diſpenſat Papa ſuper Epiſcoporum reſidentiam. Idem de votis ac juramentis dicendum eſt, quæ Papa diſſolvit, etiamſi poſtulet lex naturæ, ut reddantur promiſſa, maxime firmata jurejurando. Accedit diſpenſare aliquando Papam ne teneat vinculum matrimonii, quod eſt naturali lege indiſſolubile. Demum neque verum eſt jus naturale eſſe immutabile: nam de jure naturæ ſunt communio bonorum, libertas, & mandatum de re aliena non auferenda: in quibus diſpenſatum eſt, ut liquet ex cap. *Quo jure*. L. Manumiſſiones. ff. de Juſt. & Jure. L. Libertas. ff. de Statu liberi, &c.

Reſp. ad 1. Papam poſſe omnia ſolvere, dummodo rectiſſimo univerſorum ordini non adverſentur, ideoque ſervata, non immutata lege naturæ. Alioqui poſſent Romani Pontifices, ſi verbum illud *Quodcumque* pugnantia complecteretur, eximere etiam a diligendo Deo, ac proximo, & facultatem facere perpetrandi omne ſcelus. Habet autem in ſcrinio pectoris ſui jura omnia primo quoad interpretationem, deinde quoad amplitudinem poteſtatis, per quam & ceteros homines antecellit, & diſpenſare poteſt ubicumque habeat locum diſpenſatio. Addunt Juriſconſulti cauſſam alteram, quia poteſt æquitatem juris rigori præferre. Ad exempla in contrarium allata, reſponſio ſit, reſidentiam Epiſcoporum eſſe de jure naturæ, quando illorum præſentia & vigilantia ovibus neceſſaria eſt, quando neque per adminiſtros ſuppleri, & quando ad propriam diœceſim accedendi datur illis poteſtas. Atque his poſitis nego poſſe Papam largiri facultatem Epiſcopo derelinquendi gregem ſibi commiſſum. Quod attinet ad vota, & juramenta, Papa in his non diſpenſat, itaut ſtante voto & juramento eximat a reddendis promiſſis; quæ eſt, ut diximus, vera diſpenſatio: ſed diſpenſat *improprie*, vel declarando in quibuſdam circumſtantiis vota & juramenta nequaquam tenere, nec promiſſionem ab iis qui voverunt, & jurarunt eſſe exigendam: vel ob ponderoſam, graviſſimamque cauſſam ſuprema, qua pollet, auctoritate, condonando debitum ortum ex voto & juramento, tanquam miniſter & Vicarius Dei creditoris: qua condonatione facta immutatur voti & juramenti materia, & locum habet ea diſpenſationis imago, quam ſupra explicavi comparatione mutui, quod debitor reddere non tenetur, quando a creditore in acceptum refertur, nec tamen diſpenſatio ulla eſt; quoniam ut ſcribit Arrianus in Epicteto, *non ſufficit, ut debeatur pecunia datam eſſe mutuam,*

ſed oportet ut & maneat adhuc indiſſoluta mutui obligatio. Matrimonium vero, ſi ratum ſit, conſummatum, & ſtata præſcriptione contractum, non ſolvit Pontifex quoad vinculum, ſed tantum quoad thorum & cohabitationem. Eſt autem hoc pacto diſſolubile cum ob adulterium, tum ob lapſum alterius conjugis in hæreſim, nec non ſi ad turpia maritus provocare non deſiſtet uxorem. Si autem ſit ratum duntaxat, dantur caſus, in quibus matrimonium etiam quoad vinculum poſſit diſcindi, nec indiſſolubile eſt lege naturæ, ſi ob commune aliquod bonum divina, & Eccleſiaſtica auctoritas duxerit eſſe ſolvendum. Verum de hic alibi. Ad exempla poſtremo loco producta ad probandum legem naturæ eſſe mutabilem, communis eſt Theologorum reſponſio, diviſionem bonorum, ſervitutem, aliaque hujuſmodi non eſſe contra jus naturale poſitivum, ſed negativum, ideſt, nullum eſſe præceptum illa prohibens, etſi nec aliquod eſt, quod præcipiat. De qua reſponſione plura Franciſcus Suarez lib. 2. de legibus cap. 14. At ego reſpondeo, bonorum communionem, libertatem, manumiſſionem, & id genus reliqua, non eſſe juris naturalis *ſimpliciter*, quatenus idem jus reſpicit inſtitutionem & rectum naturæ ordinem, ſed eſſe juris naturalis pro certo rerum ſtatu; quo immutato ipſa lex naturalis præſcribens ut omnia ſint ordinatiſſima, poſtulet ut dividantur bona, quæ, priuſquam introducta eſſent dominia, debebant eſſe communia. Atque ita de ceteris ad certam rerum conditionem pertinentibus.

PROPOSITIO III. Ipſemet Deus in nullo præcepto naturalis legis proprie diſpenſare poteſt.

Sequitur ex præcedentibus: ſi enim lex naturalis per omnia legi æternæ conſentanea eſt; qui poteſt unam immutare, poteſt & alteram. At Deus nequit æternam legem, ſuam ſcilicet rationem ac providentiam pervertere. Ergo nec mutare per diſpenſationem legem naturæ. Deinde probatur communi hac argumentatione. Differunt præcepta legis naturalis a præceptis legis poſitivæ, quod illa ipſa natura rerum conſtituuntur, hæc vero libera legislatoris voluntate poſita ſunt. At quæ ex ipſa rerum natura prodeunt, neceſſaria ſunt, atque ea ſuppoſitione naturæ conditæ prorſus immutabilia, quemadmodum ea, quæ pendent ex aliorum arbitrio, ſunt contingentia, & obnoxia mutationi. Sunt ergo præcepta legis naturæ perenni immutabilitate fixa atque perpetua. Quæ argumentatio confirmatur primo, quoniam quicquid prohibet lex naturæ, eſt natura ſua & intrinſece malum, & quicquid præcipit, eſt natura ſua & intrinſece bonum: quod ſane ipſa naturalis legis notio manifeſte declarat. At Deus non poteſt imperare quod ſuapte natura malum eſt, ut odium, mendacium, blaſphemiam: neque poteſt prohibere quod intrinſece ſuaque natura bonum eſt, ut juſtitiam, pietatem, religionem. Si enim illa præcipere, hæc prohibere poſſet, poſſet etiam agere quæ cum ſumma æquitate ac ſapientia, atque cum eſſentia creaturæ rationalis depugnant; atque ita poterit mentiri, poterit ad peccatum impellere, poterit in naturam ferarum vertere naturam humanam. Simile eſt quod ſequitur. Præcepta legis naturalis alia ſunt affirmativa quæ recta opera imponunt, alia negativa quæ prohibent perverſa & iniqua. Atqui Deus non poteſt diſpenſare in iis quæ recta ſunt, alias diſcinderet legem æternam, quæ vult ut omnia ſint ordinatiſſima, neque in iis, quæ ſunt inhoneſta & iniqua, alias permitteret ut peccaremus impune, & probaret quod turpe & vitioſum eſt. In nullo ergo naturæ præcepto poteſt Deus diſpenſare. Eo etiam pertinet inſequens. Adverſariorum complures fatentur Deum non poſſe diſpenſare circa mendacium, eo quod ſit intrinſece malum. Cur autem mendacium intrinſece malum eſt, niſi quia æternæ legi adverſatur? Quod enim incommutabili legi non repugnat, malum eſſe non poteſt; cum malum ſit, quod ab ea lege deflectit. Eapropter mendacium hac etiam ratione eſt intrinſece malum, quoniam contrarium eſt legi naturali, & ſempiternæ legis in mente hominum tranſcriptioni. Quam naturalem legem & participationem æternæ ſi tollas, nihil adinvenies quod intrinſece malum ſit, quia nihil rationi & æquitati adverſabitur. Cur enim bruta rapiendo & dilaniando non peccant, niſi quia ſunt deſtituta ratione? Ut ergo ablata lege naturali non foret aliqua in mentiendo malitia; ita poſita lege naturali prohibente homicidium, adulterium, & furtum, neceſſum eſt ut hæc ſint intrinſece mala, quoniam rectæ rationi opponuntur. Quamobrem ſicut in mendacio, ita in homicidio, in adulterio, in furto, & in quolibet actu a naturali lege prohibito Deus diſpenſare lege perſeverante ac materia immutata non poteſt.

AD EA, QUÆ OPPONUNTUR, RESPONSIO.

Reducuntur ad tria genera contrariæ argumentationes, quarum aliæ ex ſacris literis depromuntur, aliæ ex D. Bernardi libro De præcepto & diſpenſatione, reliqua ſunt Scoti, Durandi, & Ochami Epicheremata. Ex Scripturis petuntur iſta. Cum Deus tradatur unum maſculum & unam duntaxat fœminam condidiſſe, prima connubia inter fratres ſororeſque neceſſum eſt interfuiſſe. Matrimonium autem inter fratrem ac ſororem naturali lege inhibetur. Filii ergo filiabus Adæ germanis ſororibus divina diſpenſatione ſunt conjuncti. Deinde Polygamia, ſive uxorum pluralitas legi naturæ contraria eſt: & in hoc tamen fuit cum Patriarchis Abrahamo, Jacobo, & aliis divina auctoritate diſpenſatum. Inſuper, cum nunc Abrahami meminerimus, nonne huic præcepit Dominus, ut filium unigenitum immolaret? quod naturali legi non tantum repugnat ob mortem innocentis omni jure prohibitam, verum etiam ob naturalem amoris paterni inclinationem, cui contraire perinde eſt ac legem naturæ diſrumpere. Nec deſunt exempla id genus plurima. Diſpenſavit enim Deus cum Iſraelitis, ut per dolum commodato peterent ab Ægyptiis vaſa auri, & argenti, animo eadem ſubripiendi. Diſpenſavit cum iiſdem filiis Iſrael, ut cum alienigenis fœnerarentur, ideſt, exercerent uſuram. Diſpenſavit pariter, ut matrimonium, cujus vinculum lege naturali indiſſolubile eſt, dato uxoribus libello repudii diſſolverent. Ad hæc permiſit obſtetricibus Ægyptiis, ut in gratiam Hebræorum callide mentirentur, ipſarumque mendacium ædificatione domorum ſplendide decoravit. Oſeæ etiam mandavit, ut ſumeret ſibi uxorem fornicationum, & ex ea filios fornicationum progeneraret. Demum etiam ſuper obſervantiam Sabbati lege ipſa naturali præſcriptam diſpenſatum eſt cum omnibus Chriſtifidelibus. Atque hæc ſunt rerum eventu, & ſacrarum hiſtoriarum narrationibus comprobata.

Reſp. nullam in allatis exemplis propriam deprehendi diſpenſationem, ſed vel nullam prorſus, vel eam, quæ eſt cum immutatione materiæ. Et revera quod attinet ad matrimonium inter fratres ſororeſque germanas, Cajetanus exiſtimat poſſe Papam in urgentiſſimo caſu diſpenſare, nec lege naturali, ſed Eccleſiaſtica cautum eſſe, ne ſorores nubant fratribus. Verum quidquid ſit de hac opinione Cajetani; dicimus iſtiuſmodi matrimonium repugnare legi naturæ, non ſimpliciter & abſolute, ſed pro certo rerum ſtatu, & multiplicato genere humano: nam ſuppoſita unius viri cum ſua conjuge conditione, ut creſcerent, & poſterorum propagatione multiplicarentur, neceſſaria fuerunt aliquorum hominum ſponſalia cum fœminis uno utero progenitis, ſibique arctiſſimo conſanguinitatis vinculo conjunctis. Idem dicendum de Polygamia; conſtituto enim certo rerum ſtatu, ideſt, ſtatuto fœdere, & facta promiſſione multiplicandi populum fidelem, non ſolum promulgatione legis, verum etiam propagatione ſeminis, quomodo multiplicari debebat populus Judæorum, jam erant exiguo Patriarcharum numero plures uxores jungendæ. Sunt tamen qui reſpondent polygamiam ſolo jure Eccleſiaſtico vetitam eſſe: nec deſunt, qui reponant non eſſe diſpenſationem propriam, ſed mutationem rerum, quando vir uni mulieri copulatur a ſupremo Domino accipit poteſtatem diſponendi de ſuo corpore per novum contractum, non diſſoluto priori. Cum Abrahamo diſpenſatum non eſt, ut impune occideret, ſed præclarum ſumptum eſt de ipſius obedientia experimentum. Enimvero, cum Deus ſit vitæ hominum ſupremus Dominus, eo jubente, qui occidit non legem frangit, ſed Domino obtemperat. Nam prohibemur tantummodo occidere privata auctoritate. Quare Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 73. inquit, *Quædam facta lex æterna, quæ ordinem naturalem conſervari jubet, perturbari vetat, medio quodam loco poſuit hominibus, ut in eis uſurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis autem obedientia jure laudetur. Tantum intereſt in ordine naturali, quid a quo agatur, & ſub quo quiſquam agat. Abraham ſi filium ſponte immolaret, quid niſi horribilis & inſanus? Deo autem jubente, quid niſi fidelis, & devotus apparuit?* At fecit, inquis, Abraham contra inclinationem naturalem. Ita eſt. Sed naturalis inclinatio conjuncta eſt cum ratione demonſtrante, quod magis Deo obtemperandum ſit, quam humanis affectibus. Alioqui martyres dum pro Religione occubuerunt, quoniam non ſine naturæ ingenito horrore cum tetra morte luctati ſunt, naturalem legem fregiſſent. Addunt aliqui temperatam paterni animi amaritudinem firmiſſima fide, qua crederet poſt immolationem filium divinitus ſurrecturum. Cujus fidei argumentum eſt antiqua & repetita promiſſio, *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli*, & quæ ipſe Abraham dixerat pediſequis, *Expectate hic: Ego & puer, poſteaquam adoraverimus, revertemur ad vos.*

Franciſcus Hennus inſignis Scotiſta nequit veritati acquieſcere. Potuit Abraham (inquit) filium immolare, quia id fecit auctoritate divina. Sed hæc eſt vera & propria diſpenſatio. Ergo &c. Probat minorem. Si quis ex ſuperioris licentia non jejunet, vel in die feſto operetur, dicitur diſpenſari, quoniam facit auctoritate publica quod non poterat privata. Ergo pariter Abraham, qui filium immolavit auctoritate publica, non privata, a lege naturali dicitur diſpenſatus. Reſp. falli celebrem Scriptorem imagine diſpenſationis. Nam in allatis exemplis non variatur materia præcepti, quæ immutatur præſenti in caſu, cum occidere jubente Domino & judice nullatenus prohibeatur præcepto non occidendi. Unde Magiſter Guerrerus Tom. 1. p. 228. recte animadvertit Scotiſtas nobiſcum pugnare logomachia, ut vidit etiam Maſtrius illorum antesignanus.

Sed revertendo ad ſacrarum hiſtoriarum exempla; furtum eſt rei alienæ fraudulenta compilatio, quæ fit Domino invito. Non ergo Hebræi vaſa aurea & argentea Ægyptiis

ſubri-

ſubripuerunt, ſi facta a ſupremo Domino poteſtate ea expilarunt. Hac in re debemus fraudulentiam ac circumventionem a non reſtitutione diſtinguere. Nam Deus filiis Iſrael non præcepit ut deciperent Ægyptios, ſed tantum, *ut poſtularet vir ab amico ſuo, & mulier a vicina ſua vaſa argentea, & aurea*, Exodi xi. 2. quod inter familias in conviviorum apparatu, ſolemnibuſque nuptiarum probat commendatque conſuetudo. Qua in re, ſi fallacia interfuit, Ægyptii deceptione digni erant, & populus Iſrael pro illa ætate generis humani erat adhuc in tali morum gradu conſtitutus, ut non indigne hoſtem deciperet, Deo pro illorum cupiditate permittente, ut Auguſtinus ſcribit Quæſtionum 83. tertia & quinquageſima. Atque hæc ita accipienda ſunt, ut Deus neque per ſe, neque per alium mentiatur, quomodo diximus in 2. libro primæ partis, ſed permittat tantum capi pernicioſa fraude ſceleſtos; nam cum mentiri, & circumvenire aliquem ſit natura ſua indecorum ac turpe, nequit, ut Adverſarii fatentur, divina diſpenſatione committi. Cur autem noluerit Deus, ut petita vaſa redderentur, cauſſam reddit eo loco Auguſtinus, quoniam *mercedem diuturni laboris atque operis non injuſtam Deus eſſe voluit*. Addit lib. 22. contra Fauſtum cap. 71. Ægyptios fuiſſe ſacrilegos & iniquos, nam & auro illo, hoc eſt Dei creatura mala utentes ad Creatoris injuriam ſuis idolis ſerviebant: atque concludit, ſive illa fuerit cauſſa, ſive quælibet alia, *nec fruſtra, nec inique dictum eſſe, nec licuiſſe Moyſen aliter, quam Deus dixerat, facere, ut penes Dominum eſſet conſilium jubendi, penes famulum autem obſequium peragendi*.

Quod proximo loco ſequitur nullius eſt momenti, ſive dixeris Deum permiſiſſe quidem Iſraelitis temporalium bonorum cupidiſſimis, ut alienigenis darent fœnori, ne contribules ſuos uſurarum exactionibus exhaurirent; nullatenus iniquos *anatociſmos* probaſſe: ſive dixeris uſuram illam fuiſſe ob damna Iſraelitis illata prorſus licitam, docente Ambroſio in lib. de Tobia, *Sine gladio ſe de hoſte ulciſcitur, qui fuerit uſurarius exactor inimici, ubi enim jus eſt belli, ibi eſt jus uſuræ*: ſive denique dixeris auctionem fœnoris ad filios Iſrael ſpectaſſe titulo donationis ſibi factæ a Domino juſtiſſimo bonorum omnium diſtributore.

Dare autem uxoribus libellum repudii, non eſt matrimonium ſolvere quoad vinculum, ſed quoad thorum, cum poſſint repudiatæ uxores abſque novo contractu ad maritales amplexus redire, & ſi aliis nubant ſe mœchiæ crimine polluant. Moſes vero permiſit libellum repudii etiam ob alia præter fornicationem crimina, ob duritiam Iſraelitarum, ut fœminæ ſe facilius continerent, & viri, quas odio haberent, non interficerent. Quæ fuit permiſſio, providuſque conceſſus, non alicujus mandati præſcriptio. Vide Matth. xix. v. 8.

In obſtetricibus Ægyptiis debemus diſtinguere a mendacio pietatem. Nam ut S. Pater docet quæſt. 1. ſuper Exodum, *Aliud faciebant obſtetrices vivificando infantes parvulos, aliud Pharaoni mentiendo. In illis vivificandis opus miſericordiæ fuit: mendacio vero illo pro ſe utebantur ne noceret illis Pharao, quod potuit non ad laudem, ſed ad veniam pertinere*. Itaque illarum pietati Deus rependit mercedem, non autem mendacio. In quo cum Deus, conſentientibus adverſariis, diſpenſare non valeat, nullum hinc poſſunt depromere pro ſua aſſertione argumentum.

Ad Oſeam quod attinet, reſpondet S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8. *non fuiſſe mœchatum, quia acceſſit ad eam quæ ſua non erat ſecundum mandatum divinum*. Sed arbitramur, idem eſſe, *vade, ſume tibi uxorem fornicationum*, ac, *deduc in domum tuam mulierem meretricem*; atque idem eſſe, *fac tibi filios fornicationum*, atque, *fac per adoptionem filios tuos, ſpurios illos & nothos, quos mulier illa per illicitos concubitus genuit*. Ita Auguſtinus lib. 22. adv. Fauſtum cap. 80. ſcribens: *Quid enim adverſum clementiæ veritatis, quid inimicum fidei Chriſtianæ, ſi meretrix relicta fornicatione in caſtum conjugium commutetur?* Leonardus Vanroy de lege nat. cap. 3. ad 6. & Aurelius Piette de legib. q. 1. inquiunt, filios ab Oſea procreandos appellari filios fornicationum quia erant ex matre, quæ antea fuerat fornicata. Horum reſponſioni illuſtrandæ addo exemplum mulieris, quæ appellatur *Os* in Geneſi ubi legitur, *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, & colubri, qui dicitur virga in Exodo, ubi habetur, *Devoravit virga Aaron virgas eorum*, quia ſcilicet & mulier fuerat os viri, & coluber fuerat virga. Sed revera de filiis ſpuriis & adoptandis ſermo eſt, ut liquet ex verſione Græca, Syriaca & Arabica, & maxime ex Hebræo codice, qui habet, *Vade, accipe tibi uxorem fornicationum, & filios fornicationum*: atque ita legit Hieronymus, & alii divinarum Scripturarum peritiſſimi. Accedit figuræ ſacramentum expreſſum: ſignificabat enim conjugium Prophetæ cum muliere fornicaria, & deductio filiorum procreatorum ex concubitu meretricis, converſionem ad Chriſtum Eccleſiæ Gentilium, & idololatrarum in incredulitate natorum. Inepte autem cum ceteris Novatoribus Salomon Glaſſius in Tract. de ſtyli ſancti verecundia ſect. viii., *Relinquat Bellarminus* (inquit) *hic verſionem ſuam vulgatam, eamque ad purum, & caſtum fontem exigat*. Ipſe enim Glaſſius lib. v. de Metonymia pag. 1443. demonſtrat verbum *facere* idem eſſe frequentiſſime, ac *lucrari & acquirere*, ut Geneſ. xii. 5. xxx. 3. & Matth. xxv. 16. juxta hebræam, græcamque literam. Imo latiniſſima *facere filium* potius eſt adoptare, quam gignere, ut in Theſauro Ciceroniano Nizolius verbo *adopto*. Prætermitto reſponſionem illorum, qui poſt Maimonidem contendunt hæc Oſeæ contigiſſe in viſione, & eſſe tropice accipienda, eo quod turpe ſit uxorem ducere meretricem. Auguſtinus enim figmentum illud explodit, atque ut figuris aliis quamplurimis, potuit etiam hoc matrimonio exprimi Judæorum reprobatio. Priorem ergo reſponſionem, quam tradidimus, adhibeto: nam filii per Oſeam geniti excidium Synagogæ, ac pœnas Tribuum Iſrael repræſentabant, adoptati autem ex alienis Eccleſiam ex peccatoribus congregandam.

At, inquis, S. Thomas, & S. Bernardus mox laudandus non alia ratione Oſeam a peccato excuſant, niſi quia acceſſit ad mulierem impudicam, vulgatumque ſcortum, Deo mandante. Ad hæc reſpondent Theologi, Oſeam Dei juſſu matrimonium iniiſſe abſque præmiſſo contractu, Domino transferente dominium corporum; qua in re peccaſſet, niſi præceſſiſſet divinum præceptum; quoniam accedere ad mulierem, abſque præcedente vinculo contractus, fuiſſet aliat turpiſſimum. Addunt alii vetitum fuiſſe lege poſitiva ne Sacerdotes aut Prophetæ uxorem ducerent ſcortum, vel mulierem repudiatam a marito: atque in hoc fuiſſe cum Oſea diſpenſatum. Verum utraque reſponſio valde eſt ambigua. Prima quidem, quia gratis aſſeritur Oſeam prætermiſſis matrimonii conditionibus neceſſariis duxiſſe mulierem: cui etiam vel divinum præceptum vir patefecit, aut ignaram, nec opinantem ſibi deſpondit: hoc verum non arbitror; nam inceſtuoſum concubitum patraſſet mulier fraudulentia mariti: quod ſi illa fornicariæ Dei juſſa manifeſtavit, profecto etiam ſcorti conſenſum extorſit, nec deſuit conventio. Ac reſponſio altera valet utique de Levitis & filiis Aaron, ut habetur Levitici cap. xxi. v. 7. non conſtat Oſeam fuiſſe ex genere Sacerdotum. Itaque reſpondemus probabilem eſſe allatam ex D. Thoma & Bernardo doctrinam, ſed præferendam ſuperius traditam ex Auguſtino, *quam Theologi* (inquit Habert Tom. 3. pag. 564.) *communiter amplectuntur*.

Præceptum denique de ſanctificando ſabbato partim naturale eſt, partim vero cæremoniale. Eſt naturale quatenus præſcribit cultum Deo exhibendum, & aliquod tempus, in quo rebus divinis vacandum eſt, & æternæ ſaluti proſpiciendum. Eſt autem cæremoniale in quantum præcipit, ut hæc fiant certo hebdomadæ die, atque ſtatutis religionis pietatiſque exercitiis. Etenim Deum colendum eſſe, & elaborandum ut memoria non excidant ipſius beneficia, ipſa natura proclamat: quod iſtud fiat aut uno genere ſacrificiorum, aut una integra ſtataque die, poſtulant temporum rerumque adjuncta. Igitur quemadmodum diſpenſatum non eſt in ſacrificiis ad primum Decalogi præceptum pertinentibus, ex quo multiplicibus cruentiſque ſucceſſerit unicum & incruentum: ita nec diſpenſatum eſt circa ſanctificationem feſtorum, ex quo pro die Sabbati Dominica fuerit ſubſtituta. Et olim quidem Sabbatum colebatur ob ſingulare beneficium creationis, & requiem Domini ab omni opere, quod patravit. Poſtea illuſtrata Dominica die reſurrectione Salvatoris, adventu Spiritus ſancti, aliiſque beneficiis a ſexta Synodo connumeratis, placuit Sabbato præferre Dominicam, in qua etiam univerſarum rerum conditio habuit exordium. Atque ita inviolata permanet lex naturæ, etiam cæremoniis & ritibus abrogatis.

Ex Sancto Bernardo poteſt conſequens promi argumentum. Melliſluus doctor in libro de Diſpenſatione cap. 2. *neceſſarium* diſpeſcit in *ſtabile*, *inviolabile*, & *incommutabile*. *Stabile* appellat quod ita eſt neceſſarium, ut non cuilibet hominum illud immutare fas ſit, ſed ſolis diſpenſatoribus myſteriorum Dei, ideſt, præpoſitis: atque hoc tribuit Regulis Monachorum, & Eccleſiaſticis inſtitutis. Neceſſarium autem *incommutabile* appellat 3. capite, quod divina æternaque ratione ita firmatum eſt, ut nulla ex cauſſa poſſit vel ab ipſo Deo aliquatenus commutari: ſub quo genere ſtatuit ſpiritualem traditionem ſermonis Dominici in monte, & quidquid de dilectione, humilitate, manſuetudine, ceteriſque virtutibus in novo ac veteri Teſtamento traditur obſervandum. Itaque *inviolabile*, quod inter *ſtabile*, & *immutabile* mediat, eſt illud, quod niſi a Deo mutari omnino non poteſt. In hoc autem ſecundo genere comprehendit legis ſcita, ut, non occides, non mœchaberis, non furtum facies: *quæ* (inquit) *etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo ſolvere aut licuit, aut licebit: Dominus autem horum quod voluit, & quando voluit ſolvit, ſive cum ab Hebræis Ægyptios ſpoliari, ſive quendam Prophetam cum muliere fornicaria miſceri præcepit*: Quibus manifeſtum eſt S. Bernardum admittere in præceptis ſecundæ tabulæ diſpenſationem.

Reſp. hunc nodum ſolvi, injiciendo (ut phraſi utamur Bernardi) teneros ungues; nam diſpenſationem circa furtum, homicidium, fornicationem, & reliqua legis ſcita appellitat eam, qua auctoritate imperantis materia naturalis legis ſubvertitur. Quod primo demonſtrat exemplum a Bernardo productum de Ægyptiis & fornicaria muliere; quod factum excuſari docet auctoritate Domini. At quod

ſubripitur ſupremi Domini auctoritate, furtum non eſt: ſicut nec fornicatio accedere ad quamcumque mulierem ex divino mandato, ut inquit S. Thomas 1. 2. q. 94. art. 5. ad 2. Nam furtum alienæ rei contrectatio eſt, & mœchia mulieris, cujus non dominaris, compreſſio. Ergo transferente dominium Legiſlatore ſupremo, jam contrectas quod tuum eſt: & propterea excuſaris a peccato, ut Bernardus loquitur, *auctoritate imperantis*. Atque hoc Doctor ipſe probe declarat. Nam quidquid *de dilectione*, *humilitate*, *manſuetudine*, *ceteriſque virtutibus tam in novo, quam in veteri teſtamento obſervandum traditur*, ſpectat ad neceſſarium *incommutabile*, quod nulla ex cauſa poteſt vel ab ipſo Deo aliquatenus immutari. At ſi occidas hominem, cujus vitæ poteſtatem non habeas, ſi rem ſubripias alienam, ſi ad ſcortum accedas; dilectionis, manſuetudinis, juſtitiæ, honeſtatiſque virtutem proſternis. Ut ergo hæc facias, neceſſarium *immutabile*, auctore Bernardo, omnino non patitur. Quamobrem inviolabilia, non immutabilia dicantur, in quantum divina auctoritate fieri poteſt, ut nulli virtuti repugnent; quod fieri non poteſt, niſi ſimul fiat juris tui, quod erat alieni. Si autem hoc fieri contingat, immutatur res eſt, circa quam verſatur jus naturale.

Ratiocinationes Scholaſticorum nobis adverſantium ſunt iſtiuſmodi. Primo: ſi præcepta ſecundæ tabulæ forent indiſpenſabilia, intellectus divinus, ut præveniret voluntatem, judicaret neceſſario hos actus eſſe amandos, illos odio habendos, & ſic neceſſitatem imponeret divinæ voluntati. Atqui circa mores & actus humanos divina voluntas nunquam neceſſitatur. Ergo præcepta ſecundæ tabulæ ſunt diſpenſabilia. Deinde: Beatitudo hominis non pendet ab iis, quæ homines agunt erga creaturas. Ergo nullus actus humanus erga creaturas neceſſarius eſt ad conſequendam beatitudinem, ideoque poteſt Deus in omni actu, qui ad creaturam refertur, diſpenſare. Atque hæc duo ſunt argumenta Scoti apud Hennum. Tertio Major opinatur poſſe Deum diſpenſare in omni præcepto affirmativo: primo quia poteſt Deus non concurrere cum homine ad actum præceptum; 2. quia poteſt hominem infirmitate, aut cauſſa aliqua detinere, ne valeat præceptis obtemperare. Quarto Ochamus contendit poſſe Deum præcipere odium ſui, cum hoc nullam implicet contradictionem. Poſtremo: poteſt (inquit Durandus) ab omni actu, qui præcipitur in mandatis ſecundæ tabulæ, auferri a Deo ratio debiti; quoniam hoc debitum fundatur in dependentia unius creaturæ ab altera. At hanc dependentiam Deus auferre poteſt, cum potuerit E. G. hominem abſque parentibus procreare. Igitur poteſt etiam diſpenſare filium a debito honorandi parentes.

A primo autem Scoti argumento facilis eſt atque expedita defenſio. Et principio quidem retorqueatur; nam etiam ea, quæ præceptis primæ tabulæ præſcribuntur, ſunt actus humani, erga quos divina voluntas libertate fertur; nec tamen per Scotum admittunt diſpenſationem. Deinde dicimus intellectum divinum neceſſarium firmiſſimumque habere de qualibet veritate judicium, nec tamen ſequitur ſemper voluntatem divinam eſſe neceſſariam, ſed tantum neceſſario approbare quæ bona ſunt, & odio habere quæ mala; atque in eo divinam ſtare libertatem, quod ex bonis eligere poteſt quod lubet, ex malis aliquod juſta de cauſſa permittere. Atque hanc neceſſitatem approbandi quod bonum eſt, & repudiandi quod eſt malum, habet divina voluntas etiam circa præcepta ſecundæ tabulæ: nequit enim juſtus, incontaminatus, atque beneficentiſſimus non odiſſe iniqua, inhoneſta, & malefacta. Præterea, ut ex ſcopuloſis cotibus ſubtiliter differentium enavigemus, nego minorem; quippe promulgata & inſtituta lege naturæ, neceſſario vult Deus illam ſervari, neceſſitate, quam *ex ſuppoſitione* appellitant dialectici. Secundo argumento ſic reſponſum eſto. Beatitudo ſita eſt in actu, quo fruimur inamiſſibiliter ſummo bono: ſed hoc frui non poſſumus, niſi bonis mutabilibus recte utamur. At Deus nequit velle, ut lex naturæ immutetur, & bonis creatis fruamur, cum non ſint animo noſtro perfectiora, & finis ultimus rationabilium. Ad illud, quod objectum eſt tertio loco, dicimus, ſi Deus non concurrat, aut hominem operaturum præpediat, nullam legem ad opus obſtringere, & ſufficere in ſubdito animi præparationem: nam *bona voluntas*, ut eſt in proloquio, *reputatur pro facto*. Quod objicitur ex Ochamo, eadem, qua profertur, facilitate repellitur; ſiquidem non poſſumus odio habere niſi malum, nec niſi malus poteſt velle, ut in moleſtiam & offenſionem veniat ſummum bonum. Argumentum Durandi poſitum poſtremo loco facilius refellitur: abſolute enim poteſt Deus homines ſine generantibus condere, & auferre ordinem dependentiæ: ſed poſita generatione parentum, nequit efficere, ut filii filii non ſint, nec debeant genitoribus honorem in iis, quæ cum religione, & Dei cultu non pugnant.

Ex dictis conſtat quid dicendum ſit de Epicheja. Si enim hæc accipiatur pro ſola interpretatione, & declaratione, haud dubium quod locum habet in lege naturæ. Si autem accipietur pro legis abrogatione, & aliquorum exceptione a communi legis præſcripto; certiſſimum eſt non dari in lege naturæ, abſque mutatione rerum, τὴν ἐπιείκειαν.

CAPUT VI.

Habeat ne lex vetus auctorem Deum.

PROXIME ſequitur, ut pertractemus de lege veteri, ac primum de illius Auctore. Quidam enim partim a Deo, partim a Moſe, partim a Senioribus inſtitutam autumarunt: atque huic quodammodo tolerabili nefaria acceſſit opinio Manichæorum & Marcionitarum, latam fuiſſe a diabolo, vel malorum omnium principio. Controvertitur etiam, an a Deo, vel ab Angelis lata fuerit, quam poſtremam dubitationem expedivimus differentes de Verbo æterno, ejuſque facta antiquis Patriarchis apparitione cap. 8. lib. VII. Itaque in præſentia priores duas ſuſcipimus ventilandas.

PROPOSITIO I. Vetus teſtamentum eſt a Deo, neque illi Moſes, aut Seniores aliquid pro libito addiderunt: Moſes vero fuit legis a Deo inſtitutæ promulgator.

Demonſtratur prima pars auctoritate Scripturarum, Traditione, atque argumentatione Theologica. Etenim Exodi XX. legimus: *Locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos*. Malach. IV. 4. *Mementote legis Moſis ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Iſrael, præcepta & judicia*. Deum præterea in Moyſe, & Prophetis fuiſſe locutum Apoſtolus Paulus affirmat initio Epiſtolæ ad Hebræos: necnon Petrus in Act. Apoſt. cap. III. v. 18. Zacharias cap. I. Lucæ v. 70. Idem ſacri libri ubique teſtantur, ita, ut merito Chriſtus Dominus Phariſæos increpans Matt. XV. 6. dixerit: *Vos irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras*. Quod vero attinet ad Patres, plura de hoc argumento ſcripſit S. Pater Auguſtinus in libris contra Fauſtum, Tertullianus adverſus Marcionem, Hieronymus in Epiſtolam ad Titum: nec de communi aliorum ſenſu ulla occurrit in hac re dubitatio. Quare Toletanum Concilium in Fidei Confeſſione, *Si quis dixerit* (inquit) *aut crediderit alterum eſſe Deum priſcæ legis, alterum Evangeliorum, anathema ſit*: ac ſimilia ſeſſ. IV. Tridentini fuere decreta. Atque rationem optimam profert Doctor Angelicus 1. 2. q. 98. art. 2. quoniam lex vetus homines ordinabat ad Chriſtum cum perhibendo de ipſo teſtimonium, tum removendo a cultu idolorum. Quod ſequenti capite 52. nonnullis animadverſionibus illuſtrabo. At diabolus nunquam legem inſtruiſſet, *ut homines adducerentur ad Chriſtum, per quem erat ejiciendus*, inquit ibidem S. Thomas. Non fuit ergo Diabolus legis veteris inſtitutor, ſed ut Scriptura, Traditio, & vis ratiocinandi demonſtrat, habet illa verum Deum auctorem.

Altera pars, videlicet quod Moſes fuerit duntaxat legis promulgator, oſtenditur primo ex verbis ipſius Moyſis Deut. VI. *Hæc ſunt præcepta, & cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos*. Accedit teſtimonium Apoſtoli ad Galat. III. 19. ſcribentis legem *ordinatam per Angelos in manu mediatoris*. Quo in loco nonnulli Mediatorem intelligunt Chriſtum Dominum: ſed cum ibidem opponatur lex vetus Evangelio, puto Mediatorem appellari Moyſen, maxime quod Paulus iis verbis *in manu mediatoris*, ἐν χειρὶ μεσίτου aperte loquitur cohærenter ad verba ipſius Moſis Deut. V. 5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos*, Κἀγὼ εἱστήκειν ἀνὰ μέσον Κυρίου, καὶ ὑμῶν. Et quidem ſi aliquod pro libito Moſes præcepiſſet, foret præſertim mandatum repudii, de quo Matth. XIX. v. 8. At lex de matrimonio diſſolvendo nulla eſt, ut ſuperiori capite explicavi: neque hanc legem poterat ferre Moſes ſuamet auctoritate, quoniam legitimum matrimonium ratum & conſummatum nequit humana poteſtate diſſolvi. Tandem ſi Moſes legis inſtitutor eſſet habendus, maxime quod lex illi attribuitur Luc. II. v. 22. *ſecundum legem Moyſi*, & Matth. VIII. 4. *Oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes*. At frivola hæc ratio eſt. Primum, quia priori loco agitur de purgatione mulieris poſt partum, de qua ipſe Dominus legem tulit, ut conſtat ex cap. XII. Levitici, imo & ipſe Lucas illico ſubjungit: *Sicut ſcriptum eſt in lege Domini*. Et legem pariter de leproſo mundato commemoratam in cap. VIII. Matth. Deum habere auctorem liquet ex cap. XIV. Levitici. Deinde Legem de honorandis parentibus a Deo latam conſtat ex cap. XX. Exodi, & nihilominus legitur apud Marcum cap. VII. v. 10. *Moyſes enim dixit: Honora patrem, & matrem*. Poſtremo lex vetus, ut a nova diſtinguatur, debet a Mediatore & promulgatore nomen accipere: quippe Dominus utriuſque eſt auctor atque inſtitutor.

Opponés adverſus priorem partem. Eccli. cap. 3. v. 14. legimus; *Didici, quod omnia opera quæ fecit Deus perſeverent in æternum*, Deut. autem XXXII. 4. *Dei perfecta ſunt opera*. Atqui lex Moſaica neque perpetua fuit, neque perfecta. Igitur non erat opus Dei. Et revera quomodo opus Dei dici debet, quod ad bona temporalia homines convertit, nec niſi terrena pollicetur? Reſp. quod opera Dei ad extra perſeverant pro eo tempore, pro quo a Domino fuerunt conſtituta, & perfectionem habent ſui generis juxta temporum conditionem; neque defuit hæc perpetuitas & perfectio legi Moyſis. Sane res omnes corporeæ imperfectionem aliquam & finem habent, & tamen opera

Dei

Digitized by Google

Dei ſunt. Verba Eccleſiaſtes videntur explicanda de rerum creatarum complexu, quod perſeverat facta etiam partium ſucceſſione, ut perennem dicimus fontem, fluvium, ſæculum. Perpetuæ ſunt etiam res creatæ reſpectu noſtri, cum non poſſimus illarum ſeriem, ordinemque mutare. Æternitas inſuper ac perpetuitas interdum accipitur in ſacris literis pro certo tempore conditionibus rerum congruenti, ut Gen. XVII. 8. Exodi XXI. 6. Levit. XXV. 46. Hinc legit vulgata noſtra *In perpetuum*: quod vocabulum etſi habet aliquando eamdem cum *æternum* ſignificationem, proprie tamen demonſtrat qualemcumque continuationem, ut dicimus perpetuam voluntatem, perpetuos ſumptus, perpetuam orationem, perpetuum Conſulem, & alia quæ apud latinos paſſim occurrunt, cujuſmodi eſt illud Naſonis,

Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

Temporalia autem bona promittebat lex vetus, ut ex his conſurgerent Judæi ad colendum Deum beneficentiſſimum largitorem.

Adverſus ſecundam partem objicies. Clemens Romanus lib. 6. Conſt. ſive quiſquis illius Operis ſit Auctor, aliique Patres complures Moſen appellant Judæorum Legislatorem. Sed quid commemorantur Patres? Joannes cap. 1. v. 17. *Lex*, inquit, *per Moyſen data eſt*. Saltem præcepta cæremonialia habere Moſen immediatum inſtitutorem, aſſentiendum eſt doctiſſimo Alphonſo Salmeroni, qui id ſuis in Act. Apoſt. diſputationibus plurium Patrum teſtimonio nititur demonſtrare. Seniorum traditiones commemorantur Matth. XV. v. 6. videntur autem hæ ad legem pertinere. Reſp. Moſen dici Legislatorem Hebræorum, quoniam eorum legis fuit promulgator, nec alterius hominis manu vel ore ipſa lex conſcripta fuit, aut prolata. Quamobrem juremerito dictus eſt Legislator non ſolum a PP., ſed etiam a Joanne Evangeliſta; quamquam libro 1. Pædagogi animadvertit Clemens Alexandrinus Joannem ſcite dixiſſe legem per Moyſen *datam*, non a Moyſe *latam* & inſtitutam, quoniam is ab alio legem accepit hominibus a ſe proponendam. Addo quod in Epiſt. ad Galatas cap. 3. v. 17. dicitur ratione ſolemnis promulgationis *Lex facta*, *γεγονὼς νόμος*, nam ante Moſen erant ſabbatum, circumciſio, ſacrificia, & multa alia cæremonialia. Pervulgata ſunt etiam verba Gratiani Diſt. 4. *Leges inſtituuntur, cum promulgantur*. Atque his eliduntur quæ affert Salmeron. Dicitur enim Moyſes rituum & cæremoniarum inſtitutor improprie, & quatenus eadem vulgavit: nam ex libro Exodi, & Levitici manifeſta res eſt, a Domino fuiſſe tradita.

Quantum pertinet ad Traditiones commemoratas c. 15. Matth. eædem nullatenus ſpectabant ad legem, ſed erant inſtituta quædam Phariſæorum. Hi appellati ſunt *Phariſæi*, vel a verbo פרס, *Pharas*, diſcernere ac dividere, quod ab aliis diſcernerentur, vel a פרש, *Pharaſc*, unde Buxtorfius in Lexico Thalmudico deducit a participio פרוש nomen פרושים Phariſæorum, ſignificans *eximie ſanctos*, aut *Scripturarum enarratores*. Nec eſt prior interpretatio omnino falſa, ut contendit Clericus in Prolog. Hiſt. Sect. 1. cap. 2. Sed præter Suidam, & Epiphanium, eidem adſtipulatur etiam Grotius ad cap. 6. Matth. v. 16. Eſt autem פרש idem, ac *exponere*: ideoque poſtrema interpretatio, quam Clericus non animadvertit, cenſetur a pluribus probabilior. Sed miſſo Phariſæorum nomine; hi Auctore Joſepho lib. XIII. Antiq. cap. 18. multa quaſi legitima populo tradiderunt ex Patrum traditione, *ἐκ πατέρων διαδοχῆς*. At legitimis Patrum proprio marte horrenda, & frivola ſcita addiderunt. Inter quæ cum Levitici XI. jubeatur ut ſi quis mortuum cadaver, aves rapaces, aliaque immunda contingeret, immunditiam corporali lotione expiaret, qui viderentur religioſiores, crebro ante menſam lavabant manus: eamque ſuperſtitioſam lotionem parvi facientes diſcipuli, interdum abſque hac menſas ſternere conſueverunt, ubi præſertim ab immundis a lege vetitis abſtinuiſſent. De qua Phariſæorum conſuetudine loquitur Matth. cap. XV. 3. Arbitrabantur inſuper derelictis parentibus extrema neceſſitate laborantibus, bona ſua quæque utilius in Dei cultum ſacrari violata naturali lege, & filiorum ſpreto neceſſitudinis auctoramento. Inde erat illorum decretum eodem cap. Matth. v. 5. *Quicunque dixerit patri, vel matri, Munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit*. Eſt autem hoc loco *munus* idem, ac קרבן *Corban*, ut liquet ex Marci cap. VII. v. 11. ideſt, donum Sanctuario oblatum, unde Gazophylacium, & ſacrum ærarium dictum fuiſſe *τὸν κορβονᾶν*, *Corbonam*, novimus ex cap. XXVII. Matth. v. 6. Cenſebant ſitam eſſe pietatem in externo veſtium ornatu, ideoque coccinea fila palliorum præſcripta Deut. XXII. 12. ut Iſraelitæ exteriori habitu ſecernerentur a Gentibus, ita alligabant, ut explicatione veſtis apparerent *φυλακτήρια*, *phylacteria*, ideſt, memorialia cuſtodiendæ legis, conſcripta, ut in Dialogo cum Tryphone inquit Juſtinus, *in membranis tenuiſſimis*. Arbitrabantur tenere juramentum in auro templi, ideſt per Corban, & munus oblatum ſanctuario paullo ſupra explicatum; nullum autem eſſe juſjurandum per templum, & per altare, quod ipſa dona ſanctificat. Solvebant, exigebantque decimas etiam cujuſque oleris, ut menthæ, rutæ, anethi, & cymini, e quibus decimæ nec dandæ erant, nec exigendæ. Videatur Mat. cap. XXIII. verſ. 5. 16. & 23. Ex quibus duo inferuntur: primum traditiones Phariſæorum eſſe aut ritus ſuperſtitioſos, aut transgreſſiones legis; alterum vero extremam eſſe hæreticorum temeritatem, qui ex damnatis traditionibus Phariſaicis conantur elevare Apoſtolicas, quibus lex Chriſtiana ornatur, fulcitur, ſuamque tutatur auctoritatem.

PROPOSITIO II. Lex vetus bona fuit, non vero, ut quidam hæretici commenti ſunt, pravis conſtituta præceptis.

Probatur primo auctoritate librorum novi Teſtamenti, quod non abjiciunt Manichæi. Siquidem Apoſtolus ad Rom. VII. 12. *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum*; & v. 14. *Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt*: quibus verbis os obſtruit calumniæ objicientium ſupra v. 7. legem eſſe malam, quoniam eſt cauſſa peccati. Deinde probatur, quia lex vetus Deum habet auctorem, ut præcedenti propoſitione demonſtratum eſt. Omnia autem opera Domini bona ſunt valde. Præterea, ut adverſus Marcionem ratiocinatur Tertullianus, quatuor lex vetus maxima bona præſtitit. Primum eſt, quod ex illa occultos theſauros protulit Chriſtus, non ſemel ex veteri teſtamento propriam comprobans divinitatem, & dogmata ad mores pertinentia confirmans. Alterum, quod erat Prophetica & figurata Chriſtum prædicens tot, tantiſque myſteriis, ut facile poſſet a populo Judæorum dignoſci. Tertium, quia immolando ſupremo Numini animalia, quibus idololatræ religioſum cultum exhibebant, arcebat ſuperſtitionem, & ab idololatria revocabat. Poſtremo rationi erat maxime conſentanea, quemadmodum conſtabit ex argumentorum ſolutione, in qua aliquantiſper eſt immorandum. Sunt autem argumenta iſtiuſmodi partim a Marcione, partim vero a Fauſto Manichæo Catholicis objecta, atque ex libris Tertulliani & Auguſtini ita a me in compendium redacta.

AD OBJECTA MARCIONIS.

Marcion ergo Ponticus genere circa medium ſecundi Chriſtiani ſæculi ex Gnoſticorum de duobus principiis errore aſſeruit Deum a lege & prophetis denunciatum eſſe malorum auctorem, bellorum concupiſcentem, & inconſtantem ſententia, ut lib. 1. de H. cap. XVII. loquitur Irenæus. Sic autem ratiocinabatur. Principio Deus eſt univerſorum Conditor: ſi ergo ipſe legis Moſaicæ fuiſſet Auctor, pro omnibus eam dediſſet, non autem pro ſolo populo Judæorum. Deinde: Eſtne bona lex carnalis? Inſuper: Quid fingi poteſt ſtultum magis, & abſurdum, quam delectari Deum cruentis immolationibus, & holocauſtomatum fumo & nidore? Lex ergo hæc præſcribens habenda eſt tamquam in ſacrificiis ſtulta & infirma. Præterea cum animalia quæque fuerint in creatione benedicta, ſi verum eſt quod narratur in Geneſi, quare jubentur Hebræi cap. 11. Levitici a pluribus abſtinere?

Reſp. ad primum, legem veterem, licet, ob promiſſa facta Abrahamo, populo Judæorum ſpeciali titulo datam, etiam pro ceteris conſtitutam, cum acceſſum ad illam haberent complures Proſelyti & alienigenæ; ſpectare etiam ad populum Chriſtianorum, qui ob fidem reputantur in ſemine, & participes ſunt promiſſionum: Deum præterea beneficiorum ſuorum dominum eſſe, illaque pro ſuo arbitratu impertiri. Revincitur quod ſequitur verbis Apoſtoli ad Rom. 7. 14. *Lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato*; eſt enim ſpiritualis & quia Deus ſpiritus eſt, qui legem dedit, ut Auguſtinus ait ſerm. 12. de verbis Apoſtoli, & quoniam figurate prædicebat mundi Reparatorem, ut inquit Tertullianus lib. V. contra Marc. cap. 13. Proximum eadem facilitate diluitur: quippe ſacrificia Deo offerebantur non quod delectetur cruore victimarum, & nidore holocauſtomatum, ſed quia iis populus revocabatur a cultu idolorum, & præfigurabatur Chriſtus pro nobis in ara Crucis immolandus. Ad ultimum ſit interim expedita reſponſio, exceptione ciborum, immundorumque animalium & ſignificari quod nobis a noxiis voluptatibus abſtinendum ſit, & cohiberi Judæorum edacitatem, qua cum panem ederent angelorum, eſurire cœperunt, & appetere menſas Ægyptiorum inexhauſta cupiditate. Vide Tertull. lib. 2. cap. 18. & Auguſtinum lib. 1. de morib. Manich. cap. 14.

AD OBJECTIONES FAUSTI MANICHÆI.

At Manichæi hæc objectabant. Repromiſit vetus teſtamentum terram Chananæorum obſervantibus ſabbatum, ſolemnitatem azymorum, circumciſis & abſtinentibus a porcina. Dignum eſt ergo, ut nos refuſa hæreditate reddamus & tabulas. Ita argutabatur Fauſtus apud Auguſtinum lib. IV. cap. 1. Præterea opponebat lib. VI. Catholici æque ac Manichæi Azymophagiæ contemnunt hebdomadas, inutilem putant Scenopegiam, & calvum ac reburrum non conſtitui ſacerdotem utrique contemnunt. Abjiciunt ergo unanimiter Moſis legitima. Addit lib. VIII. Chriſtianam novitatem hebraicæ addere vetuſtati nihil eſt aliud, quam majorem ſciſſuram facere. At enim Evangeliſta cap. IX. 16. *Nemo immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus a veſtimento, & pejor ſciſſura fit*. Objectabat lib. IX. Apoſtoli ſub veteri teſtamento nati abjecerunt illud. Quid tum inde, ſi illi, qui nati non ſunt, nolint uſurpare?

Reſp. ad 1. recipi a nobis vetus teſtamentum non ad conſequendas illas promiſſiones, ſed ad intelligendas in eis novi te-

ſtamenti prænunciationes, quas in veteri contineri non ſuſpicin noſtre eſt, ſed Apoſtolicus intellectus, dicente Paulo 1. ad Corinth. x. 6. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri*. Ad alterum hoc habeto reſponſum: Diſtinguenda ſunt in veteri teſtamento præcepta vitæ agendæ a præceptis vitæ ſignificandæ. Nos itaque obſervamus præcepta prioris generis, cujuſmodi eſt illud, *Non concupiſces*; non altera, quale eſt, *Circumcides omne maſculum*. Cur autem? Quoniam, ut paullo ante dictum eſt, præſignabant futura: unde Apoſtolus ad Coloſſ. cap. 11. v. 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum: quæ ſunt umbra futurorum*. Ad proximum, primum dicimus & veterem veſtem fuiſſe aliquando bonam; fuit ergo aliquando bonum vetus teſtamentum, nec diabolum habuit auctorem. Deinde aſſerimus, quod nos non addimus novæ legi veterem in ſervitute facientes, quæ juſſa ſunt ad nos prænunciandos: ſed in libertate legentes quæ ſcripta ſunt ad nos confirmandos. Addimus non aſſuere novam pannum veteri, qui continentiam ſervans ſpiritualem, ſpiritualia expectat, ſed eum, qui non deponit ſpem carnalem. Ad quartum reſpondetur ut ſupra, Apoſtolos veterem abjeciſſe legem quantum ad præcepta cæremonialia, quæ figuræ erant futurorum, non autem ad ea, quæ pertinebant ad vitæ inſtitutionem: unde recte Auguſtinus ajebat, Fauſtum *eadem ſæpe vana repetere*.

Pergit objectare Fauſtus: Præcepta vitæ inſtituendæ, quorum cauſſa lex vetus videtur commendanda, ut, *Non occides, non mœchaberis, non pejerabis, non concupiſces*, antiquitus in nationibus erant. Lex Moſaica quid addidit? Eadem eradicavit. Nam 1. quod attinet ad odium & occiſionem, jubet Lex Moſaica Levit. 19. 18. ut diligatur tantummodo proximus & amicus, ſed adverſus alios omnes Judæis erat hoſtile odium. Idcirco hanc legem immutavit Chriſtus Matth. v. v. 44. en pertinet ulciſcendi cupido, quam fovet lex Moſis pronunciato illo, *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*, cap. xx. Exodi 24. quod a Chriſto proſcriptum eſt eodem cap. Mat. v. 39. Quod vero ad mœchiam pertinet, Lex illa duntaxat externam fornicationem vetabat, & cuique volenti uxorem dimittere præſcripſit dandum eſſe repudium. Idque damnavit Chriſtus eodem loco v. 27. & 32. De juramento, quod univerſim damnant jura naturæ, in Exodo xx. 7. ſancitur, ne fiat invocatione divini nominis, juramentorum generibus aliis probatis: quod pariter Dominus Jeſus rejicit, ibidem v. 34. 35. 36. Poſtremo didicimus ex novo teſtamento aliena non concupiſcere. Vetus autem quid habet non alienum? Divitias promittit, ventris ſaturitatem, filios & nepotes, & Chananitidis regnum. Ergo lex Moſis antiqua præcepta violavit, eradicavit, eliminavit. Ita Fauſtus lib. x. & xix.

Reſp. ad 1. Auguſtinus cap. 24. ejuſdem lib. 19. quemlibet iniquum hominem, in quantum iniquus eſt, eſſe odio habendum, in quantum homo eſt, diligendum. Quia ergo audito, & non intellecto, quod antiquitus dictum erat, ferebantur in hominis odium, eum non deberent odiſſe niſi vitium; hoc Dominus corrigit dicendo, *Diligite inimicos veſtros*. Addo diſtinguenda eſſe tria alienigenarum genera: Proſelytorum, qui ex circumciſione Judæis ſe jungebant: Noachidarum, qui Noe ſervabant præcepta: & Idololatrarum, qui ſe cultu ſuperſtitioſo inquinabant. Porro iis tantum ſe adjungere prohibiti ſunt Judæi; cumque illorum ſacrilegia, & inceſta libido ad ſummum perveniſſent, voluit Deus ne populus ſuus cum eis fœdus iniret, ne contaminaretur inolita ſuperſtitione, ut liquet ex cap. xviii. Levitici v. 24. Quod ſequitur de inimicorum ultione: cum unuſquiſque etiam leviter læſus nolit reponere vindictæ quantum accepit injuriæ, & nnnnolli moliantur cædes, & ſanguinem ſitiant; Deus Exodi xxi. ſtatuit pœnam talionis iuſligeodam ſententia judicis; ut immoderatæ ultioni lex modum poneret & quantam quiſque intulit injuriam, tantum penderet ſupplieiuns. *Proinde*, (inquit S. Pater proximo cap. 26.) *Oculum pro oculo, & dentem pro dente, non fomes, ſed limes furoris eſt*. Hinc eſt quod pœnam talionis omnes fere Gentes probarunt. Appellarunt Græci [illegible]: dixerunt quidam Jus Rhadamanthi: & extabat apud Romanos in xii. Tabulis, *Si membrum rupit, talio eſto*. Concupiſcentiam a veteri lege damnatam conſtat ex cap. xx. 17. & ex Apoſtolo ad Romanos vii. 7. De repudio dictum ſupra, permiſſum ob duritiam Judæorum. Animadvertit præterea S. Doctor cap. 16. ejuſdem libri, non haberi in lege Moſis, *Qui voluerit dimittere uxorem, dimittat*: ſed volentibus dimittere indixit Moſes dari libellum repudii, *ut animus præceps libelli conſcriptione refractus abſiſteret*, ideſt mora interpoſita cogitare poſſet quam grave eſſet dimittere nuptam; nec ſcriberetur libellus, niſi tale interceſſiſſet odium, quod non poſſet extingui. Juramentum quidem factum divini nominis obteſtatione ſervandum eſſe, jure præſcribit lex Moſis. At inde non tenere juramenta reliqua, Phariſæorum erat traditio utique repudianda. Mitto quæ Auguſtinus obſervat cap. xxii. de Juramentis ipſorum Manichæorum longe Phariſæis iniquiorum: dum ſæpiſſime jurabant per Paraclitum, non illum quem Chriſtus Apoſtolis miſit, ſed per illum ipſum Inſaniſatorem, ſcilicet Manichæum, quem ab inſania dictum obſervatum eſt alibi. Quod ultimo loco poſitum eſt, habet ſupra commodam ſolutionem: quippe promiſſiones Judæorum erant ipſis argumentum ſerviendi Domino bonorum omnium largitori; nobis vero documentum meliorem ſubſtantiam expectandi.

Arguit præterea Fauſtus: Nihil in vetere lege de Chriſto prænunciatum eſt. Non ergo eſt bona lex illa, propterea quod ad Chriſtum perduceret. Ant. probatur 1. quoniam opponentibus Judæis Chriſto Joannis viii. 13. *Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum*: reſpondit, *Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio unde veni, & quo vado*: & alibi opera ſua in teſtimonia vocat. Eccur non ait, Credite Prophetis, Teſtificantur de me veteris legis figuræ? Ergo nos de Salvatore noſtro nullis egemus Moſaicarum Tabularum teſtimoniis. II. Moyſes Chriſto maledixit, dicens Deut. xxi. 23. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*. Hunc ergo accipiamus, huic credamus, qui Redemptorem noſtrum talibus inſectatur conviciis? III. Nullibi Chriſtus legem Moſis commendat. Nam ſi alicubi id præſtaret, præſertim apud Matth. cap. v. v. 17. ubi ait, *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*. Atqui vel Matthæus hæc non ſcripſit, vel falſum ſcripſit. Quod Evangelium non ſcripſerit, colligitur ex cap. ix. 9. ubi de ſeipſo ait: *Cum tranſiret Jeſus, vidit hominem ſedentem in Telonio, Matthæum nomine*. Quis autem de ſeipſo ſcribat, Vidit hominem, & non, Vidit me, vocavit me? Deinde cap. v. Evangelii Matthæi legitur Chriſtum protuliſſe ea verba, *Non veni ſolvere legem*, in monte. Quibus præſentibus? Petro, Andrea, Jacobo, & Joanne: ceteros enim Apoſtolos necdum elegerat, nec ipſum Matthæum. Ex illis quatuor Joannes Evangelium ſcripſit, nec tamen hoc alicubi ipſe commemorat. Quod ergo non teſtatur Joannes qui fuit in monte, quomodo ſcripſit Matthæus nondum Chriſtum ſecutus? Ceterum Chriſtum ea verba minime protuliſſe ex eo evincitur, quod cum Deuteronomii v. 32. præceptum ſit, *Non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*, Chriſtus minuit præcepta ſacrificiorum, circumciſionis, & ſabbati, ideoque ſolvit declinando ad dexteram mandata Moyſi.

Quod primo loco ponitur, ab Auguſtino libro xii. cap. 2. & 3. retorquetur adverſus Fauſtum. Enimvero Apoſtolus ad Rom. 1. de Evangelio ait, *Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis*: & ipſe Dominus Luc. xxiv. 44.: *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me*; atque Joannis v. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit*. Igitur etſi Chriſtus recte ait de ſeipſo propria opera teſtimonium perhibere, veteris tamen legis teſtimonium non excludit. In cap. autem Joannis viii. proprium teſtimonium Chriſtus recte commendat; primo quia dixerat v. 12. ſe eſſe lucem mundi: eſt autem verum teſtimonium luminis ſive ſe oſtendat, ſive alia, *quia ſine lumine non potes videre lumen, & ſine lumine non potes videre quodlibet aliud quod non eſt lumen*. Deinde, quia dicens, *ſcio unde veni, & quo vado*, Patrem volebat intelligi, qui aperuit ora Prophetarum. Sed de his legendus idem Auguſtinus Tract. xxxv. in Joannem. Ad alterum tria, omniaque validiſſima S. P. reponit lib. xiv. Primo cap. 2. revincit Fauſtum, quoniam, ſi vera eſt Manichæorum ſententia, Chriſtum non habuiſſe corpus mortale, nec vulnera, ac cicatrices, nec ad illum ſpectat maledictio, & execratio cadaveris in ligno ſuſpenſi. Ait deinceps cap. 4. Adamo in Paradiſo exiſtenti dictum eſſe, *Qua die tetigeritis, morte moriemini*; & hoc eſſe maledictum, ideſt, *mortuum*. Mors quippe hominis ea pœna peccati eſt, unde & ipſa peccatum dicitur. Cum itaque Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, dicitur etiam ab Apoſtolo ad Galatas iii. 13. *factus pro nobis maledictus*, ideſt, *mortuus*. *Quoniam mors ipſa ex maledicto eſt, & maledictum eſt omne peccatum, ſive ipſum quod fit ut ſequatur ſupplicium, ſive ipſum ſupplicium, quod alio modo vocatur peccatum, quia fit ex peccato*. Ait 3. non minus repugnare Chriſtum dici maledictum, ac dici peccatum. At iſtud affirmat Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. v. 21. tropice quidem, & accepto peccato pro morte & execratione peccato debita. *Cur ergo* (inquit S. Doctor ibid. cap. 5.) *timeret Moyſes dicere maledictum, quod Paulus non timuit dicere peccatum?* Vide lib. 2. de Actis cum Fel. Manich. cap. 11. & contra Adimantum cap. 21. Poſtremo loco poſitum ſic rejicitur. Solent Scriptores quæ ad ſeipſos attinent tali ſermone contexere, tanquam ea narrent de aliis. Ita Joan. de ſe tanquam de alio ſcripſit cap. xxi. 20. *Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus*. Et ipſe Dominus de ſeipſo Lucæ 18. v. 8. *Filius hominis veniens putas, inveniet fidem in terra?* Hæc Auguſtinus libro xvii. cap. 4. Ad Scriptorum Hiſtoriarum conſuetudinem accedit Evangeliſtæ humilitas in ſuimet converſione narranda. Joannem laudata Chriſti verba prætermiſiſſe, parum refert; cum citato cap. xxi. v. ultimo ſcribat: *Sunt & alia multa, quæ fecit Jeſus*. Ceterum ſi Manichæi credunt Joanni, quemadmodum cap. 3. citati libri Fauſtum Auguſtinus redarguit, in cujus habent Evangelio cap. v. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit*. Adimpleatur denique lex, vel cum

ſiunt

fiunt quæ præcepta ſunt, vel cum exhibentur quæ ſunt prænunciata: utrumque autem Chriſtus præſtitit, primum caritate, alterum morte: in quo omnibus figuris expletis, abrogandæ erant cæremoniæ, & umbræ futurorum. Has tamen Chriſtus uſque ad minimum apicem voluit impleri, ut teſtatur eodem cap. v. Matth. v. 18. *Jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Itaque non declinavit ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

Sequitur argumentum Fauſti in veteres Patriarchas conviciis, maledictiſque pleniſſimum. Lex vetus, inquit lib. 22., approbat innumera, & horrenda facinora. Commendat Abraham, qui inſana flagrans cupidine cum pellice ſub conſcientia uxoris eſt volutatus. Is etiam Abimelecho Sarai conjugem ſororem ſuam mentitus in concubitum venditavit. Accedit flagitioſus inceſtus Lot, qui cum duabus filiabus ebrius concubuit. Jacob inter germanas ſorores Rachelem & Liam intemperanter erravit: uxoreſque famulas nuptarum ſororum agnovit, quatuor mulierum maritus. Judas vero cum Thamar nuru ſua habitu proſtitutionis deceptus dormivit: quod indicium eſt ſemper cum tali fœminarum genere illum habuiſſe commercium. Et tamen is inter Patriarchas connumeratur, & a patre ampliorem benedictionem conſequitur. David poſt tot numero uxores mulierculam Uriæ mœchatus, eumdem in bello perdidit. Oſea Prophetarum unus ad mulierem fornicariam acceſſit. Quid plura? Ipſe legiſlator Moſes homicida fuit, expoliavit Ægyptios, intulit bella, nec ipſe fuit uno matrimonio contentus. Hæc, aliaque plurima aut ſunt Scriptorum commenta, aut res, quomodo narrantur, geſtæ. Si primum dicatur, ſcatet mendaciis vetus teſtamentum univerſum: ſi vera ſunt enarrata, turpiſſime flagitia commendat.

Reſp. 1. legem veterem referre quidem multorum crimina, non ea laudare; atque a nobis Scripturas ſanctas defendi, non hominum ſcelera. Deinde reſpondetur plura ex his, quæ objectat Fauſtus, immerito reprehendi, nec æſtimanda legis ſcabiem & verrucas, ſed eſſe promiſſiones figuraſque ſacramentorum. Revera Abraham ſibi ex Agar filios procreari curavit, quoniam ipſa Sarai naturali ordine filios volens, & ſe ſterilem ſciens, ancillæ uteri fœcunditatem in uſum juris ſui vindicavit, non ſerviens viro concupiſcenti, ſed jubens obedienti: & Abraham viciſſim credens hoc Saram ex Dei nutu voluiſſe, quia jam ex ſeipſo illi hæredem promiſerat, ſed ex qua fœmina non prædixeret, non ſuæ carnali cupiditati ceſſit, ſed conjugali poteſtati obtemperavit. In filio autem ancillæ vetus figurabatur teſtamentum, & in filio liberæ novum: ideoque per allegoriam hæc narrantur, auctore Apoſtolo ad Gal. cap. iv. 24. Neque Abraham mentitus eſt, dum Saram appellavit ſororem. Etenim in Scripturis ſanctis propinqui non ſemel dicuntur fratres. Commemorantur quippe in Evangelio etiam fratres Domini, tametſi Deipara neminem genuerit præter Chriſtum. Lot etiam frater Abrahami dictus eſt capite Geneſis 13. & Job cap. 8. uxorem ſuam nomine ſororis appellat. Quod prudentiſſime factum ab Abraham, ne Deo committeret propriam vitam, & pudicitiam mulieris, nec tentaret Dominum Deum ſuum. Sed lege Auguſtinum lib. xxii. a cap. 31. ad 42. Ad Lot quod ſpectat reſpondetur neque ipſum, neque filias a nobis penitus abſolvi. Verumtamen quod in illorum vita fuit flagitium, dum in ſcriptura narratur, eſt prophetia. Lot autem redarguendus eſt maxime ob ebrietatem, qua mala utentes lege præfigurabat. Quamquam vero excuſari aliqua ratione poteſt, cum ejus ebrietas, tum puellarum licentia; nam hæ conſervationem generis humani quærebant, & neſcientes quouſque ignis ſævierit non credebant ſuperſtites eſſe alios viros; & pater morem gerens filiabus crebra vina miſcentibus, ut illarum triſtitiam levaret, ignarus temulentus evaſit: tamen dicimus, quod *narrata iſta ſunt, non laudata.* Hæc proſequitur S. Pater a cap. 42. ad 46. Jacobi pariter duæ uxores liberæ duo genera laborantium, & contemplantium demonſtrant: neque in ſororum connubio Patriarcha peccavit; quoniam non laſciviendi, ſed gignendi cauſſa illas, aliaſque habuit uxores, ideoque jura naturæ ſervavit. Nec deliquit adverſus conſuetudinem, quæ, ut diximus præcedenti capite, eo tempore polygamiam non damnabat. Atque de his plura S. Doctor a cap. 47. uſque ad 60. De Juda, qui concubuit cum nuru, dicimus ipſius fornicationem, & illicitum concubitum in lege Moſis prohiberi: illum connumerari inter Patriarchas eo pacto, quo inter Apoſtolos Judas Iſcariotes: benedictionem patris ampliſſimam non ad illum pertinere, ſed ad Chriſtum ex Tribu Juda naſciturum. Explicat hæc S. Pater proximis capitibus 61. 62. 63. Davidis peccata quidem legimus, ſed ea Scriptura reprehendit; & increpatus a Nathan ipſe David ingemuit, & ſingulari pœnitentia quæ inique geſſerat expiavit. De Oſea dictum ſupra. Ad ea tandem quæ objiciuntur de Moyſe, tametſi peccaſſet percutiendo Ægyptium, quod interim prætermitto, dico vocatum fuiſſe per Angelum in monte Sina a Domino, qui & Saulum Eccleſiam perſequentem de cælo vocavit, proſtravit, erexit. De expoliatis Ægyptiis ſuperius. Bellum denique, quod gerendum Deo auctore ſuſcipitur, juſtum ſupponimus.

His Manichæorum argutationibus accedunt nonnullæ aliæ. Prima eſt Felicis lib. 2. cap. 11. Apoſtolus ad Rom. v. 20. ait: *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum:* & cap. vii. v. 9. *Cum veniſſet mandatum, peccatum revixit.* Quis autem dixerit bonam legem, unde prodierunt peccata? Altera eſt conſimilis, & depromitur ex cap. 8. Epiſtolæ ad Hebræos v. 7. ubi vetus teſtamentum expreſſe dicitur *culpa non vacaſſe.* Denique ejuſdem generis eſt, quod legitur Ezech. cap. xx. 25. *Dedi eis præcepta non bona.*

Reſp. ad primum cum Auguſtino eodem cap. 11. *Proinde paulo poſt dicit idem Apoſtolus: Itaque lex quidem ſancta, & mandatum juſtum, & ſanctum, & bonum. Sed ne dicas, quia de alio mandato dicat, ut oſtendat quia de illo dicit, de quo paulo ante dixerat, Lex ſubintravit, ut abundaret delictum, ſtatim ſibi oppoſuit quæſtionem, Quod ergo bonum, mihi factum eſt mors? Abſit, ſed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem. Erat enim peccatum, ſed non apparebat peccatum: data eſt lex ſuperbo, fecit contra legem, & apparuit peccatum, quod erat, ſed non apparebat.* Idem eſt ergo per Apoſtolum delictum ſubintrare & abundare per legem, ac cognoſci, redargui, puniri. Conferas verba Apoſtoli cum aliis ad Rom. iii. v. 20. Eamdem requirit interpretationem verſus 9. cap. vii. unde S. Pater de verbis Apoſt. ſerm. 4. cap. 7. inquit: *Quid eſt revixit? Apparere cœpit, ſentiri cœpit, rebellare adverſum me cœpit.* Hujus interpretationis veriſſima ratio eſt, quoniam in ſacris literis verba quæ ſignificant eſſe aut facere ſæpiſſime hebraica phraſi ponuntur pro rei cognitione. Hujuſmodi ſunt Pſ. 50. *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis:* 2. ad Corinthios vii. 14. *Gloriatio noſtra, quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt*; & juxta Theophylactum etiam quod legitur de Melchiſedech ad Hebræos cap. vii. 3. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* At in cap. viii. Epiſtolæ nuper laudatæ Apoſtolus ait *prius teſtamentum culpa non vacaſſe*, quod Iſraelitæ non permanſerunt in illo, & Dominus neglexit eos, ut legitur proximo verſu 9. & quoniam in tabulis ſcriptum erat, non in corde, ut additur verſu 10. ſcilicet non poterat abſque Chriſti gratia juſtificare. Qua reſponſione utitur Auguſtinus etiam ad refellendam objectionem ultimam ex cap. xx. Ezechielis, ſcribens Epiſtola 19. nunc 82. n. 14. *Forte propterea non dixit mala, ſed tantum non bona, ideſt non talia, ut illis homines boni fiant.* Hoc tamen poſtremum poteſt duplici via retorqueri. Primo quia eodem cap. verſu 11. Ezechielis inquit Dominus: *Et dedi eis præcepta mea, & judicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo vivet in eis.* Deinde quia vel Ezechieli credit Manichæus, vel mendacem exiſtimat. Si credit, non ſcripſit Propheta afflatu dæmonis: ſi mendax eſt, non erit verum quod ait, *Dedi præcepta non bona.* Poteſt etiam reſponderi eſſe hoc loco *ἀντανακλάσιν*, ideſt figuram reciprocationis in ſacris libris frequentiſſimam, de qua vide Voſſium lib. 5. Inſt. Orat. cap. 2. Ea fit, dum vox eadem in vicinia diverſam habet ſignificationem, ut ſi dicas, *Multi crediderunt in nomine ejus: ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis:* priori in loco *credere* ſignificat profeſſionem fidei, in altero idem eſt ac ſe fidei amicorum committere. Itaque *præcepta* apud Ezech. v. vii. ſignificant legem Moſis, & verſu 25. leges duras, pœnaſque legis violatæ, maxime, ut colligitur ex Chaldæo, mentis cæcitatem. Sed vindicavi Moſaicam legem ſatis, ſuperque.

EXCURSIO IN PHEREPONUM.

Plura ex Auguſtini adverſus Fauſtum libris in his veteris Teſtamenti vindicationibus relata ſunt. Horum autem librorum celebratio ad memoriam revocat Animadverſiones Joannis Clerici, quas, ubicumque diſputationes noſtræ exhibent occaſionem, excutere aliqua notatione inſtituimus. Larvatus ergo Phereponus primo conqueritur non ſatisfeciſſe Auguſtinum argumento Fauſti petito a Moyſi maledictione. *Tam facilem objectionem*, inquit, *diluere non potuiſſe Auguſtinum, mirum eſt: mortem enim & maledictionem unum, idemque eſſe vult, neque ullo modo ſe expedit.* Deinde affirmat in libro Deuteronomii nullam peccati fieri mentionem, ſed tantum cadaveris a ligno pendentis; quod eſſe rem ſummopere pollutam docet Moſes. Hortatur poſthac lectorem, ut ſui ipſius adeat Commentaria, dicens: *Vide ad eum locum Joannem Clericum.*

In hac priori Animadverſione ſtatim apparet falſa Cenſoris in Auguſtinum malevolentia. Nam quamvis foret hæc reſponſio argumentationibus Fauſti debilior, non utitur ea ſola Manichæorum debellator Auguſtinus. Ex hæreticorum enim illorum commentis evincit ad Chriſtum non referendam ſuſpenſorum maledictionem: atque ex Epiſtolis Pauli apertiſſime demonſtrat in novo quoque teſtamento Chriſtum dici maledictum, & peccatum: ideoque abſurdum non eſſe, ſi in eum quadret etiam execratio pendentium in ligno, non quidem ob propria peccata, ſed ob ſuſceptam peccatorum noſtrorum cauſſam. Quæ cum adeo plana ſint, & luculenter ab Auguſtino tradita lib. xiv. cap. 2. & 5. cur audet Clericus ſcriptitare, *tam facilem objectionem diluere non potuiſſe Auguſtinum?* Verum & reſponſio, quam temere vellicat, firma eſt, veriſſima ac validiſſima; & quam profert Arminianus iſte, inepta ac putida commentatio. Enimvero Deuteronomii xxi. 25. ſuſpenſum cadaver non ideo maledictum dicitur, quod ſit in lege Moyſi

polluto.

Digitized by Google

pollutum; ſed quoniam cadaveris ſuſpenſio indicium eſt mortis inflictæ peccato, atque execrationis divinæ. Id vero cum apertiſſime demonſtravero, conſtabit ſapientiſſime Auguſtinum interpretatum fuiſſe illam maledictionem pro morte peccato inducta, & maledictum pro mortuo Cruci ſuffixo propter humani generis redemptionem.

Sunt autem innumera, quæ poſſum in hujus veritatis confirmationem producere. Principio ea verba Deuteronomii, *Maledictus a Deo eſt, qui pendet in ligno*, demonſtrant mortuum ligno pendentem habere graviſſimi flagitii reatum; & proculdubio commonſtrant peccatum aut proprium, aut alienum. Habet enim hebræa lectio, כי קללת אלהים תלוי: *Quoniam maledictio Dei eſt ſuſpenſus*: Atque verbum קלל ſignificare execrationem, atque maledictionem, conſtat ex Levit. xx. 9. Job 24. 18. Iſa. 65. 20. Nahum 1. 14. &c. Apoſtolus etiam ad Galatas 3. 13. ait: *Ἐπικατάρατος πᾶς, ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου*. Quis autem ignorat *τὸν κατάρατον* alſe *maledictum*? Addo Interpretes, non Rupertum modo, Cornelium a Lapide, Lorinum, ſed & vetuſtiores Procopium, Aquilam, Theodotionem, Auctorem altercationis Jaſonis, & Paciſci, Hieronymum, aliosque etiam ex magno numero Novatorum, qui omnes in hac voce *maledictum* vim contumeliæ, & execrationis agnoſcunt; Paraphraſim ipſam Chaldaicam, quæ habet: ארי על דחב יהוה אצטלב *Quia pro eo quod peccavit coram Domino ſuſpenſus eſt*. Accedit ratio quæ nec latuit Grotium in hunc locum, & Gloſſium de Typis Canone viii., ſuſpendium cadaveris habere ſignificationem pœnæ: quapropter non ſuſpendebantur, niſi qui morte plectebantur ob grave aliquod crimen, ut legitur præcedenti verſu Deuteronomii. Illud etiam in cauſſa eſt, quod ex hoc loco Deuteronomii objectant nobis Judæi fidem noſtram eſſe in hominem execrandum, & a Deo maledictum, idque ab Apoſtolicis temporibus: nec tamen aliquis Patrum invenitur reſponſum dediſſe maledictum nihil eſſe aliud, quam emortui cadaver. Ergone facile potuiſſet Auguſtinus objecta Fauſti retundere nova iſta Commentatione Phereponi autumantis a Moyſe nullam fieri peccati mentionem? Facile imo fuiſſet Fauſto demonſtrare pendentem a ligno dici a Moyſe maledictum atque execrandum, nec Cadaver maledictum eſſe, niſi ratione peccati. Quare hæc magnus Auguſtinus expendens optime omnia conciliat demonſtrans Chriſtum factum eſſe pro nobis *maledictum*, ideſt ſubiiſſe mortem inductam peccato Adæ, & conviciis ac blaſphemiis fuiſſe laceſſitum propter crimina noſtra. Quid ergo nos hortatur Clericus ut adeamus Commentaria a ſe edita, ab homine ſcilicet imbuto erroribus Arminii ac Pelagii, & ignorantis unde mors pervaſit in homines, & cur Chriſtus patibulum Crucis aſcendit? *Quid miratur* (inquit Auguſtinus lib. laudato cap. 4.) *maledictum eſſe peccatum, maledictam eſſe mortem, maledictam eſſe mortalitatem carnis ſine peccato Chriſti, ex peccato tamen hominis etiam in Chriſto factam?*

Diſplicet præterea Pherepono, Auguſtinum libro xvi. cap. 22. interpretari de Chriſto verba Deut. 28. 66. *Et erit vita tua quaſi pendens ante te, & non credes vitæ tuæ*. Eccur, quæſo? Quia, inquit Clericus, *nemo non videt agi hic de vita dubia & incerta, quæ nota etiam Latinis metaphora dicitur pendere*. Litteralem interpretationem de mortali vita Auguſtinus non improbat; nam ſcribit: *Quæ verba & aliter poſſe intelligi, poteſt aliquis dicere*. At non eſſe accipienda de Chriſto, perperam contendit Clericus. Primo enim liquet eumdem Scripturæ locum ſenſus plures admittere. Deinde magis Chriſto, quam mortali vitæ convenire laudata verba, demonſtrat pervetuſta verſio apud Tertullianum cap. xi. & xiii. contra Judæos, *Et erit Vita tua pendens in ligno ante oculos tuos*. Stant præterea pro Auguſtino innumeri Patres cum Græci, tum Latini, nec non lucubrationes Apologeticæ Cantacuzeni, & etiam Grammaticales obſervationes Galatini. Quæ omnia pleniſſima eruditione complectitur Tom. 2. in Deuteronomium Joannes Lorinus.

In libro xvii. cap. 1. putat argumentationem Fauſti conantis demonſtrare ea verba, *Non veni ſolvere legem*, &c. non eſſe ſcripta a Matthæo, facilius ſolvi, ſi dicatur Evangeliſtam ordinem temporum in ſua narratione nequaquam ſervaſſe; ideoque non Matthæum tantum, ſed reliquos omnes Apoſtolos eo tempore fuiſſe electos, & ſermonem in monte audiviſſe. Quaſi id animadverterit ſingularis Phereponi perſpicacitas, *Quod ab eo non factum*, inquit, *oſtendit in ſua Evangelica Harmonia Joannes Clericus*. Poſtmodum ſtomachans addit: *Miror Auguſtinum hoc non repoſuiſſe*; & paucis interjectis, *Multos fugit hæc obſervatio*.

At hæc ipſa obſervatio nec Auguſtinum fugit, nec erat argumento Fauſti reponenda. Porro ſi Pherepouus antequam in Auguſtinum ſtilum acueret, æquo animo ac libramento ipſius opera perlegiſſet, ſcriptum inveniſſet cap. 17. 11. libri de Conſenſu Evangeliſt. num. 39. de vocatione diſcipulorum, & de narratione Matthæi: *Proinde fieri poteſt, ut poſtea narraverit, non quod poſtea factum erat, ſed quod prius prætermiſerat*. Et cap. 26. ejuſdem libri num. 59. *Hinc autem probabilius videtur quod hæc prætermiſſa recordando Matthæus commemorat: quia utique ante illum ſermonem habitum in monte credendum eſt vocatum eſſe Matthæum. In eo quippe monte tunc Lucas commemorat* (cap. 6. v. 13.) *omnes duodecim ex pluribus diſcipulis electos, quos & Apoſtolos nominavit*. Itaque nobis confugiendum non eſt ad Harmoniam Joannis Clerici pro expiſcanda tam profunda & recondita obſervatione, Matthæum nonnulla recapitulando ſcripſiſſe. Demonſtrandum jam hæc non fuiſſe contra Fauſtum reponenda. Quamquam verum eſt Matthæum in ſua vocatione narranda ordinem temporum non ſervaſſe; hæc tamen quæſtio in velitationibus Fauſti ad rem non pertinet, & melius ac facilius Manichæi cavillatio depelliiur, ſi demonſtretur, potuiſſe Matthæum narrare quæ Chriſtus dixerat in monte, etſi abfuiſſet. Atqui hæc Auguſtinus cap. 3. libri xvii. contra Fauſtum validiſſimis argumentis demonſtrat. Quid ergo de tempore vocationis Matthæi diſputare, & ordinem rerum geſtarum exponere contexta Evangeliorum, adverſus hominem impudentiſſimum contendentem in Libro Matthæi plures eſſe lacunas, & probantem quæ narrat de ſua vocatione, negantem quæ ſcribit de ſermone habito in monte? Si Evangelium univerſum recepiſſet Fauſtus, poterat & illud reponi: ſed mutilans pro ingenio Scripturas erat uſurpatis ab Auguſtino reſponſionibus refellendus.

Carpit præterea Pherepouus in libro xxii. cap. 35. reſponſionem Auguſtini pertinentem ad Saram, quæ appellatur ab Abrahamo Soror ratione conſanguinitatis. *Quia non tantum* (Abrahamus) *ſororem vocat, quod ambiguum eſſe potuit, ſed filiam patris, non vero matris*, Gen. 20. 12., *ex quo liquet proprie hoc eſſe intelligendum*. Addit nullam eſſe Hiſtoriam, quæ nos doceat eo tempore apud Chaldæos illicita fuiſſe fratrum & ſororum conjugia, quamvis hoc affirmet Auguſtinus. Fatetur tamen eamdem fuiſſe ſententiam Epiphanii Hær. 39. num. 7. & Hieronymi in libro adverſus Helvidium.

Verum longe probabilior eſt ſententia Auguſtini, aut ſaltem non plane certa illa quam amplectitur Clericus, licet nonnullos habeat illa quoque aſſertores. Stant pro Auguſtino momenta quamplurima. Verſio enim Arabica in Polyglottis Waltoni Tom. 1. p. 81. habet: *Et in rei veritate ipſa eſt conſanguinea mea ex parte patris mei*. Jonathas legit: *Filia fratris patris mei*. Idem ſentiunt Interpretes nobiliſſimi, Hieronymus non ſolum contra Helvidium, ſed & in quæſt. Hebr. ubi ait: *Aran duas filias genuit Melcham & Sarai cognomento Jeſcham*. Et infra, licet alteram quoque ſententiam approbet, inquit: *Fratris ejus eſt Aran filia, non ſororis*. Vatablus pariter: *Soror ejus fuit, ſicut Lot frater ejus*. Mitto Salianum, qui exhibet etiam Schema familiæ Thare Tom. 1. Annal. pag. 360. Cornelium a Lap., & poſteriores reliquos. Addo & Novatores, præſertim Clarium ſcribentem: *Fuit ſoror ejus, ſicut Lot frater*. Deinde Auguſtinianam ſententiam confirmat argumentum, quod depromo ex cap. xi. Geneſ. Ibidem v. 29. Aran dicitur pater Melchæ, & pater Jeſchæ. At videtur Jeſcham eamdem eſſe ac Saram; ideoque hanc eſſe neptem Thare & filiam Aran. Id evincitur primo, quoniam deſcribuntur ibi uxores Abrahami, & Nachoris his verbis: *Duxerunt autem Abram & Nachor uxores; nomen uxoris Abram, Sarai: & nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ & patris Jeſchæ*. Videtur ergo Jeſcha eadem cum Sarai ibidem commemorata; maxime quia proximo v. 31. Sarai non dicitur filia Thare patris Abram, ſed tantum nurus, & uxor filii ſui. Deinde Jeſcham eamdem eſſe ac Saram, eſt pervetuſta Scriptorum clariſſimorum opinio. Joſephus in 1. Antiq. cap. 6. *Ex his* (inquit) *Aranes reliquit Lotum filium cum filiabus Sara & Melcha. Neptes autem ex fratre duxerunt uxores; Melcham quidem Nachoreo, Saram vero Abramus*. Vetus Hebræorum Chronicon de Aran ait, *Hinc natus eſt Lot: ſequenti anno Jeſcha, quæ & Sara*. Jonathan Uzielis: *Jeſcha ipſa eſt Sarai*. R. Aben Ezra: *Antiqui patres noſtri dixerunt Jeſcham eſſe Sarai*. Erudita etiam Interpretatio nominum Hebræorum, quæ extat in fine Tom. 6. Bibliorum Waltonianorum, eſt de Sara, *Domina mea, vel princeps mea. Uxor Abram*, Gen. xi. 29., *filia Aran fratris mariti ſui, quæ & Jeſcha ibidem dicitur*. Nec orta eſt hæc ſententia ex commentis Cabbaliſtarum, quod eumdem numerum hebraice reddant nomen שרה *Sara*, & יסכה *Jiſcha*: ſed, ut animadvertit R. Salomon, Jeſcha cognomento appellata eſt, & quia יסכה *contemplabatur* per ſpiritum, & quia omnes סכוה *contemplabantur* ipſius pulchritudinem. His ergo, eluſque momentis pluribus ſententiæ, quam Auguſtinus amplectitur, additur firmitudo.

E contra opinio eorum, qui Saram exiſtimant germanam ſororem Abrami, infirmiſſimo nititur fundamento. Geneſ. xx. 12. appellatur, inquit Clericus, non tantum ſoror, ſed & filia patris ſui. Ita eſt. Sed *apud Hebræos nepos vocatur frater, & neptis filia*, inquit Vatablus. Et quidem recte: nam Geneſ. xxix. 5. Laban dicitur filius Nachor. xxiv. 48. Rebecca appellatur filia fratris Abrami. 2. Regum xix. 24. Miphiboſeth filius Saul. Conſtat autem his locis filios appellari nepotes. Neque hi tantum, omnes poſteri in ſacris libris dicuntur filii, ut Achan appellatur filius Zara, Joſ. vii. 24., & Chriſtus Mat. 1. filius Davidis. Ergo Sarai neptis Thare ejus filia merito eſt appellata.

Nam

Num an profana hiſtoria probari poſſit in uſu olim fuiſſe inter fratres, ſororeſque conjugia, parum, aut nihil noſtra intereſt. Scimus quæ refert H. Grotius de motibus Gentilium ad cap. Geneſeos viceſimum. Sed non ſervarunt ſanctiſſimi Patriarchæ leges omnes Ethnicorum populorum. Quantum ad ſanctos Patres pertinet, extant de rebus illorum geſtis libri divina auctoritate conſcripti. Ex his ſi nullum aliud proferatur teſtimonium, quam colloquium Abrami cum Sara, *Dic, quod ſoror mea ſis*, aut cum Abimelech, *Vere ſoror mea eſt, filia patris mei*; jam conſtat momentum iſtud nullius eſſe roboris. E contra ratiocinatur Hieronymus adverſus Elvidium, credibile non eſſe Abramum virum juſtum patris ſui filiam conjugem accepiſſe; & quia *in primis hominibus propter aurium ſanctitatem idipſum Scriptura non nominat, malleas intelligi, quam proferri*; & quia Levit. xx. 17. prohibentur matrimonia inter fratres, tamquam res per ſeipſam nefaria; quippe legitur, *Qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem ejus, illaque conſpexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati ſunt*. Ceterum, ut ut defendi poſſit contrarium; neque liquet aperte Sarai fuiſſe filiam immediate generatam a Thare, neque Auguſtinum ſecutum ſententiam deteriorem. Atque hæc pro Auguſtiniana vindiciis tantiſper dicta ſunto. Nam in libris contra Fauſtum hæc tantummodo caſtigat in Phereponus; aut, ſi maculæ aſſictæ ſunt aliæ, exſufflantur halitu, neque opus eſt ſpongia.

CAPUT VII.

De Moſe Hebraicarum legum Promulgatore.

PLURA jam de Moyſe in ſuperioribus libris fuerunt ſuo quæque loco diſputata, de illius antiquitate, de averſione a cultu Idolorum, atque de injuſte inſimulatione Magiæ. Expedientur nunc quæſtiones aliæ de memorabili ſanctiſſimoque viro ab eruditis ſcriptoribus inſtitutæ. Prima quæſtio eſt de nomine, num Ægyptium ſit, an Hebraicum. Videtur eſſe nomen Ægyptium, primo quia impoſitum a filia Pharaonis, Exodi II. 10. 2. quia Moſes interpretatur, *ſervatus ab aquis*. Id vero Ægyptia lingua dici *Μωϋσῆς*, aut *Μωϋ-ϋσης* obſervarunt plures, probatque ex vetuſto Copto Vaticano Kircherius. 3. quoniam a radice משה *extrahere*, participio præterito non appellandus erat משה *Moſcè*, ſed משוי *Maſcià*, quod extractum notat. Arbitremur tamen nomen eſſe Hebraicum, tum quia habet in Hebræo apertiſſimam etymologiam; tum etiam quia lingua Ægyptia appellatum fuiſſe Mneven colligitur ex libro I. Diodori, atque hinc derivata eſt fabula Thalmud, Moſen eſſe Monjon Ægyptiorum, cum Monjus idem ſit ac Menos. At vetuſti Rabbini pro Mneve Menon ſecila poſuerunt. Præmiſſæ autem conjecturæ non difficilem habent ſolutionem. Ad primam quippe reſpondemus cum Rab. Abenezra, *forſan didiciſſe filiam Pharaonis Hebraicam linguam, aut quæſiviſſe de illa*. Altera nullius eſt momenti, quoniam linguæ omnes habent plura nomina ab omnium matre, ideſt, ab Hebræa parum diſſimilia, ac proprie præſertim. Ad poſtremam dicimus, participium Benoni, *Extrahens*, paſſiva ſignificatione uſurpari; & hoc forſan loco non abſque myſterio, cum Moſes non ſolum ab aquis extractus ſit, verum etiam ipſe populum electum deberet extrahere.

Proxima eſt quæſtio de illius uxore Æthiopiſſa, de qua Num. XII. 1. hanc enim Scriptores plurimi aliam putant a Sephora filia Jethro Sacerdotis Madian ducta in uxorem Exodi II. 21. Arbitrantur namque Moſen, priuſquam percuſſo Ægyptio, ib. v. 12. proficiſceretur in Madian, conſtitutum a Rege Ægyptiorum Ducem exercitus ſuſcepiſſe expeditionem in Æthiopiam, ibique filiam Regis ipſius amore captam participem feciſſe connubii, Tharbin nomine. A qua opinione nec abhorret Abulenſis q. 5. in cap. 12. Num., etſi Moſi Tharbin ac Sephoram potest fuiſſe deſponſatas ſucceſſivo tempore, & Sephoram, poſteaquam Tharbis apud Æthiopes remanſerat a viro ſponte divulſa. Hujus opinionis duo ſunt argumenta: unum, quoniam hanc hiſtoriam narrat Joſephus 2. Antiq. cap. 10. eumque ſequuntur viri docti, inter quos Auctor Hiſt. Scholaſticæ Petrus Comeſtor, Fabricius, alii. Alterum, atque illud præcipuum eſt, Sephoram nullatenus dici poſſe Æthiopiſſam, cum Madian ejus patria ſita fuerit in Arabia Petræa ad Rubrum mare: ideoque Æthiopiſſa, de qua in duodecimo Numerorum, alia videtur a Zippora Madianitide.

Longe tamen verius eſt Moſen fuiſſe *Monogamum*, nec aliam duxiſſe, præter Zipporam, aut Sephoram, uxorem. Hiſtoria quippe belli Æthiopici fabuloſa videtur Theodoreto, Ruperto, Cajetano, Genebrardo, Pererio, & Saliano, qui plura de hoc argumento ornate & erudite profert Tom. 2. Annal. ad an. M. 2494. Et quidem vero non eſt ſimile Regem Ægypti poſt illatam ab Æthiopibus cladem imperatorem militum elegiſſe virum Judæum concertato, ut Artapanus narrat, exercitu ex gente Moyſi cognata. Multo minus credendum quod ſcribitur a Joſepho poſt deditionem urbis Meroe, pactiſque cum Regina nuptiis, *ſævitam nihilominus in hoſtes*, attenta præſertim ſingulari Ducis manſuetudine. Quod autem ad incruſtandam fabulam addunt alii ſculptas a Moyſe imagines aſtronomicas in quibuſdam anulis ad amorem vel oblivionem, Moſis religioni, pietatique repugnat. Illa ergo de Moſis in Ægyptum expeditione commentatio, niſi penitus explodenda, ſaltem inter res incertiſſimas a viris doctis rejicitur. At quod legitur cap. XII. Numerorum, percipitur facile, ſi animadvertamus duplicem fuiſſe Æthiopiam, Orientalem unam, Occidentalem alteram. De utraque ſat eſt ſi legas Tabulas Geographicas Auguſtini Lubin additas Sacris Bibliis Antonii Vitrè. Notis Geographorum atque Interpretum circa diſtinctionem Æthiopiæ accedit fuiſſe cognitam etiam Homero ſcribenti in primo Odyſſeæ:

Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἀνδρῶν
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος,
Æthiopas, qui bifariam diviſi ſunt, altimi hominum,
Alii quidem Occidentalis Solis, alii vero Orientalis.

Zippora ergo Æthiopiſſa dicitur, quod terra Madian ſpectet ad Æthiopiam Orientalem Ægypto propinquam, & ad Mare rubrum, ſive Sinum Arabicum porrectam. Niſi mavis mulierem Madianitidem appellari Æthiopiſſam ignominiæ cauſſa, ut ſentiunt complures. Nihil itaque prohibet, quin credamus Moyſen unius uxoris maritum, ut dubio procul tenent innumeri, inter quos Tertullianus ſcribens cap. 6. Monogamiæ: *Meliora ſectari juſſus habes & Joſeph unijugum, & hoc nomine, audeo dicere, patre meliorem; habes Moyſen Dei de proximo arbitrum*.

Quæſtio tertia eſt, an Moyſes percutiendo virum Ægyptium fuerit facinoroſus homicida: quod ſupra diximus a Fauſto Manichæo fuiſſe objectum. Atque ſtant contra Moyſen haud leves, quæ ſequuntur, præſumptiones. Primo enim ipſius conſcientiam redarguunt facti circumſtantiæ, nam cædem illaturus *circumſpexit huc, atque illuc*, Exodi II. 12. Deinde *percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo*. Tum audiens patratum ſcelus palam fieri, *fugit in terram Madian*. Quæ omnia ſunt perſpicua iniqui animi, ſuique facinoris conſcii argumenta. Præterea homicida eſt, qui præter ordinem poteſtatis atque juſtitiæ vitam alienam invadit. At hoc fecit Moyſes, cum privatus eſſet, & nondum in Judicem populi conſtitutus; quod a contribuli ſuo ei exprobratum eſt Exodi 2. 14. Fuit ergo homicida flagitioſus. Atque hæc ratio tanti eſt, ut ad objectionem Fauſti Auguſtinus allatam ſupra reſponſionem inierit, ingenue ſcribens lib. 22. cap. 70. *Conſulta æterna lege reperio non debuiſſe hominem ab illo, qui nullam ordinatam poteſtatem gerebat, quamvis injurioſum & improbum occidi*. Sed etſi Judex fuiſſet, quod conſtat eſſe falſiſſimum, debebat cauſſam attente expendere, cum non ſit vita hominis parvi facienda: nec pro ſola percuſſione mortem rependere, judex non præceps & carnifex. Accedit quod in Epiſtola Judæ v. 9. habetur Diabolum altercatum de corpore Moyſi, contendentem cum Michaele Archangelo dignum non eſſe ſepultura, quoniam percuſſiſſet Ægyptium, ut Œcumenius exponit. Poſtremo non alia ratione veteres Rabbini conati ſunt Moyſen defendere ab homicidio, niſi quia percuſſit hominem non gladio aut ſcipione, ſed pronunciato Dei nomine יהוה. Quod cum mendacium ſit putidum ac futile, quia nondum nomen tetragrammaton fuerat divinitus revelatum: cum Patronorum commentationa videtur cauſſa Moyſi deperdita.

Etſi vero hæc aliquam præſeferunt criminis ſuſpicionem, dicendum puto nullam homicidii culpam in virum ſanctiſſimum transferendam. Probant id aliqui cum Abulenſi Comment. in cap. 2. Exodi, quod exiſtimandum non ſit hominem cum Deo familiariter colloquentem paſſione atque iræ, non æquitate cædem patraviſſe. At poſſet reſponderi nondum divinis apparitionibus fuiſſe donatum, aut id ſaltem divinis ſcripturis non evinci. Itaque divino nutu percuſſiſſe Ægyptium oſtenditur ex cap. VII. Act. Apoſt. v. 24. & ſeq. *Et cum vidiſſet quemdam injuriam patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei, qui injuriam ſuſtinebat percuſſo Ægyptio. Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis: at illi non intellexerunt*. Quibus verbis innuitur Moyſen, licet nondum conſtitutus eſſet Judex, ac rector populi cum manu Angeli, potentique miraculorum virtute, revera tamen jam fuiſſe electum; & idcirco actum illum juſtitiæ exercuiſſe, quoniam arbitrabatur cognatum populum ex illius viſitatione, atque opere ſatis percipere miſſum ſe a Deo illius Ducem ac Redemptorem. At cum noluerint illum recognoſcere, & quidam illi dixerit, *Quis te conſtituit principem, & judicem ſuper nos?* opus fuit, ut cum poteſtate miraculorum iterum Rector rediret. Unde legitur eodem cap. v. 35. *Hunc Moyſen, quem negaverunt, dicentes, Quis te conſtituit principem & judicem? hunc Deus principem, & redemptorem miſit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo*. Atque in hoc figuram prætulit Salvatoris, cujus poteſtas in priori adventu fuit Judæis deſpecta & inviſa, in ſecundo erit ſingulis formidabilis & glorioſa. Ergo Moyſes hominem Ægyptium non ſine auctoritate Judicis, & Vindicis a Deo conſtituti percuſſit. Sed legere Hom. I. S. Baſilii in Hexameron, Amb. lib. I. cap. XI. Auguſtinum Q. 2. in Exodum, D. Thomam 2. 2. q. 60. art. 6. Nicolaum de Lyra in cap. VII. Act. Apoſt. & celebriores alios Interpretes.

Ad primam ergo in contrarium conjecturam, & ad conſe-

Digitized by Google

conſequens argumentum reſpondeo, tunc Moyſen fuiſſe quidem Judicem populi idoneum, at id fratres ejus non intellexerant. Etſi enim Judex antequam demandatum ſibi munus exerceat, debet populo innoteſcere, alias poſſet quiſque ſeſe in Reipublicæ regimen temere intrudere; attenta nihilominus miſera Judæorum conditione, nam erant extra patriam aſportati, maribus circumdati, Regi potentiſſimo infenſi, atque oppreſſi jugo duriſſimæ ſervitutis, nondum videbatur illorum Rector & Judex tam adverſis temporum circumſtantiis publicandus. Ergo Moſes circumſpexit undique, & ſabulo abſcondit Ægyptium, & ſparſo illius cædis rumore fugam arripuit; ne in Dei populum Pharao conciperet acerbiorem indignationem, captivos vehementius affligeret, aut rapto ad ſupplicium ipſo Moyſe divinum de populo liberando conſilium nequaquam perficeretur. Atque hujus liberationis ſpe, non timore in fugam ſe conjeciſſe, auctor eſt Paulus in Epiſt. ad Heb. c. xi. 27. *Fide reliquit Ægyptium, non veritus animoſitatem Regis*. Auguſtinus autem quæſt. 2. in Exodum, poſtquam repetit quæ ſcripſerat adverſus Fauſtum, *Tamen* (inquit) *ſicut Stephanus dicit in Actibus Apoſtolorum, putabat intelligere fratres ſuos, quod per eum Deus daret illis ſalutem: ut per hoc teſtimonium videatur Moyſes jam divinitus admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, hoc audere potuiſſe*. Inſtituere longam cauſſæ tractationem non patiebantur memoratæ temporum circumſtantiæ. De pœnæ ad culpam æqualitate potant aliqui, inter quos Abulenſis, Ægyptium percuſſum fuiſſe propter adulterium: quod pœna mortis etiam apud Ægyptios plectebatur. Nam conſtat, inquiunt, ex Cap. 24. v. 11. Levitici, mulierem Iſraelitidem, Salumith nomine, de concubitu Ægyptii filium blaſphemum peperiſſe. At Cap. 2. Exodi nulla adulterii fit mentio: & ſatius videtur, ſi reſpondeamus utrobique illatam mortem ſignificari, & verſu 11. וַיַּרְא אִישׁ מִצְרִי מַכֶּה אִישׁ־עִבְרִי *Viditque virum Ægyptium percutientem virum Hebræum*, & verſu 12.: וַיַּךְ אֶת־הַמִּצְרִי *Et percuſſit Ægyptium*. Eſt enim utroque loco idem verbum נכה *eadem inferre*. Moyſes ergo mortem morte mulctavit. Ad poſtremum de Corpore Moyſi (nam nos pariter commentationem Rabbinorum explodimus) ſi admittamus interpretationem Œcumenii, nihil contra nos. Etenim ſpiritus nequam Satan & Diabolus appellatur, quod ſit adverſarius & falſus criminator juſtorum, immerito Moyſen accuſabat, illique propterea reſtitit Michael. Sed probabilius eſt contendiſſe diabolum, ne ſancti viri Cadaver terræ mandaretur in terra Moab contra Phogor, atque ob ejuſdem ſepulcrum antiqui idoli cultus aboleretur, quemadmodum contigiſſe in Daphni ex Reliquiis Sancti Babylæ, auctor eſt diſertiſſima Oratione Chryſoſtomus. Aut forte ſepeliendum curabat notiſſimo aliquo loco, ut filii Iſrael proni ad idololatriam divinos illi honores deferrent. Nam utramque cauſſam reddunt Interpretes ac Patres, quos conſulas.

Quæſtio IV. eſt, an Moſes fuerit Heliopolitanus genere, atque ob lepram a ſuis expulſus, ut ſcribit apud Joſephum lib. 2. Apion Grammaticus. Sed liquet Moyſen Judæum fuiſſe ex cap. 2. Exodi, nec non ex Ethnicis Scriptoribus, Tacito lib. v. Hiſtoriarum, Lyſimacho, Dionyſio, & quotquot illius meminerunt. Nec ullatenus probabile eſt, puerulum elegantis formæ expoſitum in carecto ripæ fluminis, niſi fuiſſet ex gente Ægyptiis inviſa. Ob eamdem cauſſam nec percuſſiſſet virum Ægyptium rixantem cum Hebræis. Apion autem non ſolum in deſcribendo genere Moyſis errore labitur, verum etiam in conſignando exitu filiorum Iſrael de Ægypto ad annum 1. Olymp. vii. quo ſcribit ædificatam fuiſſe Carthaginem: at ab exitu de Ægypto ad inſtitutionem Olympiadum anni 715. connumerantur; Carthago enim ædificata eſt juxta Timæum Siculum, & Dionyſium Halicarnaſſenſem lib. 1. Antiq. Rom. anno ante primam Olympiadem triceſimo octavo, & juxta Scriptores omnes longe ante Olympiadum inſtitutionem. Quare Apion in omnem errorem cæcutiens rapitur.

De lepræ autem vitio, quo laboraſſe Moyſen ſcripſerunt Tacitus laudato libro, & Ptolomæus Alexandrinus cognomento Chennus, facile tollitur ſuſpicio. Nam adverſus leproſos, & puſtula ac impetigine infectos plura ſtatuta ſunt Levit. xiii., quibus liquet non fuiſſe Ducem cum univerſo populo tali vitio contaminatum. Quippe ſtatuitur, ut leproſi judicentur a Sacerdotibus, ut deferant caput nudum, veſtem diſſutam, os panno contectum, ut clament ſe contaminatos ac ſordidos, ut veſtimenta maculis conſperſa comburant, aliaque id genus plura. Id vero hac præſertim de cauſſa, quod tali morbo afficerentur iniqui, ut ſacra monſtrat Hiſtoria. Lyſimachus autem, Tacitus, & Chennus mendaces alſe manifeſto deprehenduntur. Etenim ille narrat Judæorum multitudinem in mare demerſam, perpaucos in deſerta loca dejectos. At quomodo tam exiguo numero tot bella gerere, debellare Chananæorum regionem univerſam, urbemque toto orbe celeberrimam condere? Refert ædificatum a Judæis civitatem ab ipſis appellatam fuiſſe *Jeroſylam*, ideſt, ſacrilegam. Sed, ut mittam ſignificationem hebraici nominis ירושלם *Jeruſalem* longe diverſam ab ea, quam habet græcum vocabulum ἱερόσυλα, *Sacrilega*, unde Lyſimachus perperam contendit derivatum alterum ἱεροσύλυμα; quis propriam urbem ſacrilegam appellet? Tacitus etiam ſcribens, *Orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Occhorim adita Hammonis oracula remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, ut inviſum Deis alias in terras avehere juſſum*, duplici ratione refellitur. Primo enim Moyſes Occhorim anteceſſit: deinde veteres Ægyptii Hammonem non coluerunt. Sed vide Juſti Lipſii, aliorumque in Tacitum notas, nec non Chronicon Euſebii de Regibus Ægyptiorum.

Verum eſt, quod Moyſes aliquando extrahens de ſinu manum, *protulit illam leproſam inſtar nivis*, Exodi iv. v. 6. ſed eam retrahens protulit iterum ſimilem carni reliquæ. Quare conſtat hoc magnum eſſe prodigium; neque enim naturaliter fieri poteſt, ut fiat eadem manus extemplo munda ac leproſa. Significabat autem hæc mutatio juxta Auguſtinum Serm. 86. de Temp. Synagogam, & Eccleſiam, ſecundum Cyrillum populum Judaicum, qui in lege permanens, tamquam manus in ſinu, ſummis affectus eſt beneficiis, recedens autem ab obſervantia legis percuſſus atque abjectus evaſit. Sed & præfigurabat Moyſes Chriſtum Dominum jam apud impios deſpectum, quaſi leproſum, poſthac gloria, & exaltatione conſpicuum. Addit Tacitus Judæos abſtinere ſue *memoria cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium*. Verum non ſolum a ſue abſtinendum Judæis erat, ſed ulterius ab omni animali habenti ungulam non diviſam, & a commorantibus in aquis, ſi pinnulis careant aut ſquamis: ut addiſcerent, inquit Clemens Alex. in 3. Pædagogi, *non oportere eos, qui Deum invocant, cum impuris verſari hominibus*. At de his alibi.

Quæſtio V. eſt de facie cornuta Moyſis, ſive de verſione & intelligentia illorum verborum, *Ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua*, Exodi xxxiv. 29. Proteſtantes communiter ſcribunt, ineptam eſſe hanc lectionem, & auctorem Vulgatæ hallucinatum in voce hebraica קרן *Cheren*. Addunt Sixtum & Clementem in novis Bibliis approbaſſe vulgi a tot doctis damnatam conſuetudinem pingendi Moyſen cum radiis ad inſtar cornuum. Inquiunt ex Vulgata verſione Moyſen cornutum prodiiſſe in picturis: & impie lectionem illam retineri ad verſionem Vulgatam ſtatuminandam. Ita Fagius in Exodum, Sixtinus Amama in Antibarb. lib. 2. c. 30. Rainoldus, Glaſſius, & alii. Adverſus tam impudentem procacitatem tria demonſtrabo: unum optimam eſſe verſionem Vulgatæ; alterum noſtræ communionis Interpretes cornutam faciem non intelligere, niſi ſplendidam ac radiantem: tertium picturas cornuti Moyſis vetuſtiſſimas eſſe, recte permitti, neque ex Vulgata verſione introductas.

Primum igitur probo, quoniam hebræam vocem קרן *Cheren* proprie ac literaliter ſignificare *cornu*, & radios hebraice eo nomine appellari, quoniam ad inſtar flammulæ in pyramidem, uti cornua, elevantur, quemadmodum cornu etiam appellari poteſtatem ac dignitatem, eo quod cornua ſint animalibus pars eminentior, atque robuſtior, eſt in ſacris Bibliis maniſeſtiſſimum. Legantur Hebraica Biblia Joſ. 6. 4. Deut. 33. 17. Pſalm. 69. 32. Daniel. 8. 9. &c. Igitur ea verba כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו *quod promicuiſſet cutis faciei ſuæ*, optime a Latino Interprete reddita ſunt, *Quod cornuta eſſet facies ſua*. II. Quamvis קרן ſignificet aliquando regnum, ut 1. Paralip. 25. 5. Pſalm. 132. 17. poteſtatem ac furorem Deut. 33. 17. iii. Reg. 22. 11. Daniel. 21. 40. aut locum eminentiorem Eſaiæ v. 1., nihilominus his omnibus in locis hæretici in ſuis verſionibus retinent vocabulum *Cornu*, quoniam regnum, poteſtas, & locus prominens ducta metaphora a cornu hebraice appellantur קרן *Cheren*. Igitur patiantur & verbum, *Cornuta eſſet*, in cap. xxxiv. Exodi, tametſi hoc verbo ſignificatur ſplendor faciei, quoniam ſplendor ducta metaphora a cornu dicitur Hebraice *Cheren*. III. Memorato cap. Exodi in verbo *Cheran* קרן iidem hæretici agnoſcunt metaphoram, ut liquet ex Salomone Glaſſio pag. 1759. Ergo *Cheren* non ſenſu obvio ac literali ſplendorem ſignificat, ſed translatitio. At ubicumque ſenſus metaphoricus eſt, debet ipſa vox propria retineri: alioqui variatur ſtylus, ſuamque formam ac venuſtatem deperdit, nec habetur verſio Scripturæ, ſed paraphraſis, aut metaphraſis. IV. Verſio Aquilæ pariter habet κερατώδης ἦν, *cornuta eſſet*; & Hieronymus linguarum peritiſſimus in cap. 6. Amos, inquit: *In Exodo juxta Hebraicum, & Aquilæ editionem legimus, Et Moyſes neſciebat, quia cornuta erat ſpecies vultus ejus*.

Quod noſtri Interpretes ac Doctores non adeo ſint imperiti, ut neſciant his verbis, *Cornuta erat facies Moyſi*, ſignificari ſplendorem vultus ejus, & cornua Moſis metaphorice eſſe accipienda, viderit qui ipſorum libros perlegerit. Obſervavimus Gloſſam Interlinearem, Catenam in Exodum Lippomani, Cornelium a Lapide, Emmanuelem Sa, Auguſtinum Calmet, alios: nec adinvenimus ullum adeo ſimplicem, qui credat cornua Moyſi erupiſſe. Ipſe Amama fatetur optime interpretatos hunc locum Steuchum, Cajetanum, Oleaſtrum, Sixtum Senenſem, Bel-

lar-

lerminum, ac D. Thomam. Itaque noſtri in hoc puncto non de ſenſu verborum cum Hæreticis pugnant, ſed de puritate verſionis. Idcirco perperam nobis objectant Verſionem LXX., qui ſenſum quandoque ſecuti reddiderunt, *δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ: Clarificatus eſt conſpectus coloris faciei illius*: ad quam verſionem videtur reſpexiſſe Paulus 2. ad Corinth. III. 7. Nos enim ultro concedimus Moſen fuiſſe in monte clarificatum, & miro ſplendore circumdatum: et id optime cohæret cum allatis verbis ex capite XXXIV. Exodi.

Ut de picturis Patriarchæ Moyſi nonnulla dicamus; proferunt Guilelmus Schikardus, & Jo. Seldenus perantiquum nummum Moſis auribus tenus cornuti cum inſcriptione torqui addita משה *Moſes*: in poſtica autem ſunt verba illa Decalogi: לא יהיה לך אלהים על־פני *Non habebis Deos alienos coram me*. Obſervarunt & in lamina æris cornua haberi arietina. Num procuſi hi nummi a Judæis res eſt valde incerta: vetuſtos autem nullus negat. Hujus imaginis rationem afferunt, quod cornua in ſacris literis majeſtatem ſignificant, regiam poteſtatem, invictam animi fortitudinem, & gloriæ magnificentiam. Similia ſcribunt Bartholin de Unicornu cap. 1. & Hottingerus de Nummis Orient. pag. 136. Magnum quoque Alexandrum nummi exhibent cum Cornibus arietinis ob poteſtatem ac fortitudinem. Hinc dictum putant Arabice *Dul-Karnaim*. Extat his conſimile ſaxum in Muſæo Capitolino Clementis XII. munificentia exornato poſtrema in aula, referens Alexandrum eodem pacto cornutum. Non ergo ex imperitia Pontificiorum interpretum, ut ſcriptitant hæretici alii, neque ex corrupta lectione Vulgatæ, ſed ex priſca conſuetudine prodiit in ſimulacris & picturis Moyſes cornutus, in ſymbolum poteſtatis, & gloriæ. Talem nobis ſculpſit Moyſen celeberrimus Bonarota in ſtatua adhuc Romæ ſervata in Templo D. Petri ad Vincula; ne illam credas vulgarium Opificum conſuetudinem. Ita nobis facile commoveri, ut phraſi utar Tullii, cornua diſputationis, quibus nos petunt Heterodoxi.

Quæſtio VI. eſt, an Moyſes fuerit primus literarum inventor, ut opinantur Poſſevinus, Jo. Mariana, Rupertus, & P. de la Haye in Prolegom. Bibliorum, Sect. V. cap. 2. Reſpondendum eſt negative cum Auguſtino lib. 18. de Civit. Dei cap. 39. Etenim 1. de Moyſe ſacri libri teſtantur, fuiſſe eruditum *omni ſapientia Ægyptiorum*. Act. VII. 22. quod falſo putant factum ſolis literis hieroglyphicis. Quandoquidem alphabeticas etiam apud Ægyptum extitiſſe ante Moyſen, liquet primo, quod imperceptibile ſit omnem Ægyptiorum ſapientiam ſolis hieroglyphicis literis traditam. Deinde Nicolaus Damaſcenus, & Joſephus lib. 1. Antiq. ſcribunt ab Abramo & Chaldæis arithmeticam & aſtrologiam in Ægyptum perveniſſe: & ante Ægyptum cultas has ſcientias ab Aſſyriis auctor eſt Proclus in Timæo. Legimus præterea apud Simplicium Comment. 46. in lib. 2. de Cælo Ariſt., Obſervationes Aſtronomicas, quas Calliſthenes e Babylone miſerat, fuiſſe annorum 1903. uſque etiam Porphyrius refert uſque ad Alexandri Macedonis tempora fuiſſe ſervatas. Illarum vero initium erat paullo ante turris Babylonicæ ſtructuram, & circa annum, ante Abrahamum, ducenteſimum. Certiſſimum eſt etiam Cadmum Phœnicem genere prima Grammatices elementa Græcis tradidiſſe accepta a Chaldæis, ut ſcribit lib. V. Diodorus, & in lib. de Regibus Judæ Eupolemus. Orta hinc opinio Phœnices literarum fuiſſe inventores. Joſeph quoque lib. 1. Antiquit. cap. 3. commemorat columnas duas, quarum una ad ſuam uſque ætatem perſiſtebat, ubi rerum cæleſtium diſciplinas, & curſus aſtrorum deſcripſerant homines Antediluviani.

Probatur 2. nam in Epiſtola Canonica Judæ v. 14. laudatur liber Henoch his verbis: *Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Henoch*, & exſcribitur ſtatim prophetia. Unde Auguſtinus cit. libro de Civit. Dei cap. 38. Enochum quædam divina ſcripſiſſe non dubitat: atque idem eſt judicium Tertulliani in libro de Habitu mulierum. Reſpondent librum Enoch eſſe apocryphum. Ita eſt: at non inde ſequitur Enochum nihil ſcripſiſſe. Etiam ex libris apocryphis, iis videlicet, qui non ſunt undequaque exploratæ auctoritatis, licet certum habeant auctorem, teſtimonia quædam collegerunt Scriptores ſacri. Compertum eſt Paulum Apoſtolum produxiſſe verba ex Arato Gentilium Poeta, Simonide Cretenſi, & Menandro. Hujuſmodi eſt illud Act. XVII. 28. *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, Ipſius enim & genus ſumus*, quod conſtat ab Apoſtolo deſumptum ex Poeta Cilice concive ſuo. Menandri in Thaide eſt trimeter ex ſpondeis & jambis, qui legitur in 1. ad Corinth. XV. 33. *φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί, Corrumpunt mores bonos colloquia mala*. Quod legitur ad Titum 1. 12. *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, Cretenſes ſemper mendaces*, carmen eſt Epimenidis, & Callimachi citatum a Favorino. Ex quibus colligitur perperam a pleriſque Epiſtolam Judæ rejectam, quia ex libro Enoch deſumit teſtimonium, ut in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ſcripſit Hieronymus. Fatemur ergo librum Enoch non eſſe in Canone divinarum Scripturarum, & negamus Enochum aliqua non ſcripſiſſe. At de Moyſe cum hoc capite, tum præmiſſis diſputationibus, & ſcriptiunculis noſtris dictum ſatis.

CAPUT VIII.

De diſtributione, atque interpretatione Decalogi.

SUMMARIUM univerſi Juris eſſe Decalogum recte animadverterat qui libros Philonis de hoc ipſo argumento editos, inſcripſit, *περὶ τῶν δέκα λογίων, ἃ κεφάλαια νόμων ἐστί*. Haud bene ergo ab iis factum, qui Theologicas diſciplinas tradentes Tabulas teſtamenti prætereunt. De his pauca ſaltem diſſerere volumus, quædam curſim attingentes, non trita penitus, & communia. Nam quæſtiones Scholaſtica methodo pertractandas, ſolitas de nonnullis præceptis moveri, ad libros proximos de humanis Officiis, ne hic nimium excreſcat, putavimus rejiciendas.

Itaque *Decalogum* dictum comperimus, quaſi *Decem verba*. Eſt autem *Verbum* in ſacris literis non ſolum quælibet vox ſignificativa, ſed & per analogiam interdum accipitur pro re geſta, aut gerenda, ut dicitur liber uterque Paralipomenon, ſeu Chronicorum, ob recenſionem rerum geſtarum priſcis Judæorum temporibus, hebraica lingua *Verba dierum*, דברי הימים. Sic accipitur Græcum *ῥῆμα* Lucæ II. 15. & *λόγος* ad Rom. IX. 28. Aliquando ſignificat ſententiam aliquam, ut Marc. XI. 29. *Interrogabo vos & ego unum verbum, & reſpondete mihi: Baptiſmus Joannis de cælo erat, an ex hominibus?* Utroque ſenſu arbitramur dictum eſſe Decalogum, videlicet ob decem ſententias Domini, ac præſcriptiones rerum agendarum: unde Auctor Quæſtionum veteris & novi Teſtamenti inter Opera Auguſtini, *Decem ſententias* (inquit q. 7.) *decem verba appellavit*.

Quomodo decem præcepta duabus in Tabulis fuerint diſtributa, vix poſſumus divinare; probabilior tamen eſt ſententia Auguſtini, quæ jam inter Catholicos communis evaſit, talem fuiſſe partitionem, ut una Tabula tria ad Dei cultum pertinentia contineret, altera ſeptem reliqua ſpectantia ad proximi dilectionem. Adverſus quam diſtributionem nihil ſolidi crepant animadverſiones Petri Martyris in caput VII. Epiſtolæ ad Romanos, aliorumque hæreticorum. Prima ergo partitio eſt, quam Judæi quidam tradiderunt poſt Joſephum lib. III. Antiquit. cap. 8. & Philonem in Expoſit. Decalogi, in utraque tabula quina præcepta diſtribuens. Alteram tenet Hieronymus, ac poſt eum complures, opinantes præceptum de non faciendis ſimulacris, eſſe ordine ſecundum, ac diverſum a primo, *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*; ita ut prior tabula quatuor præcepta comprehendat, ſex altera, facto uno de duobus poſtremis prohibentibus concupiſcentiam uxoris, & rerum alienarum. Tertia eſt communiter poſt Auguſtinum recepta, quam ſupra innuebamus: de qua vide Epiſtolam ad Januarium cap. 11. Sermonem 9. de decem Chordis ſive 96. de Temp. cap. 5. lib. III. Confeſſ. cap. 8. &c. Diviſio hæc Auguſtini eſt ceteris probabilior, ſi tria facile percipiantur; primo in una Tabula fuiſſe ea quæ pertinent ad Dei cultum, & dilectionem; in altera autem quæ referuntur ad proximum: deinde præceptum de non habendis diis alienis eſſe ordine primum, & conſequenter ad Deum tria tantum, non quatuor præcepta referri: tertio, quod ex hoc conſequitur, cum VII. alia ad complendum denarium numerum invenienda ſint, nonum ac decimum præceptum eſſe diverſa.

Primum demonſtratur; nam Matth. XXII. 38. & 39. & Marc. XII. 30. & 31. duo tantum dicuntur præcepta legis, *Diliges Dominum Deum tuum*, &, *Diliges proximum tuum*. Id vero ſi dictum eſt propter diſtinctionem tabularum; conſtat omnia quæ ſpectant ad cultum Dei in prima tabula, & omnia quæ referuntur ad amorem proximi in ſecunda tabula fuiſſe conſcripta: ſi autem duo tantum commemorata ſunt, quod hæc ſint veluti genera & capita ceterorum; nemo non videt, quam congruum magis, & longe probabilius ſit, quæ ad diverſa genera pertinent non fuiſſe permixta. Mitto, quod Ambroſius, Beda, & alii interpretantur verba Apoſtoli ad Epheſ. VI. 2. *primum in promiſſione*, primum tabulæ poſterioris. Conveniunt circa hanc diſtributionem Chriſtiani omnes, etiam confeſſione Voſſii diſput. 24. Leidenſi Theſi 3.

Mandatum vero, *Non habebis Deos alienos coram me*, eſſe ordine primum, liquet; nam in iis, quæ præcedunt, *Ego ſum Dominus, &c.* eſt oratio enuntiativa, nullumque verbum ibidem eſt imperativum, ſeu præceptivum. Eſt ergo præfatio quædam ad Decalogum, Majeſtatem, ac beneficentiam Dei, cui obtemperandum ſit, denuncians. Conſequens autem ſententia de non faciendis ſculptilibus numerum cum præcedenti non facit; quandoquidem quiſquis idola fingit ad adorandum eo cultus genere, qui ſummo Numini debitus eſt, jam Deos habet alienos coram Domino. Accedit S. Petrus Auguſtinum Serm. de decem chordis cap. 6. in tribus præceptis prioris tabulæ inſinuatam putare quamdam imaginem Trinitatis.

Duo poſtrema diſtinguenda eſſe jam conſtat; nam alioquin denarius non eſſet numerus præceptorum. Atque diſtincta ſunt 1. ut duobus præceptis prohibentibus illicitos exteriores actus in mulierem, & in rem alienam, ſexto ſcilicet

& ſe-

& ſeptimo, correſponderent duo alia ad coercendam concupiſcentiam. II. quia cap. 20. Exodi v. 17. videtur duplex ſententia diſtingui, repetito verbo, *Non concupiſces, non deſiderabis*, tametſi Deuteronomii v. 21. unica appareat. III. quoniam alia eſt ratio boni delectabilis, alia boni utilis: quorum concupiſcentia poſtremis illis præceptis prohibetur.

Hæc cum probabilia ſint, Auguſtinus non omnino repudiet ſententiam eorum, quibus potius placet in prima tabula quatuor contineri mandata, ut quod dictum eſt, *Non erunt tibi Dii alieni*, diverſum videatur ab illo, *Non facies tibi ſculptile*: & conſequenter unum ſit, *Non concupiſces uxorem proximi tui*, &, *Non concupiſces domum*, &c. Docet tamen partitionem aliam *videri ſibi congruentiorem*; quoniam, *revera quod dictum eſt*, Non erunt tibi Dii alieni præter me, *hoc ipſum perfectius explicatur, cum prohibentur colenda figmenta*. Legito quæſtionem in Exodum lxxi. Imo lib. III. contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 4. videtur in aliam ſententiam declinare, quam certum eſt plures habere aſſertores, ut Auguſtinus ipſe obſervat memorata q. lxxi. ſuper Exodum. Dum ergo ſcribit Petrus Martyr cit. loco: *Miror quoſdam, inter quos etiam eſt Auguſtinus, ex uno mandata duo facere voluiſſe*, ideſt, de duobus ultimis; iniquus eſt æſtimator: quoniam nec Auguſtinus penitus rejicit ſententiam alteram, nec minus probabilis eſt, quam amplectitur. At, inquit Hæreticus, ſi ad numerum earum rerum, quas concupiſcimus, multiplicata ſunt præcepta, ex uno infinita quodammodo faciemus. Inepte prorſus: non enim diſtinguuntur præcepta juxta numerum rerum quæ appetuntur, ſed juxta genera bonorum, in quæ fertur illicita concupiſcentia. Sunt autem hæc, ut diximus, aut delectabilia, aut utilia. Honeſta quippe nefas non eſt concupiſcere. De partitione Decalogi hactenus.

De præceptorum ordine hoc duntaxat controvertitur, an præceptum, *Non mœchaberis*, ſit revera ſextum, an quintum. Ponitur enim ante illud, *Non occides*, in variis Codd. Græcis cap. viceſimo Exodi. Item Marci x. 19. Lucæ xviii. 20. & in Epiſt. ad Rom. xiii. 9. Ita etiam habet Auguſtinus lib. III. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 4. & Serm. 148. de Temp. Sed arbitramur præceptum de non occidendo eſſe priori loco ponendum. Etenim hunc ordinem ſervat noſtra Vulgata Exodi xx. & Deut. v. Tenet eumdem Codex Hebraicus, Joſephus, Philo locis cit. Chryſoſtomus hom. 49. in Matth., alii complures. Habetur tamen alius ordo in quibuſdam Græcis Verſionibus, atque apud Patres, fortaſſe conſulto variatus ob fœditatem, & ſumma mala, quæ infert mœchia, non ob errorem, ut quidam putaverunt, lxx. Interpretum, qui eamdem fœditatis rationem habere potuerunt, quam habuit Marcus Evangeliſta cap. x. & Apoſt. cap. xiii. ad Rom. Nam Lucas juxta Lect. Vulgatæ, quemadmodum & Matthæus xix. 18. tenent ordinem primum & perantiquum. Variant Græca lxx. Interpretum: nam quibus uſus eſt Philo, Complutenſia, & recentiora ordinem tenent Hebræum: diſcrepant Vaticana.

DECALOGI EXPLANATIO.

Præmittuntur Decalogo hæc verba: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis*. Brevis eſt ad legem præfatio, ſed vere divina. Proponit enim ineffabilem ac ſingularem Dei præcipientis majeſtatem tetragrammato nomine יהוה, *Dominus*. Demonſtrat & ſummum illius imperium ac poteſtatem altero vocabulo Elohim אלהים, *Deus*. Vide noſtram horum nominum interpretationem lib. II. cap. I. Inſinuat & divinitatis myſteria, quæ ſub his latere demonſtravi initio librorum de Trinitate. Addit *Tuus*, & ut demonſtrat ſe peculiari titulo Deum eſſe Judæorum, ac maxime nunc Chriſtianorum; atque ut oſtendat ſe unitatis numero ſingulos alloqui. Commemorat recentiora beneficia, quibus ſibi obedientiam ſubditorum magis devinciat.

I. PRÆCEPTUM.

Tam ſublimi præfatione poſita, ſic ſtatuit: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra*. Prohibetur hoc priori mandato quilibet cultus idolorum, ſive fiat adoratione, aut ſacrificio immolationis, aut ſuffimento, aut libamine, aut ritu peculiaris numinis commentitio. Alieni autem dicuntur Dii gentium a Domino, vel natura, ſi ſint res creatæ; vel figmento, ſi ſint opera manuum hominum. Quod Latine legitur *Coram me*, eſt Hebraice על־פני, *Super faciem meam*. Eapropter Græcus in Exodo cap. xx. v. 3. reddidit, πλὴν ἐμοῦ, quæ particula habet hanc vim ſignificationis, *Non habebis Deos alios, ſed tantum me*. Ideo recta Theologi noſtri primum præceptum non ſolum negative accipiunt, ut nefas ſit colere quodcumque idolum; ſed & poſitive, ut exhiberi debeat Deo omne ſpecimen divini obſequii, puta ſacrificium, religioſum cultum, corporis animique inclinationem, & actus Theologalium virtutum. At cap. v. Deuter. v. 7. eamdem particulam על־פני vertit Græcus Interpres, πρὸ προσώπου μου, & Latinus pariter, *in conſpectu meo*: qua phraſi prohibetur quælibet etiam occultiſſima cordis idololatria; quoniam nec cogitationes noſtræ ſunt Deo abſconditæ. Ex quibus liquet legitimum Dei cultum non eſſe, qui exteriori tantum actu exhibeatur.

Dicendum modo, quid ſint ſculptilia, & ſimilitudines vi hujus præcepti prohibita. Pro *ſculptili* habet Hebræus Codex פסל. Eſt autem פסל, idem ac *dolavit*. Ergo non tantum prohibetur erectio ſimulacrorum, ſed etiam quadrati ac perpoliti lapidis poſiti ad religioſi cultus teſtimonium. Nam veteres in lapide quadrato coluiſſe Venerem teſtatur Pauſanias in Corinthiacis. Prohibemur ſimiliter erigere cippum, columnam, aut monumentum aliud dolati lapidis, aut ligni; quippe & uſu ſtipitum coluiſſe Deos auctor eſt Philo Byblius. Quare Deut. 16. 22. ubi præcipitur, ne erigatur ſtatua, poſuerunt Helleniſtæ, στήλην. Pro *ſculptile* vero in cap. xx. Exodi habent Græci, εἴδωλον, *idolum*: at Deut. v. γλυπτὸν, *ſculptile*. Et γλυπτὸν quidem ſignificationem habet eamdem, ac פסל a verbo, γλύφειν, *lapidem polire*, ac *dolare*. Idolon ſignificare putant quamlibet imaginem hæretici complures, maxime Henricus Stephanus, & Scapula. Non deſignare niſi inanis, ac fictæ rei ſimilitudinem demonſtrant Claſſenius lib. I. de Theologia Gent. &, quos illa commendat, Voſſius, Menochius. Addamus Liranum ad Cap. 6. Deuteronomii id aperte probantem ex verbis Pauli I. ad Corinth. viii. v. 4. *Nihil eſt idolum in mundo*: quod nec prætermiſit Claſſenius. Eſt ergo revera idolum ſimulacrum fictam repræſentans divinitatem: unde *Idololatria*, ideſt, cultus, atque adorationis a Creatore ad creaturam translatio. *Similitudines* ergo quid erunt? Profecto non qualeſcunque imagines, ut falſo quidam interpretantur, ſed genus aliud idolorum. Cum enim, ut vidimus, *Sculptile* ſignificet ſtatuam ex ligno vel lapide, aut quæ fiat ſcalpro, vel dolatura; prohibenda etiam erant idola reliqua, quæ conflantur, aut pinguntur: ac propterea additum eſt, *Neque omnem ſimilitudinem*. Quoniam vero adeo deſipuerunt gentiles, ut cultum exhiberent ſoli, lunæ, aſtris, avibus, arboribus, ſtipitibus, piſcibus, ut diximus de origine idololatriæ; horum omnium inanium Deorum idola verbis ſequentibus prohibentur.

Ex hac noſtra primi præcepti explicatione planiſſime, uti credimus, apparet Hebræis non alium ſtatuarum, atque imaginum uſum fuiſſe interdictum, quam idolorum. Quare miramur tantas in Scholis verſari opiniones, ut acerrime quidam propugnent Judæis omnem prorſus ſculpturam, atque imaginem fuiſſe vetitam, quidam alii, permiſſas duntaxat imagines rerum per ſe non extantium. At bene prorſus Auguſtinus docens verbis illis, *Non facies tibi ſculptile*, &c. perfectius præcedentia explicari, & prohiberi *colenda figmenta*; & S. Thomas 3. p. q. 25. art. 3. ſcribens, *quod non prohibetur illo præcepto facere quamcunque ſculpturam & ſimilitudinem, ſed facere ad adorandum*. Hanc ſententiam argumenta iſta confirmant. I. Vidimus, ut imagines, & ſimulacra, ita verbis legis prohiberi quadratos lapides, columnas, cippos, ſtipites, & figuras aſtrorum, ſtirpium, elementorum, herbarum, rerumque creatarum omnium. Nam & dolatum lapidem aliquando eſſe titulum divini honoris evincunt cum Gentilium teſtimonia, tum ſaxum erectum a Jacob Gen. xxxv. 14. Atqui nullus dixerit vetitum fuiſſe Judæis erigere lapides, ac ſtipites, dummodo id non facerent cauſſa cultus extranei, ut fecerunt ad tumulos Jordanis filii Ruben & Gad, Joſ. xxii. 10. Igitur nec vetitum eſt habere imagines ac ſtatuas, ſi hæc eadem idololatriæ cauſſa non intercedit. II. Nonne Cherubim ſculpta fuerunt juxta latera arcæ, & juvenci in mari æneo, leones quoque ad Salomonis thronum? Facta hæc, inquiunt, Dei juſſu, nec figuræ erant rerum per ſe ſtantium. At Dei quidem juſſum cum in his, tum in aliis omnibus ad ſtructuram templi pertinentibus interfuiſſe concedimus, diſpenſationem vero negamus. Res autem etiam per ſe non ſtantes, imo & lapidem & cylindrum, & ſculpturam quamlibet eſſe aliquando idolum, liquet ex dictis: ideoque ſi prohiberentur imagines rerum per ſe ſtantium, quod poſſint eſſe ſimulacra Deorum, deberent abſoluta inhiberi ſculptilia quælibet abſque ullo diſcrimine. III. Oppoſita ſententia repugnat Judæorum hiſtoriis. Nam I. Regum cap. xix. 13. legitur Michol uxorem Davidis poſuiſſe ſtatuam hominis ſuper lectum, eamque cooperuiſſe pelle caprarum. Non deerant ergo ſimulacra in domo Davidis, cum juſtus eſſet ac innocens. Deinde ex libro Joſephi xv. Antiq. cap. 2. habetur Ariſtobolum, & Mariamnem lubenter paſſos, ut pingerentur, illorumque imagines a Dellio miſſas ad Antonium. Certum præterea eſt in Agrippæ Palatio ſtatuas filiorum ejus fuiſſe locatas. Videantur eruditæ Notæ ad librum I. de Bello Judaico cap. 33. poſtremæ elegantiſſimæ editionis Hudſoni. IV. Revincitur ex nummis Hebraicis. De nummis Moſis pertractatum ſuperiori capite. Apud Villalpandum p. 2. Apparatus Urbis & Templi lib. 2. diſp. 4. cap. 27. extat nummus M. Antonii cum ipſius imagine, & inſcriptione, שלמה מלך, *Salomon Rex*. Putant quidem nonnulli peregrinum, non ab Hebræis procuſum: at id non probant. Imagines non protuberantes, ideſt, inciſas in numiſmatibus Judæorum fuiſſe, conſentiunt docti omnes. De protuberantibus negant aliqui, ſed immerito. Sicli a Judæis procuſi ante captivitatem ſculptum habent ex una parte vaſculum, ex altera virgam floreſcentem. Sed quid de nummis in uſu habitis ætate Chriſti? Sculptam in his imaginem Cæſaris liquet ex cap. xxii. 20. Matthæi. Adverſarii putant te

lacte

Digitized by Google

facilè ab hac objectione expedire, dicentes Hebræos, cum ſui juris non eſſent, uſos propter neceſſitatem moneta Romana. Verum nihil plane dicunt. Nam cum ſint Judæi præceptorum ſuorum rigidiſſimi obſervatores, ſi numiſma cum Imagine Cæſaris exiſtimaſſent lege interdictum, numquid ipſi manibus contrectaſſent? Id quidem nullo pacto. Deinde, cum nummi illi haberent ſuperſcriptionem hebraicam; falſum eſt fuiſſe monetam Romanam. Inſuper nulla ratione Judæi coerceri potuerunt, ut paterentur neceſſitatem, quando Pilatus Imagines Cæſaris in urbem intulit, ut narrat Joſephus lib. 2. de Excidio Urbis cap. 8. nec quando poſita eſt Aquila aurea ſuper portam majorem Templi, quod narratur ab eodem Hiſtor. lib. 17. Antiq. cap. 6. Igitur nec propter neceſſitatem contrectaſſent numiſmata Cæſaris, quod agnoviſſent lege interdictum.

At inquiunt Adverſarii, Hæc facta de imaginibus Cæſaris, & de Aquila aurea demonſtrant abjeciſſe Judæos omnem promiſcue imaginem. Hoc fortaſſa præcipuum ipſorum argumentum. Cui, ne a Joſepho recedamus, accedit, quod Hiſtoricus ipſe lib. VIII. Antiq. cap. 7. ait, Salomonem peccaſſe, quando boum æneorum ſimulacra fecit mari ſubtus attollendo, & leonum effigies ſuum circa ſolium. Hæc objectio me nihil penitus commovet. Nam Aquilam auream ſcribit ille fuiſſe conſecratam: *Dedicaverant* (inquit) *ingentem, & magni pretii Aquilam ex auro. Lege autem vetitum eſt iis, qui volunt ex ejus inſtitutis vitam agere, & quidquam cogitare de imaginibus erigendis, operamve dare ſimulacris conſecrandis.* Non ergo excitarunt Judæi turbas, quod rejicerent omnem imaginem, ſed quia appoſitum erat templo ſimulacrum *conſecratum.* Tales eſſe imagines Cæſaris non ſine fundamento ſuſpicabantur, & quia Romani Cæſares inter Deos referebant, & quia Pilatus illas Jeroſolymam intularat clam, & velatas. Nam ſigna & vexilla militaria, utique varie picta, paſſi ſunt æquo animo. Ergo nulla alia de cauſſa ſimulacra aſpernabantur, niſi ob cultum extraneum. Nec refert aſſerere Joſephum, quod Salomon peccaverit. I. quia tot aliis jam productis locis ſcribit, vetitum in lege tantummodo ne conſecrarentur idola. Imo lib. 3. Ant. cap. 5. explicans præcepta Decalogi, id unum iſto mandari affirmat, *nullius animalis ſimulacrum adorandum.* II. quia forſan opinatus eſt jamdudum Salomonem ad idololatriam inclinaſſe, quando ſculpſit juvencos, quod viderentur ii referre numina Ægyptiorum, & veſtigium aliquod eſſe antiquæ idololatriæ. III. quia, etſi id Joſephus credidit, omnium conſenſione falſum eſt; & Dominus omnia Salomonis ad Templi ornatum opera comprobavit, non redarguit. IV. quia Joſephus Phariſæus erat. Et Phariſæorum ſeverior erat diſciplina: unde hi ad majorem cautelam, ne fieret cujuſque animalis ſimulacrum, prohibuerunt. Quod ſervarunt etiam Hebræi Alexandrini, etiamſi communis opinio eſſet Legi imagines & ſtatuas non adverſari. Hinc a civitatibus Judæorum Statuarii & Pictores arcebantur, *ne occaſio præberetur hominibus craſſis*, ut inquit Origenes lib. 4. contra Celſum, Philo in libro de legat. ad Cajum, & Tacitus lib. V. Hiſtor. Sed hæc erat œconomia quædam, & rigidior diſciplina quodammodo Populo illi ad idololatriam prono neceſſaria, non ut quidam putant, expreſſa vis divini præcepti: de quo ſatis.

II. PRÆCEPTUM.

Sequitur Exodi XX. 7. mandatum alterum, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra*: Aſſumere nomen Dei eſt hunc tamquam teſtem ac fidejuſſorem invocare, aut alia ratione Dei nomen proferre: quod ſi reverenter fiat, religioſum eſt, neque alicubi prohibetur. Cavendum ergo, ne aſſumatur *in vanum.* Poſtremæ hujus vocis præcipua ſignificatio eſt, ne id fiat mendaciter: quod frequenter denotat Hebraica dictio לשוא, quæ iſtic habetur. Principio itaque prohibentur perjuria, ideſt non ſtare juratis, aut irrita facere juramenta, nec non falſum obteſtatione divini nominis confirmare. Item fallere verbis expectationem eorum quibus juratur, ſive ambiguitate ſermonis, ſive qualibet mentis alienatione. Idem præterea eſt illud *in vanum*, ac temere, inconſulta, ſive abſque judicio & ratione: ideoque verterunt aliqui, *εἰκῆ*, *ſine conſilio.* Graviter propterea peccat quiſquis jurat temere & abſque neceſſitate. Valet inſuper ea vox *in vanum* idem, ac inani nixu, ideoque habent Græci hoc loco *μάτην*, *incaſſum.* Ex his liquet licita juramenta tunc fieri, quando juratur *in veritate, & in judicio, & in juſtitia*, ut ait Jeremias IV. 2. Atque has conditiones pertractantes de Theologia Morali appellant Comites juramenti. Deerit itaque juramento *veritas* ſi fiat mendaciter, *judicium* ſi pro re levi, *juſtitia* ſi abſque conſilio atque pro re illicita. Aſſumunt Dei nomen *in vanum* & qui, licet non dejerent, irato animo & polluto ore divina, & ſacra pronunciant. Quos Dominus arguit Levit. XXII. 32. dicens, *Ne polluatis nomen meum ſanctum.*

Joſephus libro 4. Antiq. & Philo lib. 3. de vita Moſis, ſcribunt illicitum eſſe blaſphemare Deos, quos colunt civitates Gentilium. Idem ſentiunt Judæorum alii, quod etiam ſimulacra Gentium habeant Dei nomen, atque Exodi XXII. 28. ſcriptum ſit: *Diis non detrahes.* At errant craſſo errore. Nam ſimulacra Gentium immerito Dei nomine deſignantur, & nunquam tetragrammato, ac proprio: ſed, ut verbis utar Apoſtoli I. ad Corinth. VIII. 5., ſunt *λεγόμενοι θεοί*, ideſt, Deorum nomina venditantur. Dii vero, quibus non eſt detrahendum, ſunt Rectores ac Judices, de quibus in Pſal. 81. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Judices ac Principes appellantur frequenter אלהים, *Elohim*, eo quod debeant judicium Domini exercere, ut in 2. Paralip. cap. XIX. 6. At Dii Gentium nihil habent cum vero Numine affinitatis: & illud jure merito Exodi XXIII. 13. cautum eſt, *Per nomen externorum Deorum non jurabitis.* Idola figmenta ſunt, atque abominationes hominum. Ut figmenta nequeunt eſſe teſtimonium veritatis: ut abominationes, ſunt probris, maledictiſque digniſſime.

Aſſumentes in vanum Dei nomen dicitur Dominus non habere inſontes. Legit Auguſtinus Sermone de decem plagis: *Qui enim acceperit nomen Domini Dei ſui in vanum, non mundabitur.* Rationem affert dicendo, *Quia veritas mundat, vanitas inquinat.* Videtur ea lectio ſenſu a Vulgata non diſcrepare, nec ab Hebræa, quæ habet, : לא ינקה, *Non faciet innocentem.* Eſt autem *non facere innocentem*, ſive *non habere inſontem*, illud idem, ac pœnam ſumere, & punire graviſſime. Eſt igitur huic præcepto comminatio pœnæ adjuncta. Vide quæ ſcripſimus in fine diſſertationis de H. Janſeniana.

III. PRÆCEPTUM.

Tertium ad hunc modum ſe habet: *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.* Alia ratio eſt, cur Deus feſti ſanctificationem præſcripſerit, alia cur diei ſeptimæ. Prima colligitur ex verbis verſu II. ſequentibus, ut ſcilicet in ſpecialem cultum Creatoris mentem, animumque intendamus: nam idcirco eo loci creationis ſex diebus peractæ opera commemorantur. Altera inde deprehenditur, quod Sabbato Dominus ab omni opere dicitur requievisse, unde & ſeptime dies *Sabbatum* appellata eſt, videlicet, שבת, *requies*: ad arcendumque ab idololatria populum, & ſignificandam requiem Sanctorum dirigitur hæc inſtitutio. Cum enim lex data eſt, a gentibus creaturis cujuſcumque generis impendebatur latria ſoli, lunæ, aſtris, elementis, piſcibus, plantis, hominibus. *Factum eſt igitur, dum Sabbato ceſſant, ut divinitatis ſenſus Iſraelitis incuteretur, & naturam omnium opificem & effectricem intelligerent*, inquit Hom. 6. de Paſch. Cyrillus Alexandrinus. Ne ergo crederet rudis populus diem ſanctificari ob cultum rerum creatarum, feſtum diei, qua nihil creatum eſt, opportune fuit alligatum. Hinc recte deſignabat Dominus Hebræorum ſolemnia hiſce appellationibus, *Sabbata mea*, quoniam ſigna erant illum tantum eſſe Dominum Deum: ut habetur in Ezech. cap. XX. 20. Atque Sabbati obſervatione ſecernebatur Judæus ab idolorum cultoribus: unde Ovidius in I. de arte amandi, *Culta Palæſtino ſeptima feſta viro.* Erat & Sabbatum typus liberationis, & requiei Sanctorum, a captivitate primum dæmonis, deinde ab ergaſtulo carnis: quorum origo eſt Domini ſepultura. Legitur idcirco Joan. VII. 23. totum hominem ſanatum *in Sabbato.* Lex igitur quantum ſpectat ad ſeptimæ diei determinationem, temporaria eſt, atque abolita idololatria, impletiſque figuris, in diem primum commutanda. In qua præter beneficium creationis, memoria colitur completæ redemptionis, mortiſque devictæ. Ex his autem conſtat hoc præceptum, ut in ſuperioribus dictum eſt, fuiſſe ex parte cæremoniale.

Ut feſta ſanctificentur oportet abſtinere ab omni opere, quod a divino cultu poſſit avertere. Quare Auguſtinus Tract. 3. in Joannem ait: *Spiritaliter obſervat Sabbatum Chriſtianus populus abſtinens ſe ab opere ſervili. Quid eſt enim ab opere ſervili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Similia docet de Spiritu & lit. cap. 15. Semper ergo incumbendum eſt, ne operam demus comeſſationibus, ebrietatibus, & flagitiis reliquis: ac feſtivo præſertim tempore. Videtur tamen his verbis, *Memento, ut ſanctifices*, vis quædam ineſſe præſcriptiva operum ſanctorum; & ideo ſat non eſt evitare peccata, niſi & Sacra peragantur, & inſiſtatur etiam in conventu Eccleſiæ ſtatutis ſupplicationibus.

Quantum attinet ad abſtinentiam ab operibus ſervilibus mirum eſt quanta fuerit, atque adhuc ſit Judæorum ſuperſtitio. Cenſent non exprimendam veſtem madefactam, non venandum pulicem ſaltantem, non ſubtrahendas clitellas aſino, non compeſcendum puerum a fletu, non ſcindenda ligna, non eripiendam ſubſtantiam ab incendio, non ſternendum lectum, non ludendum nuce, aliaque plura recenſita ab Apoſtata Muntero. At hanc ſuperſtitionem optime redarguit Chriſtus Dominus Matth. XII. e verſu 3. ad 9. refutatque exemplo Davidis, qui eſuriens panes propoſitionis comedit, & Levitarum, qui ſine crimine Sabbati otium violabant. Quæ itaque pertinent aut ad humanæ vitæ neceſſitatem, aut ad ornatum templi & celebritatem feſtorum, aut ad pietatis officia, ut fiant die feſto lex divina non vetat.

Conſuetum fuit Hebræis Sabbato extra mœnia urbis recreationis cauſſe deambulare, Spatium itineris definitum tra-

tradunt ad bis mille paſſus, aut ſeptem ſtadia, plus, minus. De monte Olivarum legimus in Act. Apoſt. cap. 1. v. 12. *qui eſt juxta Jeruſalem, Sabbati habens iter*. Diſtantiam hanc eſſe duo millia paſſuum ſcribit D. Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam. Septem ſtadia habet Syrus, dimidium Leucæ, ſive milliariem Lyranus, nec veteres omnino conſentiunt in ſtadiorum ſiuienda dimenſione, aut longitudine milliarii. Hoc unum colligimus, antiquam eſſe Judæorum Sabbato inambulandi conſuetudinem, recreandi animi gratia. A nobis quæcumque oblectatio, quæ a Dei cultu per ſe avertet, eſt ſedulo removenda; cujuſmodi ſunt ſpectacula, choreæ, bacchanalia, & quæcumque feſtorum inſtitutioni jam expoſitæ non conveniunt.

IV. PRÆCEPTUM.

Quartum eſt autem, *Honora Patrem, & Matrem*, Exod. xx. 12. *Primum* iſtud appellatur ab Apoſt. ad Eph. vi. 2. & *quoniam primum eſt in ſecunda Tabula*, ut Auguſtinus ait ſerm. de x. Chord. c. 6., & quia primum eſt *in promiſſione*, inquit ibidem Apoſtolus, ob repromiſſam obſervantibus peculiarem benedictionem. Ad ſecundam autem Tabulam relatum eſt, *propterea quod honor parentibus in gradu ſuo ſervandus eſt, ſed eos tamen in divini honoris comparatione, præſertim ſi impedimento ſint, debemus contemnere*, inquit S. Pater cap. 6. contra Adimant. Ex his divinam intelligimus ſententiam Lucæ xiv. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, &c.* Odium quippe accipiendum hoc loco pro minori dilectione videor mihi aperte conjicere ex cap. x. Matth. v. 37. ubi extat ſententia eadem his verbis: *Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non eſt me dignus*. Fugiendos tamen parentes Religionis cauſſa, hæc ipſa ratio ſuadet; quod ipſorum honor divino ſit poſtponendus. Ceterum recte hoc præceptum in ſecunda tabula priorem habet locum, eo quod tam aperte natura ipſa honorem parentibus decernat, ut non male ſcripſerit Auguſtinus Serm. de x. plagis, *Caninum eſt parentes non agnoſcere*. Adde, quod illi ſunt immortalis Dei quaſi quædam ſimulacra, quemadmodum explicatur in Romano Catech. Habent idcirco quidam Codd., uti Salazar, & Lorinus obſervarunt, ὑπερτίμα, *ſuperhonora*.

Honor parentibus debitus poſtulat pietatem, & ſinceram animi benevolentiam, ne dicatur externis officiis a nobis legem impleri, non caritate. Nam ſi honor exhibeatur intuitu temporalium bonorum, nec ſit ordo debitus dilectionis, honor non eſt, quoniam merces illum parit, non pietas. Talis eſt honor eorum, qui ſenibus obſequuntur, ut adipiſcantur hæreditatem. Legito Serm. Auguſt. 12. ex additis a Sirmondo. Hinc ab Eccleſia definitum eſt, non eſſe licitum cupere mortem parentum, aut de ea gaudere ob pingue venturum patrimonium. Conſule propoſit. ab Innoc. XI. proſcriptas. Ad honorandos parentes ſequitur præterea, ut filii eis opem ferant. Diximus ſupra cap. 6. quantum in hoc deliquerint Phariſæi. Etiam Gentiles clamante natura paſſim id prædicant: inter quos Cicero in 1. de Officiis, *Neceſſaria* (inquit) *præſidia vitæ debentur his maxime*. Exigit præterea parentum honor præſtandam illis, dummodo juſta præcipiant, obedientiam.

Non ipſis aſt Dominus communi parentum nomine, ſed utrumque nominavit, *Patrem ac matrem*, meliori ſane conſilio, quam politici legiſlatores, qui ſolis ferme patribus conſuluerunt. Affert H. Grotius in Exodi caput xx. Perſicas, Romanas, Græcaſque leges. At etiamſi Patrifamilias exhibenda eſt peculiaris quædam reverentia, matrem quoque honore proſequi naturali, divinaque lege jubemur. Et patrum quidem nomine intelligimus primum Genitores, deinde ſuperiores ac principes, tum ætate ſeniores, omnes ſuo ordine venerandos. Enimvero Patrem aliquem nominamus *ob genituram* ac productionem, ut Jabel dicitur pater habitantium in tentoriis Gen. 4. 20. *ob generis originem*, ut Abraham pater Judæorum Joan. 8. 53. *ob educationem* filiorumque magiſterium, ut Sacerdos Judicum 17. 10., & Paulus 1. ad Corinth. 4. 15. *ob gubernationem* ac regimen, ut Eliacim Eſaiæ xxii. 21. & Seniores ætate, ut 1. ad Timot. 5. 1. Id vero non ex ſola ſcripturarum ſanctarum conſuetudine, ſed & ex more omnium gentium, ut Romanis Senatores appellabantur Patres Conſcripti, aut abſolute Patres. Ita Stephanus coram multitudine verba facturus, Act. vii. 2. incœpit: *Viri fratres, & patres, audite*; & Cicero in Catil. *Video P. C. in me omnium veſtrum ora*, &c. Itaque Genitoribus, Patribus familias, Præceptoribus, Præpoſitis, Magiſtratibus ac ſenibus æquum eſt honorem deferre.

Promiſſio ſpecialis huic præcepto adnexa eſt: *Ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*. v. 12. Longævitas eſt vitæ hujus prolongatio. Viſum quibuſdam hebraico verbo לְמַעַן יַאֲרִיכֻן *ut prolongentur*, vim activam ineſſe, ut ſenſus ſit, *ut parentes benedicentes tibi diuturnam vitam elargiantur*. Et quidem Eccleſiaſtici 3. 11. habetur: *Benedictio Patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta*. Ac benedictionis ſingulare habemus exemplum in Jacob Gen. xvii. 27. & in filiis ejus xlix. 2., maledictionis autem in Chanaan Gen. ix. 25. Attamen etſi parentes filiis iniquis non maledicant, vim debitæ maledictionis hi experiuntur. Habes in Abſalom exemplum. Chriſtianis non corporalis vita, & copia terrenorum bonorum pro honore parentibus exhibito eſt expectanda, ſed æterna poſſeſſio terræ illius novæ, quæ in cap. 21. Apocalypſeos promittitur, & de qua David in Pſal. 141. 6. *Portio mea in terra viventium*. At de quarto præcepto diximus: ad quintum deinceps tranſeundum.

V. PRÆCEPTUM.

Quintum nos ponimus, *Non occides*, eo ordine, quem tenet in Exodo xx. 13. Deut. v. 17. & apud Matth. xix. 18. etiamſi alibi præmittatur conſequens vetans mœchiam, ut ſupra animadvertimus. Occidi dicuntur viventia, & metaphorica etiam ſtirpes ac ſemina; unde mori dicitur granum frumenti Joannis xii. 24., & vites occidi grandine Pſal. lxxvii. 47. Hinc quidam hoc non occidendi præceptum conati ſunt etiam in beſtias, & pecora extendere, de quibus S. Pater in 1. de C. Dei cap. 20. imo Manichæi etiam in arbores, poma, folia, herbas; ut idem S. Doctor ſcribit in libro de H. ad Quodvultdeum. Sed refelluntur apertiſſime, primo, quoniam, ut obſervarunt Cajetanus, Lorinus, aliique eſt in hebræo verbum ירה, quod eſt *necem inferre hominibus*. Deinde apud Matthæum xix. 18. ita explicatur, *Non homicidium facies*. Præterea animantia irrationalia, volatilia, natatilia, reptilia nulla nobis ratione ſociantur, quam nobiſcum habeant communem; ideoque juſtiſſima ordinatione vita & mors eorum noſtris uſibus ſubditur. Tam inſanum eſt agriculturam, quæ omnium artium eſt innocentiſſima, tamquam plurium occiſionum auctricem damnare. *Reſtat ergo, ut de hominibus intelligamus, quod dictum eſt, Non occides*, inquit S. Pater de Civ. Dei loco nuper citato. Hæc obiter adverſus Manichæorum dementiam.

Habet quaſdam exceptiones hoc præceptum, ita ut liceat hominem quandoque occidi. Quod fas eſt 1. ſi accedat Dei juſſio, ut Abrahamo, in quo laudatur religio, non redarguitur impietas. II. Si pro Dei cultu, aut publica utilitate bella gerantur, ut fecerunt filii Iſrael contra Philiſthiim. III. Si perſona publica poteſtatem habens ſecundum juſtiſſimæ rationis imperium morte plectat ſceleratos, ut David Amalecitam. IV. Si Spiritus Sanctus latanter hoc jubeat, ut Sampſoni. Vide Auguſtinum eodem libro 1. de Civ. Dei cap. 21. Ergo peccat quiſquis occidit privata auctoritate, aut publica non directa rationis imperio, uti peccavit David præcipiens, ut cæderetur Urias. Similiter qui ſibi ipſis manus violentas inferunt, qui ad duellum provocant, qui procurant abortus; ſed de his alibi. Graviſſimum crimen eſſe homicidium ex eo liquet, quod divinam imaginem violet, quod ſibi homicida arroget judicialem auctoritatem, quod atrociſſime humanam ſocietatem diſrumpat. Nec cædem inferre tantum, vetamur etiam nimis iracundiæ indulgere, de proximorum adverſis lætari, maledictis aliquem laceſſire, cum & minimum contumeliæ verbum animo malevolo, invidoque prolatum apud judicem cordium ſcrutatorem gehenna puniatur. Nam pro genere maledictorum Matth. v. 22. ponitur verbum *Raca* quod hominem levem, ac vecordem ſignificat, & Syrorum lingua minus eſt aliquid, quam *fatuus*. Dixi *irato animo*; etenim zelo caritatis expedit, ut verbis utamur increpatoriis; & ipſe Dominus aliquando vocavit diſcipulos ſuos *ſtultos & tardos corde ad credendum*, Petrum *Satanam*, Phariſæos *ex patre diabolo*, &, *genimina viperarum*; Paulus quoque Galatas *inſenſatos*. Sunt ergo diſtinguenda quæ ab animi indignatione, & quæ a benevola caritate procedunt: nam honeſte poteſt eſſe ira, atque juxta illud Soſiphanis,

Νῦν δεῖ γὰρ ὀργὴν, ὅτε δίκαιον, λαβεῖν.
Quum jus & æquum poſcit, iraſci decet.

VI. PRÆCEPTUM.

At ſextum præceptum eſt Exod. 20. 14. *Non mœchaberis*. Verbum נאף, *Nahaph*, extans in Hebr. videtur eſſe *cum aliena uxore coire*, ut liquet ex Deut. xxii. 22. atque eadem videtur ſignificatio Græci μοιχεύειν, *adulterium committere*, unde eſt latinum *mœchari*. Sed uſurpantur hæc omnia pro quolibet concubitu illicito. Nam נאף impudicum omnem amplexum deſignare demonſtrat ex Abenezra ad cap. 5. Mat. Hug. Grotius. Deut. v. 18. in Arabica verſione Waltoniana extat: *Ne fornicerís*. Mœchiam quoque Græci etiam ſtuprum illatum virgini appellant; unde Luciano dicitur Jupiter *mœchatus Danaen*, apud Robertum Conſt. Henricus Stephanus, & Scapula *mœchalidem* vocari omnem mulierem, quæ ſe ſtuprandam proſtituit, demonſtrant ex Athenæo: atque ob deteſtabiles crimen Lucilius apud Turnebum appellavit imberbes *mœchocinædos*. Male ergo quidam in ſexto præcepto ſolum adulterium prohiberi grammaticalibus rationibus autumarunt. Quamquam ſi haberent hebræa, græca, latinaque verba unam ſignificationem vitiandi uxorem alterius, poſita eſſet conſuetudine Scripturarum *ſpecies* pro genere, ut ſuper pro omni læſione homicidium, ac pro qualibet ſuperſtitione cultus idolorum.

Ergo prohibetur primo loco adulterium, deinde inceſtus

ſtus, ſtuprum, fornicatio, & actus quilibet illicitæ oble-ctationis. Atqua inceſtum omnem damnat Levitici liber aapita 18. connumeratis conſangolneorum gradibus, in quibus certum eſt poſſe Eccleſiaſtica lege in matrimoniis contrahendis diſpenſari: nam conjugium cum nepte prohibisum v. 10. lex naturæ non vetat, ut liqoet ea matrimonin Abrami cum Sara. Utitur Moyſes in probibitione inceſtus preſſiori quadam phraſi, ideſt, *Turpitudinem non revelabis*. Majus aſt aliqnid, quam *cognoſcere*, & *appropinquare ad mulierem*, quibus alibi ntitur ſancta divinarum Scripturarum verecundia; ut poſſimus in inceſto deprehendere ſpecialem quamdam neqoitiam. Stuprum vero, quod lax Julia, & Quintilianus promiſcue accipiunt pro adulterio, & moechia, intalligimos nos vitium illatum virgini. Quod longe fornicationis crimen ſuperat, in ingennis maxime, honeſtiſqua puellis: unde & Romanorum leges permittentas adoleſcentibus ſcortationem, comprimentes Romanam civem pœna plectebant capitali: vitiantes autem civem Atticam, ducere tenebantur: unde eſt in Andria Terentii Act. 4. Sc. 5.

jam ſuſurrari audio
Civem Atticam eſſe hanc. C. hem! D. coactus legibus
Eam uxorem ducet.

Illud autem magnopere mirandum, fuiſſe qui ſimplicem fornicationem, ideſt liberi ad liberam acceſſum excuſarent. Legendum iis primo, quod Dominus præcepit de puella, poſt virginitatis jacturam astra patarnas fores ajiciendam, obruendamque lapidibus, Deut. xxII. 20. Videndus deinde Apoſtolus in 1. ad Corinth. cap. III. 17. ſcribens: *Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*: & cap. 9. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt*. Tum perlegenda quæ ſcribit Augoſtinus ſerm. de x. Chordis cap. x. q. 37. & 38. ſuper Deuteronomiom, & lib. xxII. contra Faoſtum cap. 62. Illud, inquam, magnopere mirandum; atque etiam conſenſiona carnalium populorum deteſtandum. Meretrices quippe ob ſceleris turpitudinem nonniſi peregrinas, & ſerviles fœminas fuiſſe, ac ſeſe proſtituiſſe dontaxat cooperto vultu liquet aa cap. 38. Geneſ. v. 15. Ob vulgati corporis vilitatem appellatas *Lupas* recte obſervavit Lactantius lib. 1. Inſt. cap. 20. & ideo conditores Romanæ Urbis dicuntur lactati a lupa, quod illorum nutrix Acca Laurentia ſui corporis copiam faceret. Certum eſt etiam habitaſſe extra urbem axignas domunculas, & perditos Amaſios aapectantes ſediſſe ante ſtabula: quod ſcribit Grotius prodidiſſe Chryſippum; ac atiam ax Latinis cognuſcitur: inter quos Plautus in Pœnulo Act. 1. Sc. 2. illas appellat *proſedas*: Martialis lib. 12. Epigramm. *ſubmœnianas*, aaram vero caſas Horatius lib. 1. Sat. 2. *olentes fornices*. Quæ omnia demonſtraot ignominiam, ac turpitudinem fornicationis. Gravius tamen aberrarunt, qui auſi ſunt excuſare manuſtupratores: quorum ſcelus naturæ adverſari ratio ipſa declarat, neque id fugit laudatum Martialem in Epigrammate 42. lib. IX. adverſus Ponticum.

Ergo ut Auguſtinus docet q. 71. ſuper Exodum probiberi dicimus *omnem illicitum concubitum, atque illorum membrorum non legitimum uſum*. Neque id tantummodo; inhoneſta quæqua, aut moto corporis, aut verbo, aot ſcripto, aut nuto, aut quomodolibet peragantur. Addimus licentiam oculorum noxia cupiditate vagantium: & denique deſideria nociva, ſenſuſque labefactantem concupiſcentiam. At meminimus oppertune verſus Eccleſiaſtici v. 14. *Sit manus tua ſuper os tuum*, dictique Latini, *Digito compeſce labellum*.

VII. PRÆCEPTUM.

Prohibet præceptum ſeptimum illicitam rei alienæ uſurpationem juſſione illa: *Non furtum facies*, Exodi xx. 15. Eſt autem *furtum*, quando res aliena ſubripitur invito Domino. Quod ſi occulte fiat, retinet furti nomen; ſi per vim, dicitur a rapiendo *rapina*. Prohiberi alieni compilationem lege naturali & Juriſconſulti fatentur cum Ulpiano I. *Probrum*, & ratio evincit, cum lædat hominum ſocietatem, ſimulque rempublicam; cujus recta conſtitutio poſtulat, ut tutæ ſint poſſeſſiones uniuſcujuſqua. Eſt inter furta graviſſimum, quod Latini diaerunt *plagium*, illud ſcilicet, quo liberum hominem emunt, aut vendunt. Nam inter hominum bona habetur poſt vitam præcipuum, atque, ut Cicero ſcribit ad Atticum, dulcius propriam retinere libertatem. Capitale delictum plagium aſſe conſtat ax cap. xxIV. Deut. 7. Qui publicam pecuniam ſubripit, committit crimen *peculatus*, quod nomen apud Tullium quoque frequentiſſimum; unde & violator ærarii latine dicitur *peculator*. Furtum rei ſacræ illud eſt, quod propria ipſa Cicero *ſacrilegium* appellat: quamquam eo nomine intelligimus modo quamlibet rei ſacræ violationem, ſiva furto fiat, ſiva inceſta libidine. Raptores alienorum bonorum ſunt non ſoli latrones, excurſores, piratæ; verum atiam fraudatores vectigalium, fœneratores, & qui rei frumentariæ atque annonæ lucri cauſſa appetunt caritatem. His adnumerandi ſunt etiam ii, qui de ſuperfluis non largiuntur pauperibus eleemoſynam: nec in ſuperfluo dijudicando attendi debet ambitio, cupiditas, intemperantia, quibus deeſſe multa poſſunt, non ſuperefla, ſed propriæ vitæ neceſſitas, & honeſta conditio.

VIII. PRÆCEPTUM.

A cohibenda manu ad linguam coercendam tranſitur ſequenti mandato v. 16. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Hebræis quidem proximus ille tantum videtur, qui aſt popularis aut concivis, ſed habendum ut proximum etiam qui adverſum nos hoſtili eſt animo, monet Chriſtus Matth. v. 43. Ergo nefas eſt cuilibet, atiam hoſti, falſum crimen imponere, aut ad fidem teſtibus detrahendam iis infamiæ notam, culpamque fictitiam objicere. Interroganti autem Judici de patrato ſcelere teſtem aliquem, aut ipſum reum præſcripta formula juris, nequit veritas occultari. Fuit olim hæc formula *Adjuro te*, aut, *Da gloriam Deo*, aut conſimilis. Ita legimus interrogaviſſe Joſue Achan cap. 7. 19. Achab Michaam prophetam, 3. Regum 22. 16., Phariſæos cæcum a nativitate Jo. 9. 24. & Principem Sacerdotum interrogaſſe Chriſtum Mat. 26. 63. Juſjurandum pariter aeigare ſolent Judices; quibus propterea in detrimentum proximi mentientes & ſe crimine perjurii illaqueant, & Deo illudunt, & lædunt veritatem, & fratribus damnum inferunt. Recte argo plectebantur falſidici pœna talionis: cujus exemplum occurrit Danielis cap. 6. 24. & cap. 13. 61. Vetitum pariter aſt mentiri, proximo detrahere, & temere de aliorum moribus geſtiſque proferre judicium.

IX. AC X. PRÆCEPTUM.

De nono tandem ac decimo, quoniam nonnulla dicta ſunt paullo ſupra in partitione decalogi, atque eadem ratio eſt de concupiſcentia & externis operibus, ſufficiat animadvertiſſe lege demonſtrari quod utraque ſint peccata furari alienam rem, & illam concupiſcere; miſceri conjugi alterius, eamque deperire: omniumque rerum poſtremis hiſce mandatis prohibitam aſſe cupiditatem, quarum ſuperiora inhibent contrectationem. Atque hactenus de præceptis Decalogi, cujus Tabulis adjiciam verſus piiſſimi Theodulfi:

Qui cupis eſſe bonus, qui vitam quæris honeſtam,
Me pete, te moneo, Lex ego ſancta Dei.
Sum via, ſum lux, ſum doctrix, ſum conſcia veri,
Lumen inextinctum, qui mihi paret, habet.

CAPUT IX.

Secundaria Judæorum præcepta, ritusque legales, fuiſſe optimo conſilio inſtituta.

CUM ad Manichæorum refutandam inſaniam, Scriptorumque Gentilium Judaica legitima irridentium, tum ad Judæorum ipſorum exiſtimantium perpetuo tempore duratura pervicaciam, craſſamque inſcitiam refellendam, inſtitui hoc loco diſſerere de legalium origine & cauſſa; qua perſpecta duo conſequantur neceſſe eſt, unum in illis ſtatuendis divinum apparere conſilium, alterum vero ſublata inſtitutionis cauſſa finem illorum adveniſſe. Atque hæc duo me aſſecuturum eſſe confido, ſi demonſtravero omnia legalia, præter allegorias & agendæ vitæ rudimenta clariſſima, in quibus deligendis ſtylum exercent interpretes, fuiſſe ordinatiſſima præſcripta, ut graſſantem idololatriæ ſuperſtitionem opportune compeſcerent, & futuri Redemptoris adventum præfigurarent. Nam per Chriſtum principe hujus mundi foras ajecto, ideſt, diabolo divinitatis uſurpatore devicto, data Eccleſiæ miniſtris poteſtate calcandi ſerpentes, omnemque ſuperandi calliditatem, ædificata ſupra petram Eccleſia, ne poſſent portæ inferi adverſus eam prævalere, completiſque promiſſi Evangelii figuris, neque a ſervitute liberatos jugum premere debet vetuſtatis, neque habentibus ſpiritum veritatis typi duntaxat, ſignaque ſunt proponenda. Quæ duo, aptum ſcilicet, atque tempori conveniens adverſus cultum idolorum remedium, atque Salvatoris noſtri prædictiones, Moſaicorum rituum præclaram eſſe ornamentum, ſubjectis animadverſionibus declarabo.

Principio dicam de ciborum & animalium diſcretione, de qua pertractat caput Levitici XI. Hac ſane proviſum eſt, ne Hebræi communes haberent cum Gentibus epulas, moreſque illarum paullatim aaurerent. Nam conviviis potiſſimum junguntur fœdera, & addiſcuntur ſcita, moreſque exterorum. Deinde cum delectum ciborum feciſſent idololatræ damnabili ſuperſtitione, nova lege diſcreti ſunt, E. G. ut immunda haberentur animalia, quæ *multifida* ſunt, ideſt, ſciſſis ungulis, & non ruminant; ſive ruminant, nec ungulam dividunt. Abſtinebant quidem etiam Ægyptii ſolidungulis & cornigeris, & ſuilla etiam carne, ut ſcribunt Herodotus, & Porphyrius: ſed hi quibuſdam animalibus divinitatem tribuebant, quibuſdam aliis utebantur ad auguria captanda; Judæi vero ab iiſdem animalibus abſtinere juſſi ſunt, tamquam immundis. De ſue præſertim id conſtat, tametſi putat Tacitus Judæos hujus animalis carne non veſci, quod ſcabiei ſit obnoxium. At cauſſam, quam divinare nunquam potuerunt Gentiles, ignorantque nunc etiam permulti, docent nos profani ritus idololatrarum. Porcus

anim magis, quam aliud animal idolis immolabatur. Liquet primum ex Athenæo, qui refert a ſue immolata Veneri hujus feſtum appellatum ab Argivis *Hyſteria*. Deinde ax Ovidio, qui primo Faſtorum libro inquit, *Prima Ceres avida gaviſa eſt ſanguine porcæ*. Tum ex Varrone ſcribente in libro 2. de re ruſtica, *Sus dictus a Θύειν, quod eſt immolare*. Legitur & apud Joſephum lib. 12. Antiq. cap. 7. Antiochum captis Jeroſolymis *ingentem porcum ſacrificaſſe*. Inter puras victimas etiam a Romanis connumeratos porculos, demonſtret libro 4. de vet. Jure Pontif. Jac. Gutherius. Eamdem fuiſſa hoſtiam eorum, qui initiabantur, probat ex Ariſtophane in Eleuſina cap. 7. Joannes Meurſius. Factam mactato ſue expiationem concionis oſtendit lib. 2. de Republic. Athen. cap. 4. Carolus Sigonius. Inſaniam quoque tali victima piari ſolitam erudite demonſtrat ex Plauto, & Horatio Comment. in xI. Lev. Jo. Lorinus. Nullum ergo animal in ſacrificiis idolorum tam frequens, quam ſues, unde a vetuſtis Latinis *porci ſacres* dicebantur. Præterea in magicis ſuperſtitionibus factam olim juſculo porcino dæmoniacam conſecrationem, ideoque ſervatum illud ab idololatris, non male quidam conjiciunt ex verbis Eſaiæ cap. 65. 4. *Qui comedunt carnem ſuillam, & jus profanum in vaſis eorum*. De qua conſecratione plure de Legibus Hebræorum Spencerus. Tandem etiam fœdere mactatione ſuis iniſſe inita, liquet ex Virgilio Æn. VIII. canenta: *Stabant, & caſa jungebant fœdera porca*. Recte ergo animal illud olim execrabantur Judæi ob horrendas idololatrarum conſuetudines, non propter ſcabiem duntaxat, ut ſcribit Tacitus, neque propter rationem aliam ſatyrica allatam a Juvenali, ubi de Judæis ait, Sat. 4. *Nec diſtare putant humana carne ſuillam*.

In abſtinentia autem ab immundis animalibus præfiguratam Chriſtianorum diſciplinam, Patres, atque Interpretes omnes commonſtrant. Neque diu hoc in argumento verſabor; nam milvum, aquilam, & aves ceteras rapina victitantes fœneratorum rapacitatem ſignificare, nemo non videt. Animal non ruminans typum gerit illorum, qui a carnali ſenſu ad ſpiritualem reminiſcentiam non revocantur, veluti beſtiæ, quæ eſcam in ventrem trajiciunt, neque retrahunt ad os dentibus comminuendam. Porcum immunditiæ ſymbolum eſſe ſatis percipit, qui illum videt ſe volutantem in cœno; unde a Judæis appellatum חזיר *Chazir*, quaſi quod luto *convolvitur*, obſervatum ab aliis. Legendus libro 3. Pædagogi S. Clemens Alex. & S. Pater cap. 15. contra Adimantum, & lib. 6. contra Fauſtum cap. 7. Fruſtra autem aliqui allegorias divinarum Scripturarum rejiciunt, cum & Apoſtolus Paulus eaſdem in veteri teſtamento agnoverit, ut dixi cap. 6.

Dicam jam nonnulla de Judæorum Paſchate: & primo oſtendam, quomodo inſtitutum fuerit adverſus Ægyptiorum idololatriam. Exodi XII. legimus v. 3. *Tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas*. At nullus Ægyptiorum agnum vel hœdum manducabat: quod non ſolum affirmarit Theodoretus, ſed & Juvenalis ſcribens Satyra v.

> . . . . . *Lanatis animalibus abſtinet omnis*
> *Menſa, nefas illic fœtum jugulare capellæ*.

Præcipitur v. 5. et agnus ſint maſculus: Servius autem in 8. lib. Æneid. animadvertit, *in omnibus ſacris feminini generis plus valuiſſe victimas*. Ibidem mandatum eſt, ut tollerent & hœdum: ex quo ritu non male Tacitus ſcribit de Judæis lib 5. Hiſt. *Cæſo ariete velut in contumeliam Ammonis*. Verſu 6. ſervandum agnum præcipitur uſque ad quartamdecimam diem menſis Abib, ideſt ad plenilunium vernum: eademque dia Ægyptios Arieti ſacrificaſſe demonſtrat apud Spencerum Abram Seba. Juſſum v. 7. ponendum ſanguinem ſuper poſtes, & in ſuperliminaribus domorum; idque ad confutandam Ægyptiorum inſaniam, qui opinabantur mactationem hœdi eſſe mortiferam; cum ea nocta ſanguis ille Judæos a cæde Ægyptiis illatæ immunes reddiderit. Cautum præterea v. 9. ne comederent ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed tantum aſſum igni; nam Gentiles, ut ſcribit Arnobius lib. 5. contra Gentes, & Clem. Alex. in Admonit., alii crudarum carnium eſu ſacram agebant inſaniam, alii caprorum reclamantium viſcera cruentis oribus diſſipabant, alii hœdum in aqua, aut lacte elixabant. Extat etiam apud Catullum hujus inſaniæ teſtimonium eo verſu: *Pars e divulſo jactabant membra juvenco*. Nihil ex eo remanere debebat uſque mane: etenim Sacerdotes idolorum carnes victimarum diſtribuebant, illaſque feminæ, ut iis abuterentur ad turpia, condiebant ſale, ut liquet ex verbis Baruch cap. VI. v. 27. *Hoſtias illorum vendunt Sacerdotes ipſorum, & abutuntur: ſimiliter & mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt*. Tandem inter cæremonias, ne ſingula perſequamur, præſcriptum eſt, ut ederent azymos panes cum lactucis agreſtibus, ſive עַל־מְרֹרִים, *amaris*. Quippe certum eſt nonniſi panem fermentatum idololatras in ſacris adhibuiſſe, juxta Maimonidem lib. 1. cap. 131., ſuccis autem dulcibus ex uva expreſſis, aut melle permixtis frequenter uſos; ideoque Levit. 2. v. 11. legitur: *Nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino*. Contra mel uſurpatum in ſacris Mithræ demonſtrat ex Porphyrio, & Scholiaſta Papinii ad finem Thebaidos H. Grotius. Adde verſus Ovidii ex III. Faſtorum:

> *Liba Deo fiunt, ſuccis quia dulcibus idem*
> *Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt*.

In hoc Judæorum Paſchate præfiguratam humani Generis redemptionem, ſatis compertum arbitror. Nam Chriſtum ſub Agni nomine ac typo prædixerat Eſaias cap. XVI. v. 1. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*: & Baptiſta Joan. 1. v. 29. videns venientem ad ſe Jeſum ait: *Ecce agnus Dei*. Prædicens & Propheta Salvatoris in paſſione ſua humilitatem ait cap. v. 3. 7. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet*. Quæ de Chriſto interpretatus eſt Philippus Eunucho Act. 8. 32. Completam eſſe conſtat paſſionem Chriſti, inſtitutamque in Azymo Euchariſtiam in ipſo plenilunio menſis Niſan. Animadvertit Joannes cap. 19. 36. in Chriſto illud quoque adimpletum Exodi 12. 46. *Nec os illius confringetis*. Ad contundendam Judæorum pervicaciam, addo in libro Cabalæ, quem plurimi ipſi faciunt, ſcriptum eſſe: *Et in eadem die, videlicet quintodecimo menſis Niſan redimendus eſt Iſrael in diebus Meſſiæ*. Legito Catenam in Exodum Lippomani.

Idem profecto judicium ferendum eſt de reliquis ritibus & ſacrificiis Judaicis. Etenim cur illis animalia immolabantur, quibus Gentes ſummum deferebant honorem, niſi in idolorum contemptum? Proferamus præ ceteris exemplum unum *vitulæ rufæ*, cujus ſacrificium deſcribitur cap. Numerorum 19. Bovem Ægyptios adoraſſe, dictum ſæpe. Videatur Plinius lib. VIII. cap. 46. Claſenius, Voſſius, Lilius Gyraldus, Seldenus, & qui de Diis, ſive Theologia Gentilium pertractarunt. Ergo a Judæis bos immolabatur in contumeliam Numinis, quod Ægyptii Apim vocabant. Vitula autem eligenda erat, quoniam hæc ſingulari cultu in memoriam Iſidis colebatur. Vidit id etiam D. Thomas 1. 2. q. 102. art. 5. Cur comburenda eſſet vacca cum pelle, carnibus, ſanguine, & fimo, conſtat ex dictis; quoniam ſcilicet idololatræ reliquiis victimarum abutebantur. Additur recens exemplum ipſorum Hebræorum; qui Ægyptiorum idolis nimium addicti, conflato vitulo Apim adoraverunt, Exodi 32. *Apim* dixi: nam quod ſcribunt Grotius, Epiſcopius, & hæreticorum aliorum nonnulli, vitulum illum conſecratum *Jehovæ*, ideſt conflatum ut in eam imaginem Spiritus veri Dei, quem colebant, adveniret, falſum eſt penitus. Arbitrantur enim non adeo Judæos deſipuiſſe, ut vitulum adorarent, numenque profanum. Sed nimium illis gratificantur; nam apud Amos v. 26. habemus revera illos coluiſſe idolum Moloch. Sive Deum Moloch dixeris eſſe Ρεμφάν, ut vertunt LXX. ita appellatum a Rege Ægyptiorum Remphis, ſive *Kiun* nomen ſtellæ, in qua olim Ægyptii coluerunt Saturnum; conſtat Hebræos in idololatriam Ægyptiorum antiqua conſuetudine fuiſſe proclives. Quid ergo prohibet, ne dicamus Hebræos revera Api cultum præſtitiſſe? maxime cum iiſdem uſi fuerint in idololatria cæremoniis, comeſſationibus, & ludis, a ſuperſtitioſa Ægypto, dum Apim coleret, uſurpatis. Sed auctore ipſo Grotio Moyſes ideo comminuti vituli cineres v. 20. ſparſit in aquam, ut pœna fieret ſuperſtitio ipſa Ægyptiorum, de que Papinius:

> . . . . *aut quo ſe gurgite Nilo*
> *Mergat adoratus trepidis paſtoribus Apis*.

Ergo revera vitulum Judæi adoraverunt, ut ſcripſimus Lib. 1. cap. v.: atque contra idololatriam immolatio vaccæ optime fuit inſtituta.

Sacrificium iſtud typum fuiſſe Chriſti diſerte ſcribit Apoſtolus ad Hebræos cap. IX. 13. & cap. XIII. 12. Et quidem vitula educta extra caſtra Chriſtum extra portam paſſum præfigurabat, & ſanguis illius aſperſus contra fores Tabernaculi, Chriſti ſanguinem emundantem conſcientias noſtras, & Patri pro nobis litatum oblatum. De his plura in Bibliorum ſingulis Commentariis. Quorum hoc unum ſingulare commemorandum eſt, quod ædificato poſt Salomonem templo ſanguis vitulæ rufæ aſpergebatur in monte Olivarum, eodem nempe loco, ubi Dominus Jeſus inchoavit paſſionis ſuæ ſacrificium. Ibidem juvencam illam rufam mactatam ſcribunt Abenezra, & Rabbini alii in cap. 19. Num., Interpretes noſtri, & etiam Grotius Com. in Matthæum, & Spencerus de legibus Hebræorum.

Hircum, in quo dictum ſupra adoratum Hammonem, ſpeciali ritu immolandum præcipitur cap. 16. Levitici. Duo enim hirci ſtatuendi erant ante Dominum, & miſſa ſorte unus offerendus erat pro peccato, alter emittendus in ſolitudinem. Ex hoc loco objiciebat Julianus Apoſtata apud S. Cyrillum Alexandrinum, in lege Moyſi oblata ſacrificia etiam dæmonibus. Et quidem caper emiſſarius in Hebraico texto dicitur ſors *Azazeli*, לעזאזל. Azazelem ipſam diabolum eſſe, videtur concedere Origines lib. 6. contra Celſum: unde Auguſtinus q. 55. in Levit. dicit, hircum dimittendum a quibuſdam *accipi in malum*. Eamdem opinionem amplexus eſt memoratus Spencerus in diſſert. de Hirco Emiſſario Tom. 2. de Legibus Heb. pag. 1425. ubi nititur demonſtrare diabolum dici Azazelem, quoniam eſt עז, *fortis*, & אזל, *abiens*: unde Jacobus cap. 4. 7. ait:

Reſiſtite

Digitized by Google

Reſiſtite Diabolo, & fugiet a vobis. Inquiunt & a Magis in Claſſa dæmonum, quos aſſerunt elementis præeſſe, connumereri hunc Azazelem.

Verum inter varias de Capro illo opiniones certiſſimum puto ea verba Levitici, *Cujus exierit ſors Azazeli*, non diabolum deſignare, ſed caprum ipſum emiſſarium, ita, ut non ſolum conſecratus non fuerit dæmoni, ſed nec ſuperſtitionis cauſſa miſſus in ſolitudinem. Nam & opinio illa, quæ Azazelem interpretatur dæmonium, imprudens & nefanda dicitur a Procopio, & Cyrillo; & ipſa lectione Levitici refutatur. Etenim Vulgata noſtra pro Azazele habet *Caprum emiſſarium*: Græca, ut animadvertit citata Q. Auguſtinus, ἀποπομπαῖον, *ablegatitium*; & ipſum vocabulum hebraicum עזאזל, *Azazel*, magis capro quadrat, quam diabolo. Nam עז capri proprium eſt nomen, אזל vero idem eſt, ac *emiſſus*, vel *abiens*. Az-azel ergo idem eſt, ac hircus emiſſus. Quid autem noſtra intereſt, ſi Magi hirci nomen Diabolo tribuerunt? Quod ſi placet in Azazele ita Diabolum intelligere, ut in Capro emiſſario ſignificata ſit expulſio idololatriæ, hoc quidem ſenſu Origeni non repugno. Auguſtinus hircum dimittendum non eſſe accipiendum in malo demonſtrat, quoniam etſi homo, a quo in eremum ducebatur, cum rediret lavare juſſus eſt veſtimenta, abluendus erat pariter qui alterius hirci carnes cremabat extra caſtra, etiamſi hircus ille accipiendus eſſet in bono. Itaque recte reſponſum Juliano, nullum hircum in lege Moyſi fuiſſe Diabolo conſecratum, cum Azazel non Diabolus ſit, ſed hircus ipſe. Sed etiam conceſſo Azazelem eſſe Diabolum, hircus emiſſarius deportabatur vivus in ſolitudinem: ergo non mittebatur Diabolo oblationis & victimæ loco, cum victima omnis mactetur, & juguletur.

Porro in hirco emiſſario præfiguratam ablegationem idololatriæ, & Diaboli per Chriſtum ejectionem dictum eſt nuper. In duobus autem hircis, quorum alter dimittebatur, quidam volunt deſignatos Chriſtum & Barabbam, alii ſortem prædeſtinatorum ac reproborum, nonnulli Meſſiam & Barſabam, aliqui Eccleſiam & Synagogam. Ex dictis autem illa duo, quæ declaranda ſuſcepi, videntur manifeſtiſſima, legitima Moyſi utilia olim fuiſſe, quia ab idolorum cultu removebant; nec perpetuum duratura, quoniam figuræ erant futurorum:

Finis enim legis Chriſtus, quia lege fideli
Prædictus, legi lex veniendo fuit,
Præſcribens veteri finem, legemque fidei
Legem perfectam Gentibus inſtituens.
Unde Magiſter ait, Vetera effluxere peractis
Temporibus, ſubeunt omnia ubique nova.

S. Paulinus de Obitu Celſi pueri.

CAPUT X.

Quando legalia abrogata ſint, & cœperint eſſe mortifera.

FINIS ergo legalium, quæ ad ſignificationem futurorum fuerant inſtituta, ipſe Chriſtus eſt. Quæritur icirco an lex Moyſis in iis, quæ Evangelii typum gerebant, Salvatore noſtro ſuffixo Cruci fuerit abrogata. Id vero duplicem ſenſum patitur; nam dubitari poteſt, num poſt mortem Chriſti ita legalia illa ceſſaverint, ut nullatenus ad ſalutem æternam fuerint neceſſaria, neque vim habuerint a peccato expiandi, quod ſignificare volunt a Schola Theologi, ubi diſputant, utrum fuerint eo tempore *mortua*: & inſtitui poteſt diſceptatio, an ſtatim cœperint eſſe noxia, ita, ut nefas eſſet illa amplius in uſum aſſumi, quod intelligunt Scholaſtici diſſerentes utrum fuerint etiam *mortifera*. Et mortua quidem legalia ipſo Chriſto in crucem ſublato conſentiunt Theologi, tametſi diſcrepent aliquantulum, an præciſe in ipſa morte Redemptoris fuerint abrogata, an circumciſio, ut ſentit Scotus, in inſtitutione baptiſmi, ſacrificia autem, ritusque alii poſt Domini reſurrectionem. Quæ poſtrema difficultas non eſt tanti ponderis, ut operam omnem videantur expoſtulare.

Gravior eſt altera, an ex quo cœpit promulgari Evangelium, fuerit lex vetus ſemper mortifera, ita ut nefas eſſet cæremonias veteres ea animo obſervare: de qua re certarunt olim duo Eccleſiæ lumina, Hieronymus & Auguſtinus: quorum ut mentem percipias, controverſiæ inter illos exortæ originem progreſſumque narrabo. Hieronymus quidem exiſtimavit legalia fuiſſe mortifera; ſed cum optime ſciret, quod Paulus ſe totondit in Cenchris, (portus erat Corinthiorum ad Sinum Saronicum) quod facto calvitio oblationem obtulit in Jeruſalem, ac Timotheum circumcidit, & exercuit nudipedalia, quæ manifeſtiſſime de Judæorum cæremoniis ſunt, docet in caput 2. Epiſtolæ ad Galatas utilem aliquando eſſe, & aſſumendam in tempore ſimulationem, eaque uſum Apoſtolum, ut quæ nocebant iis, qui ex Gentibus crediderant, correptionis hypocriſi emendarentur. Ita & Petrum ſe geſſiſſe, dum cogebat gentes judaizare, & a Paulo non ea animo, ſed opportuna ſimulatione fuiſſe reprehenſum. Atque hæc iiſdem ferme Hieronymi verbis relata ſunt.

Auguſtinus cum hæc legiſſet, ſcripſit circa annum 395. Epiſtolam ad Hieronymum VIII., nunc 28. in qua poſt nonnulla pertinentia ad novam, quam Hieronymus exornandam ſuſceperat, ſacrorum Bibliorum Verſionem, de præſenti controverſia ait dolere ſe, quod a Hieronymo tali viro, vel a quopiam, ſi alius illa ſcripſit, patrocinium ſuſceptum eſſet mendacii, atque fore ut non mediocriter commoveretur, donec refellerentur, ſi forte refelli poſſent, momenta rationum, quas e veſtigio proponit. Id vero tanta humilitate Auguſtinus præſtitit, ut ſub finem Epiſtolæ ſcripſerit, ſe difficillime bonum judicem futurum legendo quod ſcripſerat, ſed aut timidiorem recto, aut cupidiorem; malle autem ſe veritatem audire a melioribus, ne ſi a ſe ipſo reprehendatur, blandiatur ſibi, & meticuloſam potius quam juſtam ferat in ſemetipſum ſententiam. Cum reddita non eſſet hæc Epiſtola, circa annum 397. aliam S. Pater conſcripſit numero IX., nunc 40. ubi poſteaquam officioſum mendacium, ſeu Apoſtolorum aſſertam a Hieronymo ſimulationem iterum exploſit, illum hortatur ad canendam παλινῳδίαν, quod pulcrior ſit veritas Chriſtianorum, quam Helena Græcorum: alludens ad Steſichorum, quem ferunt laudando Helenam oculos recepiſſe, quos illi detrahendo perdiderat.

Hieronymus hac Epiſtola accepta veritus an eſſet Auguſtini, id tamen exiſtimans ex ſtylo, & argumentationis methodo, brevi reſpondit, optare ſe, ut Auguſtinus aperte ſcriberet, ſi ſua eſſet Epiſtola; ceterum nolle ſe in Auguſtini libris quidquam carpere, unumquemque in ſuo ſenſu abundare, & puerilem eſſe jactantiam accuſando illuſtres viros ſuo nomini famam quærere. Addit nonnulla, quæ videri poſſent commoti animi argumenta, ut eſt illud, *Memento Daretis, & Entelli; & vulgaris proverbii, quod bos laſſus fortius figat pedem*. Eſt hæc Epiſtola inter Auguſtinianas XIII. nunc 68. Addidit Hieronymus & Epiſtolam XIV. ſive 72. in qua ingenue, propriaque ſancti viri libertate, ſcripſit, ut Auguſtinus mitteret epiſtolam propria manu ſubſcriptam, aut deſineret laceſſere ſenem latitantem in cellula: eſſe Romæ complures, qui cum eo in diſputatione jugum ducerent, ſi propriam vellet exercere doctrinam; ſe quondam militem, jam veteranum, debere aliorum laudare victorias, non effœto corpore dimicare. At incredibile eſt, quanta humilitate S. Auguſtinus aſperitatem Hieronymi lenire ſtuduerit. Nam reſcripta Epiſtola LXXIII. olim 15. ait agnoſcere peccatum ſuum quod prior literis ſenem ſanctiſſimum læſerit; obſecrat illum per manſuetudinem Chriſti, ut ſibi dimittat, nec viciſſim lædendo malum pro malo reddat: teſtatur ſe non pertimeſcere ad inſtar Entelli, qui cædebatur, non ſanabatur, ſalubria verba, & correptionem medicinalem: hortatur, ut fortius figat pedem quaſi bos laſſus, ſenectute forte corporis, non vigore animi, dummodo culpæ ſuæ palea conteratur. Atque alia habet plura, quibus Hieronymi ſententias placide excipiens illarum frangit aculeos.

Talibus Hieronymus devictus officiis ad propoſitam quæſtionem reſpondit circa finem anni 404. epiſtolam jam inter Auguſtinianas XI., & haud recto ordine ante præcedentes locatam, nunc num. 75. congrua ſerie poſitam. In hac vero primo Hieronymus ait, ſe in præfatione Commentariorum in Epiſtolam ad Galatas libere confeſſum Origenis commentarios ſe ſequutum, neque ex definito animo ea defendiſſe quæ in Græcis legerat, ſed ea expreſſiſſe quæ legerat, & lectoris arbitrio dereliquiſſe, utrum probanda eſſent, an improbanda. Deinde ait, quod ſi Auguſtino placet Judæos, quicunque credunt, debitores eſſe legis faciendæ, ipſe Epiſcopus toto orbe notiſſimus hanc promulget ſententiam, & in aſſenſum ſuum omnes coepiſcopos trahat. Priori tamen Hieronymus hæret adhuc, eamque confirmare nititur iiſdem argumentis diligentius tractatis, quæ in Commentariis Epiſtolæ ad Galatas olim produxerat; atque ſimulationem Apoſtolorum, non officioſum mendacium fuiſſe contendit, ſed honeſtam potius diſpenſationem. Verum S. Pater argumentationibus Hieronymi ſatisfecit Epiſtola XIX. nunc 82. data anno 405. In illa vero propugnat Petrum, dum cogeret judaizare gentes, non recte ad veritatem Evangelii fuiſſe ingreſſum, & recte a Paulo reprehenſum: ac Paulum ipſum quandoque veteres cæremonias ſervaſſe, non ſimulate, neque ea neceſſitate, quaſi putaret iis Chriſtianam conferri ſalutem, ut putabant Ebionitæ; ſed ne crederetur antiqua ſacramenta, quæ in umbris rerum futurarum Deus fieri juſſerat, impia exiſtimare, & abjicere tamquam profana. Juxta Auguſtinum itaque tria diſtinguenda ſunt tempora: unum ante Chriſti mortem, in quo vetera ſacramenta fuerunt ſalubria: alterum ſtatim poſt mortem Chriſti, atque ante Evangelii promulgationem, in quo amplius ſalubria non erant, nec poterat quiſpiam cogi ad illa ſuſcipienda, licebat tamen ea retinere, ne videretur lex Moyſi tamquam noxia ſtatim abrumpi, ſed veluti mortuum cadaver in gratiam animæ, quæ in ipſo paullo antea delituit, cum honore deferretur ad tumulum, atque ideo reprehenſibilem fuiſſe Petrum, qui gentes ad judaizandum impulit, laudabilem Paulum qui cum Judæis legalia abſque ſimulatione ſervavit. Tertium vero tempus eſt, cum veteri lege ad tumulum jam deducta, mortiferus cœpit eſſe uſus legalium religionis cauſſa ſervatus; nam ſi quis ob vale-

tudinem ſe purificet, aut circumcidat, vel fame impellente, atque ſine ſcandalo edat azymum; id antiquæ legis gratia non fit, nec debet putari mortiferum. Hanc Auguſtini ſententiam nos propugnamus, eamque prolixe explicavimus narratione controverſiarum, quas cum Hieronymo habuit; primum, quia hac præmiſſa tota quæſtio facillime ſolvitur: deinde quia Sanctorum Doctorum exemplo commonemur diſſidia aliquando diſputationibus noſtris excitata, quæ non niſi circa res graves verſari debent, prudenter vitare, temperanter tutari, & mutua caritate compeſcere.

PROP. I. Lex vetus duntaxat in morte Chriſti, quantum ad Cæremonialia præcepta ſpectat, deſiit obligare.

Probatur ex Epiſtola Pauli ad Hebræos cap. VII. 12. ubi legitur: *Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt, ut & legis tranſlatio fiat:* ideſt, quandiu lex vetus perſiſtebat Sacerdotium erat Leviticum, ſurgente vero Sacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech tranſlatum eſt etiam mandatum legis. Atqui Sacerdotium Leviticum conſummatum non eſt, niſi quando Filius Dei ſeipſum in Cruce cum clamore valido, & lacrymis obtulit, factus omnibus obtemperantibus ſibi cauſſa ſalutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech, ut idem Apoſtolus ait cap. V. 7. 8. 9. Igitur eo tantum tempore lex vetus eſt abrogata. Præterea idem Apoſtolus cap. IX. ejuſdem Epiſtolæ v. 8. inquit: *Nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum;* videlicet, ut ad ſancta & cæleſtia pateret acceſſus, neceſſe fuit, quod Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum introiret in ſancta, prout præſignatum erat in Pontifice ſemel in anno in ſecundum tabernaculum introeunte. At Chriſtus introivit in ſancta, viamque ad cæleſtia aperuit *per proprium ſanguinem æterna redemptione inventa;* verſu 12. ſeq. Prius ergo tabernaculum ante peractam per Chriſti ſanguinem redemptionem habebat ſtatum. Item viguit vetus teſtamentum uſque dum Chriſtus novi teſtamenti fieret mediator. Factus eſt autem novi teſtamenti mediator *morte intercedente*, inquit v. 15. Apoſtolus. Ad hanc ergo mortem vetus perduravit. Sequitur Paulus v. 16. 17. 18. *Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt. Unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt.* Recte quidem: nam Teſtamentum definitur a Quintiliano *Voluntas defuncti*: atque ut habetur L. 1. D. de Hæred., *Viventis nulla eſt hæreditas.* Quis autem ignorat vetus teſtamentum, antequam novum confirmaretur, in ſuo robore permanſiſſe, & antiquam ſtare poſſeſſionem nondum novo hærede conſtituto? Vide Patres ac Interpretes ſuper hæc loca, necnon in illa verba Mat. XXVII. 51. *Et velum templi ſciſſum eſt in duas partes*, & Joan. XIX. 30. *Conſummatum eſt*. Hæc enim demonſtrant in morte Chriſti legis velamen fuiſſe diſciſſum, apertum adytum ad ſacratiora myſteria, jugum ſervitutis excuſſum, omniaque de Filio hominis prædicta jam conſummata & completa.

At dices: ſaltem baptiſmus ante Chriſti mortem integro triennio inſtitutus præcipuum vetuſtæ legis myſterium eliminavit: unde legitur apud Lucam cap. XVI. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*. Reſp. diverſas eſſe circa tempus inſtitutionis baptiſmi Theologorum, ac Patrum ſententias; ſed dato ante Chriſti mortem fuiſſe inſtitutum, non potuit omnes generaliter obligare antequam Apoſtolica prædicatione promulgaretur, legiſque fieret tranſlatio. Nam leges, ut obligent, ſunt promulgandæ; nec ante mortem teſtatoris novæ hæreditatis jura ſubſiſtunt. Ea autem verba, *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*, expeditam habent intelligentiam, ſive dixeris his commonſtrari, Joannem, qui Meſſiam digito prodidit, fuiſſe ultimum Prophetarum illorum, a quibus Chriſtus in lege fuit prænuntiatus; nam Matthæus eamdem ſententiam reddidit cap. XI. 13. *Omnes Prophetæ, & lex uſque ad Joannem prophetaverunt.* Sive dixeris particulam *uſque*, quam certum eſt interdum exprimere aliquam continuationem, ſumendam eſſe *incluſive*, ut ſenſus ſit tempore quoque Joannis legem perſtitiſſe. Atque hæc ſunt pervulgatæ illius loci expoſitiones. Addam alteram. In lege ac Prophetis promiſſa ſunt juſtis bona præſertim temporalia: & Joannes introduxit appellationem tantummodo regni cæleſtis, nihil ipſe terrenum annuntians. Senſus eſt ergo, *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem*, quantum ad promiſſionem, non quantum ad obligationem. Enim vero Lucas ibidem Chriſti adverſus avaritiam, divitiarumque immodicam cupiditatem ſermonem narrat: atque laudatis verbis immediate addit: *Ex eo regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit*. Habet ſimilia citato loco Matthæus, *A diebus enim Joannis regnum cælorum vim patitur*. Quæ reddunt textum, qui opponebatur, planiſſimum.

PROPOSITIO II. Non ſtatim a morte Chriſti legalia fuerunt mortifera, ſed ad vitandum ſcandalum, & ne lex Moyſis tamquam impia rejici videretur, licitum fuit aliquando veteres cæremonias ſervare.

Hanc Auguſtini aſſertionem propugnat major Theologorum pars, & Auctore Velloſillo Adv. in 2. Tom. Auguſt. Q. 3. probavit ad literam Concilium Florentinum: quod, ubi declaravit Legalia ceſſaſſe in Chriſti morte, ſubdit, *Non tamen negat* (S. Synodus) *a Chriſti paſſione uſque ad promulgatum Evangelium illa potuiſſe ſervari, dum tamen minime ad ſalutem neceſſaria crederentur*. Eam ergo ſic probo. Fuit aliquando licita legalium obſervatio, ſi Apoſtoli eadem communiter obſervarunt, & poſt annos plures deſerenda, aut non imponenda eſſe decreverunt. Hoc autem in dubium nequit revocari. Paulus enim Act. XVI. 3. circumcidit Timotheum, XVIII. 18. ſe totondit in Cenchris, XXI. 26. more Judæorum ſe purificat. Petrus etiam in viſione quam habuit circa annum Æ. V. 39. decennio poſt Chriſti mortem, inquit Act. X. 14. *Nunquam manducavi omne commune & immundum*: quibus verbis ſignificat ſe hactenus a cibis immundis abſtinuiſſe. Et in Concilio Jeroſolymitano orta inter Judæos, & Gentes ad Chriſtum converſas ſeditione, ſancitum fuit, ut abſtineretur in poſterum ab immolatis ſimulacrorum, & a ſanguine & ſuffocato, & nihil ultra vetuſti oneris fidelibus imponeretur, Act. XV. 29. Legalia ergo ad ea uſque tempora Apoſtoli permiſerant: quod nequaquam feciſſent, ſi exiſtimaſſent mortifera. An vero his verbis, *Ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato*, præſcribatur obſervantia rituum legalium, ut ſcribunt poſt alios Scholaſticos Habert, Juenin, Girken, dicam infra; nam inde tantum evinco fuiſſe adhuc in uſu circumciſionem, cujus onus decreverunt Apoſtoli non eſſe ulterius credentibus imponendum. Præterea in hac, quam propugnamus, ſententia ſtatim explicantur difficultates in Apoſtolorum Actibus occurrentes. Paulus etenim, ut diximus, circumcidit Timotheum mulieris Judææ filium, atque inter Judæos verſaturum; profecto ut oſtenderet ſe circumciſionem non aſpernari; ſed ex adverſo, ne quis putaret converſos e Gentibus eſſe circumcidendos, non eſt paſſus circumcidi Titum, ad Gal. II. 3. ne veritati Evangelii faceret præjudicium. Et Jacobus pariter, qui purificationem Judæorum Paulo ſuaſit, Act. XV. non ſinit jugo legis gravari eos, qui crediderant. Tali igitur œconomia demonſtrarunt antiquas cæremonias neque noxias fuiſſe, neque ad ſalutem neceſſarias. Tandem hæc ſententia etiam conſulit Moſaicæ legis honori; ſiquidem, ut Auguſtinus ſcribit Epiſt. 19. nunc 82. *Sicut defuncta corpora neceſſariorum officiis deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulate, ſed religioſe, non autem deſerenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus, tamquam canum morſibus, projicienda*. Nec audiendus Eraſmus ſcribens Comment. in Epiſt. ad Galat., debitum non fuiſſe talem honorem legi, quam conſtat fuiſſe *viricidam*. Nam ex diſputatis ſupra cap. 6. conſtat legem Moyſis per ſe fuiſſe ſanctam, rectiſſimamque, licet dicatur ab Apoſtolo miniſtratio mortis, & cauſſa per quam ſubintravit peccatum, quatenus malum redarguit & prohibet, & accepta per legem occaſione concupiſcentia, quæ vehementius nititur in vetita, niſi ſubminiſtretur gratia Spiritus Sancti, operatur peccatum: quod propterea non juſtæ legi tribuendum eſt, ſed perverſæ hominum voluntati.

Opp. I. Paulus ad Galat. II. 3. ſcribit: *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum eſſet Gentilis compulſus eſt circumcidi*. Exiſtimavit ergo Paulus mortiferam eſſe circumciſionem. Reſp. Nego conſequentiam: ſi enim Titus non fuiſſet circumciſus, quod circumciſio jam eſſet illicita, non permiſiſſet Apoſtolus circumcidi Timotheum in eo efficiens, quod arbitrabatur iniquum. Ergo non circumcidit Titum, *propter ſuperinductos falſos fratres, qui ſubierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent*, inquit ibidem Apoſtolus; ideſt, ut defenderet Evangelii veritatem adverſus Judæos contendentes circumciſionem neceſſariam adhuc eſſe ad ſalutem. E contra circumcidit Timotheum ex Judæa matre prognatum, ne cognationi ejus videretur ſacramenta vetera atque reprobare, ac ſuperſtitioſos ritus idololatrarum. Quare hoc argumento noſtra corroboratur ſententia. *Ergo* (inquit Auguſtinus cit. Epiſt. 82.) *& Timotheum circumcidit propterea ne Judæis & maxime cognationi ejus maternæ ſic viderentur qui ex gentibus in Chriſtum crediderant deteſtari circumciſionem, ſicut idololatria deteſtanda eſt, cum illam Deus fieri præceperit, hanc Satanas perſuaſerit. Et Titum propterea non circumcidit, ne occaſionem daret eis, qui ſine ulla circumciſione dicebant credentes ſalvos eſſe non poſſe, & ad deceptionem gentium hoc etiam Paulum ſentire jactarent. Quod ipſe ſatis ſignificat, ubi ait, ſed neque Titus qui mecum erat, cum eſſet Græcus, compulſus eſt circumcidi: propter ſuperintroductos autem falſos fratres, &c.*

Opp. II. At in eadem Epiſtola cap. V. 2. inquit Apoſtolus: *Quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*. Noxia ergo erat circumciſio, quæ a juſtitia Chriſti credentes arcebat. Reſp. loqui Apoſtolum adverſus eos, qui dicebant, *Niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari*. Cujus generis extitiſſe aliquos e circumciſione, conſtat ex cap. XV. Act. Apoſt. v. 1. Adverſus iſtos docet Apoſtolus, quod ſi ad juſtificationem neceſſaria foret circumciſio, neque Chriſtus nos liberaſſet a ſervitute legis, neque ab ipſo juſtitiam haberemus & gratiam. Sequitur itaque poſt verba, quæ objiciebantur, *Teſtificor autem rurſus omni circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ. Evacuati eſtis a Chriſto, qui in lege juſtificamini: excidiſtis a gratia.* Sed audiendus eſt iterum

Au-

Auguſtinus laudata nuper Epiſtola, ubi ita Hieronymum alloquitur: *At enim dixit idem Apoſtolus, Ecce ego Paulus dico vobis, quia ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Decepit ergo Timotheum, & fecit ei nihil prodeſſe Chriſtum? An quia fallaciter factum eſt, ideo non obfuit? At ipſe hoc non poſuit, nec ait, Si circumcidamini veraciter, ſicut nec fallaciter, ſed ſine ulla exceptione dixit, Si circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit. Sicut ergo tu vis his locum dare ſententiæ tuæ, ut velis ſubintelligi, niſi fallaciter; ita non imprudenter flagito, ut etiam nos illis intelligere ſinas eis dictum, Si circumcidamini, qui propterea volebant circumcidi, quod aliter ſe putabant in Chriſto ſalvos eſſe non poſſe. Hoc ergo animo ac voluntate, iſta intentione quiſquis tunc circumcidebatur, Chriſtus ei nihil omnino proderat*. Quod ſubinde S. Pater demonſtrat conſequentibus verbis Apoſtoli: *Hoc ergo declarat, & quod ipſe commemoraſti, Evacuati eſtis a Chriſto, qui lege juſtificamini; a gratia excidiſtis. Illos itaque arguit, qui ſe juſtificari in lege credebant, non qui legitima illa in ejus honorem, a quo mandata ſunt, obſervabant, intelligentes & qua prænunciandæ veritatis ratione mandata ſint, & quouſque debeant perdurare.*

Opp. 3. Legalia erant olim ſigna, & figuræ futurorum in Chriſti morte conſummatæ & completæ. Exinde igitur factæ ſunt figuræ, & ſigna mendacia; eiſque propterea ulterius uti fuit res noxia. Reſpondeo diſt. conſeq. illicitum & noxium fuit illis ulterius uti, tanquam ſignis rerum futurarum, & ſacramentis in ſpe venturi Redemptoris juſtitiam afferentibus, ac ſalutaribus, concedo: tanquam exuviis legis emortuæ, ſed a Deo inſtitutæ, & honore aliquo abrogandæ, nego conſequentiam. *Non ideo fuerant* (ait eadem Epiſt. S. Pater) *tanquam diabolica gentium ſacrilegia fugienda, etiam cum ipſa gratia jam cœperat revelari, quæ umbris talibus fuerat prænunciata: ſed permittenda paullulum eis maxime qui ex illo populo, cui data ſunt, venerant. Poſtea vero tanquam cum honore ſepulta ſunt, a Chriſtianis omnibus irreparabiliter deſerenda.*

Opp. 4. Hac ſententia in hæreſim Cerinthi, & Ebionis dilabimur; nam hi propter hoc tantum e patribus anathematizati ſunt, quod legis cæremonias Chriſti Evangelio miſcuerunt. Reſp. pernicioſam Ebionitarum hæreſim fuiſſe, quod legalia neceſſaria ſint ad ſalutem, non ſepeliendæ, & abroganda, ſed ſimul cum præceptis Evangelicis perpetuo retinenda: quam hæreſim tunc primum ſerpentem, ut diximus, præfocarunt Apoſtoli, quando acerrime pro libertate Evangelii pugnantes noluerunt circumcidi Gentes, nec legis jugo gravari.

Opp. 5. Obſervantia legalium non poteſt eſſe indifferens, ut ambulatio, ſed aut bona eſt, ut continentia, aut mala, ut luxuria: quod autem bonum eſt, ideo obſervatur, ut ſalutem afferat. At hoc fine poſt mortem Chriſti non obſervabantur legalia: mala ergo erat obſervatio eorumdem. Reſp. inſpectis diverſis circumſtantiis temporum ac locorum obſervantiam veterum cæremoniarum fuiſſe & bonam, & malam; malam quidem apud eos, qui adverſus libertatem Evangelii jugum legis imponebant credentibus, quaſi neceſſaria adhuc foret: bonam vero apud illos, qui e conſuetudine Judæorum legalia ipſa non auferebant tanquam deteſtanda & damnanda, quamvis crederent gentibus non eſſe imponenda. Quod vero dicitur poſt mortem Chriſti legalia non fuiſſe ſalubria, ſi intelligatur non fuiſſe neceſſaria ad ſalutem, verum eſt; ſi intelligatur non fuiſſe religioſum ac pium ea abſque ſimulatione exercere: id quidem eſt falſum. Etenim, ut paullo ante cum Auguſtino dicebam, ſicut defunctorum corpora neceſſariorum officiis religioſe deferuntur ad tumulum, ita cum honore lex vetus erat quaſi ſepelienda, ne obtrectationibus inimicorum proſcinderetur. Proinde quiſquis nunc vellet legalia obſervare, tanquam ſopitos cineres e tumulo extraheret; nec eſſet pius deductor cadaveris, ſed impius ſepulcrorum violator.

PROPOSITIO III. Apoſtoli non obſervarunt legalia prudenti quadam ſimulatione, ſed ex animo, & ſincere, ſicut & abſque ſimulatione Paulus reſtitit Cephæ intempeſtive ipſa legalia uſurpanti.

Demonſtratur primo. Aut ſervare abſque ſimulatione vetuſtas cæremonias ſuperſtitioſum erat atque mortiferum, aut licitum atque opportunum: ſi hoc dixeris, non eſt cur credantur Apoſtoli ſimulatione fuiſſe uſos; nam ideo ſimulata ſe geſſiſſe putavit olim Hieronymus, quod jam eſſent mortiferæ, & nefas eſſet illas ex animo & religioſe exercere. Si autem dixeris fuiſſe talem uſum ſincere, ſerioque peractum irreligioſum & impium, non debes aſſerere fuiſſe ficte ac ſimulate e viris ſanctis adhibitum. Enim vero ſimulate peragere quod irreligioſum ac mortiferum eſt, gravi culpa non caret: alioqui licitum eſſet nunc quoque, ut lucraremur Judæos, cum illis judaizare; quod neminem puto eſſe dicturum. Cur enim judaizare non licet modo, niſi quia religionis ſigno cæremoniali probare jam ſuperſtitioſum eſt, & illicitum? Imo fas eſſet ad lucrifaciendos idololatras, ſimulacris cum ſimulatione immolare; quoniam id non alia ratione poteſt eſſe prohibitum, niſi quia hujuſmodi immolatio eſt ſuperſtitioſa ac nefaria. Si ergo in præſentia nefas eſt judaizare, aut ſacrificare cum gentibus; nec Apoſtolorum tempore licuit Judæorum ritus, ſuppoſito quod jam eſſent illiciti, etiam cum ſimulatione celebrare. Scite Auguſtinus Epiſt. 40. ad Hier. *Nam ſi propterea* (Paulus) *illa Sacramenta celebravit, quia ſimulavit ſe Judæum, ut illos lucrifaceret; cur non etiam ſacrificavit cum gentibus, quia & iis, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege factus eſt, ut eos quoque lucrifaceret?*

Deinde aperte ex cap. 21. Act. Apoſt. theſis noſtra corroboretur. Siquidem narratur ibidem Paulo, poſtquam advenerat Jeroſolymam, dixiſſe Jacobum: *Vides frater, quot millia ſunt in Judæis qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis. Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas a Moyſe eorum, qui per gentes ſunt, Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi*. v. 20. & 21. De his quidem, cum ex Judæis eſſent, puto eſſe apertiſſimum, quod legalia abſque ulla ſimulatione exercerent. Sequitur Jacobus v. 23. 24. *Hoc ergo fac quod tibi dicimus: ſunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe. His aſſumptis ſanctifica te cum illis: & impende in illis, ut radant capita: & ſcient omnes quia quæ de te audierunt falſa ſunt; ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem*. Nunquid ait Jacobus, Utere, o Paule, ad tempus ſimulatione? Minime. *Fac*, inquit, *quod dicimus, ſanctifica te cum illis*. Ait ne, Judæorum commotionem actione hac ſimulata compeſce? Nequaquam: ſed, *Scient omnes, quia ambulas & ipſe cuſtodiens legem*. Certe num verbis magis perſpicuis potuiſſet ſignificari legalium ſincera obſervatio, ignoro penitus. *Nam ſi revera* (inquit Auguſtinus Epiſt. ad Hier. 82.) *ſic ea reprobaret, quemadmodum de illo auditum erat, & ideo celebranda ſuſciperet, ut actione ſimulata ſuam poſſet occultare ſententiam, non ei diceret Jacobus, Et ſcient omnes, ſed diceret, Et putabunt omnes quoniam quæ de te audierunt falſa ſunt: præſertim quia in ipſis Hieroſolymis Apoſtoli jam decreverant, ne quiſquam tunc Judæos judaizare prohiberet, quamvis etiam ipſos jam doctrina Chriſtiana non cogeret*. Attenta ergo Actuum Apoſtolicorum lectione, haud obſcure percipitur ab Apoſtolis antiquos ritus fuiſſe ingenue ſervatos.

Incredibile præterea eſt Apoſtolum Paulum in Epiſtola ad Galatas, in qua cap. 1. v. 20. ait, *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*, fuiſſe mentitum; ea ſi ficte, & ſimulate reſtitiſſet Petro dum gentes cogebat judaizare, mendax eſſet & falſus. Igitur non ficte & apparenter reſtitit Petro, ſed ſincere, & ex animo. Cui argumentationi reſpondet Baronius ad an. Ch. LI. n. 38. (quamquam & ipſe Apoſtolos non ſimulate ſe geſſiſſe concedit) quod minime inter ſe pugnant, Paulum ſinceram narraſſe hiſtoriam, & ea, quæ recenſuit, non ſerio fuiſſe peracta. At Paulus non tantum ſcribit ſe reſtitiſſe Cephæ, verum etiam, quod *reprehenſibilis erat*, v. 11. quod *non recte ambularet ad veritatem Evangelii*, v. 14. quod non ſimulabat, ſed *cogebat judaizare*. Petrus autem aut bene ſe gerebat, aut male; ſi male, ergo ex animo a Paulo reprehendebatur: ſi bene, ergo Paulus mentitus eſt ſcribens illum non recte ambulaſſe. Belle excuſſerat Auguſtinus inane illud reſponſum Epiſt. 40. n. 3. his verbis: *Si enim recte illi ingrediebantur, iſte mentitus eſt: ſi autem ibi mentitus eſt, ubi verum dixit?* Multo minus reſponderi poteſt, Paulum ſcripſiſſe quod Petrus fuerit reprehenſibilis, & non recte ingrederetur, ut removeret Galatas a ſervitute legalium, tametſi perſuaſum ſibi foret Petrum nec reprehenſibilem fuiſſe, nec male operatum. Nam, ut Auguſtinus argumentatur Epiſt. 28. num. 4. *Si Paulo recte videbatur Petrus feciſſe, quem non recte feciſſe & dixit & ſcripſit, ut quaſi animos tumultuantium deliniret: quid reſpondebimus, cum exurrexerint perverſi homines prohibentes nuptias, quos futuros ipſe prænunciavit, & dixerint quod totum illud, quod idem Apoſtolus de matrimoniorum jure firmando locutus eſt, propter homines, qui dilectione conjugum tumultuari poterant, fuiſſe mentitum: ſcilicet non, quod hoc ſenſerit, ſed ut illorum placaretur adverſitas?* Cujus generis exempla poſſent afferri quamplurima.

Accedit quod omnem ſimulationem, & omne mendacium etiam officioſum, quamquam illud probaſſe videntur nonnulli Græcorum, ſententia noſtra damnat ac reprobat, quod malum ſit intrinſece, & cum veritate pugnat ſuapte natura. Nec moror quod Suareſius ſcribit lib. IX. de Legib. cap. XVII. etiam in ſententia Auguſtini admittendam eſſe aliquam ſimulationem eo quod Apoſtoli illas cæremonias faciendo ſimulabant ſe obſervare legem tanquam illi ſubjectos, imo volebant, aut permittebant hoc ab aliis Judæis videntibus ita putari. Illud, inquam, non moror; nam ſatis hanc ſimulationis ſuſpicionem removebant neminem ad judaizandum cogendo: quod ubi Petrus fecit, reſtitit ei Paulus. At Hieronymus, ut obſervatum ſupra, non officioſum mendacium ait appellandam eſſe ſimulationem Pauli, ſed honeſtam potius diſpenſationem. Verum his optime repoſuit Auguſtinus ſupra Epiſt. 40. quod ſi recte Petrus ad veritatem Evangelii ingreſſus eſt, mentitur Paulus ſcribens quod non recte ambularet: ideoque nequit in ſententia illa Hieronymi excuſari Apoſtolus a mendacio. Præterquamquod, ut idem Auguſtinus inquit Epiſt. 82., illud diſpenſationis vocabulum quid ſibi vult, oro? *Aut enim hoc eſt quod ego appello officioſum mendacium, ut hæc diſpenſatio ſit officium velut honeſte mentiendi: aut quid aliud ſit omnino non video,*

video, niſi forte addito nomine diſpenſationis fiat, ut mendacium non ſit mendacium.

Ceterum etſi aliquando liceret uti ſimulatione & officioſo mendacio, quod nos probare non poſſumus; in cauſa religionis, qualis erat illa, de qua in præſentiarum diſſeritur, communior Theologorum, ipſius etiam Suareſii, vera & certiſſima ſententia eſt omnem ſimulationem eſſe illicitam & perniciosam. Primo quia in hac hypotheſi ſimulatio eſt quædam proteſtatio & approbatio falſæ religionis, ideoque veræ fidei negatio & erubeſcentia. Deinde quia ſimulatio ejuſmodi ſcandalum præbet conſcientiæ infirmorum, qui inde conjicere poſſunt veram eſſe etiam ſuperſtitioſam religionem: quod ſane ſcandalum exhibuiſſet ſimulatio Apoſtolorum, ea qua fideles potuiſſent ſuſpicari fuiſſe licitum cultum cæremoniarum antiquarum, quas oppoſita ſententia cenſet fuiſſe mortiferas. Tandem, ne ſim verboſior, ſi in cauſa religionis ſimulare fas eſſet, fruſtra Eleazarus 2. Machab. cap. vi. 24. & 25. compulſus manducare porcinam, dixiſſet: *Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere: ut multi adoleſcentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ ſenectuti conquiram.* Atque huic præclaro exemplo accedit commendata ſeptem fratrum Machabæorum hiſtoria cap. proximo enarrata, ac plurimorum Martyrum ad ſimulacra Gentium etiam ſimulati cultus laudabilis deteſtatio.

Sed objicies 1. Apoſtolos cum ſimulatione obſervaſſe legalia, nec ex animo Petrum fuiſſe a Paulo reprehenſum demonſtratur ex Epiſtola ad Galat. cap. 2. Etenim v. 11. ait Apoſtolus: *In faciem ei reſtiti*: At illud *in faciem* idem eſt, ac *apparenter & ſimulate*: Igitur Paulus non ex animo, ſed cum ſimulatione reſtitit Petro. Reſp. falſam eſſe minorem; quippe illud *in faciem* idem eſt, ac *palam*, & *coram omnibus*; uti conſtat ea Græca lectione, ex Æthiopica, & Syriaca, quæ habent, *palam*, *coram omnibus*, *in faciem ipſius*, &c. Demonſtrat quoque illius vocis ſignificationem idem Apoſtolus infra v. 14. *Dixi Cephæ coram omnibus*. Item dum profert cauſſam cur ei reſtiterit, *Quia reprehenſibilis erat*. Ad hæc Act. xxv. 16. ubi Vulgata noſtra legit, *priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores*, habentur in Græco eædem particulæ, quæ in Epiſtola ad Galatas, κατὰ πρόσωπον, *in faciem*. Eſt ergo proprie illud *in faciem* idem, ac *in præſentia*, & *coram omnibus*, non, *ficte*, & *cum ſimulatione*. At dices fortaſſe: In 2. ad Corinth. cap. v. 12. legitur idem valere *in facie*, & [illegible] *in corde*. Expedite reſpondeo, aliud eſſe ἐν προσώπῳ *in facie*; aliud κατὰ πρόσωπον, *in faciem*; hoc poſtremum idem eſſe ac *palam*, & *coram*, demonſtrant, ut adnotavit etiam Eraſmus Comment. in Epiſt. ad Galatas, Latini Patres, & Scholia omnia Græcorum. Quamquam ſi illud κατὰ πρόσωπον, ſenſum haberet ambiguum, in Epiſtola ad Galatas [illegible] ſignificare, ac *palam*, & *coram*; cum habeat at v. 14. ἔμπροσθεν πάντων, *coram omnibus*.

Oppones 2. Advertit citatus Eraſmus verba verſus 11. quæ reddidit Latinus Interpres, *Quia reprehenſibilis erat*, haberi in Græco, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, *quoniam reprehenſus erat*. Græci itaque recte hunc locum interpretati ſunt, quod mala de Petro judicabatur, etiamſi reprehenſibilis revera non erat. Reſp. 1. Etiam Auctorem Commentariorum, quæ ibidem Eraſmus, aliique tribuerunt Ambroſio, legiſſe, *Reprehenſus erat*; ſed hujus reprehenſionis cauſſam proferens, ait, *Unde reprehenſus? utique ab Evangelica veritate, cui hoc factum adverſabatur*. Parum ergo Græcorum opinioni ipſa Græca lectio ſuffragatur. Deinde demonſtro legendum eſſe, ut habet Vulgata, *Quia reprehenſibilis erat*. Syriaca, & Arabica verſio ſimiliter habent. Item Vatablus, & alii. Sed aperta ratio eruitur ex v. 14. *Quod non ambularent ad veritatem Evangelii*. Eſt autem, qui ita non ambulat, reprehenſibilis & corrigendus. Quæris cur in Græco poſitum eſt, κατεγνωσμένος, *reprehenſus*, non autem κατάγνωστος, *reprehenſibilis*? Cauſſam accipe. Phraſis Hebraica eſt participia pro verbalibus uſurpare: ut 4. Regum xviii. 21. legimus, *in baculo arundineo*, *atque confracto*, ideſt, *frangibili*; Pſalm. xi. 7. *argentum igne examinatum*, ideſt, *eximium & æſtimabile*: Eſaiæ xxxiii. 19. *populum alti ſermonis*, quod in Hebræo eſt, *irriſum lingua*, ideſt, *non intelligibilis ac barbarus*. Ea phraſis fuit Paulo familiariſſima; nam 1. ad Corinth. cap. 9. 25. athletam appellat ἀγωνιζόμενον, pro ἀγωνιστήν: ad Hebræos xii. 18. pro eo, quod nos habemus, *ad tractabilem montem*, & *accenſibilem ignem*, extat in Græco, ψηλαφωμένῳ ὄρει, καὶ κεκαυμένῳ πυρὶ, *monti contrectato*, *ignique accenſo*: & ibidem v. 27. legimus σαλευόμενα, *commota*, pro *mobilia*. Hac ergo phraſi nec a Latinis prorſus aliena, quibus *invictum*, *indomitum*, *perditum*, idem eſt, ac *invincibile*, *intractabile*, & *dignum perditione*, poſitum eſt ab Apoſtolo *reprehenſus* pro *reprehenſibili*. Ex his obiter nota operam perdere Baronium, dum citato loco nititur demonſtrare Auguſtinum locum Epiſt. ad Galat. inoffenſo pede non pertranſiſſe, nec Petrum aliqua ratione peccaſſe. Certe ſi Petri animum inſpiciamus nullam offenſionem, aut ſcandalum præbendi Judæis, conſtat Petri peccatum eſſe aliqua ex parte excuſabile: at peccaſſe jam ex dictis conſtat, & recte adverſus Græcorum nonnullos id ſentiunt Latini Patres apud Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontif. c. 28. Imo opere ipſo externo erat Petri factum ſuperſtitioſum, ut Auguſtinus affirmat cap. 30. de Agone Chriſtiano, quoniam cogendo Gentes judaizare videbatur adſtruere legalium neceſſitatem. Quare Auguſtinus non *tractavit Petrum durius quam par erat*; uti ſcribit Sixtus Senenſis lib. 6. Biblioth. annot. 274.

Si dicas hanc opinionem Auguſtini nimium patrocinari, aut Porphyrio, qui blaſphemabat Paulum auſum redarguere procaciter Petrum, cum in eodem errore fuerit; aut Novatoribus, qui peccatum Petri atroci calumnia adverſus Romanorum Pontificum auctoritatem objectant. Reſpondeo adverſus ſycophantam Porphyrium, audaceſque heterodoxos longe melius in ſententia Auguſtini defendi Petri & Romanorum Pontificum auctoritatem, quam ſi dicamus illum cum ſimulatione fuiſſe reprehenſum. Hoc namque ſuppoſito objectarent Romanæ Eccleſiæ inimici Apoſtolos in cauſa religionis fuiſſe mentitos, nec Petrum erraſſe tantum ſervando intempeſtive quod damnatum non erat, ſed etiam cogendo fideles ad ritus abrogatos atque mortiferos. At poſita ſententia Auguſtini apparet *laus juſtæ libertatis in Paulo*, & *ſancta humilitatis in Petro*; ut idem Sanctus Doctor demonſtrat Epiſt. 82. ad Hieronym. & Epiſt. 71. ad Quintum ſanctiſſimus Martyr Cyprianus.

Opp. 3. Paulus ipſe ſervavit legalia: qua ergo fronte, qua auctoritate audet reprehendere in Petro, qui circumciſionis Apoſtolus erat, quod ipſemet Apoſtolus Gentium conſtat commiſiſſe? Reſponſum eſt prop. 2. Petrum fuiſſe a Paulo reprehenſum, non quod ille uteretur legalibus, ſed quoniam ad hoc faciendum gentes cogebat; unde qui credebant in Chriſtum poterant ſuſpicari, *ſine illis veteribus Sacramentis ſalvos ſe eſſe non poſſe*. Sed legitote Auguſtinum Epiſt. 82. cap. 2. num. 8.

Quarto oppones: Simulaſſe Paulum aperte ipſe teſtatur ſcribens in priori ad Corinth. cap. ix. 20. *Et factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer*. Reſp. cum eodem Auguſtino Epiſt. 40. num. 4. & Epiſt. 82. num. 28. Apoſtolum Judæis tamquam Judæum factum eſſe, *non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu, ſive, compaſſione miſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ; quod qui ægrotis miniſtrat fit tamquam ægrotus, non cum febres ſe habere mentitur, ſed cum animo condolentis cogitat quemadmodum ſibi miniſtrari vellet, ſi ipſe ægrotaret*. Atque id executus eſt Paulus familiariter cum Judæis converſando, & ſervando legalia, quando id non fuit Gentibus occaſio offenſionis. Alioqui ſi factus eſſet tamquam Judæus obſervando cum ſimulatione cæremonias mortiferas, factus quoque eſſet tamquam Gentilis cum ſimulatione idolis ſacrificando, ut ſupra in hujus poſitionis demonſtratione prima ratiocinabamur.

Rurſus objicies 5. Eodem cap. 2. ad Galat. v. 13. habetur: *Et ſimulationi ejus conſenſerunt ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem*. Reſp. obſervationem legalium factam a Petro dici *ſimulationem*, non quod fieret ficte, & non ex animo; ſed dicitur ſimulatio, quoniam Gentiles falſo illa ducebantur, ut crederent Judæos ſegregari a Gentibus, quoniam hæ nolebant exercere ritus legales, tamquam ad ſalutem neceſſarios. Nam ſeq. verſu legitur, quod Petrus Gentes ad judaizandum cogebat, & cum primum ederet cum Gentibus, advenientibus Judæis, ſe ab ipſis Gentibus ſubtrahebat & ſegregabat. Quare pro ſimulatione legit Syrus, אתרמי, *ſegregationem*: & ſunt qui pro, συνυπεκρίθησαν αὐτῷ, *ſimulationi ejus conſenſerunt*, legendum putant, συνυπεστάλησαν, *una ſe ſubduxerunt*, *aut ſegregarunt*, & pro τῇ ὑποκρίσει, *ſimulationi*, τῇ ὑποσταλῇ, *ſegregationi*. Sed his admiſſis pro reſponſionis noſtræ explicatione, lectionem Vulgatæ eſſe præferendam etiam vetuſti Græcorum Codices commonſtrant.

Opp. 6. Patres Græci Apoſtolorum ſimulationem diſerte probant, Origenes, Didymus, Laodicenus, Alexander, Euſebius Emiſſenus, Theodorus Heracleotes, & Joannes Chryſoſtomus. Hos in ſua Epiſtola laudat Hieronymus. Adde Doctorem Latinorum præſtantiſſimum, ipſum nempe Hieronymum. Reſp. Auguſtinus Laodicenum ipſius Hieronymi confeſſione egreſſum fuiſſe ab Eccleſia, Alexandrum appellari veterem hæreticum, Origenem vero ac Didymum in pluribus, graviſſimiſque quæſtionibus ab eodem Hieronymo fuiſſe reprehenſos. Tres igitur reſtant, Euſebius, Theodorus, & Chryſoſtomus; quibus S. Pater opponit Cyprianum, & Ambroſium. Adde Tertullianum, ipſum Auguſtinum, Gregorium Magnum, alioſque Latinos. A Græcorum vero illorum auctoritate his verbis S. Pater ſe munit Epiſt. 82. num. 25. *Dent veniam quilibet aliud opinantes. Ego magis credo tanto Apoſtolo in ſuis, & pro ſuis litteris juranti, quam cuiquam doctiſſimo de alienis litteris diſputanti*. Scio Eraſmum in Epiſtolam ad Galatas ſcribere ſe in his majorem fidem habere Origeni, quam decem Patribus Orthodoxis. Sed fidem Origeni non habendam eſſe, præter ea quæ dicta ſunt, oſtenditur ex ipſo Hieronymo. Qui in Epiſtola 75. ad Auguſtinum ait, *Hanc autem interpretationem primus Origenes, & ceteri deinceps interpretes ſunt ſecuti, ut Porphyrio reſpondeant blaſphemanti, qui Pauli arguit procacitatem*. Ergo ante Origenem nemo credidit Apoſtolum ſimulaſſe, neque Origeniana interpretatio antiqua traditione fulcitur. Ad retundendam vero audaciam Porphyrii parum

rum illam interpretationem valere demonſtratum eſt ſupra. Igitur interpretatio Origenis ſacræ Apoſtolorum hiſtoriæ, ejuſque literali intelligentiæ præferri non debet. Adde Græcos in verbo *κατεγνωσμένος* non advertiſſe hebraicam phraſim, qua uſus eſt Paulus, & probaſſe aliquando ſimulationem, & officioſum mendacium certiſſime reprobandum. Quantum ad Hieronymum, Origenis ſententiam fuiſſe ſecutum, neque eam definito animo defendiſſe, ipſius teſtimonio ſupra monſtravimus. Probabile eſt etiam priorem depoſuiſſe ſententiam: nam lib. 3. Apologiæ adverſus Rufinum, & Dialog. 1. contra Pelagianos c.8. demonſtrat exemplo Petri, qui non recto pede inceſſit in Evangelii veritate, ſanctos non omni caruiſſe peccato, & etiam Apoſtolos ſalva amicitia inter ſe diſſenſiſſe. Iccirco Auguſtinus Ep. 260. ad Oceanum, nunc 180. inquit: *Cum de hac quæſtione inter nos ego, & prædictus venerabilis frater Hieronymus ſatis literis egerimus: in hoc opere recentiſſimo, quod ſub nomine Critobuli adverſus Pelagium modo edidit, eamdem de iſta re geſta, dictiſque Apoſtolicis ſententiam tenuit, quam beatiſſimi Cypriani etiam nos ſecuti ſumus.*

Ultimo objicies. Simulationem aliquando ad proximorum lucrum eſſe licitam, Chriſti Domini exempla, ſacrarum hiſtoriarum monumenta, laudibuſque celebrata Sanctorum facta demonſtrant. Chriſti quidem; nam *factus in ſimilitudinem carnis peccati* ſimulavit ſe peccatorem, & diſcipulis euntibus in Emmaus Lucæ 24. 28. *finxit ſe longius ire:* Magdalenæ quoque ſub hortulani ſpecie apparuit Joan. xx. 15. Divina autem hiſtoria narrat Joſue cap. VIII. 5. ſimulando ad decipiendos hoſtes terga vertiſſe: refert 4. Regum cap. v. 18. Naaman Syrum oraſſe Eliſæum, ut ſi in Templo Remmon cum Domino ſuo adoraſſet idolum, quoniam id ſimulatione facturus erat, ei non imputaretur ad culpam: cui Propheta quaſi illam ſimulationem probando reſpondit, *Vade in pace*. Et cap. ejuſdem libri x. 18. Jehu inſidioſe ut perderet cultores Baal ait: *Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius*. In Eccleſiaſtica demum hiſtoria habetur Catholicos ſe olim ſimulaſſe Priſcillianiſtas, ut liberum haberent ad iſtos acceſſum; & ſanctum Euſebium Vercellenſem Epiſcopum finxiſſe ſe Arianum, ut Dionyſium Mediolanenſem Antiſtitem ab hæreſi revocaret.

Reſpondent qui ſimulationem aliquando licitam eſſe propugnant, ad rem non facere exempla allata ſimulationis Chriſti Domini, & Joſue, cum hoc ſimulationis genere nullus ſuperſtitioſus ritus fuerit approbatus, uti contigiſſet ſimulatione Apoſtolorum; quæ propterea non caruiſſet omnino reatu, quomodo non caruit ſimulatio Jehu, Naaman, & etiam S. Epiſcopi Vercellenſis. At nos dicimus nullam, nec religionis cauſſa, ſimulationem eſſe licitam; quippe ſimulatio mala eſt, ut inquiunt, *ex objecto*, cum veritati directe opponatur, & aliud, quam habeatur in mente, ſignificet verbo, vel facto. Quod autem eſt per ſe malum, nulla conditione aut circumſtantia rerum excuſatur; quoniam nulla rerum conditio poteſt efficere, ut ſimulatio cum veritate non pugnet, ideoque nequit ab ipſa ſimulatione auferri malitia. Unde nec diſpenſatione Dei permitti poteſt ipſamet ſimulatio, quoniam numquam licitum eſſe poteſt, quicquid in qualibet circumſtantia adverſatur ſummæ veritatis, & æquitatis rationi. Ad ſingula ergo noſtrum eſt reſpondere.

Atque ad 1. dicimus Verbum Divinum factum in ſimilitudinem carnis peccati, non ſimulando ſe peccatorem, ſed exercendo humilitatem, cum peccatoribus converſando compatientis affectu, & pro illorum ſalute crucem ſubeundo, ſemper tamen ſpecimen virtutum exhibendo, propriam innocentiam prædicatione ſignisque confirmando, hypocriſim & reliqua vitia reprehendendo. Quod ſane non eſt ſimulare ſe peccatorem, ſed peccatores recipere, redarguere, & ſalvare. Dum finxit ſe longius ire, nulla uſus eſt ſimulatione oppoſita veritati. Primo enim juxta Auguſtinum, plura quæ primo aſpectu videntur mendacia, talia non ſunt ſi animadvertatur ea referri ad prædicandam, & ſignificandam aliquam veritatem; tunc enim veritatem non violant, ſed explicant & præſignant. Atque hoc pacto, ſi id, cujus cauſſa factum eſt, advertatur, neque mentitus eſt Abraham dicens pueris ſuis, ſe quamprimum reverſurum cum Iſaac, nec Jacob dum hœdinis pellibus contectus ait patri eſſe primogenitum ejus, dum Chriſti incarnationem, & Redemptionis myſterium uterque prædiceret. Ita in Chriſto, dum finxit ſe longius ire, non fuit ſimulatio mendacii, quoniam ſignificabat ſe quamprimum ab Apoſtolis diſceſſurum, & longe etiam a mente infidelium abeſſe. Præterea, ut Tirinus & Menochius obſervarunt, non fuit ea ſimulatio, quia niſi illum diſcipuli detinuiſſent, revera longius profectus eſſet. Deinde Eſtius ait Chriſtum ad excitandum in corde Diſcipulorum amorem geſtum & motum corporis compoſuiſſe; ut ſolent ii, qui longius ire contendunt, atque ut matres componunt habitum corporis tamquam a puerulis digreſſuræ. Obſervarunt alii haberi in Græco *προσεποιήσατο*: eſt autem *προσποιεῖσθαι* idem ac *præſeferre*, etiam ubi nulla eſt ſpecies ſimulationis. Quod ad apparitionem factam Magdalenæ pertinet, habere poteſt eamdem, quam ſupra, ſolutionem. De qua plura Auguſtinus contra Mendacium cap. 13. Habet enim talis apparitio veracem ſignificationem fidei, quam ad inſtar grani ſinapis in nobis Chriſtus ſpargit, ut inquiunt Gregorius hom. 25. in Evang. & Tract. 121. in Joann. S. Pater. At non habetur Jo. xx. 15. Chriſtum apparuiſſe hortulani ſpecie, quaſi ligonem aut ſarculum gerentem manu; ſed Magdalenam adhuc titubantem in fide, exiſtimaſſe juvenem ſtantem non eſſe Dominum, ſed illius horti cultorem. Id vero non ſimulationem in Chriſto, ſed dubitationem arguit mulieris; quæ nondum converſa corde, ut Auguſtinus ibidem ſcribit, *quod non erat, putavit*.

Ad exempla ex vetere Teſtamento deprompta, poteſt 1. univerſaliter reſponderi cum S. Patre contra Mend. cap. 16. nos cum quærimus, ſit ne boni hominis aliquando mentiri, non de hominibus quærere adhuc ad Ægyptum, vel ad Hiericho, vel ad Babyloniam, vel ad ipſam Jeruſalem adhuc terrenam pertinentibus, ſed de civibus illius civitatis, cujus princeps eſt ipſa Veritas, & ad quam appropinquabant veteres juſti, ſed ab ea aberant aliquantulum. Joſue tamen, ut etiam demus ſingulis reſponſum, poteſt ab omni fallaci ſimulatione purgari; nam bellum gerentibus licitum eſt terga vertere, obſidionem relinquere & hoſtibus belli ſeriem occultare; non quidem fallendi animo, ſed ut in meliori ſtatione conſtituantur. Jehu, quamquam delendo domum Achab laudem aliquam promeruerit, peccavit tamen *mendacio impio & ſacrificio ſacrilego*, ut Auguſtinus docet eodem libro, cap. 2. & S. Thomas 2. 2. q. 111. art. 2. Naaman vero, non exoravit Eliſæum, ut poſſet Saturno, ſeu qualecumque illud fuerit, idolo Remmon cum ſimulatione cultum religioſum exhibere: ſed hoc petiit tantum, ut ſi Domino idololatræ ſerviens, iſto adorante, Naaman quoque caput inclinaret, quoniam id facturus erat obſequio quodam politico debito principi, non cultu religionis idololatrico; id famulo non imputaretur in culpam, aut ſi culpa eſſet aliqua, precibus Eliſæi ſibi remitteretur. Verebatur quippe Naamanus, ne Syri putarent flexionem illam corporis Saturni ſimulacro a ſe fieri. At quia ex alia parte exteriori ſigno Naaman demonſtrabat, ſe Remmoni nullum cultum præſtare, & numquam ſine Principe idolium ingrediendo, & Summo Deo offerendo holocauſta ſuper terram, quam in publicum ſuæ religionis teſtimonium oneratis duobus burdonibus aſportabat de terra Iſrael; ideo reſpondit Eliſæus, *Vade in pace*, commendans fidem hominis, qui nec ſimulate vellet idolo genua flectere, & etiam terram, ut immolaret victimas Deo Iſrael, veheret in Syriam. Hoc aſportatæ terræ manifeſtiſſimum ſignum aſſertionem noſtram confirmat, & retorquet argumentum in Adverſarios; evincit enim nec Naamanum paullo ante idololatram probaſſe ſimulationem, quam perperam ipſi commendant.

Dicam nonnulla de S. Euſebio Vercellenſi, nam ſimulationem Priſcillianiſtarum, eorumque, qui cum iis fovebant conſuetudinem, cum Auguſtino citato lib. cap. 2. & 3. rejicimus & damnamus. Una eſt eruditorum Theologorum ſententia, factum Euſebii, ſi intentionem ſpectes, laudandum, ſi vero Arianiſmi ſimulationem, eſſe redarguendum. Si dicas in Ambroſiano ſermone de laudibus Euſebii LVI. factum iſtud impenſe laudari; primo eamdem adhibent reſponſionem: deinde inquiunt Sermonem illum non eſſe Ambroſii, ut Dupinius, Benedictini Patres, & alii agnoverunt, & tota ſermonis ſeries abunde probat. Quibus addo illius Orationis auctorem comprobare ſimulationem exemplo Pauli; cum Ambroſius ſimulationem omnem reprobet lib. 2. de Offic. cap. 22. uti & Pſeudoambroſianus Commentator in Epiſtolas Pauli in 1. ad Corinth. cap. IX. 20. & ad Galat. II. 11. Sed aliam ego dabo reſponſionem, forte æquiorem, & ſanctitate Euſebii magis dignam, nec repugnantem Scriptori ſermonis nuper laudati, quem conſtat perantiquum eſſe & habitum coram Euſebii diſcipulo Exuperantio. Dictum ſupra ad oppoſ. v. ſegregationem Apoſtolorum dici ſimulationem, quoniam fortaſſis videbantur tali ſegregatione a gentibus approbari legitima Moſis tamquam neceſſaria; cum revera Apoſtoli judaizando rem licitam animo ſerio peragerent. Ita quod pro lucrifaciendo Dionyſium geſſit Euſebius, potuit fortaſſe imperitis videri ſimulatio, ſed non eſt revera, ſervavitque ille facto, verbiſque veritatem. Extat facti narratio in vetuſtiſſimo Codice Vercellenſi edito ab Ughello Tom. 4. Italiæ Sacræ, longe ante milleſimum annum conſcripto. In eo narratur, Euſebium accerſitum ab Imperatore Conſtantio, & honorifice ſuſceptum, atque invitatum ad ſubſcriptionem fidei Arianæ & damnationis Athanaſii, quam Dionyſius firmaverat, reſpondiſſe: *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, neque filius ſupra patrem. Non poſt filium ſubſcribam, quem præceſſi nomine: iſtud incendite.* Auctor etiam præfati ſermonis ſimulationem, qua Euſebius conſentire viſus eſt perfidiæ Arianorum, hanc eſſe declarat, quod dixerit: *Vos, qui dicitis Filium Dei Patri Deo æqualem eſſe non poſſe, cur mihi filium meum prætuliſtis?* Itaque etſi Ariani putarunt velle Euſebium fidem illorum probare, quam ob rem dicitur ſenſu aliquo ſimulaſſe tacendo quod opportunum non erat proferre; tamen reapſe non ſimulavit, quoniam neque Conſtantium adiit niſi accerſitus, neque affirmavit Filium eſſe Patri inæqualem, & ne ſubſcriberet veram rationem attulit, quoniam erat ille re vera Dionyſii Magiſter & Pater. Atque hæc pro Sancto Antiſtite Vercellenſi, & pro quæſtionis hujus coronide dicta ſunto.

 ANI-

ANIMADVERSIO IN VERS. 29. CAP. XV. ACT. AP.

Oritur ex dictis quæſtio, cur in Act. Apoſt. cap. xv. 29. impoſitum fuerit, tanquam obſervatu neceſſarium, Gentibus, quæ ad legalia cogi non poterant, ut *abſtinerent ſe ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione*. Et de immolatis quidem, & de ſcortatione ratio videtur aperta, quod illa ſint idololatriæ quædam conteſtatio, venus autem omnis flagitioſa. At non edere animalium ſanguinem lex eſt ſeptimi capitis Levit, v. 26. ad quam ſi credentes in Chriſtum obſtringi non poterant, eccur, quæſo, Apoſtoli idem neceſſario obſervandum eſſe definierunt?

Itaque ſunt, qui *ſanguinis* nomine prohiberi contendunt homicidium, & per *ſuffocationem* violentam oppreſſionem miſerorum: unde Auguſtinus lib. 32. contra Fauſtum cap. 13. ait, *Alii intelligunt a ſanguine præceptum eſſe abſtinendum, ne quis homicidio ſe contaminet*, Cenſent alii vetitum ne ederetur de carne, cujus ſanguis non eſſet effuſus; & de animali ſuffocatione interempti. Hoc vero docent duplici de cauſſa fuiſſe impoſitum: primo, ut per hanc abſtinentiam ab omni humana cæde magis fierent alieni, ut hoc idem præſcriptum fuerat Noe & poſteris, Geneſ. cap. 12. 4. deinde ne Judæi refugerent cum Gentilibus Chriſtianis ſocietatem. Atque hanc poſtremam cauſam libenter probo; quoniam & S. Pater loco nuper commemorato laudat prudentiam Apoſtolorum, qui *elegiſſe videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam obſervantibus oneroſam, in qua cum Iſraelitis etiam Gentes aliquid communiter obſervarent*.

Sed quamquam hæc ratio veriſſima eſt, non videtur princeps, aut ſaltem unica: & S. Pater ibidem hoc tanquam vero ſimile tantum affert docens quod *hoc diſcutere longum eſſet*. Arbitror itaque id optime fuiſſe ſancitum, non ut in gratiam Judæorum cæremoniæ veteres ſervarentur; ſed ut a Gentilibus ſuperſtitiones, & vitia cultum idolorum comitantia penitus removerentur, cujus rei gratia fuerant ipſæ cæremoniæ inſtitutæ. Ac propterea præceptum illud abſtinendi a ſanguine, & ſoffocato diu in Eccleſia ſervatum eſt, ut conſtat ex Conciliis Trullano, & Gangrenſi; & etiam nunc ſervatur a Græcis nulla habita ratione, ut reor, rituum Moſaicorum.

Revera quatuor ſunt, a quibus abſtinendum eſſe Apoſtoli præceperunt. Veniunt priori loco carnes immolatitiæ; quas ob idololatriam vetari, res per ſe loquitur, Videatur Epiſtola Pauli prima ad Corinth. cap. 8. 7. & 21. Eſum ſanguinis præſertim victimarum, quæ mactabantur idolis, fuiſſe Ethnici ſuperſtitioſi cultus argumentum, demonſtrant apud Jo. Spencerum in hac diſſert. p. 717. Origenes, Tertullianus, Minutius, & quæ ſcripſimus ſup. cap. 15. Synodus quoque Trullana can. 67. prohiberi docet *ſanguinem animalium mactatorum*. Suffocatum nihil eſt aliud, quam animal dæmoni immolatum ſuffocatione, in qua animantium animam ſacrilegi offerri putabant: quod recte obſervarunt ex Scholaſticis Alexander Aleſis 3. p. q. 55. & Guillelmus Pariſienſis de Legibus cap. 8. Fornicationem vero maxima vigiiſſe inter gentes, quæ ignorant Deum, & ab his ſcortationis cauſſa lucos prope delubra plantatos, & ſtrata ibidem cubilia, tradit etiam Eſaias cap. 57. Cum igitur in ipſis Eccleſiæ incunabulis ſtuderet Diabolus his quatuor fideles ad idololatriam trahere, ut liquet ex cap. 2. Apocal. v. 14. & 20., conſulto Apoſtoli præceperunt abſtinendum omnino eſſe ab idolothytis, a ſanguine, a ſuffocato, a fornicatione. Etſi ergo facile in hoc poterant convenire Gentes cum Judæis, attamen præcepto illo non fuit præſcripta obſervantia legalium, *ut legalium*, quemodo ſcripſerunt a Schola complures, ſed prohibita quatuor illa idololatriæ adminicula nuper expoſita. Quare ſi Tyrannus idolorum cultor carnes immolatitias Chriſtiano proponeret, ſive, ut feciſſe dicitur Julianus Apoſtata, cibos ſanguine victimarum pollutos; ſervanda adhuc eſſet lex Apoſtolica exemplo Sanctorum Martyrum Iſaac. de quibus Martyrologium Romanum die 2. Martii, E contra ubi ſanguis, & ſuffocatum nullam idololatrici cultus ingerunt ſuſpicionem, neque obſtat jejunii, & abſtinentiæ præceptum, iis veſci nullo decreto Apoſtolico prohibemur.

De altera quæſtione, quam ſolent hoc loco tractare, quo præciſe tempore legalia cœperint eſſe mortifera, neſcio quid ſit definite pronunciandum. Probabilius arbitror id contigiſſe poſtquam promulgato Evangelio neceſſaria non erat diuturnior cum Judæis diſpenſatio; imo poterat ex ea pertinacius tumeſcere Nazaræorum & Ebionitarum hæreſis, Chriſtianam religionem cum Judaica complectens. Igitur ceſſarunt Legalia, & quaſi ſepulta ſunt una cum ruderibus Civitatis Jeruſalem, quam duce Tito occuparunt Romani, & ferro, & igne vaſtarunt anno Æ. V. 122. Titi Flavii Veſpaſiani II., poſt Chriſti mortem anno xli. ſuppoſito quod mortuus ſit anno Æ. V. xxix. Coſſ. duobus Geminis.

CAPUT XI.

A Petro Principe Apoſtolorum Cepham, cui reſtitit Paulus, non eſſe diverſum.

NON erraſſe Petrum in fide ſed a Gentibus ſubtrahendo, animique inſpecta intentione a culpa ſaltem gravi excuſandum, paullo ſupra adverſus Porphyrium, Novatorumque phalanges perſcripſimus. At fuerunt nihilominus quidam veteres, qui ut facilius Petrum defenderent, affirmarunt Cepham a Paulo reprehenſum eſſe alium a Principe Apoſtolorum. Quorum opinionem jam extinctam, & rurſus excitatam ab Harduino & Boileau ſcribit Eruditiſſimus Calmet Diſſert. 1. in Epiſt. ad Galatas, & in Dictionario Biblico V. Cephas. Verum ante Harduinum illam propugnarunt Hector Pintus in Danielem, & Bartholomæus Cornera de Jejunio cap. 6. imo Harduini argumenta a Patrum maxime teſtimoniis deprompta collegit, breviqne ſolvit Suareſius de lege veteri libro 12. Talem vero opinationem a Hieronymo, aliiſque Patribus, a Scholaſticis etiam & ſacrorum librorum Expoſitoribus refutatam proxima poſitione expendam.

PROPOSITIO. Cephas, cui Paulus in faciem reſtitit, non fuit alius a Petro.

Et Petrum quidem cognominatum fuiſſe Cepham extra controverſiam poſitum eſt. Ei quippe ait Chriſtus Jo. 1. 42. *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Huic ergo Cephæ, non alteri, quem nonnulli dicunt fuiſſe unum ex diſcipulis Domini, & quidam Martialem Lemovicenſem Epiſcopum, Paulum reſtitiſſe, haud obſcure colligitur ex cap. 2. Epiſtolæ Paulinæ ad Galatas. Ibidem enim v. 8. legitur: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes*: ibique Apoſtolorum principem deſignari, & expreſſum nomen demonſtrat, & character Apoſtolatus. At proximo v. 9. legitur: *Jacobus, Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, ut nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem*. Atque huic Cephæ reſtitit Paulus, ut liquet ex verſu 11. ſequenti. Fruſtra autem Cepham verſu nono commemoratum jactant diverſum a Petro. Primo enim conſtat ex verſu immediate præcedenti Apoſtolum ſermonem inſtituiſſe de Petro: deinde tres illos Petrum, Jacobum, & Joannem ſui & Barnabæ comparatione Eccleſiæ columnas appellat: præterea repetit fuiſſe Apoſtolos circumciſionis, uti ipſe ac Barnabas Gentium. At circumciſionis Apoſtolum, ut vidimus nuper, non alium quam Petrum intelligit. Conferas Actus Apoſtolicos, & percipies ex cap. xv. 7. & 13. Petrum & Jacobum ſimul conſtitiſſe Jeroſolymis operam dantes converſioni Judæorum; Paulum vero ac Barnabam miſſos ad Gentes conſtat ex cap. xiii. 2. & 7. Quod inquiunt hunc Cepham non eſſe Petrum, quoniam poſt Jacobum commemoretur, optime ſolvitur a Calmet exemplis aliis Scripturarum, ubi in perſonis laudandis non ſervatur dignitatis ordo, ut ad Rom. 16. 3. ad Corinth. 1. cap. 16. 19. in ipſa Epiſtola ad Galat. v. 1., & in 1. Joan. 11. 24. Et videtur mihi poſſe futilem illam reſponſionem contra Harduinum retorqueri. Si enim de Cepha non Apoſtolo loquitur Paulus; cur illum præfert Joanni? Si etiam Joannes eſt ignotus diſcipulus, non Evangeliſta ille, & Apoſtolus: cur Paulus jam ſegregatus a Spiritu Sancto, & Apoſtolus Gentium deſtinatus, de tribus illis tanquam dignioribus ait, quod videbantur eſſe columnæ, & tanquam honorem maximum ſibi collatum narrat, quod ſibi ac Barnabæ dederint dexteras? Addo, etſi Vulgatam præ ceteris recipio, proboque, extare antiquiſſima Mſſ. citata a Grotio, in quibus Cephas præcedit, non interponitur Jacobum inter ac Joannem, eoque ordine hunc locum citari a Veteribus.

Probatur præterea ex v. 11. & 14. In primo namque Vulgata legit, *Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam*; in altero, *Dixi Cephæ coram omnibus*: & ſimiliter habet Syriaca, nam Petrus latine, Syriace Cephas dicitur. Pervetuſti autem Græci Codices habent v. 11. Ὅτε δὲ ἦλθε Πέτρος εἰς Ἀντιόχειαν, & v. 14. εἶπον τῷ Πέτρῳ ἔμπροσθεν πάντων; & ſimiliter utroque loco Arabica. Cephas ergo hac in Epiſtola non eſt alius a Petro. At inquiunt, noſtra Vulgata, quæ ſola authentica eſt, *Cepham* habet, non *Petrum*. Id quidem inepte dicunt. Nam & ſupra v. 8. *Petrum* habet. Summam vero auctoritatem Vulgatæ poſtulare ut propriorum ſaltem nominum ſignificationem ex aliis Verſionibus mutuemur, ſoli negant indocti, & ad literas excolendas pigerrimi. Nullus præterea Cephas nomine fuit diverſus a Petro; aut ſi fuit, ejus non meminit Epiſtola Pauli ad Galatas.

Et nullum quidem alium fuiſſe Cepham, eſt expreſſa ſententia Hieronymi in hanc Epiſtolam Comment. *Primum reſpondendum, alterius neſcio cujus Cephæ neſcire nos nomen, niſi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epiſtolis, & in hac quoque ipſa modo Petrus, modo Cephas ſcribitur: non quod aliud ſignificet Petrus, aliud Cephas: ſed quod quam nos Latine & Græce petram vocamus, hanc Hebræi & Syri propter linguæ inter ſe viciniam Cepham nuncupant*. Dices, opinor, Cepham quoque appellatum Martia-

lem

lem Epiſcopum Lemovicenſium, ut conſtat ex titulo illius Epiſtolæ ad Toloſanos Tom. 3. Bibl. SS. PP. His reſpondemus illam Epiſtolam eſse ſuppoſitam, quoniam illius Auctor ſcribit ſe baptizaſſe Stephanum regem, profertque loca Scripturæ ex Verſione Hieronymi. Dicimus præterea Martialem profectum in Gallias anno duntaxat 254., ut habet Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. cap. 10. Deinde admiſſo quod in Gallias venerit Apoſtolorum ætate, Martialis non appellatur ſolo nomine Cephæ, ſed *Martialis Cephas*. Ad hæc: dicitur ab iis, qui falſo illum referunt ad ſæculum Apoſtolicum, miſsus in Gallias anno poſt Chriſti paſſionem xiv. Paulus autem reſtitit Cephæ anno poſt Chriſti mortem xix. Etenim Chriſto nomen dedit biennio ſaltem poſt aſcenſionem Domini anno Æ. V. xxxi. Poſt tres annos a converſione ſua veniſſe Jeroſolymam, ipſe affirmat eadem Epiſt. ad Gal. cap. 1. 18. Aſcendit iterum Jeroſolymam poſt annos xiv. quo tempore Petrum redarguit, ut habetur cap. 11. 1. Demum ſcribit Hieronymus citato loco ſenſum eorum, qui Cepham a Petro ſecernunt, repugnare argumento Epiſtolæ, *quod oblique de Petro, Jacobo, & Joanne dicitur*. Itaque, quod demonſtrandum erat, aut Cephas non fuit alius a Petro, aut ſi fuit eo nomine aliquis, de illo in Epiſtola ad Galatas nulla fit mentio.

Opp. 1. Cepham a Petro diverſum eſse affirmat S. Clemens Alex. lib. v. Hypotypoſeon, Euſebius lib. 1. cap. 12. Dorotheus Tyrius in Synopſi, Chronicon Alex., & in Epiſt. ad Galatas Œcumenius. Primo reſpondetur adverſus hos perpaucos ſtare Patres omnes cum Græcos, tum Latinos; inter quos laudandi ſunt præſertim Tertull. de Præſcript. cap. 23. Cyprianus Epiſt. 71. Hieronymus ſupra laudatus, Auguſtinus Epiſt. 28. 40. 82. de Agone Chriſt. cap. 30. Ambroſiaſter in Epiſt. ad Galat. S. Gregorius Magnus hom. 18. in Ezech. S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 4. Neque hi opinative locuti ſunt, ſed aſsertive: & quidam, ut Hieronymus, quæſtionem accurate pertractarunt: quidam, ut Gregorius, ſcribunt quod Adverſarii, *Si Pauli ſtudioſius verba legiſſent, iſta non dicerent*. Deinde reſpondeo librum Hypot. dubiæ eſſe auctoritatis, & fœda erroribus conſpurcatum. In eo quippe, auctore Photio Cod. 109. aſſeritur materia Deo coæterna, Animarum tranſmigratio, Angelorum cum feminis concubitus, Evæ ex Adamo obſcœna productio, & alia id genus ſexcenta, quæ hæreticorum inſaniam habent, non Clementis ſalivam. Ait Calmet etiam Boileau dubitare, num fuerit genuinum opus Clementis. Animadverti dubium hærere etiam Photium, qui codice citato a Calmet non ſolum libri errata connumerat, ſed inquit ulterius, *Sive ipſe, ſive quis alius ejus perſonam indutus &c.*, εἴτε αὐτὸς, εἴτε τις ἕτερος τὸ αὐτοῦ πρόσωπον [illegible]: arbitrur ſcriptum a Clemente; nam ſub ejus nomine laudatur ab Euſebio, ſed lacinis fœdiſſimis, fabuliſque fraude alieno conſutum. Ipſe etiam Euſebius ſententiam narrat, nec rejicit, nec probat. Ab Œcumenio etiam dicitur *probabilis ſermo*, πιθανὸς ὁ λόγος. Ceteros mitto.

Opp. 2. Cepham fuiſſe diverſum a Petro colligitur ex Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 1. 12. ubi Apoſtolus ait: *Unuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo, ego vero Cephæ: ego autem Chriſti*. Ex quo loco apparet Cepham judaizando in Eccleſia quoque Corinthiaca feciſſe ſciſſuram. Item ex cap. 15. ejuſdem Epiſtolæ, ubi de Chriſto ait: *Viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim*. At ex Lucæ xxiv. 34. liquet primum apparuiſſe undecim, deinde Simoni. Cephas ergo eſt a Simone diverſus. Reſp. 1. dato etiam fuiſſe aliquem diſcipulum Cepham nomine, non de iſto, ſed de Apoſtolo circumciſionis, de columna Eccleſiæ, de eo qui ſimul cum Jacobo Judæorum ſaluti navavit operam, ſuaque auctoritate dedit dexteram, ideſt, mandavit prædicationem Gentium Paulo, & Barnabæ, in Epiſtola ad Galatas inſtitui ſermonem. Deinde reſpondetur & de Petro loqui Apoſtolum in 1. ad Corinth. cap. 1. 12. Quis enim credat ſanctum aliquem diſcipulum a Paulo reprehenſum poſt Concilium Jeroſolymitanum Corinthi circa obſervationem legalium iterum excitaſſe diſſidia? Planam hujus loci intelligentiam exhibet nobis S. Clemens in Epiſtola ad eoſdem Corinthios, ubi de Paulina ſcribit: *Profecto in ſpiritu ad vos literas dedit de ſeipſo, & Cepha, & Apollo, quia etiam tum diverſa in ſtudia ſciſſi: ſed varia illa animorum inclinatio minus peccatum vobis intulit: propendebatis enim in Apoſtolos teſtatæ ſanctitatis, & in virum ab illis probatum*. Vide Tom. 1. PP. Apoſt. pag. 174. & notas in hunc locum Cotelerii. Apparuiſſe autem Chriſtum Simoni primum, deinde xi. ſcribit, ſi attente legeris, etiam Lucas eodem cap. v. 36.

Opp. 3. In ſententia, quæ Petrum non diſtinguit a Cepha, arguitur princeps Apoſtolorum erroris in fide, & Paulus, qui illum redarguit, ſummæ procacitatis, & audaciæ. Reſponſum eſt ſupra cum Cypriano & Auguſtino, Petrum non erraſſe in fide, quoniam legalia nondum erant mortifera; atque in reprehenſione Apoſtoli præclarum nos exemplum habere & ſanctæ humilitatis in Petro, & juſtæ libertatis in Paulo.

Opponeſ ultimo. Subortis circa obſervantiam legalium diſſidiis Antiochiæ, Paulus profectus eſt Jeroſolymam, ubi in Synodo Apoſtolorum, cui præſuit Petrus, ſtatutum eſt, ne ultra jugum Moſaicorum rituum imponeretur credentibus, ut conſtat ex cap. xv. Act. Ap. Paulus autem reſtitit Cephæ Antiochiæ, ut habetur in Epiſtola ad Galat. cap. 11. Si ergo Petrus erat Jeroſolymis, quomodo reſtitit illi Paulus Antiochiæ? Vulgaris eſt reſponſio, quam tradit laudatus Calmet, Paulum abſoluto Concilio ſtatim reverſum Antiochiam; quo poſtea ſe contulit Petrus diſſidiis jam compoſitis, & ab Eccleſia Corinthiorum receptis definitionibus Apoſtolicis; poſtquam vero Petrus advenerat Antiochiam, contigiſſe quæ narrantur in Epiſtola ad Galatas. Sed Auguſtinus in Epiſt. 82. ad Hieronymum probabilius cenſet hæc geſta ante Jeroſolymitanum Conventum; nam poſt verba S. Patris producta ſuperiori cap. num. 3., habetur: *Si autem hoc, quod magis arbitror, ante illud Jeroſolymitanum Concilium Petrus fecit, &c.* Ideo reſpondeo non eſſe eamdem profectionem Pauli ex Antiochia in Jeroſolymam, quæ narratur cap. xv. Act. Apoſt., & quæ deſcribitur Cap. 2. Epiſtolæ ad Galat. Et quamquam certam figere Epocham non auſim, dico Concilium Jeroſolymitanum ſaltem biennio eſſe poſteriorem, ſi recte a recentioribus collocatur ad annum Æ. V. l. vel li. Nam ego cenſeo Chriſtum paſſum anno Vulg. Æ. xxix. quibus ſi addamus xix. quos vidimus fluxiſſe uſque ad Reprehenſionem factam Petri, nonniſi ad annum Æ. V. xlviii. perveniretur.

Ait Calmet hanc diſtinctionem temporum nimis fluxam eſſe, & incertam, nec tam levi conjectura ſatisfaciendum contrario argumento. Verum cum ipſa fateatur non convenire Scriptores circa annum Jeroſolymitani Conventus, & ſive ante, ſive poſt Pauli & Cephæ diſſidium evenerit, adhuc eſſe diſcrimen, dummodo demonſtretur in Epiſtola ad Galatas non enarrari quod extat in cap. Act. Apoſt. quintodecimo, omnis contradictio evaneſcit, ſimulque evincitur priorem reſponſionem niti longe levioribus conjecturis. In Epiſtola ergo ad Galatas res diverſas narrari, colligitur, quia cap. 11. 2. ait Apoſtolus, veniſſe Jeroſolymam, *ſecundum revelationem*, ideſt, divino monitu ductum: in cap. xv. Act. habetur, ſtatutum fuiſſe, *ut aſcenderent Paulus & Barnabas*, hoc eſt, Eccleſiæ Antiochenæ conſilio, non ſpeciali facta Paulo revelatione. Priori in loco aſſeritur cauſſam, cur ierit Jeruſalem, fuiſſe ut conferret cum Apoſtolis Evangelium, ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet: in poſteriori autem ob ſeditionem excitatam a Judæis, & ob ſolam quæſtionem circumciſionis. Ibidem dicitur aſcendiſſe cum Barnaba & Tito; quod factum affirmat Hieronymus, ut prædicationis ſuæ ex Circumciſo, & Gentili haberet teſtimonium. Iſtic vero nec Titus ab Eccleſia deſtinatus legitur, nec ab Apoſtolo aſſumptus. Affirmatur etiam in Ep. ad Galat. decreviſſe Petrum, Jacobum, & Joannem, ut Paulus & Barnabas converterentur ad Gentes, quod in Act. Apoſtolorum fuerat jam narratum cap. xiii. Quod autem poſt Jeroſolymitanum Concilium ſtatim Petrus ſe contulerit Antiochiam, ibique fuerit a Cepha reprehenſus, in capite xv. non invenies. Igitur ex collatione Epiſtolæ ad Galatas cum Actibus Apoſtolicis, quoniam diverſam profectionem, diverſamque Pauli cauſſam enarrant, fruſtra ſententiam noſtram damnant antilogiæ, qui Cepham diſtinguentes a Petro, Magno Gregorio auctore, *ſi Pauli ſtudioſius verba legiſſent, iſta non dicerent*.

CAPUT XII.

De Lege nova breviſſime pertractatur.

QUONIAM facile ex dictis infertur hoc inter legem veterem ac novam intereſſe diſcrimen, quod illa iſtius myſteria præſignabat, fructumque uberrimum gratiarum pollicebatur; recte hanc utriuſque diſcrepantiam explicarunt Theologi comparatione parvuli utique perfecti, aut arboris latentis in ſemine, ac inde germinantis, pomaque ſaluberrima proferentis. Hinc ſolvitur prima quæſtio, quam de nova divina lege Theologi inſtituunt; num veteri ſit perfectior. Conſtat quippe perfectius eſſe quod fructum affert, quam quod illum promittit, & virum hæreditatem capeſſentem, quam parvulum ſub tutoribus, & actoribus conſtitutum. Eſt autem ſub Evangelica lege repromiſſa hæreditas, unctio primum Spiritus Sancti, libertas filiorum, qua clamamus, *Abba*, Pater, deinde quod adoptionem conſequitur, cæleſte regnum. Atque hanc hæreditatem conſecuti ſunt quidem & Sancti veteris teſtamenti: ſed diſpari ratione, nam adoptionem filiorum habuerunt in ſpe venturi Reparatoris; gloriam vero adepti ſunt jam redemptione perfecta, ne ſine nobis conſummarentur. At nunc adoptamur in filios gratia Sacramentis Evangelicis abunde collata, ſervatiſque mandatis, ſempiterna retributio jure quodam hæreditario conſequitur. Eapropter lex Evangelica Moſaicam dignitate præcedit, & quoniam hæc illius gratia fuit inſtituta tanquam ſymbolum futurorum; & quoniam vetus ſempiternam retributionem nec expreſſe promittebat, nec vita functis largiebatur; cum lex nova utrumque præſtet divina præcepta ſervantibus. Illud quoque accedit, quod Lex Moſis Judæorum populo titulo quodam peculiari data eſt, Evangelium vero omni creaturæ divina inſtitutione annuntiatum. Erat præterea anti-

qua

qua lex cum ob ſacrificiorum multitudinem, tum ob judicialia præcepta jugum quoddam ſervitutis: cum Evangelica jugum ſuave, & onus leve dicatur & ob legalium rituum abrogationem, & ob caritatem Spiritus Sancti, unde merito nuncupatur lex amoris, & gratiæ. Atque hæc de utriuſque legis diſcrimine, & novæ ſupra veterem excellentia.

Extra controverſiam poſitum eſt in lege etiam nova quædam præcepta fidelibus intimari, & eſſe opere, animoque ſervanda: quicquid dixerint Lutherus, Calvinus, & Pſeudoreformati alii, impie ſentientes ſolam divinorum promiſſorum fidem eſſe nobis unicam cauſſam ſalutis. Sed hanc blaſphemiam, præter ea quæ de Juſtificationis cauſſa diſputata ſunt, omnia epicherematon genera arguunt, atque diſpellunt. Principio novam legem ſuis conſtare præceptis ſacri, quibus comprehenditur, libri manifeſto demonſtrant. Nam Mat. cap. v. 19. legitur dixiſſe Chriſtum legislatorem: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*: v. 20. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, &c.* v. 44. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros*; & alia bene multa ad reprimendam concupiſcentiam, ad vitanda perjuria, ad connubiorum ſervandam fidem ibidem conſtituta narrantur. Cap. autem xix. 7. legitur: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Cujus generis habentur plurima Joan. xiv. 15. 21. xv. 10. 14. 17. Lucæ vi. 46. 47. 49. in Epiſtola Pauli ad Eph. cap. v. 8. 15. & ſequentibus. Quid vero clarius noviſſima ſententia Judicis in eos, qui etiamſi crediderint, opera miſericordiæ executi non fuerint? Eam vide apud Mat. cap. xxv. 42. Aperte itaque hæreticorum inſaniam ipſum legis volumen redarguit. At jure, meritoque illam damnat ſacroſancta Tridentina Synodus cap. 19. Seſſ. ſextæ: *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem; cetera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos; anathema ſit.*

Auguſtinus, cui alii Patres conſentiunt, lib. xvii. de Civit. Dei cap. 17. ſcribit Chriſtianam legem prænuntiatam a Davide Pſ. cix. 2. illis verbis, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, atque hanc legem eſſe Evangelium: de qua & vaticinatus fuerat Eſaias cap. 11. 3. dicens: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem*. Lex enim Moſis in Sina, non in monte Sion lata eſt. *Virga* autem principis auctoritatem, & Legumlatoris mandatum haud obſcure ſignificat. Et libro proximo cap. 50. idem Auguſtinus Chriſtianæ legi ita ſubdi Reges declarat, ut venerari teneantur ſanguinem Martyrum, & perſequi falſos Deos, quorum cauſſa priuſquam Chriſto nomen darent cultores veri Dei perdere ſtuduerant. Sed ceteris miſſis, libro tertio ad Bonifacium cap. 4. *Si Chriſtus*, inquit, *nobis abſtulit illud graviſſimum multarum obſervationum jugum...... numquid propterea dicturi ſumus non ad nos pertinere quod ſcriptum eſt, ut alienum quodcumque perditum quiſquis invenerit reddat ei, qui perdidit, & alia multa ſimilia, quibus pie rectèque vivere diſcitur, maximeque ipſum decalogum, qui duobus illis lapideis tabulis continetur, excepta ſabbati obſervatione carnali, quæ ſpiritualem ſanctificationem, quietemque ſignificat? Quis enim dicat, non debere obſervare Chriſtianos, ut uni Deo religionis obſequia ſerviatur, ut idolum non colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum, ut parentes honorentur, ne adulteria, homicidia, furta, falſa teſtimonia perpetrentur, ne uxor, ne omnino res ulla concupiſcatur aliena? Quis eſt tam impius, qui dicat ideo ſe iſta legis non cuſtodire præcepta, quia eſt ipſe Chriſtianus, nec ſub lege, ſed ſub gratia conſtitutus?* Veritas ergo Catholica etiam Sanctorum Patrum, præſertim vero Auguſtini auctoritate corroboratur.

Extant præterea opera illius caritatis, quæ ad novam legem præcipue pertinet, ſunt exercitium, atque experimentum. Nam ſi Deus a nobis diligitur, laudandus, & glorificandus eſt publica etiam, ubi opus ſit, confeſſione, & ſanguinis affuſione. Amore autem proximi quiſnam ardere putabitur, ſi ab eo contra divina monita claudat viſcera miſericordiæ? E contra opera ſunt plura, quæ cum caritate Dei ac proximorum directe pugnant, a quibus proinde æquiſſimum eſt abſtinere. Alioquin lex Evangelica legem naturæ diſrumpet, nec imperfectione, omnique injuſtitia carebit. Ex quo fit ergo Evangelium lex gratiæ, lex amoris, non eximit ab obſervatione præceptorum, ſed eo rem urget magis: quoniam caritas, in qua legis ſita eſt plenitudo, otioſa eſſe non poteſt, atque ceterarum omnium virtutum, ut Apoſt. docet in 1. ad Corinth. cap. 13., comes eſt individua.

Quæ afferunt Heterodoxi in hæreſis ſuæ patrocinium, ſunt: Primo inquiunt, Lex Evangelica eſt lex libertatis, ſcribente Paulo ad Galat. v. 18. *Quoniam ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege*. Et ad Rom. vi. 14. *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*. Deinde hoc eſt diſcrimen inter legem veterem, ac novam, quod illa erat lex factorum, iſta lex fidei; ut docet idem Apoſtolus cit. Epiſt. ad Rom. cap. iii. 27. Inſuper lex nova ſpiritualis eſt, ac per eam *Regnum Dei intra nos eſt*, quomodo legitur Luc. xvii. 21. in regno autem ſpirituali opera externa nec præcipiuntur, nec prohibentur. Poſtremo quid nomen Evangelii ſignificat, niſi *bonum nuncium*, ac noſtræ per Chriſti gratiam libertatis promulgationem? Quibus jam cap. 2. hujus libri reſponſum eſt, ubi demonſtravimus, Evangelium appellari legem gratiæ ac libertatis, propterea quod lex ſeipſa jubet tantum, premit, minatur, & peccata oſtendit, non tollit: Chriſtus vero etiam gratiam largitur, & adjuvat, ut non ſit quiſque noſtrum impotens auditor legis, ſed factor. Diximus etiam ſub Evangelio liberum eſſe unumquemque a ſervitute legis prementis, & vindicantis, quoniam ſi caritate trahamur, & amore juſtitiæ, fit mandatum Domini latum nimis: unde ait David, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*. Spiritualis eſt autem lex Chriſtianorum, quoniam ſpiritualia promittit, & qui eam ſtudioſe implent, ſpiritu Dei aguntur, nec mandata ſolo externo opere faciant, ſed etiam intentione animi, & rectitudine finis. Atque jure merito hæc lex humani generis redemptionem, inſtituta peccatorum remedia, adoptionem filiorum, & Chriſti hæreditatem promittens, & conferens, Evangelium, ideſt bonum nuncium, appellatur. Sed vide citato cap. 3., atque magnum Auguſtinum lib. 3. ad Boniſ. poſt verba ſuperius laudata, de Sp. & lit. cap. 4. & 20. in Pſalm. 59. de Nat. & Grat. cap. 57. & contra Adimantum cap. 17.

Si quæres quænam præcepta contineat lex Evangelica: Reſpondeo continere eadem præcepta vitæ inſtituendæ, ſive moralia, quæ etiam lex vetus præceperat; & quæ contra Phariſæorum licentias Chriſtus ampliori explicatione, ut ſupra vidimus in Expoſitione Decalogi, ſingulis propoſuit ſervanda. Occaſione autem Evangelicæ prædicationis, per quam Trinitatis myſterium, Incarnatio Verbi, ejuſque mors & reſurrectio, aliaque ad noſtram notitiam pervenerant, addita ſunt in Evangelica lege nonnulla Fidei præcepta. Loco plurimorum ſacrificiorum unum inſtitutum eſt longe vetuſtis victimis excellentius. Sacramenta, quorum participatione Chriſtianus populus coadunatur, ſeptem vera Eccleſia connumerat, non omnia tamen ſingulis neceſſaria. Præceptis accedunt conſilia Evangelica: cujuſmodi eſt facultates omnes pauperibus diſtribuere, ac perpetuam ſervare virginitatem; quorum primum habetur Matt. xix. 21., alterum in prima ad Corinth. cap. vii. 25. Eſt autem differentia inter præceptum, & conſilium, quod illud neceſſitatem imponit, iſtud in optione relinquitur eligentis. Etſi vero abjiciendo conſilia præciſe quiſque non peccet; fieri tamen poteſt, ut qui illa ſpernit, vel cupiditatibus noxiis immodice indulgeat, vel æternæ ſalutis capeſſendæ occaſionem perſundet: ideoque intereſt plurimum, ut probentur ſingulorum ſpiritus, divinæque compleantur inſpirationes: & cavendum contra, ne cuilibet ſpiritui adhibeamus fidem, ut non vento nequitiæ circumferamur.

At ſi petas, quomodo fieri poteſt, ut in tanta divinorum præceptorum copia, quorum aliqua gravia cenſentur, uti Sacramentalis Confeſſio, & polygamiæ, repudiique exoſæ uxoris inhibitio, ſit tamen leve jugum legis Chriſtianæ: reſpondemus leve quidem eſſe pluribus ex cauſis. Primum ſi legi veteri comparetur; cum abrogata modo ſint tot ſacrificia, & genera holocauſtomatum, ablata legalis immunditia ciborum, carnalis circumciſio, & purificationum & cæremoniarum antiqua præſcriptio: nec taurorum, hœdorumque ſit repetenda mactatio, aut aſcendendum undique Jeroſolymam ad ſacrificia, feſtorumque celebritatem; ſed ubique locorum abſque diſpendio & gravamine offeratur Domino Oblatio munda. Deinde cum univerſa Chriſtianorum lex ad caritatem, & dilectionem referatur, Deus autem abunde ſubminiſtret ſpiritum bonum petentibus; eumque, ut eſt in Auguſtinianis prologuiis, omnia facilia reddat amor, ubi amor eſt non ſit labor, aut ſi labor ſit, ipſe labor voluptate dulceſcat; conſequens eſt ut diligentibus Evangelica præcepta alæ potius volantis ſint exiſtimanda, quam premens ſarcina ac pondus. Legas autem oportet caritatis ac dilectionis Præconem maximum Auguſtinum, id ſerm. 22. de Verbis Apoſt., de Bono Viduitatis cap. 21. in Pſalm. 59. & 128. De Nat. & Grat. cap. 69. aliiſque in locis explanantem.

Quæ autem gravia nonnullis forte videntur, ut Sacramentalis Confeſſio, atque monogamia, certam perſonarum conditionem ſpectant, nec alios obligant divino jure, niſi qui propria voluntate peccarunt, aut ſtatuerunt ducere uxorem. Et tranſgreſſoribus præceptorum Sacramentalis Confeſſio gravis videri non debet: quin corrigendis, & aliqua animadverſione dignis non poterat remedium præſcribi ſalubrius. Nam confitendi neceſſitas peccantium cohibet inverecundiam, & Sacerdotalis abſolutio animis ſcelerum ſuorum conſcientia proſtratis ſummam affert cum ſpe veniæ jucunditatem. Forma etiam judicii, ſive Sacerdotis perſona ſpectetur, ſive ſecreta peccatorum accuſatio, ſive ſatisfactio exhibenda, non poterat inſtitui facilior. Quare duriſſima potius lex foret, ſi impiis occulta iniquitate ruentibus & miſero naufragio pereuntibus tabula hæc non adeſſet: neque lex gratiæ & caritatis cenſenda eſſet, quæ ſineret fidelium conſcientiam diuturna anxietate, & abſolutionis incertitudine contabeſcere. Verum de his alibi, propitio Numine.

Ne de uxoribus penitus taceamus, ipſa lex caritatis Chriſtianorum conſuetudinem magnopere commendat. Nam ſi nuptam dimittes, proli parentem auferes, conſanguineos afficis injuria, propriam intemperantiam atque acerbitatem prodis, & carnis tuæ revelas turpitudinem. Contra

Contra

tra uxori adhærens ſpernis pellices, vitas adulteria, colis amicos, & legitimo toro ſuſceptos filios paterno amore complecteris. Ex polygamia pariter vel inter uxores ſimultates, vel inter natos diſſidia, ac proinde tui ipſius moleſtia oriatur, neceſſe eſt. Igitur etiam Chriſtianorum connubiorum jure ad legem ſpectant amoris ac libertatis. Quod, ut Saræ & Agar, Rachelis & Liæ, filiorumque ipſarum facta prætercam, arbitror etiam Gentiles naturali lumine percepiſſe. Etenim nullus Romanorum ante Antonium legitur habuiſſe duas ſimul uxores: imo Edicto Prætoris qui bina ſponſalia eodem tempore conſtituta haberet, notabantur infamia. Atque hinc decreta Imperat. Valerian. & Gallien. l. *Eum qui*, 18. ad l. Jul. de Adult. Dioclet. & Maximin. l. 2. C. de inceſt. nupt. ac poſtremo Juſtin. Novella 79. Matronas quoque Romanas polygamiæ incommoda vehementiſſime aſpernatas demonſtrat feſtivum lepidumque figmentum Pepyrii; de quo lib. 1. Saturn. cap. 6. Macrobius, & A. Gellius lib. 1. cap. 23. N. A. Idem fuit optimum conſilium Græcorum; nam cum antiquitus plures uxores ducerent, Cecrops Athenis unicam uni viro ſtatuit eſſe jungendam. Objectum idcirco Socrati a Calliſthene, a Satyro Peripatetico, atque a Demetrio Phalereo, quod duas ſimul haberet uxores Xantippen, & Myrto, obſervavit in libro de Luxu Græcorum Muſonius. Quomodo Clytæmneſtra in Agamemnonem, & Caſſandram manus violentas injecerit, quod hanc ille lecti ſociam feciſſet, & Jaſoni ob ſuperinductam uxorem alteram Medea ſtruxerit interitum, narrant Antiquitates Homericæ. At non vacat modo per Græciam, Latiumque vagari.

Ut ad Evangelicam legem revertatur oratio; conſtat illam eſſe veteri perfectiorem & faciliorem, neque nulla ſucceſſione temporum interituram. Et quidem ipſius diuturnitatem, nam reliquas dotes ſatis videor proſecutus, quidam probant ex verbis Mat. XXIV. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo Orbe in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc erit conſummatio.* Non enim de ſolo excidio Jeroſolymitano, ſed etiam de fine ſæculorum loquitur ibidem Evangeliſta. Sed hoc teſtimonio prætermiſſo, certum eſt permanente Sacerdotio nequaquam legem transferri; Sacerdotium autem Chriſti ſempiternum eſſe, neque perfectius eſſe ab hominibus expectandum. Quod in Epiſtola Pauli ad Hebr. cap. VII. 12. 17. & 24. necnon aliis locis pluribus aperte traditur. Accedit manifeſta ratio D. Thomæ q. 106. art. 4., quam ita brevi proponam. Lex vetus pro fine habuit adventum Chriſti, auctore Apoſtolo ad Rom. X. 4., *Finis enim Legis Chriſtus*; ideoque poſt legem Moyſi venit lex gratiæ. At ad legem gratiæ ſola gloria regnumque ſanctorum conſequi poteſt, quoniam teſtamentum Chriſti nullum alium, quam ſempiternæ hæreditatis, finem habet. Societatem itaque Chriſtianorum ſequitur ſuperiorum civium hæreditas: & ideo lex antiqua Chriſtum, lex Chriſti vitam æternam prænuntiat.

CAPUT XIII.

Pertractatur de lege humana, & primo inquiritur quid neceſſe ſit, ut valorem habeat, atque vim obligandi.

JAM ad Leges humanas, quarum nomine intelligimus Conſtitutiones Eccleſiaſticas & Civiles, noſtra convertitur diſputatio. Cujus initium faciendum eſt ab iis, quæ ut lex humana ſit valida præter conditiones cap. 2. numeratas dicuntur requiri, ac primo a promulgatione. Hanc neceſſariam eſſe ſatis conſtat: nam habetur cap. *In iſtis*, diſt. 4. *Leges inſtituuntur, cum promulgantur*; nec poteſt legiſlator obedientiam exigere a ſubditis, niſi iis mandata ipſius innoteſcant. Conveniunt tamen DD. minime neceſſariam eſſe, ut leges cuique in particulari intimentur; ſed ſatis eſſe, ſi in aliquo loco publico fuerint promulgatæ, unde ad ſingulorum notitiam valeant pervenire. Et quantum ad Civiles attinet, Imperator Juſtinianus in Authentica, *Ut factæ novæ Conſtitutiones*, decernit valere tantum, ex quo in commune factæ ſunt manifeſtæ: in provinciis autem ex quo diſcrete per Metropolites palam factæ ſunt, idque poſt duos menſes. Ex quibus colligunt leges Imperiales non ſtringere, niſi in ſingulis provinciis fuerint promulgatæ, nec valere niſi duorum menſium dato tempore. Atque idem quantum ſaltem ad promulgationem pertinet tenendum eſſe de legibus Eccleſiaſticis: ita ut non obligent niſi in provinciis, in quibus fuerint ſpecialiter promulgatæ, ſentiunt complures, inter quos Natalis Alex. lib. 4. de Decalogo Regula 25. Cabaſſutius lib. 1. Theoriæ Juris Canon. cap. 4. Juenin Diſſert. VI. cap. 3. & Girken de legibus Q. 4. dub. 4. Iis tamen opponitur longe major numerus Theologorum, atque ex noſtris Leonardus Vanroy de lege poſitiva cap. 4. q. 3. Baſilius Poncius de Matrim. lib. V. cap. 7. Antonius Guerrerus Tract. VI. §. 11. aliique communiter, aſſerentes, ubi in ipſa lege non exprimitur oppoſitum, ſufficere ſi leges civiles in Civitate primaria, vel Curia Principis publicentur, Eccleſiaſticæ autem Romæ, ubi viget Apoſtolicæ Sedis Primatus.

PROPOSITIO I. A Legiſlatoris poteſtate atque arbitrio pendet an in provinciis, an in ſola Metropoli lex debeat promulgari, quemadmodum an ſtatim poſt promulgationem, an vero poſt certum tempus ſubditos ſtringat; ideoque ſi legiſlatore mandante lex in Metropoli abſque ulla exceptione publicetur, ſtatim obligat omnes ſubditos, ad quorum poteſt pervenire notitiam.

De loco primum dicam, deinde de tempore. Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 1. ſcribit Zephyrini Papæ decretum de admittendis ad ſacra altaris myſteria pœnitentia functis affixum fuiſſe Eccleſiæ valvis, promulgatumque in provinciarum Eccleſiis. Cyprianus Epiſt. 74. ad Pompejum affirmat a Stephano Papa literas de non iterando baptiſmate collato ab hæreticis ad quaslibet Orientis, & Africæ provincias fuiſſe directas. Teſtatur Marius Victorinus libro 2. Nicænos Canones per totum orbem tranſmiſſos: idemque Epiſtola 61. ſcribit de Decretis Concilii Chalcedonenſis Leo Magnus. Id factum & de Canonibus Sardicenſibus narrat lib. 1. H. E. cap. 9. Theodoretus. Siricius Papa Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum juſſit, decretalem ſuam de Continentia Diaconorum in Hiſpaniæ, Galliarumque provinciis publicari. Lateranenſis IV. Synodus ſancivit Canonem XXII. pœnam infligentem medicis, qui antequam corpori adhibeant medicamenta, ad conſulendum animarum ſuarum ſaluti non inducunt ægrotos, eſſe a Diœceſano Epiſcopo promulgandum. Ipſum denique Tridentinum Concilium Seſſ. 24. de Reformatione Matrimonii decrevit legem matrimonia clandeſtina abrogantem, niſi prius in Parochiis promulgetur, neminem obſtringere. His itaque, aliiſque exemplis compluribus docemur, neceſſariam eſſe promulgationem legis humanæ in ſingulis Provinciis, quando id exprimit legiſlator, prout ipſi videtur magis expedire.

Fruſtra tamen hinc nituntur quidam inferre novas Conſtitutiones, ſive Eccleſiaſticæ ſint, ſive Civiles, nullatenus ſtringere niſi in Provinciis ſingulis promulgentur. Poſſunt enim afferri exempla in contrarium longe plura etiam rationibus confirmata. Innumeræ quippe habentur Pontificum Romanorum Conſtitutiones, quibus ſummus Eccleſiæ Paſtor declarat ab omnibus inviolabiliter eſſe obſervandas, ac ſi eſſent ſingulis exhibitæ vel oſtenſæ, poſteaquam affixæ fuerint tantummodo in Acie Campi Floræ, ſive ad Valvas Principis Apoſtolorum. Exemplo ſint Conſtitutiones Sixti V. de male promotis ad Ordines, Alexandri VII. emanatæ anno 1660. & Innoc. XI. anno 1680. citato loco productæ a P. Vanroy. Deinde plures ſunt Eccleſiaſticæ leges, quæ ſervantur etiam ubi publicatæ nequaquam fuerunt, præſertim ex Decretalibus Pontificum, Clementinis, & Extravagantibus. Idem affirmandum eſt de Bulla Cœnæ Domini. Reſcripta etiam Pontificum ſervenda eſſe fatentur omnes Juriſperiti, etiamſi in Corpore Juris Canonici non comprehendantur. Præterea in Romana Curia omnes Cauſæ dirimuntur ex Decretis ibidem editis, nulla habita ratione, an publicata fuerint per omnes Chriſtiani Orbis provincias. Et quidem jure optimo. Etenimvero lex eſt voluntas Legiſlatoris, cui ſemper obtemperandum eſt. Si ergo Legiſlatori placeat, ut lata lex in Curia duntaxat promulgetur, dummodo ad ſubditorum notitiam pervenire valeat, quare neceſſaria erit tam ſpecialis facta ubique locorum promulgatio? Deinde ſupremi legiſlatoris imperium nequit vel privatis inſtitutis, vel ſubditorum voluntate, vel quolibet ab ipſomet non probata ratione labefactari & infringi. Ab illius ergo nutu, quemadmodum inſtitutio, ita legum promulgatio dependet.

Neque his præcedentia exempla repugnant; ſiquidem ideo decreta Zephyrini, Stephani, Siricii, & Canones Nicæni, & Sardicenſes, & ſi qui ſunt alii, quos latent eſſe permultos, extra Urbem Romam diſcrete per Eccleſias promulgata fuere; quoniam id ſummis Paſtoribus ob temporum circumſtantias viſum fuit opportunius. Memoratæ quippe Pontificum & Conciliorum Conſtitutiones aut graſſante ſchiſmate, aut ſerpentibus hæreſibus, aut fidelibus perſecutione diſperſis, ut plurimum latæ ſunt. Cautum propterea fuit, ut ubique per Eccleſias promulgarentur, ne occultarent illas refractarii, ne pervicaces ignorantiam prætexerent, atque ut fideles proſtrati paterna ſupremi Paſtoris voce recrearentur. Quare non ut vim haberent obligandi, ſed *ut omnibus excuſationibus aditus obſeraretur*, diſcreta promulgatio mandata eſt, ut legitur in ipſa Epiſtola Siricii ad Himerium. Cap. quoque, *Cum infirmitas*, ex Synodo Lateranenſi depromptum ad pœnam infligendam, non ad ſtringendum in foro conſcientiæ, promulgationem per loca præſcribit.

Multo minus theſi noſtræ adverſatur Authentica, *Ut factæ novæ conſtitutiones*, qua Juſtinianus ſancivit, nonniſi poſt duos menſes, ex quo diſcrete per Metropolites palam factæ fuerint, novas leges valere. Quam Authenticam urgent Adverſarii vehementer, inter Civiles, & Canonicas leges inſtituendo comparationem; maxime quod Cap. *Intelleximus*, definitum eſt, Canones imitari leges, niſi illis opponantur. Sed huic objectioni reſpondeo nec Authenticam illam de omnibus legibus eſſe accipiendam, nec promulgationem, ac duorum menſium tempus præſcribere, ut ſubditos obligent, ſed ne aliquem in Foro excuſationem poſſint obtendere, ſi in Teſtamentis eaſi fuerint deficientium infringere voluntates. Nam ibidem abſoluta hæc etiam pronunciat Imperator: *Sancimus ex illo noſtras Conſtitutiones*,

quæ

quæ pro teſtamentis ſunt, valere, ex quo in commune facta ſunt manifeſta. Et Baldus quidem *l. Leges ſacratiſſimæ*, Authenticam illam latam declarat, *ad ſcientiam præſumendam, & ignorantiam non excuſandam*: & docet etiam in aliis legibus, præſertim in municipalibus, ſpatium duorum menſium non eſſe expectandum. Igitur ſi attendenda non eſt temporis definitio, ut mox dicam, neque erit neceſſaria facta ab Imperatore promulgatio. Addo prædictam Authenticam ſpectare ad Jus Cæſareum, non ad Jus Civile commune. Addo inſuper ita ſtatutum, quia ita viſum eſt Imperatori; ideoque poſſe Papam, qui eſt ſupra omne Jus poſitivum, pro ſuo libitu diverſa ſancire. Addo item, plures provincias Romani Imperii eſſe veluti diſtincta Corpora, ſua qualibet forma diſcretas, Eccleſiam autem univerſam unum Corpus eſſe, & unam poſtulare ſummam regiminis. Quod ſi plures provinciæ unum perfectiſſimum Corpus conſtituant, nego quod non ſufficiat legem etiam ſæcularis Principis in Curia promulgari.

Sane, ut a promulgatione ad præſcriptum tempus tranſeamus: quamquam in Authentica duorum menſium datum ſit tempus, iſtud pro legiſlatoris arbitratu ampliari, aut reſtringi facile demonſtratur. Dixi nuper, legis municipalis tempus arbitrio judicis definiri. Ut proferam de Eccleſiaſticis legibus exemplum aliquod; in VI. Decretal. cap. *Statuimus*, impugnantibus electionem unius menſis tempus præſcribitur, quo ad Sedem Apoſtolicam iter arripiant. Cap. *Cum ſingula*, de Præb. ſpatium pariter menſis unius limitatum eſt. Decretum irritans matrimonium Clandeſtinum ſtringere poſt triginta dies ab illius promulgatione, liquet ex Seſſ. 24. Tridentini. In cap. autem, *Decernimus*, diſt. 18. Epiſcopis poſt celebratam Synodum præſcribitur intervallum ſex menſium, ut univerſæ diœceſis ſuæ plebi referant, quæ eodem anno in Concilio acta vel definita noſcuntur. At Conſtitutio Sixti V. de male promovendis, & promotis, exiſtentibus Romæ dies quindecim a promulgatione præſcripſit, citra alpes menſes quatuor, novem vero ultra alpes. Itaque tam promulgatio, quam temporis definitio eſt penes voluntatem ac prudentiam legiſlatoris, cujus præſcripta, ubi ad notitiam pervenerunt, ſubditos quoſlibet obſtringunt, ſi pro ſingulis lata fuerint, tametſi ubique non fuerint ſpecialiter palam facta. Quod ſi dixeris eſſe, ubi Pontificiæ Conſtitutiones vim non habent, niſi Regis placito receptæ fuerint, & promulgatæ: reſpondeo id evenire aut conventione Pontificis cum Regibus, & Monarchis, aut Apoſtolicæ Sedis indulgentia & conſenſu; cum ſpiritualis poteſtas a temporali, & Eccleſiaſtica Monarchia a Sæculari Republica accipere auctoritatem non debeat.

PROPOSITIO II. Neque lex civilis, neque Eccleſiaſtica a Populi acceptione dependet.

Hanc poſitionem accipiendam conſtat de lege lata a ſupremo Domino: nam ſi dominium ſit Ariſtocraticum, ut apud Italos ampliſſima Venetorum, ſive Genuenſium, aut Lucenſium Reſpublica, haud dubium quin ad valorem legis probatio requiratur Optimatum, cum penes ipſos ſit jura ſtatuendi poteſtas. Ita populi aſſenſum neceſſarium minime dubitamus in Democratia, ſive populari regimine, quoniam in eo apud populum eſt principatus. Dicimus ergo ad validitatem legis neceſſariam non eſſe acceptationem inferiorum. Quod probatur I. ex ipſa legis natura: nihil enim aliud, cum legem dico, intelligi volo, quam imperium, præceptum, & vim quamdam, & rationem imperantem honeſta, & prohibentem contraria. At præceptum vim obligandi non habet a ſubditis, ſed a voluntate imperantis, ut recte Auguſtinus ſcribit in III. de lib. arb. cap. 24. *Præceptum non eſt ab illo, cui præcipitur, ſed ab illo, qui præcipit.* Igitur ſubditorum acceptatio legibus a ſuperiore ſtatutis non tribuit vim ſtringendi, ſive validitatem. Deinde Poteſtas legiſlativa, quæ proculdubio eſt in ſuperiore duntaxat, non eſt ſolam legem proponere, ſed illam obſervandam præcipere; alioqui etiam Conſiliarii, ac Sapientes viri Principibus quid ſit conſtituendum proponentes appellarentur Legiſlatores. Atqui ſi a populi acceptatione lex pendeat, Legiſlator proponet tantum, non obſtringet propoſitione præcepti ſubjectum ſibi populum. Non ergo habebit veram propriamque poteſtatem legiſlativam. Rurſus, ut Auguſtinus ſcribit Ep. 48., *poteſt Rex convenienti vigore leges ſancire*: quod falſum foret, ſi lex ſuam mutuaretur validitatem ab acceptatione populorum: tunc enim poſſet populus legem non acceptare, ſpretiſque Regis ſtatutis vitam agere pro ſuo libitu. Præterea, quod ex præcedenti conſequitur, ſi in arbitrio populi ſit rectiſſimas leges acceptare, aut eis contradicere; quonam jure pervicaces, rebelles, & qui jugum dominorum ſuorum tentant excutere, poterunt coerceri? Audebunt quippe Principum juſſa repudiare, dicentes nolle ſe acceptatione tribuere illis firmitatem. Verum his obviam ivit Alexander VII. damnans tamquam Apoſtolicæ doctrinæ contrariam, & ſeditioſam propoſitionem n. 28. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a principe promulgatam.*

Rurſus vel quæſtio inſtituitur in communi de lege tam Eccleſiaſtica quam Civili; vel de Civili, aut de Eccleſiaſtica ſejunctim. Si de utraque ſimul lege tenent producta hactenus argumenta: quibus accedit quod ſequitur ex Juris inſtitutione depromptum. Ut ſubditi teneantur legum præſcriptionibus, ſat eſt quod in Legumlatore ſit poteſtas & voluntas ſubditos obſtringendi, ut habetur cap. *Cum ſuper*, De offic. delegat. Habet autem legiſlator hanc poteſtatem & voluntatem ferendi leges independenter a populorum conſenſu. Ac de voluntate conſtat; nam ſtatim ac feruntur leges, verbis præceptivis promulgantur: atque hæc verba ſunt prædictæ voluntatis argumentum invictum; ut extat in cap. *Quiſquis præceptis*, XIV. q. I. & colligitur ex ratione ſuperius allata, cum lex, niſi includeret præcipientis voluntatem, eſſet duntaxat conſiliatria, non præceptiva. De poteſtate etiam liquet, tum ex L. I. ff. de Conſt. Princip. §. *Sed quod principi*: tum ex ratione, quoniam ludibrio eſſent leges, non venerationi, niſi emanarent a viro prædito poteſtate. Si ergo Legiſlator poteſtatem, voluntatemque præcipiendi habet independenter a populi acceptatione, atque id ſufficit ad inducendam vim obligandi; eſt proculdubio vis iſtiuſmodi legibus, antequam a ſubditis præſtetur aſſenſus. Accedit quod poteſt legiſlator præſcribere ſubditis obſervantiam indictis pœnis, ut extat cap. *Non fruſtra*. XXIII. q. 5. Pœna autem imponitur, ne refractarii poſſint gloriari de contumacia, juxta cap. *In Eccleſiis*, de Major. obed. Igitur poſſet civitas univerſa perduellis & pertinax cogi ad legum obſervationem, ideoque non habent ipſæ leges a civium conſenſu vim obligandi. Videatur Proſper Fagnanus in 2. p. Decretal. pag. 526.

Si vero de lege aut civili, aut Eccleſiaſtica in particulari diſceptetur, idem eſt aſſerendum; nam quod proprium eſt legum in genere, id legibus ſingulis ineſſe debet. Ac de legibus politicis conſentientes habemus etiam Gallos Theologos plurimos, qui tradunt temporalium Principum leges non habere ſubditos obſtringendi vim, ac poteſtatem ab horum acceptatione: & quamquam id neget Marca lib. 2. Concord. Sacerdot. & Imperii cap. 16. contendit tamen inter Eccleſiaſticas & politicas leges magnum verſari diſcrimen, adeo ut, quantum ad temporales Præfectos attinet, haud multum ſollicitudinis gerat, ac ſtylum præſertim exerceat adverſus poteſtatem legum Eccleſiaſticarum. Revera leges latæ a Principe ſæculari, ut liquet ex Authentica, *Ut factæ novæ Conſtitutiones*, habent vim ſtatim poſt intimationem: poſt hanc igitur nequeunt a populis repudiari. Deinde neminem inferiorem poſſe reddere invalidam legem Principis aperte colligitur ex L. *Formam*, C. de Off. Præfect. Præt. cap. *Cum inferior*.

At ſi loquamur de legibus Eccleſiaſticis, aſſertum noſtrum peculiaribus quoque rationibus corroboratur. Romani quippe Pontificis auctoritas a Chriſto immediate deſcendit, ut colligitur ex Matthæi XVI. 19. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*: & ex Joannis XXI. 16. 17. *Paſce agnos meos: paſce oves meas.* Auctoritas quoque Epiſcoporum vel a Chriſto immediate, vel mediate per ipſum Romanum Pontificem derivatur, abſque ulla a populis dependentia. Non ergo ad validitatem Eccleſiaſticarum Conſtitutionum acceptatio populorum exigitur. Sane Romanos Pontifices immediate a Chriſto auctoritatem, poteſtatemque recipere definitum eſt cap. *Sacroſancta* d. 22. neque id ſalva fide, inquit loco citato Fagnanus, negari poteſt. Addo, quod verbum *ligandi* ſignificat etiam vim coactivam, quam Eccleſiæ Antiſtites exercent indicta excommunicatione, aliiſque cenſuris, ut oſtendam cap. XVI. prop. 3. Quare ſi Pontifici poteſtas *ligandi* a Domino collata eſt, etiam illos, qui ejus Conſtitutiones noluerit acceptare, poteſt vi, atque auctoritate compellere. Huc pertinent quæ leguntur Lucæ X. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*: ex quibus verbis colligitur idem crimen eſſe non obtemperare Eccleſiæ Paſtoribus, eorumque leges non acceptare, ac parvipendere Dei mandata: quod animadvertit D. Bernardus cap. 9. de Præcepto & diſpenſ. graviſſima hac ſententia prolata: *Sive Deus, ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obſequendum eſt cura; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Sive ergo de politicis, ſive de Eccleſiaſticis legibus inſtituatur diſputatio, nullatenus ligant ex quo ſuperioribus ſint acceptæ, ſed inferiores ipſos, etiam invitos & reluctantes, poſt promulgationem obſtringunt.

Contendit Marca magnam eſſe Civilium legum ab Eccleſiaſticis diſcrepantiam. Poteſtas enim Eccleſiæ data eſt in ædificationem, non in deſtructionem, ideoque nihil fidelibus obtrudendum eſt, quod aliquo pacto poſſit illos offendere. Deinde hanc diſcrepantiam ſatis aperte innuit Chriſtus Dominus Lucæ XXII. 25. contentionem diſcipulorum his verbis compeſcens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: Vos autem non ſic.* Præterea imperio regum non ſolum ſingulorum civium rationes commiſſæ ſunt, ſed etiam ſalus univerſæ Reipublicæ: unde fit, ut in cives, licet invitos, ad ſovendum totius Reipublicæ corpus, jus illis competat. Aliter autem ſe habet in Imperio Sacerdotali, quod præcipua ſingulorum ſaluti invigilare debet, & divini Paſtoris exemplo nonaginta oves deſerere, ut centeſimam reportet ad caulas. Hæc Marca.

Verum jure meritoque Antonius Charlas ex his conjicit ſententiam oppoſitam deſtitutam eſſe præſidio veritatis, cum vir clariſſimus ac doctiſſimus, qualis ab omnibus habetur Marca, muniat opinionem ſuam tam labili fulcimento.

Et pri-

Et prima ratio diſcriminis quantum ſit imbecillis & fracta, nullo negotio deprehenditur: nam & politicus Magiſtratus ad ædificationem, non ad deſtructionem inſtituitur; & lex quælibet honeſta præcipiens offendere debet improbos, deditoſque flagitiis & illicitis oblectamentis, & accepta eſt probis honeſtiſque quærentibus certam morum ſuorum regulam, & æquitatis præcepta. Vide hujus voluminis pag. 176. Infirma quoque, & languida eſt ratio ſubſequens: nam ex verſu proximo 29. ejuſdem capitis xxii. eruunt prædictorum verborum ſenſum eſſe, quod ſublimior in Regno cælorum dignitas, de qua inter Apoſtolos orta erat contentio, non auctoritati rependitur, ſed humilitati, quemadmodum per humilitatem & crucem Pater exaltavit Filium, & dedit illi nomen ſuper omne aliud venerandum atque auguſtiſſimum: ideoque Reges gentium exaltat poteſtas, & magnificentia, Chriſti autem Apoſtolos ſui abjectio, & humilitas. Confirmant hanc interpretationem Chryſoſtomus, Cyrillus, Baſilius, & Ambroſius laudati a Divo Thoma in Catena aurea pag. 202. 2. Ad hæc non minuitur hoc loco poteſtas Eccleſiaſtica, ſed docetur exercendam non eſſe ad instar civilis & regiæ, ſcilicet cum armis & terrore, atque oſtenſione poteſtatis, & adhibito ſatellitio: ut inquit in hunc locum Guillelmus Eſtius. Iners pariter eſt, & futilis poſtrema ratio; quandoquidem etiam Paſtor Eccleſiæ magis commune bonum, quam privatum curare debet, nec pro una ove gregem deſerere, ſi hunc lupi rapaces invadant. Neque oppoſitam probat parabola de centum ovibus; nam in una ovicula, quæ perierat, intelligitur humanum genus, in ovibus nonaginta novem relictis in montibus Angeli cælorum: aut in nonaginta novem ovibus juſtorum numerus, & in una ovicula peccatorum, ſecundum quod legitur Lucæ v. 32. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores*. Ita Hieronymus lib. iii. Comment. in Matthæum Tom. iv. pag. 83. aliique communiter.

Adverſus prædicta objiciuntur facillimæ ſolutionis nonnulla. Opponit Marca auctoritatem Scriptorum illorum, qui tradiderunt ideo leges valere, quia populis ſunt acceptæ. In horum numero præter Gratianum, de quo infra, recenſentur Covarruvias lib. ii. Var. Reſolut. cap. 16. Navarrus in Manual. cap. 23. n. 57. Summa Armilla, & Angelica, Sylveſter, Garſon lib. de Vita ſpirituali lect. 4. Joannes Major in iv. diſt. xv. q. 4. & Joannes Driedo lib. i. de libert. Chriſt. cap. 9. At cedant nobis neceſſum eſt adverſarii, ſi auctoritate Scriptorum decertare velint. Primo quia longe plures ſententiam noſtram propugnant, non tantum Theologi, quos laudat Suarezius lib. iv. de legibus cap. 16. verum etiam Juriſconſulti citati a Fagnano 2. p. decret. cap. *Treguas*, & ipſa deciſio Romanæ Rotæ, emanata die 11. Januarii anno 1610. coram Jacobo Cardinali Cavalerio, impreſſa dec. 85. cui titulus, *Romanæ concordiæ*. Secundo, quia oppoſitæ ſententiæ inurunt viri docti notam cenſoriam; & ſi loquamur de legibus ſummi Pontificis, illam Fagnanus ipſe, aliique appellant contrariam fidei, & Charlas Theologus Gallus lib. 2. de libert. Eccl. Gallicanæ cap. 4. & 5. demonſtrat redolere hæreticam pravitatem, productis Epiſtolis Ivonis Carnotenſis, & S. Anſelmi Cantuarienſis, verbiſque D. Bernardi ſupracitatis. Tertio quia Sacra Pariſienſis Facultas idem judicium protulit, dum anno 1521. damnavit, *tamquam in fide & moribus erroneam*, propoſitionem illam Lutheranam, *Neque Papa, neque ullus hominum habet jus unius ſyllabæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat ejuſdem conſenſu; & quidquid aliter fit, tyrannico ſpiritu fit*. Quarto quia Mauclerus Doctor Pariſienſis ibidem ab Antonio Charlas laudatus de Eccleſiaſt. Monarch. P. 2. lib. 3. expreſſe affirmat ſummum Pontificem legibus ſuis *obligationem inferre in conſcientia*; leges ab ipſo latas ſervandas eſſe dummodo ſint *ſufficienti promulgatione Orbi Chriſtiano communicatæ*: idem crediſſe Alphonſum a Caſtro, Turrecrematam, *alioſque de meliori nota Doctores*: id adeo judicio ſuo verum eſſe, *ut ſecundum fidem negari non poſſit*, neque propterea legem Pontificiam minori poteſtate eſſe præditam, aut minori honore eſſe dignam, *ſi juſta, &* SUFFICIENTER PROMULGATA NON RECIPIATUR A POPULO. Quinto, quia antiqui Scholaſtici in contrarium adducti loquuntur in ſuppoſitione, *quod Princeps leges ferat ea conditione, ut non aliter obligent, quam ſi fuerint a Republica receptæ*, quemadmodum loquuntur ibidem Covarruvias, & Navarrus; non de legibus abſoluta auctoritate, & abſque hujuſmodi conditione latis: vel ſermonem inſtituunt de legum deſuetudine, quæ inducitur *Papa ſciente, & tolerante*, ut legitur in Summa Armilla, & Angelica: vel accipiendi ſunt de lege inutili, injuſta, nec ad bonum commune directa, de qua Charlas contendit loqui Gerſonem: vel ſaltem excipiunt leges ſummi Pontificis, *cui omnes Eccleſiæ non poſſunt auferre auctoritatem*, ut inquit v. *Lex*, num. 6. Sylveſter. De Joanne Majore non unum eſt Theologorum judicium, aſſerentibus aliis illum erraſſe quod crederet Eccleſiam eſſe ſupra Papam, nec poſſe per illum obligari; aliis illum explicantibus de lege, quæ legi Dei ſit contraria, & quæ neque nomen legis promereatur. Certum eſt & hunc Theologum eadem diſt. xv. q. 7. aſſerere Papam non ab Eccleſia, ſed immediate a Chriſto habere auctoritatem, eamque pleniſſimam; unde aſſertionis noſtræ veritas roboratur. Atque ex his liquet fruſtra nobis objici teſtimonia Veterum, qui alio ſenſu exponendi ſunt, & ampliorem numerum, partemque mauitiorem ſuperare non valent.

Deinde objiciuntur proxima argumenta. Primum eſt, quod d. 4. cap. *In iſtis*, habetur: *Leges inſtituuntur cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur*. Nullum ergo firmamentum habebunt, niſi utentium acceſſerit comprobatio. Alterum eſt, quod extat D. lege xxxii. *Leges nulla alia ex cauſſa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ ſunt*. Proximum argumentum eſt, quod Principes ſuam habeant a populo auctoritatem, ideoque Principum leges erunt invalidæ populo renitente. Inſuper per contrariam conſuetudinem a populo civiles conſtitutiones abrogantur, & conſequenter a populo etiam confirmantur & roborantur. Poſtremo Eccleſiaſticæ leges, niſi pendeant a populi acceptatione, erunt cauſſa ſubverſionis & contumaciæ; neque enim Romanus Pontifex ſcire poteſt quid ſingularum provinciarum fidelibus magis expediat: ideoque neceſſum eſt, ut ſanior illarum pars canonicas conſtitutiones expendat, num temporibus locisque conveniant: quam ob rem nova Eccleſiæ ſtatuta alicubi minime ſtringunt, quia non fuerunt particularium Eccleſiarum acceptatione, atque conſenſu firmata.

Reſp. poſſe verba Can. *In iſtis*, contra Adverſarios retorqueri; nam ſi leges inſtituuntur, cum promulgantur, poſita ſola promulgatione conſtitutæ ſunt. Sed diſt. cum Haberto verba Gratiani: leges firmantur, cum moribus utentium approbantur, ideſt obſervatione atque uſu non abeunt in deſuetudinem, & contemptum, conc., ideſt, acquirunt a populo auctoritatem & vim obligandi, nego. Et quidem ipſa verba, quæ opponuntur, ſatis declarant de *moribus utentium*, non de acceptatione populorum inſtitui ſermonem. Verum tamen eſt, quod inducta moribus populorum contraria conſuetudine, connivente præſertim Legiſlatore, nec inſtituræ legis obſervationem urgente, lex ipſa enervatur, atque progreſſu temporis fieri poteſt, ne amplius ſtringat. Quare ibidem de antiquiore lege Theleſphori, qui decreverat, ut Clerici a quinquageſima abſtinerent a carnibus, quoniam contraria conſuetudine, diſſimulantibus Eccleſiæ Rectoribus, jam fuerat obliterata, inquit Gratianus: *Quia moribus utentium approbatum non eſt, aliter agentes tranſgreſſionis reos non arguit*. Sed aliud eſt abrogata per deſuetudinem lege, illius tranſgreſſores non eſſe arguendos, aliud validitatem legis pendere a populorum acceptatione.

Quod ſequitur non eſt alicujus momenti: enimvero in Digeſtis fit ſermo de Conſtitutionibus, & Legibus latis in Republica Romanorum, abolita jam Monarchia, cum eſſet juris auctoritas apud populum: quod liquet ex lib. i. Tit. 2. §. 4. *Lex eſt, quod Populus Romanus, Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti Conſule, conſtituebat*. Et retorquetur argumentum iſtud in Adverſarios; quandoquidem conſtitutiones Romani populi a comprobatione ſubjectarum provinciarum minime dependebant. Imo Gaſpar Juenin Tom. v. Inſt. Theolog. pag. 263. aliique Libertatis Gallicanæ aſſertores docent vim legis civilis non pendere ab acceptatione populi, quod de lege Canonica negat ipſe Juenin pag. 282. Unde hoc monſtrum? Ex eo, inquit, quod vis legis civilis pendeat ex ipſa populi ſubjectione in iis, quæ ad pacem terrenam ſpectant, & ab obedientia, quam jure divino populi ſuo Principi debent. Bene quidem, ac ſapienter. Atqui etiam Eccleſiarum Paſtoribus obedientia debetur, quibus inquit Dominus Lucæ x. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*; atque Rectoribus animarum, magis quam terrenæ Civitatis Præſidibus obtemperare æquum eſt. Cur ergo etiam Canonicæ ſanctiones abſque acceptatione populorum non ſtringunt?

Tertium partes poſſumus retorquere: quandoquidem ſpiritualem poteſtatem non recipiunt Eccleſiarum Præſules a populorum ſuffragio, ſed divina electione, & unctione Spiritus ſancti. Si ergo civilis conſtitutio vim non habet, conſenſione Gallici Theologi, a populis, a quibus regia quandoque poteſtas collata eſt, aut confertur: quanto minus pendere debet a populo lex conſtituta ab Eccleſiaſtico Principe ſorte Domini, divinaque, & Apoſtolica ſibi auctoritate præpoſito? Directe autem reſpondeo primo omnem poteſtatem eſſe a Domino juxta illud Rom. xiii. 1. *Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo*. At Deus, inquit ibidem Apoſtolus, ſancivit, *ut omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*. Quid eſt autem nolle ſtatuta Principum acceptare, niſi eorum reſiſtere poteſtati? Deinde reſpondendum eſt, quod etiamſi electio Principis vel a multitudine, vel ab Optimatibus pendeat: eo tamen conſtituto & electo, juſtis ipſius mandatis nefas eſt repugnare. Ad quartum vero dictum eſt ſupra poſſe per contrariam conſuetudinem antiquas conſtitutiones excidere, ſi ſubrepat ipſa conſuetudo Legiſlatoris connivientia & permiſſu: ſecus autem, ſi erumpenti deſuetudini ſeſe opponat, & pro legum, quarum & inſtitutor eſt, & cuſtos ac vindex, ſit obſervatione ſollicitus.

Ad poſtremam objectionem hoc habeto reſponſum. Inepta eſt ratio, quod lex pendere debeat a populorum acceptatione, ne ſit cauſſa ſubverſionis & contumaciæ; quan-

doqui-

Digitized by Google

doquidem contumaciter mandatis reſiſtunt improbi, non humiles filii, non obſequentes famuli, non cives ingenui, non ſubjecta ſponte provincia. Parvipendere autem juſſa Majorum non a ſanctiſſima legum æquitate, ſed a ſuperbiæ vitio incitati audent nonnulli, ob quorum arrogantiam non debet providus Legiſlator mandatis ſuis ceteros non rogare, ſed ipſorum inobedientium refrenare licentiam. Alioqui cur lex naturalis, cur divina obligant invitos, cum talis obligatio poſſit pariter eſſe occaſio ſubverſionis, & contumaciæ? At neſcit, inquiunt, Romanus Pontifex quid diſperſis per Orbem provinciis magis expediat. Id primum negamus: Paſtor enim univerſalis quid ovibus ſuis regendis opus ſit, divino imbutus magiſterio minime ignorat. Adhibet deinde in rebus arduis media quotquot exiſtimat neceſſaria, magnorum virorum conſilia, præſcriptiones canonum, Eccleſiaſticam diſciplinam, Congregationum conſultationes. Ab his tamen nullam obligandi vim obtinent leges ab ipſo latæ, ſed habent ab Apoſtolica tantum ſede pleniſſimam auctoritatem. Nam & Rex utitur in rebus ambiguis miniſtrorum conſilio; ſed vis ſtringandi a ſola Regis poteſtate, non a ſubditis pendet. Denique, inquit Gallus Theologus, ſi Princeps etiam poſt humillimam majoris & ſanioris partis monitionem urgeat executionem legis ſuæ, populus ei morem gerere tenetur, quia eo in caſu judicare debet exigere Reipublicæ bonum, ut nulla antiquæ ſuæ conſuetudinis ratio habeatur. Ergo ne lex civilis etiamſi cum avita conſuetudine pugnat, etiamſi ſententia ſanioris partis populi videatur majori Provinciarum bono afferre impedimentum, ſi a Rege urgeatur, ſtringit, obligat, & judicari debet Reipublicæ utilior: lex vero lata a Supremo Eccleſiæ Paſtore, cui data eſt ligandi atque ſolvendi plenaria poteſtas, atque Patrum traditionis depoſitum, & univerſi Chriſtiani populi regimen commiſſum eſt, ſi nolit earo ſubditorum pars acceptare, erit invalida, neque publico bono promovendo cenſenda erit idonea? Undenam tam diſpar de Civilis, & de Eccleſiaſticæ legis auctoritate judicium? Libertates Eccleſiæ Gallicanæ ſolent deprædicare; ſed iſtas aut Apoſtolicæ Sedis conceſſione, aut conniventia tantum conſiſtere, ex hac ipſa diſſertatione colligitur.

CAPUT XIV.

Quanta obligandi vis humanis legibus inſit?

PROXIME ſequitur, ut inquiramus quomodo humanæ leges ſubditos ad obſervationem obſtringant; quæ ſana quæſtio nonnullas veluti ſubalternas comprehendit. Sunt vero, quæ ſubjiciuntur, num obligent etiam in conſcientia, num cum propriæ vitæ periculo, num ſub gravi pœna & mortalis culpæ reatu, dum rem tenuem parvique momenti imponunt, aut prohibent. Atque in his ſubjecta theoremata verſabuntur.

PROPOSITIO I. Humanæ leges, etiam Civiles, obligant in interiori conſcientiæ foro.

Eſt hæc theſis contra Waldenſes, ceteroſque Refractarios opinantes humanam quamlibet legem abſque læſione conſcientiæ violari, ſi abſit ſcandalum; nec non adverſus Gerſonem: qui tamen in hoc a Sectariis diſcrepat, quod latetur Eccleſiæ Antiſtites poſſe determinare modum ac tempus, quo jus divinum ſubditos ſtringat, ita ut humanarum legum fractores peccati ſeſe reos conſtituant non ob violatam hominum præſcriptionem, ſed ob divinum præceptum duntaxat. Quod ſi ita accipiatur, ut leges humanæ participent vim obligandi a divina & æterna, a qua leges ipſæ derivantur, optimam habebit intelligentiam. Leges itaque humanas etiam coram Deo, atque in foro interiori inferiores obſtringere, ſacrarum literarum auctoritate, Teſtimoniis Patrum, aliiſque Theologicis argumentis demonſtro.

Atque ex Scripturis hæc ſatis ſunt manifeſta. Paulus ad Rom. xiii. ſcribit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi a Deo:* & v. 5. *Neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Quo ſane in loco etiam de ſæculari poteſtate ſermo inſtituitur, imo de vectigalibus, ac tributis Romano Cæſari pendendis loquitur Paulus, atque juxta Dominicam ſententiam Matt. xxii. 21. *Reddite, &c.* Ad Hebræos quoque ſcribit idem Apoſtolus cap. xiii. 17. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Petrus pariter priori Epiſtola cap. ii. 13. & 14. inquit: *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive regi quaſi præcellenti, ſive ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum:* & v. 18. *Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.*

Ex Patribus hæc perpauca proferam. S. P. Auguſtinus in Epiſt. ad Bonifacium docet, quod ſicuti quicumque legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium; quemadmodum contigit tribus pueris ſtantibus contra ſacrilegam legem Nabuchodonoſor; ita, *Quicumque legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande ſupplicium.* Atque in eadem Epiſtola optimam quoque rationem ſuppeditat non diſſimilem ab ea, quam citatis locis inſinuat Apoſtolus: videlicet, quoniam juſtas leges ferendo ſerviunt ſæculares principes æterno Regi ad bonum promovendum, ad pœnam impiis irrogandam, ad probis honeſtiſque benefaciendum. Quod commonſtrat S. Pater exemplo Ezechiæ, Joſiæ, Regis Ninivitarum, aliorumque. Ubi ergo leges principum juſtæ ſint, (nam ſi injuſtæ, leges nequaquam ſunt appellandæ) illis obtemperare tenemur; quoniam habent ſinguli, ut adminiſtrant Reipublicæ, a Deo poteſtatem regni, atque imperii; nec ſolum Catholici, verum etiam idololatræ & impii, quales fuere Nero, Domitianus, Julianus: de quibus legendum primum ac viceſimum caput libri v. de Civ. Dei. Vide & Tractatum vi. in Joannem prope finem. Præclara eſt ſententia Bernardi lib. de præcepto & diſpenſ. cap. 9. *Sive Deus, ſive homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum; ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Neceſſe non eſt plura afferre, cum Patribus etiam profani Scriptores conſentiant, inter quos extat verſus Sophoclis: Ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ᾽ ὑπεικτέον. τί μήν; *Principes ſunt, obſequendum; quippeni?*

Veniamus ad rationes Theologorum. Principio adverſus rectam rationem nefas eſt operari. At quiſquis humanas leges infringit, agit contra rectam ſanamque rationem. Recta quippe ratio ſuadet, ne facere omittamus quæ ad Reipublicæ commodum, ad religionis incrementum, atque ad æternam beatitudinem plurimum conferunt: cujus generis eſſe juſtas Imperatorum, Regumque Conſtitutiones, ſapienter animadvertit Auguſtinus in v. de C. Dei cap. xiv. Ægidius Romanus de Regimine Principum, Ammianus libro xxix., atque ipſi Imperatores Theodoſius & Honorius in Epiſtola ad Marcellinum. Principum itaque ſtatutis humiliter obtemperandum eſt. Ratio conſimilis eſt, quoniam non poterant omnia, quæ pertinent ad vitam recte inſtituendam, ex ſola naturali æternaque lege nobis inſcripta dignoſci; cum ſit hæc communis quædam ratio, & menſura in univerſum debitæ rectitudinis, ſingulis ſpeciali aliquo ordine coaptanda. Atque id præſtant humanæ leges, quibus ab æterna promanantibus in certis rerum circumſtantiis humana vita dirigitur. Ad normam itaque legum iſtarum ſe gerere debet, quiſquis ipſam æternam legem cenſet per omnia cuſtodiendam. Deinde hoc utimur epicheremate. Rectori ſubalternæ communitatis, qualis eſt domus, familia, cœnobium, tenemur ſub peccato obedientiam præſtare, propterea quod vicem gerit ſupremi Domini, ut docet Apoſtolus ad Epheſios capite quinto, ac ſexto. Hoc autem valere etiam de amplioribus communitatibus, cujuſmodi eſt civitas, provincia, regnum, nemo non videt. Imo potiori quodam titulo Dei vicem tenent amplioris multitudinis Præſides ac Magiſtri, ut per ſe res ipſa declarat. His ergo parere & obedire ſub peccati reatu tenemur.

Hæc vero argumenta pro lege Eccleſiaſtica & civili faciunt ex æquo. Verum pro Eccleſiaſtica militant alia complura. Primum eſt, quod Dominus de Eccleſiæ Paſtoribus inquit, *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Igitur qui tranſgreditur Eccleſiaſticas conſtitutiones, divinam ſimul legem infringit. Alterum, quod proſcriptæ ſunt hæ propoſitiones: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter.* Tertium, quoniam præcipit ſæpenumero Eccleſia, infligendo etiam pœnas anathematis, plura, quæ non ſunt directe juris naturalis & divini, ut obſervantiam aliquorum feſtorum, Communionem in Paſchate, cœlibatum ad ſacros Ordines promotorum, aliaque innumera, quibus Catholici omnes obtemperandum eſſe fatentur. Sed pro theſis confirmatione dictum ſatis.

Oppoſitiones poſſunt pariter ad tria capita revocari. Etenim ex Scripturis objiciunt verba Deuteronomii iv. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Matth. xxviii. 20. *Docete ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis;* & xv. 9. *Sine cauſſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Et Apoſtolus in I. ad Corinthios cap. vii. 23. ait: *Nolite fieri ſervi hominum.* Hæc tamen contrariæ opinioni nequeunt tantillum probabilitatis afferre. Nam in Deuteronomio præcipitur Hebræis, ne legitimis Domini addant abominationes, cæremonias, & ſacrificia Gentilium, neque a divinis inſtitutis deſciſcant: quod liquet ex cap. xii. ejuſdem libri v. 30. & 31. ubi præcedens ſententia repetitur, atque explicatur. Non ergo præceptis humanis legem ſapientibus, aut Traditionibus Patrum verba Deuteronomii repugnant. In cap. autem xxviii. Mat. divinorum præceptorum præſcribitur obſervatio; non tamen humanarum legum inducitur deſpicientia & contemptio, quam deberi quidem inſtitutionibus Phariſaicis pugnantibus cum Lege naturali, atque æterna, aut fundatis in futili perſuaſione, recte commonet in quintodecimo capite Evangeliſta, ubi redarguit Phariſaicum proloquium, *Munus quodcumque eſt ex me,* ſuperiori capite vi. expoſitum. Apoſtolus ad Corinthios hortatur ne quis ſervus fiat hominum, aut coacte cum infideli conjuge habitans, aut circumciſioni ſemetipſum ſubjiciens: quibus in

rebus

Digitized by Google

rebus foret humanum præceptum contra Evangelicam libertatem. In hac tamen, cum non ſit ab æquitate disjuncta, iis, quæ rectæ rationi conveniunt, eſt obſequendum; auſcultandum Eccleſiæ, Matth. xvIII. 17. pendendum tributum principi, Matth. xxII. 21. & ad Rom. xIII. 7., obediendum Dominis carnalibus, ad Epheſ. vI. 5. At inquit Calvinus: Chriſtus eſt legiſlator, & judex, & quidem unus, ut habetur in Epiſt. Jacobi cap. Iv. v. 12. Fatemur: legiſfer eſt, judex eſt, & unus etiam; ſi loquamur de ſupremo ac ſummo, aut de illo qui ſcrutatur renes, & corde: de quo fit ſermo in Epiſtola illa Canonica adverſus illos, qui detrahunt proximo, & ſiniſtrum proferunt de ipſo judicium.

Dehinc tria objectant ex Auguſtino. Primum promunt ex Epiſtola ad Januarium 119. nunc 55. cap. 19. ubi docet reſecanda ſtatuta hominum, quæ Religionem *ſervilibus oneribus premunt*. Alterum ex Serm. 6. de verbis Domini, nunc 62. cap. 8. in quo ait poſſe Imperatorem damnare ad carcerem, non ad gehennam. Tertium ex libro contra Fauſtum xxII. cap. 27. ubi peccatum per ſolam oppoſitionem ad legem æternam definit. Quæ omnia ſi perlegeris, miraberis Adverſariorum oſcitantiam. Laudata quippe Epiſtola repudiat Auguſtinus præſumptiones quorumdam; qui ſaluberrima divina præcepta infringentes, vana quædam ſervabant, & gravius arbitrabantur peccare terram per octavas nudo pede calcantes, quam vino fieri languidos ac temulentos. De his num.35. ait: *Omnia itaque talia, quæ neque ſanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed pro diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino nunquam inveniri poſſint cauſſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo.* Quo in loco Eccleſiaſticas leges, vetuſtas conſuetudines, & inſtitutiones juſta cauſſa formatas commendat ac probat, dum reſecanda ait ſtatuta varia ac præſumpta, quæ Religionem ſervili onere premunt. At quomodo cum legis vinculo ſtet Chriſtiana libertas, & cum multitudine præceptorum ſuave jugum, demonſtravi cap. xII. In Sermone pariter Iv. num. 12. ſive cap. 8. ſtatuit Auguſtinus ex Apoſtolo omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe, & quæſtionem inſtituit, num etiam obediendum ſit Imperatori, ſi injuſtum aliquid jubeat. Reſpondet autem, tunc contemnendam eſſe poteſtatem, ut ſerviatur majori, nempe Deo; quemadmodum neque præſtatur obedientia Curatori, ſi contra Proconſulem jubeat, nec Proconſuli, ſi aliud jubeat Imperator. Tum inquit: *Ergo ſi aliud Imperator, & aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, eſto mihi in obſequium. Recte, ſed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? Major poteſtas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur.* De legibus ergo cum divina pugnantibus iſtic pertractatur; & ſimul oſtenditur non pugnantibus eſſe obtemperandum. In xxII. contra Fauſtum tradita illa definitione peccati, *Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*, ſtatim addit: *Lex vero æterna eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.* At qui humanam legem tranſgreditur, perturbat naturalem ordinem, ſimulque æternam legem lædit, ſaltem, ut inquiunt Scholæ, *remote*. Ergo peccat.

Tertio loco objiciunt argumenta petita a ratione. Quorum primum eſt. Nequit inferior ligare in foro ſuperioris. Ergo nequit homo obligare in conſcientia, quæ ad forum Dei. Alterum: non poteſt homo inferre pœnam inferni. Igitur nec obligare ſub peccato, cui pœna illa reſpondet. Conſimile eſt, quod ſequitur: Nemo mortalium poteſt ab alio auferre gratiam ſanctificantem, ideoque nec legem ferre ſub peccati pœna ſtringentem. Proximum eſt: Poteſtas civilis ordinata eſt ad temporalem civium tranquillitatem; nullam ergo in foro conſcientiæ inducit obligationem. Poſtremum ſit: Non omnia præcepta ſunt juris divini; non ergo obligant ſub peccato. Reſpondetur ad 1. poſſe optime inferiorem ligare in foro ſuperioris, ſi illius tamquam miniſter vicem gerat; quales eſſe omnes Superiores, ſervatam inter illos ordine, dictum ſupra. Ad 2. & 3. pariter reſpondeo, poſſe inferiorem obligare ſub pœna inferni, & privationis gratiæ; in quantum præcipit munitus auctoritate ſupremi Domini utramque pœnam irrogantis. Ad 4. neganda eſt conſequentia, quandoquidem ſub peccato ſervare tenemur illa quoque præcepta, quæ ad temporalem tranquillitatem ſervandam, & Reipublicæ commodum promovendum ſunt inſtituta, quemadmodum debent filii præſtare obedientiam parentibus in iis, quæ ad regimen familiæ conducunt; ideoque humanæ leges ſunt temporales quantum attinet ad objectum, non comparate ad debitum, ac vim obligandi, uti ſe habet etiam in pluribus lex naturalis. Ad ultimum vero jam dixi omnia præcepta eſſe juris divini atque æterni *remote*, quamquam non ſint immediate ac proxime: quare tertium hujus libri caput iterum legito.

Si quæras quid ſentiendum ſit de lege *Pœnali*, ideſt pœnam minitante; dico, ſi lex ſit pœnalis tantum, in qua nullatenus exprimatur vis obligationis atque præcepti, neque pœnam præſcribat, cui ſuapte natura aliqua culpa reſpondeat, uti evenit aliquando in conſtitutionibus Eccleſiaſticis, hanc legem non inducere conſcientiæ vinculum, præciſo tamen ipſius legis contemptu. Sunt hujuſmodi legum pluſimæ in Ordinis noſtri Conſtitutionibus, ut legitur in Prologo, atque in Statutis Ordinis Prædicatorum, aliorumque, ut inquit 2. 2. q. 186. Doctor Angelicus. Obligant tamen hujuſmodi leges poſt tranſgreſſionem ad pœnam ſubeundam: idque ante ſententiam judicis, ſi pœna ſit latæ ſententiæ, nec requirat actionem judicis ut executioni mandetur; poſt ſententiam autem, ſi fuerit ſententiæ ferendæ. Eſt autem pœna ſententiæ jam latæ, quotieſcumque in lege apponuntur iſtiuſmodi verba, *Ipſo facto, abſque alia declaratione, eo ipſa excommunicatione innodatus exiſtat*, aut his conſimilia. In legibus tamen pure pœnalibus punitio, quam fractores ſubeunt, mulcta potius, gravamen, atque incommodum appellanda eſt, quam pœna & ſupplicium. Pœna enim proprie dicta eſt ſumptum de peccato ſupplicium: unde in III. de lib. Arb. cap. 18. inquit Auguſtinus: *Omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur.* Hactenus de legibus pure pœnalibus. At aliæ ſunt, quas Theologi *Pœnales mixtas* appellitant, in quibus legiſlator, a cujus voluntate pendet num lex ad ſolum gravamen, num etiam ad opus obliget, ſimul & præcipit quid fieri oporteat, & præſcribit animadverſionem in tranſgreſſores. Atque iſtiuſmodi leges tam ad opus obligant, quam ad pœnam, ſi illud ſponte fuerit prætermiſſum. Sed de his plura Wanroy de legibus cap. vII. q. Ix. Et Guerrem Tract. vI. §. 7. aliique de Theologia morali pertractantes.

PROPOSITIO II. Humanæ leges non ſemper obligant cum gravi nocumento, & cum periculo vitæ.

Communem hanc aſſertionem Theologi omnes his momentis communiunt. Neque lex poſitiva ſacrorum librorum auctoritate firmata in vitæ diſcrimine, atque magna urgente neceſſitate quemlibet ſtringit. David enim profugus, & fame impellente ſanctificatos panes propoſitionis comedit 1. Regum cap. xxI. 6., tametſi erant illi cibus Levitarum duntaxat, ut præcipitur 24. Levitici v. 9. Diſcipuli pariter apud Matth. xII. eſurientes ſabbato vellebant frumenti ſpicas, prædicto exemplo Davidis a Domino v. 3. excuſati. Etiam Mathathias electique Hebræorum ſtatuerunt in ſabbato eſſe pugnandum, ne univerſus populus interiret, ut legimus in 1. Machab. cap. 41. Si autem non tenent in rerum anguſtiis poſitivæ ac divinæ leges; profecto neque Eccleſiaſticæ, neque Civiles. Deinde Eccleſia eximit complures ab audiendo Sacro, ſervandoque jejunio, demonſtrans latas a ſe leges cum vitæ diſpendio nequaquam eſſe ſervandas. Latæ ſunt inſuper humanæ leges pro communi Reipublicæ bono, & Religionis decore promovendo; ubi ergo utrumque illæſum perſiſtit, & gravis cauſſa ad eas non ſervandas impellit; nulla ipſarum habebitur violatio. Præterea hæ leges circa materiem minime neceſſariam interdum verſantur; in qua legiſlatoris intentio non eſt inferiores obſtringere in magno vitæ diſcrimine. Vetuſtæ denique Etruſcorum leges ab Hebræis dubio procul derivatæ, & receptæ a Romanis, erant, feſtis diebus jurgia, & famularia opera non patranda, & nihilominus ex veteri Romanorum Jure petita ſunt, quæ ſcribit Virgilius Georg. lib. 1. quod neceſſitati parendum eſt, in qua

. . . . *rivos deducere nulla*
Relligio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

Legatur in 2. de legibus Cicero, & Servius in hunc locum Virgilii. Igitur humanas leges exceptiones plures habere, præſertim in neceſſitate, quam appellat Seneca *magnum humanæ imbecillitatis patrocinium*, evincunt ſacra, & profana exempla rationibus confirmata.

Non tamen abſoluta theſim hanc pronuntiavimus: quippe ubi id poſtulat publicum bonum, aut Religionis cauſſa, quoniam hæc ſunt præponenda privatorum hominum incolumitati, ſtringunt humanæ leges in extremo quoque periculo; ita ut nefas ſit aut militibus imminente patriæ interitu, quam poſſent defendere, fugam, ne obtruncari valeant, arripere; aut cum puſillorum ſcandalo, & Religionis contemptu veſci idolothytis, ſive carnibus immolatitiis, atque azymophagiis. Ait enim Eccleſiaſticus cap. Iv. 33. *Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia.*

At objicies: Pugnat præcedens aſſertio cum ratione, cum decretis Pontificum, & cum ſanctiſſimarum Religionum Statutis. Cum ratione quidem; nam lex humana ad commune bonum eſt ordinata, & pro communi bono debet unuſquiſque vitam profundere. Decretis autem, quoniam Cap. *Sacris*, Innocentius III. ſancivit non eſſe communicandum cum excommunicato per metum. Statutis denique Regularium; etenim nec in extrema valetudine fas eſt Carthuſiano veſci carnibus, aut Moniali egredi e ſeptis Monaſterii, ut ſanitatem aſſequatur aeris ſalubritate.

Reſp. ad 1. utique ſi de Reipublicæ incolumitate, aut de Religione agatur, legem humanam eſſe obſervandam cum propriæ vitæ diſpendio, *Nemo quippe dubitat cavendi majoris damni cauſſa patiendum eſſe damnum, quod minus eſt*, inquit S. Peter de Mendac. cap. 18. Dilutur

quod

quod ſequitur, reſpondendo loqui Pontificem de metu levi, & de communicatione cum ſcandalo, & contemptu; cum alias graviſſima neceſſitate impellente non teneamur excommunicatum vitare ex Canone, *Quoniam multos*, cauſ. 11. q. 3. & ex Cap. *Inter*. De Carthuſianis autem non eadem eſt ſententia Doctorum. Nos arbitramur illicitum eſſe illis carne veſci, ſi præſto ſint alii cibi, cum ob præſtantiam voti, quod ne irrepant graves abuſus, religioſe ſimul & rigoroſe ſervandum eſt, tum ob ſanctiſſimi inſtituti conſuetudinem; atque qualitatem ipſam piſcium & olerum per ſe ſervandæ vitæ proficuam. Etenim, ut exempla mittamus antediluvianorum patrum, qui ſine carnibus diuturniorem vitam egerunt, necnon Eliæ, Danielis, pueri Amalecitæ, atque Evangelicæ turbæ, producta ab Antonio Guerrero, qui nunc Ordinem utilium librorum editione colluſtrat, Tract. vi. Th. Mor. §. 6. q. 12. carnibus abſtinendum putarunt Sextius Philoſophus apud Senecam Epiſt. 108. Xenocrates & Polemon apud Clem. Alex. vii. Strom. Perſarum Magi apud Hieronymum 2. adv. Jovinianum. Quod ſi mavis exempla Sanctorum, legito quæ de Matthæo Apoſtolo ſcribit laudatus Clemens Pædagog. 2., de Jacobo fratre Domini Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum cap. 20., & de aliis priſcorum temporum fidelibus Tertullianus in libro de cultu feminarum. Hanc vero abſtinentiam a carne, & animalibus eſculentis non ſolum hi laudant tamquam rigidiorem vivendi rationem; verum etiam ut alimentum piſcium, & olerum ſit minus exercentibus corpus, & ægrotis ac ſenibus accommodatiſſimum, quomodo demonſtrat Michael Boudewins percelebris Medicus ac Theologus P. 2. ventilabri quæſt. xviii. Ea propter etiam Quadrageſimale jejunium tanta Veteres obſervatione peregiſſe, ut potius extremum ſpiritum agerent, quam carnem deguſtarent, animadvertit Balſamon in Scholiis ad vi. Canonem Apoſtolicum, & eximius Magiſter Lupus ad Concilii Romani octavum. Expreſſe inſuper de voto Carthuſianorum pertractarunt Tridentini PP. gravibuſque pro illius obſervantia adductis momentis, noluerunt illud explicatione aliqua mitigare. Hæc nos movent, ut credamus Carthuſianis etiam in extremo laborantibus, dummodo alii ſuppetant cibi, a carnibus eſſe abſtinendum. Quam ſententiam propugnant Vaſquez, Salmanticenſes, Sylvius, Habert, atque ex Noſtratibus Vanroy, Piette, Guerrero. Sunt tamen qui putant id licitum eſſe Carthuſianis excluſo periculo ſcandali, ut Gerſon, Major, Adrianus: imo qui tenent etiam ad hoc obligari, ut Almainus, Medina, Herminier. Verum hi olus ac piſces exiſtimant nocens obſonium, dum Brunonis diſcipuli ſaniori judicio ajunt cum Prudentio in Hymno *καθημερινῶν* tertio:

Nos oleris coma, nos ſiliqua
Feta legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.

De moniali pariter, ob monaſteriorum fœminarum decus, atque honeſtatem pluris ſane faciendam, quam morbus unius, cenſeo non eſſe permittendum ut egrediatur e clauſtro; quod expedit tamen, ſi epidemia aut peſtilentia laboret, aut cauſſa alia interſit ex enarratis in Cap. *Periculoſo*, de ſtatu Regularium, & in Bulla Pii V., quæ incipit, *Decori, & honeſtati*. Iſtud tamen aſſertioni noſtræ nequaquam opponitur, cum fateamur privatam cujuſque vitam cedere honori, ac bono Communitatis.

PROPOSITIO III. Non poteſt Legiſlator operi, quod tam in ſe inſpectum, quam attentis rerum circumſtantiis leve eſt, parvique momenti, adnectere obligationem ſub pœna mortalis culpæ.

Hoc aſſertum inter Scholaſticos commune eſt; ac ſatis ex eo liquet, quod humanæ leges ab æterna derivatæ debeant ipſi conformari. Lex autem æterna præſcribit inter tranſgreſſionem ac pœnam debitæ æquitatis comparationem: neque enim juſtiſſimus Judex Deus Opt. Max. leviſſimo furto, aut officioſo mendacio, aut prolato per jocum verbo, aut operi conſimili veniali reddit ſempiternæ damnationis ſupplicium. Quod ſi Princeps capitali pœna minimam proximo illatam injuriam puniret; quis eum Tyrannum potius, quam civitatis rectorem non appellaret? quania inde non provenirent plebis incommoda, ac teterrimæ frequentiſſimæque hominum cædes, atque inde, inſidiarum, ac turbulentæ ſeditionis fomentum? At longe his greve peccatum, & conſequens gehennæ ſupplicium deterius eſt. Ergo illud tranſgreſſioni leviſſimæ reſpondere non debet: quin & Juriſconſultis cautum eſt, ne alicui præter neceſſitatem grave onus imponant, ne ſeſe ſubjiciant Domini exprobrationi; qua Matth. xxiii. v.4. novimus vellicari leges Phariſæorum.

Fieri tamen poteſt, ut res per ſe levis, ob loci, temporis, ac perſonarum adjuncta, gravis ſit reputanda. In exemplo ſit lata primis parentibus præſcriptio, ne certæ arboris fructus attingerent: quam legem attenta hominis conditione, & præſtanda Creatori obedientia, opus non exigui momenti, quod fuiſſet alias pertenuis, conſtat inhibuiſſe. Dictum de hac lege lib. xii. cap. 12. prop. 1. Ad hunc modum ſe habent quædam Superiorum noſtrorum præcepta, quæ tametſi videantur aliquando pertenuem circa materiam verſari, conſiderata regularis obſervantiæ neceſſitate, atque intenti finis excellentia, poſſunt nos gravi obligatione conſtringere. Si pariter in parva quoque materia fregeris Quadrageſimale jejunium aut feria ſexta vel ſabbato carnem guſtaveris, quoniam ſunt hæc Apoſtolicæ Traditionis capita, & Romanæ Communionis ab hæreticorum ſectis divulſæ ſingularis character, ſceleri obnoxius eris graviſſimo. Atque his nullo adhibito ſtudio objecta quæque repelles.

CAPUT XV.

Poſſe Eccleſiaſticis legibus præſcribi actus etiam internos.

ALIUD eſt, juxta verborum ſignificationem, aliquid *directe* præcipere, aliud vero, *indirecte*. Indirecte præcipitur, quod alterius cauſſa jubetur, propterea quod abſque illius adminiculo, aut omnino fieri non poteſt, aut ſaltem non fit bene, atque, ut oportat; ita lex præſcribens E. G. contractuum obligationem, præcipit quoque aſſenſum liberum voluntatis, ſine quo haberi non poteſt duorum, vel plurium conventus ac ſtipulatio: & præceptum horas canonicas perſolvendi, mandat quoque *indirecte* etiam attentionem ac devotionem, ſine quibus fructuoſa ac perutilis eſſe nequit oratio. At *directe* illud præcipitur, quod per ſe, & abſque conſideratione alterius proponitur obſervandum, E. G. opus, quod ipſa lege declaratur eſſe complendum; ut intereſſe ſacro, ſervare jejunium, tributum ſolvere, atque his conſimilia.

Præcipi autem humana, & præſertim Eccleſiaſtica lege actum interiorem *indirecte*, certum eſt, neque Doctores reipſa diſſentiunt. Enimvero in Conc. Later. iv. cap. *Dolentes*, præcipitur, ut divinum Officium recitetur *ſtudioſe pariter, & devote*: atque in Clem. de Celebr. Miſſ. *ut horæ legantur in puritate conſcientiæ, & animi devotione*. S. P. Auguſtinus in Reg. cap. 2. mandat, ut dum oramus ad Dominum, *hoc verſetur in corde, quod profertur in ore*. Et D. Bernardus Serm. 41. de diverſis, *Ex voluntate* (inquit) *ſuſcipienda ſunt imperia Prælatorum, & ipſum cor a ſuis voluntariis reflexionibus abducendum*. Quibus accedit manifeſta ratio. Voluntas quippe legiſlatoris hæc eſt, *ut faciat homines bonos*, auctore in 2. Eth. cap. 14. Philoſ., idque amplius de legiſlatore Eccleſiaſtico aſſerendum eſt, qui non mandat opera inutilia, & Phariſaico more externis tantum officiis patrata, optime ſciens iſtiuſmodi a Domino Iſ. cap. xxix. 13. & Matth. xv. 8. repudiari. Saltem ergo *indirecte* præcipi ab Eccleſia animi intentionem, ac pium voluntatis affectum ſatis apparet ex Decretalibus, ex Patribus, atque ex ipſo fine legiſlatoris.

Controverſia itaque eo deducitur, ut inquiratur tantum, num legibus Eccleſiaſticis interiores actus præſcribi valeant per ſe, directe, & tamquam proprium ipſarum legum ſubſtratum. In qua controverſia etſi Doctores quamplurimi negativam partem tuentur, atque oppoſitis argumentis quodammodo ſatisfaciunt reponendo his tantum probari Eccleſiam præcipere actus internos indirecte, ne videlicet exteriores aut irriti ſint, aut perverſi; eſt nihilominus ſententia, quam dirigendis moribus filiorum Eccleſiæ magis commodam arbitramur, interiorem quoque actum cadere ratione ſui ſub ejuſdem Eccleſiæ præcepto. Quam ſententiam propugnant Romanus Ægidius, Vanroy, Guerrero, Piette, aliique Noſtrates, nec non complures ex exteris, ut Lacroix, Cardenas, Habertus, & alii, quos commemorare non vacat. Sit igitur

PROPOSITIO: Poteſt Eccleſia interiorem quoque actum per ſe, ac directe præcipere.

Quatuor argumentorum capita proferam: primum ex legibus jam latis depromptum: alterum ex Eccleſiaſtica Hiſtoria: tertium ex Auguſtino; poſtremum ex ratione. Ac primum ita ſe habet: Eccleſia in actus internos, etiam ab omni externo opere ſejunctos, ſuam exercet juriſdictionem, non ſolum eos dirigendo ut recte fiant, ſed etiam puniendo ſi noverit iniquos, ac pravos. Pollet ergo auctoritate illos directe præcipiendi. Comprobant antecedens Clementina 1. de ſtatu Monach. juxta quam excommunicationem incurrit Monachus conferens ſe ad Curiam animo accuſandi Prælatum. Clement. 2. pareg. *Verum*, qua eadem pœna innititur Quæſitoribus Fidei, qui prava intentione vel odio contra juſtitiam & conſcientiam ſe ignaviter gerunt. Etiam diſt. xxx. c. 8. *Si quis*, dicitur anathema iis, qui jejunia Eccleſiæ contemnunt ſuperba Euſtathianorum ſuperſtitione, ideſt, opinantes in ſua conſcientia ſe eſſe perfectos. Ad hæc Seſſ. ultima Concilii Conſtant. mandat Martinus V. nuntiari ſingulis diebus Dominicis & ſingulis feſtis tamquam excommunicatos, non ſolum qui palam profeſſi fuerint hæreſes Wicleff, & Hus, verum etiam qui pro defunctis hæreſiarchis oraverint, aut illos ſanctos eſſe crediderint, aut exiſtimaverint legitime non fuiſſe damnatos, idque, etiamſi ipſorum duntaxat confeſſione interna hæreſis innotaſcat. Damnarunt quoque Alex. VII. & Innoc. XI. opinionem quorumdam affirmantium ſatisfieri præcepto Eccleſiæ per ſacrilegam Communionem. Inter impia aſſerta Michaelis de Molinos, & in proceſſu vernacula lingua lecto Romæ die 3. Sept. an. 1687. hæc connumerantur. 1. *A' Superiori ſi dee ubbidire nell' eſteriore, e la*

lati-

latitudine del voto della Ubbidienza de' Religioſi arriva ſolamente all' eſteriore. 2. *E' degna di riſa una nuova dottrina nella Chieſa di Dio, che l' anima in ordine all' interno ſi dee governare per il Veſcovo; perchè nè la ſacra Scrittura, nè Concilj, nè Canoni, nè Bolle, nè Santi, nè Autori l' hanno mai detta, nè la poſſono dire, perchè* Eccleſia non judicat de occultis. 3. *Il dire, ſi dee manifeſtare il ſuo interno al Tribunale eſteriore de' Superiori, e ch' è peccato il non farlo, queſto è un inganno manifeſto, perchè* Eccleſia non judicat de occultis. In his autem, quamquam primarin damnatur abominabilis contemptus erga ſanctiſſimum Tribunal ſacræ Inquiſitionis, quem inducere moliebatur vir Belial; viderur etiam ſupponi falſa illorum opinio, qui tenent Eccleſiæ præcepta ideo ad interiores actus non ſe extendere, eo quod ipſa non poteſt judicare de occultis. Itaque ex Eccleſiaſticis definitionibus compertum eſt, Eccleſiam etiam internam hæreſim excommunicatione ferire, in ſuperſtitionem, atque in animo latentem iniquitatem animadvertere, & id faciendi agnoſcere in Epiſcopis & Paſtoribus auctoritatem.

Ex Eccleſiaſtica Hiſtoria ſingulare exemplum eſt, quod narrat Hermias Sozomenus lib. VI. cap. 28. S. Presbytero Eulogio, *Quem ferunt cum rem divinam faceret accedentium cogitationes aſque adeo prænoviſſe, ut delicta eorum certiſſime argueret, & quæ ſinguli penitus in mente recondita habebant perciperet. Eos igitur qui mali quidpiam perpetraſſent, aut patrare decreviſſent aliquandiu arcebat ab altari delicta eorum in apertum proferens: poſtea vero pœnitentia purgatos ad myſteria admittebat.* Vide Sozom. ex Interpret. Valeſii pag. 679.

Sanctus autem Auguſtinus de Moribus Eccl. Cath. cap. 30. ita Eccleſiam ipſam compellat: *Merito Eccleſia Catholica mater Chriſtianorum veriſſima non ſolum ipſum Deum, cujus adeptio vita eſt beatiſſima, puriſſime atque caſtiſſime colendum prædicas: ſed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis ſuis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete ſenes, prout cujuſque non corporis tantum, ſed & animi ætas eſt, exerces, & doces. Tu fœminas viris ſuis non ad explendam libidinem, ſed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris ſocietatem caſta, & fideli obedientia ſubjicis. Tu viros conjugibus non ad illudendum imbecilliorem ſexum, ſed ſinceri amoris legibus præficis, &c.* Atque ita per omnia filiorum Eccleſiæ genera gravi oratione deſcendit. Ex quibus videor mihi haud inepte ratiocinari: Si Eccleſia eſt mater fidelium, quos ſpiritualiter parit, quomodo in eorumdem ſpiritum tametſi latentem atque occultum directam ferendi leges juriſdictionem non habet? Si viſibilibus ſacramentis illos parturit, & impoſitione manuum ceteriſque ſenſibilibus ſignis animam nutrit, ſanctificat, exornat inviſibili gratia, eccur per ſe lege verbis externis prolata non poteſt interiores actus præſcribere? Ipſius intereſt morbis animarum mederi; & cur non poteſt directe imponere actus humilitatis, orationem, quam dicunt *mentalem*, actus fidei & caritatis, quæ videntur opportuniora contra ſuperbiam, torporem, diffidentiam, variaſque tentationes remedia? Viris fœminas ſubjicit caſta & fideli obedientiæ, fœminis autem viros præficit legibus ſinceri amoris; quænam eſt autem obedientia caſta, & amor ſincerus, niſi intimo ex corde procedens? Hæc denique mater docet filios quibus honorem, quibus affectum, quibus reverentiam, quibus conſolationem, quibus diſciplinam, quibus objurgationem, quibus denique ſupplicium exhibere debeant; ut ſancta illorum dilectio in incendium conſurgat, & Deo, qui ignis conſumens eſt, uniantur; ut docet ibidem S. Doctor. Sua ergo refert filiis præcipere quæcunque ipſos dirigant in hunc finem: inter quæ interni actus omni procul dubio principem habent locum. Atque ex his ratio theologica quarto loco ponenda jam ſponte, ſuaque natura profluxit.

REFELLUNTUR CONTRARIA ARGUMENTA.

Moventur autem adverſarii argumentationibus iſtiuſmodi. Inquiunt 1. Eccleſia non judicat de occultis, ut habetur in Cap. *Sicut tuis*, de Simonia, & Seſſ. 24. cap. 1. Trid. Reſpondetur hanc propoſitionem diſtinguendam: Eccleſia non judicat de occultis, quantum ad vim directivam: nego: quantum ad vim coactivam, ſubdiſtinguo; defectu poteſtatis, nego: defectu cognitionis, concedo. Et ſpectare quidem ad Eccleſiam, Rectoreſque animarum internos actus dirigere pluribus argumentis probatum eſt: illos etiam Eccleſiaſticis legibus cohiberi, ſi ad Eccleſiæ notitiam perveniant, producta facta commonſtrant. Tridentinum quoque Concilium citata Seſſ. 24. ſententiam noſtram confirmat. Loquens enim de malo ex clandeſtinis conjugiis non ſemel oborto, ac præſertim de ſtatu damnationis illorum, qui priore uxore cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo vivunt adulterio, inquit, *Cui malo cum ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur, &c.* Ex quibus habes munus eſſe Eccleſiæ etiam occultis adhibere remedium, atque prædicti prologuii ſenſum eſſe, quod Eccleſia nequit ferre ſententiam, & punire peccata *probatione ceſſante*, ut habetur Can. *Chriſtiana*, Cauſſa 32. q. 5. Imo Tridentina Synodus clandeſtinos contractus, de quibus ait Eccleſiam judicare non poſſe, declarat irritos & annullat, cum tamen neque naturali neque divino jure fuerint prohibiti. Quare etiam de occultis univerſali lege profert ſententiam; etiamſi judicare non poſſit de hoc vel illo in particulari, niſi notitiam habeat aut per teſtes, aut per confeſſionem delinquentium. Atque ex his aliam habes reſponſionem, Eccleſiam videlicet lege generali & univerſali actus internos præſcribere aut prohibere, tametſi nequeat hunc, aut illum punire, niſi ſciat præſcriptiones ſuas violaſſe. Quare pronunciatum illud, *Eccleſia non judicat de occultis*, non de præſcriptione legis accipiendum eſt, ſed de individuæ prolatione ſententiæ.

Habes hinc quid repones ad auctoritatem D. Thomæ ſcribentis 1. 2. q. 91. art. 4. *De his poteſt homo legem ferre, de quibus poteſt judicare*: atque judicium hominis eſſe non poteſt de interioribus motibus qui latent, ſed ſolum de exterioribus actibus qui apparent. Dicimus enim Doctorem Angelicum loqui de vi coactiva, ut colligitur ex verbis ſequentibus: *Et ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare ſufficienter interiores actus;* aut accipiendum eſſe de lege non juxta univerſalem ipſius præſcriptionem, ſed juxta ſententiam in individuo prolatam. Poteſt enim E. G. Pontifex prohibere ne eadem Miſſa applicetur pro duobus ſtipendiis, ut prohibuit Urbanus VIII. atque hæc inhibitio verſatur circa applicationem, quæ eſt actus interior. At hunc numero Sacerdotem conſimili applicatione ſacrum feciſſe Eccleſia ignorat, ideoque in ipſum debita punitione minime animadvertit. Exempla heic ſimilia paullo ſupra produximus.

Arguunt ulterius: De Pœnit. diſt. 1. cap. *Cogitationis*, habetur, *Cogitationis pœnam nemo patitur.* Quem canonem de ſola humana lege accipiendum, res per ſe loquitur. Reſp. ſenſum Canonis eſſe, neminem puniri ſententia judicis, ob cogitationem internam, quæ nullo modo probari poteſt. Nam ſi exterioris indiciis interior malitia innoteſcat, etiam cogitationis pœnam patietur iniquus, ut de eo qui armarium aperuit, nec aſportare potuit, aut ſegetum, quas ſecuerit, partem duntaxat ſurripuit, explicat ibidem Gloſſa. Spectat præterea Canon citatus ad jus Civile, non ad Canonicum; ut conſtat ex Canone 20. ejuſdem diſt. *Cogitatio non meretur pœnam lege civili, cum ſuis terminis contenta eſt.* Audin quid argutaris. Lex civilis, inquis, internum actum non præcipit: ergo neque Eccleſiaſtica. Sed tenet latiſſimam diſparitatem. Lex civilis ad temporalem politiam, atque ad externum regimen directa eſt, Eccleſiaſtica ad animarum quoque ſalutem & ad ſpiritalem concordiam, ad quam per ſe, & directe refertur. Deinde in legibus civilibus quædam ſunt, quæ ſuapte natura effectum ſortiuntur tantummodo poſito externo actu, ut contractus, matrimonium, venditio, locatio: quædam vero, quæ effectum intentant, ut maleficia: unde ſequitur citato canone 20. *Diſcernuntur tamen a maleficiis ea, quæ de jure effectum deſiderant: in his enim nonniſi animi judicium conſideratur.* Hujus generis leges etiam in interiores actus ferri poſſunt.

Inſuper objectant: Eccleſia cum ſit viſibilis, debet humano modo procedere. Reſp. id non obſtare quin per legem humano modo prolatam ad internos actus obſtringat, quemadmodum per viſibilia Sacramenta ſpiritales producit effectus. In ceteris, ſi quæ ſunt alia, diluendis opera ſtudiumque noſtrum minime deſideratur.

CAPUT XVI.

De iis, quorum intereſt ferre leges humanas, & eorum legibus obtemperare neceſſum eſt.

NONNULLA quidem de legum Auctoribus ſupra diſſerui; unde conſtat nonniſi ad legitimos Superiores pertinere, ut Legem ſtatuant. Quoniam vero nonnulli falſo ſcripſerunt ſummas Poteſtates, quarum nomine deſignant Imperatores, Reges, & quos appellat vulgus Magiſtratus, quod tamen nomen poteſtatem inferiorem deſignat, imperium tenere in res ſacras, cui & Eccleſiaſtici viri ſubjecti ſint, neque hi quacunque fulgeant in Eccleſia auctoritate, aliud munus jure exercere, quam declarandi ac ſuadendi, adverſus hanc impietatem erroremque exacrandum acuam ſtilum paruumper, demonſtrans quomodo Eccleſiæ Paſtores imperium teneant, quomodo Poteſtates Sæculares, atque utriſque ſit e ſubditis obſequendum.

PROPOSITIO I. Poteſtates ſæculares non habent auctoritatem aliquam, aut imperium ſtatuendi leges Eccleſiaſticas.

Demonſtratur I. Petro duntaxat, & Succeſſoribus ejus data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, neque ſuper Imperatorem aut regem, ſed ſuper Principem Apoſtolorum Eccleſia fundata eſt, ut habetur Matth. XVI. 18. atque oſtendam diſſerens de Romani Pontificis auctoritate: ſimiliter ab Epiſcopis regendam Eccleſiam collata ſibi per Spiritum ſanctum poteſtate traditur in Act. Apoſtolorum cap. XX. 28. Atqui Terrenæ poteſtates deſtitutæ juriſdictione, charactere & gratia, quæ confertur per impoſitionem manuum

Presbyterii, Pontificali aut Epiſcopali dignitate non fulgent. Non ergo ad eos attinet Eccleſiam regere, atque in hac exercere ligandi, ſolvendique collatam divinitus poteſtatem. II. Quem Eccleſia ejecerit ac damnaverit, nequeunt Poteſtates ſæculares in communionem recipere; ſed debent illum quique fideles habere tamquam Ethnicum & publicanum, juxta Evangelicum præceptum Matth. xvIII. 17. Igitur Poteſtas terrena ferendi in Eccleſia leges, ipſa Eccleſia repugnante, auctoritate non pollet. III. Sæculari Principi nefas eſt in Eccleſia ſacras functiones obire; nam Ozias, cujus pietatem & adverſus Philiſthim glorioſa certamine commendat liber 2. Paralip., ibid. cap. xxvI. 21. percuſſus lepra ejectus fuit uſque ad mortem, propterea quod repugnante Azeria Sacerdote vellet ſuper altare thimiamatis incenſum adolere. Multo ergo minus fas erit Regi vel Principi res ſacras imperatoria conſtitutione præſcribere. IV. Ut habetur in Cen. tit. de Judicib. *Judex ſecularis in ſpiritualibus ſe intromittere non poteſt*: quæ etiam extant ff. de iis, qui ſunt ſui, vel alieni juris, L. I. §. *Videmus*. V. Oſius Cordubenſis in Epiſtola laudata ab Athanaſio ad ſolit. vitam agentes, hæc ad Imperatorem conſcribit: *Neque te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium invadit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens magno crimini obnoxius fias*. Et Hilarius pariter in Epiſt. ad Conſtant. Auguſtum, *Provideas*, inquit, *& decernat Clementia tua, ut omnes ubique Judices, quibus Provinciarum adminiſtrationes creditæ ſunt, a religioſa ſe obſervantia abſtineant, neque poſt hoc præſumant, atque uſurpent ſe cauſſas cognoſcere Clericorum*. VI. Poſtremo his accedit, quod fundamentum eſt ceterorum, non eſſe corporis ſpiritum, neque temporalis politiæ Eccleſiaſticam regere communitatem: quod ſubjectis poſitionibus colluſtrabitur.

PROPOSITIO II. Poſſunt tamen Poteſtates terrenæ leges ſtatuere ad divinas, & Eccleſiaſticas promovendas, non tamquam Eccleſiæ Judices, ſed tamquam defenſores ac vindices.

Hoc dumtaxat probant argumenta, quæ ad ſtatuendum imperium ſummarum Poteſtatum erga ſacra viri politici & ſæcularium Principum adulatores coacervant. Sunt hæc ex veteri teſtamento deprompta. David 1. Paralip. xv. 3. præcipit a Levitis afferri arcam Dei de domo Obededom; ſed jam Dominus Levitas elegerat ad portandam eam, ut ibidem legitur v. 2. Joas lib. II. cap. 24. ſancivit congregandam pecuniam ad ædificium & ornatum templi: ſed ſoli Levitæ arcam pecuniarum deferebant, & lex jam erat conſtituta per Moyſen Exodi xxx. 13. Joſias etiam lib. 4. Regum cap. 23. juſſit, ut projicerentur de templo vaſa Baal, delevit aruſpices, evertit ædiculas ſcortatorum, & celebrandum Phaſe conſtituit: ſed *juxta verba libri fœderis*, ut habetur v. c., nempe ſecundum præceptiones Moſaicas. Huc referenda ſunt exempla Ezechiæ & aliorum apud Auguſtinum in Epiſt. ad Bonifacium. Præterea fecit aliquando conditio temporum, ut pro divinarum & Eccleſiaſticarum legum cuſtodia fideles etiam impiorum & idololatrarum Principum imperia arceſſerent. Ita nimirum pro ædificatione ſecundi templi Judæi Perſarum Regum juſſa poſtulaverunt. Ptolomæus litam de Templo Hieroſolymitano, & Garizitano dirimit, apud Joſeph. lib. XIII. Antiq. cap. 6. Paulus apud Felicem, & Feſtum judicium ſubiit. Juſtinus Martyr, aliique Apologiſtæ ſanctiſſimi Imperatoribus veritatem Fidei Chriſtianæ comprobandam exhibuere. De Paulo Samoſateno etiam Aurelianus Imperator a fide alienus fertur dixiſſe ſententiam. Athenaſius ante Probum Laodiceæ contra Arium diſputavit, Auxiliter alii apud Jovinianum, Eugenius Epiſcopus ante Hunoericum. Hujuſmodi enim Imperatores, etſi infideles aut hæretici, poterant Catholicorum diſſidia legibus Catholicorum componere. Nam æquum eſt unumquemque juxta leges, quibus ſubjicitur, abſolvi aut damnari. Quod ſi de Principibus Chriſtianis ſermo inſtituatur; fateor interdum non ſolum leges Eccleſiaſticas promoviſſe, ſed etiam, Paſtoribus Eccleſiæ minime repugnantibus, coegiſſe Synodos, & ſacrorum Antiſtitum electionibus præfuiſſe. Sed & ultro concedimus dici Conſtantinum in Antiqua Inſcriptione *Auctorem Religionis, & fidei*, Carolum Magnum *Veræ Religionis rectorem*, Britannum Regem in vetuſto Epiſtolio *Vicarium Dei*: & ſi quid iis dici poteſt illuſtrius.

Verum qui iis adducuntur, ut adſtruant imperium ſæcularium Poteſtatum in Eccleſiam, plane decipiuntur. Prioris enim generis exempla, Davidis, Joas, & Joſiæ, potius demonſtrant Reges Iſrael nullas de Sanctuario tuliſſe Conſtitutiones, ſed pro ſervandis iis, quæ ſtatutæ erant a Moyſe, ſedulo invigilaſſe. Alia, quæ Auguſtinus producit, oſtendunt, quomodo Reges ſervire debeant Domino in timore, *ea, quæ contra juſſa Domini fiunt, religioſa ſeveritate prohibendo, atque plectendo*. Iiſdem quippe verbis utitur S. Pater. Cumque poſt jus divinum locum habeat proximiorem Eccleſiaſticum; tenentur Reges hujus quoque diſciplinam cuſtodire, quoniam Deo rationem reddere debent *propter Eccleſiam, quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt*, ut inquit Iſidorus Hiſpalenſis in Sent. III. cap. 51. Quæ de Imperatoribus idololatris fuere ſubjecta, non ipſorum in res ſacras imperium; ſed Chriſtianæ fidei triomphum commonſtrant quem in majori rerum diſcrimina patrocinio hoſtium ſuorum reportavit. Fuerunt tamen ſinguli, quos ſupra commemoravi, Dei miniſtri, & vindices in iram eis, qui malum egerunt: qualem eſſe omnem poteſtatem ſublimiorem aſſeruit in Ep. ad Rom. cap. XIII. v. 4. Apoſtolus Paulus. Cum autem Principes ſint Dei miniſtri; quid mirum, ſi ſuam pro Eccleſiæ incolumitate operam contulere, & honorificis ac ſplendidiſſimis titulis fuerunt condecorati, Rectorum quoque Eccleſiæ, Fideique Auctorum? Quos niſi ſuperbe uſurpaverint, non alia ratione dicimus eiſe collatos, quam vita & anima corporalibus membris exercentibus quidem vitales actus, at non ſua illos vi dirigentibus, neque imperantibus.

PROPOSITIO III. Competit Eccleſiæ Paſtoribus non ſolum munus ſuadendi & declarandi, ſed etiam auctoritas, & poteſtas coactiva, qua poſſunt ſuarum legum fractores vi, & impoſita neceſſitate compeſcere.

Oppoſita enim aſſertio, quam protulere Marſilius de Padua in Defenſorio Pacis ad Ludovicum Bavarum, nec non Joannes de Janduno, arripuere poſthac Proteſtantes, præſertim Grotius de Imperio ſummarum Poteſtatum cap. IV. §. 7. & 8. & M. Antonius de Dominis lib. v. de Republica cap. 2. & 3., damnata eſt tamquam hæretica a Joanne XXII. Damnationem receperunt cum ceteris etiam Doctores Pariſienſes ſolemni congreſſu die I. Septemb. an. 1330. atque pro hac definita veritate plura ſcripſere Gerſon, Hervæus, Petrus de Alliaco, Franciſcus Hallier, aliique. Itaque theſis hiſce argumentis probatur. Chriſtus Dominus facto flagello de funiculis vendentes & ementes e templo vi expulit. Contulit quoque Petro poteſtatem ligandi atque ſolvendi: ligantur autem non tantum voluntarii, ſed etiam inviti. Apoſtolus Petrus Ananiam & uxorem, quod fraudaverint de pretio agri, tali objurgatione reprehendit, ut corruentes protinus expirarent. Paulus etiam Elymam Magum luce privavit, tradiditque Satanæ in carnis interitum Corinthium fornicatorem. Etiam Sacerdotes ad Phariſæi cæcum perhibentem de Chriſto teſtimonium, Joannis IX. 34. *ejecerunt foras*, vel e templo, vel, ut aliis placet, e ſynagoga. Idem feciſſe Stephano, Paulo & Barnabæ narrant Acta Apoſtolica. Fuerunt quidem hæc poſtremo loco poſita per ſummam injuſtitiam patrata; ſed nihiloſecius Sacerdotalem auctoritatem eos, qui habentur impii, per vim expellendi commonſtrant.

Exercuerunt præterea Eccleſiæ Paſtores juriſdictionem illam coactivam vel excommunicatione, vel poteſtate miraculorum, vel violenta manuum appoſitione. Coactivam eſſe vim Excommunicationis ex eo probatur, quod percuſſi anathemate inviti a fidelium communione ſeparantur. Quare abſcindi dicuntur in Epiſt. ad Galatas cap. v. 12. atque in Evangelica ſimilitudine Matth. v. 29. & 30. tum abſcindi, tum erui, ac projici. Hæc enim de excommunicatione interpretatur Innoc. I. in Epiſtola ad PP. Milevitanos inter Auguſtinianas 93. Poteſtate ſibi divinitus tradita miraculorum uſos fuiſſe ſanctiſſimos Eccleſiæ Paſtores, etiam vim inferendo, & coercendo, Ananiæ & Elymæ allata exempla declarant. Excommunicatum ab Ambroſio famulum Stiliconis ſtatim ab immundo ſpiritu diſcerptum, Zozimum Neapolitanæ Eccleſiæ invaſorem anathemate percuſſum protenſa tamquam bovi anhela lingua ſpectaculum de ſe exhibuiſſe miſerrimum, & Eudoxiam Imperatricem pariter e Chryſoſtomo communione privatam infelicem habuiſſe exitum, Eccleſiaſtica narrat Hiſtoria. Quod adjectis etiam ab Eccleſia Judæorum olim accidiſſe auctor eſt Joſephus lib. 2. de Bello capite ſeptimo. Ubi de Eſſenis, *Deprehenſos* (inquit) *in peccatis a ſua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus miſerabili plerumque morte conſumitur. Illis enim ſacramentis & ritibus obligatus neque capere ab aliis oblatum cibum poteſt; herbas vero pecudum more decerpens & fame exeſus per membra corrumpitur*.

Deinde vero vim adhibere Eccleſiam liquet ex lib. II. Conſtit. Apoſtol. cap. 57. & lib. VIII. cap. 11. ubi mandatur expelli a Templis infideles, & baptiſmo nondum initiator: quod de Excommunicatis antiqua ſervandum eſſe diſciplina, & ad hoc inſtitutos Oſtiarios Ivo Carnotenſis, aliique literis mandarunt. Extat in VI. Confeſſ. cap. 2. memoriæ prodita ab Auguſtino prohibitio per Oſtiarios facta iis, qui ad memorias Martyrum pultes, panes, merumque deferebant, & obedientiæ S. M. Monicæ commendatio. Numerianum Antiochiæ ingreſſum in Eccleſiam S. Epiſcopus Babylas magno animo in faciem ejus conſiſtens expulit, ut ſcribit Nicephorus lib. 6. cap. 33. neque hortatorio ſermone, ſed auctore Chryſoſtomo in lib. de S. Babyle, *quaſi vile quoddam, ac nullius pretii mancipium a Dei templo exigit, tanta adeo cum conſtantia, atque animi præſentia, cum quanta paſtor ſcabioſam ac morbidam ovem ab ovili excludit, dum prohibet ne laborantis ovis morbus ad reliquum quoque gregem contagione ſerpat*. Sanctus quoque Ambroſius Theodoſium poſt cædem Theſſalonicenſem a ſacris liminibus prohibuit, non concionis verborumque efficacia tantummodo, ſed extra veſtibulum procedens, & coram omni multitudine purpura Imperatoris apprehenſa. Legite Theodoritum lib. v. H. E. cap. 18. Sozome-

num

Digitized by Google

num lib. vii. cap. 25. & Nicephorum lib. a i. cap. 41. Neque hæc exempla quis in dubium poterit revocare.

Quamobrem aſſentiri minime poſſumus iis, qui ſcribunt primum omnium S. Gregorium VII. vim contra Imperatorem adhibuiſſe: tametſi hujus viri ſingularis probitas, & incorrupta juſtitia ſufficeret ſola ad poſitionem noſtram firmandam. Neque enim Prædeceſſores ſemper, & cum poterant, anathematis fulmina evibrarunt, Eccleſiæ rebus ac temporum anguſtiis provide conſulentes. At Gregorius opportune ſummi Paſtoris juriſdictionem exercuit, impium regno, & communione privando. Nam Simoniacas inveſtituras non dimittentem primo ad obediendum decreto a Romana Synodo lato paterne hortatus eſt: deinde acriores literas conſcripſit; tum poſt Vormacenſe Conciliabulum, Epiſtolamque Henrici injuriis, dicteriiſque pleniſſimam, Synodum Gregorius indixit, in qua definitum eſt omnibus acclamantibus, ut privaretur honore regio. Et tamen piiſſimus Pontifex Auguſtam ad Generale colloquium pergere non recuſabat, & jam cum propriæ vitæ periculo arripuerat iter, inſidiarum, quas Henricus ſtruebat, admonitus. Æquitatem præterea Pontificiæ ſententiæ infelix Henrici exitus comprobavit. Sed legatur Antonius Pagius ad an. Ch. 1076. ubi hæc confirmat teſtimonio Scriptorum illius ætatis, quibus habenda eſt magis fides, quam poſterioribus, maxime ſi talia monimenta non legerint.

Si quæ ſunt autem ſanctorum Epiſcoporum, & præſertim Chryſoſtomi dicta, non eſſe Paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem cohibendi homines a delictis; ſic accipienda ſunt, quod vera fides & innocentia, cum animo inhæreat, perſuaſionibus quidem, non vi coercente promoveatur, & ab Eccleſia alieni trahantur verbo, non compellantur imperio: cum tamen iis, qui ſunt de corpore Eccleſiæ, poſſint Paſtores leges imponere tam adhortatione, quam auctoritate ſententiæ, atque ut Apoſtolus innuit priori ad Corinth. cap. 4. v. ult., ubi non ſufficit caritas & ſpiritus manſuetudinis, virgam, poteſtatemque adhibere.

PROPOSITIO IV. Minime pugnat cum ſpirituali Eccleſiæ regimine temporalis juriſdictionis regnique poteſtas.

Subjicienda eſt hæc theſis propter eos, qui aſſerere audent non poſſe Paſtores Eccleſiæ frui temporali juriſdictione. Quos ſcriptura redarguit, ratio, omniumque conſenſus populorum. Et ſcriptura quidem nos docet, primos Patriarchas, Noemum, Abrahamum, Jacobum, alioſque omnes, priuſquam Levitæ loco primogenitorum ſubrogarentur Num. iii. 41., Sacerdotio functos fuiſſe, victimaſque mactaſſe. Malchiſedechum ſimul fuiſſe Regem Salem, & Sacerdotem Dei Altiſſimi, habetur in xiv. 18. Geneſeos. De Moyſe, Eli, Samuele, & glorioſa ſerie Machabæorum liber Exodi, prior Regum, & qui de Machabæis inſcribuntur, idem aperte teſtantur. Chriſtus Dominus, tametſi humilis apparuit, & pro hominum ſalute ſingularem obedientiam exercuit, regio ſimul & ſacerdotali genere ortus, Princeps Regum terræ appellatur cap. 1. Apocal. v. 5. & de ſe inquit Matth. ult. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*. Regiamque poteſtatem ſe tenere oſtendit, dum a Magis primo annuntiatus eſt in ipſa Herodis Regia his verbis: *Ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum?* Mat. cap. ii. 3. Exactoribus etiam didrachma a Petro petentibus, *Quid tibi videtur, Simon?* (inquit Dominus Matth. xvii. 24.) *Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel cenſum? A filiis ſuis, an ab alienis?* Quibus oſtendit ſe Regem eſſe, nec teneri ad ſolvendum didrachma, tametſi ad evitanda ſcandala dari juſſit ſiclum in ore piſcis inventum. Jeroſolymam quoque ingreſſus eſt regio, ſolemnique plauſu exceptus: & Pilato interroganti, num eſſet Rex, Joannis xviii. 37. reſpondit: *Tu dicis, quia Rex ſum ego*. Portans denique ſpineam coronam, & regiam cum humilitate præferens majeſtatem, conſtitutus eſt, ut David cecinerat Pſ. ii. 6., *Rex ſuper Sion*.

Porro utramque poteſtatem ſpiritualem ac temporalem poſſe ſimul conſiſtere, humana aſſequitur ratio, ſi utriuſque finem, unum alteri ſubordinatum attendit, aut obſervat idem corpus carne ac ſpiritu eſſe conflatum. Quod proxima theſi explicaturus ſum; neque inficias ibit ipſamet perverſa hæreticorum conſcientia, quibus placet temerario auſu in una Angli Regis perſona agnoſcere politicam ſimul, & Eccleſiaſticam poteſtatem.

Redarguit eos inſuper Gentium univerſarum conſenſio. De populo Dei dixi nuper. Reges Æthiopum fuiſſe Sacerdotes ſcribit Diodorus, idemque narrat de Ægyptiis Plutarchus, de Spartiatis Herodotus, de Athenienſibus Plato, de Romanis Halicarnaſſæus, atque Livius. Pervulgatum illud Virgilianum 3. Æn.

> *Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique ſacerdos*
> *Vittis, & ſacra redimitus tempora lauro.*

In quem locum Maurus Servius inquit: *Majorum hæc erat conſuetudo, ut Rex eſſet etiam Sacerdos & Pontifex: unde hodieque Imperatores dicimus Pontifices*. Diſtributis poſthac muneribus, diſcretiſque Regibus ab Auguribus & ſacrorum miniſtris, & hi Reguli ſunt appellati; quod nomen prima ſui inſtitutione ſignificare ſacrificiorum Magiſtros ſcripſit de Iſ. & Oſir. Plutarchus. Videndus etiam in 1. de Divinat. M. Tullius: ſemper enim apud Ethnicos ad Sacerdotes Augurum munus pertinuit.

Hinc nemo inferet poſſe ſæcularem poteſtatem uſurpare jura Sacerdotum. Nam Sacerdotii noſtri dignitas & auctoritas non a patrum generatione, neque ab imperii hæreditate dimanat: ſed a divina electione, ſcribente ad Hebræos Paulo cap. v. 4. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron*.

PROPOSITIO V. Summo Eccleſiæ Paſtori competit reapſe utraque ſimul poteſtas, Eccleſiaſtica videlicet, & politica.

Noſtræ Communionis Theologi, idest, Romanenſes atque Catholici, tametſi non conveniant, quomodo hæc duplex poteſtas Romano Pontifici ſit concedenda, num *directe* ſpiritualis, *indirecte* civilis, num vero utraque *directe*, & vi clavium; attamen propoſitionem comprobant multiplici genere argumentorum. Afferunt i. loca Scripturarum; in quibus de Eccleſiæ Capite pronuntiatum legimus a Jeremia cap. 1. v. 10. *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, &c.* quo teſtimonio uſus eſt Innocentius III. in Epiſt. ad Imp. Conſtantinopolitanum. Accedit facta Petro ampliſſima poteſtas quodcumque ſuper terram ligandi, una cum mandato paſcendi commiſſas oves, in quo comprehenditur auctoritas eas cohibendi, quotieſcumque aberrant ſive ſpiritu, ſive corpore. Addunt quod juxta Apoſtolum ſumus unum corpus, & plura ſub uno Capite membra: atque ad Caput pertinet ſubjecta membra dirigere. ii. Producunt canones, ac præſertim Cap. *Poſtulaſti*, in Extrav. & Cap. *Quidem ea*: unde liquet Romanos Pontifices pœna pecuniaria animadvertiſſe in eos, qui injecerant manus violentas in Clericos, & civibus Tuſciæ mandaſſe ut arma pararent, militibuſque decreviſſe ſtipendia. iii. Exempla Pontificum, qui Imperatores Regeſque depoſuerunt, aut in eos juriſdictionem exercuerunt, quorum exemplorum nonnulla theſis tertia ſuppeditat. iv. Recitant teſtimonia Patrum: inter quos Bernardus in lib. de Conſiderat. apertiſſime duos gladios tribuit Pontifici, & illum, qui gladius eſt poteſtatis civilis, non quidem illius manu evaginandum, ſed tamen ad nutum ipſius. Plura de his Bellarminus, Torrecremata, Macedo, alii.

Unam ego, vulgatamque illuſtrabo rationem, quæ ſimul diſcrepantes ſententias Patrum conciliabit, & objecta quæque diſpunget. Eſt autem. *Omnis perſona, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet diſponere de iis, quæ ſunt ad finem*. Ita S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 3. Atqui omnis poteſtas civilis & politica ordinata eſt ad bonum ſpirituale, atque ad Religionem, cui præeſt Romanus Pontifex. Igitur is diſponere poteſt de omni poteſtate civili, & politica. Dixi vulgatam rationem, qua complures utuntur. Pro cujus fulcimento demonſtrandam aggredior utramque ſyllogiſmi propoſitionem. Poteſtatem politicam ad ſpirituale bonum referendam, ſolus imprudens, ac ſtultus pernegabit. Ajebat Theodoſius in Epiſt. ad Cyrillum: *Cæſarei eſt muneris, ut non ſolum pacifice, ſed pie etiam ſubditi vivant*. Et Ammianus lib. xxxix. *Nihil aliud eſt imperium, ut ſapientes definiunt, niſi cura ſalutis alienæ*. Habeo in hoc conſentientes Iſidorum Hiſpalenſem, & Auguſtinum, & quos laudavi cap. præcedenti, *In hoc ſerviunt* (ait S. Pater lib. 3. contra Creſc. cap. 51.) *Deo reges, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ pertinent ad divinam religionem*. Quis præterea ignorat corporalia ſpiritualibus, & terrena ſempiternis bonis ſubjicienda?

In Corpore autem Eccleſiæ quæ ad Dei honorem, quæ ad religionem, quæ ad ſpirituale bonum per ſe pertinent, Sacerdotali regenda eſſe auctoritate, & hanc eſſe veluti in corpore Animam evinco illuſtribus teſtimoniis. Auctor Conſtit. Apoſtol. lib. ii. cap. 34. de Epiſcopo ait: *Sacerdotium ad Dei honorem adminiſtrat, ut pericula ab anima & corpore propulſet. Quanto ergo anima corpore præſtantior, tanto eſt Sacerdotium regno excellentius. Quocirca Epiſcopum oportet, ut patrem, diligere, ut regem metuere*. Nazianzenus Orat. 17. n. 15. ita Principes alloquitur, *Vos quoque imperio meo ac throno lex Chriſti ſubjicit: imperium nos quoque gerimus. Addo etiam præſtantius & perfectius; æquum eſt enim ſpiritui carnem faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere*. Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſtolarum ep. 249. inquit: *Ex ſacerdotio & regno rerum adminiſtratio conflata eſt: quamvis permagna utriuſque differentia ſit; illud enim eſt velut anima, hoc velut corpus*. Addamus Epiſt. ad Joannem Papam M. Caſſiodori Senatoris, & Præf. Prætorio; in qua, *Paſcitis quidem* (ait) *ſpiritualiter commiſſum vobis gregem: tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis videntur ſubſtantiam continere. Nam ſicut homo conſtat dualitate, ita boni patris eſt utraque ut fovere. Sum quidem judex Palatinus, ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus: nam tunc iſta recte gerimus, ſi a veſtris regulis minime diſcedamus*. Quemadmodum ergo anima, cujus eſt in homine virtus præſtantior, non tantum ſpiritales actiones regit, ſed etiam corporalia membra movet, & ſi rationi adverſentur, coercere debet ac refrænare: ita in Corpore fidelium Summus Paſtor moderatur ſpiritualia; atque ad ejus nutum diriguntur imperia, quæ

ſi a Dei cultu, ac pietate deflectant, poteſt, ac debet illa reprimere, & cohibere.

Ex his conſequitur juriſdictionem regni & imperii non eſſe in Romano Pontifice *indirecte*, ſed *directe*, per ſe, & vi clavium, & tamquam in Chriſti Vicario, ut docet Auguſtinus Triumphus Q. 1. de Poteſt. Papæ art. 7. & q. xxxv. art. 4. Nam & animæ, in quantum anima eſt, competit rebelles carnis motus refrenare; & cuilibet poteſtati, ad quam pertinet finis, directe, proprioque jure etiam ſpectat media, quæ ſunt ad finem, diſponere. Quod ergo præclariſſimi quidam Theologi docent, Romanum Pontificem non habere poteſtatem politicam ac temporalem *directe*, hoc tantum ſenſu probamus, quod præcipuum Apoſtolicum munus eſt regere ſpiritum, & ſicut anima corporales motus perficit miniſterio carnis, ita Eccleſiaſticus princeps linit temporalia regimina a Poteſtatibus politicis exerceri, has, ſi deviant, continendo ac reprimendo. Verum id malo dici ab Eccleſiæ Rectore factum *mediate*, quam *indirecte*.

Diſſipantur his machinationes, quas contra commoliuntur falſorum dogmatum architecti. Opponunt primo loca quædam Evangelii, unde conſtat Chriſtum Dominum noluiſſe inter duos fratres de diviſione hæreditatis judicium proferre, Lucæ xii. 14. cum veniſſent turbæ ut eum raperent & conſtituerent Regem, in montem fugiſſe, Jo. vi. 15. atque dixiſſe Pilato Regem quidem ſe eſſe, ſed regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, Jo. xviii. 36. His accedit monitum Apoſtolicum in 2. ad Timoth. cap. ii. 4. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*.

Quibus ex ordine reſpondemus, noluiſſe Chriſtum hæreditatem inter fratres dividere, principio quoniam Spiritualis Rex; etſi omnem habeat poteſtatem in cælo & in terra, quemadmodum Chriſtus ſe profitetur habere, eamque exercuit, ut diximus Prop. iv., nihilominus non eſt conſtitutus ut immediate & per ſe viſia quæque, terrenaque moderetur, quorum adminiſtrationem mandat ſæcularibus, ut ſpiritus corporales motus brachio, pedibus, membriſque reliquis, & veluti Moſes ſuadente Jethro conſtitutis magiſtratibus minora commiſit: Exodi xviii. 21. 24. Deinde dedecens erat, Deum pacis inter fratres dividere; quod Oſeæ xiii. 15. munus dicitur iniqui Regis. Præterea licet Chriſtus Rex foret, nondum Eccleſiam ſanguine ſuo acquiſierat, nec Rex ſuper Sion montem ſanctum Domini fuerat conſtitutus. Fugit autem in montem ſolus, quoniam Rex cæleſtis non debebat recipere regiam a terreno populo auctoritatem, nec talia veritati, quam evangelizabant, præſidia quærere, nec demum Redemptionem, quam morte turpiſſima perficere decreverat, aſſumpta regia auctoritate impedire, venturus iterum cum majeſtate magna, nequaquam a populis accepta, Judex univerſorum. Pilato utique ait Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo: ſe tamen regem confeſſus eſt. Regnum vero de hoc mundo negavit, & quia auctoritatem regiam non ab homine, ſed collatam divinitus obtinuerat, & quia regnum ſuum dicebat Eccleſiam, populumque fidelem, in quo regnat non hæreditate terrena, ſed prædeſtinatione divina; & quoniam Regis hujus thronus erat dextera Patris, non ſolum Iſrael, ac terrena Jeruſalem. *Quod eſt enim Regnum, niſi credentes in eum, quibus dicit, de mundo non eſt, ſicut & ego non ſum de mundo?* inquit Auguſtinus Tract. 115. in Joan. num. 2., paucisque interjectis: *Non ait Regnum meum non eſt hic, ſed non eſt hinc. Hic eſt enim Regnum ejus uſque in finem ſæculi*. Ergo in hoc Chriſti regno comprehenduntur etiam Imperatores ac Reges, quotquot ad veritatem Evangelii venerunt, & Chriſti Vicario ſubjiciuntur in his omnibus quæ ad hæreditatem æternam conducunt; in quorum genere contineri terrenorum Regnorum adminiſtrationem negare non poſſunt, niſi etiam denegent collatum ſibi imperium ad tutelam religionis, & Dei cultum, & corpus animæ, ideſt terrenam poteſtatem ſpiritualis eſſe inſtrumentum. At Apoſtolus in altera ad Timotheum Epiſtola utitur comparatione militum, qui debent propriis muneris inſudare militiæ, non agrorum culti, nec cuſtodiæ animalium, vel mercimoniorum quæſtui, ut habetur in L. *Milites*, C. de Re militari, & Vegetius ſcribit libro ii. & Ambroſius paritat in lib. 1. de Officiis; eo quod cum armati ſint & ſtipendium accipiant a republica, ſolis debent utilitatibus publicis occupari. Ac modo conſimili ſcribit Apoſtolus ne Domino militantes implicentur ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις; nec ullus Clericorum debet idcirco vacare venditioni mercium, negociis forenſibus, uſui armorum. His tamen minime obſtantibus, ut Dux militum & Imperator præſidet etiam iis, quæ ad bella gerenda parantur, ita ſpiritualis Princeps jus habet in terrenam Rempublicam ad ſpiritale bonum directum, neque a Religione divulſam.

Opponunt ulterius, quod regia, & ſpiritualis poteſtas pugnent ad invicem, & a Chriſto ſint propterea ſeparatæ, ut habetur diſt. 10. cap. *Quoniam*, & diſt. 96. cap. *Cum ad verum*, & in Epiſtola Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem: ex qua præfata capita ſunt excerpta. Quibus accedunt plurimæ ſententiæ Patrum affirmantium Eccleſiæ paſtoribus interdici imperium, ac temporale dominium.

Verum his ſatisfactum arbitramur allata ſuperius animæ corporiſque comparatione. Etſi enim natura ſpiritus, & natura corporis eatenus pugnans, quatenus diverſa conſtituuntur eſſentia, & anima caret partibus, quibus corpus coaleſcit; junguntur tamen in una, eademque perſona hominis, & talem ordinem ſervant, ut habeant quidem ſua peculiaria munia, ſed anima debeat ſingula dirigere & coercere. Atque ita ſpiritualis poteſtas, quæ immediate verſatur circa ſalutem animæ, habet diverſam quaſi naturam a poteſtate civili, quæ ſpectat temporalem tranquillitatem; & nihilominus ſimul conſiſtunt in uno Romano Pontifice, qui per ſe ſpiritualia, & per filios ſuos Imperatores ac Reges terrena miniſtrat: & ſi hi non recte incedant, *Glorioſos terræ humiliat ne adverſus petram, Eccleſiamque poſſint portæ inferi prævalere*. Legite S. Thomæ Cantuarienſis Epiſtolam 97. Hæ duæ poteſtates ſpiritualis & politica, ut inquit Nicolaus I., fuerunt ante adventum Chriſti permixtæ, quoniam in ſacerdotio Levitico per ſe & immediate Sacerdotes præerant templo & urbi, immolabant victimas & regebant exercitus; nunc vero poſt adventum ſummi Regis ac Pontificis, ſimul quidem regale genus & ſacerdotale ſubſiſtunt; ſed ſummus Paſtor per ſe tractat ſpiritualia, terrena autem Sæcularium Principum miniſterio. Monent autem recte Sancti, ut Eccleſiaſtici immediate moderentur terrena, nec ſe rebus inferioribus implicent; at ſi Poteſtas civilis contraria ſit ſpirituali, inferior tempe ſuperiori; & corpus animæ, quemadmodum contigit regnante Nicolao in depoſitione Ignatii Antiſtitis Conſtantinopolitani, tenetur Pontifex poteſtatem ipſam civilem cohibere: quoniam, ut ait citata Epiſtola Nicolaus, *Pontifices pro temporalium curſu rerum utuntur Imperialibus diſpoſitionibus, & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigent*. Ex quibus argumenta Calvini, Grotii, aliorumque Hæreticorum facilem habent, ut arbitror, expeditionem.

PROPOSITIO VI. Quælibet civilis Poteſtas, quæ in Corpore Eccleſiæ tenet imperium, debet ad nutum Pontificis arma tractare, ceteraque complere ſuæ auctoritatis officia.

Sequitur ex præcedenti, brevique corroboratur. Numerorum quippe Cap. xxvii. 21. legitur, *Si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur, & ingredietur ipſe*, (ideſt Joſue) *& omnes filii Iſrael cum eo, & cetera multitudo*. Quo in loco oſcitanter nimis ſcripſit Abulenſis, Eleazaro egrediendum & ingrediendum ad Imperium Joſue, quod & repetit q. 2. in cap. xiv. hujus Hiſtoriæ. Etenim pronomen *Ipſe* ad Joſue, non ad Eleazarum referendum conſtat ex verſione Hebraica, *Coram Eleazaro Sacerdote ſtabit, & poſcet ab illo judicium Urim coram Deo: juxta os ejus egredientur, & ſuper os ejus ingredientur ipſe & omnes filii Iſrael cum eo*. Non ergo Eleazar, ſed Joſue ſtare debebat, judicium poſcere, & juxta Sacerdotis oraculum cum populo egredi, & ingredi. Ideo recte Innoc. III. cap. *Solitæ*, negat Joſue accepiſſe imperium in Eleazarum. Demonſtrat id etiam judicium *Urim*, quod hac occaſione explicabo. In Rationali, quo pectus ſacerdotis ornandum erat, juſſus eſt Moſes ponere Exodi xxviii. 30. את האורים ואת התומים, *Urim, & Thummim*. Vulgaris opinio eſt duas gemmas in ſe Ephod inſertas, quarum inſolito ſplendore quid agendum foret pateſceret. Hinc David 1. Regum xxiii. 10. ignorans num deſcenderet in Ceilam dixit ad Abiathar Sacerdotem: *Applica Ephod*: quod & fecit perſecuturus latrunculos, cap. xxx. 7. Tradunt autem hoc genus Oraculi per lapillorum ſplendorem ceſſaſſe in Babylonica Captivitate; quamquam Joſephus lib. 3. Originum cap. 12. ſcribit id contigiſſe annis antequam illam inchoaret hiſtoriam ducentis. Hinc etiam Ægyptii, ceterique idololatræ Sacerdotibus ſuis torquem collo apponebant, & Ephod pectori, in quo diabolus Dei Simia immutatione gemmarum dediſſe reſponſa colligitur ex Hiſt. Judic. cap. viii., atque ex libro 1. Diodori. Sunt tamen qui per Urim & Thummim intelligunt ſolum judicium Pontificis, nam *Urim* ſignificat illuminationes & manifeſtationes, *Thummim* integritates ac veritates: & proculdubio recte verterunt Græci δήλωσιν, καὶ ἀλήθειαν, & Latina Vulgata, *Doctrinam & veritatem*. Igitur, ut fatetur etiam in hunc locum hæreticus Munſterus, Joſue imperator exercitus debebat conſilium & oraculum petere a Sacerdote conſcio divinæ voluntatis: ac propterea de ipſo mat Joſua ſcriptum eſt: ושאל לו במשפט האורים *Et poſcet ab illo judicium illuminationum*.

Id multo magis a Chriſtianis Principibus ſervandum eſt, quod hi potiori jure tenentur pro fide ac religione inſtituare certamina, aut ſi pro republica bella gerunt, commoda quæque populorum ad æternam ipſorum ſalutem tenentur dirigere. Unde S. Thomas citata q. 40. art. 2. ad 3. *Bella carnalia* (inquit) *in populo fideli ſunt referenda ſicut ad finem ad bonum ſpirituale divinum, cui Clerici deputantur: & ideo ad Clericos pertinet diſponere, & inducere alios ad bellandum bella juſta*. Atque ſi id Principes haberent præ oculis, profecto a plurimis cladibus cædibuſque abſtinerent, quas deplorant viri quique eruditione, ac pietate præclari, nuperrime vero in Oratione de laudibus clariſſimi Principis Eugenii ad invictiſſimum, piiſſimumque Cæſarem Carolum Sextum vir maximus & literarum ſplendore, infulis Eccleſiaſticis, & Vaticana Purpura inſignis Dominicus Paſſioneus.

PRO-

PROPOSITIO VII. Legislator & ipſe aliquo pacto propriis legibus obſtringitur.

Dixi aliquo pacto: nam certum eſt Legislatorem ſuis legibus non teneri, ita ut imperio alicujus poſitivæ legis ſubjiciatur, cum imperium ſtringat duntaxat inferiores; unde extat *l. Princeps*, dig. de legibus lib. 1. tit. 3. *Princeps legibus ſolutus eſt*. Atque hinc eſt, principem ſuis legibus non ſubjici quantum ad vim coactivam, cum ſuperiorem non habeat, qui poſſit in ipſum animadvertere. Sed tenetur propriam legem ſervare vi ſuperioris legis æternæ ſcilicet ac naturalis, quæ rectum poſtulant ordinem caput inter & membra; ideoque ſi Princeps pro Republica legem conſtituat, eaque præcipiat quæ capiti membriſque conveniant, lege naturali jubente ut omnia ordinatiſſima ſint, inſtitutis a ſe æquitatis regulis devincitur. Quod mihi quidem auctoritas, ratio, exemplaque perſuadent. Auctoritas quidem: etenim reprehenduntur Matth. XXIII. 4. qui ſubditis onera imponunt, illa autem nolunt extremo digito attingere. Innocentius III. cap. *Cum omnes*, de Conſtit. Canonicis Eccleſiæ Trecenſis illud Catonis commendat: *Patere legem, quam tu ipſe tuleris*. Et diſt. 9. Cap. *Juſtum*, dicitur: *Juſtum eſt, principem legibus obtemperare ſuis*. Ambroſius præterea Epiſtola XXI. 9. Valentinianum alloquitur: *Quod præſcripſiſti aliis, præſcripſiſti & tibi: Leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat*. Habetur denique in C. tit. 14. l. 1. *Digna vox eſt Majeſtatis regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri*. Ad rationem quod ſpectat; debet omnis pars ſuo univerſo congruere, ut S. Pater docet lib. 3. Conf. cap. 8. Cum itaque Princeps ſit Reipublicæ Caput, neceſſum eſt ut ſe reddat ceteris conformem. Cui accedit, latam eſſe omnem legem pro bono communitatis. Iſtud vero bonum pendet potiſſimum a Principis æquitate, quoniam experimento comprobatum eſt, & Carmina etiam Homeri Odyſſ. XIX, confirmatum, talem eſſe Reipublicæ tranquillitatem,

Qualis Rex culpa vacuus, generiſque Deorum,
Qui populis multis & fortibus imperat unus,
Tutatur pia jura manu.

Exemplum denique deſumptum eſt a Philemone ex illis Medicis, qui dum morbo cubant, debent eadem uſurpare remedia, quæ aliis pari infirmitate laborantibus jam præſcripſerant. Quæ autem contra hanc propoſitionem objiciuntur, ſi dixeris obligationem ſervandi proprias leges oriri in Principe ex ipſa lege naturæ, non directe ex ipſa lege humana ab illo conſtituta, uti modo explicabam, abſque alia diſputatione arbitror eſſe ſoluta.

PROPOSITIO VIII. Advenæ ac Peregrini locorum, ad quæ accedunt, tenentur legibus, non proprii, unde abierunt, territorii.

Rationem ſimul ac exemplum affert S.P. Auguſtinus Epiſt. ad Januarium XVIII., nunc LIV., cujus verba habentur diſt. 12. Can. *Illa*. Ubi diſtinguit ea, quæ ſervantur ab univerſa Eccleſia, & quæ utique neceſſum eſt cuſtodiri ubique locorum, ab iis, quæ per loca terrarum, regioneſque variantur. De his vero inquit: *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt*. Profert mox exemplum de jejunio, quod in Eccleſia Mediolanenſi ſabbato non ſervabatur. Quamobrem Sancta Mater Monica fluctuans quid ageret movit Auguſtinum, ut conſuleret Ambroſium. Is autem reſpondit: *Cum Romam venio, jejuno ſabbato: cum hic ſum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi*. Additque S. Parens non ſolum Monicam libenter ſententiæ Ambroſii auſcultaſſe, verum etiam ipſum Auguſtinum ſemper illam tamquam cæleſte oraculum habuiſſe. Ex quo uno loco poteſt quiſque deducere pro firmanda tamſi auctoritatem Canonis, teſtimonium ſanctorum, conſuetudinem, diſciplinæ, & depromptam a periculo ſcandali rationem.

Op. 1. At ibidem Auguſtinus ait de variis locorum ſtatutis, *Totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes*. Reſp. poſt ea verba ſtatim conſequi, *Nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam, ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam forte venerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt*. Liberam ergo habent obſervationem, ſed extra Eccleſiam, in qua ſunt veteri conſuetudine comprobata.

Ob. 2. Epiſcopus territorii, unde advenæ tranſeunt, nequit eos matrimonio conjungere, nec ad Ordines promovere; quomodo ergo peregrini illius Epiſcopi juſſis ſubjiciuntur? Similiter Latinus Sacerdos tranſiens per regiones Græcorum, aut Græcus per Latinas Eccleſias ritu proprio libere utitur, ac pane azymo, aut fermentato. Reſpondetur in his, ceteriſque ſimilibus ab ipſis Epiſcopis, ac Synodis ſtatutas eſſe exceptiones, ne in contrahendo matrimonio, aut Ordinibus ſuſcipiendis fallacias fraudeſque improbi molirentur: ideoque in iſtarum obſervatione leges Territorii potius impleri, quam frangi. Ut celebrent pariter cum Latinis, tum Græci proprio ritu ſervato, decrevit ad vitandam utriuſque Eccleſiæ ſciſſuram Synodus Florentina. Quod autem ſancivit ſaluberrima Eccleſiæ auctoritas, non lex Territorii eſt appellandum, ſed commune ſtatutum, ubique, ut S. Pater docet laudata Epiſtola, retinendum. De Clericis proximo capite adjiciam quæ adhuc flagitat hujus argumenti dignitas atque amplitudo.

CAPUT XVII.

De Immunitate, & Aſylo.

ÆQUUM eſt, ne quod Juriſconſulti diſputant in tit. 49. libri 3. Decretalium Gregorii IX. de Eccleſiarum Immunitate prætermittamus omnino. Immunitatem appello locorum, aut perſonarum a communibus oneribus, muneribuſque libertatem, quod nonnulli *Emunitatem* dixere, quaſi extra munia, quibus ceteri obligantur. Affine huic eſt Jus ſecuritatis, ſive Aſylum, derivatum nomen ab *ἀ-συλητικῷ* & verbo *συλάω*, *rapio*, *prædor*: & idem eſt Aſylum, ac locus profugii. Circa immunitatem quærendum eſt, an Clericis fas ſit domos, aliaque bona poſſidere, nam cap. 1. memorati tit. 49. pertractatur de domibus Eccleſiarum. Poſthac videndum an Clerici a publicis muneribus collectiſque ſolvendis ſint immunes, ut eodem titulo ſtatutum eſt cap. *Non minus*, & cap. *Adverſus Conſules*. Deinde de Immunitate locorum, de qua extat cap. *Cum Eccleſia*, & cap. *Eccleſia*, agendum breviter, ceteris expoſitis, quæ ad jus Aſylorum magis ſpectare videntur.

PROPOSITIO I. Clerici legitime bona poſſident temporalia.

Quod probatur primo ex veteri Teſtamento. Num. XXXV. v. 2. legitur: *Præcipe filiis Iſrael, ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis urbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum*: & Joſue XXI. 3. *dederuntque filii Iſrael de poſſeſſionibus ſuis juxta imperium Domini, civitates, & ſuburbana earum*. Sunt qui dicunt urbes & agros Levitis acceſſiſſe, ut ibi habitarent, non ut haberent conceſſarum rerum dominium: quod Lyranus probat ex cap. XIV. Joſue 13. ubi dicitur traditum Caleb Hebron in poſſeſſionem; cum tamen cap. XXI. 11. Levitis aſſignata fuerit civitas Arbe, quæ vocatur Hebron. At difficultatem dirimit proximus verſus 12. *Agros vero, & villas ejus dederat Caleb filio Jephone ad poſſidendum. Dedit ergo filiis Aaron Sacerdotis Hebron confugii civitatem, ac ſuburbana ejus*: & 1. Paralip. VI. 55. *Dederunt igitur eis Hebron in terra Juda, & ſuburbana ejus per circuitum: agros autem civitatis & villas Caleb filio Jephone*. Calebus itaque poſſedit tractum circumjacens, dictum Hebron, quomodo cap. XXIV. 32. ager Sichemo proximus dicitur Sichem, & Jud. XIII. 2. Manue pater Sampſonis appellatur, *vir de Saraa*, cum tamen ruri habitaret. Ita Calebi territorium, Levitarum erat civitas, ac ſuburbium. Legitur etiam Levit. XXV. 33. *Domus urbium Levitarum pro poſſeſſionibus ſunt inter filios Iſrael*: nec alia profertur cauſſa, cur non poſſent ſuburbana venundari, niſi quia Levitarum poſſeſſio perpetua erat ac ſempiterna, quomodo nequeunt & modo bona Eccleſiarum alienari.

In novo pariter Teſtamento; atque in ipſis Eccleſiæ incunabulis, *Quotquot erant poſſeſſores agrorum, aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum*, ut in Actis legitur Cap. IV. 34. & 35. Arbitrio ergo Apoſtolorum ſubjiciebantur pecuniæ: erantque illi bonorum omnium adminiſtratores, & æque ac laici, poſſeſſores. Et quamquam iis licebat prædia non vendere, aut pretium non deferre ad pedes Apoſtolorum, ut Petrus inquit Ananiæ, cap. V. 4., omnes tamen ſua quæque Domino devovebant, nec exinde fas erat de pretio defraudare. Ipſum Dominum ad informandam Eccleſiam ſuam loculos habuiſſe, recte colligit ex Evangelio Venerabilis Beda lib. IV. cap. 14. in Lucam.

Poſſeſſiones Clericorum, privataſque domus Eccleſiarum commemorat etiam magnus Gregorius lib. 3. Epiſt. ep. 19. in qua ſermonem inſtituit de penſionibus domorum, quas Eccleſiam S. Agathæ habuiſſe conſtabat a Gothorum temporibus. Domos Eccleſiarum proprias laudat apud Emmanuelem Gonzales in cap. 1. lib. 3. Decr. tit. 49. Euſebius Cæſarienſis H. E. libro VII. Eodem citato cap. *Ut in domibus*, decernit Joannes Papa, neque Miſſum, neque Comitem, ideſt Executorem officialem, ſive Proconſulem, neque judicem, miniſtrumque poſſe in domibus ad Eccleſiam pertinentibus exercere judicia, aut ſibi hoſpitium vindicare. Sacris itaque libris, hiſtoricis monimentis, decretiſque Pontificum citato titulo, & in Septimo lib. 1. tit. 7. diſpoſitis, docemur licitam eſſe Clericis domorum, agrorum, prædiorum, nec non civitatum, regnorumque poſſeſſionem. Quam cum ſtatu Eccleſiaſtico non pugnare diximus quarta præcedentis Capitis poſitione.

PROPOSITIO II. Clerici, eorumque bona ab omni civili onere gaudent immunitate, ita ut illi cogi non debeant ad tributa ſolvenda, neque ad munia laicorum obeunda.

Demonſtratur 1. ex veteri Teſtamento. Gen. XLVII. 22. Joſeph emit, ſubjecitque Pharaoni omnem terram Ægypti *præter terram ſacerdotum*; & v. 26. *Ex eo tempore uſque in præſentem diem, in univerſa terra Ægypti Regi-*

bus quinta pars ſolvitur, & factum eſt quaſi in legem, abſque terra Sacerdotali, qua libera ab hac conditione fuit. Num. III. 49. *Tributum Levi noli numerare* (inter eos, qui debebant ad bella procedere) *neque pones ſummam eorum cum filiis Iſrael.* 1. Eſdræ VII. 24. extat lex Artaxerſis: *Vobis quoque notum facimus de univerſis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus, & Nathinæis, & miniſtris domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.* Sacerdotes autem veteris legis figuram fuiſſe noſtrorum, quis ignorat? Aut quis Catholicus princeps erit in Clericos minus propenſus Regibus Ægyptiorum, aut Perſarum? Apud Matth. XVII. 24. habetur præclare ſententia Salvatoris: *Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel cenſum? A filiis ſuis, an ab alienis? ...., Ergo liberi ſunt filii.* In quem locum ait Hieronymus: *Ille pro nobis crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit: nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filii Regis a vectigalibus immunes ſumus.*

Probatur 2. ex Conciliis. Etenim Lateranenſe IV. Seſſ. 9. ſub excommunicationis pœna prohibet, *ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Reſpublicæ, & alii potentatus quicunque collectas, decimas, & alia hujuſmodi onera Clericis, Prælatis, & aliis quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis imponant, exigantque.* Tridentinum Seſſ. XXV. de Reformat. cap. 20. docet, *Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum Perſonarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam eſſe.* Similia habent Conc. Aurel. 4. cap. 13. Tolet. 3. Can. 21. Tolet. 4. can. 46. Colonienſe p. 9. cap. 20. Atque his accedunt decreta Romanorum Pontificum Adriani VI. Clem. VII. Julii III. Pii IV. quæ accurate collegit Petrus Matthæus Clariſſimus Juriſconſultus in Septimo Decretalium, ſive Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. tit. 2. in Sexto autem cap. *Quamquam*, IV. de Cenſibus, ſive tit. XX. Bonifacius VIII. declarat Eccleſias, Eccleſiaſticaſque perſonas, ac res ipſarum *non ſolum jure humano, quinimo & divino* a ſæcularium perſonarum exactionibus eſſe immunes. Atque contra facientibus Bonifacius ipſe, Alexander IV. aliique Romani Pontifices ipſo facto excommunicationem ſingularibus perſonis, interdictum vero univerſitatibus locisque infligunt. Videatur & Bulla Cœnæ Domini. Idem conſtat ex Jure Civili, præſertim ex C. de Sacroſanctis Eccl. l. 5. *Placet*, & l. 8. *Sacroſancta*: & C. de Epiſcop. & Cler. l. 1. *Juxta ſanctionem*; & l. 6. *Presbyteros*, nec non in Auth. *Statuimus*: qua Fridericus I. Imperator omnia etiam revocat abrogatque huic immunitati quomodolibet adverſantia. Vide & cap. *Secundum Canonicam*. 23. q. 8.

Tertio probatur ex PP. *Hoc autem mandatum* (ait Jo. Chryſ. hom. 65. in cap. 47. Gen.) *poſuit eis Joſeph, ut quintam partem darent Pharaoni, excepta ſolum Sacerdotum terra. Audiant qui nunc vivunt, quantam olim* (Ægypti Reges) *Sacerdotum idolorum curam habuerint, & diſcant, ut vel ſaltem parem habeant honorem his, quibus omnium Dei miniſterium creditum eſt, & qui ſacerdotio inſigniti ſunt. Si enim errantes illi & tantam idolorum curam habentes, ex hoc putabant idola magis coli, ſi ita eorum miniſtros colerent; quanta non condemnatione digni, qui nunc imminuunt quod ad Sacerdotum Dei ſpectat cultum?* His confirmantur, quæ ſupra e ſacris literis prompta ſunt. Hieronymi in cap. XVII. Matth. jam laudavimus illuſtrem, præclariſſimamque ſententiam. S. P. Auguſtini lib. 1. Qq. Evang. q. XXIII. hæc ſunt verba: *In omni regno intelligendum eſt liberos eſſe filios, ideſt, non eſſe vectigales. Multo ergo magis liberi eſſe debent in quolibet Regno terreno filii Regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terrena.* Quædam alia producam ad ſolutionem prioris argumenti. Beda ad cap. 47. Geneſeos & ipſe docet terram ſacerdotum immunem a vectigalibus ſignificare *Eccleſiam liberam a cenſu mundi.*

Collocabo quarto loco petitum aliquod e ratione argumentum. Ac primo Clericus in ſortem & hæreditatem Domini electus eſt. Κλῆρος enim Græce dicitur, Latine ſors, vel hæreditas, ut recte in Pſalmum 67. Auguſtinus, Iſidorus lib. 7. Etymol. cap. 12., & Grat. diſt. XXI. cap. *Cleros*. Tres illinc eruuntur cauſſæ, ob quas Clerici ad munia publica, ad vectigalia, atque ad civile forum cogi non debent. Priorem docet Chryſoſtomus cit. hom. a comparatione planiſſima. Quis enim infanior ad hæc compellat alicujus ſæculari dignitate inſignis filium, hæredem, familiarem? Affert alteram Imperator Conſtantinus in Epiſtola ad Annlinum, quæ extat lib. X. Hiſt. E. Euſebii, cap. 7., & lib. VII. Niceph. cap. 42. ne ſcilicet ipſi Clerici a cultu ſummæ Divinitati debito abſtrahantur, ſed potius abſque ulla inquietudine legi propriæ deſerviant. Tertia ſumitur ab ipſa naturali æquitate; magna quippe injuria ſupremus Dominus afficitur, ſi ejus Sacerdotes minorem, quam olim idolorum Flamines, habeant honorem; & quæ divino cultui ſunt conſecrata profanis uſibus deputantur. Subvertuntur pariter omnes leges, ſi inferiores Magiſtratus præſumant jura dare ſuperioribus, & homines Angelis imperare.

Addam poſtremo loco rationem politicam. Putant ſæculares Principes aliqui a pendendis tributis Eccleſiaſticos non eſſe immunes, quod hæc poſtulet commodum, quam ipſi curant, Reipublicæ, illatum a juſto bello diſpendium, extrema plebis penuria, atque cauſſæ id hujuſmodi aliqua. Ubi neceſſitas poſtulat, debent Eccleſiæ Præſules neceſſaria ſubſidia concedere: & pro ſublevandis pauperibus ſunt aliquando etiam ſacra vaſa frangenda. At aliud eſt, Clericis habendam eſſe rationem de publica neceſſitate, aliud ſæculares bona invadere Clericorum. Pro bello gerendo ad hæreſes extirpandas Henricus Rex Chriſtianiſſimus ſupplicavit Sixto V. Pontifici Maximo pro facultate Clericis partem oneris imponendi, eamque obtinuit, eo quidem fine, ut Eccleſiaſticus ordo conſervaret poſſeſſa, & recuperaret jam ab hæreticis occupata. Ita quod Gallicani Præſules in difficilibus Regni temporibus Regibus Chriſtianiſſimis pecuniæ ſummam ex Eccleſiaſticis reditibus collectam concedere ſoleant, *ut ex Cleri ſubventione pauperes iis vectigalibus, quibus ſolvendis impares ſunt, liberentur*, quomodo in peroratione ad Regem poſt Comitia anni 1701. ait Cardinalis de Noailles; id quidem æquum exiſtimamus. Similia dicimus, dum Auguſtiſſimus Imperator præliatur prælia Domini adverſus Turcas. At ſi putant Eccleſiaſticorum bonis propria auctoritate uſurpatis, nec ultro ac ſponte conceſſis, (quod ſane ab ipſorum mente alienum eſt) majores vires acquirere, & augere theſauros, magno in errore verſantur. Dominus quippe dux exercituum eſt, & Deus virtutum, & ipſe, doctore laudata hom. Chryſoſtomo, reddit non imminuentibus quod ad Clericos ſpectat e ſuperius retributiones. Direptis in Anglia Eccleſiaſticis reditibus, dirutiſque opulentiſſimis Monaſteriis, quorum cenſus computabatur librarum, quas dicunt ſterlingas, 320180. annis ſingulis; Rex omnium Regum præcedentium pauperrimus factus plura ſolus impoſuit civibus vectigalia, quam omnes ſimul per quingentos annos Anteceſſores. Vide in libro de Schiſmate Anglicano Sanderum. Emmanuelem Luſitaniæ Regem coactum remittere decimas fructuum Eccleſiæ, quas exigebat conceſſione Leonis Pontificis, proptereaquod omnia ſiniſtre ipſi evenirent, nihil feliciter ac proſpere, ſcribit lib. IX. Hiſtoriarum Oroſius. Hujuſmodi vero decimationem illegitime factam principibus peſſime ſemper ceſſiſſe, fatetur apud Meyerum libro XVI. Annalium Fland. Carolus VII. Rex Galliarum. Præclarum Clotarii Regis exemplum narrat Gregorius Turonenſis lib. 4. Hiſt. Franc. cap. 2. Igitur ipſa Reipublicæ utilitas, ac rerum Principum viciſſitudo petit ne Clericorum immunitas ratione aliqua violetur.

Sed opponunt 1. quod extat Matthæi XVII. v. ult. *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore ejus invenies ſtaterem: illum ſumens da eis pro me, & pro te.* Chriſtus ergo, & Apoſtolorum princeps ſolvere didrachma. Reſp. hoc argumentum probare oppoſitum. Eo enim loci Dominus primum ait ſe liberum eſſe a ſolvendo tributo, vel cenſu. Deinde profitetur ſe tantum pati ut ſolvatur, propter ſcandalum evitandum. *Ut autem non ſcandalizemus eos* (inquit) *vade ad mare, &c.* Hinc Auguſtinus lib. 1. de Conjugiis adult. cap. XIV. n. 15. ait: *Multa ſunt facienda non jubente lege, ſed libera caritate; & ea ſunt gratiora, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen cauſſa dilectionis impendimus. Unde prior ipſe Dominus, cum ſe tributum non debere monſtraſſet, ſolvit tamen ne ſcandalizaret eos, quibus ad æternam ſalutem gerens hominem conſulebat.* Habet ſimilia epiſt. 239. nunc 83. num. 5. Nonnulli ſunt, qui reſpondent ſermonem illic fieri de medio ſiclo ſolvendo ad uſum ornatumque templi, juxta præceptum Domini XXX. Exodi v. 13. Nam pendebat revera ſiclus viginti obolis, & quatuor drachmis, unde dimidium ſicli idem eſt, ac didrachma. Principi autem ſolvebatur denarius, ut habetur Matth. XXII. 19. Ita poſt Hilarium Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 28., Emmanuel Gonzales in tit. 49. lib. 3. Decretalium: ſed verior eſt reſponſio noſtra, primo, quoniam Chriſtus citato loco etiam ab hoc ſolvendo didrachmate liberum ſe eſſe declarat: deinde quia ea data occaſione etiam de tributo ac cenſu loquitur Dominus: præterea quia, etſi didrachma dari ſolitum pro templo veriſſimum eſt, pondere idem erat ac denarius, ideſt decem obolis, ut liquet ex citato cap. XXX. Exodi. Habent quidem ibi LXX. τὸ ἥμισυ τοῦ διδράχμου, *dimidium didrachmi*, non *didrachmum*; ſed drachma Alexandrina duplaris erat; & Matthæus loquitur de communi, & Attica. Jubente demum Vicario Chriſti in difficillimis Reipublicæ rebus perſolvendum Imperatoribus tributum minime denegamus, id exigente pace & quiete, quæ nos tueri debent & defenſare, ut habetur c. *Tributum in ore piſcis*, 2. c. 23. q. 8.

Opponunt 2. Ait Dominus Matt. XXII. 21. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei Deo.* Reſp. juſtiſſimam eſſe veriſſimamque ſententiam, ſed non ſunt Cæſaris, quæ Domino conſecrata ſunt, atque miniſtris Sanctuarii deſerviunt. Deinde ad confundendam nequitiam Phariſæorum, qui una cum Herodianis ad ipſum acceſſerant, Chriſtus tale dedit reſponſum, ex quo nihil adverſus Cæſarem, nihil adverſus divina jura poſſent maligni tentatores deprehendere, ut dum quærebant capere Dominum in ſermone, confuſi abirent; ut infra dicam ad quartam objectionem.

Opponunt 3. Scribit ad Romanos cap. XIII. Apoſtolus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.*

At-

Digitized by Google

Atque in hunc locum Chryſoſtomus, *Etiamſi Apoſtolus ſit, etiamſi Evangeliſta, etiamſi Propheta*. Reſp. & hanc ſententiam Apoſtoli eſſe rectiſſimam, omnis quippe anima tenetur Superioribus obedire, ſed juxta divinam ordinationem, qua, ut ibidem ait Apoſtolus, omnis poteſtas eſt ordinata, & directa. Eſt autem divina ordinatio, ut major ſit poteſtas Eccleſiæ quam mundi, & ſacrorum legum quam civilium. Quando ergo leges civiles non repugnant Canonicis, tenentur Clerici illas obſervare, non in quantum leges civiles ſunt, ſed in quantum jure canonico ſunt confirmatæ: ideoque licet mandata Principum legeſque ab eis latas Clerici tranſgrediantur, gaudent immunitate fori, nec a ſæculari poteſtate puniri poſſunt. Quod confeſſus eſt magnus Conſtantinus apud Sozomenum lib. 1. cap. 17. In his ergo, quæ pugnant cum Eccleſiaſticis Sanctionibus, cujuſmodi eſſet Clericos ad pugnam cogere, eiſque abſque auctoritate Eccleſiæ imponere vectigalia, ſubditi non ſunt ſæcularibus poteſtatibus, neque ſunt iſtæ juxta divinam ordinationem ſublimiores.

Opp. 4. C. *Si tributum* 2. p. decreti c. 11. q. 1. *Si tributum petit Imperator, non negamus: agri Eccleſiæ ſolvunt tributum. Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vindicandorum*.

Reſp. canonem hunc deſumptum ex Oratione Ambroſii de non tradendis Baſilicis. In ea refert S. Antiſtes Arianos ipſum circumveniſſe, ut olim Judæi Chriſtum, ad hoc ut Baſilicas traderet, quod verbis præcedentibus narrat. *Apprehendere* (inquit) *ſermones noſtros geſtiunt, ſicut Judæi, qui Chriſtum verſute ſermone tentabant: Magiſter, licet tributum dare Cæſari, aut non? Et hoc ad calumniam ſibi acceſſit impietas, ut imperiale nomen obtendant. Et ipſi poſſunt dicere, quod eorum non habeant ſacrilegium, quorum imitantur magiſterium? Et tamen videte, quanto pejores Ariani ſunt, quam Judæi. Illi quærebant utrum ſolvendum putaret Cæſari jus tributi: iſti Imperatori volunt dare jus Eccleſiæ. Sed ut perfidi ſuum ſequuntur auctorem; ita & nos quo nos Dominus & Auctor noſter docuit reſpondeamus*. Igitur reſpondet, nullo pacto Eccleſiam tradendam Imperatori, cujus non præfert imaginem: de agris vero, ac tributis, quoniam nimis importunum, ac periculoſum erat hæc etiam negare principi, cui perſuaſerant Aulici omnium habere dominium, (ut ſcribit idem Ambroſius lib. 2. Epiſt. epiſt. 14. nunc 20. claſſ. 1. & habetur in cap. *Convenior* c. XXIII. q. 8.) reſpondit ſe ea neque donare, neque denegare. *Non faciunt*, inquit poſt verba quæ objecerunt, *de agris invidiam: tollant eos, ſi libitum eſt. Imperatori non dono, ſed non nego*. Igitur in cap. *Si tributum*, affirmatur tantummodo Imperatorem tributa petere, & poteſtatem habere agrorum vindicandorum, *de facto, non de jure*. Et ita etiam Gloſſa Decreti.

Opponunt 5. Cap. *pervenit*, tit. 49. lib. 3. Decret. ſtatuitur, Clericos non excuſari e murorum cuſtodia, ſed omnes eſſe ad hoc generaliter compellendos. Reſp. hoc valere in irruptione, & imminenti periculo patriæ, quam defendere magna pietas eſt: quamquam ſunt Juriſconſulti, qui cap. *Pervenit*, non de Clericis, ſed de Clericorum ſervis cenſent accipiendum.

Opponunt 6. in C. tit. de Sacroſanctis Eccl. l. 6. *Ad inſtructiones*, & l. 11. *Neminem*, habetur ad ſolvendum pro itinere, & hoſpitio Imperatorum, etiam Venerabiles Eccleſias teneri. Reſp. non agi his locis de tributis & vectigalibus, ſed de hoſpitio, & alimentis exhibendis Regi pro cauſſa publica proficiſcenti; quæ ſi præſtare debent Clerici, non obſtringuntur his legibus, ſed Canonicis, & Decretis Joannis IX., atque hoſpitii honeſtate.

Opponunt ultimo: Si Clerici, eorumque bona fruantur immunitate, deeſt principibus robur, nervuſque ad hoſtes propulſandos, ad bella pro Reipublicæ ſalute gerenda, ad levandam ingraveſcentem annonam, ad ipſam Eccleſiam protegendam. Reſp. non talia hauriri ex ſacris literis documenta; e quibus illud magis comperimus premente fame univerſam terram, abſque tributis Sacerdotum ſolam Ægyptum inopia rei frumentariæ non laboraſſe: celebriores Iſraelitas potius retuliſſe victorias Levitis circumferentibus arcam, quam militibus arma tractantibus: ædificatum ab illis, atque exhauſtis in captivitate theſauris denuo extructum celeberrimum in univerſo orbe templum, urbemque ampliſſimam, nullum ſumptum Sacerdotibus ſuppeditantibus: e Domino, in cujus ſortem aſſumuntur Clerici, expectandum belli exitum, & omne bonum in civitate. Accedit etiam Chriſtianorum Principum, quod ſupra innuimus, experimentum. Ceterum ſi urgeat neceſſitas, tributum perſonis, boniſque Clericorum imponatur, ſed non a poteſtate ſæculari; ut poſtrema argumentatione declaratum eſt.

PROPOSITIO III. Immunitatem Eccleſiaſticam, ſive Perſonarum, ſive locorum, quocumque jure ſit inducta, nequeunt Principes ſæculares temerare, aut minuere.

Dixi, *Quocunque jure*; ſunt enim qui putant immunitatem tam locorum, quam Clericorum inſtitutam fuiſſe ſola liberalitate Imperatorum, ac Principum, eoſque poſſe illam revocare, vel imminuere: quod illegitime inferunt, ut paullo infra demonſtrabo. Pluribus Principum Conſtitutionibus immunitatem Eccleſiis, Clericiſque collatam vel confirmatam fuiſſe, non ibo inficias. Magnus Conſtantinus declaravit Clericos immunes e muneribus civilibus, ut liquet ex Cod. Theodoſiano XVI. Tit. 2. l. 1. *Clericis*, & l. 2. *Qui divino*; quam legem confirmat ipſe Conſtantinus in Epiſt. ad Epiſcopos Numid. & commemorant Euſebius lib. X. H. E. cap. 7. & S. P. Auguſtinus in Epiſt. ad Januarium 68. nunc LXXXVIII. Conſtantinum privilegia, quibus jam Clerici ac Templa fruebantur, confirmavit l. *Juxta ſanctionem*, ibi. l. 8. excipiens Clericos ab onere *Metati*, ideſt, e ſuſcipiendis hoſpitibus tranſeunte Imperatoris exercitu, aut comitatu. Addidit leges 9. *Curialibus* & 10. *Ut Eccleſiarum*, quibus Clerici exempti dicuntur ab omni civili functione, *a ſordidis muneribus*, qualia ſunt viarum inſtaurationi inſervire ſaxa aut calcem ferendo, & a negotiatorum diſpendiis, quæ dici ſolent *collationes luſtrales*. Hujus legis meminit Baſilius Ep. 279. ad Modeſtum Præfectum Præt. Orientis. Firmavit eamdem immunitatem in Epiſt. ad Taurum poſt Ariminenſem Synodum, & extremo vitæ ſuæ tempore, ideſt anno 361. l. 16. *In qualibet civitate*, ubi conſtitutionum ſuarum rationem affert dicendo, *Scientes magis religionibus, quam officiis & labore corporis, vel ſudore noſtram Rempublicam contineri*. Abrogavit quidem hanc immunitatem Julianus Apoſtata, ſed anno 368. reſtituit Valentinianus in Epiſt. ad Claudium Proconſulem Africæ, ut habetur l. 18. *Quam ultimo*. Etiam Gratianus ſancivit Clericos perſonalium munerum expertes eſſe in Epiſt. ad Cataſronium, & Tuſcianum Comitem Orientis. Theodoſius, & Juſtinianus Conſtantini, & Conſtantii ſanctiones confirmarunt, quod & præſtiterunt Imperatores alii. Vide cit. Cod. Theodoſianum lib. XVI. Tit. 2., & C. Juſtin. tit. De Clericis, & de ſacroſanctis, &c. Capitularia Caroli Magni lib. 5. cap. 148. Exdem fuerunt ſanctiones Regum Hiſpaniarum, ut conſtat ex Canone 47. Concilii Toletani IV. nec non Regum Galliarum, Clodovæi, Clotarii, Childeberti, aliorumque, de quibus Thomaſſinus de Eccleſ. diſciplina P. III. lib. 1. cap. 34. Idem de Immunitate locorum Imperialibus, Regiiſque ſanctionibus ſtatutum eſſe, haud diffiteor.

Verum etſi inſpectis duntaxat his legibus videatur Immunitas collata Principum munificentia, originem tamen ducit ex lege ſuperiori, tam divina, quam Eccleſiaſtica, ut ex dictis facile evincitur. Etenim, quantum ad perſonas attinet, propoſitione 2. producta ſunt ex ſacris libris levitarum exempla, quibus nec Artaxerxes vectigalia, aut civilia munera impoſuit; & ex Evangelio probatum eſt, Eccleſiæ miniſtros a ſolvendo cenſu Salvatoris ſententia liberos eſſe, quandoquidem Petrus Chriſto jubente ſolvit didrachma ad vitandum duntaxat ſcandalum, non quod ad ſolvendum teneretur, ut inquit Hieronymus ſup. laudatur, Ambroſius Epiſt. 1. nunc VII. num. 17. Immunitas etiam ſacrorum locorum colligi poteſt ex divino præcepto Exodi XXI. 14. ubi præcipitur evellendum quoque ex altari, *qui per induſtriam, & per inſidias occiderit proximum ſuum*, cum tamen homicidis aliis altare eſſet perfugii locus, ut conſtat ex verborum antitheſi, quia ſuperiori verſu datur aſylum illi, qui non inſidiatus occidit. Vide cap. 1. de Homicidio. Nec tenet reſponſio Alexandri Ambroſini, leges veteris Teſtamenti fuiſſe abrogatas; quippe abrogatæ fuerunt cæremoniales, & quæ figuræ erant futurorum, non quæ maxime ad Dei, templique cultum neceſſariæ videntur. Hinc Tridentina Synodus ſeſſ. 25. definit Immunitatem Eccleſiaſticam conſtitutam eſſe *Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus*, & Concilium Lateran. IV. ſeſſ. 6. *jure tam divino, quam humano*. Leges autem Eccleſiaſticas ſpectantes ad immunitatem Eccleſiaſticarum Perſonarum citavimus propoſitione 11. & quæ pertinent ad immunitatem locorum proferentur propoſitione ſequenti, ubi nonnulla dicam de Aſylis. Immunitas ergo tam divina quam Eccleſiaſtica lege fuit conſtituta. Imo illam confirmat ipſa lex naturalis ſingulis hominibus indita. Unde enim Ægyptii Reges didicerunt immunitatem auctore Joſeph conceſſam Sacerdotibus eſſe æquitati conſentaneam, niſi ex rationis præſcripto, quod Deo militantibus non ſunt imponenda vectigalium onera, nec munera laicorum? Quare Oreſtes interfecta matre Clytæmneſtra confugiens ad aram Apollinis liber evaſit? quare Pauſanias patriæ Athenarum proditionis reus aufugit ad templum Palladis, & a Thucydide redarguuntur Athenienſes, quod per vim ab ara proditore extracto auctores fuerint immiſſæ in cives peſtilentiæ? quare nemo gentilium audebat in morte rapere confugientes in Templum Dianæ Epheſinæ, ad aram Junonis, aliorumque idolorum? Lege Thucyd. lib. 1. de Bello Peloponn. Ciceronem Act. 3. in Verrem, & S. P. Auguſtinum de Civ. D. lib. 1. cap. 4. Id non alia ratione ab Ethnicis obſervatum, niſi quia naturali lumine percipiebant iniquum eſſe vim inferre inſervientibus in templo Deorum, aut illinc tamquam ad munitiſſimam arcem confugientibus. Quamobrem aſſero Imperatores ac Principes, dum Immunitatis leges tulerant, non tam beneficia contuliſſe, quam reddidiſſe debitum, eorumque conſtitutiones non intuliſſe liberalem beneficentiam, ſed æqui, rectique præſcriptionem: Eccleſiaſticos autem Paſtores conſtitutiones ipſas probaſſe, & Politicis Præſidibus nunc gratias, nunc preces exhibuiſſe, quod Eccleſia diu vexata illorum patrocinio indigeret, ut propria jura tueri poſſet, atque ab invaſoribus facilius defendere.

His præmiſſis propoſitionem demonſtro hoc dilemmate.

te. Immunitas Eccleſiæ aut Dei ordinatione & jure divino conſtituta eſt, ut nos firmiſſime aſſerimus; aut liberalitate Imperatorum & Regum, ut opinantur quidam Politici. At ſive conſtituta ſit Dei ordinatione, ſive Imperatorum Regumque liberalitate, nefas eſt ſæculari Principi ipſam immunitatem abrogare, aut circumſcribere. Et quod Principes nequeant Immunitatem violare, ſi indicta ſit ordinatione divina, extra controverſiam poſitum eſt; nemo quippe mortalium facultatem habet aut infringendi, aut coarctandi divinam conſtitutionem; neque inferior abrogare poteſt legem ſuperioris; omnis autem poteſtas Deo ſupremo legumlatori ſubjecta eſt. Atque hæc ratio efficax eſſet, etiamſi immunitas eſſet conſtituta lege tantum Eccleſiaſtica, quoniam nulla Poteſtas Politica ſuperior eſt poteſtate Petro, ejuſdem ſucceſſoribus Romanis Pontificibus abſolute, immediate, pleniſſimeque conceſſe. De qua poteſtate dictum capite præcedenti.

Inviolabilem autem eſſe Eccleſiaſticam Immunitatem, facta etiam hypotheſi, quod Principum munificentia & liberalitate ſit conſtituta, ſic demonſtro. Privilegia, tametſi beneficentia ac liberalitate Regum concedantur, niſi illis certum tempus apponatur, & conferantur abſolute, & abſque ulla conditione, perpetua ſunt, nec aliquo ſucceſſu temporis temerari poſſunt, nec revocari, nec circumſcribi. Privilegium immunitatis abſolute, nullaque conditione appoſita, ut liquet ex legibus Imperatorum paullo ante citatis, Eccleſiæ Clericiſque conceſſum fuit. Nullo ergo pacto abrogari poteſt, reſtringi, aut ratione aliqua violari. Hujus argumenti minor propoſitio, ut dixi, ex Imperialibus Conſtitutionibus manifeſta eſt; ea major pariter eſt expreſſa legibus tam civilibus, quam Canonicis, de quibus capite xxi., ubi diſſeram de Privilegiis. Deinde ipſi Imperatores ac Reges teſtati ſunt ſe immunitatem Templis, perſoniſque Deo ſacratis largiri ob utilitatem, quam Reipublicæ afferunt miniſtrantes in Sanctuario orationibus, ſacrificiis, aliiſque Eccleſiaſticis exercitationibus: ideoque Conſtantius l. *In qualibet*, confirmans latas a patre conſtitutiones pro Eccleſiaſticorum immunitate, inquit, *Sciens magis religionibus, quam officiis & labore corporum, vel ſudore noſtram Rempublicam contineri*. Quare immunitas Eccleſiaſtica, & quicquid Principes Clericis conferre, dici potius debet juſta merces, quam liberalis largitio. At privilegia hujus generis abſque manifeſta violatione æquitatis nequeunt abrogari vel minui, ut docent Juriſconſulti omnes, & ratio ipſa ſuadet. Ergo nec abrogari poteſt, vel minui Eccleſiaſtica Immunitas. Denique ſit illa donum, ſit tantum liberalis munificentia; num propterea fas erit eam temerare? Principio quod donatum eſt, nequit revocari. Præterea repetere quæ Eccleſiæ donata ſunt, eſt repetere quæ donata ſunt ipſi Deo. Repetere quæ donata ſunt ipſi Deo ſacrilegium eſt. Igitur ſacrilegium eſt repetere quæ Eccleſiæ donata ſunt. Tandem etſi detur immunitatem fuiſſe liberali Principum largitione conceſſam, donatione facta tranſiit in jus, & in poteſtatem aut Eccleſiarum, quæ ſupremo omnium Domino ſunt conſecratæ, aut perſonarum, quæ in ſortem Domini adſcitæ Eccleſiis ipſis inſerviunt. Si ergo Templa, virique Eccleſiaſtici Dei ſunt; quis poterit illis adimere quicquid aut debitæ retributionis, aut liberalis munificentiæ, aut quovis alio titulo acceptum in proprium jus tranſtulere? Expende quod beatus Ambroſius de invadentibus Baſilicas ſcribit ad Marcellinam ſororem Epiſtola edit. Pariſienſis xx. num. 16. *Mandatum denique, Trade Baſilicam. Reſpondeo nec mihi fas eſt tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum privati nullo potes jure temerare, Domum Dei exiſtimas auferendam? Allegatur Imperatori licere omnia, ipſius eſſe univerſa. Reſpondeo: Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt: Quæ Dei Deo, & quæ Cæſaris Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non ſacrorum*. Profecto quod de ſacris ædibus dicitur, idem de viris Eccleſiaſticis conſtat eſſe affirmandum. Ut planiſſimum afferatur exemplum; nonne gravi injuria afficeretur ſæcularis princeps, ſi ejus palatium invaderent cives armati, ſupellectilem diriperent, & familiares intimoſque vi extraherent, etiamſi amplas illas ædes, famulitium, rem domeſticam ex libera civium largitate poſſideret? Id quidem certiſſime, quoniam Principis jam eſſent, non civium. Ita Deo gravem afferunt injuriam, qui Domum ejus uſurpata juriſdictione gravant, reditus minuunt, tributum extorquent, ſacros miniſtros ad munera, vel onera laicalia compellunt: quamvis ipſorum largitionibus templa conſtructa eſſent, locupletata poſſeſſionibus, & Clericorum numero ac ſplendore condecorata: propterea quod hæc, ſive jure tributa ſint, ſive collata dono, jam non Cæſaris ſunt, ſed Dei. Quocumque ergo jure conſtituta ſit Immunitas Eccleſiaſtica; ſive jure divino ut noſtra fert ſententia, ſive jure præſcriptionis, ac Imperiali beneficentia a Conſtantino ad hæc uſque tempora in Chriſtianis Principibus permanente, ut politici quidam ſtatuunt: nefas eſt Immunitatem ipſam quomodolibet violari.

Neminem fore arbitror, qui opponet Juliani Apoſtatæ conſtitutionem, aut Chilperici Gallorum Regis decreta: quum nullus Chriſtianus Imperator debeat Julianum Conſtantino, Juſtiniano, ac Theodoſio præferre; neque ullus Regum Clotarium, Theodebertum, Childebertum poſthabere Chilperico, cujus mores improbos ac flagitioſiſſimos narrat lib. vi. cap. 46. Gregorius Turonenſis: præſertim cum immunitatem abrogatam a Juliano reſtituerit Valentinianus, & labefactatam a Chilperico amplieverit Clodovæus. Nemo etiam objiciet, piiſſimum Imperatorem Heraclium irruentibus in Imperium Perſis ex aureis, argenteiſque Eccleſiæ vaſis cudiſſe pecuniam: cum Heraclius non vi, & rapina ab Eccleſiis ſacram ſupellectilem acceperit, ſed mutuam, eamque ampliorem reddiderit, & annuis præterea reditibus a fiſco ſolvendis adauxerit Eccleſiaſticos cenſus. Vide Baronium ad annum 627. num. xxvii. Quod ſi aliquando Pontifices e Principibus immunitatem tamquam beneficium humiliter popoſcerunt, aut Principes illam pro libito temerarunt; id, ut diximus, tribuendum eſt conditioni temporum, Pontificum humilitati, & humanarum Poteſtatum viciſſitudini.

PROPOSITIO IV. Recte in Latina Vulgata Joſue xxi. 36. connumerantur quatuor civitates aſyli in Tribu Ruben.

De Aſylo pauca dicturus præponendam duxi facilem hanc theſim propter integritatem Vulgatæ, quam ubique tentant hæretici dilaniare. Inter civitates ergo refugii noſtra Vulgata Joſue xxi. 36. quatuor enumerat ultra Jordanem contra Jericho in tribu Ruben, Boſor in ſolitudine Miſor, Jeſer, Jethſon, & Mephaath. Hæ non habentur in Codicibus Hebræis; neque in conſcriptis tempore Thalmud & Maſoretharum, unde inquiunt aliqui Heterodoxi illas in noſtram Verſione redundare. At conſtat optime appoſitas. I. quia v. 7. habetur datas filiis Merari urbes duodecim de tribubus Ruben, Gad, & Zabulon: quæ urbes v. 34. & ſeqq. numerantur. At ſi non extarent in ſacris Bibliis commemoratæ quatuor urbes, civitates refugii non eſſent duodecim. II. quia cum recenſeantur ſingulæ urbes Levitarum, cur prætermiſſas credendum eſt aſſignatas in Tribu Ruben? III. quia hæ quatuor civitates recenſentur etiam in primo libro Paralipomenon cap. vi. 78. 79. ubi nota non Miſor poni, ſed Boſor, ideoque Miſor nomen eſt ſolitudinis, non urbis; ſignificat enim Miſor planitiem, & locum campeſtrem, in quo conditam civitatem Boſor conſtat Deut. iv. 43. ideoque in cap. 21. Joſue, ubi legitur, *Boſor in ſolitudine, Miſor, &c.* abradenda eſt virgula. IV. extant quatuor illæ civitates in vetuſtiſſimo Codice Chaldæo Ms. Complutenſi, & in edito Regii Operis a Plantino, in Græcis omnibus, in antiqua Itala, cæteriſque Latinis, præter nonnullos, quos obſervarunt Lovanienſes, expreſſæ ex aliis Codicibus Hebraicis amanuenſium oſcitantia vitiatis; in quibuſdem denique exemplaribus Hebraicis pervetuſtis additas a correctoribus, & recte appoſitas teſtatur R. Kimchi. V. In Bibliis verſu iſto carentibus deſiderati, neque poſſe alias ſummam confici, Proteſtantes complures fatentur, Glaſſius lib. 1. Tract. de puritate textus Hebræi ſect. 2. §. xv. n. 3. & Comment. in Joſuam Maſius, Amama, & Druſius, qui & laudat Venetam Editionem procuratam a Felice Pratenſi, viro noſtri Ordinis præclariſſimo, & Hebraicorum præſertim Codicum perito, ſacrarumque hiſtoriarum ſcientia ornatiſſimo.

Ex his colligimus leges Aſylorum eſſe antiquiſſimas. Dividi autem poſſunt Aſyla, ſive loca refugii in ſacra, & profana. Sacrorum principem locum tenent Eccleſiæ, in quibus cauſæ ſanguinis agitari non debent, nec inde reus criminis poteſt extrahi, ut habetur in 3. Decr. tit. 49. cap. *Cum Eccleſia*, & cap. *Inter alia*. Idem extat in C. de his, qui ad Eccleſ. l. 13. & 14. neque adimitur privilegium immunitatis Eccleſiæ non conſecratæ; quia locus divinis obſequiis dedicatus nullius eſt temerariis uſibus profanandus. Ita caput, *Eccleſiæ, in qua divina*, ejuſdem tit. 49. Extenditur immunitas ad Cœmeteria, & loca Eccleſiæ adhærentia, juxta c. 35. *Definivit*, Cauſſa xvii. q. 4. Diſtantia tamen paſſuum ibidem determinata ad paſſus triginta, abſque domorum extraneorum receptaculo, eſt e locorum conſuetudine, uſque petenda. Polluto tamen atrio vel cœmeterio Templum interius minime violatur, quoniam immunitas amplianda eſt, violatio autem reſtringenda, juxta regulam xv. in fine 6. *Non debet*, & juxta Juris axiomata, *Beneficium eſt interpretandum largiſſime; Odia reſtringi, favores convenit ampliari*. Hoc aſyli privilegio minime fruuntur publici latrones, nocturni depopulatores agrorum, & qui obſident publicas ſtratas aggreſſionis inſidiis; inquit Innoc. III. cit. cap. *Inter alia*. Item nec qui in ipſis Eccleſiis, vel earum cœmeteriis homicidia, & mutilationes membrorum committere non verentur, eo quod *fruſtra legis auxilium invocat, qui committit in legem*, ut habetur cap. *Immunitatem Eccleſiaſticam*, ejuſdem tituli 49. poſtremo. Adduntur Conſtitutione Gregorii XIV. *Cum alias*, confirmata & ampliata a Benedicto XIII. & Clemente XII., *qui proditorie proximum ſuum occiderint, aut aſſaſini, vel hæreſis, aut læſæ majeſtatis in perſona ipſiuſmet Principis rei*.

Gaudent eodem aſyli privilegio Baptiſteria, quæ ſunt alicubi e Templis ſejuncta, ut Romæ quod appellatur Conſtantini, Senis conſtructum ad radices Cathedralis, Piſis elegantiſſimum extra fores majoris Templi, Floren-

tiæ

tiæ ſitum e regione Cathedralis Eccleſiæ, Martis olim fanum. Sacroſancto Baptiſterii loco etiam e barbaris, ferocibuſque hominibus reverentiam quamdam exhibitam ſcribit lib. 2. H. E. cap. 8. Evagrius. Ipſummet jus aſyli conſecuta ſunt Epiſcoporum Palatia ex Conc. Aurelianenſi 1. c. 3. & ex Cap. *Id conſtituimus*, 36. xvii. q. 4., omnibus proſus Juriſconſultis fatentibus, ut inquit Cardinalis Thuſcus v. *Immunitas*, Concl. lxx. n. 24. De Domibus Eminentiſſimorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium extat Conſtitutio Leonis Decimi, & omnium pariter DD. conſenſus. Accedunt Hoſpitalia auctoritate Epiſcopi erecta ex definitione Urbani IV. cap. *Ad hæc* 4. de Religioſis domibus, tit. 36. lib. 3. Similiter quælibet virorum, ac mulierum Monaſteria, de quorum ampliſſimis exemptionibus legantur Bullæ Pii IV. *Dum ad uberes*, anno 1566. emanata, aliorumque Romanorum Pontificum Conſtitutiones.

Eſt autem ſacrorum locorum aſylum tanta æquitate ſtatutum, ut illius rationem habuerint etiam idolorum cultores. Religio enim erat ad ſupplicium non trahere confugientes ad templa, araſque Deorum. Memorat S. P. Auguſtinus in primo de Civ. D. cap. iv. Aſylum Junonis, demonſtrans quanto majoris ſecuritatis illo, quod elegerat Græculorum avaritia & ſuperbia, ſint ſacra Chriſtianorum Aſyla, memoriæ ſcilicet Apoſtolorum, quibus etiam Barbari pepercerunt. Magna quippe vis auri e Vaticano ſurrepta juſſu Halarici reddita eſt, auctore in vii. Hiſtor. Oroſio. De aſylis Gentilium accipiendum illud Plauti in Moſt. Act. v. ſc. 1. *Ego interim hanc aram occupabo*; teſtivumque alterum Juvenalis Satyra 14.

Falſus erit teſtis: vendet perjuria ſumma
Exigua, Cereris tangens aramque, pedemque.

Verum de his plura Georgius Ritterſhuſius. Hunc morem confugiendi ad aras derivatum ex legibus Hebræorum infertur ex Cap. xxi. Exodi v. 14. & cap. 1. libri iii. Regum v. 50. Epropter Græcorum more etiam Rex Demetrius Templo Judæorum jus dedit aſyli, lib. 1. Mach. cap. x. v. 43. De Aſylo Delubri Hierocæſarienſis videndus Tacitus in tertio Annalium.

His perfugii locis, quæ tam fideles, quam Ethnici habent inviolabilia, & quæ ſacra dicuntur, addit aſyla propria ac profana jus Romanum, vel Gentium. Romulus aſylum conſtituit inter Palatium & Capitolium, lucum quem veteres appellavere Quercetum; Virgilius viii. Æneid.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer aſylum
Rettulit, & gelida monſtrat ſub rupe Lupercal.

Datum olim jus aſyli ſtatuis quoque, ac ſepulcris Principum, ut Athenis Theſei, Romæ Julii Cæſaris. Eſt & refugii locus propria domus, præſertim apud Græcos, quorum pervulgatum illud eſt, Οἶκος φίλος, Οἶκος ἄριστος, *Domus amica, domus optima*. Civem de domo ſua extrahi non poſſe, habetur ff. De in jus vocand. l. 19. quæ tamen lex fallit in criminalibus. Hujus aſyli præ ceteris Italis rigidi defenſores habendi ſunt, quemodo patet ex libro 1. Statuti patria lingua conſcripti cap. 217. finitimi noſtri Lucenſes. Atque hæc de Immunitate, & Aſylo.

CAPUT XVIII.

De Collectionibus Canonum, iis maxime, quas adornarunt Iſidorus, & Gratianus.

FUERUNT Canonum, quorum complexio corpus Juris-Canonici appellatur, Collectores plurimi, Dionyſius cognomento Exiguus Monachus Scytha, Fulgentius Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus, Creſconius de quo ad an. 527. Baronius, Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, Burchardus Monachus, Ivo Carnotenſis, Deuſdedit Cardinalis, aliique, in Præf. Decretalium, in Apparatu Emmanuelis Gonzalez, & in vii. Annalium Eccleſiaſticorum Tomo p. 137. Digni ſunt, qui ſpeciatim commemorentur, Iſidorus, & Gratianus. Iſidori nomen præfert perantiqua Collectio, quæ protenditur a Canonibus Apoſtolicis ad ſecundam Synodum Hiſpalenſem, & complectitur etiam veterum ante Siricium Pontificum Decretales. Gravis de harum authenticitate viguit poſt Joannem Wicleſum controverſia; ac permulti ſuppoſitas habent, non ſolum hæretici, verum etiam eruditi Catholici, diſcrimine tamen, & meliori judicio. Cum autem vindicandas ſuſcepiſſet Franciſcus Turrianus, hunc acerrime confutavit Blondellus; atque ſententia Eruditorum hic meliorem cauſſam hac in parte defendit, quamquam in Eccleſiæ doctrinam Decretalibus illis contentam nimis injurioſus. Aliud eſt inquirere an Decretales antiquorum illorum Pontificum ab Iſidoro collectæ genuinæ ſint, aliud an erroneis dogmatibus ſcateant. Et ſpurias & heterodoxas autumant cum Blondello Novatores alii; autographas, catholicaſque cum Turriano nonnulli Noſtrates. Viri docti mediam tenent viam: & interpolatas eſſe concedunt, & ſanæ doctrinæ: Ita Petrus de Marca lib. 3. Concord. cap. 6. Ant. Auguſtinus in Notis ad Capitula Adriani, Antonius Pagius ad an. 100. num. 4. & ſeqq. Franciſcus Pagius in Anacleto, Joannes Bortonius V. S. Ref. in Diſſert. Iſagogica præmiſſa Decreto Gratiani pag. cx. aliique communiter.

An hujus Collectionis Auctor fuerit Iſidorus Hiſpalenſis, an Iſidorus Mercator, incertum plures exiſtimant. Hiſpalenſi tribuunt Hincmarus in libro de Synodis, Trithemius, alii: Mercatori autem, vel alteri, qui ſub Mercatoris nomine Collectionem illam fabricaverit, Schaleſtratius Tom. 2. Antiq. Eccleſ. diſſert. 3. cap. 5. art. 5. num. 3. Franciſcus Pagius ib. n. 3. & alii recentiores. His abſque fluctuatione ſubſcribimus: nam in vetuſto Codice S. Mariæ ſupra Minervam legitur Præfationis initio: *Iſidorus Mercator ſervus Chriſti lectori conſervo ſuo*; nec aliter in Vaticanis: quo loco in impreſſis eſt, *Iſidorus peccator*, &c. In hac præterea Collectione fit mentio Concilii Generalis ſexti, aliarumque Synodorum, ac Pontificum Iſidoro Hiſpalenſi demortuo anno 636., poſteriorum. Sexta enim Synodus, ſive Conſtantinopolitana III. celebrata eſt anno ſalutis DCLXXXI.

Collector alter Canonum, de quo pertractandum eſt, fuit Gratianus Monachus Cluniacenſis. Is Cluſii in Etruria natus S. Benedicti Inſtitutum amplexus eſt Bononiæ in Monaſterio S. Proculi; ſed inde tranſiit ad alterum SS. Felicis & Naboris, ibique collectionem Canonum adornaſſe conſtat ex lapide Sacrarii inſcripto his verſibus:

Hanc habe partem Lector, reverenter adora;
Namque loci Monachus Decretum hic condidit hujus
Divinum Gratianus Opus, &c.

Deſiderant quidem omnes in Gratiano methodum; habet enim pleraque involuta, nonnulla præpoſtera, & multa alieno loco digeſta. Quamobrem (inquit Ivo Carnotenſis in Præfat.) qui in Gratiani volumine methodum, ſine qua διδακτικὸς eſſe nemo poteſt, velligant, videntur non diſſimiles iis, qui delphini in ſylvis, aut in fluctibus apri venationem inſtituunt. Sed barbara, quibus floruit, tempora nævum iſtum excuſant, ſtudiumque ac laborem extollunt. Methodum itaque prætereuntes, exquiremus de hujus collectionis auctoritate, quam aliqui nimis deprimunt, aliqui vero nimis efferunt, cum medium hic quoque teneant viri docti, & ingenui. At a decretalibus Iſidorianis initium ducendum eſt.

PROPOSITIO I. Decretales veterum ante Siricium Epiſtolæ ab Iſidoro collectæ, ſunt interpolatæ, & magna ex parte ſuppoſitæ, non tamen rejiciendæ tamquam Apoſtolicæ doctrinæ, fideique adverſantes.

Prima pars probatur 1. ex Epiſtol. Leonis IV. quæ extat Tom. 8. Conc. Labb. p. 32. ubi n. 6. ait Pontifex regulas Decretalium & Canonum tunc temporis apud Sedem Apoſtolicam extantium, & quibus in omnibus Eccleſiaſticis utebatur judiciis, eſſe, *Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Carthaginenſium, Africanenſium, & cum illis regulas Præſulum Romanorum, Sylveſtri, Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilarii, Symmachi, Simplicis, & Gregorii Junioris. Iſti omnes ſunt, per quos judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul, & Clerici judicantur.* Habetur & in cap. *De libellis*, diſt. xx. Tempore itaque Leonis IV. an. 847. non extabant in Collectione Canonum Iſidoriana Decretales Anacleti, Evariſti, aliorumque veterum Pontificum ante Siricium. Additionem hic factam non in Epiſtola Leonis, ſed in Codice, qui Romæ ſervabatur, ante dimidium octavi ſæculi opinatur doctiſſimus P. Couſtant. At Baronius hanc ſuſpicionem diſimit; nam Codicis, quo ſub Leone IV. Romana Eccleſia utebatur, extant in Vaticana tria antiqua Exemplaria Mſſ. in quibus omnibus eodem ordine Canones ſunt diſpoſiti, deinde decreta Pontificum, quorum ſeriem inchoat Siricius. Tria alia Mſſ. his concordantia extare in Monaſterio Erbachenſi, *ſuſcipienda propter admirandam antiquitatem*, teſtatur in Præf. Joann. Wendelſtinus. Ex his expreſſa eſt an. 1525. editio Moguntina, in eadem Bibliotheca Vaticana n. 2338. Addit Pagius Codicem Vigilanum compilatum anno 876. Atque hi omnes Codices ſunt ad confirmandam theſim capita argumentorum. Videtur tantum, ut ex Marca adnotavit laudatus Bortonius, ſuperinductum nomen Silveſtri, quod in Codice Canonum minime extat.

Suppoſitas Decretales illas alia plura momenta commonſtrant. Obſervavit Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis in Notis ad Capitula Adriani in Iſidoriana Collectione uſurpari eadem verba legum Imperialium, & Scholion appoſitorum ſub Aniani nomine ad Codicem Theodoſianum, & Blondellus improbo labore ſcrutatus eſt, unde ſententias, verbaque ipſa Conſarcinator compilaverit. Verum argumentatio iſta, quam pluris faciunt, vix a me extorquet aſſenſum; nam ſi Pſeudo-Iſidorus compilavit Scholia Aniani, potuit & Auctor τῶν σχολίων e monumentis veteribus plura exſcribere. Apocryphæ ſunt tamen Epiſtolæ Iſidorianæ: quod præter dicta comprobat ſtylus, & ſparſa per omnes ſimilitudo jejuna & diſſipatæ orationis, quæ nec diverſis Auctoribus poteſt adjudicari, nec oſtentat ſecundi ſæculi comptam & elaboratam idoneorum verborum circuitionem. Accedit ſilentium veterum, quibus fuerunt ignotæ; & frequens citatio textuum juxta Vulgatam, quæ obtinuit poſt Hieronymi ætatem. Sed de his uterque Pagius.

Alteram propoſitionis partem demonſtro 1. ex Epiſtola 42. Nicolai I. citata Tom. viii. Conciliorum p. 799. & cap. *Si Romanorum Pontificum*, diſt. 19. in qua ſummus Pontifex ſcribit ad Epiſcopos per Gallias conſtitutos: *Si ideo*

non

non eſſe decretales epiſtolas priſcorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habentur adſcriptæ: ergo nec ſancti Gregorii, nec ullius alterius, qui ante vel poſt ipſum fuit, eſt aliquod inſtitutum, vel ſcriptum recipiendum, eo quod in Codice Canonum non habeatur adſcriptum. Ergo doctrinam eorum, & ſanctiones, quæ ab omnis lingua venerantur, quia in Codice Canonum non habentur adſcriptæ, de codicibus ſuis eradant. Quod cum fieri nequeat, jure optimo infert Nicolaus Collectionem Canonum non confirmare, nec imminuere decretalium Pontificum auctoritatem. Cujus rei ſubinde cauſſam ſatis congruam producit, quod omnia in uno corpore compaginari non poſſint. Addo, quod Collectores nequeunt decretis Pontificum aliquam firmitatem tribuere. Rejicere itaque Collectionem Iſidorianam eo quod Decretales plures in vetuſto Codice non habeantur, temerarium eſt & iniquum.

II. Quamquam non ſunt Decretales omnes Iſidorianæ genuinæ, nec Collectio ipſa autographa; omnes tamen tamquam ſpurias expungere imperitorum eſt, atque impudentium. Suppoſitæ enim ſunt tres Decretales Anacleti, duæ Evariſti, tres aliæ Alexandri, quam diſt. 1. cap. *Nocte ſancta*, 48. de Conſecrat. affert Gratianus, Teleſphori, duæ Pii ſucceſſoris Aniceti juxta Optatum & Auguſtinum, Præceſſoris autem juxta Irenæum & Euſebium, aliæ duæ Soteris, ſuſpectæ fidei quatuor Victoris, duæ item affictæ Zephyrino, ſpuria unica ſancti Urbani, ſuſpecta decretalis Anteri, exploſæ pariter tres Fabiani, pſeudigrapha quæ tribuitur Lucio, item duæ ex adſcriptis Stephano, Sixti II. aliæ duæ, altera ſaltem Dionyſii, tres ſub nomine S. Felicis, duæ item Marcellini, duæ aliæ Marcelli, tres S. Euſebii, una Melchiadis, Epiſtola S. Marci, ſuppoſitum denique Damaſo Decretum de Libris recipiendis. Hi ante Siricium ſederunt. De quorum Epiſtolis legendi eximii viri Lupus, Pagius, Labbeus, Couſtant. De Epiſtolis S. Stephani ad Cyprianum erudite pertractat P. Miſſorius, qui edendis FF. Minorum Conventualium Annalibus Operam dat egregiam. De ipſius perpolita Diſſertatione ambiguum eſt virorum Doctorum judicium. At plurimas veterum Pontificum Epiſtolas ab antiquis PP. & Hiſtoricis laudatas, uti Julii I. citatam in 2. Apologia S. Athanaſii, Liberii commemoratas ab Hilario in fragmentis, Damaſi ad Epiſcopos Illyrici, de qua Theodoritus lib. 2. H. E. cap. 22., aliaſque complures in dubium revocare non poſſumus. Oportet ergo, ut recto criterio genuinæ diſtinguantur a ſpuriis, non autem cæco ac præcipiti judicio ſingulæ repudientur.

III. Illæ etiam Iſidorianæ Epiſtolæ, quæ ad adulterinas amandantur, non ſunt temere reſpuendæ, primo quoniam ſtatim ac prodiere, illas receperunt, probaruntque Eccleſiæ Gallicanæ Præſules, auctore Marca lib. 3. Conc. cap. 6. Deinde illis tamquam conſentientibus Patrum traditioni, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ uſi ſunt Fideles communiter uſque ad tempora Concilii Conſtantienſis, annum ſcilicet 1414. Conſecratæ etiam fuerunt Scholarum uſu, Commentariis interpretum, aliorumque Collectorum uſurpatione. Præterea in iis contineri dogmata cum recta fide pugnantia, prætextum hæreticorum mendacium eſt. Inſuper Catholicorum conſenſio, & uſus univerſalis, ſententiarum condecentia, & cum Scripturis, ac Patribus harmonia, illarum orthodoxiam aperte demonſtrant. In laudata demum Synodo Seſſ. VIII. damnata eſt 38. propoſitio Wiclefi, *Decretales Epiſtolæ ſunt Apocryphæ: ſeducunt a Chriſti fide: & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eis.* Cujus propoſitionis priorem partem eſſe univerſaliter falſam, alteram hæreticam, tertiam ſcandaloſam poteſt quiſque deducere ex hactenus diſputatis.

PROPOSITIO II. Canones collecti a Gratiano non aliam habent auctoritatem, quam fontium, locorumque, unde ſunt derivati.

Ita Auditores Sacræ Rotæ Deciſ. apud Pen. 480. n. 18. *Nec refert illos Canones recenſeri in Decreto a Gratiano compilato, quia cum Gratianus non publica auctoritate infinita quæque illa Canonum Eccleſiaſticorum, & legum etiam ſæcularium Capitula in ſuum librum congeſſerit, nec legis condendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice liber ille tamquam authenticus & legalis approbatus fuerit, inde fit, ut quilibet Canon inde relatus ex eo tantum quod ibi referatur non habeat majorem auctoritatem, quam in proprio loco conſiſtens de ſui natura eſſet habiturus: nec Gregorius Decimuſtertius Gratiani librum tamquam legalem authenticavit, cum ſolum emendari juſſerit, & emendationes ſive additionibus, aut detractionibus mandaverit obſervari.* Videatur Bulla Gregorii, *Cum pro munere*. Accedit quod adhuc poſt limam Gregorii extant in Decreto Gratiani errores aliqui, de quibus legendus P. Placidus Bokn ejuſdem Benedictini Inſtituti in Controv. Juriſprud. lib. 1. Tit. 2. p. 2. q. 2.

Conſequitur ex dictis Canones Conciliorum Generalium a Gratiano productos habere auctoritatem pleniſſimam, quia talem quoque in ſe habent. Decreta Conciliorum Provincialium inviolabilia tantum eſſe in diœceſi ac Provincia, pro qua ſtatuta fuerunt, ſpectata approbatione & confirmatione Pontificis, per quam tamen, niſi exprimatur, canon provincialis Synodi non ſtringit univerſos, quoniam ut Barboſa docet v. *Confirmatio*, aliique J. CC., approbatio & confirmatio addit quidem canoni robur ac firmamentum, ſed minime illum reddit ampliorem. Pari jure ſequitur leges Imperatorum, etſi Conſtitutionibus Pontificum inſertæ ſint, in foro Canonico non valere, nam inſertæ tamquam receptæ cenſentur. Patribus autem, Hiſtoricis, cæteriſque Canonum Collectoribus ſuam ſtare ſingulis auctoritatem; ipſi autem Gratiano, ubi proprio loquitur ſenſu, non aliam, quam privato Doctori, tametſi ob plurimorum approbationem non humili, atque vulgari. Idem dicendum de *Paleis*. Unde vocabulum iſtud eruperit, abſque utilitate diſquirunt. Dictas *Paleas* a quodam diſcipulo Gratiani Palea, aut Protopalea nuncupato, ego ſane non arbitror; & hunc Paleam Cluniacenſes, aliique Benedictini prorſus ignorant. Appellari Paleas, quaſi τὰ παλαιά, ideſt, *antiqua*, probabile eſt, tametſi non reperiantur in vetuſtis codicibus, auctore Fagnano. Ab adverbio πάλιν, *rurſus*, quidam deducunt, eo quod ſint additiones factæ Decreto. Solent vocabulis Græcis propria nomina, librorumque tituli paſſim conflari: vulgavitque paucis ab hinc annis vir doctus Philoſophicas Inſtitutiones *Neopaleas*.

Poſt Gratianum variæ adornatæ ſunt Canonum Collectiones; ſed prætermittenda ſilentio non eſt elaborata anno 1230. a S. Raymundo de Pennafort Ordinis Prædicatorum. Eſt hæc, quæ nomen præfert Decretalium Gregorii IX. Accedit ea, quæ dicitur liber Sextus Decretalium, publicata anno 4. Pontificatus Bonifacii VIII., ideſt anno Domini 1298. Addidit Joannes XXII. Conſtitutiones Clementis V. quæ vulgo appellantur Clementinæ, atque his acceſſere ab ipſo Joanne editæ, quas appellant Extravagantes. Sequuntur Extravagantes communes, ideſt a diverſis Pontificibus editæ; quibus & addidit celebris Juriſconſultus editas poſt omnes Extravagantes ſub nomine libri Septimi Decretalium. Ita Corpus univerſi Juris Canonici his libris conſtat, Decreto Gratiani, Decretalibus Gregorii IX. Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus Joannis, Extravagantibus communibus, & Septimo Decretalium. Hic tamen poſtremus eſt Corpori ſuperadditus.

Dividitur Decretum Gratiani, ſive Concordia diſcordantium Canonum in tres partes. Quarum prima continet Diſtinctiones CI., & in unaquaque diſtinctione plures ſunt Canones. Pars altera complectitur Cauſas triginta ſex, atque in cauſis ſingulis eſt ordo quæſtionum, in quæſtionibus Canonum: ſed Cauſſa XXXIII. quæſtionum loco complectitur ſeptem diſtinctiones. Tertia pars de Conſecratione inſcribitur, & partitionem habet diſtinctionum quinque.

Gregorii IX. Decretales quinque libris comprehenduntur diſtinctis titulis, & Capitibus. Continet liber primus titulos tres & quadraginta: ſecundus triginta: tertius quinquaginta: quartus viginti unum: quintus unum & quadraginta. Sunt autem in omnibus titulis capita ſuis numeris diſtincta.

Sextus Decretalium in alios quinque diviſus eſt. Sunt in primo tituli vigintiduo: in ſecundo tituli quindecim: in tertio tituli vigintiquatuor: in quarto tres tantummodo: in quinto tituli duodecim. His ſubjiciuntur Regulæ Juris LXXXVIII.

Clementinarum pariter quinque libri extant: in quorum primo connumerantur tituli undecim: in ſecundo duodecim: in tertio decem ac ſeptem: in quarto unicus extat titulus: in quinto undecim habentur.

Extravagantes Joannis titulis quatuordecim unius libri ſunt diſpoſitæ. Communes vero continentur libris quinque. Tituli in primo novem: in ſecundo tres: in tertio tres ac decem; in quarto locus eſt vacuus: in ultimo decem tituli inveniuntur. De ſeptimo extra Corpus, ut vocant, Juris non opus eſt plura dicere.

Hæc ideo conſcripta a me ſunt, ut Tirones Canonum citationes non omnibus pervias dignoſcerent. Ex Decreto itaque Gratiani hoc pacto Canones laudantur. Ex prima parte: C. *Si Romanorum*, diſt. XIX. ideſt, in Canone, qui incipit, *Si Romanorum*, in diſtinctione XIX. Ex ſecunda parte ſic proferuntur: *Can. Nullus Epiſcoporum. III. quæſt.* 5. ideſt, Canone, qui incipit, *Nullus Epiſcoporum*, Cauſa tertia, quæſtione quinta. Sic ex tertia parte allegantur: C. *Qui manducant*. 58. *diſt.* 2. *de Conſecratione*, ideſt, Canone, qui incipit, *Qui manducant*, ordine quinquageſimo octavo, diſtinctione ſecunda partis tertiæ Decreti, quæ inſcribitur de Conſecratione. Contenta in Decretalium Gregorii quinque libris allegantur hoc pacto: *Cap. Recolentes*. 3. *Extra de ſtatu Monach.* nempe, Capitulo, quod incipit, *Recolentes*, tertio, quod eſt Extra Gratiani Decretum, ideſt in Decretalibus Gregorii IX. Titulo de ſtatu Monachorum. Quæ autem proferuntur ex Decretalium ſexto, ita laudantur: *Cap. Si Apoſtolica, de Præbendis in* 6. videlicet in Capite incipiente, *Si Apoſtolica*, quod extat Titulo de Præbendis in Sexto Decretalium. Proferuntur ſimiliter reliqua. Sit in exemplo: Cap. *Si a Judicibus*, de Appellat. in Clement., ſcilicet, Capitulo, cujus initium eſt, *Si a Judicibus*, quod habetur in Clementinis, titulo de Appellationibus. *Cap. Sancta Romana, de Religioſis Domibus in Extrav. Joan. XXII.*, aut *Cap. Vas electionis, de Hæreticis in Extrav. Comm.* Singulorum Canonum definitiones ſufficienter explicat Decretum Abbreviatum, quod ſoluta oratione, & carmine præmittitur Corpori Juris Canonici in editione Coloniæ Munatianæ, ideſt, Lugduni, cui hoc nomen a L. Munatio Planco, lectu dignum, & quambreviſſimum.

CA-

CAPUT XIX.

Quanta ſit Apoſtolicorum Canonum auctoritas.

DECRETO Gratiani, & Conciliorum voluminibus addi ſolent Canones, qui dicuntur Apoſtolici: de quorum antiquitate ac origine non idem eſt Scriptorum judicium. Auctoritate Apoſtolica conditos, & antiqua traditione ad nos derivatos ſcribunt Severinus Binius, Franciſcus Turrianus, Lambertus Gruterus, Lindanus, aliique plures, quorum ſententia eſt fuiſſe per Clementem in unum congeſtos. Nonniſi vergente ad finem quinto Chriſtiani nominis ſæculo editos arbitratur Dallæus, cui videtur accedere in Vindiciis Epiſtolarum Ignatii Joannes Pearſonius. Neque digeſtos ætate Apoſtolorum, neque tam ſero fabricatos, ſed editos ſecundo, aut ſaltem tertio ſæculo ineunte ſentiunt Merca, Albaſpinæus, & etiam Beveregius, Hammondus, Blondellus, Joſephus Scaliger. Plura de his legi poſſunt apud Antonium Pagium ad an. 100. n. 10. & ſeqq. Natalem Alexandrum diſſert. XVII. I. ſæculi, Schelſtratium 2. p. Antiq. Illuſtr., & laudatum Beveregium in altero Tomo PP. Apoſtolicorum Cotelerii. Nos autem nonnulla, quæ ad hanc ſolvendam quæſtionem videntur idonea, ſubjectis theſibus proferemus.

PROPOSITIO I. Canonum Apoſtolicorum certus numerus definiri non poteſt.

Probatur I. quoniam recepti olim ab Orientalibus, & quos habemus ex interpretatione Gratiani Herveti, ſunt numero LXXXIV., & qui obtinuerunt apud Occidentales numero tantum L. Inter iſtos autem quinquaginta eſt canon valde ambiguus XLV. de Baptiſmo Hæreticorum; quem, ſi anno CCLVI. notus fuiſſet PP. Occidentalibus, profecto Firmilianus in Epiſtola ad Cyprianum hoc anno adverſus Stephanum ſcripta, aut Rebaptizantium aliquis laudaſſet. Eſt enim ille Canon, *Epiſcopum, aut presbyterum, qui hæreticorum baptiſmum, vel ſacrificium admittit, deponi jubemus. Quæ eſt enim conventio Chriſti cum Belial? vel quæ eſt pars fidelis cum infideli?* Videtur ergo iſte Canon a Rebaptizantibus ſcenis, aut Synodis congeſtus, ut Baluzius, & Pagius adverterunt, quo conſuetudinem a Stephano laudatam aliquo præſidio repudiarent. II. Cap. *Sexaginta*; d. XVI. numerantur canones Apoſtolici 60. ex Epiſt. 1. Zephyrini, in cujus tamen textu habetur numerus LXX. Quinquaginta autem numerantur ſeq. Cap. *Clementis*. At proximo Cap. *Placuit*, dicuntur confirmata & rata cap. 2. VI. Synodi *Canonum Apoſtolorum* LXXXV. *Capitula*. Verum Sextam Synodum nullos addidiſſe canones, conſtat ex Act. 4. & 5. ſecundæ Nicænæ, inquit Binius Tom. 1. pag. 53. Collect. Labbeanæ. III. Etſi non omnes Canones, qui extant in Collectione LXXXIV. Herveti, plures tamen perantiquos eſſe, etiam præter L. communiter receptos, Eruditi omnes fatentur, & conſtabit ex ſubjecta aſſertione; cum prima ad hunc modum ſe habeat.

PROPOSITIO II. Canones Apoſtolici etiam primis Eccleſiæ ſeculis obtinuerunt.

Probatur I. ex Nicæna Synodo celebrata anno CCCXXV. Hæc enim Canone 1. de Eunuchis præſcribit, quod ſi aliqui a Dominis vel barbaris caſtrati ſunt, inveniuntur autem alioquin digni, a Clericorum ſtatu non excludantur, *Tales quippe* (inquit) *admittit Canon*. Qualem vero Canonem putas, niſi 21. Apoſtolicum prohibentem ne Clericus efficiatur de Eunuchis ille tantum, qui amputaverit ſibi ipſi virilia? Definitur etiam 2. ejuſdem Synodi Canone, ne ſtatim nuper baptizati ad Epiſcopatum, vel Preſbyteratum promoveantur, *contra Eccleſiæ Canonem*. At hunc Canonem quis ignorat eſſe inter Apoſtolicos LXXX.? Quinto inſuper canone ſancitur, quiab aliis ejecti ſunt, ab aliis non eſſe admittendos, *juxta veterem Canonem*. Hunc canonem adinvenies inter Apoſtolicos n. XXXII. Decimo Nicæno canone citatur *Canon Eccleſiaſticus*: atque hunc non alium eſſe, quam LXI. Apoſtolicum, eruditi viri obſervarunt. Synodum ergo Nicænam Apoſtolici utique Canones præceſſere. Adde in hujus argumenti confirmationem, Conſtantinum in Epiſtola ad Euſebium & Antiochenos Epiſcopos citare Canonem Apoſtolicum XXII., unde conſtat, inquit Pagius n. 2. hos canones ante Synodum Nicænam fuiſſe cognitos.

Deinde probatur ex Synodo Antiochena celebrata anno CCCXLI. Editi in ea Canones XXV. quos cum Apoſtolicis convenire, liquet ex illorum collatione Tom. 2. PP. Apoſt. Cotelerii pag. 17. Appendicis. Me non latet, Cl. noſtrum Lupum in Notis ad can. 26. Chalcedonenſem ambigere, num canon Apoſtolicus XLI. de rebus Eccleſiæ per Epiſcopum, vel Œconomum ejus curandis ſit revera Apoſtolicus, cum lucida mixtura appareat compoſitus ex 26. Chalcedonenſi, & duobus ultimis Antiochenis. Tanti quidem viri judicium comprobat canonum ipſorum collatio. At neque id hanc proſternit & labefactet poſitionem, quoniam ſtat adhuc canonem illum XLI. tametſi ex Antiochenis dicatur conſarcinatus, perantiquum eſſe; idque Lupus ipſe fatetur: & reponi poteſt non ex Antiochenis Apoſtolicos, ſed ex Apoſtolicis Antiochenos eſſe conflatos. Enimvero qui ſingulorum concordantiam perpendunt, vident Apoſtolicos non tam eſſe perſpicuos & amplos, licet floridæ phraſeos priſtis ſæculis congruentis: ampliores autem eſſe Antiochenos, ac talis ſtructuræ, ut quæ facile conjicias iſtos illorum eſſe rivulos potius, quam fontes.

Tertio probatur Aſſertio Patrum auctoritate, Athanaſii, qui Nicænæ Synodo interfuit, & Baſilii Cæſareæ in Cappadocia Antiſtitis jam ab anno 370. Nam Athanaſius in Epiſtola ad Orthodoxos diſſerens adverſus Gregorium Cappadocem juſſu Præfecti Ægyptiorum intruſum in ſedem Alexandrinam, ait: *Non enim nunc dierum Canones & typi Eccleſiis dati ſunt, ſed a Patribus noſtris pulchre, firmiterque traditi fuerunt*. De conſimili autem controverſia nullum invenies canonem Athanaſii ætate priorem, niſi ſit ille Apoſtolicorum LXXIII. Item in Apologia de fuga ſua conqueritur velle Arſenium ſe Eccleſiaſtico Canoni juxta vetus inſtitutum ſubjici, aperte verba faciens de Apoſtolico Canone LV. aut XXX. Baſilius vero in Epiſtola ad Amphilochium laudat antiquum canonem, quo deponendus declaratur Diaconus fornicationis convictus: quem porro canonem liquido conſtat eſſe Apoſtolicorum XXV. in Collectione Dionyſii, XXIV. in Hervetiana. Adverte nos minime aſſerere omnes omnino Canones Apoſtolicos, qui numerantur LXXXIV., vetuſtos eſſe & receptos ante exactum ſæculum tertium; ſed eos tamquam ex Apoſtolica traditione, aut ex doctrina Apoſtolorum credimus derivatos, qui cum Eccleſiæ Romanæ inviolata fide per omnia conſentiunt. Quare non ſunt ſinguli indiſcriminatim firmiſſimi, ſed exploduntur aliqui, præſertim LXV. de depoſitione Clerici, ſi jejunet die Dominico, vel ſabbato, & LXXXIV. de Canone Scripturarum.

Ex Apoſtolicis fontibus fluxiſſe L. a Dionyſio translatos certiſſime tenent quamplurimi cum Baronio ad Annum CII. num. XII. De his habetur decretum Stephani Papæ IV. in Synodo Lateranenſi celebrata contra Iconomachos anno 769. Act. IV. *Non amplius ſuſcipiantur Apoſtolorum canonum prolata per ſanctum Clementem, niſi quinquaginta capita, quæ ſuſcipit ſancta Dei Catholica Romana Eccleſia*. Hos ergo & nos recipiamus oportet, ſed iſtos, alioſque juxta approbationem, ac ſenſum Apoſtolicæ Sedis. Neque repugnat decretum Gelaſii cap. *Sancta Romana*, diſt. XV. ubi legitur: *Liber Canonum Apoſtolorum Apocryphus*. Primo quia Gelaſius loquitur de libro Canonum LXXXIV. non de L. Capitulis, ut ſcribit Binius, & probatur ex Humberto legato Leonis IX. adverſus Nicetam, ſcribente, *Clementis librum, ideſt, Petri Apoſtoli itinerarium, & Apoſtolorum Canones numerant PP. inter Apocryphos, exceptis L. Capitulis, quæ decreverunt Orthodoxæ fidei adjungenda*. Extat Leonis nomine cap. 3. diſt. XVI. Deinde, quia verba Gelaſii ſunt commodo ſenſu accipienda, quaſi liber Apocryphus dicatur qui hos continet canones, eo quod immerito Apoſtolorum nomen præſeferat, & videatur ſecundo, aut tertio Eccleſiæ ſæculo conſcriptus, ut nunc tenet ſententia eruditorum communior.

CAPUT XX.

Perpauca circa Civiles leges rudimenta.

QUAMQUAM ad libri hujus inſtitutum Civilium legum diſſertatio non pertinet, neque poteſt ille limitibus hiſce comprehendi propter dignitatem diſciplinæ rerumque amplitudinem: quia tamen ſunt politicæ omnes conſtitutiones imagines quædam divinarum, atque pernile eſt nec injucundum Theologo aliquem illarum notitiam aſſequi; oro ne tibi, Lector, moleſtum ſit poſt alias multas hanc meam accipere lucubrationem.

Inter civiles leges, quarum etiamnum aut tabulæ extant, aut ſparſa ſaltem fragmenta, præter Hebraicas & affines Ægyptiorum, principem ſibi vindicant locum Athanienſes, vel Atticæ, ex quibus originem ducunt Romanæ. Si quis illas intelligendi cupiditate tangitur, adeat percelebres viros, Sigonium in libris de Republica Athenienſium, Thyſium, & Salmaſium de Jure Attico & Romanorum, duoſque ſaltem libros Meurſii, quorum unus inſcribitur Themis Attica, & alter Solon. Percipiet ex his, quomodo primus omnium poſt Cererem dicatur Athenienſibus leges tradidiſſe Triptolemus, eaſque explicaſſe Solon, ut Gellius ſcribit lib. II. cap. 12., *axibus ligneis inciſas*. Generales leges, quas Triptolemus conſtituit, ſunt: *Parentes honorare, Deos fructibus colere, animalia non lædere*. Hoc poſtremum apud Hieronymum adverſus Jovinianum idem eſt, ac animalium carnibus non veſcendum. Speciales leges verſantur circa homicidium, matrimonium, furtum, maledicta, Magiſtratum. De homicidio ſtatutum, nullum prorſus iri impunitum, & exterminandas etiam res inanimatas, cædiſque inſtrumenta, ut colligitur ex Oratione Æſchinis in Cteſiphontem. Statutum tamen præmium occidentibus tyrannum, idemque, ac Olympionicis, ut inquit in Hermogenem Syrianus. Permiſſum juſtum bellum, decretumque præmium inventoribus novorum armorum, ex eodem Auctore ibidem. Prohibitum militare infami, & ægroto: ac ſancitum filiis patrum, qui in bello decumberent, ex ære publico alimentum uſque ad pubertatem, ut colligitur ex Ariſtide. Inſidiantem vitæ alienæ tamquam homicidam judicandum, conſtat ex declamatione XIV. Libanii.

Pro matrimonii honeſtate ſervanda ſtatutas ſequentes leges invenimus. Pauſanias ſcribit vindicandi adulterii legem

poſuiſſe

Poſuiſſe Draconem; & Solon, ut Plutarcho in ejus vita, permiſit interfici adulterum: addit Sopater etiam mulctarum dote, quæ cedent vim. Contumeliam illatam ingenuis pueris reprehendit auctoritate legum in Timarchum Æſchines, ubi etiam de pœna corpora proſtituentium. Nothos inter propinquos habendos non eſſe lege Attica, liquet ex Avibus Ariſtophanis. Nefas erat, ut Marcellinus ſcribit, cum Tutore, aut filio ipſius virginem pupillam inire conjugium. Nupta impotenti poterat ad alium tranſire, lege ſtatuta a Solone; de qua & Plutarchus in ejus vita, & Terentius in Hecyra Act. 1. Sc. 2. In ſolvendis tamen connubiis literas divortii deferendas ad Archontem, idem Plutarchus ſcribit in Alcibiade.

De furto hæc conſtitutiones inter Atticas adinvenio. Quiſquis alienam rem ſurripit, etſi olus tantum, aut fructus hortenſes, lege Solonis morte damnatur. Non poterat publici ærarii defraudator aut debitor aliquod Reipublicæ munus capeſſere, ut inquit Demoſthenes in Theocrinem. Ex Cicerone de Optimo genere Orat. habemus, nihil niſi in concione a populo fuiſſe donandum. A pupillis nil alienandum abſque poteſtate Archontis, auctor eſt in Hermogene Marcellinus. Vetitum Mercatoribus alio, quam Athenas, vehere frumentum, noſcitur ex Oratione Demoſthenis in Phormionem. Has conſequuntur leges in ſycophantas, & maledicos. Datam actionem in falſos teſtes, evincitur ex Oratione ejuſdem Demoſthenis in Evergum. Prohibitum ſervo proſcindere conviciis liberum, & cuique maledicta jacere in mortuos lege Solonis; de qua in ejus vita Plutarchus. Senatoriam in Magiſtratu dignitatem nullus ante annum triceſimum capeſſebat, ut inquit Xenophon. Lex ſcortantes & maleficos a ſuggeſto arcebat: & nova lex centum annorum conſuetudinem pro ſui inviolabili auctoritate poſtulabat. Ad hæc enim leges Athenienſium, quas præclaris animadverſionibus laudati viri illuſtrarunt, breviter revocare non dubitavi, ſervata quadam cum Decalogo methodi ſimilitudine.

Poſt Atticas veniunt commemorandæ leges Romanorum ceteris omnibus, ut Polybius inquit, anteponendæ. Varia his nominibus datæ; nam aliæ appellatæ ſunt *Regiæ*, quæ de imperio Regum latæ ſunt: quædam *Tribunicia*, conſtitutæ a Tribunis pl. leges *XII. Tabularum* a Decemviris ſancitæ: dicta lex *Curiata*, lata a Magiſtratibus patriciis jam deſignatis, vel in provinciam, & ad bellum cum imperio profecturis: *plebiſcita* dicebantur decreta populi. Leges præſcriptæ de jure triumphandi appellabantur *Triumphales*; *Sacratæ*, quas tranſgredientes diis ſacrabantur: latæ autem de rebus variis ac diſcrepantibus, quaſi a ſaltatione Satyri, dictæ *Satyræ*. Quamplurimæ tamen a legislatoribus nomen accepere, ut *Aurelia*, *Pedia*, *Clodia*, *Hoſtilia*, *Duilia*, *Menenia*, *Cincia*, *Aquilia*, *Caſſia*, a L. Aurelio, a Q. Pedio, a P. Clodio, ab Hoſtilio Mancino, a M. Duilio, a L. Menenio, a M. Cincio Alimento, ab Aquilio, a L. Caſſio. *Julia* dicitur lex promulgata ab Auguſto orto quidem ex familia Octavia, ſed in Juliam cooptato. At plura de his Bar. Briſſonius De Verborum ſignificatione, & Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, qui ordine Alphabeti ſingulare volumen edidit de legibus Romanis.

Miſſis autem legum vocabulis, attingam quædam de rebus ſervato eodem ordine, ideſt nonnulla primum in genere commemorando ſpectantia ad religionem cultumque parentum, poſt hæc leges aliquas, ad homicidium, ad fornicationem, ad furtum, ad falſos & maledicos pertinentes. Sunt in prima claſſe leges ſacræ, quibus Romulus vetuit divina tractari a plebeiis, ut ſcribit Cicero in tertio de Natura Deorum, ſtatuit augures ac Sacerdotes, prohibuit nocturna mulierum ſacrificia, atque vigilias in templis. At Numa totus in re divina ſexaginta Sacerdotibus electis a Romulo adjecit Flaminem Dialem, Martialem, Quirinalem, Veſtales virgines, Salios Marti Gradivo duodecim, & Pontificem Maximum ex Patriciis. Statuit, inquit Plinius lib. VIII. cap. 2., *Ut Deos fruge colerent, & mola ſalſa litarent*. Pro familiæ regimine conſtitutæ leges. Incutit filiis timorem ac reverentiam lex quam recitat Feſtus: *Si parentem puer verberit, aſt olle ploraſſit parentes; puer divis parentium ſacer eſto*. Nulla lex *Silvia*, ideſt Romuli, contra percuſſores parentum, *Qui neminem unquam tam ab humanitate averſum, tam natura inimicum fore exiſtimavit, ut parentibus, unde vitam ipſam ac lucis uſuram accepiſſet, manus inferret*, ait cap. 26. de legibus Romanis Paulus Manutius. Adoptio in filios lege Curiata fiebat apud Pontifices. Omnes virilis ſexus filii ut inſtituerentur hæredes, erat Junia Velleja. Ad æquitatem juris ſervandam, Æbutia mandatur, ne cognatis, & affinibus detur curatio. Claudia de Tutelis mandat tutelam feminarum conſanguineis. Tutorem dandum a Prætore præſcripſit Atilia. Cautum lege Voconia, ne quis filiam hæredem relinquat ſupra H.S. XXVM. Uxorem cum viro rerum omnium eſſe ſocium, eoque defuncto æqualem cum filiis habere hæreditatem, fuit lex Romuli, ut Dionyſius, & Plutarchus prodidere. Hæc perpauca de legibus ad cultum Deorum, & familiæ regimen pertinentibus univerſim dicta ſint.

Ad homicidium attinent quæ ſequuntur. Damnandum publico judicio, qui hominem occidit, aut occidendi cauſa cum telo ambulavit, aut venenum paravit, vel vendidit, lex eſt Cornelia de Sicariis. Omnibus, qui Cæſarem interfecerant, lege Pedia aqua, ignique interdictum. Parricida, & quiſquis filiis, & affinibus præparaverit fata, l. Pompeja de Parricidiis, inſutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia in vicinum mare, vel amnem eſt projiciendus. Lædentibus alterum vel mutilantibus ſtat lex Decemviralis: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio eſto*.

Inſtituta ad coercendam libidinem lex Julia de Adulteriis & de Pudicitia; atque his etiam divortiis modus impoſitus. Firmatur ibidem lex Romuli, *Adulterii convictam vir, & cognati, uti volent, necanto*. Semprator verberibus necabatur, inquit Feſtus. Pellex ædem Junonis non poterat tangere. Qui divortium faceret, ut Diis inferis ſacrificandum. Poniri probrum Veſtalis, illamque ad portam Collinam defodi vivam ſtatuit Numa Pompilius. Propter mundiorem juſto cultum ſuſpectam fuiſſe Minuciam Veſtalem, narrat Livius octavo libro. Irrogata pœna vim inferentibus adoleſcentulis, & alienam pudicitiam ſollicitantibus, aut propriam proſtituentibus, ad x. millia num. lege Scatinia, aut Scantinia, lata, ut fertur, ob Scantinium Capitolinum. Ad honeſtatem connubiorum ſtatutum in XII. Tabulis, ne Patriciis liceret jungi cum plebe, neque libertinam ingenuus, aut ingenuam ducere libertinus; at abrogatum per legem Papiam. Etiam vino nuptæ abſtinendum erat lege Romuli.

Latæ adverſus furtum leges ſunt. In XII. Tabulis. *Si quis nocte furtum faxit, & im aliquis occiſit, jure cæſus eſto*; &, *Frugem aratro quæſitam furtim noctu ſi paverit, ſecueritve pubes, ſuſpenſus Cereri necator: impubes verberator; noxiamque duplionem præſtato*. Furtivarum rerum poſſeſſionem inhibet l. Atinia, De uſurpatione: Furtum quodlibet l. Hoſtilia. Plagiariis l. Fabia pœna capitis irrogatur, necnon ei, qui liberum ſciens emit. Non punitur tamen poſſidens bona fide mancipium. Puniendus lege Julia de Annona citata ab Ulpiano lib. IX. qui contra annonam fecerit, ſocietatemve coierit, quo carior fiat. Extat in l. Aquilia, ut damni injuria lati ſit actio: & qui ſciens damnum dederit, reddat quadruplum, qui inſciens ſimplum. De repetundis pecuniis extat Acilia, ſive *repetundarum*. De pecunia pro frumento contra jus accepta, l. Caſſia, ſive *Agraria*, de munere illicite accepto l. Cinia *Muneralis*.

Convicia, teſtimonium falſum, calumnia inhibent æque Romanæ leges. In XII. Tabulis extabat: Ut ſi quis actitaviſſet, aut carmen condidiſſet, quod infamiam, flagitiumve alteri inferret, capite puniretur. Fecit L. Sylla Majeſtatis crimen, ut habemus ex Epiſtola Ciceronis ad Appium. Pœnam irrogat ei, qui teſtamentum falſum ſcripſerit, recitaverit, ſculpſerit dolo malo, l. Cornelia *Teſtamentaria*; quibuſvis calumniatoribus Remnia. Qui duobus diverſa teſtimonia præberent, puniendi l. XII. Tab., & quiſquis falſum dixiſſet teſtimonium a ſaxo Tarpejo erat dejiciendus. Nec Cenſoribus in Senatu fas erat ignominia afficere, niſi accuſatos jam & damnatos l. Clodia de Re Cenſoria. Leges Romanas alius Sigonius, Manutius, Panvinius, aliique exponunt prioribus Voluminibus Romanarum Antiquitatum.

Facile ex his deprehendes legum Romanarum cum Atticis concordantiam. Quod ut percipias magis, itarum per utraſque tenentes eumdem ordinem diſcurramus. Spectat ad Religionem lex XII. Tab. *Separatim nemo habeſſit Deos, neve novos, ſed ne advenas, niſi publice adſcitos privatim colunto*: atque eadem eſt lex Draconis apud Porphyrium. Lex VII. de Feſtis lata ab Impp. Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio, conſimilis eſt Athenienſi, quam citat Demoſthenes adverſus Midiam, *Nemini myſteriorum diebus manum injicito*. Quæ ait L. VII. de Off. Proconſulis, derivata a ſcito Platonis in Phædone, *Nemo occidendus, dum navigatur in Delum*. L. V. §. XIII. D. de cognoſcendis & alend. liberis, fuiſſe Athenienſem conſtat ex Diogene Laertio in Solone. Lex Numæ innovata in Cornelia de Sicariis, *Si quis liberum ſciens dolo neci duit, parricida eſto*, extat etiam apud Antiphontem. Attice lex, *Si quis adulterum deprehenderit, de eo ſtatuat quod libitum eſt*, laudata a Lyſia pro Eratoſthene, eadem eſt XII. Tabularum, & Papiniani l. 2. D. ad l. Juliam de Adult. Altera huic affinis lata a Dracone, *Si quis occiderit deprehenſam ſuper uxore, vel ſuper filia, vel ſuper ſorore, ob hoc qui eadem fecerit ne exulato*, extat in Ulpiano l. 23. ad eamdem Juliam. Non diſcrepat l. Solonis, *Si quis ingenuam mulierem rapiat, vimque inferat, mulctator*, ab ea, quam ſtatuit Juſtinianus l. un. Cod. De raptu Virg. ſeu vid. Draconis lex contra furtum, moderata a Solone, & quæ declarat ſceleris purum, qui furem noctu ingreſſum interficiat, habetur in XII. Tab., & apud Ulpianum l. 4. D. ad l. Aquiliam. Cautum legibus Athenarum ne Advocatus extraordinariam pecuniam accipiat litis cauſſa, ut liquet ex Demoſthene De Corona; idemque firmatum eſt l. 21. §. 2. & XII. D. de Extraordin. cognit. Irritat contractus repugnantes æquitati l. VII. §. 7. D. de Pact. de quo etiam Ariſtoteles lib. I. Rhet. cap. XVI. Habetur in Demoſthene πρὸς Ἀφόβον, lex, *Qui falſum dixerint teſtimonium, de bone & honore periclitantur*, ac repetitur l. XII. de Teſtib. & l. 24. C. eodem, & l. XXXVII. D. de Re Judic. Objicientibus probrum alieni, quod demonſtrare non poſſint, ut ac-

ut accuſationi ſubjaceant, mandat lex Athenienſis apud Dionem Chryſoſtomum Orat. 15., nec non Romana, apud Ulpianum l. 5. §. *Si quis*, lib. D. de injuriis, & famoſis libellis. Sed plura de his in Concordia legum utrarumque, quam Amonius Thuſcus elaboravit.

Haud dubium ergo, Romanas leges ab Athenienſibus derivatas, præſertim cum circa an. U. C. 300. tres legati Roma adierint Athenas, ut Græcorum leges colligerent atque in Latium deferrent. Quod ubi fecerunt, creati cum aliis ſeptem Decemviri, atque ab his leges in tabulas x. digeſtæ, duabus poſtmodum adjectis. Sed ſuas leges fuiſſe Romæ ante Reges exactos, liquet ex his, quas a Romulo Urbis Conditore, & Numa ſrias animadvertimus. Si recipimus Volterrana fragmenta, Romulus primum Volaterris Senator electus, deinde illinc Sacerdotes, & Augures Romam accivit, atque Etruſcas leges populo denuntiavit, lib. 2. p. 86., & 87. atque ita antiquiores leges Romanorum ducunt ab Etruſcis originem. Sed ut videas illarum cum illis conſonantiam, proferam in medium aliquas. Pro cultu Deorum leges habentur: *Ut in Templo Eſaris nulla aliorum Deorum, Dearumve ſit imago. Hujus Numinis nulla ſtatua ab artifice fabricetur: In medio ipſius templi altare ſit aureum: Vitulus & agnus ei ſacrificetur: Quater ſingulis annis populus Eſavi ſolemniter immolet: Dii peregrini ne colantur*. Pro familiarum regimine autem, *Parentum liberos omnes jus eſto relegandi, vendendi, & occidendi: Parricida capite plectantur: Mulier viro legitime conjuncta fortunarum, & ſacrorum ſocia illi eſto: Qui contra patriam libertatem attentaverit, vivus comburatur*. Contra homicidium vero: *Deprehenſi in homicidio ſtatim moriantur: Nullus morte damnetur, niſi Lucumon conſentiat. Si quis civem hoſtibus tradiderit, capite plectatur*. Adverſum autem impudicos: *Si quis virginem vitiaverit, pecuniam, quam viri Capitales judicaverint, mulieris patri ſolvat, & virgo uxor illius ſit, nec eam dimittere poſſit: Qui eodem tempore duas uxores habet, ut adulterus puniatur; Divortium non permittitur, niſi Eſarum conſenſu*. Ad cohibendum furtum: *Fur fuſtibus cadatur: Furti quadrupli pœna ſit: Si quis agrum, domum, aut pecuniam occupaverit, vel dolo obtinuerit, duplicem fructum Domino reddere cogatur: Publicam pecuniam, aut ſacram ſi quis abſtulerit, ſcavagia morte damnabitur: Qui conſulto domos, aut agros incenderit, igne comburatur: Judex ſi pecuniam, aut aliud acceperit, capite ſtatim plectatur*. Adverſus denique calumniatores & falſos: *Qui teſtis falſus fuerit, ignominiam paſſus pereat inhoneſte: Qui captivum prodiderit, fuſtibus cæſus e patria ejiciatur: Judicio fraus ne adhibetor: Si quis in jus vocatus non venerit, reus eſto*. Extant cum aliis pluribus in Etruſcarum Antiq. fragm. libro tertio.

Veruntamen iſtarum omnium Atticarum, Romanarum, Etruſcarum, aliarumque legum optimarum, Præſcriptiones quippe Tyrannorum adverſus Religionem, & æquitatem non ſunt inter leges commemorandæ, fuit origo prima, vel a poſteris Noha, vel a Judæorum Republica. Et leges quidem magni Vendimonis, ideſt, Noha, in Fragmentis Etruſcis p. 174. cum Capita VIII., & IX. Geneſeos cohærent. Quæ de cultu Eſaris præſcribuntur, de Altari, de Sacrificiis, Aſperſione olei, & Salis condimento, & aliæ leges quamplurimæ conſentiunt cum libris Exodi, & Levitici, iis exceptis, quæ addiderunt Augures idololatræ. Quamobrem aut ſunt fragmenta illa, ut credimus, pervetuſta, aut ſolleriter, & ingenioſe conficta.

Quicquid ſentias tamen de Etruſcis hiſce fragmentis, Romanas, Atticaſque leges, quarum ſupra vidimus concordantiam, ex Hebraicis ortas commonſtrat iſtarum, illarumque collatio. Id arduum non eſt ex latis adverſus homicidas, mœchos, fures, ac falſos teſtes deducere. Moſaicam de homicidio legem cap. XXXV. num. v. 16. & ſeqq. uſque ad 21. invenies apud Paullum lib. v. Sententiarum ſub titulo Ad Legem Corneliam de Sicariis, & Ulpianum lib. VII. de Officio Proconſulis. Quod Moſes ſancivit de homicidiis fortuito, & abſque odio patratis eodem cap. v. 22. extat pariter apud Paullum ibidem, & Modeſtinum libro differentiarum VI. Moſaica lex de percuſſione rixantium Exodi XXI. 18., & ſeqq. non differt a Romanis apud Ulpianum libro de Officio Proconſ. VIII., & Gregorianum lib. XVIII. de Accuſat. De adulteris vero eadem lex eſt Levit. XX. 10. atque Romana apud Papinianum lib. XV. Reſponſorum ad L. Juliam de adult., & Marcellum libro XXXI. Digeſtorum. Inceſtæ Nuptiæ, quæ damnantur in toto Levitici capite v. 17. & ſeqq. proſcribuntur pariter Edicto Maximiani, & Diocletiani apud Papinianum ibidem, & Ulpianum in libro Regulari de Nuptiis. Turpiores concubitus, de quibus v. 13. & 15. ejuſdem Capitis XX. puniuntur eadem pœna mortis Conſtitut. Impp. Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii ad Orientium Urbis Romæ Vicarium. Contra Fures eadem lex eſt in Exodo XXII. a v. 1. ad 15. atque in Conſtitutionibus Romanorum apud Ulpianum lib. VIII. in Edictum, & Paullum lib. v. Sent. ad L. Corneliam de Sicariis. Quadrant denique cum lege Deuteronomii cap. XIX. v. 16. contra falſos teſtes, decreta producta a Paullo libro ſingulari de Pœnis, & lib. v. Sent. ad L. Corneliam Teſtamentariam. Ex his autem conſtat Romanas leges ab Atticis, Atticas ab Hebraicis derivatas. Nam Moyſem cæteros omnes Legumlatores anteceſſiſſe demonſtrat Huetius de Demonſt. Evang. cap. VIII., & diſſertatio noſtra cap. 1. libri XI.

Rerum quidem atque Regnorum viciſſitudines legibus hactenus enumeratis, quæ fere omnes pertinent ad Jus primarium, peculiaria ſtatuta addiderunt: creveruntque tanto numero, ut ante Juſtiniani tempora ſeptem, ac triginta Juris Conditores, ſive legum Compilatores extiterint, enumerati ab Angelo Politiano in Epiſtola ad Jacobum Modeſtum Pratenſem. Inter illos XXXVII. celebriores videntur Papinianus, quem hiſtoriæ appellant *Juris Aſylum, & legis civilis theſaurum*, & a quo olim ſtudioſi legum dicti fuerunt *Papinianiſtæ*: Ulpianus plurium librorum ad Edictum, ad Sabinum, ad Leges, Pro Tribunali, aliiſque titulis inſcriptorum auctor clariſſimus: Paullus, quem Politianus appellat πολυγραφώτερον, quod etiam Ulpianum ſuperaverit copia ſcriptorum: Gregorius, & Hermogenes, qui tempore Diocletiani duos legum Codices ediderunt, quibus tertium adjecit Theodoſius comprehendentem Imperatorias Conſtitutiones a Conſtantino ad ſeipſum.

Itaque Juſtinianus ad certum ordinem tantam Legum multitudinem redigens ex tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano unum proprio nomine inſcriptum edi curavit, perfectumque anno DXXIX. auctoritate ſua confirmavit. Veteres deinde leges amplo opere complexus eſt ſub nomine Digeſtorum, ſeu Pandectarum. Addidit Juris Civilis Inſtitutiones. Collegit etiam, quæ in priori Codice fuerant omiſſa, aut errata, ediditque accuratiorem *Repetitæ prælectionis*: atque hic eſt Codex Juſtinianeus, quo modo utuntur Juriſconſulti. Huic additæ ſunt *Novellæ*, ideſt, novæ Conſtitutiones, quæ Codicis editionem ſunt conſecutæ, Novellis acceſſere *Authenticæ*, ſive breves ſententiæ, quibus novellæ, quaſi auctoritate Imperatoria fulciuntur. Ita Corpus univerſi Juris Civilis conſtat Inſtitutionibus, Digeſtis, ſeu Pandectis, Codice, Novellis, & Authenticis. Inſtitutionum libri ſunt quatuor continentes univerſi Juris Epitomen. Digeſtorum, ſeu Pandectarum libri quinquaginta tribus voluminibus diſtincti: quorum primum appellatur Digeſtum vetus, alterum Inforiatum, tertium Digeſtum novum; ac ſunt in primo volumine libri XXIV. in ſecundo XIV. in tertio XII. ſuis titulis, ac legibus diſpoſiti. Codex complectitur libros XII. Conſtitutionum Imperatorum uſque ad Juſtinianum. Quintum volumen continet alios tres libros Conſtitutionum, ideſt X. XI. XII. Novellas, cum ſubjectis Authenticis, CLXVIII.

Dum textus aliquis hinc profertur, laudatur hoc pacto. D. ſignificat Collectionem Digeſtorum, ſeu Pandectarum. ff. nota eſt ejuſdem librorum Pandectarum voluminis; nam librarii ſubſtituerunt ff. pro litera Græca π. L. denotat legem. Codicem Conſtitutionum innuimus litera C. Novellas, & Authenticas prima voce, & numeris allegamus. Sit in exemplo: *L. 8. parag. 4. D. ſeu ff. de liber. & poſth. hered.*, ideſt, lege octava, paragrapho quarto in Digeſtis, ſeu Pandectis, Titulo de liberis, & poſthumis hæredibus. *L. Addictos 29. Cod. de Appellat.* hoc eſt, lege, quæ incipit *Addictos*, quæ eſt viceſima nona in Codice, titulo de Appellationibus.

Præter Corpus Juris Civilis, de quo hactenus, alter eſt Codex legum Antiquarum. Comprehendit autem legum Wiſigothorum libros XII. Edictum Theodorici in cap. 154. diſtributum: Leges Burgundiorum capitibus 89. cum additamentis: Legem Salicam: legem Alamannorum conſtitutam tempore Clotarii Regis: legem Baiuvariorum ſtatutam ſub Rege Dagoberto: Ripuariorum: Saxonum: Anglorum, & Werinorum: leges Longobardorum tribus libris expoſitas: Conſtitutiones Siculas, ſive Neapolitanas ſub Imperatore Friderico II. Capitula Caroli Magni, & Ludovici Pii; quibus adde Regnorum omnium, ac Provinciarum ſtatuta. At in his ſi verſetur oratio noſtra, erit multa nimis, circumfluens, & diſſipata.

CAPUT XXI.

Ob quæ integrum ſit a legum obſervantia diſcedere.

POſtremo tandem loco dicendum eſt de iis, quæ nos ab obſervatione legum humanarum faciunt exemptos, nimirum privilegio, diſpenſatione, conſuetudine.

DE PRIVILEGIO.

Privilegium eſt *privata lex ſpeciali favore homini irrogata*, ut definitur a Cicerone. In qua tamen definitione legis vocabulum late accipitur, eo quod lex pro communitate conſtituatur, privilegia autem privatis hominibus irrogentur; atque per legem imponatur onus, privilegio levetur. Dicas ſi mavis, conſtitutionem, aut exemptionem. Eſt autem privilegium aliud *locale*, aliud *perſonale*. Primum illud eſt, quod ratione loci conceditur, ut immunitas, qua gaudet confugiens ad Eccleſiam, aut ſepta Monaſteriorum. Atque privilegium iſtud perpetuum eſt, niſi princeps certum tempus conſtituat. De locis quidem ſacris ſtatutum jam eſt privilegia eſſe perpetua a Chalcedonenſi Concilio

c. 24., & Urbano II. cap. *Quæ ſemel dedicata ſunt*, XIX. q. 3. Act. 6. Synodi VI., & can. 15. Synodi VIII., e Marciano etiam in lege ad Palladium Prætorii Præfectum. Privilegium autem *perſonale* illud eſt, quod alicui propriis expreſſis nominibus conceditur, v. g. quod Gregorius anno 600. largitus eſt Maximo gerendi vices Sedis Apoſtolicæ in adminiſtrandis cunctis Eccleſiis Siciliæ, cap. *Mandata cœleſtia*. Extra de Præſumptionibus. De hoc privilegiorum genere habetur Regula VII. Juris in Sexto: *Privilegium Perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona*. Si privilegio gaudeat aliquis non ſpeciali titulo, ſed communi, ut Ordinis, Civitatis, Collegii; nequit iis privilegio renuntiare, v. g. Clericus privilegio fori, vel canonis, ne Clericali ordini inferatur injuria, ut recte Barboſa lib. 1. Jur. Eccl. cap. XXXIX. §. 2., cum cetera privilegia ceſſare valeant, aut per revocationem concedentis, aut per ſpontaneam renunciationem. Quod privilegiorum genus dixere nonnulli Corporalium.

Canonis privilegium nuper commemoratum eſt, quod habetur c. *Si quis ſuadente*, XVIII. q. 4., nempe ut qui in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, ſubjaceat anathematis vinculo: quo privilegio fruuntur & Novitii, Moniales, Equites Jeroſolymitani, & aliorum Ordinum Apoſtolicæ Sedis auctoritate ejuſdem participum. Privilegio tamen Canonis excidunt habitum, ac tonſuram dimittentes, degradati, hæretici, bigami, aggreſſores, immiſcentes ſe præliis, ac ſeditionibus, exercentes officium lanionis, & pandochæi, & qui egerint per annum artem hiſtrionis, joculatoris, circulatoris, & mimi. Quæ dedecent Clericos cap. *Cum decorem*, & cap. *Clerici officia*, de vita, & honeſt. Cleric. in VI. connumerantur.

Fori autem privilegium eſt, ut Clericus non niſi ad Epiſcoporum judicium provocetur, ut habetur in cap. *Sylveſter*, c. XI. quæſt. I., & cap. *Chriſtianis*. *Relatum eſt*, *Clericum*: Eadem Cauſa, eademque quæſtione. Gaudent fori Privilegio Beneficiati, initiati tonſura, conſtituti in minoribus ordinibus, Clerici conjugati, Subdiaconi qui diſpenſatione Apoſtolica contrahunt cum vidua matrimonium, retinentque penſiones Eccleſiaſticas, Regulares omnes, ac Moniales, Tertiarii S. Franciſci, dummodo collegialiter vivant, Domus mulierum ſimul commorantium ad pœnitentiam agendam, aut orationi vacantium, Eremitæ probatæ Regulæ addicti, atque Superiori Eccleſiaſtico ſubjecti. Quantum ad Clericos conjugatos attinet, ut hi gaudeant privilegio Fori, & Canonis, requiritur, ut habitum, ac tonſuram deferant, ut alicujus Eccleſiæ ſervitio ſint ab Epiſcopo deputati, ut cum unica, eaque virgine matrimonium contraxerint; ac præterea nonniſi in criminalibus privilegio iſto fruuntur, ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii die 13. Febr. an. 1610. Ceterorum autem Clericorum privilegia quot exigant conditiones, disjunctive tamen, ut inquiunt Juriſconſulti, ideſt, ut una ſaltem reperiatur in ſingulis, declarat Tridentinum Concilium ſeſſ. 23. cap. 6. his verbis: *Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus Fori privilegio gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines, verſetur.*

Irritum ac nullum redditur privilegium ob novem capita. I. ob ſubreptionem, vel obreptionem. Eſt autem obreptio illorum, qui in ſupplicibus libellis enarrant falſa: ſubreptio, ſi taceant neceſſario exponenda. Ex cap. tamen, *Super literis*, Extra, de Reſcriptis, habemus, eos quidem qui per fraudem, vel malitiam falſitatem exprimunt, vel ſupprimunt veritatem, in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex literis privilegiorum conſequi commodum: at qui per ſimplicitatem, vel ignorantiam literas impetrant ſuppreſſa veritate, aut falſitate expreſſa, gaudent nihilominus impetratis, dummodo talis falſitas ſit expreſſa, aut veritas occultata, quæ licet fuiſſet tacita, vel expreſſa, adhuc privilegia impetraſſet: ſecus ſi veritate tacita, aut falſitate ſuggeſta nihil ſupplex fuiſſet impetraturus. II. Irritum eſt privilegium quod alicui conſtitutioni contrarium eſt, niſi huic expreſſe derogetur: aut ſi conſuetudinem tollat, niſi expreſſe caveatur in ipſa, ut habetur Cap. *Licet Romanus Pontifex*, de Conſuetudinibus in VI. III. Nullum præterea eſt, ſi adverſus ſententiam jam latam ſit, eamque non exprimat, ex Cap. *Inter dilectos*, Extra, de Fide Inſtrument. IV. Excidit privilegium, quod ab Excommunicato, ſuper alio, quam excommunicationis, vel appellationis articulo, fuerit impetratum, Cap. *Ipſo Jure*, de Reſcriptis in VI. V. Privilegium ceſſat ceſſante cauſa, ex cap. *Cum ceſſante*, Extra, de Appellat. VI. Amittuntur privilegia, quando iis abutimur, & contingit tali abuſu nimium canones vilipendi, ut dicitur Cap. *Ut privilegia*, Extra, de privilegiis, atque id præſertim, ſi metas, qui conſecuti ſunt, tranſgredi videantur, cap. *Porro*, ibi. VII. Ceſſant præterea, ſi afferant incommodum ac detrimentum, juxta regulam Juris 121. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*. VIII. Privilegia deſinunt per eorum, ad quos ſpectant, reſignationem, ſive renunciationem, quam ſupra diximus fieri non poſſe in Ordinis, Corporiſve detrimentum. IX. Tolluntur tandem per revocationem concedentis, per temporis, ad quod reſtringuntur, decurſum, & per eam, quæ omnia diſſolvit, ideſt, mortem: quamquam impetrata a Principe ordinarie ipſo quoque defuncto perſiſtunt; nam juxta Regulam Juris 16. in VI. *Decet conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum*. Sat de Privilegiis.

DE DISPENSATIONE.

Differt a privilegio diſpenſatio, quod privilegium ſi cauſa perſeveret, nec irritum reddatur, perpetuum eſt; diſpenſatio autem certo tempore definitur. Nihil aliud eſt diſpenſatio, præterquam remiſſio, aut relaxatio communis juris, facta ab eo qui juriſdictione pollet, quibuſdam in caſibus, lege adhuc in ſuo robore permanente. Nam ſi penitus tollatur lex, non diſpenſationem dixeris, ſed antiquationem potius, ſive abrogationem. Oportet ergo, ut diſpenſatio fiat ab ipſo legiſlatore, aut ab illo, in quem tranſlata eſt auctoritas, & facultas juriſdicendi. Quare in legibus Canonicis diſpenſatio ab Eccleſiæ Paſtoribus petenda eſt, in civilibus ab ordinata Poteſtate: neque poteſt inferior diſpenſare in lege Superioris, niſi hujus conſenſu accedente. Pontifex itaque in omni jure Eccleſiaſtico diſpenſare poteſt, & ſententia aliquorum in jure etiam divino, ſeclusis fidei articulis, ſi tamen ex diſpenſatione majus Deo exhibeatur obſequium; quod tamen valde ambiguum eſt, ſi non falſum. Quis enim facile ſibi perſuadeat, poſſe, urgente etiam neceſſitate, diſpenſare ut ſine aqua naturali conferatur baptiſmus, perficiatur Euchariſtia pane hordeaceo, pro vino ſicera conſecratione offeratur, laicus impertiatur ſacramentalem abſolutionem, atque in his ceteriſque ad Jus Divinum pertinentibus aliud ab eo, quod Chriſtus poſuit, fundamentum conſtituere? Epiſcopi in iis diſpenſare poſſunt, quæ ab ipſis, vel a diœceſana Synodo fuerunt præſcripta: nam quamquam huic Synodo Parochi ſinguli interſint, ſolus Epiſcopus tamquam legiſlator in ea ſedet, gerentibus aliis vicem tantummodo Conſultorum. Ita in his, quæ ſtatuta ſunt in Provinciali Concilio, diſpenſare poſſunt cum Metropolitanus Antiſtes, tum Epiſcopi alii, in ſuis quique diœceſibus; non tamen ſi Concilium diſpenſationem ſibimet reſervavit. Idem dicendum eſt de Superioribus Regularium comparate ad ſibi legitime ſubjectos.

Sunt tamen nonnulla Pontificii Juris, a quibus diſpenſare Epiſcopos permittit praxis, rerum conditio, & perantiqua conſuetudo. Hujuſmodi ſunt vota ſimplicia, caſus vel parvi momenti, vel frequentiſſime occurrentes: & in impedimentis ſupervenientibus, non tamen præcedentibus Matrimonium, ſi non eſt facilis recurſus ad Apoſtolicam Sedem, neque poſſint abſque gravi ſcandalo, & dedecore conjuges ſeparari, ſolent pariter Epiſcopi diſpenſare.

Cum autem diſpenſatio æquitatem poſtulet, ſitque potius, quam beneficium, juſtum prementis legis levamen; quotieſcumque deeſt diſpenſationis urgens, juſtaque ratio, cenſenda erit illicita. Quod docuit Tridentina Synodus ſeſſ. XXV. cap. 18. de Reformat. demonſtrat Bernardus lib. 3. de Conſid. c. 4. de Statutis Monach. cap. 4. & de præcepto, & diſp. cap. 2., conſentiunt Theologi, & evincit ratio ex ipſa natura diſpenſationis, quæ eſt quoddam debitum levamentum, petita. Atque hinc ſequitur graviter Paſtores delinquere, dum abſque gravi cauſa diſpenſant; quoniam eo in caſu ſunt fractores, non cuſtodes ſacrorum canonum, acceptatores perſonarum, non adminiſtratores fideles; ut recte Auguſtinus libro 2. contra Adverſ. legis cap. 11. Martinus I. Epiſt. 5., & D. Thomas q. 197. art. 4. Sequitur præterea non eſſe tam frequenter cum inferioribus diſpenſandum, ne, ut Tridentinum admonet cit. loco, aperiatur aditus ad leges tranſgrediendas. Id vero maxime circa matrimonia contrahenda ſervandum eſſe merito præcipit ſancta Synodus ſeſſ. XXIV. c. 5. Quanta enim ex tali diſpenſatione oriri poſſint incitamenta inceſtuoſæ libidinis, res eſt in propatulo. Diſpenſari propterea nequit in ſecundo gradu, niſi inter Magnos Principes, & ob publicam cauſſam; ejuſdem Sacroſancti Concilii Decreto: cujus inviolabilem æquitatem commonſtrat Scholion eximii Lupi ad Canonem XI. Concilii Remenſis ſub Leone IX., quemadmodum inceſtuoſi conjugii fructus quod narrat Scriptor ipſe clariſſimus in Actis circa matrimonium Gulelmi Ducis Normandiæ cum Mathilde Flandrenſi. Sequitur tertio illicitum eſſe petere diſpenſationem, ſi nulla cauſſa interveniat; quoniam nefas eſt legiſlatorem ad peccandum inducere; ideoque ſi quis Superiorem ad illicitam diſpenſationem trahere curavit, tenetur illum hortari, ut eam diſſolvat, atque reſcindat.

Quæri ſolet, num tali ſtante diſpenſatione ſine urgente, gravique cauſſa petita & conceſſa, fas ſit ille uti: & reſpondent DD. perplexe admodum, & ambigue. Videtur mihi primo talem diſpenſationem ſubreptitiam eſſe, uti cenſendam declarat aperte Tridentina Synodus ſeſſ. 25. de Reform. cap. 18. his verbis: *Si urgens, juſtaque ratio & major quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſt: .... aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur*. Si autem eſt ſubreptitia, aut nulla, ſuo carere debet effectu. Deinde in his ſubreptitiis diſpenſationibus ſervandum cenſeo, quod ſupra dixi de priori cauſſa irritante privilegium; ſcilicet inſpiciendum, num diſpenſationem

petens

petens ſuppreſſerit veritatem, qua cognita nequaquam fuiſſet cum eo diſpenſatum. Affirmo inſuper non peccare, qui bona fide aut putat juſtæ diſpenſationis cauſſam idoneam habere, aut ignorans, an cauſa quam allegat ſufficiens ſit, proponit rem ſuperiori diſcutiendam. Affirmo præterea valere diſpenſationes, quas Expeditionarii Romæ appellitant ſine cauſſa, pro quibus obtinendis ſolvitur Cameræ Apoſtolicæ ſumma quædam pecuniæ: nam hæc ipſa pecuniæ exactio deſerviens Romanæ curiæ honeſtati, oneribuſque graviſſimis, juſta eſt, ac rationabilis cauſſa; ideoque diſpenſationes ejuſmodi dicuntur abſque cauſſa rei intrinſeca, non tamen abſque omni prorſus cauſa exteriori, premente etiam & gravi.

Obloquuntur quidem nonnulli aut ignari, aut iniqui, quod ejuſmodi diſpenſationes, (ſint in exemplo quæ concedi ſolent ut matrimonium contrahatur cum fœmina conſanguinea) in Romana Curia non obtineantur, niſi ſoluta pecunia, nec eadem habeatur ratio privatorum hominum ac principum, pauperum ac divitum, vulgarium, atque nobilium. Sed revere obloquium eſt, & expoſtulatio iniquorum; quoniam, ut ſcribit Cardinalis de Luca in Relat. Curiæ Roman. Diſc. x. num. 22., *ejuſmodi emolumenta pro laudabili ſtylo, unquam vel nimium raro violari ſolita, in privatam alicujus auctoritatem non cedunt, ſed applicantur piis operibus, illis præſertim, quæ Fidei catholicæ, & Eccleſiæ univerſalis conſervationem, vel ſervitium concernunt, adverſus infideles, hæreticos, aut ſchiſmaticos, ita id exigenda, tanquam ſpeciem mulctæ, ſeu pœna delicti a potentibus, non autem ab impotentibus, cum quibus practicatur pœna luitionis in corpore, mediante acceſſu ad Urbem, ac perſonali, etiam ſordida, ac mechanico ſervitio in fabrica ſancti Petri, vel in ſervili opere pio, ita quoque cum hoc exemplo mulctæ perſonalis, vel pecuniariæ, reſpective, alios terrendo, vel coercendo, ut ab iſta conſuetudine contrahendi matrimonia cum conjunctis abſtineant, ideoque revera injuſta oblocutio eſt.* Mitto quod, tanquam laborum merces, Datariæ amanuenſibus, ceteriſque Fori, Curiæque miniſtris debetur.

Tandem dico, aliquando diſpenſationes ſine cauſſa conceſſas, poſteaquam executioni fuerint mandatæ, ſi effecta alioqui graviſſima conſequantur, minime eſſe reſcindendas, ne oriantur ſcandala, & pax Eccleſiæ turbetur; quamquam monitum unumquemque volumus, plura valere in foro fori, quæ in foro conſcientiæ non tenent: quod præſertim de Diſpenſationibus ſine cauſſa petitis & conceſſis eſt aſſerendum. Plura de diſpenſatione ex Noſtris Baſilius Pontius libro VIII. de Matrimonio, Leonardus Vanroy P. 2. Theologiæ Moralis Tract. 3. cap. 2. Antonius Guerrero Tract. VI. §. XII. De lege, & Præcepto, & alii, quos perlegas: nam plura guſtare cogimur primoribus tantum labris, digitiſque, ut dicunt, extremis attingere.

DE CONSUETUDINE.

Conſuetudinem, ſeu communem uſum atque inſtitutionem, non accipimus hoc loco pro ſola actuum frequentia, quæ plerumque mala eſt, & ab Auguſtino lib. 1. Confeſſ. cap. 16. tartareo flumini comparatur; ſed pro jure ipſa actuum frequentatione conſtituto, & perinde, ac lex eſſet, obſervando. Idem Auguſtinus lib. 83. qq. Q. 31. ita Conſuetudinem deſcribit: *Conſuetudo eſt jus, quod aut leviter natura tractum aluit, & majus fecit uſus, & religio; aut quod in morem vetuſtas vulgi approbatione perduxit*; & Gratianus cap. *Conſuetudo*, diſt. 1. ex lib. v. Etymolog. Iſidori, *Conſuetudo*, inquit, *eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex*. Alia eſt autem conſuetudo præter legem, alia juxta legem, alia adverſus legem. Dicitur conſuetudo præter legem, quæ nec lege præſcripta eſt, neque ipſi repugnat; ut conſuetudo jejunandi certis diebus, aut Sanctorum feſtivitates ſervandi, quamvis non extet præceptum Eccleſiaſticum. Juxta legem conſuetudo eſt, quæ legi jam conſtitutæ collineat; ut conſuetudo annuæ Confeſſionis & Communionis in Paſchate, jejunandi diebus Quadrageſimæ, decimas perſolvendi. At conſuetudo dicitur adverſus legem, cum legi adverſatur humanæ: nam contra legem naturæ ac divinam nequeunt mores populorum prævalere: hujus generis eſt conſuetudo, quæ viget per Belgium, veſcendi carnibus ſingulis ſabbatis a Nativitate Domini ad Feſtum Purificationis B. M. V. in Caſtella comedendi his, ceteriſque ſabbatis extrema animalium, Mediolani carnes edendi feria quarta Cinerum, & quinta proxima. Atque harum conſuetudinum quælibet vim habet, ſi neceſſariæ interſint conditiones.

Requiruntur ut conſuetudo vim legis acquirat conditiones jam ſubjiciendæ. Oportet primum, ut rationabilis ſit, & propter publicam commoditatem inducta: atque hujus conditionis defectu remittendæ ſunt conſuetudines, quæ pugnant cum lege naturali, & divina, & quæ gravamen inducunt Eccleſiis; cap. *Conſuetudines*, & cap. *Cum tanta*, Extra, de Conſuetud. Juſtinianus pariter in Novella 134. *Quæ improbe*, inquit, *excogitata ſunt, ea nec longa conſuetudine confirmari volumus*. Et Auguſtinus in Epiſt. ad Caſulanum, *conſuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil uſurpare dignoſcitur*. Tolerandæ tamen conſuetudines, quæ licet non rationi, ſed voluptati deſerviant, ſi tamen ab iis populi averterentur, pejores evaderent, quomodo de conſuetudine Bacchanalium habetur in Canone *Denique*, diſt. VIII. C. *Mala conſuetudo*; quoniam perniciosas corruptelas pro legibus venerari non decet. Omnis quippe lex conſtituitur ratione recta, atque ad æquitatem, honeſtatemque refertur.

Altera conditio eſt temporis, per quod corroborari debet nova quælibet conſuetudo. Hujus temporis præſcriptio in civilibus extenditur ad decennium, ex l. ult. Cod. de Præſcriptionibus, §. 1. At ad inducendam conſuetudinem contra legem Eccleſiaſticam requiritur præſcriptio quadragenalis ex cap. *Ad aures*, extra, de Præſcript., & cap. *Quia indicante*, ibi; quo in loco Alexander Tertius decernit contentionem circa fines prædiorum Eccleſiaſticorum terminandam quadraginta annorum præſcriptione utrique parti ſervata. Quando autem conſuetudo derogat Juri communi, non perſonali duntaxat, JCC. docent neceſſariam eſſe præſcriptionem temporis immemorabilis, qualis cenſetur ſi centenaria eſt: ac præterea requiritur, ut repetito judicio conſtet conſuetudinem ejuſmodi revera perſiſtere. Videatur Cardinalis Tuſchus Concl. DCCXCVI.

Conditio tertia eſt, ut conſuetudo inducatur actibus externis, non neceſſitate patratis, ſed libere, ſæpius etiam repetitis, neque ab uno, vel altero tantum, ſed a majori ac ſaniori populi parte: unde errant, qui cum Diana, & Leſſio putant ad conſuetudinem ſatis eſſe, ſi actus bis, aut ter repetantur. Conſuetudinem quippe, ut liquet ex allata definitione, uſus & vetuſtas in morem perducit. Dicitur quidem cap. *Ita nos*, cauſſa xxv. q. 2., geminata cædes Pontificum, uſus & conſuetudo ſacrilega; ſed ut principio animadvertimus, aliud eſt conſuetudo graviorem culpam conſtituens, & majori punitione plectenda, aliud jus conſuetudinis induens ipſius legis naturam. Quapropter laudato capite, *Ita nos*, appellatur jure merito ſacrilega conſuetudo, funeſta pernicies, dirumque contagium geminata cædes Scyllacænorum Antiſtitum, quoniam horrendi criminis atrocitate viam ſternebat parricidalibus exemplis, & nefarium crimen erat ſeveriori ultione plectendum. Imo ex his infertur, in levioribus criminibus, in quæ magis humana infirmitas labitur, dicendam non eſſe conſuetudinem unam & alteram ejuſdem culpæ perpetrationem, ſed actuum frequentatione inolitam.

Accedit conditio quarta, ut conſuetudo inducatur intentione obligandi; nam hujuſmodi intentio etiam ad conſtituendam legem eſt neceſſaria. Quamobrem ſi aliqua conſuetudo inducta fuerit cauſſa devotionis tantummodo, ut ſub veſperam ac meridie ſalutare Deiparam, cineres ſumere die poſt Quinquageſimam quarta, feſtum aliquod ex devotione celebrare, alioſque uſus plurimos; non peccat conſueta prætermittens, præciſo ſcandalo, divorumque contemptu. Similiter ſi recepta ſit conſuetudo ad oneriſ legis levamentum, ut quam diximus de obſervatione ſabbati in provinciis Caſtellæ & Belgii, aut conſuetudo parvæ refectionis in diebus conſecrandis jejunio; poteſt quis a conſuetudine recedere, nec non obſervatione legis ſibi meritum comparare. Inductam conſuetudinem cum intentione obligandi cenſendum eſt, quando tranſgreſſores puniuntur, aut apud viros probos ac pios male audiunt, nec non ſi plebi, ut dictum ſupra, ſcandalum præbeatur. Quod ſi incertum eſt, an cauſſa devotionis, an obligandi animo inducta fuerit conſuetudo, judicandum eſt ex devotione fuiſſe introductam; nam lex non præſumitur, niſi probetur.

Ultima conditio eſt, ut conſuetudo inducatur Legiſlatoris conceſſu. Non requiritur tamen conſenſus explicitus, ſed ſufficit tacitus, quem JCC. appellant conſenſum legalem. Habetur conſenſus ejuſmodi, quando legiſlator conſuetudini, quæ contra legem inducitur, ſciens ac lubens non repugnat, nec urget legis obſervationem, neque in tranſgreſſores animadvertit. Dicitur enim in hac hypotheſi legem ceſſare *via conniventiæ*. Si autem invaluit conſuetudo inſcio legiſlatore, ut vim habeat prærequiritur præſcriptio temporis, de qua ſupra. Tanto enim ſpatio poterat legiſlator de obſervatione legum ſuarum inquirere, atque id facere tenebatur; ideoque intervenit conſenſus legalis, etiam dum lex præſcriptione abrogatur. Si tamen legiſlator conſuetudini repugnat, eamque nova lege reſcindit, nullam conſuetudo vim habet, quia voluntas Principis voluntati populorum eſt præferenda.

His conditionibus explicatis, conſtat non omnem conſuetudinem habere vim abrogandi legem. Si enim ſit conſuetudo adverſus legem naturalem, aut divinam, irrationalis eſt, & caret conditione priori. E. gratia conſuetudo inferens gravamen Eccleſiæ, & quæ inducitur ad peccandum, & ad propria bona diſſipanda & patrimonium, ut habetur cap. *Ex parte*, Extra, de conſuetud. Atque idem dicendum eſt, ſi aliqua ex ceteris conditionibus deſideretur. In quibus explanandis omnes circa conſuetudinem quæſtiones, ut librum tandem abſolveremus, curavimus extricare. Abſolutum tibi, benevolentiſſime Lector, libens propono: iis, qui aliena carpunt & rodunt, non profero: Eccleſiæ primum, tum Theologis & Juriſconſultis ſubjicio: Summo Deo, per quem Principes juſta decernunt, dico & conſecro. IpſI CVLtVM, Vt Leges IVbent, tVI Deo eXhIbere.

DE

Digitized by Google

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS
LIBER VICESIMUS PRIMUS,

Qui pertractat de humanis Officiis, indigatque in genere illorum, ſive ſalutaria ſint, ſive conſcelerata, naturam.

LEGUM, quas naturæ ſingulorum animo inſcripſit, quas oblivione deletas tabulis lapideis ſupremus mundi Rector inſculpſit, & quas humani Generis Reparator Apoſtolis tradidit, hi vero per univerſum terrarum orbem promulgaverunt, unus eſt finis maximus ac præſtantiſſimus, creaturarum ſcilicet rationalium mores formare, vitia cohibere, promovere virtutes, agendarum rerum normam, rationemque proponere, improboſque a pravis, flexiſque ſemitis revocare. Ad ſublimem hunc, perfectiſſimumque σκόπον diriguntur etiam humana Jura, tam Eccleſiaſtica, quam Politica: & licet hæc ſpectare videantur temporale commodum Reipublicæ, Regnorumque mortalium tranquillitatem, in his tamen finis illorum præcipuus minime conſtituitur: ſed, quemadmodum Legumlator ſempiternus, hujuſque Univerſi ſupremus Artifex condidit terram pro filiis hominum, & in gratiam immortalis animi corpus plaſmavit de limo; ita Eccleſiæ Antiſtites, ita Imperatores, ac Reges, aliique humanarum legum Conditores, qui ipſius Dei vices gerunt, atque per illum, ut inquit omnium hominum Sapientiſſimus, regnant, & juſta decernunt, res terrenas, corporeaſque hominis cauſſa moderantur; ut homo ipſe facilius poſſit Creatori ſuo obtemperare, rectiſſimoque ordine militantis Eccleſiæ, ac terreſtris civitatis perfecto regimine, aſſequi cæleſtis urbis Jeruſalem, ſanctorumque civium pleniſſimam felicitatem. Qui enim ſolam politiam, & conſuetudinem, ſecundum quam vivere unumquemque, & inter homines converſari decet, ſtatutis ſuis nititur confirmare, neque illam referre ſtudet ad ſpiritalem principatum; hic Legumlatoribus, Viriſque principibus non eſt accenſendus, quoniam non curat, quod in legibus præcipuum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima: aut ſi placet illum dicere præſcriptorem juris, populique Rectorem, haud nobilior erit principibus Babylonis; ideſt perturbatæ civitatis, & redactæ in confuſionem multitudinis. Cum itaque civibus Jeruſalem, non Babylonis unuſquiſque noſtrum percupiat adnumerari; ego autem ſuperiori libro præſcriptiones legum, quantum ſuſcepti Operis patiebantur anguſtiæ, tradiderim, non ut inſtruerem politicos, ſed ut Auguſtinenſibus diſcipulis inconcuſſa ſancti Parentis dogmata, & probitatis regulas commonſtrarem; æquum eſt, ut abſoluta de Legibus diſſertatione, humanorum officiorum naturam, genera, & canones exponere non prætermittam: quod proximo libro primo ac viceſimo, ſi mihi aderit propitium Numen, non abſque ulla legentium utilitate perſolvam.

CAPUT I.

Quid ſit humanum officium, de quo pertractandum eſt, & quo pacto cum metu, concupiſcentia, & ignorantia meritum comparetur.

NON aliud humanorum Officiorum nomine intelligo, quam opera, in quorum exercitatione ſita eſt vitæ honeſtas, vel turpitudo, ſive ut in conſuetudine ſermonis habemus, humanos actus. Placuit autem illo potius nomine uti, quod agere dicantur mortua quoque elementa, bruta, & ipſa homo operans abſque deliberatione, & conſilio: ſed perſolvere, aut ſervare officium nemo jure dicetur, qui implenda munera inſpectione, & libertate non ſuſcipit. Neque nova intrudo vocabula, ſed quæ cum Tullio omnes Latini probarunt, cum Ambroſio autem, ceteriſque Patribus Auguſtinus. Eſt itaque humanum officium, *Actio ex deliberata voluntate procedens*: qua definitione deſcribunt Theologi humanum actum. Qui ut humanus dicatur, ſitque ſub dominio ac poteſtate rationalis creaturæ requirit motum liberum voluntatis, ideoque deliberationem proficientem ex advertentia rationis; hoc eſt, debet eſſe voluntarius, ac liber.

Et *voluntarium* quidem habet quamdam majorem, quam habet *liberum*, latitudinem. Nam *voluntarium* dicimus intrinſecum motum voluntatis erga objectum lumine rationis propoſitum, ſive ſpontaneus ſit ille motus, nec poſſit voluntas refugere, qualis eſt propenſio ad bonum in communi, & inflexibilis beatarum mentium erga ſummum, & incommutabile bonum amor: ſive perſeveret in voluntate optionis poteſtas, & facultas reluctandi, cujuſmodi eſt boni mutabilis delectatio, & ipſe amor Dei in tenebroſa hac mortalitate, ubi nondum quid Deus ſit mentibus humanis apparuit. Quando autem hæc optio, & reluctandi poteſtas viget in voluntate, ejus motum non ſolum voluntarium appellamus, ſed etiam liberum: & ideo voluntarium tollit externa vis, & coactio, liberum vero neceſſitas ineluctabilis, quamquam adjuncta ſit pleniſſimæ ſpontaneitati, ac lubentiæ. Verum hæc omnia tam aperte explicavi lib. de Divina Scientia cap. 13. Regula v., lib. de Angelis cap. XIII. de primo Homine cap. X. de Hæreſi Pelag. cap. pariter decimo, de Hæreſi Luthero-Calviniana cap. 2., & 3. & de Janſeniana cap. I. ut certa mihi hæreat animo perſuaſio, ſuperfluum eſſe quidquam addere, vel ad percipiendam libertatis naturam, vel ad removendam ab Auguſtiniana doctrina ſuſpicionem quamlibet Janſenianæ.

Poſtquam ergo ideam voluntatis, ac libertatis præformavimus, atque diſſipare ſtuduimus denſam, & circumfluentem caliginem, reſpondendum breviter variis quæſtionibus a Scholaſticis in limine hujus Tractatus propoſitis. Ac primo inquirunt quomodo ſe habeat ad voluntatem coactio, per quam homo aliquid facit invitus, ut dum trahitur ad carcerem, projicit in tempeſtatibus merces, atque aggreſſoribus pecunias tradit, aliaque facit gravi metu coactus. Ad quam diſquiſitionem una eſt omnium reſponſio, nunquam voluntatem cogi quoad actus elicitos, propriam ſcilicet inclinationem, amorem, odium, delectationem; cogi tamen quantum ſpectat ad actus imperatos, eos ſcilicet, qui diverſa a voluntate facultatibus perficiuntur: cujuſmodi ſunt cernere, loqui, ſcribere, ambulare, quæ peraguntur oculi, oris, manus, & pedum miniſterio. Quod alibi notatum eſt, & hac ratione apertiſſime demonſtratur. Ut impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe, ita fieri nequit, ut voluntas ſimul velit, & non velit. Cogi ergo invita non poteſt, alioqui vellet nolando, & fugiendo diligeret, ſive vellet & non vellet, diligeret & non diligeret: quod diximus repugnare. At corporis inſtrumenta, per quæ conceptam explet inclinationem, poſſunt optime ab exterioribus cauſis impediri, vel retardari: ideoque accidit ſæpenumero, ut quod cupimus non valeamus complere cauſis aliquibus adverſantibus. Atque hoc eſt voluntatem cogi in actibus imperatis, ideſt plura facere, aut prætermittere, invitam licet, ac repugnantem. Per quæ priori quæſtioni breviter ſatisfactum eſt.

Affinis eſt altera, an metus gravis efficiat, ut opus quod patratur dici voluntarium non debeat. Cui ſane quæſtioni obvia eſt reſponſio, ſi diſtinguamus duplex voluntarii genus. Aliud quippe eſt quod ita efficaciter volumus illius honeſtate, aut utilitate allecti, ut nequaquam ad illud omittendum opere animoque inducamur, quaramcumque rerum circumſtantia accedente. Atque iſtud appellant Scholæ *voluntarium ſimpliciter*: & locum habet in omnibus, quæ a voluntate eliguntur circumſtantiis ſingulis ſpectatis; ſit in exemplo confeſſio martyrum Chriſtum etiam laniato corpore profitentium. Voluntarium eſt aliud, quod per ſe quidem voluptatem, & amorem ſui ingenerat, atque voluntas illud lubentiſſime amplecteretur, ſed adverſantibus cauſſis majus pondus habentibus deſeritur, ac projicitur. Iſtud vero appellant Scholaſtici *involuntarium ſecundum quid*, abſolute autem ſecundum ſe voluntarium: cujuſmodi eſt in mercatore voluntas projiciendi merces, dum imminet naufragium. Hac vero diſtinctione præmiſſa dicimus in iis, quæ fiunt ex metu haberi duntaxat rationem involuntarii *ſecundum quid*, fieri tamen actionem lubenter, voluntarie, ac libere. Et ratio eſt; quoniam dum homo metu operatur, v. g. projicit merces in mare, aut porrigit aggreſſori crumenam, non operatur abſque advertentia rationis, ſed judicat propriæ vitæ conſervationi cum merces, tum pecunias eſſe poſtponendas; ideoque operatur cum advertentia, & optione: quæ duo ſunt cardines voluntatis, ac libertatis. Quoniam vero tenetur adhuc mercium, & pecuniarum amore, neque illas amitteret in diſcrimine periculoque vitæ minime conſtitutus; hinc eſt, quod invicem confligunt amores duo, unus vitæ, alter nummorum, & ille iſtum ſuperat animum diſſipando, ideoque non ſine reluctantia, vehementique pugna privat ſe homo bonis ceteris pro vita ſervanda: quod diximus communiter appellari involuntarium *ſecundum quid*. Atque ex his liquet non eo ſenſu metum reddere involuntarium *ſecundum quid*, quaſi reluctantia illa, & minor propenſio voluntatis efficiatur a metu, cum oriatur aliunde, ſcilicet ab affectu repugnante actioni, ad quam metus impellit: ſed idcirco dicitur induci metu involuntarium *ſecun-*

dum

dum quid, quoniam trahitur voluntas ad illam actionem, a qua proculdubio abſtineret, ſi metus non adeſſet. Nec aliud principium habet metus ipſe, quam amorem boni alicujus, quo affecti metuimus quicquid poteſt nos eodem bono privare.

Pugnat adverſus dicta, quod leges reſcindant contractus, ac vota, quæ fiunt gravi metu impellente: cujus rei nulla alia cauſſa videtur proferenda, niſi quia carens voluntatis conſenſu. Sed reſpondemus contractibus, qui ad humanam ſocietatem, ac mutuam benevolentiam ſunt inſtituti, hanc a legibus appoſitam conditionem, ut non ſola libertate ſtatuantur, verum etiam careant iis adjunctis, quæ ſocietatem ipſam humanam lædunt, ac ſcindunt: cujuſmodi eſt uti minis, ac violentia in celebrandis contractibus. In votis pariter reſpicit Deus non voluntatem duntaxat, ſed voluntatem, libertatemque pleniſſimam, utpote qui non indiget rerum noſtrarum oblatione, ſed attendit voluntatis fervorem. Ceterum ſi metu quantumvis gravi, proximæ etiam, ac truculentiſſimæ mortis, tentaret quiſpiam nos ad peccatum inducere; ſi præbeamus aſſenſum, nequaquam dicemur ſine culpa peccaſſe: quod ſatis eſt ad probandum ea, quæ metu patrantur, non eſſe abſolute, & ſimpliciter involuntaria.

Quæſtio proxima eſt de concupiſcentia, cum ipſa ſaltem tollas ab humano opere rationem voluntarii. Cui reſpondendum eſt negative. Cum enim in voluntario attendi debeat advertentia rationis, & amor, ſeu propenſio voluntatis, atque dum fervet concupiſcentia, cupidius mutabilia bona appetantur; conſequens eſt concupiſcentia voluntarium non minui, ſed augeri, in quantum voluntas fertur ad bona fluxa, & commutabilia, quorum voluptatem ad diſtinctionem ſanctæ delectationis appellamus concupiſcentiam. Quod ſi loquamur de inclinatione voluntatis ad bonum, cui contranititur inſeminata cupiditas, dico concupiſcentiam minuere voluntarium, propterea quod lucta, ac pugna cupiditatis animum diverberando, efficit ne bonum proſequatur vehementiori niſu, & caritatis ardore: atque ita concupiſcentia extincta, & ſummo bono apertiſſime revelato, neceſſum eſt ut illi voluntas adhæreat, nulla permanente optione, vel indifferentia libertatis. Quid autem ſi concupiſcentia adeo vehemens ſit, & robuſta, ut omnem rationem perturbet, nec ſupernæ gratiæ lumen affulgeat? Foret in eo caſu extenuata quidem vis voluntatis in ordine ad bonum, & perturbare ſenſibilium rerum permixtione aciem mentis; ſed perſeveraret adhuc liberi arbitrii ſub morali quadam neceſſitate facultas; quoniam nullum bonum ſenſibile poteſt rationalis creaturæ animum inſuperabili neceſſitate compellere.

Proxima eſt quæſtio, an conſiſtat cum ignorantia libertas. Quam breviter reſolventes (nam de ignorantia agendum eſt ſpecialiter.) dicimus, aliam eſſe ignorantiam invincibilem, aliam vincibilem. Invincibilis ignorantia eſt illarum rerum, quas aliquis etiam omni adhibita diligentia ſcire non poteſt, ut ignorantia myſteriorum fidei in his, quibus nondum annuntiatum eſt Evangelium. Ignorantia autem vincibilis ea eſt, quam aliquis ſuperare poteſt, ut ignorantia noſtra de plurimis veritatibus in ſacris canonibus, & decretis Romanorum Pontificum expreſſis. Hæc autem ignorantia, vel eſt eorum, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt, negligit tamen illa addiſcere, vel etiam affectat ignorantiam, quo liberius peccare poſſit; vel eſt ignorantia illarum rerum, quas poteſt quidem aliquis ſcire, ſed nullatenus ſcire tenetur. Verſatur autem omnis ignorantia, vel circa jus, vel circa factum. Dicitur ignorantia juris, quæ circa legem verſatur, ut ſi ignoret aliquis hunc contractum eſſe illicitum, hunc conſanguinitatis gradum dirimere matrimonium. Ignorantia facti ea eſt, qua ſciens legem ignorat num opus, quod exercet, ſit ejuſdem legis ſubſtratum: ut Abimelech ſciens tangendam non eſſe alienam uxorem concupivit Saram, quam ignorabat nuptam Abrahamo, & Jacob ſciens non eſſe comprimendam virginem, niſi connubium præceſſerit, dormivit cum Lia, quam opinabatur eſſe deſponſatam ſibi Rachelem.

His itaque conſtitutis, dicimus ignorantiam invincibilem, ſive juris ſit, ſive facti, excludere penitus voluntarium, ac liberum, ideoque & actuale peccatum, quod nullum profecto eſt, niſi ab eo liberum ſit abſtinere, ut multis argumentis evicimus de H. Calviniana cap. 2., & 3. ſolutis iis, quæ ex adverſo objectant heterodoxi. Tolli autem per ignorantiam invincibilem voluntarium conſtat ex allata ſuperius voluntarii definitione. Ac propterea rectiſſime damnata fuerunt illa aſſerta: *Infidelitas negativa in iis, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt*: &, *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali*. Ignorantia autem vincibilis, ſi ob ſolam negligentiam ea quiſpiam laboret, quam ignorantiam *Craſſam* dicimus ſermonis uſu, minuit quidem voluntarium, & qui ex tali ignorantia operatur, *vapulabit paucis*, ut habetur in Evang. Lucæ XII. 48. ſed cum volita ſit indirecte, eo quod ignorans, ut neceſſaria ſciret, diligentiam debitam non adhibuit, non efficit, quin opus ex tali ignorantia patratum cenſendum ſit liberum, ac voluntarium. At ſi quis magis amat laborare ignorantia, ut peccare poſſit liberius, quemadmodum ille, de quo ſcriptum eſt: *Noluit intelligere, ut bene ageret*; adaugetur in eo ratio voluntarii, & peccati; quoniam, ut ſcribit Doctor Angelicus 1. 2. q. 76. art. 4. *Vult ſubire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi*.

Vidimus hactenus quid ſit humanum Officium, & quando ſit cum voluntate, ac libertate conjunctum. Reſtat ut brevitas dicamus de bonitate, ac malitia humanis officiis inſita. Nihil aliud ea eſt, quam cum recta ratione, & immutabili lege veritatis, & æquitatis omnium animis indita, ipſoque divino lumine creaturæ rationali affulgente, convenientia, vel diſſonantia. Quicquid ergo regulæ illi conſentaneum eſt, in genere morum eſt optimum; quicquid a regula illa deflectit, malum, ac indirectum. Explicavi hæc omnia lib. XVIII. idest in Comment. ad Epigrammata Proſperi cap. III. Qualem vero ordinem regula illa præſcribat, dixi ſuperiori libro de legibus cap. IV. ex quo etiam capita, aliiſque locis diſſertationum noſtrarum plurimis faciliimum erit percipere ſummum, atque incommutabile bonum illud eſſe, ad quod omne opus creaturæ rationalis eſt dirigendum, reliqua creata bona nonniſi illius gratia eſſe expetenda. Atque ea his infertur nullum alium finem admittendum eſſe humanorum officiorum ultimum ac principem, præter Deum ſummum bonum; cetera media eſſe, quibus fas eſt pro illius conſecutione uti, non autem frui. Quæ omnia ſatis explicare me impulerunt, ut quæ Theologi alii diſputant ſtylo ampliori de voluntario, de libero, de moralitate, ac fine actuum humanorum, nunc ego ceterarum lucubrationum mearum ſynopſi ob oculos lectoris ponerem: quod capite hoc primo complevi.

CAPUT II.

An detur humanum aliquod opus indifferens, expers ſcilicet tam nequitiæ, quam probitatis.

QUÆSTIO inſtituitur de operibus cum deliberatione ac libertate patratis: nam indeliberatis, ac neceſſariis nullam meriti, laudiſque ineſſe rationem, quemadmodum nec vituperii, atque malitiæ, ſatis liquet ex diſputatis. Eſt autem omne opus deliberatum cum fine operantis conjunctum, atque ad objectum aliquod cum advertentia directum: atque hinc, ex objecto ſcilicet, ac fine ſuam deſumit bonitatem, ſive malitiam. Nam quod docet Schola humanorum officiorum qualitatem petendam eſſe ab objecto verum eſt, ſcribente Auguſtino Epiſt. 155. *Mores noſtri, non ex eo quod quiſque novit; ſed ex eo, quod quiſque diligit, dijudicari ſolent*; atque omnibus fatentibus rationi eſſe conforme Deum colere, atque diligere, diſſonum vero amare turpe lucrum, & illicitam voluptatem. Sed fieri tamen poteſt, ut operemur erga objectum honeſtum, & dilectione dignum, & tamen pravus finis vitiet opera, ut ſi largiamur eleemoſynam ad inanem gloriam captandam, aut Deo præſtemus obſequium pro temporalibus bonis unice comparandis. Quamquam contingere nunquam poteſt, ut ſi objectum malum ſit ac prohibitum, operationem rectus finis honeſtet: propterea fert commune proloquium oriri malum *ex quocunque defectu*. Quare non e ſolo objecto penſanda eſt humani officii natura, ſed etiam a circumſtantiis reliquis, & præſertim a fine, quo allicimus, ac movemur, ſive, ut penitus abjiciamus orationem ſcholaſticam, *a tendentia in objectum*. Hinc dictum alibi cum Auguſtino, non externo officio, ſed fine, vitium, ac virtutem diſcerni: quod eſt in hac præſertim quæſtione attendendum.

Si ergo humanum aliquod opus conſideretur comparate duntaxat ad objectum, conveniunt omnes, plura eſſe humana officia ſuapte natura indifferentia, ut ambulare, levare feſtucam, ludere pila, aut latrunculis, aliaque facere nullis legibus vetita: atque Schola appellat hæc opera indifferentia *ſpecie*. At ſi humana actio conſideretur in *individuo*, nimirum, ut hic, & nunc ponitur, tali fine, ac tali rerum circumſtantia, probabilior eſt ſententia Thomiſtarum, ac omnium Noſtratium ſemper actionem illam eſſe in genere morum rectam, aut pravam.

Plura diſſerui præcedenti libro XVIII. cap. 3. de operibus moraliter bonis, unde pendet hujus quæſtionis ſolutio. Dixi defendere complures, quod teneamur referre in Deum actiones omnes deliberatas, quorum ſententia proximis argumentis fulcitur. I. Eſt præceptum (inquiunt) caritatis, ut diligamus Deum ex toto corde: quæ dilectio nequaquam haberi poteſt, niſi referamus in Deum *omnes cogitationes, omnem vitam, & omnem intellectum*, juxta doctrinam Auguſtini lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 22. Cui argumento ſi reſpondeas præceptum diligendi Deum, cum ſit affirmativum, non ſemper obſtringere, inquiunt illius ſententiæ Patroni verum id quidem eſſe, ſed cavendum tamen dum actu opera deliberata exercemus, ne in re creata ſiſtat animus, ac fruatur bono aliquo commutabili: quod ſane foret ordinem pervertere dilectionis. At niſi re-

ſuas actiones deliberatas in ſummum bonum, hæres animo bonis commutabilibus, ordine ſanctæ dilectionis turpiter permutato. II. Proferunt teſtimonium Pauli 1. ad Corinth. x. 31. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Quod ſi dixeris conſilium eſſe, non præceptum; reponent eadem ratione præceptum eſſe ne fruamur creaturis, quibus uti debemus; iis neminem bene uti abſque amore Creatoris, ut docet S. Pater lib. iv. contra Julianum cap. 3. Cum ergo non conſilium, ſed præceptum ſit ordine dilectionis frui ſolo incommutabili bono, aſt etiam præceptum non conſilium, ut omnia fiant in caritate, ſive cum relatione in Deum. III. Producunt teſtimonia Patrum innumera, ac præſertim Auguſtini ſcribentis loco nuper laudato: *Quicquid boni ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt*. Similia docent Ambroſius ſerm. in Malach. Bernardus Tract. de caritate cap. 1. Baſilius Magnus libro regularum reſponſione 5., & S. Thomas, qui de caritate art. 2. ad 3. ait: *Virtualiter omnia referre in Deum, cadit ſub præcepto caritatis, cum hoc nihil aliud ſit, quam habere Deum ultimum finem*. IV. Afferunt argumenta plura, omnia tamen hoc fundamento ſtabilita, quod homo creatus ad imaginem Dei nequeat in aliquo creato bono finem ultimum conſtituere: habeatque rationem finis ultimi quicquid ſaltem virtualiter in alterum non refertur. Quod ſi plura de hac ſententia cupias legere, adito Vanroy Tom. 1. Theologiæ moralis, Tract. 2. c. 1. Aurelium Pietta Tom. 2. quæſt. 1. Antonium Guerrero Tom. 1. Tract. v. §. 2. Gavardi Tom. iv. q. 5. Nicolaum L' Herminier Tom. v. pag. 3d1. Nat. Alexandrum lib. 3. de peccatis Regula lvii. &c.

Eſt tamen pluſimorum apud Suareſium lib. 1. de Grat. cap. 6. oppoſita præcedenti ſententia, quod omnia opera in Deum minime teneamur referre: eamque his communiunt argumentationibus. I. Cum abſque fide, & caritate impoſſibile ſit in Deum opera deliberata referre, ſi abſque tali relatione vitiata forent atque perverſa, ſequeretur veram eſſe, & immerito damnatam illam propoſitionem Baji: *Omnia opera infidelium ſunt peccata*, & alteram Queſnelli: *Sola caritas Chriſtiano modo facit actiones Chriſtianas per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum*. Quam tamen argumentationem facile elides reſpondendo dari cum in infidelibus, tum in peccatoribus opera indeliberata, quæ careant omni vitio & peccato, necnon plura, quæ non ſine gratia etiam ab infidelibus fiunt, & multa pariter facta a peccatore cum ſola gratia actuali, & abſque gratia ſanctificante: quæ ſi fatearis, nullam pertimeſces ab Eccleſiaſticis cenſuris latis in eos, qui etiam in motibus indeliberatis ac neceſſariis nequitiæ & culpæ labem excogitarunt, neque ullam gratiam admiſerunt vel ante habitum fidei, vel ante remiſſionem peccatorum: quæ Baji, & Queſnelli dogmata ſunt capitalia, nullatenus præcedenti doctrinæ conſectanea: quod alibi demonſtratum eſt. II. Stant pro hac ſecunda ſententia etiam Auguſtini aliorumque Sanctorum teſtimonia. Nam S. Pater lib. de Bono Conjugali cap. 6. ait: *Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam*. Serm. 159. *Delectat guſtum cibus non prohibitus; delectant guſtum etiam epulæ ſacrilegorum ſacrificiorum: iſtud licite, iſtud illicite. Videtis ergo cariſſimi etiam in iſtis corporis ſenſibus licitas eſſe, & illicitas delectationes*. Sed reſpondent Noſtrates, permitti ab Auguſtino voluptatem, atque delectationem, quæ cibo, potu, aliiſque ſenſuum actibus percipimus, in quantum concomitans eſt, & actus ipſos conſequitur: non autem affirmari, quod fas ſit illius delectationis cauſa operari, ita ut in voluptate tamquam in fine ſiſtat ipſorum actuum exercitatio. Etenim Auguſtinus Tract. 2. in 1. Joannis Epiſtolam apertiſſime allata loca exponit, ſuamque mentem manifeſtat, ſcribens: *Quando dicitur, Nolite iſta diligere, hoc dicitur, ut non manducetis, aut non bibatis? Non hoc dicitur; ſed ſit modus propter Creatorem, ut non vos illigent iſta dilectione, ne ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis*. Cohærenter ad hanc Auguſtini doctrinam proſcripta fuit ab Innocentio XI. ea propoſitio: *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*. III. Habent præterea hujus ſententiæ defenſores ſuas & ipſi ratiocinationes. Quarum prima eſt præceptum referendi omnia in Deum opera eſſe affirmativum, ideoque non ſemper obſtringere operantem. Proxima eſt, quod impoſſibile ſit tanta in hominibus attentio, ut quicquid efficiunt, referant in Dei gloriam. Tertia, quod nimium eſt arduum exiſtimare quod prava ſint, quæ fiunt motivo honeſtatis, puta eleemoſynam pauperi diſtribuere ex commiſerationis affectu. Verum & his occurrunt reponendo præceptum illud, etſi non obliget ſemper, obſtringere in hypotheſi, quod homo operetur deliberate, atque ex conſilio, cum nullum alium finem ultimum poſſit ſibi præfigere præter bonum incommutabile: non eſſe impoſſibile omnia in Dei gloriam referre virtualiter, tametſi arduum eſt id ſemper actualiter præſtare; difficultatem, ſi qua eſt, ipſa caritate complanari:

ac tantam eſſe infirmitatem naturæ humanæ, ut ſine gratiæ adjutorio non valeat quodlibet peccatum vitare. Ad ultimum inquiunt opus ex motivo honeſtatis patratum in ſe, & officio ipſo ſpectato, bonum eſſe, & rationi conſentaneum, ſed defectum eſſe in fine operantis, qui illud ad debitum finem non refert.

His præſidiis poteris priorem illam Auguſtinenſium ſententiam ſartam tectamque tenere, aut, ſi mavis, amplecti poſtremam. Memineris tamen me elegiſſe mediam viam, de qua plura memorato capite tertio libri avrt. Dixi omnium menti ineſſe regulam quamdam incommutabilem æquitatis, ſed hominem ipſum magis movere, atque ad agendum trahere imagines rerum ſenſibilium, & inſeminatam peccato primi hominis noxiam cupiditatem: ad hanc comprimendam divinitus nobis inſpirari gratiam ſanctæ delectationis. Ad propoſitam ergo quæſtionem ex hac mea opinatione conſequens habetur reſponſum. Vel humanus actus dirigitur per caritatem, & gratiam ſanctæ delectationis in Deum, & eſt bonus undequaque; vel per ideam illam incommutabilis æquitatis rectæ rationi deprehenditur convenire, & eſt bonus moraliter: vel peragitur ob inanem gloriam, & eſt inflatum typho ſuperbiæ; vel propter res ſenſibiles, & creatas, & cupiditate marceſcit. Igitur in individuo nullus datur humanus actus indifferens. Addo quod niſi adſit caritas, per quam referatur in Deum, in praxi operans non operabitur propter æquitatem, cujus habet ideam ingenitam, ſed aut ſibi placens, aut fruens bonis commutabilibus, & ideo opus erit pravum, atque perverſum. Atque hæc aſſerta ex prætexto capite ſua veluti ſponte dimanant. Neque ab Auguſtino aliena eſt, qui libro 2. de peccatorum meritis cap. 18. docet non poſſe in medio quodam humanam voluntatem conſiſtere, *Ut nec bona ſit, nec mala*; & in libro de utilitate credendi cap. 12. ait: *Omne factum ſi recte factum non eſt, peccatum non eſt; nec recte factum alio modo eſſe poteſt, quod non a recta ratione proficiſcitur*. Hinc Vaſquefius, pugnet licet pro ſententia contraria, fatetur nihilominus 3. p. diſp. 25. cap. 6. S. P. Auguſtinum nullum indifferentem actum admittere.

Objiciunt Adverſarii 1. locum Hieronymi ex Epiſtola 89. inter Auguſtinianas at. vel lxxv. *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria. Inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi ſtercora, capitis naribus purgamenta projicere, ſputis rheumata jacere. Hoc nec bonum, nec malum eſt. Sive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam*. Reſpondetur Hieronymum loqui de operibus conſideratis in ſpecie, ſive ſpectato duntaxat eorum objecto, non autem in individuo, prout hic, & nunc exercentur, & quatenus cum intentione, ac fine operantis ſunt conjuncta. Hoc autem pacto nemo denegat eſſe indifferentia; cum verſentur circa objectum, quod nec prohibitum eſt, nec præceptum. Nemo pariter affirmat exercitamento illorum operum juſtitiam comparari, vel injuſtitiam, cum hæc duo non opere, atque officio penſentur, ſed fine, qui in operante eſt, non in opere. Hanc eſſe mentem Hieronymi conſtat ex verbis nuper recitatis, atque ex ipſo Epiſtolæ argumento. Ait enim principio *bonam eſſe continentiam*, in ſe utique ſpectatam, & ratione objecti; nam ſi continens ſit avaritiæ gratia, aut philautia quadam, & inani jactantia, quis dubitat continentiam tuam non eſſe bonam, atque vinci a te vitium vitio? Addit poſthæc indifferens eſſe *ambulare, ſputa jacere, naribus purgamenta projicere*: quæ ſi preſſes, ut amaſiam videat, hoſtes contemnat, proceum arceſſas, quis neget a te indifferens opus vitiari? Ergo Hieronymus in operibus, quæ indifferentia appellat, officium ſpectat, non finem. Itaque ut probet obſervationem legalium non eſſe natura ſua indifferentem, ut potuerit ab Apoſtolis pro temporum opportunitate exerceri, vel prætermitti, ſed malam fuiſſe, ac prohibitam, ideoque non ſincere, ſed quadam diſpenſatione uſurpatam. Qua in re non ſolum Hieronymus fatetur finem operum eſſe attendendum, ſed etiam tenet reprobatam ab Auguſtino ſententiam, in obſervatione legalium mala per ſe ac prohibita magnam apparere, ac novam *clementiam Apoſtoli, dum Judæos Chriſtianos volens facere, ipſe Judæus factus eſt*. Ea propter Hieronymus plus, quam dicamus nos, dicit: quoniam arbitratur opus *in ſpecie* malum, eſſe bonum *in individuo*, & provide ab Apoſtolis ſervata legalia, & ſimulata præcepta etiamſi exiſtimet legalia ipſa mortifera. *Sed cavendum eſt*, ut S. P. Auguſtinus reſpondet Hieronymo Ep. at. nunc lxxxii., *ne ſicut Philoſophi quædam facta hominum media dicamus inter recte factum, & peccatum, quæ neque in recte factis, neque in peccatis numerentur*, ſpectans *in individuo* opera, quæ Hieronymus dixeret *in ſpecie* tantum indifferentia.

Deinde objiciunt Adverſarii, quod loqui, ambulare, ludere ob ſolum libertatis exercitium non ſit opus bonum, neque malum: non bonum, ut per ſe patet; non malum, quoniam ad pravum finem nequaquam refertur. At conſtat ex dictis reſponſio: hi enim, & conſimiles actus ſunt ſecundum ſe indifferentes, in individuo autem, & ſpectato fine operantis, omni malitia non carent, non quia ex fine pravo ponantur, ſed quia recto fine deſtituantur. Et

revo-

Google

revera Matthæi XII. 36. legitur: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. Porro, ut animadvertit Gonet Tract. de Moral. Act. Hum. diſp. 5., actio non dicitur otioſa, quod ad finem malum ordinata ſit, ſed quod careat fine debito: & conſequenter loqui, ambulare, ludere exercitationis cauſſa, quamvis turpitudinem finis non habeant, otioſa ſunt & vana, quia carent fine debito ac recto. Atque hinc depromit hujus aſſerti rationem validiſſimam magnus Thomas Aquinas ſcribens 1. 2. q. 18. art. 9. *Sed contra eſt, quod Gregorius dicit in quadam Homilia, Otioſum verbum eſt, quod utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis caret. Sed verbum otioſum eſt malum, quia de eo reddent homines rationem in die Judicii, ut dicitur Matth. XII. Si autem non caret ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis, eſt bonum. Pari ergo ratione & quilibet alius actus vel eſt bonus, vel malus. Nullus ergo individualis actus eſt indifferens*. Hactenus S. Thomas. Ex Angelico autem Præceptore infertur neceſſariam non eſſe ſupernaturalem caritatem ut opus humanum non ſit perverſum ac malum, ſed ſufficere, ſi ponatur ex fine juſtæ neceſſitatis ac piæ utilitatis, qui finis conformis ſit rectæ rationi, & ideæ ac regulæ æquitatis incommutabilis: quamquam in praxi perdifficile eſt ita hanc regulam tenere, ut non prævaleant rationi ſenſuum illecebræ, quando iſtas Gratia Dei non coercet.

Tertio objiciunt, damnatum eſſe a Concilio Conſtantienſi articulum Joannis Hus: *Quod nulla ſint opera indifferentia*. Sed legendus integer articulus ad hunc modum ſe habens: *Quod nulla ſint opera indifferentia, ſed hæc ſit diviſio immediata humanorum operum, quod ſint vel virtuoſa, vel vitioſa. Quia ſi homo eſt vitioſus, & agit quicquam, tunc agit vitioſe: & ſi eſt virtuoſus, & agit quicquam, tunc agit virtuoſe; quia ſicut peccatum inficit univerſaliter omnes actus hominis vitioſi; ſic virtus vivificat omnes actus virtuoſi*. Itaque articulus iſte non agit de indifferentia operum ſecundum ſe, ſed comparate ad juſtum vel impium, quos Joannes Us aſſerabat neceſſario bene vel male operari; bene ſi gratia ſanctificante ſint exornati, male ſi coinquinati ſint culpa. Quod hæreticum eſt aſſerere; nam nec ſemper Juſtus operatur ex caritate, nec ſemper impius ex cupiditate; non enim ſemper in corde peccatorum regnat carnalis cupiditas, neque omnes actiones corrumpit, ut demonſtravimus alio in loco adverſus Quenellum ac Bajum, quorum perverſa dogmata magnam habent cum Huſſitis affinitatem.

Opponunt denique præceptum omnia referendi in Deum, ſive in finem ultimum eſſe affirmativum, nec ſemper obligans: nullam dari ſpeciem abſque individuis; ideoque ſi dantur actus ſecundum ſpeciem indifferentes, admitti quoque debent in individuo; poſtremo dari omiſſionem indifferentem. E. G. non audire ſacrum die feriali, & conſequenter etiam actum. Sed hæc non moror. Nam de primo argumento dictum ſupra ſervandum eſſe præceptum illud quotieſcumque deliberate operemur; imo ſententia noſtra ſufficere, ſi opus a regula incommutabili, quæ Deus ipſe eſt, non deflectat. Ad alterum dicimus in individuo determinatum eſſe certis circumſtantiis, quod in ſpecie eſt indifferens; & argumentationem tenuiſſimam retorquemus. Atque ad ultimum reſpondemus, omiſſionem, de qua ſupra, in ſe ſpectatam indifferentem utique eſſe, quæ nullum præceptum tranſgreditur: ſed conſideratam in deliberatione non audientis ſacrum vel a recto fine cohoneſtari, vel infici e pravo.

CAPUT III.

Num Actus exterior addat interiori bonitatem aliquam, vel malitiam.

PERTRACTATA a veteribus Scholaſticis cum Magiſtro in 2. Sent. diſt. 42. illa quæſtio, *An voluntas, & actio mala in eo eodem homine, & circa eandem rem ſint unum peccatum, vel plura*, ſenſum patitur multiplicem; quem ſi ſcite diſtingues, pleniſſimam hujus dubitationis conſequeris intelligentiam. Vel enim inquiritur, ſit ne exterior operatio peccatum: vel num peccatum operationis externum ſit numero diverſum a pravo deſiderio illud perpetrandi: vel denique, an, dum reapſe committitur, quamdam induat malitiam vel turpitudinem, qua carebat præconceptum, & adhuc latitans in voluntate. Atque idem per antitheſim de recta intentione, & conſequente bono opere inquiritur.

Externam itaque operationem divina lege prohibitam, ut furtum, homicidium, fornicationem, crimen eſſe, atque externum opus divinis mandatis præceptum, ut Dei cultum, obſervantiam feſtorum, honoremque parentibus exhibitum, habere ex ipſo officio laudis decoriſque ſplendorem, non eſt in diſputationem trahendum. Nam peccatum illud eſt, quod legi adverſatur æternæ; & opus virtutis, quod ipſa lege præſcribitur. At plures externas actiones prohiberi, ac præcipi plures alias, non eſt qui compertum non habeat, atque exploratum. Perſpicuum eſt ergo dari cum externa peccata, tum pariter externe virtutum officia.

Actus iſtiuſmodi externos reddere bonum, aut malum opus majus *extenſive*, atque illud quaſi explicare, res per ſe loquitur. In actuali enim opere peccatum ex intimo corde foras miniſterio ſenſuum erumpit, veluti dum mortuum cadaver e domo effertur ad tumulum. Quare externum opus etiam diuturnioris voluntatis indicium eſt, & animi pravitatem vel rectitudinem demonſtrat eſſe ampliorem. Et quidem retrahente ſe animo quieſcunt corporei motus, veluti inferiores rotæ, dum prima conſiſtit, neque dari poteſt externum liberum opus, ſi repugnet voluntas. At fieri tamen poteſt, ut animi intentio, ſive improba ſit, ſive recta, vigeat ac perſeveret, etiamſi opus non perficiatur exterius, cohibente illud cauſſa aliqua ab intima voluntate animoque diverſa. Hoc pacto qui exardeſcit concupiſcentia oculorum, *jam mœchatus eſt*, ut habetur in Evangelio Matth. v. 28. & cum poſſit voluntas ab opere ſeparari, & ad opus procedere, multiplicata ſunt præcepta, E. G. *Non furtum facies*, &, *Non concupiſces rem alienam*: in quorum uno prohibetur opus, quod voluntate mala peragitur; in altero damnatur ipſa mala voluntas. Ex quibus infertur malitiam, quæ deprehenditur in furto, eſſe amplificationem quamdam pravitatis præexiſtentis in animo furis, & quaſi progreſſionem concepti partus ex utero ad lucem: nec eſſe diverſum omnino peccatum quod uno, & peccatum quod altero præcepto eſt prohibitum; quemadmodum idem eſt quod concipitur, & quod naſcitur, idem cadaver latens domi, & funere elatum, idem quod facere cupio, & quod facio. Atque hæc aperte dirimunt poſitam ſecundo loco dubitationem.

Videndum ergo ſupereſt, an hæc major explicatio peccati, quemadmodum certiſſimum eſt argumentum diuturnioris malitiæ, animique in malo perſeverantis; ita peccatum ipſum adaugeat, adeo ut plus habeat meriti, vel dedecoris operatio cum interno affectu conjuncta, quam ipſe internus affectus abſque operis executione.

PROPOSITIO: Externum opus nihil per ſe addit decoris, aut turpitudinis interiori voluntati in rem honeſtam, iniquamve deliberate vergenti: nec penſatur apud Deum ex officio, ſed ex animo præmii dignitas, vel ſupplicii.

Demonſtratur autem: Si externum opus bonitatem, aut malitiam ſuperadderet actui voluntatis interiori, non eamdem promereretur retributionem, aut pœnam, qui habet æque efficacem voluntatem opus rectum, perverſumve patrandi, ſed vel viribus deſtitutus eſt, vel occaſionem nequit nancisci, vel externis adminiculis caret; ac debetur et, qui poteſtate, ceteriſque adjumentis præditus opus intentum aſſequitur. At Scripturarum ſanctarum oraculis, teſtimoniis ſanctorum Patrum, aliorum Scriptorum ſententiis, necnon humanæ rationis lumine conſtat eamdem ab utroque referendam eſſe mercedem, vel pœnam. Operis ergo exterioris impendium nullam per ſe facit bonitatis, aut malitiæ acceſſionem. Minorem I. ſacræ literæ comprobant. Abrahamo enim propter ſinceram animi voluntatem, ac ſi actu immolaſſet filium, a Domino dictum eſt Gen. XXII. 16. *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me*: quæ verba expendens Chryſoſtomus hom. 47. in Geneſim, *Quantum ad voluntatem attinet*, inquit, *cruentaverat dexteram Patriarcha, & per cervicem pueri immiſerat gladium, perfectamque obtulerat ſacrificium: & idcirco Dominus, quaſi ſacrificio reipſa conſummato, laudat juſtum*. De muliere etiam paupercula, quæ in Gazophylacium, ſive ærarium Eccleſiaſticum, miſerat duo tantum ærea minuta, ait Dominus Lucæ XXI. 30. *Vidua hæc pauper plus quam omnes miſit*, magis animum profecto penſitans, quam cenſum. Petrus pariter poſteaquam retia, tenuiſſimumque patrimonium reliquerat, quaſi dimiſſis prædiis multis, ampliſſimiſque divitiis, inquit Matth. XIX. 27. *Ecce nos reliquimus omnia*. Apoſtolus quoque Paulus in 2. ad Corinth. c. VIII. 12. ait: *Si enim voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet accepta eſt, non ſecundum id, quod non habet*; demonſtrans nullam Deo acceptam eſſe oblationem, quæ ex corde non ſit, neque aliam promereri mercedem præter eam, quam poſtulat æqui rectique animi intentio. Atque idem de malis operibus aſſerendum eſt. Etenim, ut paullo ſupra dicebam, ſi quis mulierem adſpiciens intemperanter concupiſcentiæ illius animum mancipaverit, jam ex Dominica apud Mat. cap. v. ſententia, *Mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Et Jacobus cap. I. 15. ſolam concupiſcentiam eſſe quaſi matrem peccati declarat, ſcribens: *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum*. Opus itaque externum a nobis ſupra comparatum concepti partus nativitati trahit a propoſito pravæ intentionis, veluti e materno utero, quidquid habet fœditatis, atque dedecoris.

Hanc eſſe ſanctorum Patrum ſententiam liquet ex productis verbis Chryſoſtomi. Auguſtini autem perſpicua ſunt, quæ habentur lib. I. de lib. arbitr. cap. 3. *Si cui non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit eum cupere, & ſi poteſtas detur eſſe facturum, non minus reus eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur*. Et in ſerm. XVIII. alias 220. de temp. *Si forte* (inquit) *converſus ad Deum ſtatim morieris, opera tua nulla invenientur in illo theſauro? Plane ibi invenies opera tua, quia ſcriptum eſt, Pax in terra hominibus bo-*

na voluntatis. Deus non annotat facultatem, ſed coronat voluntatem. Scit quia voluiſti, & non potuiſti, ſic te remunerat quaſi feceris, quod voluiſti. Et in Epiſt. ad Deogratias XLIX., nunc CII. q. 4. probat ſolum voluntatis affectum eſſe omnium factorum, meritorumque menſuram, quoniam *ex qualitatibus voluntatum, non ex temporum ſpatiis, ſive recte facta, ſive peccata metimur. Alioquin majus peccatum haberetur arborem dejicere, quam hominem occidere: illud enim fit longa mora, ictibus multis, hoc uno ictu, breviſſimo tempore.* Ex quo loco peracutas argumentationes depromit Ariminenſis in 2. ſent. diſt. 42., & 43. concl. VII. S. martyr Cyprianus in Epiſt. ad Lucium ſcribit dilata martyria non minuere *meritum confeſſionis*. Bernardus Epiſt. LXXVII. docet voluntatem reputari pro facto, *ubi factum excludit neceſſitas*. Idem præcedentibus Eccleſiæ ſæculis tradiderant Auctor Quæſt. ad Orthodoxos, Tertullianus de Pœnitentia, aliique permulti.

Perceperunt vero manifeſtam hanc veritatem Scriptores alii, ſive literis ſacris imbuti, ſive naturali tantum Philoſophia. Diſſerens quippe Philo Judæus de lege Moyſis, ait: *Par judicant crimen hoc aliquem egiſſe, ut occideret, & occidiſſe.* Seneca, *Latro eſt* (inquit) *etiam antequam inquinet manus. Exercetur atque aperitur opere nequitia, non incipit.* Ex Ariſtophane deſumptum eſt Græcorum illud effatum, *Δύναται γὰρ ἴσον τῷ δρᾶν τὸ νοεῖν*, quod Latine ſonat, *Par eſt facere, & voluiſſe malum.* Juvenalis poſt Herodotum narrat de Glauco Hiſtoriam cum illo Epiphonemate,

Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.

Et jure meritoque. Externa enim operatio in tantum contaminatur, & redditur flagitioſa, in quantum procedit a libera voluntate. Homicidium quippe per induſtriam, inſidiiſque patratum ob pertinaciam inveterati odii gravius eſt, quam ſi a rixantibus fiat, ut colligitur ex cap. XXI. Exodi. Si telum manu effugiat, vis reputatur in culpam; ſi autem penitus involuntarium ſit, nulla dignum eſt animadverſione. Quod ſi animo obverſetur, & adeo hominem odio habeas, ut facta poteſtate illud morte afficeres, jam cenſendus eris homicida, juxta Joannis ſententiam I. Epiſt. III. 15. Ipſa ergo cædes, & alienæ vitæ violatio gravior eſt duntaxat ob intimam, & corde conceptam acerbitatem. Inſuper ſi duo in occiſionem alterius conſpirentes conſimili odio tabeſcant, unus autem robuſtior pluribus vulneribus hoſtem confodiat, alius debilior viribus plagas inurat leviores; ſi uterque enſe aggrediatur inimicum, etiamſi is unius ictu de medio tollatur, declinato, aut forte fracto pugione alterius, eadem punitione plectendi ſunt, quamvis in externo opere ſe geſſerint inæqualiter. Præterea, ut ratiocinatur Hugo lib. 2. de Sacram. p. 14., ubi plus datur, & ubi minus, differens meritum non eſt, ſi æqualis voluntas habeatur: & ubi aliquid datur, & ubi nihil datur, differens meritum eſſe non poteſt, ſi æqualis ſit utriuſque voluntas, ideoque totum meritum in voluntate eſt. Tandem ne apologum prætermittam, de quo legendus S. Pater in Pſ. CXLI. lupus tantum cupiens nocere, quantum leo, perterritus canum latratu fugit ab ovium caula, dum leo animoſior neque canum rabiem pertimeſcens agnum unum carpit, & dilaniat: & nihilominus *numquid lupus innocentior remeavit?* Itaque exterior actio per ſe peccatum, aut meritum non adauget: & a ſola voluntate penſandam eſſe operum qualitatem moralem commonſtrat divina Scriptura, docent Patres, affirmant Scriptores alii, & ratio evincit humana; quod erat demonſtrandum.

Animadvertas tamen conſulto fuiſſe a me appoſitam particulam *Per ſe*, cum *per accidens* externa actio ſit procul dubio nequitiæ ſceleriſque argumentum. Nam primum apparet, ut diximus, in opere interior animi pravitas diuturnior, & perſeverans. Deinde actionis exercitamento magis præconcepta delectatio titillat, inhiatque animus, dum explet, quod conceperat, fuſis voluptatibus vehementius. Quare Hugo Victorinus loco citato, objicienti cur poſt voluntatem opus requiratur, ſi per ipſum nihil additur meriti; reſpondet requiri, *Ut opere voluntas augeatur: tale etenim eſt cor hominis, ut opere ſuo amplius inardeſcat, ſive ad bonitatem amandam, ſi rectum, ſive ad malitiam, ſi pravum eſt.* Et addit: *Si forte contigerit tantam eſſe voluntatem in eo, qui non operatur, quanta eſt in illo, qui opus exercet, ubi voluntas eadem eſt, meritum diſſimile eſſe non poteſt.* Aperta tamen ratio ſuadet, cur bona opera, dum poſſumus, actu peragere teneamur, nec ſufficiat ſemper intentio: quoniam, ſcilicet, voluntas non eſt efficax, ſi non operetur, dum poteſt. Poſtremo oriuntur ex bono opere commoda plurima, maxime ædificatio proximorum, & mutuæ neceſſitudinis vinculum: quemadmodum pariunt ex adverſo operationes nequitiæ ſubverſionem, ſcandalum, aliaque detrimenta.

OBJECTORUM RESOLUTIO.

Ad revincendam theſim ſuperiorem proferri poſſunt quædam ab auctoritate, & a ratione argumenta. Quæ petuntur ab auctoritate ſunt. I. Concilium Neocæſarienſe mandat, ut Deo gratiæ agantur, ſi peccandi cupiditatem juvenibus ſubtraxerit occaſionem. II. Auguſtinus in 3. de Trinit. cap. 5. ait: *Miſer eſt, qui malum vult, ſed miſerior, qui malam voluntatem adimplet.* Et Tract. LVIII. in Joan. de lotione pedum inquit; *Multo autem eſt melius, & ſine controverſia verius, ut etiam manibus fiat, nec dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus.* Ubi opus externum magis deprædicat, & commendat, quam ſolam eorum voluntatem, qui recipientes hoſpitio Sanctorum pedes non lavant, tametſi quod manu non faciunt, corde faciant. III. Inter errores Petri Abaelardi proſcriptus eſt tertius decimus: *Nos vero dicimus, quod ſola voluntas a Deo æternaliter remuneretur, ſive ad bonum, ſive ad malum; nec propter opera pejor, vel melior efficitur homo, niſi forte dum operatur in aliquo, voluntas ejus augmentatur.* Videtur autem hic articulus in poſitionem noſtram per omnia collineare. IV. Eccleſia percutientem, vel occidentem Clericos punit excommunicatione, & irregularitate, neque his pœnis in Clericum odio habentes animadvertit. Contra cenſet deberi martyrii aureolam iis, qui fuderunt pro Chriſto ſanguinem; non autem ſi ſolo animo perpeſſi fuerint tormenta. Actus itaque externus ſupplicii, ac præmii dignitatem adauget.

Reſp. his omnibus demonſtrari tantummodo, quod in actione externa apparet voluntas efficacior, diuturnior, vehementior; & idcirco opus etiamſi præcipiatur, & magnopere commendetur, non per ſe, ſed ratione ardentioris illius voluntatis adauget meritum. Igitur Concilium Neocæſarienſe præcipit, ut Deo gratiæ referantur, ſi Clericis in fornicationis crimen propenſis ſubtrahatur occaſio; quoniam ſine operis complemento vitantur ſcandala, & ferveſcens libido repeſcit. Canone tamen quarto declarat eadem Synodus ſcelere ipſo fornicationis Clericum inquinari, *ἐὰν πρόθηται ἐπιθυμῆσαι γυναικός*, *ſi propoſuerit ſollicitare fœminam.* Rectiſſime pariter Auguſtinus miſerabiliorem appellat, qui pravam intentionem opere explet, quoniam is habet mali voluntatem non ſolum deliberatam, ſed & robuſtiorem, foraſque inſtar putreſcentis moſciei erumpentem. Hortatur etiam intemerito, ut factis Chriſti compleantur exempla, quoniam prompta efficaſque voluntas operari non renuit: atque ut idem Auguſtinus e veſtigio addit, *Cum ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipſo excitatur, vel ſi jam inerat, confirmatur humilitatis affectus.* Abaelardi damnatus articulus eſt: *Propter opera nec melior, nec pejor efficitur homo*, abſque aliis verbis ſupra recitatis. Quod Abaelardus aſſeruit, propterea quod exiſtimavit nullum opus eſſe peccatum, ut conſtat ex illius art. XIX. merito proinde damnatus fuit, quoniam inutiles putavit actiones; a quibus iniquum eſt, dum illas complere tenemur & poſſumus, abſtinere. Excommunicatio, & aliæ cenſuræ interdum pro levioribus erratis infliguntur. Gravius enim peccat, qui laicum interimit, quam qui ſanabili vulnere offendit Clericum: nec ille tamen incurrit excommunicationem: & inhoneſtum, ac turpe eſt magis furari, & fornicari, quam veſci carnibus die Veneris, & nihilominus excommunicatione plectitur peccatum iſtud, non illud. Et optimo quidem jure. Enimvero cum delicta a legibus damnentur, & a cuſtodibus ipſarum legum puniantur; cenſuris Eccleſia in illos animadvertit, qui parvipendunt religionem Chriſtianam, contumelioſe ſe gerunt in Eccleſiaſticam Hierarchiam, & fidelium communionem moribus hæreticorum commaculant. Ad martyrium, quod attinet; vix fieri poteſt, ut in ſolo patiendi deſiderio tanta ſit caritas, ac tolerantia, quanta eſt in ipſa ſanguinis profuſione: atque ſi tanta ſit, non deeſt martyrii palma, quomodo de S. Martino teſtatur Eccleſia. Ac præterea martyrium uberiorem gratiam confert ob ſtigmata Chriſti, quæ martyr portat in corpore, quibus ſententia plurimorum reſpondet glorificatio illa, quam appellant *Aureolam.*

A ratione argumentantur primo. Opus externum eſt peccatum diverſum ab opere interno; cum utrumque diſtinctis prohibeatur præceptis. Duplici autem peccato gravior pœna debetur, quam uni. Ulterius in Confeſſione peccatum externum aperiri debet, nec ſufficit exprimere voluntatem. Addit ergo operatio voluntati pravæ peccati pondus, & gravitatem. Tandem externus actus eſt per ſe ſatisfactorius. Ergo & per ſe habet rationem meriti.

R. ad 1. peccatum externum unum eſſe cum interno, & tamen multiplicari mandata, ne quod latet in corde ulterius progrediatur, ut explicavi in Prænotatione theſis. Aut reſpondetur cum Gregorio Ariminenſi diſt. 42. concl. VI. ad 5. multiplicare numerum peccatorum per actus, malitiam vero per voluntatem: ideoque opus externum, atque internum eſſe duo peccata, & habere eamdem malitiam: duo peccata, quoniam actus duo ſunt; unam vero malitiam, quia eſt una in utriſque voluntas. Ad 2. dicimus actum externum eſſe revera peccatum, & lege prohibitum, licet malitiam habeat a deliberatione voluntatis derivatam: dicimus in ipſo opere magis cupiditatem ferveſcere: dicimus poſſe inde oriri ſcandala, debitum reſtitutionis, & impedimenta matrimoniorum, cenſurarum vincula, & incommoda alia complura. Debet ergo omnino patefieri Eccleſiaſtico Judici, ut ab exterioribus indiciis percipiat ægritudinem animorum, & ubi detexerit peſtiferi vulneris qualitatem adhibere valeat medicamenta. Ad ultimum facilis eſt reſponſio; nam ſicut externa opera, quæ afferunt

afflicta-

afflictationem, & pœnam, non ſunt ſatisfactoria, niſi electione ſuſcipiantur; aut ſi aliquid neceſſario patimur, illud æquo animo toleremus: ita non ſunt meritoria, niſi ratione voluntatis, ac libertatis; & ideo omne meritum operibus ipſis ſatisfactoriis comparatum debet a voluntate libera proficiſci.

CAPUT IV.

Quid juxta Auguſtinum ſit virtus, & quomodo a Theologis dividatur.

SUNT hactenus dicta virtuti, vitioque communia. Ad virtutis naturam indagandam nunc diſputatio noſtra progreditur. Oportet autem primo, ut exponamus, quid deſignet hoc virtutis vocabulum: quo interdum utimur ad demonſtrandam fortitudinem, ac potentiam, ut copiæ militum Holofernis Jud. III. 15. dicuntur *Exercitus virtutis*, & de Lyſia in 1. Machab. VI. 6. legitur: *Abiit cum virtute forti*. Aliquando vocabulum illud uſurpamus ad exprimendam naturalem vim atque energiam cauſſarum efficientium, quo ſenſu Sap. VII. 17. legitur: *Ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum*: quandoque ad demonſtrandam gratiam miraculorum, ut Matth. VII. 22. *In nomine tuo virtutes multas fecimus*, & Act. III. 12. *Quaſi noſtra virtute fecerimus hunc ambulare*: non raro ad deſignandum quemdam ordinem Angelorum, ut in Epiſtola Pauli ad Epheſios cap. I. 21. *Super omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, &c.* de quo Angelorum ordine ſcripſi lib. X. cap. 18. Verum his ſignificationibus prætermiſſis, & ſi quæ ſunt aliæ conſimiles, *Virtutis* nomine intelligimus rectam animi affectionem, laudabiles efficientem eos, in quibus eſt: & a qua, maxime ſi conſtans ſit, & conveniens, *Vir* appellatur; aut ipſa virtus, ut Tullio placuit, a viro nomen eſt mutuata. Atque hanc virtutem definiunt Theologi cum Auguſtino, & D. Th. quod ſit *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male utitur*. Quamquam enim homo virtute ornatus ſæpenumero labitur in vitia; non id provenit ex recta illa affectione mentis, & animi, ſed ex contraria cupiditate, uti non a radice arboris bonæ, neque ab inſito ſurculo melioris germinis producitur fructus malus, ut alio in loco explicavimus.

Cum itaque virtus ſit bona illa qualitas, & recta, & conveniens affectio, qua recte vivimus, recte agimus, recte utimur; facile erit virtutis naturam a vitiis diſcernere, ſi animadvertamus cum Auguſtino lib. X. de Trinit. cap. 10. & I. de Doctr. Chriſtiana cap. 34. duos eſſe actus rationalis creaturæ, ad quos ceteri reducuntur, *uti*, & *frui*. Nihil aliud eſt, *uti*, quam aliquid in facultatem voluntatis adſumere; quod fit in iis rebus, quæ non propter ſe, ſed ratione ultimi finis adſumuntur in uſum. *Frui* autem dicimur, dum inhæremus alicui rei propter ſe, ut dum ſummum bonum amore caſto diligimus, & illius cauſſa utimur creaturis. Ex qua dilectiona gaudium aliquod reſultat, vel ſpei in hac vita, vel rei, ut explicat diſt. 1. Magiſter, atque in eadem diſtinctione Gregorius noſter, Eſtius, aliique Doctores Scholaſtici. Et quoniam non poſſumus inhærere amore, & dilectione alicui creaturæ propter ſe, atque omni re mutabili uti debemus propter finem ultimum; conſequens eſt, nos recte vivere, dum fruimur Deo, & utimur creaturis, & vitioſos fieri, dum fruimur creaturis, atque utimur Deo.

PROPOSITIO: Nihil eſt aliud juxta Auguſtinum virtus, quam ordo amoris, quo ſervato, vel fruimur Deo, vel utimur creaturis.

Traditur hæc propoſitio apertiſſime a D. Parente Auguſtino lib. XV. de Civ. D. cap. 22. his verbis: *Unde mihi videtur, quod definitio brevis, & vera virtutis, ordo eſt amoris*. Et de moribus Eccl. Cath. cap. XV. *Nihil omnino eſſe virtutem affirmaverim, niſi ſummum amorem Dei*. Defenditur autem hæc propoſitio ab Auguſtinianis Theologis, ut conſtat ex Nicolao Gircken Tom. 2. Summæ Q. 1. dub. 1., & Fulgentio Bellelli in proſtremo Opere *Mens Auguſtini* inſcripto P. 1. cap. 24. & P. 2. cap. 54. §. 3. Probatur autem his Auguſtinianis argumentis, I. nihil aliud eſt virtus, quam recta & conveniens ratio vivendi, ut ſupra explicavimus; & Auguſtinus ipſe ſcribit in IV. de Civ. D. cap. 21. *Ars ipſa bene recteque vivendi virtus a veteribus definita eſt. Unde ob eo quod Græce ἀρετὴ dicitur virtus, nomen Artis Latinos traduxiſſe putaverunt*. Ideſt, per ſyncopem, quomodo vult Donatus in Andriam Terentii. Atqui non recte vivitur, niſi ſervato ordine caritatis fruamur ſummo bono, boniſque utamur commutabilibus. In hoc igitur, quod eſt *frui*, & *uti* caritatis ordine non neglecto, ſita eſt natura virtutis. II. Averſio a bono incommutabili ad bona commutabilia eſt vitium, & converſio a bonis commutabilibus ad incommutabile bonum eſt virtus. Atqui avertimur a ſummo bono, quotieſcunque utimur Deo ad fruendum creaturis, & avertimur a creaturis, dum iis utimur ad fruendum Deo. Igitur in *frui* & *uti* non perturbato amoris ordine ſita eſt virtus: *Proinde rationalis creatura, ſive in Angelico ſpiritu, ſive in anima humana ita facta eſt, ut ſibi ipſa bonum, quo beata fiat, eſſe non poſſit, ſed mutabilitas ejus ſi convertatur ad incommutabile bonum fiat beata, unde ſi avertatur miſera eſt. Averſio ejus vitium eſt, converſio ejus virtus eſt*. Ait S. Pater lib. ad Honoratum, ſive Epiſt. CXL. n. 56. & lib. LXXXIII. Quæſt. q. 30. *Omnis itaque humana perverſio eſt, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Et rurſus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti*. III. Nulla animi qualitas cenſenda virtus eſt, niſi hominem reddat quodammodo meliorem. Atqui melior rationalis creatura reddi non poteſt, niſi amore hæreat ſummo bono, eoque aut ſpe, aut re fruatur. Igitur ſine hujuſmodi amore virtus vera non datur. *Quemadmodum in ipſis corporibus* (inquit S. P. citata ad Honoratum Epiſtola) *quæ inferiora ſunt, ſicut terra, aqua, & ipſe aer meliora fiunt participatione melioris, ideſt cum luce illuminantur, & fervore vegetantur: ſic incorporeæ creaturæ rationales ipſius Creatoris fiunt participatione meliores, cum ei cohærent puriſſima, & ſanctiſſima caritate, qua omni modo ſi caruerint, tenebreſcunt, & obdureſcunt quodammodo*. IV. Non ſemel affirmavimus non dari veram virtutem ad vitam perducentem æternam, niſi per ſanctam dilectionem referatur in Deum, neque virtutem moralem, ſi non exerceatur motivo honeſti boni, quod nobis proponit idea incommutabilis veritatis. Atqui talis relatio haberi nequit ſine aliquo ordine amoris tendentis in finem ultimum, neque permanentis in bono aliquo commutabili. Ergo &c. *Abſit autem* (inquit S. P. in IV. contra Julian. n. XXI.) *ut veræ virtutes cuiquam ſerviant, niſi illi, vel propter illum, cui dicimus, Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuſdam commodis, & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorſus eſſe non poſſunt. Quæ autem nulli rei ſerviunt, nec ipſæ veræ ſunt. Veræ quippe virtutes Deo ſerviunt in hominibus, a quo donantur hominibus, Deo ſerviunt in Angelis, a quo donantur & Angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt*.

Ex hoc Auguſtinianæ doctrinæ capite, primo intelligitur, cur Chriſtus Dominus Mat. XXII. 40. docuerit in duobus mandatis dilectionis univerſam legem pendere, & Apoſtolus 1. ad Corinth. XIII. ſcripſerit ſine caritate officia quælibet virtutum nihil prodeſſe. Quod non ideo traditum eſt, quaſi omnis virtus ſit caritas, & ſola remuneretur a Deo, ut aſſeruit Quenellus damnatis propoſitionibus 52. & ſeqq., ſed quoniam omnis virtutis actus ex aliquo amore boni debet procedere non juſtificante, & perfecto, ſed ſaltem inchoato, ac tendente in bonum, quod amandum eſt. Deinde percipitur quomodo virtus in ſolo Deo ſit naturaliter immutabilis, atque in beatis conſtans, ac perpetua per participationem beatitudinis, quoniam ille ſeipſo fruitur, omniaque operatur in ſui gloriam; ac beatorum animæ fruuntur Deo, eique adhærent firmiſſima caritate. Facile demum ex hac doctrina colligitur non eſſe veram virtutem Stoicam illam, cui ſtuduerunt aliqui propter ipſius virtutis ornamentum, atque decorem, neque Epicureorum operantium propter voluptatem, neque Romanorum honeſta officia exercentium propter ſui nominis celebritatem; cum in his omnibus ſit amoris perverſitas, & *frui* bonis commutabilibus.

PROPOSITIO II. Cum omnis virtus ſit ordinata ad fruendum ſummo bono, & utendum bonis commutabilibus, virtutes omnes, vel ad tres Theologales, vel ad quatuor Cardinales reducuntur.

Vel enim immediate virtus fertur in finem, quo frui debemus, vel in media, quibus utendum eſt. Si virtus immediate fertur in finem, debet reduci ad unam ex tribus Theologalibus; ſi in media, ad unam ex quatuor Cardinalibus. Ergo ad iſtas reliquæ omnes reducuntur. Prob. minor. In Deum immediate tendimus, vel cognitione ſupernaturalium bonorum, vel cordis motione ac deſiderio, vel unione amoris. Quorum primum præſtat fides, alterum ſpes, tertium caritas; quæ ideo evacuata fide, atque ſpe, manet in patria: unde Apoſtolus in 1. ad Cor. XIII. 8. ait: *Caritas nunquam excidit*. Si vero virtus tendat in media, quibus ſervato ordine caritatis uti debemus, vel exercetur ſeligendo ſagaciter media, quæ ad finem conducunt ab iis, quæ illius conſecutionem impedire poſſunt; & in hoc ſita eſt virtus prudentiæ, cujus partes juxta Angelicum Doctorem ſunt ſolicitudo, vigilantia, memoria, intelligentia, docilitas, ſolertia, ratio, providentia, circumſpectio, & cautio. Vel exercetur virtus unicuique ſuum tribuendo, Deo ſcilicet cultum, honorem parentibus, proximo depoſitum, mutuum, & quidquid ei aliquo debetur titulo; atque id ad juſtitiam pertinet, vel ad ipſius partes, nimirum Religionem, pœnitentiam, pietatem, humilitatem, obſervantiam, gratitudinem, vindicationem, veracitatem, amicitiam, & magnificentiam. Vel exercetur virtus integrum ſe præbendo ei quod amatur: atque hæc eſt virtus temperantiæ, ſub qua, veluti ſub genere comprehenduntur abſtinentia, ſobrietas, caſtitas, pudicitia. Vel denique exercetur virtus adverſa omnia patientiſſime tolerando: in quo ſita eſt fortitudo, vel ad forti-

tudinem pertinentes magnanimitas, patientia, perſeverantia. Audiendus de quatuor his virtutibus diſſerens Auguſtinus lib. 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. xv. num. 25. *Quod ſi virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino eſſe virtutem affirmaverim niſi ſummum amorem Dei. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita ſit in mentibus vis, ut nomina in ore ſunt omnium, ſic etiam definire non dubitem; ut temperantia ſit amor integrum ſe præbens ei, quod amatur. Fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur. Juſtitia amor ſoli amato ſerviens, & propterea recte dominans. Prudentia amor ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, ſagaciter ſeligens, &c.*

AD QUÆDAM IN CONTRARIUM ARGUMENTA.

Sed objicies. Si nulla abſque ordine amoris detetur virtus, ſequeretur primo fidem non operari niſi per caritatem, & ab amore ſejunctam non virtutem eſſe, ſed vitium. Id vero damnatum eſt in Bulla *Unigenitus*, prop. li. lii. II. Sequeretur ſolam caritatem facere actiones Chriſtianas, & inter opera virtutum connumerandas, ſolam caritatem honorare Deum, ſolam remunerari: quod eſt proſcriptum prop. liii. liv. lv. lvi. eadem Bulla. III. ſequeretur non eſſe ſine amore virtutem ſpei, imo nec religionis, quod damnatur proximis propoſitionibus lvii. lviii. IV. Sequeretur timore ſupplicii, nec virtutem conſtituere, nec donum Dei eſſe, nec peccatum cohibere ſaltem in corde: quod pariter damnatum eſt, ne vetuſtiores hæreſes commemoremus, eadem Clementina Conſtitutione a propoſitione lx. ad lxvii. Tradita ergo virtutis idea non alia eſt, quam a Lutheranis primum, deinde a Bajo, & Queſnello præformata.

Reſp. plures utique dari virtutes, quæ non ſunt *formaliter* amor, ſed nulla virtus ab ordine amoris divellitur, ideſt, nulla virtute recte utimur, niſi ordinate amando; fieri enim non poteſt, ut ſine aliquo affectu, aut credamus, aut ſperemus, aut timeamus, cum ſemper primus voluntatis motus ſit amor. Quare plures dantur virtutum ſupernaturalium *habitus* abſque caritate, ſed nulla virtus ſuos actus abſque vitio penitus exerit, niſi rectus aliquis amor voluntatem moveat, ac trahat. At neceſſe non eſt, ut talis amor, quo duce virtutibus bene utimur, ſit *habitualis* juſtificans, & tam vehemens, ut ſecum trahat remiſſionem peccatorum; alioqui nunquam peccator poſſet credere, aut ſperare, aut timore concuti ſalutari. Sufficit ſi fuerit actualis aliqua, ſed tenens ordinem, ideſt non directa ad fruendum bonis commutabilibus, cupiditas boni. Merito ergo damnatæ fuerunt omnes propoſitiones Queſnelli, quoniam aſſeruit prop. 28. *Primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, eſſe remiſſionem peccatorum*: prop. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante neceſſe eſſe, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* Ex quibus ſequitur peccatorem nullum, priuſquam ei remittantur peccata, poſſe exercere virtutem: quod impium eſt, hæreticum, & blaſphemum.

Ad ſingula tamen reſpondemus, dicentes fidem operari ſine caritate, quæ dat remiſſionem peccatorum, quam ſolam caritatem novi Dogmatiſtæ agnoverunt: operari tamen per dilectionem, & amorem inchoatum, quando eſt juſtificationis initium, & cetera impetrat, quibus ad æternam vitam perducimur. Quod ſi ab omni prorſus dilectione, & pio affectu divulſa ſit, erit quidem fidei *habitus*, & per ſe bona mentis qualitas; ſed hoc *habitu* nemo bene utetur ad beatitudinem capeſſendam, non deficiente fidei, ſed dilectionis, ſive inſpirationis caritatis, aut gratiæ actualis, per quam fidem operari ſcribit Apoſtolus ad Galatas v. 6. & Auguſtinus de Gratia, & lib. arb. cap. 7. Ad 2. dicimus non caritatem ſolam, ſed etiam ſpem, timorem Domini, ceteraſque virtutes facere actiones Chriſtianas, cum ſint omnes *habitus*, ac bonæ affectionis animi, ac propriarum operationum principia: ſed ut hujuſmodi operationes veram virtutem redoleant, ideſt, rectæ ſint non ſolum officio, verum etiam fine, & coronam, ac remunerationem promereantur, neceſſe eſt, ad finem ultimum tendant, & auxiliatricem habeant caritatem, non *habitualem*, quæ non eſt ſine remiſſione peccatorum, & quæ neceſſaria tantum eſt ad perfectam unionem cum Chriſto, qualem novi hæretici perperam ad omne opus bonum requirunt, ſed actualem, inchoatam, ſive gratiam ſanctæ inſpirationis, ſine qua nihil fieri poſſe, quod ad pietatem pertineat, veramque juſtitiam, decretum eſt Auguſtini de Gratia Chriſti cap. 26. Ad 3. aſſerimus, ſpem pariter cum merito futuræ beatitudinis conjunctam, ex ſententia Auguſtini cap. 8. Enchiridii, ſine amore non eſſe: ſed non ad ſenſum Queſnelli; nam ut actus ſpei non ſit a virtute divulſus, ſufficit ſi procedat e recto impulſu voluntatis in bonum: nemo quippe ſperare poteſt, niſi amet bona illa, quæ ſperat. Ad ultimum reſpondeo nullam aliam eſſe cauſſam timoris, niſi amorem; nam timemus mala, quoniam nos ab aliquo bono divellunt: unde Angelicus Doctor 2. 2. q. 19. art. 3. *Timor*, inquit, *ex amore naſcitur.* Vel ergo timemus, quod amore hæreamus mundo, temporali vitæ, fluxiſque voluptatibus, & hic eſt timor mundanus procul dubio vitioſus: vel timemus ſempiternam pœnam, quoniam nobis timorem incutit ſumma Dei poteſtas, & vindex juſtitia; & eſt timor ſervilis, ſubſtantia quidem bonus, cum ſit donum Dei, & a malo coerceat, ſternatque viam dilectioni, ſed nondum habet perfectionem virtutis, non defectu hujus timoris, ſed timentis. Præterea damnata eſt 67. propoſitio Queſnelliana: *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.* Timor enim, qui virtus eſt, oritur ex conſideratione incorruptæ juſtitiæ, ac ſupremi imperii illius Dei, qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam; quæ conſideratio non eſt abſque implicito amore juſtitiæ, & reverentia divinæ majeſtatis, licet non ſit cum actu explicito caritatis. Vel denique timemus propter horrorem culpæ; atque timor iſte filialis appellatus, propterea quod filiorum eſt timere offenſam patris, eſt rectus, caſtus, atque in ſerie virtutum conſtituendus; ſed oritur ex ordinata dilectione, & ex amore honeſtatis.

Poſſet quis opponere ſententiam illorum, qui conſtituunt naturam virtutis in recto ordine amoris, adverſari decretis Alexandri VIII. & cohærere propoſitionibus anno 1690. ab eodem confixis. In ſeptima enim: *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, caritas Patris eſt: ſi mundi, concupiſcentia carnis, ideſt mala*; proſcribitur etiam eorum opinio, qui non virtutem, ſed vitium eſſe contendunt quicquid ex amore, & dilectione Dei non procedit. In nona vero propoſitione: *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu*, latere videtur eadem opinio, quod abſque dilectione peccatorum deteſtatio nequaquam habeat decorem, atque honeſtatem virtutis. Idem de propoſitione x. xi. xii. ac xiii. eſt aſſerendum; illiuſmodi enim propoſitiones continent pravam doctrinam illorum, qui negarunt virtutem eſſe Chriſtianam fidem, quæ per dilectionem non operatur, deficere ipſam fidem deficiente amore, neque carere vitio, quod caret amore ipſo: quæ omnia tam videntur aſſertioni noſtræ ſimilia, quam ſimile eſt ovum ovo.

Sed hæc iiſdem reſponſionibus diluuntur; non enim a nobis denegantur alii virtutum *habitus* a caritate diſtincti, cujuſmodi eſt fides, ſpes, timor: neque recenſetur inter vitia, aut deteſtatio peccatorum excitata ex illorum turpitudine, aut bonum opus patratum intuitu mercedis æternæ, aut fides, quæ a caritate disjungitur; quemadmodum autumabant illarum propoſitionum aſſertores: ſed cum hæc omnia virtutum *habitus*, & in ſe inſpecta eſſe bona profiteamur, contendimus habere a caritate, & ab amore virtutis formam, ac perfectionem; quamquam iis *habitibus*, ac virtutibus recte utamur, etiam deſtituti caritate *habituali*, dummodo aliquo amore dirigantur in Deum ultimum finem, aut ſaltem conformentur communi, & incommutabili regulæ rectitudinis. Septima ergo propoſitio ab Alexandro VIII. proſcripta ſurculus eſt Bajani articuli 38. ut animadvertit etiam Dominicus Viva in Tractatu damnatarum theſium Volumine 1. t. pag. 98. & merito damnata eſt, quoniam multa opera deliberata recte fiunt abſque caritate *habituali*, & ſine gratia Spiritus ſancti inhabitantis; multa etiam ſpectato officio, & ſecundum operis ſubſtantiam recta ſunt, neque a noxia cupiditate proficiſcuntur, niſi virtutis laudem ex alio capite minime promereantur, ut explicatum eſt hoc volumine pag. 118. & 125. ex quo nempe recto ordine relationis ſint deſtituta. At propoſitio ix. non tantum ob hanc rationem proſcripta eſt, verum etiam quia adſtruere videtur peccatum philoſophicum, eadem Alex. VIII. conſtitutione damnatum, de quo proximo cap. 9: quamquam etiam in hoc falſa eſt, quod ſupponit deteſtationem peccati ob ejus turpitudinem non exoriri ex amore honeſtatis, quem rectum eſſe, & ad virtutem conſtituendam idoneum non denego, ſervatis tamen iis, quæ de virtutis norma diſſerui ibidem pag. 119., & p. 121. Ita qui intuitu cæleſtis beatitudinis operatur, tenet amoris ordinem, quoniam æternam vitam diligere directum eſt: neque admittitur a nobis neceſſarius ille amor purus, quem nonnulli adſtruere conati ſunt, proximo libro refutandi. Ceteræ propoſitiones merito fuerunt damnatæ, cum rejiciant apertiſſime doctrinam Catholicam, quod etiam ſine caritate permaneant *habitus* fidei, aliarumque virtutum, & harum actus ex ſe labefactatos vitio pronuntient; cum recti ſint juxta doctrinam alibi expoſitam.

CAPUT V.

In quo rationalis Creaturæ actu conſtituenda ſit æterna felicitas, quæ eſt merces, ac præmium virtutis.

INDUBITATUM eſt virtutis, de qua capite præcedenti diſſerui, condignam mercedem eſſe perfrui ſummo, & incommutabili bono. Exploſa eſt enim, atque a fidelium mente prorſus eliminata quælibet opinio antiquorum hominis

hominis felicitatem in aliqua fluxi boni participatione conſtituentium. De quo autem, cum ſatis multa diſſerant Philoſophi in ea parte, quam Ethicen vocant, perpauca ſubjiciam loco prænotationis ad propoſitam diſquiſitionem.

Nullus itaque ratione præditus ſtatuet veram in hac temporali vita beatitudinem. Enimvero quemadmodum ratiocinatur magnus Auguſtinus in xiv. de Civ. Dei cap. 25. in facultate hominis poſitum minime eſt vivere quandiu, & quomodo ipſi libuerit: nam anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: vix erit, qui integra valetudine attingat annum ſeptuageſimum; & ſi numerentur in robuſtioribus anni octoginta, amplius eorum labor, & dolor. Legito Pſalmum Davidis lxxxix. 10. Aut ergo qui moritur vult vivere, & moriendo nequit habere quod vellet; aut mavult mori, ut melius vivat poſt mortem, & hac vita tanquam maliori bono non fruitur. *Nunc vero* (inquit S. Pater) *quis hominum poteſt ut vult vivere, quando ipſum vivere non eſt in poteſtate? Vivere enim vult, mori cogitur. Quomodo ergo vivit, ut vult, qui non vivit quandiu vult? Quod ſi mori voluerit, quomodo poteſt, ut vult, vivere, qui non vult vivere, etſi ideo mori velit, non quod nolit vivere, ſed ut poſt mortem melius poſſit vivere?*

Facile pariter demonſtrare poſſumus non conſiſtere beatitatem in bonis corporis, quæ tria recenſeri ſolent, ſanitas, pulchritudo, & voluptas. Enim vero hæc, quomodo bona reliqua mutabilia, poſſunt amitti; ideoque neceſſum eſt, ut cum timore poſſideantur: *Qui timet* (ait S. Doctor lib. de Beata Vit. num. xi.) *videtur ne tibi beatus eſſe? Non videtur. Ergo quod amat quiſque, ſi amittere poteſt, poteſt ne non timere? Non poteſt. Amitti autem poſſunt illa fortuita. Non igitur hæc qui amat, & poſſidet, poteſt ullo modo beatus eſſe.* Accedit eum, qui beatus eſt, meliorem utique eſſe, quam dum eſt miſer; fieri autem non poteſt, ut res deterior, cujuſmodi ſunt bona corporis, rationalem mentem reddere poſſint meliorem. Turpe præterea eſt felicitatem hominis collocare in corporis ſanitate paucis annis, nobiſque invitis, dilabeſcente: & in qua, ſive ſenſuum acumen ſpectes, ſive membrorum valetudinem, ſæpenumero hominem bruta ſuperant animalia. Hæc valent de vultus decore, & formæ venuſtate; ac multo magis de voluptaria vita, quibus pecoribus æquiparamur. *Membrorum certe amputatio, vel debilitas hominis expugnat incolumitatem, deformitas pulchritudinem, imbecillitas ſanitatem, vires laſſitudo, mobilitatem torpor, aut tarditas. Ecquid horum eſt, quod nequeat in carnem ſapientis irruere?* Verba ſunt Auguſtini cap. 4. libri xviii. de Civitate Dei.

Idem dicendum eſt de bonis externis, quæ ſunt divitiæ, fama, nobilitas. Nam divitiarum copia, præterquamquod & ipſa amitti poteſt, & poſſidetur cum magno angore animi, & excruciante ſolicitudine, explere non poteſt inſatiabilem hominis cupiditatem. Quod ſi quis modum ſibi ſtatuat, & præſenti ſubſtantia contentus decenter perfruatur; id non rebus ipſis tribuendum eſſe, ſed moderationi animorum, præclare animadvertit S. Pater libro de Beata vita numero paullo ſupra citato. Quapropter & Seneca Epiſt. 45. docet, *Beatum non eum eſſe, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit.* Compertum eſt etiam ex Romanis Hiſtoriis auro, & opibus florentiſſimam Rempublicam fuiſſe labefactatam, & nihil aliud eſſe divitias, quam cupiditatum incitamenta. Fama autem, & honores perperam Boni nomen ſibi vindicant, quod ludibrio fortunæ ſint expoſita, ut vel unum Sejani commonſtrat exemplum; & aliena potius ſint, quam noſtra, cum Majorum faſces, & ſceptra, tum aratra, & ligones.

Nec tamen cum Stoicis beatitatem in virtute, & ſapientia conſtituendam eſſe arbitrabimur. Primo enim Stoicorum virtutes inflatas typho ſuperbiæ, nec virtutum laudes promereri liquet ex præcedenti capite quarto, & ex libris Auguſtini contra Julianum. Deinde nec ſapientia humana, licet aliorum bonorum comparatione æſtimabilis, bonum eſt perpetuum, atque jucundum. Nam ut Auguſtinus acute diſputat laudato cap. iv. lib. xviii. de Civ. Dei, quo recedit, ſi aliquo morbo efficiamur inſani? *Phrenetici multa abſurda cum dicunt, & faciunt, pleraque a bono ſuo propoſito, & moribus aliena, immo ſuo bono propoſito moribuſque contraria, ſive illa cogitemus, ſive videamus, ſi digne conſideremus, lacrymas tenere vix poſſumus, aut forte nec poſſumus.* Addit S. Pater exempla eorum, qui dæmonum patiuntur incurſus: quod malum quis confidit evenire non poſſe in hac mortali vita ſapientibus? Probat deinde quam miſer cenſendus ſit ſapiens, dum corpus corruptibile aggravat animam, & ſenſum multa cogitantem deprimit terrena habitatio, ob motus, quibus pervertitur ſenſus, ſopitur ratio, aut ſaltem habet virtus cum vitio continuum, acerbiſſimumque conflictum. Quod late confirmat per omnia genera virtutum diſcurrens. Nec prætermittendum eſt, quod S. Pater probat ſerm. clx. de verbis Ap. cap. 8. omnem virtutem, ac ſapientiam nobis donari a ſummo Deo, in quem oportet vehementius homo inardeſcat, fontemque quærat, quo magis dulces veritatis rivulos in hac vita deguſtat. Atque ex his conſtat nullam aliam eſſe hominis beatitudinem, niſi conſecutionem ſummi, & incommutabilis boni: quæ doctrinæ, ut in fine ejuſdem ſermonis ait præclariſſimus Doctor, *Non plane conferenda, ſed incomparabiliter præferenda eſt doctrinis philoſophorum, immunditiæ Epicureorum, ſuperbiæ Stoicorum.*

His itaque prænotatis, inquirunt Theologi, in quo ſita ſit hæc ſummi boni poſſeſſio, quam dicimus veram hominis beatitatem, virtutiſque mercedem. Prætermitto autem opinionem aliquorum illam conſtituentium in actione aliqua increata, intimoque illapſu divinitatis, non quod falſa ſit undequaque, ſed quia videtur potius conſiderare beatitudinem ratione objecti, quam rationalis creaturæ ea perenniter perfruentis. Quare in eam ſtylum acuunt præclari Theologi Ægidius noſter Luſitanus lib. iv. de Beatit., &, ne ſingulos commemorem, Nicolaus L'Herminier Tom. v. pag. 20. & ſeq. Verum validior, qua impugnatur, eſt ratio a nobis breviſſime expoſita. Thomiſtæ ergo docent conſtituendam beatitudinem in actu intellectus, Scotiſtæ in actu voluntatis, complures alii in utroque, quidam in gaudio, ac delectatione actus hujuſmodi conſequente. Sed gaudium nihil aliud eſſe puto, quam affectionem quamdam amoris; nam ſi amor in bonum, quod abeſt, feratur, dicitur deſiderium; ſi in bonum, quod poſſimus aſſequi, ſpes; ſi in bonum, quo jam fruamur, gaudium, & delectatio: & ideo accedit hæc opinio poſtrema ad Scoti ſententiam. In quam lubentius me trahi ſentio, ratus nullam hinc oriri a noſtratibus diſcrepantiam. Nam Paludanus in iv. diſt. 49. q. 3. art. 2. Thomiſtarum ſententiam propugnat, Gerardus Senenſis in 1. diſt. 1. ad Scotiſtas accedit, & in utroque actu conſiſtere beatitatem cenſeut Romanus Ægidius Quod. iii. q. 13. Luſitanus citato libro iv. q. xii. & Argentinas in iv. Sent. diſt. xlix. q. 3. Concl. iii., & iv. Ex quorum omnium placitis lubet proximas poſitiones conflare.

PROPOSITIO I. In utroque actu tam intellectus, quam voluntatis, conſtituenda eſt perfectio Beatitudinis.

Debemus quippe de Beatitudine judicium illud proferre, quod ſacræ literæ, Traditio Patrum, & ratio ipſa pronuntiandum eſſe declarant. Sacræ autem literæ, Patres, rationiſque lumen oſtendunt, tam in viſione ſummi veri, quam in amore ſummi boni conſiſtere animorum perpetuam beatitatem: in utroque igitur actu conſtituendam recta a nobis pronuntiatum eſt. Probatur minor primo quantum ad literas divinas attinet. Aperta namque videntur loca, quæ ad ſententiæ ſuæ fulcimentum proferunt docti Thomiſtæ, eorumque ſigna ſequentes. Ea ſunt: Pſal. xvi. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*: Pſal. lxxix. 20. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* Matth. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Joan. xvii. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Et Epiſt. 1. cap. iii. 2. *Scimus quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus.* Sed non minus perſpicua ſunt, quæ pro ſententia Scotiſtarum in medium adducuntur; cujus generis ſunt iſta: Pſ. xxxv. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Matth. xxv. 21. *Intra in gaudium Domini tui.* Joan. xvi. 22. *Gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.* Ep. ad Rom. xiv. 17. *Non eſt enim regnum Dei eſca, & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.*

Præterea ſtant pro ſententia Thomiſtica Patrum teſtimonia; ait enim Ambroſius lib. iv. de Officiis cap. 2. *Scriptura divina vitam æternam in cognitione poſuit divinitatis.* Chryſoſtomus Hom. 81. in Joannem: *Omnis requies eſt filium Dei videre.* S. P. Auguſtinus lib. de Trinit. num. 28. *Ipſa viſio eſt facie ad faciem, quæ ſummum præmium promittitur juſtis.* Lib. de Spir., & lit. cap. xxxiii. *Illa cognitione, illa viſione, illa contemplatione ſatiabitur in bonis animæ deſiderium.* Sed ſtant pro ſententia Scoti loca pariter exquiſita. Nam S. Pater lib. x. Confeſſ. cap. 22. ait: *Et ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te: ipſa eſt, & non eſt altera.* Et cap. proximo: *Beata quippe vita eſt gaudium de veritate.* In 1. de Doctrina Chriſt. cap. 29. *Deo perfrui beate vivere eſt*; & xiv. de Civ. D. cap. 25. *Beata quippe vita ſi non amatur, non habetur: porro ſi amatur, & habetur.* Ambroſius autem citato loco præter cognitionem divinitatis ad beatitudinem requirit etiam fructum operationis: & potius deſcribit duo, quæ ad æternam vitam perducunt, fidem, & opera, quam vitam ipſam æternam, inferens hanc ſitam eſſe in perfectione virtutis. Quæ ſane perfectio eſt amor, per quem fruimur ſummo bono; ideoque Ambroſius etiam in amore locat beatitudinem. Et Chryſoſtomus hom. 46. in Matth. aperte docet voluntatem a Deo remunerari *ſempiterna delectatione.*

Itaque cum Scripturæ, tum Patres utramque ſimul ſententiam comprobant, Thomiſtarum, & Scotiſtarum; neque utra verior ſit, laborandum eſt operoſa inquiſitione, ſed firmiter eſt aſſerendum beatitatem utramque complecti. Ita docent aliis in locis Patres. Nam Ambroſius in libro de Jacob, & Beata vita cap. vii. num. 32. inquit: *Hoc ſolum in æſtimatione beatæ vitæ eſt requirendum, ut non in aliis, ſed in poſſeſſione veri, & boni ejus definitio teneatur.* S. Bernardus Ep. 18. *Quia non poſſumus* (inquit) *contem-*

templari per ſpeciem, nec plene complecti per amorem, dedit nobis interim & ſapere per fidem, & quærere per deſiderium. Si enim adhuc abſentes initiat fides, & deſiderium; præſentes profecto conſummat viſio, & amor. S. Thomas de Villanova Concione de S. Maria Magdalena ait: *Felicitas enim, & beatitudo noſtra, aut in utroque, viſione ſcilicet, & amore Dei conſiſtit, aut ſaltem utrumque ad complementum perfectæ beatitudinis neceſſarium eſt.* Hugo Victorinus laudatus ab Ægidio noſtro Luſitano: *In his* (ait) *beatitudo conſiſtit, cognoſcere, & amare bonum*, pro qua ſententia Ægidius ipſe laudat antiquiores Scholaſticos ſingillatim, articulo I. citatæ Quæſtionis XII. Atque hoc idem memoratus Ægidius, aliique Theologi demonſtrare nituntur ex definitione Benedicti XII. & ex Clementina, *Ad noſtrum*. Benedictus enim definiens Sanctorum animas Deum videre, eoque perenniter frui addit, *quod ex tali viſione, & fruitione ſunt vere beatæ*; & in Clementina ſtatuitur, *Animam indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, eoque beate perfruendum*. Quamquam nulla alia mens fuit Romanorum Antiſtitum, quam priori Conſtitutione damnare errorem Millenariorum, altera autem Beguardorum. Ideoque ad dirimendam Scholaſticam de natura beatitatis quæſtionem parum hæ videntur idoneæ.

Accedunt autem ſententiæ noſtræ deprompta a ratione argumenta. Cum enim rationalis creatura prædita ſit facultate intelligendi, & volendi, & in Deo ſummi veri, ſummique boni, in quod fertur utraque illa facultas, reperiatur plenitudo; ſit autem beatitas perfecta rationalis creaturæ ſatietas, plenaque finis ſui conſecutio; neceſſum eſt, ut ajebat Ambroſius, teneri in poſſeſſione veri, & boni beatitudinis definitionem. Deinde liberum arbitrium, ac meritum utraque rationalis animæ facultate comparatur; & conſequenter in utraque præmium meritorum videtur conſtituendum. Præterea ita connectuntur viſio, & amor, ut nequeant ad invicem in patria divelli, & ſi unum eſſet ſine alio, tolleretur penitus beatitudo: *Quoniam qui videt ſolum, non fruitur optimo quo videt: & qui diligit duntaxat, non quietatur, donec lucide videat, quod tam ardenter amat*; inquit S. Thomas Archiepiſcopus Valentinus laudato ſermone. Utrunque igitur per ſe ad conſtituendam beatitudinem proculdubio requiritur.

PROPOSITIO II. Etiamſi beatitudo ex viſione, & amore Dei coaleſcat, perfectior tamen actus, quo potiſſimum Deo fruimur, eſt amor.

Hæc propoſitio facile demonſtratur ex dictis, novaque ſtabilitur argumentationum acceſſione. Principio enim diximus cum Auguſtino beatam vitam eſſe perfrui Deo, id non haberi niſi amando, bonum incommutabile illud eſſe, quod unice poteſt deſiderium humanæ mentis explere. Quis autem ignorat perfrui, amare, & bono adhærere, animi diligentis opus eſſe? Deinde cognitio nihil aliud eſt, quam boni notitia per ſe ad excitandum amorem ordinata; ideoque eſt aliquid ad fruitionem præcedens, quoniam voluntas nequit diligere incognita, & conditio potius prævia, & ſummum bonum proponens, quam ipſius boni poſſeſſio. Ad hæc: cum in via extet fides, & caritas, etſi fides neceſſaria ſit ad vitam ſpiritualem animarum, quoniam juſtus ex fide vivit, non eſt tamen ipſa vita, & ſanctitas animæ, ſed in amore hæc potiſſimum ſita eſt, & per dilectionem Deus in nobis habitat, ut divina teſtantur eloquia. Ita ergo in Patria eſt viſio ad faciem, & conſummatus, ut vocant, amor, & licet viſio ad vitam ſempiternam prærequiratur, conſtituit hanc vitam ille amor, & caritas. Expreſſe inſuper traditur hæc ſententia a S. Patre Auguſtino in 1. de libero arbitrio cap. XIII. ubi ait: *Atqui hoc ipſum gaudium, quod hujus boni adoptione gignitur, cum tranquille, quiete, atque conſtanter erigit animum, beata vita dicitur, niſi tu putes aliud eſſe beate vivere, quam veris bonis, certiſque gaudere.* Mitto loca ſuperius pro ſententia Scoti producta. Poſtremo falluntur Thomiſtæ dum putant viſionem eſſe actum rationalis animæ perfectiorem: nam argumenta quamplura evincunt amorem eſſe eidem viſioni præponendum. Primum autem argumentum eſt, quod in donis Dei *nullum majus eſt caritate*, quomodo Auguſtinus docet lib. XV. de Trinit. cap. 19., liquet ex Apoſtolo in 1. ad Corinth. cap. XIII., & demonſtratur ex præcedenti cap., ubi diximus amorem eſſe formam omnium plane virtutum. Alterum eſt, quod viſio ordinatur ad amorem, ut ſcribit Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 3. *Perverſus ordo eſt amare ad intelligendum, rectiſſimus vero intelligere ad amandum.* Proximum eſt argumentum S. Thomæ de Villanova Conc. ſuperius laudata; nam ſi de abſoluta potentia Dei viſio, & fruitio beatifica ſeparentur ab invicem, ita ut unus videat Deum, nec tamen diligat, alius autem diligat quidem, ſed non videat, cognoſcat autem, quia amor non poteſt ferri in incognitum; licet neuter illorum perfecte beatus ſit, *Ego ſi mihi daretur optio* (inquit ſanctiſſimus Archiepiſcopus) *potius eligerem amare non videndo, quam videre non amando. Quid enim ſi videro, & non amavero? Per hoc nec Deo gratus aut amicus exiſto. Eſt enim gratia caritas, aut non ſine caritate. Si autem amo, etiamſi non videam, Dei amicus ſum.* Affines ſunt argumentationes Scotiſtarum, atque ea præſertim palmaris & obvia: Pejus eſt odiſſe Deum, quam Deum ignorare: Ergo melius eſt diligere Deum, quam Deum videre.

Reſpondemus itaque argumentis Thomiſtarum priori propoſitione productis, neminem denegare, quin ex contemplatione divinitatis, atque intuitiva viſione ſatietur rationalis animæ deſiderium, & promanet gaudium perennis felicitatis, ut evincunt locupletiſſima teſtimonia ſacrarum literarum, ac Patrum: ſed ideo iſtud evenit, quod clara Dei viſio totum amoris pondus attrahit in ſummum bonum, & iſtud voluntas arripit, complectitur, & perpetua fruitione comprehendit. Viſio itaque beatitudinis cauſſa efficiens eſt, non *formalis*, quemadmodum notitia deſiderium parit, fides juſtitiam, intuitus amorem. Neque alium habere ſenſum allatos textus, vel ſola lectio commonſtrat. Quid eſt enim, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua: Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*; & alia id genus plura? niſi forte; Orietur ex apparitione ſatietas, & ex viſione ſimilitudo? Illud vero, quod Joannes ait, *Hæc eſt vita æterna*, &c. aut de fide in Deum & Chriſtum accipitur, aut de contemplatione beatorum; utrumque enim ſenſum exhibent nobis cum verba ipſa, tum Patres. Ut ergo uſurpatis his verbis de fide nihil aliud ſignificatur, niſi quod credere divinarum Perſonarum Trinitatem, & Verbi Incarnationem eſt fides illa vera, per quam ad æternam vitam perducimur: ita ſi accipiantur de beatarum animarum contemplatione, demonſtrant duntaxat, quod videre Deum facie ad faciem eſt illa ſumma cognitio, unde conſequitur beatitudo, amor ſcilicet, & gaudium perenne. Atque eadem ratione expedientur ſententiæ Patrum adminiculo, præſidioque ceterarum, quarum ſupra nonnullas produximus.

Si autem inſtiterint Thomiſtæ contendentes intellectionem eſſe opus rationalium præſtantiſſimum, nos contra affirmabimus nobiliorem eſſe caritatem, & amorem, quamvis ex ipſa intellectione dirigatur, ut cor præſtat oculis, fideique dilectio. Si denique afferant per cognitionem fieri objectum præſens, ac poſſideri, reſpondebimus fieri præſens præſentia *objectiva*, non *fruitiva*, nec poſſideri in ratione boni, ſed in ratione veri tantummodo. Præſentia vero objectiva per ſe gaudium felicitatemque non affert; imo parit aliquando anxietatem, animique mœrorem. At gaudium, inquis, ab ipſo amore diſtinguitur? Ab amore utentis, concedo; ab amore fruentis, nego. Sæpe enim dictum eſt duos amoris dari actus, uti, & frui: *Nam ſi neque fruitur, neque utitur, non invenio quomodo diligat*, ait S. Pater in 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 31.

CAPUT VI.

Quid ſit peccatum, quid peccati nequitia, quid peccati macula.

A VIRTUTE ad vitium diſputatio noſtra progreditur, non quidem ad illud, quod eſt defectus naturæ, vel artis, cujuſmodi eſt deformitas corporis, vel ædificii, ſed ad illud, quod eſt pravitas animi, & officiorum humanorum turpitudo: & quod vulgari ſermone appellatur Peccatum. Vitium tamen frequentioris ſermonis conſuetudine, non pro ſolo peccati actu, ſed pro peccandi habitu, veterique inſtituto uſurpamus. Quærentibus itaque quid peccatum ſit, repeto non ſemel explicata, extare in nobis a creatore inditam, & immutabilem regulam æquitatis, a qua voluntas humana deflectendo vitioſa redditur ac perverſa, dum ea facit, quæ æquiſſima illa ratio condemnat, aut omittit, quæ docet eſſe complenda: nec non voluntatem ſuos actus exerere, aut imperare ſive utendo, ſive fruendo. Ex his puto manifeſtam eſſe definitionem vitii, & peccati. Vel enim illud deſcribere volumus comparate ad legem communem æquitatis ac rectitudinis, vel ad ipſam voluntatis inordinate diligentis nequitiam & pravitatem. Si regulam illam, rationemque ſpectemus; liquet optimam eſſe definitionem peccati traditam ab Auguſtino lib. 1. de duabus Animabus cap. XI. *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*: vel alteram lib. XXII. contra Fauſtum cap. 27. *Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra æternam Dei legem.* In quarum definitionum prima exprimitur ſola voluntas, quoniam hæc tantum actus liberos elicit, aut imperat: in altera etiam opera commemorantur, ſed quæ nonniſi a voluntate peccati mutuantur nequitiam. Quomodo autem tenendæ ſint allatæ definitiones circa originale peccatum, dictum in libro de Hæreſi Calviniana, nec non in altero de ipſo peccato originali. Nec aliam circa has peccati definitiones arbitror ſupereſſe difficultatem. Nam quod opponunt non quadrare illas peccato omiſſionis, caſſum nimis eſt, & pertenue: ad unum quippe genus pertinere affirmationes & negationes, antiquum eſt vulgatumque pronuntiatum Dialecticorum.

Definitio peccati deprompta ex perverſo ordine dilectionis, talis eſſe poteſt: *Peccatum eſt inordinatio amoris, quo avertimur a bono incommutabili, & convertimur ad bona commutabilia*; ſive, *eſt perverſio voluntatis, qua utitur fruendis, & fruitur utendis.* Atque hanc definitionem traditam pariter ab Auguſtino conſtat ex ſuperiori capite quarto.

to. Et quæcunque ibidem de natura virtutis diſſerit, has vitii deſcriptiones luculenter confirmant, quoniam virtutum, & vitiorum debemus oppoſitas conſtituere rationes, & ſi illas perficit ordo amoris, hæc ſita profecto erunt in ejuſdem amoris perverſitate.

Quantum vero ad Peccati nequitiam & inhoneſtatem, quam malitiam appellitant, licet ſit malitia certi vitii nomen, ideſt, calliditatis vel fraudis, non virtuti contraria vitioſitas, ut ſcribit Tullius in Tuſculanis; ſophiſtice magis, quam Theologice inquirunt an poſitivum ſit aliquid, an privativum. Et qui priorem ſententiam propugnant eam nituntur ſtabilire ſequentibus argumentis. Principio, inquiunt, traditæ nuper peccatorum definitiones hanc opinionem communiunt. Voluntas enim, ejuſque motus deliberatus erga aliquid æterna lege prohibitum, nihil profecto non ſunt. Si ergo peccatum eſt prava voluntas, & inordinatus amoris cum deliberatione impetus, aliquid erit, non privatio duntaxat. Multo magis ad oſtendi naturam accedunt quæ aut dicuntur, aut fiunt, aut deſiderantur adverſus æternam Dei legem: ideoque ſi peccatum eſt aliquid *factum*, &c. ſua natura; atque *entitate* non caret, ſimiliter nonne poſitivum aliquid exprimit definitio poſtrema, quæ diximus nihil aliud eſſe peccati perverſitatem, niſi frui utendis, & converti ad bona commutabilia? Itaque videtur dictis cohærere opinio illorum, qui culpæ pravitatem *in poſitivo* conſtituunt.

Proferuntur pro hac aſſertione argumenta alia a ratione petita. Quarum primum eſt. Dantur duo vitia eidem virtuti oppoſita. At opponi nequeunt ob privationem, quoniam uni, ut inquiunt, formæ nonniſi una privatio reſpondet. Opponuntur itaque per *entitatem* aliquam ipſorum vitiorum pravitatis conſtituentem. Sequitur argumentum alterum. Sunt peccata quædam per ſe mala, ut odium Dei, mendacium, blaſphemia. Horum autem peccatorum nequitia non deſumitur ex aliqua deficientia a lege malum prohibente, quia ſuapte natura, & præciſa quacunque lege ſunt flagitioſa; neque a privatione rectitudinis, quia privatio non datur niſi in ſubjecto recipiendi *formam* privationi contrariam capaci; qua capacitate liquet hujuſmodi peccata carere. Iſta igitur conſiſtere nequeunt in ſola privatione & defectu. Proximum eſt argumentum ex abſurdis e contraria ſententia fluentibus. In iſta quippe nihil erit peccatum, nihilum remittet Sacerdos, pro nihilo damnabitur tranſgreſſor legis, in nihilo peccatum commiſſionis diſcrepabit a peccato omiſſionis. Poſtrema argumentatio ſit: Unum peccatum eſt gravius altero. Nulla privatio altera privatione gravior eſt. Nullum ergo peccatum eſt privatio.

Longe tamen probabilior eſt eorum ſententia, qui peccatorum nequitiam in privatione conſtituendam eſſe contendunt. Pro hac enim ſententia faciunt argumenta omnia, quæ vel ab auctoritate, vel a ratione mutuatus ſum diſſerens de natura mali adverſus Manichæos lib. 1. cap. 8. Non arbitror ea repetere neceſſarium. Huc pariter collineant, quæ ſcripſi libro XVIII. cap. 3. de vitiorum origine: ubi ex Auguſtino demonſtravi idcirco fruitionem mutabilium bonorum & deliberatum quodcumque malum opus eſſe peccatum, quoniam deflectit ab æterna lege æquitatis cordi ſingulorum inſcripta. In his ergo duobus locis invenies argumenta hujus aſſertionis præcipua. Quibus accedit teſtimonium Auguſtini Tract. 1. in Joannem ſcribentis: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Videte, ne ſic cogitetis, quia nihil aliquid eſt: ſolent enim multi male intelligentes, Sine ipſo factum eſt nihil, putare aliquid eſſe nihil. Peccatum quidem non per ipſum factum eſt, & manifeſtum eſt quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cum peccant.* Atque miſſa interim hac ingenioſa expoſitione Auguſtini, inde depromo validiſſimum ratiocinium. Si enim omnia per ipſum facta ſunt: per ipſum autem non eſt facta nequitia aut turpitudo peccati; conſequens eſt nequitiam iſtam non comprehendi in rerum omnium univerſitate, & nihilum eſſe reputandam. Superioribus ergo argumentis, atque his perpaucis redditur poſtrema ſententia validior.

Ut facile ſolvas allata in oppoſitum argumenta, memineris quæ ſcripſimus 12. libro cap. 2. & 5. diſtinguenda eſſe in enunciationibus ea, quæ *incomplexe* ſignificabilia ſunt ab iis, quæ ſignificari tantum valent *complexe*. Quicquid igitur ſignificabile eſt *incomplexe*, uno ſcilicet propoſitionis vocabulo etiam ab aliis ſejuncto, eſt res aliqua, ut ſi dixeris, *Deus eſt ſubſtantia*, Deus res eſt, quoniam hoc nomen *Deus* incomplexe ſignificat rem, ideſt, divinitatem. At ſi dixeris, *Relatio illud eſt, quo Pater refertur ad Filium*; relatio non eſt *entitas* aliqua a Patre, vel a Filio diſtincta, quoniam ſignificari non poteſt niſi *complexe*, ideſt Patris Filiique vocabulis. Peccatum igitur definiamus cum Auguſtino aut *Factum, dictum, vel concupitum contra Dei legem*, aut *Converſio ad bonum fluxum & commutabile*, aut quomodocumque illud definire lubeat; non adinvenies in aliqua ex iis definitionibus vocabulum unum, quod *incomplexe* acceptum, ideſt ſolitaria, ac ab aliis divulſum, valeat deſignare peccatum: ideoque peccatum eſt *complexe* tantum ſignificabile, & nihil.

Itaque reſpondemus ad primum argumentum recte traditas ab Auguſtino prædictas omnes definitiones, peccare enim eſt agere contra æternam Dei legem, ſe ſe ad creata bona convertere, frui utendis, & ſi quid eſt hujuſmodi: at non ſequitur peccatorum nequitiam eſſe aliquid *poſitivum*, cum nullo *incomplexe* definitionum illatum vocabulo poſſit ſignificari. Ita ſi dixeris, *Qui claudicat altero pede nutat, nec recte incedit*, bene deſcribis claudicationem per actum pedis nutantis, & non recte incedentis: nec tamen claudicationis deformitas eſt aliquid *poſitivum*, ſed rectitudinis deficientia, quam deſignare termino *incomplexo* illius enunciationis non poſſumus.

Ad argumenta ſecundo loco propoſita hoc habeto reſponſum. Poteſt eadem privatio in pluribus ſubjectis reperiri, ut carentia rectitudinis in virga ferrea, vel lignea: poteſt etiam illa privatio terminum oppoſitum connotare, ut ſi virga ferrea dextrorſum, lignea ſiniſtrorſum flectatur. Hoc pacto dantur duo vitia eidem virtuti contraria, v. g. effuſa prodigalitas, & parca tenacitas. Utraque enim a temperantia deflectit, hæc illa profundendo, altera illa avide reſtringendo, nec tamen illarum nequitia eſt aliquid, ſed ut virgarum duarum curvitas, oppoſita a recta æquitate deflexio. Brevi dicam: Eſt eadem privatio *connotative* diverſa. Ad alterum dico, mendacium, & Dei odium dico eſſe intrinſece mala, quia ſuapte natura æternæ legi repugnant; & ex quo nequeant habere cum ipſa lege conformationem infertur tantum, quod ſint ſemper, & eſſentialiter peccata. Sive autem appellaveris hujus conformationis defectum privationem, ſive negationem, mea nihil refert. Quamquam ſcio reſpondere Scholaſticos argumento Vaſquezii, etiam mendacium, & odium Dei habere illam rectitudinis capacitatem, non quidem conſiderata ſecundum peculiarem rationem mendacii, vel odii, ſed ſecundum communem, & univerſalem actus humani. Ad tertium primum dico, argumentum, ſi quid probat, concludere etiam de peccato omiſſionis, quod tamen ſi remittitur a Sacerdote Dei miniſtro, & plectitur punitione, conſiſtit nihilominus ſententia Adverſariorum *in privativo*. Deinde reſpondeo nequitiam peccati remitti, ut tenebræ fugantur a ſole, ideſt, lucem ſanctificantis gratiæ diffundendo, non deſtruendo *entitatem* aliquam; & peccatorem puniri, non quia operatur, ſed quia aut non operatur, aut male operatur, quomodo ſervus vapulat, dum juſſa negligit, aut illa incommode exequitur. Præterea peccatum non *privationem* tantummodo importat, ſed etiam maculam animæ, quæ, ut infra dicam, eſt privatio nitoris, ac pulchritudinis, ſine qua merito a Deo repudiatur, atque contemnitur. Peccatum autem commiſſionis differt a peccato omiſſionis ratione actus: ſed *materialis* differentia hæc eſt, ut Scholaſtici appellitant, non *formalis*. Denique una *privatio*, licet non ſit major altera in ſe conſiderata, quia nihil eſt; eſt tamen major altera *connotative*, ideſt comparate ad bonum, cujus eſt privatio, ſive ad regulam ſummæ æquitatis, a qua deflectit: unde ad poſtremum argumentum nego minorem.

Contra allatum Auguſtini teſtimonium ex Tract. 1. in Joannem poſſet quis objicere. Protulit Auguſtinus eam ſententiam: *Peccatum nihil eſt*, quod in 1. cap. Evang. Joannis legendum putaverit: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. At fruſtra ex hoc loco Auguſtinus ſententiam illam derivat. Primo quia Græci textus ub que habent: Καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν ὃ γέγονε: *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*. II. Joannes Chryſoſtomus hom. IV. in Joannem ſcribit eſſe hæreticam, ut ea lectione, quam uſurpat Auguſtinus: *Neque enim*, inquit, *cum dixerimus, ſine ipſo factum eſt nihil, id puncto notabimus, ut heretici opinantur*. Addit ineptam eſſe hanc legendi rationem: *Nulla profecto ratione hæc intelligi poteſt oratio*. III. Cornelius a Lapide Comment. in cap. 1. Joann. recitata expoſitione Auguſtini ait: *Verum hoc ſubtilius eſt, quam ſolidius, ac coactius, quam germanius, teſte S. Hieronymo in c. 2. Michea*. Plura autem Valla, Eraſmus, & alii, qui communiter Auguſtinianam lectionem rejiciunt.

Reſp. 1. Optimam, ac probandam eſſe interpretationem Auguſtini, poſita ubivis interpunctione. Nam ſi omnia per Verbum facta ſunt, proculdubio peccatum, quod non eſt factum per Verbum, eſt nihil. Deinde reſpondeo fruſtra rejici Auguſtinianam lectionem Græci textus auctoritate. Nam in aliquibus Codicibus talis eſt diſtinctio, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. *Et ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat*. Liquet ita legi apud Cyrillum Alex. cap. 5. & 6. in Joannem, & videtur interpunctio abraſa ad revincendum pravum ſenſum Macedonianorum. Illi enim in verbis Joannis hunc pravum, & contortum ſenſum contineri jactitabant: *Sine ipſo factum eſt nihil: & Spiritus ſanctus, qui in ipſo vita erat, factus eſt*. Recte itaque Chryſoſtomus ſcribit hæreticorum eſſe Evangelica verba tali puncto notare, ut illud, *Quod factum eſt*, nonniſi Spiritui ſancto conveniat. Addit quoque nulla ratione intelligi poſſe illam Macedonianorum orationem; & bene profecto. Sequitur enim directe ex hæreticorum iſtorum interpretatione non Verbum, ſed Spiritum ſanctum hominem factum. Etenim ſcribit Joannes v. 4. *Et vita erat lux hominum*. v. 9. *Erat lux vera*: & v. 11. *In propria venit, & ſui eum non receperunt*. Si ergo de Spiritu ſancto accipiendum eſſet: *Quod factum eſt in ipſo vita erat*, ipſe Spiritus eſſet lux vera, quæ in mundum venit. Nequis ergo in ſenſu Macedoniano orationis

Digitized by Google

nis complexio intelligi, ut recte Chryſoſtomus. Hinc nonnulli freti ejus auctoritate ſcripſere interpunctionem ab hæreticis affictam; quod tamen valde incertum eſt. Diximus enim ſanctum quoque Cyrillum Evangelica verba eodem puncto disjungere. Unde Zegerus, quem oppono Laurentio Vallæ, *Utraque diſtinctio*, inquit, *apud Orthodoxos reperitur Scriptores*. Eraſmo opponam Brianum Waltonum laudantem in variis lection. Bibliorum verba Lucæ Brugenſis: *Conſulto, prudenterque uſi ſunt correctores Sixtini ambiguo hoc diſtinguendi modo, quod illud, Quod factum eſt, & præcedentibus jungi poteſt, & ſubſequentibus: ut quod diverſi auctores diverſimode diſtinguunt, atque intelligunt, Chryſoſtomus priori modo, Auguſtinus poſteriori.*

Legens Hieronymi Commentaria in Michæam Cornelius a Lapide dormitavit. Ad hunc plane modum Hieronymus loquitur. *Scio me in cujuſdam Commentariis legiſſe exponentis Joannis Evangeliſtæ principium, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, hoc quod dicitur, nihil, ad malitiam retuliſſe; rurſumque ipſam malitiam interpretatum eſſe diabolum, & iſto quaſi gradu ipſum, quod factum eſt ſine Chriſto, nihil, diabolum intellexiſſe. Si igitur malitia, & Diabolus nihil eſt, & fugerunt qui corrupti ſunt; nullo, ideſt, nihil perſequente, Diabolus eos eſt perſequutus in nihil. Quod ſi cui videtur nimis coactum, & contra ſcripturæ ſimplicitatem artificio potius eloquii, quam vera interpretatione diſertum; vel priorem, vel quam ipſe reperit expoſitionem ſequatur.* Ex quibus conſtat interpretationem Auguſtini etiam antiquorum Commentariis eſſe probatam, a Hieronymo adhiberi, & commendari, non rejici; neque coactam abſolute dici, ſed relinqui arbitrio lectoris, ſi forte ipſi talis videatur, qualem Hieronymus non exiſtimat. Quamquam ſi coactam, & nimis artificioſam ipſe quoque putaret, id accipiendum eſſet non de nihilo peccati, ſed de nihilo Diaboli; nam hunc eſſe *nihil* difficilius eſt intellectu, vel ſubobſcurum ſaltem, atque involutum.

Si dixeris Auguſtinum appellare peccatum *nihil* adverſus Manichæos opinantes malum quamdam eſſe ſubſtantiam, & conſequenter propugnari poſſe, quod ſaltem ſit accidens; reſpondendum eſt accidens quidem eſſe, & qualitatem ſubſtantiæ adventitiam, ſed non *entitatem* illam parvam, quam vulgus Philoſophorum invexit, ſed malam perverſamque animi affectionem ortam ex recti ordinis deficientia; cujuſmodi eſt aeris tenebricoſi obſcuratio per lucis privationem inducta, ut late adverſus Manichæos in primo libro diſſerui.

Tandem videndum eſt quid ſit peccati macula, permanenſque in anima reatus, nam actu malo, & ab æquitate devio tranſeunte, inſidet adhuc, donec expietur, labes, & culpa. Certum porro eſt maculam illam non eſſe actum ipſum peccati, cum is, ut dicebam modo, & prætereat, macula autem remaneat; neque eſſe *habitum*, ſive inhærentem ad malum vehementem inclinationem, quoniam hæc repetitis actibus inducitur, culpæ autem macula uno tantum. Videtur etiam non eſſe privationem gratiæ tantummodo, cum hæc peccati ſit pœna, atque eadem in peccatoribus omnibus mortaliter delinquentibus. Dum vero reatum dicimus, explicatur culpa tantum per comparationem ad pœnam, & ad juſtitiam punientem; ideoque reatus nomine non ſatis culpæ inquinamentum exprimitur. Eſſe peccati labem privationem decoris, nitoriſque animæ, dictum paullo ſupra, & aſſeritur a D. Thoma 1. 2. q. 86. art. 1. ſed nondum videtur rem aſſequi ingenii noſtri tarditas & infirmitas.

Brevi conabor tenebras diſcutere manifeſta comparatione. Rectum teneo bacillum, ſed flexile, cujus pulcritudo eſt rectiſſimum eſſe. Illud inflecto, ut a recto declinet, atque flexione iſta quamdam contrahit deformitatem ipſi inhærentem, etiam dum flectentem manum retraxero. Poſſum illud facile ad priorem rectitudinem flexione oppoſita revocare. Si tamen ſemel, atque iterum detorqueam, efficitur in bacillo pronitas quædam ad curvitatem, ut vix in rectum dirigi valeat, & ſi dirigatur, jam ſumma facilitate denuo contorquetur. In quo exemplo laborioſum non eſt deprehendere quale diſcrimen interſit inter flexionem manuum mearum, virgæ curvitatem, & facilem ad obliquitatem regreſſionem: flexio enim illa præteriens actus eſt; curvitas perſiſtens in bacillo deformitas: illa denique facilitas vitium actibus repetitis productum.

Humana itaque voluntas poteſt ad bonum, atque ad malum a libero arbitrio inclinari. Ejus honeſtas, & decor eſt rectam eſſe, ſcilicet a lege æterna nullatenus delinqueri. Dum pravo motu liberi arbitrii avertitur a ſummo bono, & ad fluxa bona convertitur, contorta redditur, & difformis. Nequit ad formam, nitoremque priſtinum reduci, niſi ſancta dilectione recta iterum fiat, & averſa bonis commutabilibus, converſa ad bonum incommutabile. Si tamen cupiditati obſequens frequenter a ſumma æquitate declinet fruendo utendis, & creatis bonis amore inhærendo, induit quandam perverſitatis proclivitatem, ut facile in nequitiam recidat poſtquam pio animi conatu iterum recta evaſerat. Atque hæc Auguſtinianæ doctrinæ penitus cohærere, arbitror ex dictis manifeſtiſſimum. Motus ergo ille liberi arbitrii inclinans voluntatem ad malum, eſt actus peccati: deformitas permanens in voluntate, quoad uſque iterum convertatur in ſummum bonum, eſt peccati macula, & labes: facilitas illa magna, & ad iniquitatem propenſio eſt peccati *habitus*, ſive peccandi conſuetudo. Ita fit, ut prætereunte peccati actu perſiſtat macula, & perſeveret deleta macula *habitus*. Vide, quæ diſſeruimus libro XIII. de peccato originali.

CAPUT VII.

Num dentur peccata natura ſua venialia.

AVERSIONEM ab incommutabili bono ſpiritualis mors animæ, privatio ſanctificantis gratiæ, ſempiterni ſupplicii meritum, atque Dei conſequitur inimicitia. Sicut enim gratia, vita, & Dei inhabitatio caſtum caritatis amorem, ita crimen, interitus, Deique odium comitatur deliberatum motum voluptuoſæ cupiditatis. Nam apud eum, qui Chriſtum diligit, ipſius cum Patre manere, in eo autem qui diligit mundum, & quæ in mundo ſunt, caritatem Patris non eſſe, diſerte in priori Epiſtola cap. 2. & 3. declarat Joannes. Oritur hinc quæſtio, num peccatum aliquod detur natura ſua veniale? quoniam ſi omne peccatum pervertit amoris ordinem, videtur expellere caritatem, & trahere ad mortem, ideoque crimen eſſe mortiferum. Eſt itaque hæc non levis quæſtio adverſus hæreticos dirimenda.

Illud autem principio ſtatuendum eſt dari aliquod inter peccata diſcrimen, & unum eſſe gravius alio. Paria utique peccata quæque fecerunt Stoici, ut ſcribit Cicero in Paradoxis, Stoiciſque adhæſit Jovinianus; de quo S. P. Auguſtinus H. LXXXII. *Hic omnia peccata, ſicut Stoici Philoſophi, paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto.* Sed hæreticum hominem retundat D. Hieronymus lib. II. his verbis. *Audebis ne dicere, ſic negaſſe Petrum & cæteros Apoſtolos, qui fugerunt, quomodo Caiphas, & Phariſæos, & clamantem populum, Crucifige, crucifige talem? Et ut de Apoſtolis taceam; ejuſdem ne tibi ſceleris videbitur reus Annas, & Caiphas, & Judas proditor, cujus & Pilatus, qui nolens compulſus eſt contra Dominum ferre ſententiam; Quanta majoris meriti fuit Judas, tanto majoris criminis eſt: & quanto majoris criminis, tanto majoris & pœna. Potentes enim potenter tormenta patientur.* Joviniani argumenta petuntur ex æqualitate, quam improbe ſtatuebat, retributionis, ac meritorum, & refutata nobis ſunt capita duodecimo libri III.

Major Hæreticorum recentiorum numerus ex perverſa ſententia, quod ſemel juſtificati ex gratia, & poſſeſſione Spiritus ſancti nunquam poſſint excidere, & quamvis in mortalia peccata labantur, non tamen iram Dei ſibi arceſſere, in alteram impuriſſimam opinionem deſciverunt, omnia peccata etiam juſtorum hominum eſſe natura ſua damnabilia, & lethalia, quamvis divina miſericordia credentibus, ac prædeſtinatis non imputentur. Ita ſentiunt Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 8. lib. 3. cap. 4. & cum ceteris Calviniſtis Vermilius, Beza, Marlmatus; a quibus non videtur diſſentire Lutherus ſerm. de Piſcatura Petri, & expreſſius in articulo XXXII. Philippus tamen Melanchthon, etſi citetur pro hac ſententia a Coccio, & aliis, ſaltem ut procedit ex eo principio, quod renati dum ruunt in ſcelera non amittant gratiam, appellat errorem fanaticorum hominum, ut demonſtrat in diſcuſſione Rivetiani Apologetici pag. 732. H. Grotius. Is vero cum hoc loco, tum in Comment. ad cap. 2. Jacobi, & in voto contra Examen Riveti prope finem, nec non in Annotatis ad Conſult. Caſſandri dari venialia peccata propugnat: nec diſſentit Lambertus Danæus apud Fevardentium lib. III. cap. 12. Theomachiæ. Quare nec Novatores omnes probant Hæreſiarcharum ſuorum errorem.

Hoc etiam prænotandum eſt peccatum duplici ſenſu veniale appellari: primo quidem quatenus per pœnitentiam deletur, & veniam conſequitur; atque hoc ſenſu certum eſt omnia peccata prædeſtinatorum, ac reſipiſcentium eſſe venialia, non quod ipſis minime imputentur, ſed quia pœnitentibus condonantur. Altero ſenſu veniale peccatum dicitur, quod in ſe inſpectum non promeretur divinam omnem indignationem, neque ſempiterno ſupplicio punitur: & in hoc ſenſu præſens quæſtio agitatur, quam nemine Catholicorum diſſentiente reſolvam.

PROPOSITIO. Admittenda ſunt peccata genere ſuo venialia.

Probatur 1. Scripturarum, ac Patrum ſimul auctoritate. Quidam enim ſunt quotidiani defectus, in quos Dei non diſſoluta amicitia, juſti frequentiſſime prolabuntur. Hinc eſt, quod orant quotidie: *Dimitte nobis debita noſtra*: & omnium ore Jacobus Apoſtolus cap. III. 2. ait: *In multis offendimus omnes*: atque in priori Ep. cap. 1. 8. Joannes: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* At peccata quotidiana, ſinguliſque etiam juſtis communia, quibus Dei amicitia penitus non diſrumpitur, levia & venialia ſunt. Dari igitur venialia peccata ex ſacris literis demonſtratur. Atque hæc prior argumentatio Patrum auctoritati etiam innixa eſt. Etenim de quotidiana Juſtorum oratione ait Chryſoſtomus in Orat. de Divite & Lazaro: *Etiamſi juſtus quis ſit, etiamſi millies ſit juſtus, & ad ſummum pervenerit culmen,*

men, ut liberatus ſit a peccato; *non tamen quis ab omni nævo eſſe purus: etiamſi millies juſtus ſit, homo eſt. Quis enim jactabit mundum omnino ſibi eſſe cor? Quis glorriabitur ab omni culpa ſe eſſe immunem? Ideo jubemur in precatione dicere, Dimitte nobis debita noſtra*. Auguſtinus pariter de Fide & operibus inquit: *Niſi eſſent quædam, ſine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam proponeret in oratione, quam docuit, ut dicamus, Dimitte nobis debita noſtra*. Similia habet Cyprianus de Oratione, & de Opere & Eleemoſyna, Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 10., & PP. ceteri. Quare ex horum traditione Tridentina Synodus ſeſſ. VI. can. VI. definivit, quod: *Licet in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadunt, non propterea deſinunt eſſe juſti*. Vide & librum Auguſtini de Natura & Gratia cap. 35. & 36. unde deprompta eſt tota Tridentini Concilii circa veniala peccatum doctrina. Atque hoc loco S. Pater etiam verba Joannis appoſite proferens de juſtis inquit: *Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, una voce clamaſſent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. At de priori argumento ſatis.

Alterum promitur ex Evangelio Matthæi, ubi cap. V. 22. legimus: *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis*. Capite autem VII. 3. proferuntur verba Chriſti, *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Ex quorum locorum priore liquet plura dari conviciorum genera, & uni temporale ſupplicium reſpondere, alteri ſempiternum. Quod vero temporali duntaxat mulcta punitur ex ipſius ſtatus natura, proculdubio eſt per ſe veniale. Recte Chryſoſtomus Homilia XVI. in Matth. *Eum, qui ſine cauſſa iraſcitur, judicio condemnat, & idcirco dicit, Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſſa. Eum vero, qui dixerit, Raca, reum pronunciat eſſe concilio. Sed adhuc iſta non magna ſunt; hujus enim ſæculi ſunt pœnæ. Quocirca eum, qui fratri Fatue dixiſſet, gehennæ ignibus deputat, modo certe primum gehennæ nomen commemorans*. Quod ſi petas cur dicentes fratri ſuo *Raca* ad conſeſſum Judicum puniendi deferrentur? Dico, quod, tametſi vox illa levem & contemnendum hominem ſignificet, ut alibi demonſtravi; ſedentes tamen ad Synedrium, legiſque obſervationem affectantes illam proferentes vocem judicio damnabant; propterea quod Judicum IX. 4. *Rechim* appellentur viri inopes & vagi, quorum opera Abimelech LXX. fratres trucidavit. At ſi dixerit: Cur gehennæ deputatur qui fatuum dicit fratrem ſuum? Nonne crimen iſtud cenſendum eſt veniale, & pertenue? Erit ne ergo quælibet culpa ſuppliciis æternis punienda? Reſpondeo in Evangelio ſermonem fieri de iis, qui iram non cohibentes conviciis fovent inimicitias, idoque ſpectato animo, & circumſtantiis rerum, quod leve videtur, crimen fieri mortiferum. *Noli igitur adſpicere* (inquit ibidem Chryſoſtomus) *quod unum hic verbum ſit: ſed quantum periculi habeat expende. An ignores inimicitiarum tempore, incandeſcente ira, animoque prorſus ardente etiam minimum aliquid magnum videri? Tunc quippe & quod non valde injurioſum eſt, nimis tamen putatur onerosum. Nam hæc ipſa parvula & homicidia ſæpe pepererunt, & urbes crebro integras ſubruerunt*. Ex altero autem Matthæi loco ſatis conſtat dari peccata quæ feſtucis comparentur, & alia quæ trabi. Et eximius Eccleſiæ Doctor Hieronymus hujus argumenti demonſtrat firmitatem, ſcribens in Comment. ad locum eumdem: *De his loquitur, qui cum ipſi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt, culicem liquantes, & camelum glutientes*.

Tertium argumentum petitur ex verbis Apoſtoli in 1. ad Corinth. cap. III. *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam; uniuſcujuſque opus manifeſtum erit, &c.* Atqui aurum, argentum, & lapides pretioſos non ſolum Latini, verum etiam Græci PP. bona opera interpretantur, præſertim Chryſoſtomus, & Theodoretus laudati ab Eſtio Comment. in hunc Pauli locum, & Auguſtinus De Fide & Operibus cap. XVII. in Enchiridio cap. LXVIII. & in Pſ. XXXVII. & LXXVIII., ut mittam vulgo citatum, ſed apocryphum, aut ſaltem dubium Sermonem CIV. alias XLI. de Tempore, Igitur fœnum, lignum, & ſtipula mala quidem opera, ſed levia, & venialia commonſtrant.

Vulgatæ huic apud Scholaſticos argumentationi video poſſe verſutos hæreticos reſpondere cum Eraſmo ſuper Paulum, coactam eſſe Auguſtini, & Magni Gregorii expoſitionem; nam Græci quemadmodum interpretantur aurum, argentum, & lapides pretioſos bona opera æternis præmiis coronanda, ita lignum, ſtipulam, & fœnum docent eſſe mala opera punienda ignibus ſempiternis. Corruit ergo petitum inde pro veniali culpa argumentum. Accedit quod Ambroſiaſter interpretatur lignum, fœnum, & ſtipulam doctrinas falſas, & errores hæreticorum, non utique inter peccata venialia connumerandos. Atque hæc magis videntur comprobare judicium Eraſmi, quam illud confirment ipſius Eraſmi animadverſiones. Is enim, ut coactam priorem interpretationem demonſtret, ait, quod plumbum minus eſt grave, quam aurum, & tamen æque atque aurum purgatur igni: Addit nemini perſuaſum, culmum eſſe leviorem fœno; & inepte in malorum ordine poni extremo loco quod minime malum eſt, cum in bonorum ordine quod optimum eſt primum obtineat locum.

At quamquam verum eſt per aurum, & argentum, pretioſoſque lapides bona opera deſignari, atque per lignum, fœnum, & ſtipulam opera mala, qua in re Græci, Latinique Patres conſentiunt; attamen non mala quælibet, ſed venialia poſtremis verbis denotari longe melius docuerunt Gregorius & Auguſtinus. Quis enim peccata mortifera nunquam per gehennam delenda minimis rebus, fœno ſcilicet, ac ſtipulæ comparabit? Deinde non ſuper fundamentum Chriſti, ſed *ſuper arenam* ædificare fractores legis & lethalium criminum reos, conſtat ex cap. VII. 26. Matthæi. Præterea docet Apoſtolus, eum, qui ſuperædificat lignum, fœnum, & ſtipulam, etiam ſi arſerit opus ejus, ſalvum futurum eſſe, *ſic tamen quaſi per ignem*. Quis autem detruſis impiis in tartara, gravia illorum facinora crediderit igni purganda, ita ut ſalvi fiant? Nonne ſi hæc opinemur, inconſulto probare videbimur damnata dogmata Origenis, ex quo fortaſſis acceperunt quidam Græcorum falſam illam expoſitionem? Tandem, *Ignis, de quo eo loco eſt locutus Apoſtolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum tranſeant, & qui ædificat ſuper hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos, & qui ædificat ligna, fœnum, & ſtipulam: cum enim hoc dixiſſet, adjunxit: Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit*: ait Auguſtinus cap. 68. Ench. Atqui ſuperædificantes aurum, argentum, ac pretioſos lapides igni ſempiterno non ſunt deputandi. Non ergo de tali igne, ſed de igne aut Purgatorii, aut temporalis tribulationis, quo leves culpæ expiantur, eſt locutus Apoſtolus. Porro errores hæreticorum laudatis verbis expreſſi nequaquam fuerunt, cum non ſint ædificia quædam ſupra fidei fundamentum conſtructa, ſed fundamentum ipſum evertant. Cavilli autem Eraſmi ſatis hiſce reſponſionibus exploduntur; ſunt namque & ipſi fœnum, & ſtipula, leviſſimi ſcilicet & inepti.

Prædictis argumentis accedunt ea, quæ ratiocinationes dicuntur. Eſt autem primum, quod vera amicitia læditur quidem leviſſimis offenſionibus, at minima frangitur: & communia filiorum vitia diſplicent parenti optimo, ſed facillime condonantur. Ergo juſtus Dei amicus & filius ob parvas tranſgreſſiones non ſubjicitur damnationi, neque penitus ſtola ſanctitatis, & filiorum jure expoliatur. Non enim ſtatuit nobiſcum Deus legem amicitiæ duriſſimam, neque regeneravit nos, ut levi contingente cauſſa deſereret. Proximum eſt argumentum, quod percipi prorſus nequeat velle Deum tanto a ſe pretio redemptum ob verbum otioſum, officioſum mendacium, vel aliud peccatum ſimile perpetuis gehennæ flammis addicere. Ultimum erit ex comparatione peccati cum infirmitatibus corporalibus. Peccatum enim eſt quædam infirmitas, de qua Regius Pſaltes ajebat: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. Ut ergo in morbis carnis ſunt leves alii, alii vehementiores, alii ancipites: ita putandum eſt dari pertenues, & dari graviores ægritudines animorum. Sacris ergo literis, teſtimoniis Patrum, & ratiocinatione concluditur, *ſingula peccata non lethali vulnere ferire*, ut ſcribit Auguſtinus Serm. CCCLX. ſive L. ex libro L. Homil., necnon juſtos plura peccata infirmitatis committere, *ſine crimine vaſtante conſcientiam*, ut inquit idem S. Doctor lib. XI. De Civit. Dei, capite duodecimo. Atque ex his conſtat jure, ac merito fuiſſe damnatum XX. articulum Baji: *Nullum eſt peccatum natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam*.

AD ARGUMENTA HÆRETICORUM RESPONSIO.

Urgent adverſus Catholicam veritatem heterodoxi quædam loca Scripturæ: ac primum verba Chriſti apud Matth. V. 19. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*. Eſſe, & vocari minimum in Regno cælorum, nihil aſt aliud, quam, ubi Regni cæleſtis conſummatio advenerit poſt corporum reſurrectionem, nullam exiſtimari, atque cum maledictis in gehennam detrudi, ut explicat Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos inter Opera Juſtini, & Hom. 16. in Matth. Joannes Chryſoſtomus. Igitur, qui minimum quoque mandatum ſolvit, reus erit gehennæ ignis. Præterea in eodem Evangelio Matthæi cap. XII. 36. legimus: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. At verbum otioſum peccatum minimum eſt. Ergo de omni peccato, quantumvis minimo, tenemur rationem reddere. Tertio: Joannis XIII. 8. Chriſtus ait Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*; lotio autem pedum juxta Auguſtinum ſignificat emundationem a venialibus, præſertim cum Petrus ibidem v. 10. dicatur lotus, ac mundus. Inſuper in Epiſtola Jacobi c. 2. v. 10. habetur: *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*. Univerſæ itaque legis cenſendus eſt reus, quiſquis unum, vel minimum peccatum patrave-

patraverit. Denique de peccato Indefinite pronuntiatur in Scripturæ locis permultis, quod mortem inferat animæ. Si ergo peccata, quæ levia appellamus, revera peccata ſunt, lethalia erunt quoque & mortifera.

Reſpondetur ad 1. diſtinguo priorem propoſitionem, & Evangelii verba ſimul explico: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis*, ideſt, quæ minima putantur a Phariſæis, gravia ſunt tamen in ſe, aut ob rerum circumſtantias, cujuſmodi eſt incandeſcente ira jacere in fratrem convicia, concedo. Quæ minima ſunt reapſe, nego. Perſtringit Chriſtus cap. v. Matth. hypocriſim, & fallacem Phariſæorum juſtitiam; jactabant enim ſervari legem non occidendo, non mœchando, non jurando per terribile Dei nomen; fas tamen eſſe iraſci, conviciari, concupiſcere, & jurare per cælum, per Jeruſalem, per caput ſuum. Id ſola lectione citati quinti capitis manifeſtum fit. Hæc autem, quæ Phariſæi minima arbitrabantur, quis ignorat revera eſſe gravia, & mortifera? Hanc eſſe interpretationem Chryſoſtomi verba ipſius paullo ſupra recitata commonſtrant. Negat quippe S. Doctor indignationem & probra, unde oriri queant homicidia, eſſe inter leves culpas connumeranda. Vide & S. P. Auguſtini librum 1. de Serm. Domini in Monte cap. 17. Addamus confeſſionem Glaſſii ſcribentis lib. v. Tract. 2. cap. 3. *Prior vox, Minimis, ſententiam Phariſæorum exprimit, qui quædam præcepta Dei vocabant Minima*: & in Logica ſacra cap. 2. de Ὁμωνυμίᾳ, *Vocula, Minimus, alludit ad opinionem Rabbinorum, quædam præcepta dicentium eſſe minima*. Reſponderi etiam poteſt eo loci minimum appellari illum, *qui fecerit, & docuerit*, docere autem aliquid adverſus divinam legem, ac Dei verbum corrumpere, aut Scripturarum ſanctarum oracula alicujus falſitatis arguere, crimen eſt graviſſimum; quoniam debent in Lege, ut ſcribit citato Serm. Auguſtinus, *ad effectum etiam minima quæque perduci*.

Quod objiciunt ex cap. XII. Matth. nil prorſus concludit; nam utique de culpis minimis ratio reddenda eſt, debitumque uſque ad ultimum quadrantem eſt perſolvendum: ſed aliud eſt ad calculum vocari, aliud pro minimo debito extremo plecti ſupplicio. Refutantur præterea hæretici ſuorum Commentatorum obſervationibus. Clarius enim profert in hunc locum verba D. Baſilii, *Verbum otioſum eſt, quod etiamſi bonum ſit, ad ædificationem tamen fidei non aptatur. Et ejuſmodi verba in celeberrimo illo totius orbis terræ conventu examinabuntur. Quid ſcurrilibus & detrahentibus & obſcænis verbis fiet?* Evangelica itaque verba ſunt quædam a minori ad majus argumentatio, qua ſuademur gravius ſupplicium deberi verbis maledicis, blaſphemiſque Phariſæorum adverſus filium hominis, cum examen quoque de otioſis verbis ſit ſubeundum. Zegerus otioſum verbum interpretatur quod proferentem coinquinat mendacio, & dicitur ad calumniam; alioqui non cohærerent, inquit, cum præcedentibus proxima verba, *Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*. At Salomon Glaſſius De Pronomine Can. cap. XXV. contendit hic relativum poſtponi, & ſignificari tantum, quod impii in die judicii nec habebunt in reddenda ratione, quo verbum otioſum excuſent. Verum hos flexiloquos & doloſos parvifacimus.

Majori brevitate reliqua expedio, enim vero peccata venialia excludunt a regno, ubi nihil inquinatum eſt, vel immundum, ſed non exilio ſempiterno, ac perpetuo. Auguſtinus Tractatu lvi. in Joannem pedum lotione indigentium nomine intelligit *humanos affectus, ſine quibus in hac mortalitate non vivitur*. Et poſtquam inde oſtendit etiam juſtos iſtam terram calcantes habere opus ut pedes lavent, de Eccleſia non habente rugam, neque maculam ita concludit: *In his autem, qui hic demorantur, etiamſi munda ſit, quoniam juſte vivunt, opus tamen habent pedes lavare, quoniam ſine peccato utique non ſunt*. Dantur peccata levia abſtergenda, & purganda, quibus inquinati cenſentur mundi, ideſt, juſti ſunt; ac de unoquoque illorum proximo verſu 10. dicitur: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*. De laudato Jacobi loco vide Auguſtinianam Epiſtolam XXIX., nunc CLXVII. in qua S. Pater demonſtrat, quod cum plenitudo legis ſit dilectio, qua Deus, proximuſque diligitur, atque in præceptis caritatis tota lex pendeat, *Merito ſit reus omnium, qui contra illam facit, in qua pendent omnia*. Quod ex præcedenti capite manifeſta illatione conſequitur. At quemadmodum rectus amor nunc vehemens eſt, nunc tepeſcens, nec ſemper caritas quæque juſtificat: ita perverſus amor quoſdam, quaſi ardoris, gradus habet, nec ſemper ſanctificantem gratiam abſumit. Ideo poſt pauca ait S. Pater: *Omnes enim offendimus, ſed unus gravius, alius levius. Quanto quiſque gravius, leviuſque peccaverit, tanto erit in peccato committendo major, quanto in diligendo Deo, & proximo minor*. Grotius, quem propter heterodoxos profero, explicat locum Jacobi, *Quicunque offendat in uno, nempe eorum, quibus pœna capitalis conſtituta eſt, non minus morte punitur, quam ſi omnia præcepta violaſſet*; ac ſi ſcriptum eſſet, *ὡς πάντων ἔνοχος, quaſi omnium reus*. Neque nos uni tantum lethali peccato ſempiternam deberi punitionem negamus. In poſtremo non immoror: ubicunque enim Scriptura affirmat peccatum in damnationem nos trahere, dicimus ſermonem fieri de mortali peccato; quod peccatum appellatur antonomaſtice; eo pacto, quo ubi caritati tribuitur vita, & Dei inhabitatio, certum eſt deſignari caritatem *habitualem*, aut ſaltem vehementem. Ita dicimus mori hominem febre, veneno, vulnere; quamquam mortem non inferat quæcunque febris, quodcunque venenum, quodcunque vulnus. Sed poſſumus etiam reſpondere, veniale peccatum animæ vitam adimere diſpoſitive: nam, ut eſt in Proverbio: *Qui minora ſpernit, paullatim decidit*.

Objiciunt præterea quædam Patrum teſtimonia affirmantium divinæ tribuendum miſericordiæ, ſi nos crimina illa minuta non obruant; in Evangelio nequaquam reperiri iſtud inter venialia, & mortifera peccata diſcrimen, ſed omnia nobis fugienda proponi; levi quoque flagitio divinæ majeſtati irrogari injuriam, ac propterea non eſſe minimi faciendum. Inſignis eſt Declamatio Magni Baſilii adverſus contemnentes peccata minima in Regulis brevioribus.

Reſpondendum conſulto PP. commonere, ne peccata quælibet, etiam minima, foveamus, atque parvi momenti illa eſſe arbitremur. Etenim hæc ipſa deſpicientia, & neglectus majorem arguit erga illicita propenſionem, & culpam quodammodo adauget: nam quæ magis diligimus minus inſectamur, quæ autem odio habemus vituperamus, & redarguimus. Ipſa inſuper negligentia, & contemptio ad irreparabilem lapſum ſæpe trahit infirmam, atque in ſcelera facile prolabentem hominum voluntatem. Præterea levia hæc, & quotidiana peccata ſunt fere innumera; & licet ſeipſis non perdant, trahantque ad ſempiterna ſupplicia; tamen ut aqua paullatim ſubrepens navem implet, ac mergit, peccata illa parva crebro commiſſa gravant, atque opprimunt peccatorem. Legatur Auguſtini ad Seleuc. Epiſtola CVIII. nunc CCLXV. Sancta quippe dilectio nos retrahit a noxiis cupiditatibus; & leves culpæ, quæ ſunt iſtarum cupiditatum fomenta, faciunt ut fervens caritatis amor tepeſcat, ac tandem robuſtior facta cupiditas ſanctam illam dilectionem extinguat; preſſumque hominem, & compluribus ſtimulis concitatum cor derelinquat, ut ait S. David Pſ. XXXIX. 13. *Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me*. Atque hinc eſt, quod tribuere debemus divinæ miſericordiæ, ſi ob venialia peccata non perimus, in quantum in graviora prolabimur, niſi gratiarum ſupernarum Auctor ſanctam nobis delectationem inſpiret, & areſcentem terram noſtram copioſo benedictionis rore perfundat. His Baſilii, aliorumque Patrum ſententiæ faciles ſunt intellectu: nam quod aliqui ajunt laudatum Regularum librum non eſſe Baſilii, inane videtur refugium. Redolet Baſilii ſtylum, Aſceticam præceptionem, atque pietatem: eique tribuitur a Photio Cod. CXCI. At licet adſcribas Euſtachio Sebaſteno, aut cuivis ſcriptori, eadem adverſus levia peccata Patres alii ſcripſere: ideoque reſponſa noſtra teneto.

Argumentantur poſtremo loco a ratione. Principio, inquiunt, primum, ac maximum præceptum eſt Deum ex toto corde diligere. Qui minimum peccatum patrat, tranſgreditur primum præceptum. Ergo peccat contra præceptum ſummum, ac maximum. Præterea nonne quiſquis peccat avertitur a Deo, & convertitur ad creaturas? Igitur quiſquis peccat, fruitur utendis, ultimumque finem conſtituit in re creata, quod profecto eſt nefarium crimen contrahere. Inſuper qualecunque peccatum eſt offenſa facta Deo ſumme bono: itaque qualecumque peccatum ſummum malum eſt. Deinde nefas eſt propter quodcunque bonum comparandum, aut propter evitandum quodcunque malum minimam culpam committere. Culpa ergo minima ſuperat omne malum. Tandem quicquid boni facit juſtus promeretur æternam vitam: ergo quamcumque noxam admittat impius, ſubjicitur æternæ morti, perpetuoque ſupplicio.

Reſp. ad 1. diſt. minorem. Minimis peccatis tranſgredimur primum maximumque præceptum tranſgreſſione minima & levi; con. gravi & mortifera; nego. Quemadmodum enim non ſemper ſummum bonum diligimus caritate adeo flagranti, ut noſtrorum peccatorum labes abſtergatur: ita non ſemper fluxa bona amamus tam vehementi cupiditate, ut juſtitiam penitus amittamus. Vide & quæ de Amicitia Dei ſupra diximus. Ad 2. diſt. conſeq. Qui venialiter peccat conſtituit finem amoris in re creata, & huic adhæret parva cupiditate, per quam ab amore boni increati nequaquam divellitur, conc. Adhæret rei creatæ cupiditate perverſa, ac defixa, per quam increatum bonum deſpiciat, eique ſubtrahat amorem vehementiorem, nego. Atque hic nota diſtingui peccatum mortale a veniali; quod per illud conſenſu, & delectatione adeo hæremus rei creatæ, ut hanc ſummo bono proponamus: per iſtud vero languida quadam dilectione flectimur in bona creata, ut voluntatis deliberatione his minime ſervidus amor hæreſcat. Quapropter in re etiam parva admittimus mortiferum ſcelus, ſi ſpreta divina lege frena cupiditatis laxentur. Perdifficile eſt tamen diſtinguere inter peccatum mortale, & veniale, ut Auguſtinus ſcribit lib. XXI. de C. D. cap. 27. quamquam mortalia cenſenda ſunt, quæ aut materiam habent in ſe, vel ſpectatis circumſtantiis ponderoſam, magnique momenti; aut ſi levis materia eſt,

fervescit

ferveſcit noxia cupiditas. Solvitur ex his argumentum tertium, quoniam veniale peccatum eſt offenſa quidem illata Deo, ſed leviſſime in re; neque lege caritatis penitus violata. Diluitur proxima objectio diſtinguendo duplex malum, morale unum quod opponitur divinæ legi, phyſicum alterum, quod legi ipſi non adverſatur. Profecto minimum malum morale majus eſt quocunque malo phyſico, ideoque nefas eſt vel leviter mentiri, abiret licet univerſum in nihilum. Hinc tamen non infertur, quod veniale peccatum puniri debeat privatione cujuſque boni, ac ſempiterno gehennæ ſupplicio; cum in punitione attendi debeat ratio demeriti, & lex juſtitiæ, æquitaſque vindictæ. Quod aliqui demonſtrant comparatione animalis, v. g. ovis, vel agni; cujus pretium exiſtimetur unius aurei, quamquam res animata ſit phyſice omni auro præſtantior. Ita minor culpa cenſetur digna minori ſupplicio, quamquam aliquo in genere levis culpa excedat malum cujuſque pœnæ. Enimvero nequit eodem pretio venundari agnus, & equus, eademque animadverſione puniri convicium, atque homicidium, cum idem non ſit valor omnium rerum, neque idem ſingulorum delictorum demeritum. Ad ultimum neganda eſt conſequentia; nam minimum opus bonum a juſto patratum promeretur vitam æternam non per ſe, ſed propter caritatem *habitualem*, ex qua elicitur: quo pacto etiam minimum peccatum ex vehementi cupiditate commiſſum pœnam meretur ſempiternam. Differt præterea in hoc meritum a demerito, quod illud pendet a Dei voluntate, illud vero ex ipſa operis conditione. At Deus cum ſit miſericors coronat in miſerationibus, & ultra condignum, cum ſit juſtiſſimus punit ſervata æquitate, & juxta demeritum.

C A P U T VIII.

Quam gravis ſit mortalis peccati nequitia.

A VENIALI ad mortale peccatum ordo diſputationis progreditur. Eſt autem mortiferum peccatum, ſi a Spiritu ſancto inhabitante, & caritate *habituali* diſtrahat animam, itaut divinitatis conſortio privetur, & affecta ſpirituali turpitudine veniat in odium Creatoris, atque perpetuæ damnationis pœnam commereatur. Quod evenire diximus quotieſcunque humana voluntas ita avertitur a ſummo bono, ut huic præferat creaturas, eiſque tali cupiditate adhæreat, ut vehementius appetat frui bonis commutabilibus, quam ipſo Deo, neque parata ſit potius mori, & amittere bona quæque creata, quam divina gratia ſpoliari. De hoc itaque peccato inquirunt Scholaſtici Doctores, an adeo cenſendum ſit grave, ut dici debeat aliqua ratione infinitum.

Communior opinio eſt, peccatum eſſe finitum ſi accipiatur vel pro ipſa phyſica actione, vel pro privatione gratiæ aliorumque ſpiritualium donorum, quibus juſtorum animæ ſunt exornatæ. Atque de actione eſt adeo manifeſtum, atque compertum, ut nulla exoriri poſſit dubitatio cum a nulla finita cauſſa poſſit infinitus actus prodire. Sed quantum ſpectat ad privationem, quidam ſunt, numero licet perpauci, quibus placet mortale peccatum cenſendum eſſe infinitum. Privat enim, inquiunt, Spiritu ſancto inhabitante, atque ſempiterna etiam beatitudine, ideoque aufert infinitum bonum, & infinitum infert nocumentum. Ratiocinatur hoc pacto eximius Theologus Leonardus Vanroy De peccatis cap. v. q. 2., & qui ejus veſtigia ubique premit Aurelius Piatta q. 6. Verum cum privatio ſit amiſſio boni, non quatenus in ſe eſt, ſed quatenus participatur, & poſſidetur, etſi tam in gratia ſanctificante, quam in Sanctorum beatitudine haberi bonum infinitum concedamus, dicimus tamen utramque coarctatione quadam participari, ideoque illorum privationem eſſe finitam. Quidquid tamen aſſerendum arbitreris, pro libito affirma.

At ſi accipias peccatum in quantum eſt offenſa Dei, omnes Inſtituti noſtri, aliorumque Theologorum pars major, tenent peccatum nequitiæ eſſe infinitæ. Ad quod confirmandum diverſa proferunt argumenta, quamquam non omnia firma admodum, atque invicta. Primum eſt illud, quod peccator aufert a Deo rationem ultimi finis, eamque tribuit bono creato; quod perinde eſt, ac Dei loco habere rem viliſſimam, & honorem ſoli Deo debitum impendere creaturis: hac autem injuria cogitari nequit atrocior. De quo argumento plura Habert de Vitiis, & peccatis cap. 6. q. 1. Sed huic argumentationi video plures reſpondere, quod per actum caritatis Deo omne creatum bonum poſtponitur, illique ratio finis ultimi tribuitur, neque tamen caritas dicitur infinita: conſequenter infinita non erit culpa, quæ Deo aufert rationem ultimi finis, illique præfert quamlibet creaturam. Affinis eſt argumentatio quod peccatum, quantum in ſe eſt, Deum interimit, ut ſcribit Serm. 3. S. Bernardus: & conſimilis pariter reſponſio, quod eo ſenſu peccatum interimit, quo caritas vivificat; atque tam hanc vitam, quam illam mortem conſtat finitam eſſe, quoniam neque Deus ab homine infinita caritate diligitur, neque bonum creatum infinita cupiditate. Legim Joannem Baptiſtam Gonet diſp. ix. de Peccat. art. 6. Non diſſimilis eſt tertium argumentum, quod per mortale peccatum crucifigitur Chriſtus in ſemetipſis, & deſinit in nobis vivere per gratiam ſanctificantem: quod eadem ratione diluitur, propterea quod ejuſmodi vita finita eſt, & alterius generis ab ea, quam habet Chriſtus redivivus, atque immortalis. Argumentatio quarta in hoc ſita eſt, quod mortale peccatum punitur æterna morte, ſummoque ſupplicio. Sed reſpondet enim Scotiſtis Nicolaus L'Herminier Tom. vi. pag. 539. atrociſſimum quidam eſſe tormentum gehennæ, & perpetuo duraturum, quoniam peccatum damnatorum irremiſſibile eſt, eorumque voluntas inflexibilis & obduſata; cruciatus tamen ipſorum eſſe definitos, ac pro delictorum menſura minus, magiſque vehementes.

Miſſis itaque præfatis argumentationibus, placet nobis trita illa, & pervulgata, quod qualitas offenſæ commenſuratur dignitati perſonæ, quæ afficitur injuria; amplitudo autem honoris a conditione & honeſtate illius, qui honorem præſtat, æſtimatur. Id vero liquet ex communi proloquio, *Honor eſt in honorante, offenſio in perſona offenſa*. Liquet etiam ex auctoritate, & opinione prudentum: qui injuriam illatam præclaro viro, ea, quæ infertur alicui plebicolæ, putant inſigniorem; honorem autem adhibitum a viro principe præferunt illi, quem recipiunt a populari. Cum ergo peccatum mortale ſit offenſa Dei, cujus majeſtas, dignitas, magnificentia, nec non in conferendo hominibus beneficia liberalitas infinita eſt; oportet ut ipſum peccatum induat rationem maximæ ac infinitæ iniquitatis. Quam argumentationem confirmant ſummi Dei imperium, æquitas, providentia, amor, atque cetera omnia attributa. Nam ſi graviſſimum crimen eſt offendere parentem optimum, aut juſtiſſimum principem; quale flagitium putas injuriam facere Creatori qui nos produxit ex nihilo, & Domino, cui omni juris titulo univerſa ſubjiciuntur?

Reſpondent Scotus, Vaſquez, Sueſſius, L'Herminier, & alii quidam deſumi gravitatem offenſæ a dignitate perſonæ injuriis effectæ, non *ſimpliciter*, ſed proportione ſervata, & *ſecundum quid*, eo quod nulla res finita poſſit fieri particeps infinitatis. At ex idea, quam exhibent menti meæ ſubobſcura illa vocabula, *ſimpliciter*, &, *ſecundum quid*, in priori ſententia confirmor. Perceptione mea aliquid eſſe infinitum *ſimpliciter*, nihil eſt aliud quam infinitam eſſe per ſe, ſive natura ſua, nulla facta comparatione termini alicujus, vel objecti: & infinitum eſſe duntaxat *ſecundum quid* idem eſt, ac eſſe infinitum tantummodo *connotative*, ſive comparate ad objectum, vel terminum. Dum vero concipio peccatum tamquam Dei optimi offenſam, illud non conſidero in ſe, quatenus eſt opus aut figmentum humanum, ſed illud ſpecto *connotative*, atque in ordine ad infinitam Dei bonitatem. Si ergo dignitas perſonæ adauget *ſecundum quid* gravitatem peccati, erit peccatum in ratione offenſæ infinitum, ideſt, ſpectatum ratione objecti, nempe ipſius Dei. Nec repugnat humanam actionem in ſe finitam eſſe infinitam *connotative*, & comparate ad Deum; quoniam & actio Dei infinita & æterna dicitur ratione *connotatorum*, ſive creaturarum, ſuum terminum, ac tempus habere.

Opponunt: Si hæc ita ſint, infinita erit viſio beatorum ſpirituum, infinitus actus caritatis, infinita pœnæ privatio beatitudinis; quoniam hæc omnia connotant terminum infinitum. Rurſus nullum erit diſcrimen inter veniale ac mortale peccatum, cum illud etiam ſit injuria illata Deo, ideoque infinitum. Nullum ob eamdem rationem diſcrimen erit inter peccata mortalia, quia fieri non poteſt, ut unum infinitum ſit majus altero.

Sed reſpondemus ad primam objectionem, Adverſarios noſtros ideam viſionis, ac privationis pervertere. Viſio enim eſt intelligentis animæ actus; & actus percipitur comparate ad potentiam, ſive ad modum quo elicitur, non reſpectu objecti in quod fertur. Tam vero operatio animæ, quam operationis modus finitatem habet, & ideo non ſatis apte dicimus animæ actionem infinitam. E contra dicimus infinitam operationem Dei etiam in productione rei finitæ & creatæ, quoniam & potentia ipſius infinita eſt, & infinitus pariter modus rem ex nihilo producendi. Ergo in iis, quæ ad actiones pertinent, neceſſe non eſt objectorum attendere perfectionem. De privatione dictum ſupra, non eſſe percipiendam comparate ad bonum ut eſt in ſe, ſed ad bonum, ut poſſidetur, vel poteſt poſſideri. Quod ſi valet etiam privationem peccato inductam appellare infinitam, parum, ut præmonui, mea intereſt. Actum caritatis, ſi ſpectes quatenus eſt opus voluntatis humanæ, eſſe finitum modo affirmavi. Si illum actum attendas, in quantum eſt Dei cultus, & honor, finitus adhuc eſt, quoniam honor, æſtimatione prudentum, ratione perſonæ honorantis, non ratione objecti minuitur, vel augetur. Quamobrem in Chriſto ob divinæ perſonæ dignitatem actus caritatis habuit infinitum meritum, quamvis phyſice fuerit finitus. Atque hoc exemplo magis liquet, poſſe unum actum eſſe phyſice finitum, infinitum vero moraliter. Peccatum veniale non deſtruit caritatem, non conſtituit abſolute finem ultimum in creatura, neque procedit uſque ad contemptum Dei. Offenſa autem, quam dicimus commenſurari cum dignitate perſonæ, eſt illa, per quam perſona afficitur injuria, ideſt, quæ conjungitur cum deſpicientia, & contemptione. Nam ſi quempiam offendas in-

con-

quam advertat ad peccati malitiam, aut excitetur ad deſiderium virtutis. Id neceſſarium non eſſe, dummodo aliunde ſalvetur libertas indifferentiæ, conſequitur ex iis, quæ diſputata ſunt lib. XVIII. de Gratia ſufficiente. Nam definivimus non requiri ad imputationem peccati, quod non denegetur homini actualis gratiæ adjutorium; & aliquos reperiri obduratos interiori gratia deſtitutos, & nihilominus peccare indifferenter ac libere. At ſancta cogitatio, & delectatio munus eſt gratiæ. Si ergo gratia neceſſaria non eſt ad imputationem peccati, neque erit neceſſarium ad peccati malitiam advertere, aut pulſari delectatione virtutis.

Quoniam vero largi quidam gratiarum divinarum diſpenſatores huic noſtræ aſſertioni reluctantur, illam proximis monimentis confirmamus. I. In Dioſpolitana Synodo anathemate proſcriptum eſt illud Pelagianorum paradoxum, *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato*. At qui obliviſcitur, vel ignorat, actu non cogitat, nec delectatione pulſatur. Ergo poteſt quis abſque actuali ſancta cogitatione vel excitatione peccatis ſubjacere. II. Nihil occurrit in libris Auguſtini frequentius, quam plures peccare neſcientes. Legitote Epiſtolam CLIV., nunc XLVII. De Sp. & lit. cap. 36. lib. 1. Retract. cap. 15. Aſſentiuntur Auguſtino Hieronymus in 1. adv. Pelagianos, & Bern. in Epiſtola ad Hugonem. III. Si quilibet peccator ſuperna quadam dum peccat illuſtraretur cogitatione, nullum daretur peccatum ignorantiæ. At ſi non datur; cur legitur cap. V. Levitici v. 17. *Anima, quæ peccaverit per ignorantiam?* Cur ajebat David Pſ. XXIV. 7. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine?* IV. Laborarunt ignorantia Judæi conſpirantes in Chriſti mortem, quos alloquitur Petrus Act. III. 17. *Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri*. Laboravit ignorantia & Paulus quando perſequebatur Eccleſiam, ut ipſemet ſcribit in priori Epiſtola ad Timoth. 1. 13. *Ignorans feci in incredulitate*. Laborarent ignorantia occiſores Martyrum, de quibus prædixerat Salvator Joan. XVI. 2. *Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*. Hi ergo quo pacto, dum tam immania patrabant, virtutis luce, & jucunditate perfundebantur? V. Auctore Petro Damiani in vita S. Romualdi cap. 35. & Opuſc. VII. cap. 21. clerici Vallis de Caſtro ſimoniæ crimen eſſe rem licitam arbitrabantur: & quidam Monachus Falia nomine ad ſedandam libidinem fas opinabatur rem turpem peragere; & nihilominus hi tanquam impiiſſimi damnati ſunt, ac reprehenſi. VI. Pariſienſes Theologi anno 1641. proſcripſerunt hanc propoſitionem; *Nunquam peccatur, niſi prævia peccati cognitione animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio extimuletur*. Lovanienſes an. 1657. confixere alteram: *Ut actio quæpiam ſit peccaminoſa, oportet, ut procedat ab homine, qui noſcit, & percipit quid boni, malive in ea ſit*. Rurſus Clerus Gallicanus anno 1700. damnavit ſequentem aſſertionem: *Si peccatores conſummatæ malitiæ cum blaſphemant, & flagitiis ſe immergunt, non habent conſcientiæ ſtimulos, nec mali quod agunt notitiam; cum omnibus Theologis propugno eos hiſce actionibus non peccare*, damnavit, inquam, & declaravit falſam, temere pronuntiatam, pernicioſam, & quæ bonos mores corrumpit, & blaſphemias, aliaque peccata excuſat. Lege Hiſtoriam de Auxiliis lib. III. cap. 48. VII. Si peccatorum malitiam non advertere redderet hominem immunem a culpa, potior eſſet ac melior conditio ignorantis, quam ſapientis, neque hujus notitia adaugeret tantum culpæ nequitiam, dum peccat, ſed ulterius neceſſaria eſſet, ut poſſet peccare: quod puto perpaucos eſſe dicturos, etiamſi affirmetur in Nodo prædeſt. P. 1. §. 2. n. 11. a Cardinale Sfrondrato.

In ſolutione quorumdam adverſus ſuperiorem aſſertionem argumentorum non immorabor. Quippe ea petuntur vel a communi Philoſophorum proloquio, *Nihil eſt volitum, quin præcognitum*, vel a ſufficienti Gratia, quæ numquam deſit alicui. At hæc poſtrema, idest, a gratiæ communione deprompta toties recocta ſunt, ut nimium futurus ſim, ſi iterum ea proferam, garrulus & verboſus. Quamquam ſi gratia fores, ut plures docent, aut qualitas aut motio, aut res alia ſanctæ cogitationis effectrix, poſſet ſingulis adeſſe, tametſi hominis culpa non produceret ſanctæ inſpirationis effectum. Nam & nos pariter divinam omnipotentiam ac miſericordiam paratam omnibus opitulari, & adjuvantem non reluctantes, adeſſe univerſis ac ſingulis non diffitemur. Ad argumenta autem deducta a communi pronuntiato philoſophorum non ſemel dictum eſt, illud liberrima voluntate fieri, quod eligitur cum indifferentia judicii; quod quiſque fecit, dum peccat, etiamſi actu non cogitet eſſe peccatum. Ut vero quod libere perpetratur ſit reipſa peccatum, ſufficit quod poſſit ac debeat advertere ad nequitiam illius, nec laboret legis peccatum illud prohibentis ignorantia invincibili. Etenim, ut Auguſtinus ait in III. de libero arbitrio cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis*.

Ultima quæſtio eſt, Quid ſit, & an detur peccatum philoſophicum? de quo mentionem fecimus lib. 1. cap. 4. prop. 2. Dictum eſt ibidem peccatum philoſophicum eſſe actum humanum diſconvenientem rectæ rationi, abſque eo quod ſit tranſgreſſio divinæ legis. Hujus peccati commentum derivatum eſt ab opinione illa quorumdam Scholaſticorum, quod poſſit Deus invincibiliter ignorari. Si enim quis Deum ignoraret invincibiliter, & patraret homicidium, adulterium, aut crimen aliud pervertens hominum mores, ordinemque univerſi, & repugnans naturæ lumini; peccatum illud cum Dei ignoratione conjunctum adverſaretur rectæ rationi, at non eſſet tranſgreſſio legis divinæ, quoniam peccator percipere non poſſet eſſe Deum, atque æternam Dei legem, cujus rationis lumen eſt quædam participatio.

Hoc peccatum fictitium eſſe demonſtratur ex eo quod Alex. VIII. an. 1690. tanquam ſcandaloſam, temerariam, erroneam, piarumque aurium offenſivam confixit proximam aſſertionem: *Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum*. Deinde peccatum illud commentitium eſt: declarat certa nobis, ac longe probabilior ſententia, neminem eſſe, qui Deum ignoret invincibiliter. Inſuper ex conſtitutis doctrinæ noſtræ principiis manifeſtum eſt rectam rationem nihil aliud eſſe, quam conformitatem perceptionis humanæ cum regula immutabilis æquitatis, ſive participatione divini luminis. Nequit ergo deprehendi opus aliquod eſſe rectæ conſentaneum rationi, niſi etiam percipiatur rationem ipſam a ſumma veritate, quæ Deus eſt, non deflectere, ideoque ipſa ſumma veritas latere omnino non poteſt.

P. Iſaacus Bruyn in Collegio Lovanienſi Societatis Jeſu, aliique viri docti, quamquam dari peccatum Philoſophicum non affirment, nihilominus poſſe hypothetice propugnari contendunt. Nam primo affirmant peccati philoſophici nomenclaturam non a poſterioris ævi Scholaſticis, ſed jam ab Angelico præceptore traditam 1. 2. q. 71. art. 6. ubi ait: *A Theologis conſideratur peccatum præcipue ſecundum quod eſt offenſa contra Deum: a Philoſopho morali, ſecundum quod contrariatur rationi*. Peccatum ergo Philoſophicum illud eſt, (inquit Pater Bruyn) quod ſi daretur, fieret contra rectam rationem cum invincibili ignoratione Dei, ideoque legis divinæ illud prohibentis. Secundo inquiunt, in eo qui laboraret invicibili Dei ignoratione, peccatum rectam ordinem pervertens, ut adulterium, vel homicidium, futurum Dei offenſam, quoniam Deus non tantum creaturæ rationalis conditor eſt, verum etiam vindex, quamvis contra illum perpetratum non agnoſcatur: quod neceſſarium non eſt, cum etiam homines inter, optimo cuique diſpliceant peccata, non contra ſe modo, verum etiam contra alios commiſſa. Tertio aſſerunt, quod peccatum illud non eſſet mortale, neque gratiam excluderet ſanctificantem, neque hominem pœnis ſempiternis ſubjiceret; nam S. Thomas 2. 2. q. 20. art. 3. ait: *Si poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile ſine averſione a Deo*, (quod fieret utique, ſi invincibiliter Deus ignoraretur) *quamvis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale*.

Reſpondeo ad 1. neque hypothetice peccatum philoſophicum poſſe defendi, hypotheſi quæ perceptibilis ſit, & ſeſe non evertat: quamquam data invincibili Dei ignoratione, non hypothetice tantum, ſed reapſe, opinione noſtra, admitteretur peccatum philoſophicum. Poſſet enim ignorans Deum adverſus rectam rationem delinquere. Cur, quæſo, non? Si legem Dei non tranſgrederetur, Deum non offenderet. En peccatum philoſophicum ex hypotheſi proficiſcens ad actum. Ex verbis S. Thomæ inſulſe, inepte, imperite confictam hypotheſim ſtabiliunt. Poteſt V. G. corpus conſiderari a Phyſico ut conſtat materia & forma, a Metaphyſico ut ens eſt, a Mathematico ut trinam habet dimenſionem. Ergo ne poteſt percipi corpus quod conſtitutum ſit ex materia & forma, & tamen non ſit ens, nec poſſit habere extenſionem? Id quidem nullo pacto, quia ſi phyſicam materiam ac formam percipis, entitatem aliquam capacem dimenſionis, neceſſe eſt, ut percipias. Conſideratur peccatum a Philoſopho, ut adverſatur rationi, a Theologo, ut eſt Dei offenſa. Verum eſt: ita S. Thomas. At quænam eſt extorta illa conſecutio, Ergo poteſt excogitari peccatum repugnans rectæ rationi, quod non ſit Dei offenſa? Ego rectam rationem nego, quæ non ſit cum participatione legis æternæ: & cum participatione legis æternæ nego poſſe dari invincibilem Dei ignorationem.

Ad 2. reſpondeo falſum eſſe, quod peccatum illud philoſophicum foret Dei offenſa. Non enim eſt offenſa Dei, ſi non eſt tranſgreſſio divinæ legis. Non eſſet tranſgreſſio divinæ legis, quoniam lex invincibiliter ignoraretur. Quomodo ergo eſſet Dei offenſa? At vindex, inquiunt, eſt Deus peccati, etſi non cognoſcatur contra legem Dei perpetratum. Quid inde? Vindex erit, ſed non offenſus. Etiam inter homines, ajunt, optimo cuique diſplicet peccatum, etiamſi commiſſum adverſus alios. Fateor, diſplicet: ſed optimo illi, quem ignores, nulla affertur injuria, nulla offenſa. Peccatum vero, quod non ſit offenſa Dei, & libera divinæ legis tranſgreſſio, admittere temerarium eſt, & erroneum.

Ad

Ad tertium dico, quod peccatum illud, dummodo eſſet in materia gravi, eſſet mortale; nam diſſolveret amicitiam Dei, & æternam pœnam promereretur, ut conſtat ex damnata propoſitione. Atque hoc idem infertur ex verbis S. Thomæ, quæ opponit P. Bruyn. Angelicus enim Doctor 2. 2. q. 20. art. 3. probat deſperationem eſſe quidem mortale, graviſſimumque peccatum, quoniam eſt contra virtutem Theologicam, cujus objectum eſt Deus, ideoque importat ab ipſo Deo averſionem, in qua ſita eſt principalis ratio peccati, propterea quod ſine averſione a Deo mortale peccatum non datur. Sed addit S. Thomas deſperationem non eſſe peccatum adeo grave, ut eſt infidelitas, vel odium Dei; *Quia infidelitas & odium Dei ſunt contra Deum ſecundum quod in ſe eſt: deſperatio autem ſecundum quod ejus bonum participatur a nobis*. Igitur per D. Thomam ſat eſt ad mortale peccatum, quod ſit averſio a Deo in quantum a nobis participatur. Atqui peccatum philoſophicum eſſet averſio a recta ratione, quæ eſt participatio æternæ legis, & conſequenter eſſet averſio a Deo in quantum participatur a nobis; ergo peccatum philoſophicum eſſet æterna pœna dignum, atque mortiferum. Sed inquit P. Bruyn, noſtra in cerebro hæc primum nata non eſt, quam ab Auguſtino accepimus, opinio. Tractatu CVI. in Joannem, *Hæc eſt enim* (inquit ille) *vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitus poſſit abſcondi. Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata eſt, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem*. Grandiuſculis literis PP. Benedictini hanc præclaram Auguſtini Sententiam, ne inconſiderate illam prætermitteret lector, typis ediderunt. Si vis veræ divinitatis non poteſt creaturæ ratione utenti penitus abſcondi, & Deum negant tantum perpauci, in quibus natura nimium depravata eſt, & affectiones, quæ corrumpunt animam, diſtrahunt mentem a veritate, quæ nunquam omnino abſconditur; nullus profecto Deum ignorat invincibiliter, & peccatum philoſophicum in ſolo hominum cerebro fictum eſt.

CAPUT X.

An ad culpam imputetur malum opus ex invincibili ignorantia patratum.

QUÆ de ignorantia diſſerui revocant me ad inſectanda dogmata Janſenianorum adverſum nos jam fractis extremiſque viribus velitantium. Cenſent enim ignorantiam juris naturæ invincibilem, eo quod pœna ſit originalis peccati, neminem a culpa excuſare, perperam in patrocinium mendacii pluribus Auguſtini teſtimoniis conſarcinatis. Quod ante Janſenium ſcripſerat cum aliis Calvini gregalibus Hieronymus Zanchius citatus a Stephano Deſchamps lib. III. H. Janſ. Diſp. V. cap. 5. Licet autem hæc hæretica aſſertio refutata ſit una cum proſcriptis circa libertatem Novatorum articulis, eam rurſus hoc loci, ne magis neceſſaria præterire videamur, directe oppugnabimus.

PROPOSITIO I. Ignorantia juris naturalis, ſi invincibilis ſit, a peccato excuſat.

Prob. 1. ex damnata ab Alex. VIII. poſitione: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.* Huc etiam ſpectant proſcripti articuli Baji negantis neceſſarium eſſe ad imputationem peccati quod ſit voluntarium. Dictum de his lib. XVI. cap. 2. & 3. Deinde probatur ex Auguſtino; qui non ſolum expreſſiſſimis teſtimoniis a me eodem loco productis affirmat nullum dari abſque propria voluntate actuale peccatum, ſed etiam hanc de ignorantia quæſtionem aperte definit lib. III. de lib. arbitr. cap. 19. his verbis: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras*. Rurſus probatur demonſtrando Adverſariorum in perſcrutando Auguſtini mentem hallucinationem, atque oſcitantiam. Affirmantibus ſiquidem Pelagianis nullum hominem naſci obnoxium originali peccato, ideoque concupiſcentiam atque ignorantiam ſpectare ad naturam inſtituti hominis, non eſſe pœnam damnati, ut ait S. P. Auguſt. cap. 11. de Dono Perſeverantiæ, & nos lib. XII. XIII. & XVI. demonſtravimus, ſanctiſſimus Doctor contendit utrumque, tam concupiſcentiam, quam ignorantiam, malum eſſe, & poſſe dici peccatum, in quantum peccato inductæ ſunt, atque ad peccatum pertrahunt utentes libero voluntatis arbitrio. Ceterum ait neminem ob ignorantiam illam damnari, niſi propria negligentia quis tenebras ſibi arceſſat. Qui autem hæc docet, neque affirmat ignorantiam invincibilem eſſe actuale peccatum, neque opus ex illa patratum deberi ad culpam imputari. Perperam igitur obſtrepunt Adverſarii contra inconcuſſam, firmiſſimamque S. P. Auguſtini auctoritatem.

Sane Auguſtini ſcopum eſſe demonſtrare ignorantiam non eſſe naturam hominis inſtituti, ſed pœnam damnati, ut inde originariam labem, & ſpecialis gratiæ inferat neceſſitatem, liquet ex ejus adverſus Pelagianos diſputationibus, ac præſertim ex libro contra Jul. VI. Ibi enim cap. 16. demonſtrat ignorantiam malum eſſe, *per quod a neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala, & per quod homo non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei*. Nec tamen ſequitur quod perpetrentur mala per ignorantiam invincibilem, ſed tantum quod ignorantia vitio primi peccati inſeminata ſit complurium ſcelerum radix, quemadmodum & concupiſcentia; quæ, etſi pejor eſt ignorantia, ut eo loci S. P. demonſtrat, nihilo tamen minus non niſi conſentientibus nocet. Malum eſt ergo per Auguſtinum ignorantia, quoniam ex peccato eſt, trahitque ad peccatum, licet nullus peccet, niſi ignorantiam ipſam affectet, vel quærere negligat quod ignorat. Producit autem S. Pater eodem Opere lib. III. cap. 19. ad comprobandum ignorantiæ malum, exemplum Abimelech, qui ignorans Saram eſſe uxorem Abrahami illam rapuit, & in 1. Retract. cap. 9. exemplum Davidis & Pauli; quorum alter ait, *Ignorantias meas ne memineris*, alter vero, *Ignorans feci in incredulitate*. Profecto ignorantia Abimelech, Pauli, & Davidis ex originali labe traxit originem, ſed hi non laborarunt ignorantia invincibili legis naturæ. Si ergo peccaverunt, fuit ipſorum ignorantia vincibilis, propterea quod neglexerint quærere quæ ignorabant. Nam ignorantiam facti, ſi nequeat ſuperari, excuſare a peccato fatetur Janſenius, probatque ex Auguſtino lib. 2. cap. 26. adverſus Creſconium. Cum igitur S. Pater ad probandum ignorantiæ malum hunc ſibi ſcopum præfixerit, ut ex illa commonſtrat vitiatam eſſe peccato originali naturam, atque ad evincendum non eſſe ignorantiam ipſam conditionem naturæ perfectam, proferat exempla eorum, qui peccaverunt ignorantia facti, vel juris poſitivi; conſequens eſt nihil aliud Auguſtinum contra Pelagianos intendere, niſi ignorantiam eſſe vitium derivatum a peccato, & in iis, qui cum poſſint, illam diſpellere negligunt, peccati cauſſam. Vide etiam librum 1. de peccat. meritis, & remiſſ. cap. 36.

Alterum ex Auguſtino depromptum argumentum eſt; quod ſi ignorantia invincibilis juris naturæ non excuſaret a culpa, quia peccati originalis pœna eſt; nec etiam excuſaret infidelitas *negativa*, eorum ſcilicet, quibus annuntiatum non fuit Chriſti Evangelium. Cur enim pluribus annuntiatum non ſit, venit de occulto judicio, ut S. Pater demonſtrat lib. de Dono perſev. cap. 9. & ſeq. Atque infidelitas *negativa* non imputatur in culpam, quicquid novi obganniant Dogmatiſtæ poſt Bajum, cujus aſſertio damnata eſt art. 67. Igitur neque imputari poteſt ad culpam invincibilis ignorantia, propterea quod pœna ſit originalis peccati. Minorem propoſitionem, quæ ad fidem ſpectare conſtat ex damnatione citati articuli 67. his verbis expreſſi, *Infidelitas pure negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt*, etiam Auguſtinus commonſtrat Tract. 89. in Joann. & Epiſt. 194. olim 105. ex illa Chriſti ſententia, *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent*. Quibus in locis mirum eſt quærere Janſenianos præſidium erroris ſui, cum Auguſtinus in Epiſt. ad Sixtum ſcribat: *Hoc peccatum Judæos non habituros fuiſſe, ſi non veniſſet, quo cum audiſſent eum, non crediderunt in eum*: & cit. Tract. in Joan. *Habere excuſationem de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus*.

Hujus firmiſſimæ veritatis poſſumus rationes multas proferre. Prima eſt, quod pœna conſequens ex originali peccato, niſi accedat liberi arbitrii conſenſus, nequeat nocere, remaneatque etiam in renatis, in quibus originariæ culpæ labes abſtergitur. Altera huic affinis, quod nullum ſit, niſi ſit voluntarium, actuale peccatum. Tertia parum abſimilis, quod ſi ad imputationem peccati ſufficeret ignorantiam contrahi ob culpam Adæ, peccatum eſſet dementia quoque, furor, ac phreneſis, quibus in pœnam primi peccati complures ſubjiciuntur. Quarta ex his profluens, quod plures ratione utentes, & qui non repugnarent veritati, ſi eis affulgeret, in damnationem protraherentur inviti.

PROPOSITIO II. Nullus hominum compos ſui laborat ignorantia juris naturæ invincibili.

Demonſtratur I. S. P. auctoritate. Scribit enim Auguſtinus in Pſ. 156. *Nullus eſt, qui faciat injuriam alteri, niſi qui ſibi fieri nolit: etenim in hoc tranſgreditur naturæ legem, quam non ſinitur ignorare, dum id facit, quod non vult pati*. Et in II. Conf. cap. 4. *Furtum punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam nec ipſa delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?* II. Demonſtratur ratione, quæ ex Apoſtolo, & eodem Auguſtino deprompta eſt. Tametſi per originale peccatum ignorantia & difficultas in ſingulos Adæ poſteros promanavit; nihilo tamen minus etiam Gentes, nullis legalibus præceptis imbutæ, *oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*, ut Apoſtolus docet ad Rom. II. 15. ideoque nulla eſt anima quamvis perverſa, *quæ tamen ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur Deus*: quemadmodum ex verbis Apoſtoli infert S. Pater lib. 2. ſerm. Dom. in M. cap. 9. Atqui vis illa ratiocinandi, illa intima ad ſingulorum conſcientiam ſupremi Numinis allocutio, teſtimonium illud animi, & reprehendens aut defendens propria ſingulorum cognitio, nihil ſunt aliud, quam divini luminis irradiatio, & indita univerſis regula immutabilis æquitatis, ſeu lex naturæ. Ergo hanc legem nemo eorum, qui ratiocinari

cinari

Digitized by Google

cinari poſſint, & peccandi libertate, intimaque conſcientia præditi ſint, ignorat invincibiliter.

Advertendum tamen, ſpectari poſſe naturalem legem & quoad univerſalia principia, & conſecutiones proximæ inde illatas, cujuſmodi ſunt, *Quod tibi non vis, alteri non feceris, Diligendus eſt Deus, Parentes honorandi ſunt, &c.* & quoad conſequentias, ut inquiunt, remotas, quæ ex iiſdem principiis nonniſi difficulter a ſapientibus deducuntur; cujus generis ſunt complura ad legitimos contractus pertinentia. Eſt ergo ſententia aliquorum dari non poſſe legis naturæ invincibilem ignorationem, nec etiam quantum attinet ad remotiſſimas conſecutiones; pro qua ſententia plura erudite conſcripſit Presbyter Ballerinius Veronenſis in Conſ. Epiſtolæ Pauli Segneri cap. v. & in Epiſtola ſ. adverſus Anonymum Diſſertatorem. Fulcitur autem hæc ſententia proximis argumentationibus.

Videtur principio valde conformis Sanctorum Patrum auctoritati. Etenim Ambroſius citatus in C. *Turbatur*, diſt. a. 4. ait: *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis eſt.* Auguſtinus de Grat. & lib. arb. cap. 3. *Ignorantia neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat.* Epiſt. 47. alias 154. *Si quis bonum putaverit eſſe quod malum eſt, hoc putans utique peccat.* Similia habet Bernardus de præcept. & diſpenſat. cap. 14. S. Thomas Quodl. VIII. art. 13. *Quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam.* Idem docet Quodlib. III. Q. IV. art. 2. Gerſon denique De vita ſpirituali lect. IV. *Concors eſt ſententia, nullam in iis, quæ legis divinæ ſunt, cadere ignorantiam invincibilem.* His accedit ratio, quoniam ut ignorantia reputanda ſit invincibilis, requiritur, quod ſuperari nequeat viribus naturæ, vel gratiæ. Nam gratiæ munus eſt facere ut innoteſcat quod ante latebat. Quamvis ergo darentur aliqui tali ignorantia laborantes, ut naturalis intelligentiæ lumine non poſſent illam diſpellere: nemo eſt mortalium, qui id nequeat ſuperna ſuffultus illuſtratione. Hac vero non niſi juſto judicio, & in pœnam peccati privabitur; quod ſane nullam peccato afferre poteſt excuſationem, neque ignorantiam, per quam aliquis errat invitus, reddere ſimpliciter involuntariam.

Veriſſimam tamen puto ſententiam oppoſitam, & circa conſequentias juris naturæ remotiſſimas cenſeo ignorantiam invincibilem eſſe admittendam, minus ſollicitus an talis ignoratio ratione adjunctorum, ſive circumſtantiarum rerum, a quibus univerſalis legis præſcriptio longe diſtrahitur, appellanda ſit potius facti, quam juris. Huc enim videtur tandem deſcendere Cl. Theologus Veronenſis. Et quidem ſententia illa non ſolum traditur a Theologis laudatis ab Auctore Epiſtolæ vernacula lingua adverſus Ballerinium conſcriptæ pag. 86. & ſeq. ſed etiam illam tenent omnes fere Ægidiani, ac Thomiſtæ, nec non Sylvius in ſ. 2. q. 76. q. 2. concl. 4. Ludovicus Habert de Actib. Humanis cap. 1. §. 3. q. 10. L'Herminier Tom. v. pag. 254. aliique communiter. Cujus aſſertionis hæc videtur ratio apertiſſima, quod concluſiones juris naturæ remotiores deducuntur ex principiis longiori, implexoque diſcurſu, quem rudes quamplurimi etiam ordinariis gratiæ adjumentis non deſtituti efformare nequaquam valent, ut in multis ad uſuram, & matrimonii impedimenta ſpectantibus non perraro contingit.

Superiora autem argumenta producta etiam a Genetto Tract. ſ. de Morali cap. 2. non admodum videntur valida. Omnia quippe allata teſtimonia de jure naturæ ſpectato quantum ad univerſalia principia, proximaſque concluſiones, & quantum ad ignorantiam homini propria culpa, ac negligentia inſidentem, poſſunt, ac debent intelligi. Deinde, ut brevi ſingula expediamus: Ambroſius quo loco ea ſcripſit? Laudatur utique Ambroſius in C. *Turbatur*, & citatur S. Doctoris ſerm. xs. & lib. v. in Lucam: ſed ibidem hoc tantum Ambroſius docuit, quomodo cavere debeamus proditores, ne per eos plurimi fluctuentur; nam, *Licet Petrus eſſet firmus ſuis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris.* Non extat eo loci, quod de ignorantia addiderunt Collectores Canonum, quamquam & hi loquantur de Jure naturæ primario, & de honore a libertis exhibendo dominis, ut obſervat Gloſſator. Prætermitto ſermonem ai. nunc XXXVII. eſſe Ambroſio ſuppoſitum.

Auguſtinus de Grat. & lib. arbitr. cap. 3. hoc tantum docet, ignorantiam eorum, qui non crediderunt in Chriſtum, nequaquam ipſis infidelibus præſtituram, ut non ardeant igne ſempiterno, non quia non crediderunt, id enim ipſis non imputatur ad culpam, dummodo neſcire noluerint; ſed quia legem naturæ inſcriptam cordibus ſuis libere tranſgreſſi ſunt. Mitius tamen ardebunt, quoniam fidelium graviora ſunt ob fidei, & vocationis beneficium, peccata. *Aliud eſt enim* (inquit S. Pater) *neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere, ut bene ageret. Sed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui tamquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat: ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet; ſed fortaſſis ut mitius ardeat: non enim ſine cauſſa dictum, Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt.* Ubi, quoniam hunc Auguſtini locum objectat etiam Juenius, duo animadverto; primum ignorantiam eorum, qui non audierunt omnino Evangelium, de quibus loquitur S. Pater, eſſe ignorantiam juris poſitivi, quæ ipſorum Janſenianorum confeſſione excuſat a culpa: alterum proferri ab Auguſtino verba Pſalmiſtæ adverſus Gentes idololatras, quarum ignorantia de Deo Auctore naturæ fuit proculdubio vincibilis. Senſus ergo eſt, infideles non ideo evaſuros ſempiternum gehennæ ſupplicium, quia non crediderunt in Chriſtum; ſed licet ob hanc cauſſam mitius fortaſſis ardebunt, in perpetuum tamen excruciandos, quia non ſervarunt legem naturæ cordi ſingulorum inſcriptam, quantum ad Dei cultum, & naturalia præcepta omnibus manifeſta. Epiſtola autem XLVII. diſtinguit Auguſtinus ignorantiam eorum, qui putant cibum, quo veſcuntur, non eſſe idolothytum, ab ignorantia eorum, qui idolis immolant ſacrificia: quarum prima eſt ignorantia facti, altera juris, & veritatis ex univerſali principio proxima conſecutione deductæ, ideoque recte docet conſiſtere cum hac ignorantia peccatum.

S. Thomas Aquinas in 1. 2. q. 100. art. 1. diſputans an præcepta omnia moralia ad naturalem legem pertineant, communem ſententiam his verbis illuſtrat: *Quædam enim ſunt in humanis actibus adeo explicita, quod ſtatim cum modica conſideratione poſſunt approbari, vel reprobari per illa communia, & prima principia. Quædam vero ſunt, ad quorum judicium requiritur multa conſideratio diverſarum circumſtantiarum, quas conſiderare diligenter non eſt cujuslibet, ſed ſapientum; ſicut conſiderare particulares concluſiones ſcientiarum non pertinet ad omnes, ſed ad ſolos philoſophos. Quædam vero ſunt, ad quæ dijudicanda indiget homo adjuvari per inſtructionem divinam, ſicut eſt circa credenda. Sic igitur patet quod cum moralia præcepta ſint de his, quæ pertinent ad bonos mores, hæc autem ſunt, quæ rationi conveniunt, omne autem rationis humanæ judicium a naturali ratione derivatur, neceſſe eſt quod omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, ſed diverſimode. Quædam enim ſunt, quæ ſtatim per ſe ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat eſſe facienda, vel non facienda, ſicut, Honora patrem tuum, & matrem, & non occides, non furtum facies, & hujuſmodi ſunt abſolute de lege naturæ. Quædam vero ſunt, quæ ſubtiliori conſideratione rationis a ſapientibus judicantur eſſe obſervanda; & iſta ſic ſunt de lege naturæ, ut tamen indigeant diſciplina, qua minores a ſapientioribus inſtruantur, ſicut illud, Coram cano capite conſurge &c.* Si ergo nequeat rudis homo uti diſciplina ſapientum, eamque requirat, & adipiſci non negligat; quis ambigit ejus ignorationem juxta Doctorem Angelicum eſſe invincibilem? At non affirmat S. Doctor, inquit Theologus Veronenſis, errorem, ſi quis interveniat, omni, vel levi culpa vacare. Id ſuapte natura conſequitur. Nam ſi culpa vacat ignorantia rerum credendarum, ubi nequeat haberi divina inſtitutio: cur delicto non caret ignoratio remotiſſimarum veritatum, ſi inculpate deſit inſtitutio, ac diſciplina Doctorum? Liquet enim S. Thomam de una, ac de altera ignorantia ſimili modo ratiocinari. Ad hoc igitur Angelici D. documentum ſi cetera revocentur, conſtat ab illo culpam adnecti duntaxat errori vincibili, ut eodem quodlib. III. aperte declarat Q. II. art. 2. ad 2. *Ignorantia juris non excuſat a peccato, niſi forte ſit ignorantia invincibilis.*

Traduntur ſimilia a Gerſone in lib. de Poteſt. Eccl. Conſ. XXII. Tom. 2. edit. Dupinii pag. 252., atque in Compendio Theologiæ (ſi tamen illud Gerſoni tribuendum eſt) Tom. ſ. pag. 412. In libro autem de vita ſpirituali lect. IV. Coroll. 3. poſt ea verba: *Concors eſt ſententia, nullam in his, quæ legis divinæ ſunt, cadere ignorantiam invincibilem*, ſtatim profert hanc ſuæ aſſertionis rationem: *Quoniam facienti quod in ſe eſt Deus ſemper aſſiſtit, paratus illuſtrare mentem, quantum oportebit ad ſalutem, & erroris evitationem.* In illorum itaque ſententia, qui propugnant dari infideles quoſdam omni gratiæ lumine deſtitutos, quemadmodum falſa eſt ratio allata Gerſonis, ita & præcedens aſſertio. Quamquam certiſſimum eſt infideles illos damnari non propter id, quod ignorant invincibiliter, ſed propter id quod libera voluntate committunt, aut dignoſcere negligunt. Nam ſi aliqui ſunt ob originale peccatum *negative* reprobati, juſtoque judicio derelicti, nil eis præter originalem labem, quam contrahunt generatione, imputari poteſt ad culpam, niſi quod libera voluntate patraverint. Atque his diluitur argumentum poſtremo loco productum.

Quod ſi quis in profundum peccatorum demerſus talem mentis caliginem contrahat, ut omnino ignoret quod ſcire tenetur, is laborabit ignorantia aliquo ſenſu invincibili, & neceſſaria quadam infirmitate tabeſcet: ſed quoniam ignorantia illa pœna peccati eſt, non originalis, ſed actualis; nullam excuſationem habebit peccatorum illorum, quæ aut a ſe committenda prævideræt, aut committit indifferentia judicii, & cum optione malorum. De his tenebrionibus, & lucifugis loquitur S. Bernardus de diſp. cap. XIV. *Obſcuratum quippe* (ait) *inſipiens cor eorum, qui iſtiuſmodi ſunt, & quaſi jam traditi in reprobum ſenſum, bonum omnino nec diligere, nec dignoſcere queunt. De quibus ſcriptum eſt: Impius cum venerit in profundum malorum contemnit.* Solvuntur ex dictis argumenta Janſenii, quæ tamen breviter dirimenda proponam.

AD EA QUÆ OBJICIUNT JANSENISTÆ.

Adverſarii itaque plura opponunt. Primo, inquiunt, defini-

finitum eſt in Palæſtina Synodo: *Oblivionem, & ignorantiam ſubjacere peccato*. Deinde Auguſtinus innumeris locis Janſenii effertum expreſſit. Ex libro de Grat., & lib. arbit. cap. 3. nonnulla jam delibavimus: attulimus & quædam ex epiſtola xlvii. Ad Sixtum ep. cv. nunc 194. ait: *Inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel vitio originis, vel additamento propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat.* Cauſſam ſubinde profert, quoniam, *in iis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in iis autem, qui non potuerunt, pœna peccati*. Eadem repetit in omni fere adverſus Pelagianos diſputatione. Sæpiſſime etiam appellantur ab ipſo Auguſtino peccata, quæ per ignorantiam etiam invincibilem perpetrantur, ut in iii. de lib. arbitrio cap. 19. Pluribus demonſtrat omnem ignorantiam eſſe damnabilem diſputans adverſus Julianum lib. vi. c. 16. & de Nat. & Grat. c. 17. In libro etiam i. Confeſſ. c. 7. plura deflet peccata infantiæ, quæ *nec mos reprehendi, nec ratio ſinebat*. Accedit S. Hieronymus, qui lib. i. adv. Pelagianos peragrans latiſſima Scripturarum ſpatia demonſtrat errorem omnem, atque ignorantiam eſſe peccatum. His & conſimilibus documentis veritatis errorem ſuum inculcant Janſeniani.

Reſpond. Palæſtinam Synodum proſcribendo ſeptimum illud Capitulum Cæleſtii: *Oblivionem, & ignorantiam non ſubjacere peccato*, damnare duplex Pelagianum paradoxum: unum quod ignorantia non ſubjacet peccato originali, ſed eſt conditio naturæ, eo quod non ſecundum voluntatem eveniat, ſed ſecundum neceſſitatem: alterum quod ignorantia ſive juris ſit, ſive facti, poſſit quandoque appellari perfecta juſtitia. Rejici definitione Synodi Palæſtinæ duplex illud Pelagianorum effertum conſtat ex libro Auguſtini de Geſtis Pelagii cap. xviii. n. 42. Ibi enim ad revincendum Cæleſtium, & illius damnationem comprobandam profert S. Pater verba Davidis: *Delicta juventutis meæ, & ignorantiæ meæ, ne memineris*, & ſacrificia, quæ in libro Levit. pro peccatis ignorantiæ percipiuntur. Hæc autem de ignorantia juris naturalis nequeunt intelligi. Fruſtra itaque ad hanc ignorantiam proſcriptio Cæleſtiani capituli detorquetur. Sane Pelagianos affirmaſſe ignorantiam non eſſe malum ex peccati propagine inſeminatum, nemo unus ignorat. Protuliſſe paradoxum alterum, quod ignorantia pertineat ad perfectionem, conſtat ex lib. iii. contra Jul. cap. 19. num. 36. ubi S. Auguſtinus refert Juliani verba: *Perfectam ignorantiam juſtitiam nominari, quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara fuerat concubiturus ignorans, quod uxor eſſet aliena, Et ego ſciebam, quia in corde mundo feciſti hoc*. Unde magis apparet quod ſupra aſſeruimus, Auguſtinum non de ſola ignorantia juris naturæ contra Pelagianos diſputaſſe, ſed de omni prorſus etiam juris poſitivi, atque facti, ut ipſius ignorantiæ non Deum auctorem, ſed originale peccatum fuiſſe cauſſam evinceret.

In Epiſtola ad Sixtum affert primum S. P. verba Jo. xv. 22. *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Ex quo infert non imputari ad culpam peccatum infidelitatis iis, qui Evangelium non audierunt. *Hoc peccatum* (inquit) *non eos habituros fuiſſe, ſi non veniſſet, qui cum audiſſent eum, non crediderunt in eum*. Excuſatur ergo e peccato infidelitas negativa ignorantiæ conjuncta invincibili. Deinde inſtituit quæſtionem, num excuſabiles ſint, qui non audierunt: ac reſpondet, eſſe quidem excuſabiles in eo quod non crediderunt, at non eſſe excuſabiles ob alia peccata. Enim vero vel damnantur propter originale peccatum, & hoc illis juſto Dei judicio imputatur, quoniam per unum hominem introivit in mundum, in quo omnes peccaverunt: ideoque non admittit de hoc peccato excuſationem Deus, qui creavit hominem rectum: vel damnantur peccatis propria voluntate patratis, & de his proculdubio nullam habent excuſationem, ſive ii, qui legem naturalem cordibus inſcriptam infringunt, nec Evangelium audierunt, ſive ii, qui audierunt, & additamento propriæ voluntatis in Judæorum infidelitate perſtiterunt. Proferamus non mutilata, ſed integra verba Auguſtini: *Secundum hanc excuſationem inexcuſabiles dicit Scriptura divina quoſcunque ſcientes peccare convincit, Dei tamen juſtum judicium nec illis parcit, qui non audierunt. Quicunque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Et quamvis ſe ipſi excuſare videantur, non admittit hanc excuſationem, qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum, eique obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi ejus, qui male uſus eſt libero voluntatis arbitrio, etiam quod tranſiret in poſteros, manaſſe peccatum. Neque enim damnantur qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertranſiit, in quo ante propria in ſingulis quibuſque peccata, omnes communiter peccaverunt. Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat; quia & ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati*. Eſto itaque Auguſtinianæ diſputationis ſumma. Excuſantur qui non audierunt Evangelium, nec audire potuerunt de peccato infidelitatis; non excuſantur quod mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & ſervierint creaturæ potius, quam Creatori. Derelicti in tenebris, & in maſſa perditionis propter originale peccatum, eo quod propria ſuperaddiderunt, nequeunt excuſare ipſum peccatum originale, quoniam illud contraxerunt in Adam, & quod Chriſti fidem non acceperint, & ſine lege perierint, pœna eſt tranſgreſſionis Adæ in quo omnes peccaverunt: nequeunt excuſare actualia peccata, & ipſam infidelitatem, ſi intelligere noluerunt, quoniam in his, quæ propria culpa neglexerunt, ipſa ignorantia peccatum eſt. Peccatum ergo inexcuſabile non eſt ignorantia invincibilis juris naturæ, ſed peccatum originale cujus pœna eſt ſi quis non eſt prædeſtinatus ad fidem, & infidelitas ipſa vincibilis, nempe illorum, *qui intelligere noluerunt*.

Ubi vero Auguſtinus appellat peccata, quæ per ignorantiam invincibilem perpetrantur, peccatum dicit, quod peccato factum eſt, *ſicut linguam dicimus non ſolum membrum quod movemus in ore, dum loquimur, ſed etiam illud quod hujus membri motum conſequitur, id eſt formam ſonoremque verborum*, inquit eodem libro iii. de lib. arbitrio cap. 19. Hoc fere pacto diximus lib. xiii. cap. 5. concupiſcentiam appellari peccatum, qui ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, ut poſt Auguſtinum Tridentina Synodus declaravit.

In libro vi. contra Julianum demonſtrat S. Pater concupiſcentiam, & ignorantiam eſſe intrinſece mala, ut inde evincat peccatum originale, & gratiæ neceſſitatem. Objicienti autem hæretico, cur hoc malo non careat qui baptizatus, reſpondet: *Horum malorum omnis reatus ſacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renaſcentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate magis magiſque lucente, concupiſcentia minuitur caritate magis magiſque fervente*. Ita eodem cap. xvi. num. 50. En aperte Auguſtinus concupiſcentiam, & ignorantiam malas eſſe pronuntiat, ſed in baptizatis utrique malo non aſſentientibus, ſejungit a peccati reatu, probans ex quo remaneant ad lectem neceſſariam eſſe gratiam ſanctæ inſpirationis, & dilectionis. At de nat. & gratia cap. xvii. num. 19. ſolam ignorantiam vincibilem culpandam affirmat: *Quia id homo neſcit negligentia ſua, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet, dum tamen omnia potius diſputet, quam ut oret, & dicat, Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua. Aliud eſt enim non curaſſe ſcire, quæ negligentia peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari. Aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem non intelligendo quid fieri velit*. In libro denique Confeſſionum primo cap. vii. opera, quæ comitantur infantiam, appellat peccata, in quantum revera naturali legi, ac lumini rationis repugnant, & ſunt conſectaria miſerrimæ originis, de qua David Pſ. l. ait. *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. Verum negat eſſe peccata, quæ imputari valeant ad culpam: ita ut reprehendenda quidem fuerint in ſe inſpecta, ſed nullam promeruerint reprehenſionem, quatenus tacite e puerulo abſque rationis uſu operante. *Tunc ergo* (inquit) *reprehendenda faciebam: ſed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me, nec ratio ſinebat*.

Hieronymus adverſus Pelagianos demonſtrat plura peccata a nobis per ignorantiam committi, ideoque hoc malum eſſe nobis inſitum vitiatæ generationis origine, neque vitari poſſe peccatum ſine gratia Reparatoris. At fruſtra Janſeniani de ſola ignorantia invincibili, & juris naturæ Sanctum Doctorem interpretantur: fruſtra inferunt per Hieronymum ignorantiam illam non excuſare a peccato. Nam ut Pelagianos revincat per Scripturarum ſpatia diſcurrens probat dari ignorantiæ peccata ex cap. xxi. Exodi v. 13. ubi mulctatur exilio, qui occiderit aliquem per ignorantiam abſque voluntate, & inſidiis. Ex cap. v. Levitici v. 17., ubi præcipitur offerendum eſſe arietem pro anima, quæ per ignorantiam aliquid immundum tetigerit, & legis cæremonias fuerit prævaricata. Ex cap. xxii. ejuſdem libri v. 14., ubi ei, qui per ignorantiam comederit de ſanctificatis, mandatur, ut deferat ad Sanctuarium, & det Sacerdoti certam partem ejus, quam ederit, cibi. Ex cap. xxxv. Num. v. 11. ubi decernuntur civitates refugii pro iis, qui nolentes ſanguinem fuderint. Ex i. Regum cap. xiv. 43., ubi Jonathas damnatur a patre, quod guſtaverit in ſummitate virgæ paullulum mellis, quamquam paternum mandatum, ac juramentum neſciret. Hæc omnia exempla ſunt juris poſitivi, vel facti, in quibus ignorantia, fatentibus Janſeniſtis, excuſat a culpa; idcoque certiſſimum eſt beatum Hieronymum Pelagianos refellentem univerſæ ignorantiæ malum deſcribere, ut commonſtret in nobis proclivitatem ad vitia, & ſupernorum auxiliorum neceſſitatem. Vide quæ ſcripſimus lib. xii. cap. 10., & lib. xvi. cap. 2., & ſeqq.

CAPUT XI.

Traduntur nonnulli Canones ad dignoſcendum quando ignorantia, vel delectatio culpabilis cenſenda ſit, quando vero excuſanda.

QUAMQUAM facile ex dictis infertur quænam officia delectatione, vel ignorantia labefactentur; placet tamen regulas quaſdam ſubjicere, quarum lumine dubia quæque moralia circa hanc materiam exorta abſque ulla hæſitatione ſolvantur. Ergo cum ignorantia nihil ſit aliud, quam ſcientiæ & cognitionis defectus, ſcire autem quis poſſit aut veritatem quæ nulla ratione ad ſempiternam ſalutem ex ſe conducit, aut veritatem quæ perutilis quidem eſt, ut

ut ſalutem conſequamur, ſed minime eſt neceſſaria; aut denique veritatem, ſine cujus notitia æterna ſalus eſt impoſſibilis; conſequitur ignorantiam eſſe vel rerum ad ſalutem non pertinentium, vel utilium, vel præſcriptarum.

CANON I.

Chriſtus nequaquam mortuus eſt, ut ſimus philoſophi, vel mathematici, neque naturalium ſcientiarum ornamenta ſuapte natura ad pietatem religionemque diſponunt: quapropter naturalium diſciplinarum ignorantia, ſive voluntaria ſit, ſive involuntaria, per ſe ad culpam non eſt imputabilis. Quoniam tamen acceptis facultatibus bene uti tenemur, ad Dei gloriam & honorem debent perſpicaciores ingenio literis, ſcientiiſque navare operam, & in humanam ſapientiam animum intendere, non quod illa ædificat, & utique ſit neceſſaria, ſed quia virtus in otio torpeſcit, neque reponendus eſt acceptus denarius, contra Commonitionem Evangelicam, in ſudario.

CANON II.

Ad capeſſendam ſalutis viam perutilis eſt ſcientia ſacrarum literarum; quippe *inſtruunt ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*, ut Apoſtolus ſcribit in ſecunda ad Timotheum. Ignorantia itaque vel ſacrarum Scripturarum, vel doctrinæ Patrum, vel Theologicarum diſciplinarum non eſt per ſe in unoquoque culpanda, quoniam non omnes tenentur, vel poſſunt media quæque utilia adhibere. At hanc ſcientiam contemnere, & velle perutilem doctrinam ignorare, non eſt abſque peccandi periculo, cum abjiciens utilia minus ſit prudens, atque ſolicitus. Quod ſi de his loquimur, qui miniſterium Eccleſiaſticum, & opus Evangeliſtarum debent implere, quoniam iis ſacra doctrina non tam eſt utilis, quam neceſſaria, ſi illam addiſcere negligant, habent perverſam, culpandam, & damnabilem ignorantiam.

CANON III.

Sunt vero aliqua ſcitu ſingulis neceſſaria, ut legis præcepta, Symbolum Apoſtolicum, præcipua fidei myſteria, & communia Catholicorum rudimenta. Horum ignorantia poteſt in triplici hominum genere reperiri. Quidam ea ſcire nullatenus poſſunt, ut infantes ante uſum rationis, & infideles, quibus Chriſtus nondum eſt annuntiatus: atque in his ignorantia peccatum non eſt, ſed pœna peccati originalis. Quidam alii ſcire poſſunt, ſed nolunt, ſubeuntes, ut diximus cap. 1. cum D. Thoma, *ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi*; & in his ignorantia peccatum eſt, atque gravitatem peccati, quam minuit ex una parte ignorantia, adauget ex altera perverſitas voluntatis. Quidam ſcire poſſunt, & volunt quodammodo, ſcire tamen negligunt: in quibus ignorantia partim voluntaria eſt, partim involuntaria, ſimulque peccatum & pœna peccati; peccatum ob voluntariam negligentiam, pœna autem peccati, quoniam aliquatenus diſplicet: atque hæc ignorantia minuit, ſed culpam non tollit, ſive, ut Schola loquitur; *excuſat a tanto, ſed non a toto*.

CANON IV.

Dupliciter contingere poteſt facti ignoratio, vel adhibita diligentia, aut non iis inſpectis, quæ conſiderari nec debebant, nec poterant, ut dum Jacob ingreſſus eſt ad Liam loco Rachelis a Labano introductam: vel non adhibita diligentia, nec rebus, quæ attendi poterant, animadverſis, ut dum Lamech inter venandum pro fera occidit hominem. Prima igitur ignorantia, cum involuntaria omnino ſit, non eſt aliqua ratione damnabilis; ſed altera, quoniam ex parte voluntaria eſt ob culpabilem indiligentiam, ut liquet ex ſuperiori canone, minuit peccatum, non tollit.

CANON V.

Ignorantia autem invincibilis, ſive juris naturæ ſit, ſive poſitivi, vel innata eſt, vel caſu ſuperinducta. Prior, qualis eſt in puero ante uſum rationis, in infideli *negative*, aut in homine nato cum neceſſariis liberi arbitrii impedimentis, ut dementia, & furore; pœna peccati eſt, non peccatum, & a peccato excuſat, ut diximus canone III. Superinduci autem poteſt adulto jam, & utenti ratione, vel dum dat operam rei licitæ, ut ſi inſaniat ſtudendo; vel dum invitus patitur infirmitatem, ut ſi febre deliret: vel libere peccatum patrando, ut ſi vinoſus inebrietur. Ac in primo & ſecundo caſu, cum ignorantia involuntaria ſit, excuſat a culpa. In tertio non una eſt Doctorum ſententia: ſed arbitramur hanc ignorantiam, cum ſit per liberam voluntatem ſuperinducta, peccatum eſſe, nec excuſare a peccato quod prævideri debebat, & poterat, excuſare tamen ab illo, ad quod tali ignorantia laborans non potuit animadvertere: nam erga illud nullum libertatis intervenit exercitium.

CANON VI.

Inter pernicioſas delectationes connumerandi non ſunt motus *naturalis appetitus*, quos non imaginatio gignit, ſed ipſa naturalium qualitatum diſpoſitio, cujuſmodi ſunt fames, ſitis, ſomnum. Cum enim hi motus apprehenſionem, rationiſque deliberationem præcedant, nullo pacto induere poſſunt moralis actûs, & humani officii naturam, neque inter operationes liberas debent computari. Conſequitur autem ut plurimum ad motus naturales alius, quem appellant *ſenſitivum*, qui ſecundum impulſum fomitis tendit in bonum delectabile: atque hunc motum appellitant cupiditatem, cujus comes eſſe poteſt delectatio pernicioſa, ſi liberum arbitrium inſurgentem cupiditatis motum non reprimat.

CANON VII.

Motus ergo ille pernicioſæ cupiditatis, in quantum homine invito conſurgit, & rationem præcedit, eſt illa lex membrorum repugnans legi mentis, de qua Apoſtolus; peccatum etiam aliqua ratione appellatur, in quantum eſt radix mala, inſita originali peccato, & ad peccatum alliciens. Verum cum non ſit in libera poteſtate eundem motum non experiri, nequit reputari illud peccatum, quod eſt *legis inobedientia, & tranſgreſſio*; quidquid commentus eſt Bajus merito ab Apoſtolica Sede proſcriptus.

CANON VIII.

Ubi vero ad motum *ſenſitivum* acceſſerit *rationalis*, ideſt, conſequens ad mentis apprehenſionem, ac deliberationem rationis, quoniam homo jam non patitur invitus, ſed libere delectatur, poteſt duplici ratione peccare. Vel enim cum advertere poſſit ejuſdem motus pravitatem, illumque refrenare, illi delectatione inhæret ſuſpendendo conſenſum: & tunc eſt delectatio, quam dicunt *moroſam*; utique mala & culpabilis, quia libere adhæret bono commutabili: vel accedit etiam deliberatus aſſenſus, & tunc peccatum non ſolum ineſt, ſed etiam regnat, ut ſcribit Auguſtinus in Pſalmum 1. *Ineſt peccatum cum delectaris, regnat ſi conſenſeris*.

CANON IX.

Delectari de re licita nullum peccatum eſt. At curandum ſedulo, ne etiam licita delectatio in pravam degeneret; nam, ut idem Auguſtinus ait lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 20. *Cum non reguntur motus animi noſtri, erumpunt & pergunt in fœdiſſimas conſuetudines*. Accidit autem nonnunquam, ut immutatis rerum circumſtantiis fiat, quod licitum erat, illicitum; ut virilis complexus licitus nuptæ, viro defuncto redditur illicitus viduæ. Peccat ergo ipſa, ſi de actu præterito Matrimonii delectationem percipiat. Quanquam enim præteritus ille actus fuerit aliquando licitus, delectationem non excitat, ut præteritus eſt; res enim amiſſa, ut amiſſa, non delectat, ſed cruciat: ideoque oblectationem parit in quantum menti obverſatur, & præſens eſt; quod ſervata proportione tenendum eſſe arbitramur, de ſponſa oblectamentum percipiente de futuro maritali complexu.

CANON X.

Liquet ex ſupra diſputatis nulli bono commutabili tanquam ultimo fini eſſe inhærendum, ſed rebus creatis utendum eſſe, fruendum autem Creatore. Delectatio ergo, quam creaturis utendo experimur, dum intendimus præſtantioris finis conſecutionem, cenſenda eſt inculpabilis. Contra ſi delectamentum rerum creatarum ſit nobis ultimus finis, eique inhæreamus animo & voluptate, quemadmodum contingit in iis, qui in temporalibus oblectamentis modum non tenent, quælibet delectatio erit pernicioſa. Idcirco culpa non caret ipſe actus conjugii ob ſolam voluptatem peracti, & comeſſatio, epulumque propter luſum, vel ſatietatem; quomodo rectiſſime Romani Pontifices declararunt. Atque hæ Regulæ ad ignorantiam, & delectationem pertinentes ex præmiſſis diſſertationibus videntur nobis certiſſimæ.

CAPUT XII.

Via ſternitur ad graviſſimam de Opinione probabili quæſtionem præmiſſis iis, quæ pertinent ad humanam conſcientiam diſcernendam.

IN bonis, praviſque operibus attendenda præſertim eſt interior regula morum, quam *Conſcientiam* conſuetum eſt appellare: de qua cum plura tradant Moralium inſtitutionum Auctores, nos paucis exponentes ea, in quibus conveniunt ſinguli, inquiremus ſpeciatim de Conſcientia probabili; de qua diſceptatio perutilis, graviſque inſtituitur. Eſt itaque *Conſcientia*, ut hoc loco accipitur, non ſimplex rerum notitia per ideam aut ſenſum comparata,

neque communis pluribus ſcientia, aut conſpiratio, quo ſenſu ait Cicero in Catilinam: *Conſtrictam horum conſcientia conjurationem*; ac Tacitus in 5. Hiſt. *In conſcientiam facinoris pauci admiſſi:* ſed eſt eorum quæ facimus interiae judicium animi, per quod aut redargui poſſit, aut probari. Comparatur autem conſcientia vel cum operibus faciendis, vel cum iis, quæ jam facta fuerunt. Reſpectu operum patratorum eſt conſcientia teſtimonium illud, quo juſti eriguntur, improbique timore proſtrantur, quam Græci dicunt *συνείδησιν*. De hac inquit Apoſtolus ad Rom. IX. 1. *Teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea*. Dicuntur ob illam & impii,

Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Comparate autem ad opera facienda, conſcientia eſt intima perſuaſio per quam judicamus ea, quæ agenda ſunt, eſſe bona vel mala. Hæc, de qua pertractamus, definitur in Scholis, *Actus mentis, quo de iis, quæ hic & nunc agenda ſunt, judicamus an omittenda ſint, an executioni mandanda*. Tam aperta aſt hæc definitio, ut poſtulare non videatur aliquam expoſitionem. Sunt quidem e Schola complures, quibus magis placet conſcientiam dicere *habitum*, quam actum, propterea quod conſcientia etiam in dormientibus permaneat; ſed aliud eſt vis ac facultas judicii, aliud judicium ipſum; atque aliud bona mentis affectio, aliud intima perſuaſio. Dum itaque Scotus, Gabriel, Durandus aliique contendunt conſcientiam dicendam eſſe *habitum*, accipiunt illam aut pro facultate mentis humanæ, aut pro ejus habitudine atque affectione: quo ſenſu dicimus peccantium perverſam eſſe conſcientiam, aut cum Apoſtolo ad Heb. IX. 14. Deum emundare *conſcientiam* noſtram, nimirum mentem ac voluntatem purgare ab erroribus, noxiiſque cupiditatibus, ut Deo viventi ſedulam ſervitutem exhibeamus. At nos *conſcientiam* illam dicimus, per quam in operando dirigimur; aut firma ſit hæc directio, aut anceps & dubia, aut æquitati conſentanea, aut fallax atque perverſa, ideoque actum illum mentis, quem alii appellarunt intimam regulam moralitatis, alii judicium practicum, alii *βασβαρικῶς dictamen* rationis: quæ nomina in idem prorſus collineant.

Juxta varias judicii noſtri conditiones etiam conſcientia ſolet a Theologis dividi: nam, quemadmodum judicium verum eſt, aut falſum, ita conſcientia alia *recta* eſt, alia *erronea*. Rectam conſcientiam dicimus, quæ veritati & æquitati conformis eſt; nimirum, qua judicamus bonum eſſe, ac faciendum quod revera eſt hujuſmodi, aut e contra eſſe malum ac fugiendum quod revera malum eſt: talis eſt conſcientia quæ nobis proponit cultum Deo exhibendum, honorem præſtandum parentibus, eleemoſynam pauperibus elargiendam. Quod ſi conſcientia proponat ut bonum quod malum eſt, aut ex adverſo tamquam malum, id, quod eſt bonum, non rectam conſcientiam dicimus, ſed erroneam: ſit in exemplo conſcientia eorum, qui ſimplicem fornicationem, furtum, aliaque probra eſſe licita cenſuerunt. Sunt vero rectæ conſcientiæ dijudicandæ certi canones; quorum primus eſt indita ſingulis æternæ legis participatio, ſive lex naturæ, quæ non ſinit rationabiles creaturas univerſalia ſaltem & communia ignorare, & a qua ſi opus aliquod diſcordet, illud ſit turpe atque inhoneſtum neceſſum eſt. Quare beatus Proſper his verbis alloquitur ſceleroſos:

Ite ipſi in veſtræ penetralia mentis, & intus
Inciſos apices, & ſcripta volumina legis
Adſpicite, & natam vobiſcum adſpicite legem.

In iis vero quæ naturæ lumini non ſunt obvia, rectam conſcientiam dicimus, quæ divinæ auctoritati, & voluntati morigeratur: cujus voluntatis ſeptem habere poſſumus argumenta, ut erudite animadvertit Paulus Comitolus in Reſp. Moralib. lib. v. q. xv. Sunt autem ſacra Volumina, Concilia Œcumenica, Chriſti & Apoſtolorum traditiones, Eccleſiæ conſuetudo, juſſa Romanorum Pontificum, Patrum & Eccleſiæ Doctorum una vox & concordia, & denique Theologorum in Scholis diſceptantium conſpiratio & conſenſio. At ſi rationi, vel auctoritati divinæ, quam nobis hæc ſeptem argumenta enuntiant, repugnet conſcientia, pravam illam, erroneamque æſtimamus.

Verum quum pœnalis cæcitas, atque diverberantes animum imagines rerum ſenſibilium ſæpenumero caliginem offundant inditæ nobis rationi, atque lubentius attendantur prava hominum inſtituta, impiorum colloquia, indulgentia mortalium ingenio rudimenta, & ad malum allicientes illecebræ, quam perſpicuæ veritatis lumen, documenta bonorum, ſeverioriſque diſciplinæ præcepta; contingit eapropter, ut pluribus e cauſis animorum labefactetur judicium: atque inde plures etiam conſcientiæ erroneæ genera emanant. Etenim vel animus aliquo ex iis ad veritatem obſtaculis præoccupatus judicat vitio eſſe contaminatum quod omni culpa caret, & hæc eſt conſcientia *ſcrupuloſa* & infirma: vel judicat eſſe veniale peccatum quod in ſe graviſſimum ac turpiſſimum eſt, & hæc eſt conſcientia, quam dicunt *laxam*, ideſt, diſſolutam, & quaſi laxia habenis facile in ſcelera quæque ruentem: vel judicat eſſe grave peccatum illud, quod ſuapte natura leve eſt; & hanc conſcientiam dicimus *Phariſaicam*, a conſuetudine nempe invidorum Phariſæorum, qui Diſcipulis vitio dabant, quod ſpicas avellerent, quod manus, priuſquam menſæ accumberent, non lavarent, quod futiles ſeniorum traditiones parvipenderent: vel denique abſque ullo ſenſu pietatiſque reſpectu approbat atrociſſima & iniquiſſima, quemadmodum Gentes quæ ignorant Deum, & homicidia, furta, adulteria, aliaque flagitia atrociſſima putant honeſta ac licita; & hanc conſcientiam Bonus Merbeſius in Summa Chriſtiana P. 2. q. 24. appellat *cauteriatam*, quoniam ſimilis facta carnibus cauterio inuſtis nil percipere videatur. Obcæcatam dicere poſſumus, rebellem lumini, & ex craſſa perverſaque ignoratione profectam. Quemadmodum vero, ut in ſuperioribus dictum eſt, hæc ignorantia vincibilis, & invincibilis eſſe poteſt, ita duplicem conſcientiam erroneam conſtituit, vincibilem atque invincibilem, quarum prima a culpa neminem excuſari liquet ex hactenus diſputatis.

Omnes hæ partitiones conſcientiæ ſpectant objectum, illud ſcilicet, circa quod verſatur interioris animi judicium practicum. Inquirendum modo quotuplex ſit conſcientia ſpectato ipſius judicii motivo. Sane prænotio, quæ nos ad judicandum poteſt pertrahere aut evidentiam habet, aut moralem certitudinem, aut anceps eſt & ambigua, aut eſt probabilis, aut aperte falſa ac repugnans. Conſcientia itaque, ſive animi perſuaſio ex præconcepta notione derivans, vel erit evidens, vel moraliter certa, vel dubia, vel probabilis, vel improbabilis. Conſcientia *certa & evidens* eſt intima perſuaſio, quæ oritur ex manifeſta & rationi per ſe obvia cognitione: qualem conſcientiam habet, qui Deum colit, qui honorat parentes, qui naturalem legem ſibi inſcriptam intuetur, meditatur, ac ſervat. Conſcientia *certa* tantum *moraliter* eſt quæ procedit ex motivis, quæ etſi evidenter non appareant, firma ſunt tamen, atque formidinem omnem excludunt: talis E. G. eſt conſcientia hominis etiam illiterati, & rudis, qui edoctus a Parocho, aliiſque, quos novit probos eſſe, ac bene moratos, nec pulſatus contraria mentis perſuaſione, nec oppoſita auctoritate, nec contraria aliqua conſuetudine facit quod cenſet eſſe a ſe faciendum. Atque hinc patet poſſe conſcientiam moraliter certam haberi etiam cum errore, dummodo ſit involuntarius, ut demonſtrant Theologi exemplo Jacob accedentis ad Liam. At *dubia* conſcientia eſt, in quantum ſecernitur a probabili, dum quis pari rationum momento libratus hæret in ancipiti, & ab utraque parte cohibet aſſenſum. Eſt autem dubium, aliud *juris*, aliud *facti*, ut ſupra dictum eſt. Si vero motiva, quæ pariunt dubitationem, perlevia ſint, timidoſque ad hanc anguſtiam adigant, ut credant ſcelus grave, quod in ſe vel eſt minimum, vel inculpatum, conſcientia dicitur *ſcrupuloſa*; ſi ex adverſo levi ductus momento judicet aliquis vel bonum, vel excuſabile quidquid probroſum eſt ac nefarium, habet is quidam *laxam* perverſamque conſcientiam, quam paullo ſupra deſcripſimus. *Probabilis* conſcientia eſt, quæ gravi quidem momento innititur, & ducitur ratione aliqua vel auctoritate minus ſpernenda, ſed quæ partis oppoſitæ formidinem penitus non excludunt. Atque de hac conſcientia plura nobis dicenda occurrunt. Nam *improbabilis* conſcientia ex oppoſito ea eſt, quæ nulli tali momento innixa ſuadet opus aliquod faciendum temere atque imprudenter.

Conveniunt autem Theologi fere omnes, quod teneamur ſemper morem gerere conſcientiæ rectæ, moraliter certæ, necnon etiam erroneæ cum invincibili ignoratione conjunctæ. Quiſquis etiam operatur cum conſcientia ancipiti ac dubia, communi conſenſione imprudenter agit, & peccat. Ad conſcientiam itaque probabilem gravis controverſia reſtringitur; quam proximo capite explicabimus enucleatius, poſthac curabimus dirimere, & complanare.

CAPUT XIII.

Quid ſit opinio probabilis: quomodo hanc nonnulli ſtudeant reddere certam regulam morum: quanta contentione hæc quæſtio agitetur: quid prænotandum ſit ad ipſam ſolide diluendam.

PROBABILEM opinionem nos paullo ſupra hac definitione circumſcripſimus: *Probabilis opinio illa eſt, quæ gravi quidem momento innititur, ſive quæ ducitur ratione aliqua, vel auctoritate minime ſpernenda, ſed penitus non excludit oppoſitæ partis formidinem*. Etſi vero definitionem illam ſola nominum perceptio ſatis declarat, nonnulla pro ejus explicatione ſunt obſervanda. Exiſtimarunt quippe complures ſufficere ad opinionis probabilitatem, ſi innixa ſit rationi vel auctoritati alicujus momenti, quamvis pertenuis ac levis; ut liquet ex definitione tradita ab Antonio Eſcobario Exam. III. de Conſc. cap. 3. *Probabilis ſententia dicitur, quæ rationibus innititur alicujus momenti*. Ex qua definitione fas eſſet ſequi ſententiam unius tantum Doctoris, dummodo gravis & probi, ut ibidem Eſcobarius affirmat, & Sanctius in Summa lib. 1. cap. 9. Adverſus definitionem illam non ſolum inſurgit Auctor Epiſtolarum Provincialium Ep. v. & qui ſub nomine Wendrockii Notas iiſdem Epiſtolis addidit; verum etiam Joannes Sinnichius celebris Doctor Lovanienſis lib. 1. Saulis Ex-Regis cap. 94. aliique antiprobabiliſtæ omnes, præſertim Præpoſitus Societatis.

tatis Jeſu Thyrſus Gonzalez Diſſ. 1. §. 2. ubi ait definitionem hanc aperire januam magnæ relaxationi, & laxitati. Neque verum eſt quod ſcribit Auctor ſpeciminis Doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis P. iv. cap. 2. Ludovicum Montaltium in probroſis Epiſtolis prædictam definitionem e ſola Hiſpania veſtigaſſe, ibique ab uno Eſcobario parum ſcrupuloſe fuiſſe traditam; quicquid enim ſit de Montaltio, cujus convitia rationemque ſcribendi nequaquam probamus: fatetur Gonzalez eamdem definitionem ſatis eſſe communem, eamque nobis ex recentioribus exhibuit Tamburinus definiens opinionem probabilem lib. 1. Decalog. cap. 3. §. 3. *Opinio probabilis eſt aſſenſus intellectus de aliqua re, qui innitatur rationi, vel auctoritati alicujus momenti, modo ex altera nihil appareat convincens.*

At Probabiliſtæ alii animadvertentes, quam latam hæc definitio erroribus viam ſterneret, eo quod ea ſtatuta ſatis eſſet eligere quidquid apparet veriſimile, eam amollire ſtudentes docuerunt requiri ad opinionem probabilem, ut nitatur fundamento magni momenti, fixo, firmo, non ſophiſmati alicui, aut rationi duntaxat apparenti: quod colligitur ex Terillo, & Eſparza proximo §. laudati e Thyrſo Gonzalez, & ex Joanne Farrier Toloſano, quem exagitat citato loco Wendrockius. Atque ex his conſtat nam congruam tradidiſſe probabilis opinionis definitionem. Grave autem cenſetur, aptumque ad faciendam probabilitatem momentum, quando id videtur *omnibus*, *aut pluribus*, *vel ſapientioribus*, *& iis vel omnibus*, *vel plurimis*, *vel maxime notis*, *& illuſtribus*, auctore in 1. Topicorum Ariſtotele: & ſi loquamur de iis, quæ ad fidem moreſque pertinent, ut ſit probabilis opinio juxta S. Patrem Auguſtinum in lib. vii. de Baptiſmate contra Donatiſtas cap. 53. num. 102. requiritur, ut ſaltem probetur aliquo diœceſano Concilio, & dijudicari poſſit ex definitione Concilii plenarii, ex ſacris literis, ex ſanctis Eccleſiæ Patribus, atque ex aliis Chriſtianæ doctrinæ munimentis, ita ut progrediendum non ſit elique temeritate ſententiæ, ubi munimenta hujuſmodi non habentur. Videatur Chriſtianus Lupus Diſſert. de Opin. Probab. cap. x. Verum ex allata definitione, qualecumque grave momentum cenſeas, refellitur doctrina illorum, qui commonſtrare nituntur fas eſſe amplecti opinionem probabilem in alterius æque probabilis, aut probabilioris occurſu. Si enim menti obverſetur adverſa opinio, quæ ſit probabilior, ea gravioribus momentis erit dubio procul innixa: ſi æqua probabilis ſit, debet conſimili ratione vel auctoritate fulciri; ideoque oppoſita opinio deſinet eſſe probabilis, quum nequeat æſtimari firma, ac ſtabili innixa fundamento ſententia illa, cui adverſatur altera æqualis, vel majoris momenti. Enimvero nullum pondus, ſaltem comparativa, grave poterit æſtimari, cui ſimile, aut gravius contranititur. Atque hinc eſt, quod Probabilitatis, ſive benignæ, ut inquiunt, ſententiæ patroni coguntur principio pugnantia abſurdaque deglutire; quoniam recepta definitione, quam tradunt, nequit cenſeri probabilis illa opinio, cujus momenta poſſunt æqualia aut graviora elevare aut elidere.

Ut ex adverſo Probabiliſtæ valide ſe communiant, docent maximam intercedere *opinionem* inter ac *dubium* differentiam. Ac *dubium*, quod fatentur non eſſe conſcientiæ certam regulam, ajunt adeſſe, quotieſcunque animus inter rationes ejuſdem ponderis pendet anceps, uti, & nos affirmavimus paullo ſupra: aſſenſum autem *opinativum* illum dicunt, qui procedat ex cognitione majoris convenientiæ *prædicati* cum *ſubjecto* in una parte contradictionis quam in altera. Ita Gabriel Veſquez 1. 2. diſput. 62. cap. 3. Et recte quidem; niſi enim major illa convenientia percipiatur, deerit momentum illud grave, quod neceſſarium fatentur ad faciendam probabilitatem. At hic rurſus hæret aque: quum nequeat dari illiuſmodi aſſenſus, quo mens judicet in una potius parte, quam in altera *prædicatum* convenire *ſubjecto*, dum ſimul animum pulſant oppoſitæ opiniones æquis ſuffultæ momentis. Alii diſtinguunt inter dubitationem ſpeculativam, & practicam; quod an jure, & qua utilitate faciat, erit poſtea inquirendum. Quamplures vero, cum optime perciperent in plurium opinionum conflictu animum hærere ſuſpenſum, curarunt difficultatem omnem dirimere, præſidio judicii reflexi, quo mens utraque opinione librata cenſet unam atque alteram eſſe probabilem: atque poſta hoc judicio conſcientiam dirigi recentiores caſuiſtæ conſentiunt. At videndum eſt, an judicium iſtud reflexum, quod ſane comparere ad objecta eſt ratum ac firmum, & abſque ulla hæſitatione pronuntiat utramque opinionem eſſe probabilem; ſit etiam comparere ad mentem rationalem talis efficaciæ, ut poſſit per illud omnem fluctuationem deponere, ac pro libito unum aut alterum agere; quum nobis potius videatur eodem judicio quemadmodum ſtatuitur utriuſque partis probabilitas, ita conſcientiam vehementius angi, & quodammodo admoneri, ne inconſiderate eligat quod poteſt eſſe iniquum atque inhoneſtum. Tantummodo videntur hæ reflexiones (inquit Eminentiſſimus Aguirre) hominem placendi Deo & ſalutem conſequendi cupidum hortari quammaxime, ut præjudiciis exutus ſedulo veritatem inquirat, conſulatque Scriptores Catholicos, ut re majori in lumine collocata ac dubitatione depoſita aliquem valeat judicium moraliter certum, atque eo pacto abſque conſcientiæ agitatione operari.

Priuſquam de his pronuntiemus: conſtat ex allata definitione inſtitui controverſiam de eo, quod probabile eſt operanti; ſive comparere ad mentem a qua alicitur judicium practicum; non de eo, quod eſt probabile tantum in ſe, atque ſpectata intrinſeca ratione ſui. In re quippe illud tantummodo probabile eſt, quod eſt verum; quoniam, verum duntaxat habet firmum, ex quo legitime inferatur, momentum. Quamobrem Philalethes, ſive anonymus Auctor libri, qui inſcribitur, *Triumphus Thomiſtarum*, Opuſ. v. cap. 3. num. 79. *Cerne*, inquit, *cordate lector*, *quantum incautos decipiant Probabiliſtæ*, *dum eam ſententiam prædicant probabilem*, *quæ non innititur ſophiſmate*, *ſed gravi*, *ſolidæ & magni momenti rationi*, *quæ non evidenti rationi vel auctoritati Scripturæ*, Conciliorum, *Pontificum evidenter repugnet. Certum eſt ſententiam falſam a parte rei non poſſe probari per rationem*, *quæ ſit a parte rei vera*; *etenim vero non poteſt connecti niſi verum*, *& ideo nec ex vero poteſt ſequi*, *niſi verum*; *unde quicquid legitime infertur ex vero eſt etiam verum*: *ut patet ex Summuliſtis. Nulla ratio falſa poteſt a parte rei eſſe gravis*, *ſolida*, *& magni momenti*; *cum ergo Probabiliſtæ plurimas ſententias dicant probabiles*, *quæ a parte rei falſa ſunt*, (*ſiquidem ex duabus contradictoriis & probabilibus una debet eſſe a parte rei falſa*) *neceſſe eſt*, *ut per rationem gravem*, *ſolidam*, *& magni momenti*, *non intelligant eam quæ ſic eſt a parte rei*, *ſed quæ ſic videtur probantibus eam. Ratio autem quæ videtur gravis & non eſt*, *quæ videtur ſolida & revera non eſt*, *verum ſophiſma eſt*, *ideſt apparens veritas*, *& vera falſitas. Similiter dum a ſententia probabili excludunt evidentem repugnantiam*, *non loquuntur de repugnantia quæ ſit a parte rei evidens*, *ſed quæ ſic videatur a probantibus eam*: *eſt enim a parte rei evidens*, *omne falſum contrariari alicui rationi*, *& auctoritati.* Hæc, & alia multa eo loci Philalethes, & ibidem laudatus Epiſcopus Vencienſis, cujus hæc ſunt verba: *Addunt quidem illi* (Probabiliſtæ) *nonnunquam rationes quibus nituntur opiniones probabiles ſolidas eſſe debere*, *nec ullam probabilitate donandam*, *niſi quæ non repugnet Scripturæ ac Traditioni. Verum hæ conditiones nihil aliud ſunt*, *quam laquei irretiendis*, *deludendiſque ſimplicioribus inſtituti. Non enim per ſolidas illas rationes eas intelligunt quæ vera ſint*: *nullæ enim veræ rationes inveniri poſſunt ad ſtabiliendas opiniones falſas*, *quibus certe accenſeri debet magna probabilium opinionum pars*, *quæ cum ſibi invicem adverſentur*, *ſimul vera eſſe non poſſunt. Has ergo illi ſolidas vocant*, *quæ ſolidæ probantibus videntur. Hoc vero omnibus ſine exceptione erroribus convenit. Nec enim quiſquam ullum tuetur errorem*, *qui non ſolidas in judicando rationes ſequi ſibi perſuadeat*, *&c.* Etſi autem ego arbitror ab omni decipiendi animo Caſuiſtas omnes immunes, neminem quippe adeo improbum eſſe cenſeo, ut ſcienter puſillorum animabus retia ſummittat; id tamen certiſſimum puto, diſputari de opinione probabili, in quantum talis menti operantium apparet: hac enim ratione ſpectare poteſt ad conſcientiam, rerumque agendarum dijudicationem, quum nihil ad operandum voluntatem eliciat, niſi prout ei proponitur aut legitima, aut ficta bonitate veſtitum. Atque id ſignificarunt Scholaſtici appoſitione harum, vel ſimilium dictionum, *An liceat ſequi opinionem probabilem, quâ talem*. Fateor etiam aliquando conſcientiam falſam eſſe a culpa prorſus immunem, ſi tali ignorantia laboret, quæ non ſit libere ac voluntaria, & aliunde ipſa conſcientia ſit practice certa: quod iterum moneo, ne inſectando Probabiliſmum incidamus in caſſes hæreticorum. Num vero ſit practice certa illa opinio, quæ eſt modo explicato probabilis, ideſt, habet in mente operantis grave aliquod momentum auctoritatis vel rationis, iſtud erit velitationis hujus ſubjectum.

Ex duplici itaque capite deduci poteſt alicujus opinionis probabilitas, ex ratione nimirum, atque ex auctoritate: non ex ratione manifeſta atque irrefragabili, neque ex auctoritate divina nobis aut ſcripturæ, aut traditione, aut Eccleſiaſticis definitionibus certiſſime nota; illa quippe manifeſta ratio ſcientiam parit, & hæc explorata auctoritas fidem generat: ſed ex ratione, cui poteſt ſubeſſe falſum, & quæ conjunctam habet aliquam animi trepidationem; & ex auctoritate Scriptorum ob ſententiarum diſcrepantiam, & perplexas quibus ducuntur argumentationes, nonnunquam obnoxiorum errori.

Si ſolus attendatur Scriptorum numerus; tametſi Aſſertores Probabiliſmi turbam faciunt maximam, ita, ut quinquaginta enumeraverit Julius Mercorus, permultos addiderit Tarillus, plurimoſque ediderit ætas poſterior; puto tamen ſtare ex adverſo æque magnam ac florentiſſimam multitudinem. Hanc Gennetus & Guerrerus noſter indigitant, qui tamen plures etiam doctrina & celebritate clariſſimos prætermittunt. Certiſſime Probabiliſmo bellum indicunt poſt veteres omnes, ut a Noſtratibus exordiar, viri percelebres Lambertus Le-Drou Epiſcopus Porphirienſis, Ignatius La-Zerde Epiſcopus Aquilanus Chriſtianus Lupus, Henricus Noriſius Cardinalis Ampliſſimus, Franciſcus Fervacques celebris Profeſſor Lovanienſis, Joannes Schvveit-

zerus Doctor Colonienſis, quorum meminit in Ratione Operis ſui præmiſſa Hiſpaniarum Concilius Eminentiſſimus Aguirre. His acceſſere Bartholomæus Riccius, Fridericus Gavardi, Leonardus Vanroy, Nicolaus Gircken, Aurelius Pierre, Joannes Libens, Fulgentius Bellelli, Antonius Guerrero, &, ſi Gibbonem & Salonium excipias, omnes, quotquot ad manus meas pervenerunt. Ex ſacro Fratrum Minorum inſtituto laudari poſſunt Subtilis, ut vocant, ſcholæ Doctor ac Princeps Joannes Scotus, Divus Boneventura, Cardinalis de Laurea, Corduba, & alii. Ex ampliſſimo Prædicatorum Ordine laudat ibidem Aguirræ Joannem Martinez, Julium Mercorum, Vincentium Beroniam, Picinardum, Gonetum, Contenſonium, & Natalem Alexandrum. Commemorat ex Monaſtico Divi Benedicti Ordine Mabillonium, Gerberonem, Cardinalem Sfondratum, Facundum de Torres, Hontiverum, quibus ipſum Cardinalem Aguirre jure meritoque accenſemus. Addit S. Carolum Borromeum, Cardinalem de Janſon, Archiepiſcopum Pariſienſem Harlei, aliosque complures. Ex illuſtri ampliſſimaque Societate Jeſu, quoſdam paullo infra producam. Interim, cum neceſſarium minime ſit, ut ſingulos perſequamur, legi poterunt qui hanc provinciam ſuſceperunt Scriptorum catalogum contexendi, ex quibus facile inferre poſſumus magnum hinc, inde numerum decertare.

In horum ſane complexu quædam ſpectanda ſunt, quibus attentis videtur mihi etiam ex hoc capite Antiprobabiliſtis majorem accedere Auctoritatem. Ac primum adverſus eos, qui probabilitatem propugnant, acerrime inſurgunt docti viri, qui de Theologicis Controverſiis ſcripſerunt abſque ullo partium ſtudio, nec jurarunt in verba magiſtri, &, quod ſummopere commendandum eſt, probarunt quicquid ſibi viſum eſt ſubnixum momentis validioribus. Hujus generis ſunt, ut nonnullos producam, Nicolaus L'Herminier, Ludovicus Habert, Antonius Charlas, Philaletes, Merbeſius, Genetius, Auctores Summæ Theologiæ Moralis ad uſum Seminarii Petrocorenſis, earumque, quas edi curarunt Eminentiſſimi Principes Grimaldus Epiſcopus Aquenſis, & Le-Camus Epiſcopus Gratianopolitanus. Videntur præterea in eamdem ſententiam conſpirare celebriores Chriſtiani Orbis Univerſitates: quippe ex ſola Lovanienſi numerantur ab Auctore Speciminis Doctrinæ Theologicæ, Joannes Sinnickius, Jacobus Pontanus, Franciſcus Vanvianen, Gerardus Vanvverm, Lambertus Vincent, Joannes Recht, Gummarus Huygens, Laurentius Neeſſen, quos omnes eadem ferme ætate certum eſt floruiſſe. Univerſitas etiam Pariſienſis, quamquam nonnulli Sorbonæ Doctores ſententia nunc diſtrahantur, anno 1665. die 21. Junii hanc propoſitionem, *Agendi regula proxima conſcientia eſt. Probabilem ſequi tuto licet, etiam probabiliori poſthabita*, ſequenti cenſura confixit, *Hæc propoſitio quoad ſecundam partem generatim ſumpta, quatenus ad omnem probabilitatem, & caſum extendi poteſt, falſa eſt, temeraria, & in varias morum corruptelas inducens*. Eſt autem ſententia oppugnans Probabiliſmum ab omnibus fere Parochis, & Epiſcopis Gallicanis, ac majori Theologorum numero, nulla habita ratione eorum, qui deterioribus partibus ſtudent, communi plauſu recepta. Inſuper doctrina, quæ invehitur adverſus opinionem probabilem, nullam unquam ſubiit cenſuram, niſi forte a Janſenianis falſo circa ignorantiam dogmate contaminata. At ſententia Probabiliſtarum dicitur a Paulo Comitolo lib. v. Reſp. Mor. q. 15. *fœda prolapſio*, & notatur plerimis Epiſcoporum cenſuris tamquam falſa, periculoſa, viamque ſternens innumeris corruptelis. Collegere cenſuras iſtiuſmodi Merbeſius in Summa Chriſtiana P. 1. q. 36. & Antonius Charlas de Opinionum delectu cap. 17. Nonnulli quoque in Probabiliſmi defenſionem editi libri experti ſunt triſtem adverſamque fortunam, ut Apologia Caſuiſtarum tot per Gallias animadverſionibus conciſſa, Opus Guimenii a S. Facultate Pariſienſi proſcriptum, & damnatum ab Alex. VII. Apologema Caramuelis adverſus præclariſſimum Juriſconſultum Fagnanum. Ad hæc Theologi omnes, ut inquit initio Operis de recto uſu opinionum probabilium Thyrſus Gonzalez S. J. Generalis Antiſtes, uſque ad annum 1571. ſemper docuerunt tutiorem partem eſſe tenendam: atque Paulus Comitolus citato loco affirmat, id præſertim tradidiſſe Henricum Gandavenſem quodl. iv. q. 33. Gerſonem Tract. 36. art. 10. D. Antoninum 1. P. tit. 3. cap. x. §. 10. Adrianum in qq. de Reſtit. q. *Jam dictum*, Cajetanum in Summa v. *Opinionis uſus*, Sotum in iii. lib. de Juſt. & Jure q. 16. art. 5. Sylveſtrum verbo *Opinio*, q. 2. Angelum, Navarrum, Tabienſem, & alios, uno excepto Armilla; de quo etiam aliter, quam Comitolus, cenſet Charlas, hac illius recitata ſententia, *In operandis vero, ubi ſunt opiniones, ſemper tutior pars eſt eligenda, ne quis exponat ſe periculo ambiguitatis, & conſequenter peccandi*. Ita Armilla v. *Opinio*. Excuſum autem fuit Opus Comitoli primum Lugduni anno 1609. Atque ex his apertiſſime conſtat inter omnes Probabiliſmi defenſores nullum commendari ob venerandam antiquitatem: ideoque conſueverunt ſemper Probabiliſtæ juniorum Scriptorum doctrinam magnificare. Inſuper nec unus poterit adinveniri, qui ſententiam oppoſitam probabiliſmo deſeruerit, poſtquam illam fuerit ſemel amplexus: quod merito dixit Gonzalez differt. iii. pag. 219. num. 85. magnum veritatis argumentum. At ſententiam, quam benignam vocant, retractarunt permulti poſt rei plenam atque accuratiſſimam diſcuſſionem. Retractavit ſupra laudatus Eminentiſſimus Aguirre ſcribens num. 31. quod ipſe *communi fere ſenſu, & præjudicio adductus in probabiliſmo velut in pulvino molliter quieſcebat*: ſed ſeq. num. 33. inquit: *Cœpi itaque eam maturius examinare ab anno circiter 1671. uſque modo, lectis ac relectis pluribus auctoribus, qui hinc & inde controverſiam hanc graviſſimam profligarunt ex inſtituto. Deprehendi vero ingens periculum ſaluti in ſectando, aut conſulendo aliis Probabiliſmo, ſive uſu cujuſlibet opinionis minus probabilis faventis libertati in concurſu alterius probabilioris adhærentis præcepto. Idem mihi alte inſedit, ubi utraque apparet probabilis æque aut circiter: manet enim tot adhuc vere dubia, & incertum omnino, an actio vel omiſſio ſit contraria legi æternæ, nec ne; quicquid plerique recentiorum diſtinguant inter dubium ſpeculativum & practicum; hanc enim diſtinctionem quoad controverſiam præſentem plerimi alii a triginta circiter annis uſque modo doctiſſime rejecerunt. In dubiis autem ſpectantibus ad æternam ſalutem, eligendam eſſe tutiorem partem jura clamant, & prudentia, & lex caritatis divinæ de propria, & aliorum ſalute palam dictat.* Stetetat pariter acerrime pro ſententia Probabiliſtarum Cardinalis Pallavicinus, ſed illam retractaſſe demonſtrat Gonzalez laudata differt. ciii. num. 76. Gonzalez ipſe in Operis ſui Introductione num. 40. de ſemetipſo inquit: *Poſtquam accurate legi quicquid benignioris ſententiæ doctores pro ſe, quicquid contra ipſos adducerent ſeverioris ſententiæ defenſores, poſt exactam totius controverſiæ diſcuſſionem, quamvis fuiſſem contrariæ ſententiæ principiis aſſuetus, meo tamen firmiter inſedit animo, manſitque infixum ... nulli permiſſum eſſe amplecti ſententiam minus tutam in occurſu tutioris æque vel fere æque ſibi veriſimilis; atque adeo ad uſum licitum opinionis minus tutæ neceſſarium omnino eſſe, quod poſt diligentem veritatis inquiſitionem ipſe citra paſſionem & culpam appareat operanti ſenſibiliter & clare veriſimilior oppoſita, atque hac de cauſa ob ipſa judicetur vera judicio abſoluto determinato.* Non defuerunt ergo Auctores graviſſimi, qui re mature ac diligenter excuſſa Probabiliſmum, ut vulgo defenditur, retractarunt.

Hinc rejicitur plurimorum Recentiorum confidentia, qui innumeros nobis Doctores obtrudunt, eos maxime, qui Moralem Theologiam poſtremis ſæculis exornarunt. Ab his initio petimus, num probent Pii II. in Epiſtola ad Ludovicum Galliarum Regem monitum illud perutile: *Scriptura, quæ ait, Ubi multa conſilia, ibi ſalus, conſiliorum multitudinem non requirit, ſed maturitatem & digeſtionem; quæ ſæpius in paucis, quam in multis facilius invenitur; neque enim honeſtas & juſtitia multitudini facile ſuadetur; quæ variis affectibus agitata ad pejora frequenter inclinat*. Colluſtrat documentum illud lege Juſtinianea, atque exemplis Jeſuita Comitolus pagina Reſponſorum Moralium 653. Quærimus inſuper, ſit ne Probabiliſmi propugnatoribus major doctrina, major ſanctitas, major in Eccleſia auctoritas; quæ tria in Scriptorum numero ſunt apprime inquirenda. Petimus etiam, ut Probabiliſtæ in medium proferant Eccleſiæ Patres, Canones Conciliorum, ſtatuta Pontificum, nec non antiquos celebreſque Scholaſticos, qui floruerint ante annum 1570. Interrogamus etiam, an Probabiliſmum retractaverit præclarus aliquis Scriptor ex illorum numero, qui illum probarunt, adhibito ſtudio, & re diligenter diſcuſſa. Id etiam ſcire percupimus, an habenda ſit ratio Auctorum illorum, quos diximus pugnare ex adverſo: & ſi reſpondeatur nihili hos faciendos, optamus ut nobis reddatur cauſſa; an fuerint morum corruptores, an a Sede Apoſtolica hoc in eis dogma fuerit proſcriptum, an ex illorum perceptionibus ſcaturierint morum laxitates, an impetiti ſint cenſura aliqua, a qua ſe purgare nequiverint. Poſtremo quoniam humanæ auctoritati debent præferri ſacræ litteræ, & monimenta reliqua veritatis firmiſſima, & inconcuſſa; hoc nobis eſt demonſtrandum, ſubverti munimentis hujuſmodi Scriptorum, quos ſequimur, auctoritatem. Quod ſi Probabiliſtæ proferant tantummodo Auctores poſteriorum ætatum, ſejunctos a multis, e ſuis quoque partibus disjunctos, ductoſque vel præjudicio aliquo, vel parum conſulente momento; noverint ſententiæ ipſorum quamlibet Recentiorum multitudinem nihil afferre poſſe adjumenti.

Recenſere quidem potueram venerabilis Societatis Jeſu Scriptores plurimos, etiam eximium Concionatorem, viſumque egregium Paulum Segneri ſeniorem, qui de hoc argumento elegantiſſimam conſcripſit Epiſtolam, non enim nos de hujus auctore aliter ſentimus, quam juxta nominis inſcriptionem. Verum nec Jeſuitæ omnes Probabiliſmum ſectantur. Dixi de Paulo Comitolo, de Cardinali Pallavicino, & de Thyrſo Gonzalez. Bellarminus in Epiſtola ad nepotem ſuum Epiſcopum Theanenſem hæc habet: *Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant: & ſi ea certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla temporali utilitate*

propo-

propoſita ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma re, cum de ſalute æterna tractatur; & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conſcientia non remordente ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur. Afferunt graviſſima hæc Bellarmini verba Thyrſus Gonzalez, & Cardinalis Aguirre, una cum Epiſtola Mutii Vitelleſchi Præpoſiti Generalis data anno 1617. pridie nonas Januarias. Teſtatur idem Gonzalez oppugnari Probabiliſmum a Ludovico Molina, Ferdinando Ribello, Andrea Blanco, atque hunc omnium primum adverſus Probabiliſtas ſtrinxiſſe calamum. Addere poſſumus Franciſcum Cardinalem Toletum, Dominicum Nunnez in Regula honeſte vivendi, Adamum Eherentreich De licentia Actionum Moralium, Ægidium Eſtriz in Logiſtica Probabilitatum, alioſque bene multos. Iſtos vero, præſertim Bellarminum, Pallavicinum, Toletum, Comitolum, & Gonzalez æquiparare poſſumus Jeſuitis ceteris univerſis. De Pauli Segneri Epiſtola nihil habeo aliud, quod valeam pronuntiare. Illam refutavit Ballerinius eruditus, diſertuſque Presbyter Veronenſis: neque hujus argumenta frangit Epiſtola Anonymi ab eodem Auctore poſtremis diſſertationibus vellicata. At plura de iis, quæ pertinent in hac quæſtione ad auctoritatem numerumque Scriptorum, dicta ſunt hactenus. Proferenda ergo ſunt, quæ ad percipiendam vim & efficacitatem rationum ducimus præmittenda.

Ac principio prænotandum eſt omnem opinionem, quatenus plenam ſcientiam, judiciique firmitatem excludit, ortum ducere ex ignorantia. Liquet id ex quo principia, quæ certa ſunt ac perſpicua, & quorum connexio cum enunciationibus inde illatis ſimiliter manifeſta eſt, non opinionem generant, ſed ſcientiam; quemadmodum ſi auctoritatem habeant divinam atque irrefragabilem, & excedant notitiam naturalem, rationemque communem, nec opinionem pariunt, nec ſcientiam, ſed fidem. Atque id affirmat D. Bernardus ſcribens in v. de Conſid. cap. 2. *Intellectus rationi innititur, fides auctoritati; opinio ſola veriſimilitudine ſe tuetur.* Et Tertullianus libro ad Nat. cap. 2. *Varietas opinionum*, inquit, *venit ex ignorantia*. Revera in Deum, quem nihil latere poteſt, nulla cadit opinio, nullaque judicii hæſitatio: nos e contra diverſis opinationibus trahimur, idque evenit non in per ſe notis, quorum eamdem habemus ſinguli perceptionem, ſed in abſtruſioribus & reconditis, quorum cauſſam ignoramus. Propterea in primo homine condito cum participatione lucis æternæ, nullaque deceptus falſitatis imagine, nullam extitiſſe opinionem errori ſubjectam, ſcite & luculenter demonſtrat Q. xviii. de Veritate a. 6. Doctor Angelicus: ubi etiam probat opinionem ſemper eſſe cum inordinatione aliqua conjunctam, quoniam inordinatio eſt, *quotieſcunque intellectus, cujus objectum eſt verum, flectitur in aliquam partem a veriſimili.* Hæc quidem Doctrina Auguſtiniana eſt; nam S. P. in libro de Utilitate credendi cap. xi. num. 25. affirmat, *tria eſſe veluti finitima ſibimet in animis hominum diſtinctione digniſſima, intelligere, credere, & opinari: quæ ſi per ſeipſa conſiderentur, primum ſemper ſine vitio eſt, ſecundum aliquando cum vitio, tertium nunquam ſine vitio.* Ignorantiam vero, ex qua naſcitur opinatio, eſſe animi vulnus, atque pœnam peccati, res eſt in Auguſtino adverſus Pelagianos decertante literis expreſſiſſimis demonſtrata. Itaque ſi quis opinionem probabilem ſequatur, & ex duabus falſam eligat, videndum eſt, an tali ignorantia laboret, quæ poſſit illum a culpa excuſare; ſi veram, quærendum an ſcienter ſe exponat peccandi periculo: quod ſane, præceptore D. Thoma Quodlib. viii. art. 13. reperitur, *quotieſcunque operans non habet ſcientiam de contrario, & in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, & tenui ex dubitatione permanente operatur.* De ignorantia autem ſtatutum eſt ſupra, invincibilem ſemper a peccato excuſare, quum deſtruat voluntarii rationem: vincibilem autem eſſe damnabilem, ſi ſit eorum, quæ ſcire debemus, juxta canones capitis xii. & receptam D. Thomæ doctrinam Q. 3. de Malo art. 8.

Obſervandum præterea, ex duabus inter ſe pugnantibus opinionibus, quarum una præferat libertatem, altera vero præceptum, unam ſemper veram eſſe, aliam falſam. In exemplo ſint hæ duæ enunciationes, *Licitum eſt in hoc peragendo negotio uti ſimulatione*, &, *Non eſt licitum*. Impoſſibile eſt utramque propoſitionem eſſe ſimul veram, ſimulque falſam, ſi eadem ratio ſit utriuſque, idem objectum, eædem rei circumſtantiæ, prout didicimus in veſtibulo Dialecticæ, & ex communi notiſſimoque pronuntiato, quod idem nequeat ſimul eſſe, & non eſſe. Profecto in duarum opinionum conflictu, neceſſe eſt, ut utraque ſit æque probabilis, aut una habeat majorem, quam altera, probabilitatem; momenta enim, quibus innituntur, niſi æqualis ſint ponderis, diſparia erunt atque inæqualia, unumque pluris erit, ac ponderoſius: ideoque diſputari ſolet, num liceat ſequi opinionem probabilem in occurſu minus probabilis, num in concurſu opinionis æque probabilis, num denique in concurſu opinionis probabilioris.

Illud quoque advertendum eſt, nonnihil intereſſe diſcriminis inter tutam ac probabilem opinionem: nam tuta dicitur opinio illa, quæ vitat omne peccandi periculum; probabilis quæ innititur haud levi auctoritatis vel rationis momento. Poteſt itaque contingere, ut opinio aliqua ſit minus probabilis, & nihilominus magis tuta. Affert exemplum Gonet ſententiæ D. Bonaventuræ, quod homo ſtatim poſt lapſum teneatur ad confitendum lethalia crimina, ſi copia adſit Confeſſarii. Talis dicitur opinio eorum, qui putant mortale peccatum non recitato Matutino cum Laudibus rem ſacram peragere; aliaque rigidioris Moralis capita, de quibus nihil noſtra intereſt in præſentiarum definire. Multæ tamen dantur ſententiæ probabiliores ſimul, & tutiores, cujus generis ſunt omnes illæ, quæ non ſolum amovent peccandi pericula, verum etiam habent momenta validiora: in Schola noſtra ſententia docentium inquirendam eſſe a Confeſſario peccatoris inolitam ſceleris conſuetudinem, & aperiendas circumſtantias notabiliter aggravantes.

Inſuper prænotandum eſt, nunquam licitum eſſe ſequi conſcientiam dubiam, hæſitantem ſcilicet, & in neutram partem protendentem, ſive quia nulla adſit aſſentiendi ratio, ſive quia utrinque occurrant rationes conſimiles & æqualia momenta. Dubitatio enim eſt, inquit Q. xiv. de Verit. a. 1. S. Thomas, quotieſcumque animus *fluctuat inter duas partes contradictionis*. Et quidem conſcientiam dubiam non eſſe certam regulam morum, liquet ex illo axiomate: *In dubiis tutius eſt eligendum*; quod habetur in cap. *Ad audientiam*. Et cap. *Significaſti*, De Homicidio. Cap. *Juvenis*, De Sponſal. &c. Idem tradit Auguſtinus ſcribens in priori libro de Bapt. contra Donatiſtas cap. 3. *Graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo quod certis incerta præponeret.* Proximoque capite 5. verba faciens de iis, qui Baptiſmum ſuſcipiebant in parte Donati, *Quis dubitat*, inquit, *certum eſſe peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum?* Quibus accedit ratio paullo ſupra ex Angelico Doctore deprompta, quod peccet quiſquis periculo peccandi ſe exponit: verſatur autem in magno peccandi periculo qui opera exequitur, de quorum honeſtate firmam non habet perſuaſionem. Enimvero ſi nemo prudens ac plane non ſtultus ſumeret cibum vel potum, dum anceps eſſet, an eſſet medicatum & venenoſum, quis præcipiti conſilio ea patrare debet, quibus veretur ne peccato inficiatur immortalis animus, cujus ſalus præferenda eſt corporis valetudini?

Sedulo autem hic animadvertendum eſt, Probabiliſtas diſtinguere inter dubium *ſpeculativum*, & *practicum*, ut ſi probare niteris ex duabus oppoſitis opinionibus generari dubitationem, ideoque nefas eſſe ambabus ſimul confluentibus agere adverſus illam, quæ ſtet pro præcepto, præſto ſit ſubterfugium, quod dubium illud ſpeculativum eſt, non practicum, & conſequenter nequit conſcientiæ rectitudinem labefactare. Dixi paullo ſupra Cardinalem Aguirre commonere hanc diſtinctionem eſſe in præſenti controverſia rejiciendam: quod num recte commonefactum ſit, brevi revocabo ad examen; pendet enim ex diſtinctione iſta non ſolius quæſtionis, in qua verſamur, ſed aliarum quoque plurimarum enodatio. Itaque dubium ſpeculativum eſt, quod ſiſtit in contemplatione veritatis; ut dum in problemate ignoramus quænam pars verior ſit: practicum vero dubium eſt illud, quod attinet ad rem peragendam. Ita Dialecticorum dubitationes ſpeculatrices ſunt, artificum practicæ. An utrumque dubium ad eamdem mentis facultatem pertineat, an potius unum ad intellectum, alterum ad voluntatem, nihil prorſus intereſt definire. Judicium ſpeculativum, & practicum eſſe ejuſdem potentiæ docet S. Thomas 1. p. q. 79. art. 11. Sunt permulti, qui illud ad intellectum referunt, iſtud ad voluntatem. Nos repetimus utriuſque judicii diſcrimen ex objectis tantum, aut connotatis, qua etiam ratione duas illas animæ facultates, mentem ſcilicet, ac voluntatem ſejungimus. Conveniunt in hoc omnes, quod practicum judicium prioris ductum ſectetur: quare ſi judicium ſpeculativum dubium ſit, etiam practicum ex dubitatione procedit; neque poteſt quiſpiam in ſpeculatione hæſitans ſemetipſum ad agendum determinare, niſi aut præcipiti imprudentia, aut fluctuantis animi trepidatione.

Patroni opinionis probabilis, ut cum dubitatione ſpeculatrice ſtare demonſtrent judicium practicum moraliter certum, confugiunt ad mentis humanæ reflexiones, uti in præcedentibus innuebam. Hoc ſane loco nobis accurata diſtinctione opus eſt. Porro ſi dum ſpeculatio eſt anceps, & in rebus dijudicandis mens fluctuat, immutetur objecti circumſtantia, accedatque momentum aliud alicujus ponderis; haud dubium, quin efformari tunc valeat judicium practice firmum ac certum: verum certitudo iſta nequaquam innititur reflexioni præcedentis dubitationis, ſed reflexioni accedentis momenti, atque novæ gerendarum rerum circumſtantiæ. Exemplis id explico. Hæret dubius vir Religioſus an liceat ſibi jejunium frangere, vel a Choro diſcedere: præcipit illi Superior ut comedat, ſtudiiſque vacet; atque id faciendum cenſet judicio practico, quod non ex præcedenti dubitatione habet firmitatem, ſed ex accedente præcepto. Dubitat item creditor, num ſibi fas ſit agrum debitoris invito domino invadere: accedit ad forum Judicis, a quo accipit invadendi auctoritatem; & recte id licitum judicat, hujus tamen auctoritatis præſidio, non vi

prioris fluctuationis. Anceps eſt colonus an jure prædium poſſideat, de quo lis pendet ambigua; at edoctus a Juriſconſulto in poſſeſſione prædiorum meliorem eſſe conditionem poſſidentis, ac neminem bonis quæ poſſidet ob dubium aliquod eſſe expoliandum, nixus illo hoc principio tradito ab Auguſtino de Fide & Op. cap. VII. juriſque regulis confirmato, practice certus evadit, & abſque piaculo prædium retinet. Atque ita in exemplis compluribus ratiocinandum. Quod itaque ſtante dubio poſſit conſcientia induere practicam certitudinem, ſi accedat nova aliqua ratio, aut immutentur circumſtantiæ, ſive materia præcepti, veriſſima atque indubitata res eſt; atque omni procul dubio poteſt hoc pacto ea reflexione mentis antea perplexæ fieri judicium practicum moraliter certum, quod ſit morum regula.

At perſiſtentibus iiſdem motivis, ob quæ animus fluctuat, & dubius hæret, an hæc actio honeſta ſit, an turpis atque inhoneſta, per nullum judicium reflexum reddi poteſt moraliter certus de illius honeſtate. Ex quo enim fonte certitudo hujus judicii manare poteſt, ſi judicium ſpeculativum, unde exoritur practicum, anceps eſt, atque incertum? Non poteſt excogitari niſi duplex via, qua animus ab illa hæſitatione deſcendat in certitudinem iſtam, utraque contorta & fallax. Ac prima via eſt, ut, librata auctoritate, vel ratione judicetur eſſe æque probabile quod illa actio ſit honeſta, & quod ſit inhoneſta, quoniam utrinque gravia proferuntur momenta, atque hoc pacto nobis perſuadeamus fas eſſe quod lubet, adeo ut non in dubiis jam hæreat animus, ſed in opinationibus, quarum utraque licita judicatur. At falſum eſt, quod per judicium reflexum de æqua probabilitate duarum opinionum oppoſitarum poſſimus efformare judicium practice certum, atque ad formandos, dirigendoſque mores idoneum. Dum enim arbitramus utramque opinionem eſſe æque probabilem, perſuaſum nobis eſt utramque æqualibus momentis inniti: quod dum nobis eſt perſuaſum, quomodo exuere poſſumus præconceptam dubitationem? Certe id non poſſumus vi rationum ac momentorum, quum ex utraque parte hæc nos conſimili pondere trahant: ſed tantum libera, maiaque deliberatione, non ductum rationis conſectante, ſed ſenſuum.

Altera via eſt, ut in concurſu illarum inter ſe pugnantium opinionum excludatur, aut ſuſpendatur judicium de objecti inhoneſtate, ita ut in una opinione animus acquieſcat, de altera autem nihil habeat ſolicitudinis: quod me judice fieri nequit abſque ſumma imprudentia ac perverſitate. Principio enim hæc judicii ſuſpenſio annexam habet ignorantiam voluntariam, eamque turpem & damnabilem, quam Theologi appellant affectatam, quoniam parvipendens rationes oppoſitas, præſertim obvias, & peccandi pericula commonſtrantes, profecto non vult intelligere ut bene agat, oculos ſibimet eruit ne videat, atque ait Domino rationis ſtimulos excitanti, *Recede a me, ſcientiam viarum tuarum nolo*. Quis autem ignorat, perniciose agere *adverſus ſeipſum cor humanum, ut quod poſſit intelligere, ſi bona voluntas accederet, non intelligat, non quia difficile eſt, ſed quia voluntas averſa eſt?* inquit Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. xxxv. num. I. Deinde qui non vult expendere momenta contraria, is nec prudens eſt, nec moraliter certus de operis honeſtate. Enimvero quis, niſi omnino delipiat, exiſtimet certum eſſe, quod norit validis argumentationibus oppugnari? Præterea, ut aliquod proferamus exemplum ex humanis officiis depromptum, num prudens dicendus eſt miles, qui non timet hoſtis a tergo venientis inſidias? num prudens mercator, qui lucrum tantummodo, non damnum penſitat? num prudens judex, qui defenſoribus, non accuſatoribus aures præbet? Ex duabus quidem opinionibus invicem pugnantibus, ſi una honeſtatem, utilitatem, æquitatemque proponit, altera accuſatrix eſt, & crimen probrumque objectat, atque ideo nequit iſta prudenter abjici, & abſque ponderatione deponi.

Prænotandum quoque eſt, Probabiliſtas, ſi hac percellantur argumentatione, Neceſſum eſt ex duabus contrariis opinionibus unam veram, & alteram falſam eſſe, & conſequenter adeſt in earum diſcretione periculum errandi, ac præcepta tranſgrediendi; illico reſponſuros, adeſſe quidem periculum peccandi *materialiter*, at non peccandi *formaliter*: quam reſponſionem frequentiſſime repetit Anonymus auctor Epiſtolæ vernacula lingua adverſus Ballerinium conſcriptæ, quaſi Antiprobabiliſtæ ſancidulam illam confictamque diſtinctionem nondum perceperint, aut nolint advertere. At quidquid ideæ, perceptioniſque vocabulis iſtiuſmodi inſit; indubitatum eſt illum peccare tam *materialiter*, quam *formaliter*, ideſt, ſemetipſum obſtringere criminis alicujus reatu, qui voluntarie ac libere præceptum tranſgreditur aut opere, aut omiſſione, neque habet ex parte hujus voluntatis libere præceptum tranſgredientis vel ignorantiam, vel impellentem neceſſitatem, vel motivum aliud invictum excuſationis. Atque id mortalium neminem puto denegaturum. Si ergo lubeat aſſerere, quod ſit peccatum duntaxat *materiale* pravum illud opus, quod perpetratur abſque uſu libertatis, vel cum ignorantia minime culpabili, ut homicidium commiſſum a phrenetico, concubitus Jacob cum Lia, atque alia facta hujus generis: annuam toto capite: nolo enim de verbis in re graviſſima diſceptare. Quod ſit tamen peccatum, ut inquiunt, *formale*, peccatum imputabile ad culpam, peccatum denique animam innectens reatu, niſi adſit ex parte voluntatis ratio aliqua excuſans; puto, inquam, neminem unum eſſe fore, qui neget. Quamobrem hoc inſinuare intendimus quotieſcunque dicimus vitandum eſſe peccandi periculum; etiamſi non exprimatur a nobis adverbium illud *formaliter*; quod fortaſſis adhibetur perperam, quoniam peccatum propria ſermonis conſuetudine non appellatur quicquid non poteſt, aut non debet vitari. Atque hæc ſunt, quæ duximus prænotanda.

CAPUT XIV.

Demonſtratur conſcientiam probabilem, qua talem, non eſſe ſemper certam, rectamque regulam morum.

PRIUSQUAM de opinionum conflictu diſquiramus, univerſim de *probabili* in ſe ſpectata differendum eſt: quumque plures dentur probabilitatis gradus juxta majorem, aut minorem auctoritatem, variaque rationum pondera, atque momenta, dicendum primo quid ſentiendum de probabilitate tenui, haud momentoſis argumentis vel paucis, aut proletariis Scriptoribus ſubnixa; tum cetera quæſtionis capita ſubnectenda.

PROPOSITIO I. Si tenuis ſit opinionis probabilitas, eidem morigerari iniquum eſt.

Hæc propoſitio, cui etiam recentiores probabiliſtæ ſubſcribunt, probari poteſt ſacris literis, Patrum auctoritate, definitione Pontificum, obvia ratiocinatione, atque exemplis. Scriptura divina commonet etiam ad perditionem impios pertrahi iis obſequentes, quæ licita, ac juſta opinantur; ac propterea dandam operam ſaluti animarum abſque fallaci fidentia, & conjuncta cum ſpe animi trepidatione: *Eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem*, inquit Auctor Proverbiorum cap. XVI. 25. Et Apoſtolus ad Philip. II. 12. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*. At ubi tenuis occurrit probabilitas, qui eidem obſequitur, arbitratur viam directam tenere, cum iter arripiat flexuoſum, & fallax, atque unius auctoris doctrinæ, aut non exploratæ ratiocinationi confiſus abjicit comitem opinionis formidinem. Contemnit itaque Apoſtolicam monitionem, & viæ ſe committit, cujus exitus eſt mors, ac ſempiternus interitus.

Sed ut ad Eccleſiæ definitiones procedat diſſertatio: ſi fas eſſet ſequi quamlibet probabilem opinationem, poſſet quis amplecti ſententiam unius Scriptoris aliqua nominis celebritate præclari nulla ratione habita ceterorum. Tunc enim adeſſet aliquod auctoritatis momentum ſufficiens ad tenuem probabilitatem conſtituendam. Et revera unius Doctoris pii, ac docti auctoritate reddi opinionem probabilem, & conſcientiam tutam, tradiderunt probabilitatis propugnatores Eſcobarius Theol. Moral. Tom. I. l. 2. ſect. 1. cap. 2. Sanchez Op. Moral. lib. I. cap. 9. num. 6. Tamburinus lib. I. in decalogum cap. 3. §. 3. At ab Innocentio XI. anno 1679. proſcripta fuit hæc aſſertio: *Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*. Et ab Alex. VII. *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*. Reponet Probabiliſta non cujuſcunque auctoris licitum eſſe ſententiam amplecti, ſed pii tantum, ac docti. Verum ſi huic docto, pioque auctori repugnent alii cum numero, tum doctrina percelebres, idque mihi compertum ſit, (fateor enim rudem, atque imperitum hominem ad hortationem Parochi, aut Confeſſarii, quem probum doctumque exiſtimat, poſſe conſcientiam moraliter certam induere) ſi, inquam, illi auctori repugnent alii, quomodo ipſius judicium, non leve, ſed libratum, ac firmum poterit judicari? Num prudenter nequaquam credendum eſt, ſcriptorem alioqui accuratum tunc aberrare, præſertim ubi adverſatus venerandæ aliorum multitudini, nec prodit doctrinæ ſuæ momentum aliquod invictiſſimum? Præterea propoſitiones illæ duæ ab Apoſtolica Sede reprobatæ fuerant, ne quis morum regulam ad parvum Auctorum numerum exigerat, aut illam conſtitueret in alicujus Doctoris approbatione, ſpretis ſacrarum Scripturarum, ac Patrum documentis: nam ob eamdem rationem etiam ab Eccleſia Gallicana confixæ fuerunt in Generalibus Comitiis ann. 1700. At ſi fas eſſet tenere probabilem quantumvis tenuem opinionem, poſſet quis fidere unius junioris inſtitutionibus, parvipendens ſacras literas, Eccleſiæ canones, Patrum monita, aut ſaltem nullam de his gerens ſolicitudinem. Damnatas igitur propoſitiones laxitate morum ſuorum comprobaret.

Accedunt ſummorum Pontificum definitionibus graviſſima Patrum monita. Ac primo Tertullianus eo argumento inſectatur Ethnicorum licentiam, viceſimo capite lib. de Spectaculis, quod nuſquam excuſetur agens quæ Deus damnat, & quæ judiciorum varietati ſubjiciuntur: propterea quod *hæc eſt veritatis integritas, & quæ ei debetur diſciplinæ plenitudo, non mutare ſententiam, nec variare judicium*.

Quomo-

Quomodo ergo fidit conſcientiæ ſuæ, qui haud ignarus veritatem unam eſſe immutabilem, atque integerrimam, dum major pars Doctorum ab illius ſenſu diſtrahitur, pro libito quæ magis arrident complectitur? An non Ethnicis, quorum ſaltem in impia ipſorum Religione erat communis error, longe iniquior habendus eſt? Dices Ethnicis non probabilem fuiſſe conſcientiam, ſed erroneam. At hæc ipſa conſcientia erronea, quoniam ei obſequebantur ob augurum, majorumque ſuorum auctoritatem, & ob antaceptam ſuperſtitionis venerationem, neque expendebant motiva credendi, quæ evidentiſſime fidem noſtram confirmant, hæc, inquam, conſcientia eis nedum probabilis erat, ſed etiam Chriſtianorum Religione probabilior. Fateri autem debent, ut prænotavi, Probabiliſtæ ſe non ſolum pugnare pro illa probabili opinione, quæ ſit talis re ipſa, ſed quæ talis appareat operanti. Quum itaque Idololatris religio flagitia permittens appareret probabilior; in ſententia Adverſariorum noſtrorum immunes erant a culpa. Et quidem Erardus Billius e Probabiliſmi principiis excuſat a peccato puerum baptizatum, qui ob monita parentum adhuc hæreſi ſibi propoſitæ aſſentitur, & ait multas puellas uſque ad vigeſimum annum vix poſſe cenſeri hæreticas. Cur quæſo? Quoniam habent, quamdiu argumentis convincentibus non retrahuntur, *argumenta probabilia ſuæ ſectæ*. Hæc Billius Tract. xxi. de Fide, non tantum ab Auctore Artium Jeſuiticarum §. vi. Cent. 1. verum etiam a Nicolao L'Herminier Tom. v. pag. 120. laudatus. Qui ergo indiſcriminatim Probabiliſmum ſectantur, æque ac Ethnici, Tertulliani reprehenſioni ſubjiciuntur.

Accedit Tertulliani Auctor Hom. 44. in Matth. inter opera Chryſoſtomi, cujus hæc ſunt verba: *Si veſtimenta empturus gyras unum negotiatorem, & alterum; & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; quomodo non oportet populum circuire Doctores, & inquirere ubi ſincera veritas Chriſti venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere, plusquam veſtimentum?* Qui ergo unius, aut alterius Scriptoris ſequitur auctoritatem, niſi is invictiſſimis Scripturarum ſanctarum, Traditionis, ac ſacrorum Canonum momentis ſententiam ſuam roboraverit, atque adverſarios habuerit quamplurimos, & probabilia dumtaxat tradiderit, quaſi ex uno negotiatore ſordidam mercem ſibi comparat, atque corporis utilitati magis ſtudet, quam animæ. Alia Patrum teſtimonia producam proxima poſitione.

Evertitur etiam contraria aſſertio validis ratiocinationibus. Primo quoniam tenuis probabilitas, aut ex numero, & auctoritate ſcriptorum peti debet, aut ex momento rationis. Si ex primo capite; tenuis probabilitas contradictoria eſt, ac repugnans. Vel enim auctores, quibus fulcitur, ſunt omnes, aut plures, & ſapientiores, ac maxime noti, & illuſtres; & hoc pacto non eſt tenuis probabilitas, ſed magna: vel ſunt perpauci, ac minus exercitati, nominiſque vulgaris; atque ita juxta traditam definitionem *probabilis*, nec opinionem probabilem poſſumus appellare; cum non habeatur momentum aliquod ponderoſum. Ac pari jure ſi probabilitas innitatur rationi; aut hæc dignoſcitur Scripturæ, ac Patribus conſentanea, & gravis eſt probabilitas, non tenuis: aut Scripturis, Patribuſque repugnat, & nulla probabilitas eſt; aut non deprehenditur, num repugnans ſit, vel conſentanea; & ita cum poſſit eſſe humanæ mentis figmentum, & exigua ſupponatur ac tenuis, nequit habere grave illud pondus, quod ad conſcientiam probabilem ipſi adverſarii requirunt. Probabilitas itaque quæ ſit tenuis, nequit excogitari: niſi *probabile* dixerit quicquid poteſt aliqua argumentatione quodammodo ſuaderi, quod convenit etiam cuique dubitationi. Deinde ſi fas ſit obſequi cuilibet quamvis tenui probabilitati; fas quoque erit imprudenter agere, & periculo peccandi ſe exponere; quemadmodum paullo poſt demonſtrabimus. Præterea nonne peccat, qui legem contemnit? Nonne contemnit qui divina mandata minime meditatur? An meditatur qui ſuaſori cuilibet præbet aſſenſum? Num talem aſſenſum non præſtat, qui minima ductus ratione propriæ obtemperat voluptati? Mitto erumpentem ex hoc fonte morum inhoneſtatem, turpiſſimamque licentiam.

Exemplis denique falſum illud dogma refellam. Quis enim cum in promptu ſit communis cibus, acciperet inſolitum, quem major convivarum pars veneno infectum aſſereret? Quis viam ab non commonſtratam arriperet, quam alii affirmarent ducere ad præcipitium, receſſumque latronum? Quis poſthabitis fidiſſimis ſociis, fœdus cum aliquo iniret abſque prædis ſponſione fructus uberrimos pollicente? At qui opinionem tenui probabilitate ſuffultam amplectitur, facit quod alii iniquum, & animæ exitioſum deprædicant; iter tenet lubricum, ac præceps, & ſe adverſus ceterorum commonitiones committit infido ſponſori; agitque temere ad ſpiritualem perniciem, quod pro ſervanda corporis incolumitate vitarat. Nimis autem eſt futile quod reponunt nonnulli occurrere in allatis exemplis damnum imminens noſtri, vel proximorum; quum magis timendum ſit gehennæ incendium, ac perpetuus animorum interitus, quam quodcunque corporalium rerum detrimentum; & gratiæ ornatus perennisque felicitas ſit bonis ceteris præferenda.

PROPOSITIO II. Univerſim de qualibet opinione probabili loquendo, ea ſi tuta non appareat operanti, neque conſcientiam moraliter certam ingeneret, haud eſt firmiſſima morum regula.

Demonſtratur I. e ſacris literis. Eccleſiaſtici enim 37. verſ. 20. legitur: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te: & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Verbum verax dicitur hoc loco veritatis perceptio vel ratio, juxta Græcam verſionem, Ἀρχὴ παντὸς ἔργου λόγος: *Principium cujuſque operis ratio.* Ut igitur quiſque bonam conſcientiam geret, neceſſum eſt, ut rationem ſuorum operum reddere valeat, nec ſinat ſe tranſverſum agi a cupiditate, paſſione, caſu, aliave re, quæ eum in errorem inducat. Atque hoc eſt præclariſſimum monitum S. Thomæ Aquinatis datum Monachis Foſſæ novæ prope exitum vitæ ſuæ, ut refert etiam Cornelius a Lapide in hunc Eccleſiaſtici locum. Sane illum, qui ducitur opinione probabili, ſæpenumero non ratio præcedit, ſed error, & quidem error cujus aliquam habet ſuſpicionem; neque ſtabile conſilium, ſed judicium fluctuans, & anceps. Spernit itaque monitum Eccleſiaſtici, & voluntaria cæcitate in errorem prolabitur.

Præterea Matt. vi. 22. ait Dominus: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Oculum directionem mentis Chriſtus appellat. Eſt autem oculus ſimplex, inquit Bernardus de Præcepto, & diſpenſ. cap. xiv. num. 35. qui habet *caritatem in intentione, & in electione veritatem.* Ita e regione duo mala oculum nequam conſtituunt, *cæcitas, qua fit ut veritatem non agnoſcat, & perverſitas, qua fit ut diligat iniquitatem*, inquit idem S. Doctor proximo num. 36. At qui probabilem utcumque amplectitur, is ſæpe falſam probat opinionem, & eligens deteriora, & quæ diſplicent Deo, non caritate ducitur, ſed perverſitate. Eſt itaque oculus ejus nequam, & corpus, ideſt, univerſum quod exercet opus tenebroſum, atque perverſum. Vim addit huic argumentationi, quod S. Bernardus inquit num. 40. *Si igitur vere oculus nequam eſt, qui perverſus pariter, & cæcus bonum agit, & malum credit, utique recte operando, ſed operando inique bonum ſibi in malum vertit, & tantum malum quantum crediderit; quandoquidem juxta ſententiam Domini totum corpus tenebroſum reddit oculus nequam: quid enim luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec vere pia opinio invenitur? At non ideo ſequitur, ut qui e contrario malum facit, & bonum putat, juxta ſuam fidem ſimiliter & ipſe inveniat. Quare? Non eſt quippe ſimplex oculus ille, qui ex judicio veritatis totum corpus lucidum reddat.* Profecto qui ſequitur opinionem tantum probabilem, frequenter *malum facit, & bonum putat.* Ergo ſimplicem oculum nequaquam habet. Concludit Bernardus hac definitiva ſententia: *Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, ſive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum eſt.* Advertas tamen, male ex hoc Bernardi loco quoſdam inferre nec ignorantiam invincibilem a peccato excuſare; quia hac ignorantia laborans habet cæcitatem, qua fit, ut veritatem non agnoſcat. Ita Wendrockius, qui poſtrema Bernardi verba eo fortaſſis fine exſcripſit literis grandiuſculis. Male etiam illinc aliqui inferunt oculum, qui ſimplex non eſt, nequam eſſe, cum unum alteri opponat Chriſtus; ut inquiunt poſt Gisbertum Continuatores Prælectionum Theolog. Hon. Tournely. Si enim id aſſeratur; ignorantis invincibiliter oculus nequam erit, quandoquidem deſtitutus luce veritatis non eſt ſimplex. At Bernardus num. 37. ſcripſerat: *Eſt qui bonum diligit, & malum neſcius agit. Hujus quidem bonus eſt oculus, quia pius, non tamen ſimplex, quia cæcus. Et eſt qui bonum & libenter agit, & prudenter intelligit. Hujus revera oculum non immerito ſimplicem dixerim, utpote cui neutrum bonum deſit, nec zelus ſcilicet bonus, nec ſcientia.* Igitur eſt oculus, qui non eſt ſimplex, & tamen non eſt nequam, ſcilicet neſcientis ignoratione excuſabili; de quo idem Bernardus interpretatur ea verba: *Ephraim quaſi columba ſeducta.*

Tertio probatur auctoritate Auguſtini, qui libro iii. contra Academicos cap. xvi. excutere nititur principium illud, *Qui ſequitur in agendo probabile, non errat, nec peccat*, demonſtrans eo admiſſo licere adoleſcentibus inſidiari pudicitiæ uxoris alienæ, & dare operam homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibuſque omnino, quæ fieri, aut cogitari poſſunt, flagitiis, aut facinoribus, quum omnia ab aliquo auctore approbentur, adeo ut Catilina quadam Oratione, de qua Saluſtius, etiam maximum crimen, in quo continentur omnia ſcelera, patriæ ſcilicet parricidium, perſuaſerit. Poſt hæc ſcite S. Pater num. 36. in hæc verba prorumpit: *Illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam viſum fuerit eſſe faciendum, tantum nulli quaſi vero aſſentiatur, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committat.* Dices fortaſſis: quænam eſt impiorum Ethnicorum cum Catholicis piiſque Scriptoribus convenientia? Nulla prorſus. Auguſtini tamen argumentatio non Academicos tantum, verum etiam Probabiliſtas revincit. Enimvero demonſtrat

Augu-

Auguſtinus juvenem adulterum non poſſe apud ſapientiſſimos judices damnari, ſi vera ſit Academicorum opinio, propterea quod perſuaſum eſſet in Cuniano gymnaſio ipſum non peccaſſe: quod de aliis flagitiis conſimili ratione concludimus. Quare juxta Auguſtinum ita refellimus probabiliſmum. Si fas ſit facere quicquid videtur probabile, immunis erit a ſupplicio, judicumque damnatione homo quilibet flagitioſiſſimus, ſi ad Ethnicum judicem perducatur, quoniam apud Ethnicos probabiliter non peccat gravium flagitiorum patrator: & ſi convincatur patrias leges fregiſſe, reſpondere poterit, ſe vinculo illarum legum non teneri, quum ſibi liceat agere quicquid eſt probabile. Igitur ſi fas eſt ſequi opinionem probabilem, neque aliquis huic obſequens poterit reprehendi: quod Auguſtinus appellat capitale, formidoloſum, & cuique viro optimo metuendum. Imo argumentatio hæc robuſtius probabiliſtas perſtringit; ſiquidem Auguſtinus contendit Academicos in agendo quod videtur probabile turpiter erraſſe, tametſi nulli quaſi vero aſſentirentur: dum qui ſequitur opinionem probabilem, temere, quod falſum eſt, verum judicat.

Video poſſe Probabiliſtas reponere, ideo Academicos recte ab Auguſtino refelli, quoniam nulli rei præbentes aſſenſum agebant quicquid eſſeri probabile videbatur, ſemper dubiam conſcientiam ſerventes. At id retundit Carneades Academiæ princeps, & auctor: qui apud Auguſtinum eodem libro cap. xvii. num. 40. *cum undique premeretur, ſi nulli rei eſſet aſſenſus, nihil acturum eſſe ſapientem, attendit ſapienter quales illi actiones probarent, eaſque neſcio quarum verarum ſimiles videns, id quod in hoc mundo ad agendum ſequeretur, veriſimile nominavit: idque etiam probabile appellabat*. Conſimili ratione Probabiliſtæ dum inter varias opiniones animo fluctuant, nullique aſſentiuntur, attendunt quales actiones probent Theologi benigniores, illorumque aſſertum veriſimile, quod etiam dicunt probabile, complectentes imitantur omnino diſcipulos Carneadis, qui auctore eo loci Auguſtino, *approbabant falſa, in quibus imitationem laudabilem rerum verarum animadvertebant*.

Silentio prætermittendum non eſt ejuſdem S. Parentis monitum utiliſſimum poſtremo libro de Civit. Dei cap. 23. docentis ſedulo juſtis vigilandum eſſe, vigiliiſque continuis excubandum, *ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum eſt malum, aut quod malum eſt bonum eſſe credatur, ne ab iis quæ agenda ſunt metus revocet, ne in ea quæ agenda non ſunt cupido præcipitet, &c.* Quæ autem ſolicitudo nos debet angere, quæ cura premere, ſi licitum ac ratum eſt probabili conſcientiæ ſeſe conformare?

Plura alia argumenta e ratione deprompta poſitionem noſtram corroborant. Ac primum eſt, quod theſi ſuperiori produximus, ex Adverſariorum noſtrorum doctrina impios quoque idololatras eſſe immunes e culpa ſculptilibus ſervientes. Etenim non ſolum levi, ſed etiam apud ipſos ponderoſa probabilitate ducuntur. Nititur hujuſmodi probabilitas inſinuationi parentum, traditioni majorum, regionis ac patriæ conſuetudini: unde Auguſtinus exponens verſum 4. Pſalmi lxiv. ait: *Quid faceret puer natus inter paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum inſinuaverunt parentes? Inde prima verba audivit, illum errorem cum lacte ſuxit: & quia illi, qui loquebantur, majores erant, & puer qui loqui diſcebat infans erat, unde poterat parvulus niſi majorum auctoritatem ſequi, & id ſibi bonum ducere quod illi laudabant?* Num reponent Probabiliſtæ cum xxiv. Senioribus apud Eſcobarium, infidelem, cui proponitur noſtra fides, non teneri ad illam recipiendam dum ejus ſectæ probabiliter apparet credibilis? At tam laxa doctrina repugnat Auguſtino, imo & Davidi, divinoque Spiritui, qui in ore paganorum ad fidem venientium ponunt laudatum Pſalmi lxiv. verſiculum, *verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos, & impietatibus noſtris tu propitiaberis*. Num dicent, infideles non excuſari a colendis idolis, quia non datur de exiſtentia veri ac ſupremi Numinis ignorantia invincibilis? Sed prætérquamquod id negant Probabiliſtarum complures, conſequimus ex hac reſponſione ſolam invincibilem ignorantiam excuſare e culpa eos, qui ducti opinione probabili præceptum aliquod tranſgrediuntur. Manet ergo inconcuſſa hæc adverſus Probabiliſtas argumentatio. Et quod de idololatrarum ſcelere dictum eſt, etiam de hæreſi pronuntiemus. Nullus enim hæreticorum eſt, qui ſibi non perſuadeat probabilem eſſe ſectam, quam profitetur: atque id hiſtorico exemplo Baſanomeni cujuſdam Lutherani confirmat in ſua Theologiæ Fundament. p. 159. Caramuel affirmans, quod etſi alii conſequentias iſtiuſmodi non admittant, *omnia tamen debent tranſglutire, vel a principali opinione diſcedere*. Eadem ratione cuilibet crimini probabiliſmum viam ſternere facile commonſtratur.

Alterum argumentum eſt, quod ſequens opinionem probabilem imprudenter ſe gerat. Etenim prudentia eſt affectio animæ, vel motus, quo intelligit æterna ſuperiora eſſe, & inferiora eſſe temporalia, & in ſe ipſis magis appetenda quæ ſuperiora ſunt, quam inferiora ac temporalia; ut docet S. Pater in 1. de lib. arbitrio cap. 13. Probabiliſtæ autem docent fas eſſe propriæ libertati indulgere, dummodo probabilitas adſit; etſi alia ex parte dignoſcatur dubium urgere præceptum. Propriam ergo voluntatem divinæ, ſenſum rationi, humanam libertatem legum obedientiæ, & temporale commodum incommutabili bono præferunt. Itaque imprudentiæ nota ſunt inurendi. Quis inſuper imprudentiſſimum non appellet exponentem ſe peccandi periculo; quod ſubeunt eligentes probabile & errori obnoxium ipſa ratio demonſtrat? Nam ut in quadam Elegia ad Thyrſum Gonzalez ait Joannes Blanchet Soc. J. Presbyter Pictavenſis,

> *Si ſceleris levis umbra ſubeſt; natura reclamans*
> *Occulto obſiſtit, quæ valet, illa malo.*
> *Non noxæ tantum infandæ prohibetur imago,*
> *Dum patet, accelerant ipſa pericla fugam.*
> *Prudens nauta fugit ventos, dubiaſque procellas,*
> *Et prudens repetit portum agitata ratis.*
> *Ni certa conſtet culpæ nullum eſſe timorem,*
> *Hoc ipſo actorem conſtituit eſſe reum.*

Tertia ratio depromitur ex novitate doctrinæ. Hanc de Probabilitate ſententiam incompertam fuiſſe ante annum 1570. diximus in Prænotatis. Et quidem Antonius Cordubenſis in Quæſtionario in lucem edito ſequenti anno 1571. lib. 1. q. 3. docet ſemper tenendam eſſe ſententiam probabiliorem ac tutiorem, *Et in hoc* (inquit) *Theologi omnes conſentiunt*. Nullus pro benigniori ſententiæ auctor affertur, qui vetuſtior ſit Medina, & Mercado, ut inquit ſcriptor Synopſis Tract. Theologici Thyrſi Gonz. §. xxii. num. 55. Nullus ex inclyta Societate Jeſu, auctore ipſo Gonzalez, novæ opinioni conſenſit ante annum 1597. etſi jam inſtar malorum germinum ſerperet. Haud repetam, quæ ſcripſi de Paulo Comitolo, a quo adverſus Probabiliſtas citantur Scholaſtici omnes antiquiores. Amicus apud Giſbertum p. 167. fatetur repugnare ſibi, ceteriſque Probabiliſtis, *omnes fere antiquos Theologos*. Stephanus Gradi Præfectus Vaticanæ Biblioth. diſput. de Opin. Probab. cap. 12. ait, *ſe audiviſſe virum graviſſimum, & non vulgari hodie in Eccleſia dignitate affirmantem hanc paullo liberius opinandi rationem avorum noſtrorum memoria, & repente, & quaſi fortuito in Eccleſia extitiſſe, & quia non minus honorifica conſultis, quam commoda conſultoribus, accidebat, facile ab omnibus receptam, & in mores inductam*. Adverſarii itaque noſtri flocci faciunt illam Eccleſiaſtici præceptionem, cap. xxxix. 1. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in prophetis vacabit: narrationem virorum nominatorum conſervabit*. Tanta enim animoſitate ſuam ſententiam propugnant, ut non ſolum ſecta antiquorum, nominatorumque negligant, verum etiam recentiores ſcriptores præferant vetuſtis omnibus, haud veriti etiam ore propoſitionem illam proferre: *Doctrina fidei a veteribus, doctrina morum magis a junioribus petenda*. Illud etiam fateri videntur, ſententiam, quam per tot ſæcula Doctores Catholici reprobarunt, factam poſtea regulam morum: nec unam eſſe honeſtatis legem, nec unam immutabilem veritatem; quod utique quam abſurdum ſit, nemo cordatus non videt.

PROPOSITIO III. Non licet ſequi opinionem probabilem faventem libertati, relicta altera æque probabili, quæ ſtet pro lege ac præcepto.

Ad præcedentia argumenta, quæ omnia hanc poſitionem corroborant, accedunt ſequentia. Primum depromitur ex divinis litteris. Legimus enim Eccli. iii. 27. *Qui amat periculum, peribit in illo*: quæ verba ad illos ſpectant, ut a contextu liquet, quos ſupplantat multiplex ſuſpicio, & quorum cor ingreditur duas vias. In Epiſtola ad Theſſalonicenſes prima cap. v. 21. ait Prædicator veritatis, *Omnia probate: quod bonum eſt tenete: ab omni ſpecie mala abſtinete vos*; quod advertit etiam Joannes 1. Epiſtola cap. iv. verſu 1. Etſi autem his locis commonemur, ne decipiamur a Pſeudoprophetis, pertinent tamen etiam ad mores formandos Apoſtolicæ monitiones; quum tenenda ſit veritas tam in credendo, quam in operando, atque unus Chriſtus ſit fide colendus, & ſanctitate imitabilis: ipſe enim ſolus eſt *via, veritas, & vita*, Jo. xiv. 6. Hæc quum ita ſint, quomodo non peribit, qui periculo frangendi legem ſe exponit, divinumque mandatum præfert hominum opinationi? Num evidens periculum non eſt, ubi ea opinio, cui morem gerentes certi ſumus nos bene agere, pro libito ac temere abjicitur? An periculum illud peccatum *materiale* dumtaxat complectitur, dum malum voluntas eligit pleniſſima libertate? Quo pacto inſuper probat omnem ſpiritum, qui ſpiritui veritatis reſiſtit, falſum probat, & dum menti ejus meliora occurrunt, ſequitur deteriora? Qua ratione ab omni opere malo, & ab omni ſpecie mala ſe abſtinet? Quo jure affirmare poteſt teneri a ſe viam & veritatem, per quam ſolam pervenitur ad Patrem, ſi ex æquo æſtimat opiniones duas, quarum altera manifeſto vi contradictionis falſa debet eſſe? Non videntur hæc in maximi momenti negotio abſque ponderatione prætermittenda.

Argumentatio ſecunda petitur ex Patrum auctoritate. Nam Gregorius Nazianz. Orat. xxvii. docet quod nihil noſtra intereſſe debet ſi ſecus pleriſque videbitur, ſed rei veritatem curandam, quæ vel nos condemnabit vel abſolvet. Baſilius in Pſalmum lxi. ait ſtateram, qua utamur ad vitam inſtituendam, eſſe liberum arbitrium ratione directum, non opiniones hominum, de quibus ſcriptum eſt, *Menda-*

ces

Digitized by Google

ant filii hominum in ſtateris. Chryſoſt. Hom. in 2. Epiſt. ad Corinth. a 12a. inquit res ipſas inquirendas eſſe, non ſtandum multorum opinionibus, allato aptiſſimo apertiſſimoque exemplo eorum, qui pecunias enumerandas ſeipſis exactiſſime ſupputant, nec tam facile aliis credunt. Sed his omiſſis, quæ producunt Merbeſius, L' Herminier, Charlas, aliique plures, urgebo vulgatiſſimam S. P. Auguſtini ſententiam lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas, ubi reſpondet ei, qui verſatur in duabus oppoſitis opinionibus, an liceat accipere, aut non liceat accipere ſacramentum in parte Donati, puretque utramque ſententiam probabilem, tam Catholicorum, qui ajunt non recte accipi a Donatiſtis baptiſmum, quam Donatiſtarum opinantium recte accipi, ea ductus ratione, quod communi ſententiæ ſit etiam apud Donatiſtas baptiſmus: ei, inquam, ſanctus Paſtor reſpondet, quod cum certum ſit hominem recte in Eccleſia Catholica baptizari, ibi debet ſacramentum accipere. *Hic ergo*, inquit, *ſecurus accipiat, ubi & eſſe, & accipi recte certus eſt, illic autem non accipiat, quod eſſe quidem ibi dicunt, ſed ibi accipiendum eſſe non dicunt, quorum ſententiam decrevit eligere; quamquam etiamſi dubium haberet non illic recte accipi, quod in Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret*. Hinc duplex eruitur argumentatio. Prima. Non peccare illum qui ſequitur opinionem probabilem faventem præcepto Doctores omnes quos ſequimur, & adverſarii noſtri tenent communiter; peccare autem ſi ſequatur opinionem faventem libertati, negant adverſarii, at Doctores alii propugnant. Illam igitur opinionem tenere debet, quam tenendo certus eſt non peccare: quemadmodum debet Catechumenus baptiſmum accipere in illa Eccleſia, in qua certus eſt eſſe, & recte accipi Sacramenta. Conſimili argumento a Calviniana hæreſi reſipuiſſe Henricum IV. Galliarum Regem ſcribunt in hac diſſertatione Gonet, & Charlas, & nos proximo libro cap. 11. in poſtremo adverſus Mahometanos. Altera argumentatio ſit: Qui ſequitur ſententiam probabilem faventem libertati, eamque divino præcepto præfert, in rebus ad ſalutem pertinentibus certis incerta præponit. Qui in rebus ad ſalutem pertinentibus certis incerta præponit, graviter peccat. Igitur graviter peccat qui ſequitur ſententiam probabilem, illamque præfert divinæ legis præcepto.

Reſpondere ſolent Probabiliſtæ loqui Auguſtinum de validitate ſacramenti, ac docere illum peccare, qui dubitans an valeat ſacramentum ſuſceptum in ſchiſmate, illud ſuſcipit reapſe e Schiſmaticis. Addunt ſermonem inſtitui non de illo, qui dubitat abſque probabilitate. Verum nequit his argumenti robur infringi ac debilitari. Enimvero prior reſponſio apertiſſime falſa eſt, cum S. Pater de ſuſceptione, non de validitate ſacramenti verba faciat; atque aperte diſtinguat quæſtionem, An baptiſmus ſit apud Donatiſtas, ab alia, An recte illic accipiatur, & de prima affirmet nullam eſſe difficultatem. *Duo enim ſunt quæ dicimus*, inquit principio laudati capitis, *& eſſe in Eccleſia baptiſmum, & illic tantum recte accipi: utrumque horum Donatiſtæ negant. Item alia duo dicimus, eſſe apud Donatiſtas baptiſmum, non autem illic recte accipi*. Et paucis interjectis: *Eſſe vero baptiſmum & apud Donatiſtas & illi aſſerunt, & nos concedimus*. Nulla ergo de validitate ſacramenti ab Auguſtino quæſtio inſtituitur. Præterea liquet ex verbis ſupra productis redargui ab Auguſtino illum, qui eligit accipere baptiſmum in parte Donati, certus etiam illic baptiſmum eſſe. Deinde cap. v. num. 6. hominem inducit ita loquentem, *Illic accipere malui, ubi baptiſmum Chriſti eſſe utrique conſentiunt*. De ſola itaque ſuſceptione ſacramenti ab Auguſtino diſſeritur. Nec melioris eſt notæ reſponſio altera. Etenim ſuſcipiens baptiſmum in parte Donati, movetur ea ratione, quam firmam exiſtimat, nimirum quod utrique conſentiant etiam apud Donatiſtas eſſe baptiſmum; ideoque ſequens opinionem probabilem, quæ licet talis non ſit, ei proculdubio videtur, efformat judicium practicum, ac propriæ indulgens libertati, *Illic*, inquit, *accipere volo, ubi baptiſmum Chriſti eſſe utrique conſentiunt*. Tenentur autem ſateri Doctores contrarii in re nullam opinionem eſſe probabilem, niſi veram, & diſputari de opinione, quæ appareat probabilis operanti. Id ſatis in prænotationibus explicatum. Ille ergo, de quo Auguſtinus, non abſque probabilitate in parte Donati baptizatus eſt. Inſuper demonſtrat S. Pater peccare quiſquis in rebus ad ſalutem pertinentibus certis incerta præponit. Etiam probabilitate ſuppoſita, dum contraria opinio gravi momento fulcitur, incertum eſt, an fas ſit propriæ obſequi libertati, certum vero nil eſſe periculi obtemperando legi. Igitur etiam probabilitate ſuppoſita nefas eſt facere quod lubet, & opinioni præcepto magis conſonæ obſiſtere.

Proxime eſt argumentatio tertia. Duæ inter ſe pugnantes opiniones pariunt dubitationem: *ac in dubiis debemus ſemitam eligere tutiorem*, ut fert commune proloquium regulis Juris, Romanorumque Pontificum auctoritate firmatum. Vide præcedentis capitis prænotata. At magis tutum eſſe ſequi opinionem quæ ſtat pro præcepto, & in qua nullum occurrit peccandi periculum, quam ſequi opinionem ſtantem pro libertate, res eſt manifeſta. Illam itaque, non iſtam debemus amplecti. In hujus argumenti confirmationem accedit, quod in Clement. *Exivi*, De Verborum ſignificat. & Clement. *Quia præterea*, interrogatus Clemens V. num FF. Minores teneantur ſub præcepto mortalis peccati ad ea obſervanda, quæ in Regula B. Franciſci verbo imperativi modi, negative, vel affirmative appoſito inſerta ſunt, reſpondet ſummus Pontifex teneri, *quia in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graviores remorſus conſcientiæ pars ſecurior eſt tenenda*. In capite etiam *Inquiſitioni tuæ*, interrogatus Innocentius III. quid agendum ſit conjugi, quando dubitat de valore matrimonii, reſpondet: *Diſtinguimus, utrum habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi & temeraria, an ex probabili, & diſcreta. Et quidem ad ſui Paſtoris conſilium licite poteſt non ſolum reddere, ſed & exigere debitum conjugale. Verum cum conſcientia pulſat animum ex credulitate proculdubio probabili & diſcreta, quamvis non evidente, & manifeſta, debitum quidem reddere, ſed poſtulare non debet, ne vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam*. Hæc duo decreta præ ceteris notanda ſunt ad infringendam reſponſionem, eorum qui ajunt pronunciatum illud, *In dubiis tutior pars eligenda eſt*, locum non habere in quæſtionibus juris. Sunt enim ad jus pertinentes duæ quæſtiones Clementi, atque Innocentio propoſitæ: quamquam nil fingi poteſt ea reſponſione futilius; cum etiam in quæſtionibus juris, atque in his maxime vitandi ſint remorſus conſcientiæ, & declinandum violandæ legis periculum; quibus innixi effatum illud ſatis liquet ex dictis.

Præcedenti argumento reſpondet Tamburinus lib. 1. cap. 4. falſum eſſe inſurgere dubitationem in conflictu oppoſitarum opinionum, cum *dubium* ſit, quando nullæ utrinque rationes menti obverſantur; qui vero duas habet opiniones æque probabiles, gravi rationum hinc, & inde pondere ſe premi experietur. Falſitatem hujus reſponſionis demonſtrat planiſſimis exemplis Wendrockius. Etenim in æquilibrio manet lana, ſive nullum neutri parti, ſive utrique onus æquale imponatur: & judex ſententiam adverſus furem aut homicidam dicturus non ſolum animo fluctuat dum nulla apparent accuſationis vel defenſionis argumenta, ſed etiam dum illi ſe ſiſtunt æqualia & oppoſita, V. G. teſtes duo, quorum unus affirmet, alter neget patratum crimen illud ab homine. Confirmat hæc exemplo judicium Salomonis in dirimenda meretricum lite, lib. III. Regum cap. 3. Addit Wendrockius nonnulla Virgilii, & Terentii carmina. Sed ne quis reputet plurimum me æſtimare Wendrockium in ea quæſtione, in qua multa quidem tradit utilia etiam a Goneto clariſſimo Thomiſtæ probata & exſcripta, ſed vagatur tandem extra orbitas contendens nec invincibilem ignorantiam ſuffragari opinationi probabili: refellitur Tamburini reſponſio apertiſſima auctoritate D. Thomæ ſcribentis Q. XIV. de Verit. art. 1. *Intellectus noſter reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud vel propter defectum moventium, ſicut in illis problematibus, de quibus rationes non habentur, vel propter apparentem æqualitatem earum, quæ movent ad utramque partem: & ita eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis*. Igitur non ſolum quum nullæ menti obverſantur rationes, ſed etiam ſi appareant utrinque æquales, animus in dubium ac fluctuationem inducitur. Recte prælaudatus Joannes Blanchet Jeſuita in altero ad Thyrſum Gonzalez Elego:

Si pila adverſis pugnant contraria pilis,
Si neuter victo victor ab hoſte redit;
Tunc neutri addicta eſt mentis ſententia parti,
Fluctuat, & dubitans mens agitata ſilet.
Tunc neque judicium fertur, nec opinio flectit
Ulla animum, neque mens, quo magis vergat, habet.

Reſpondet Vaſquez t. 2. diſput. 69. valere prædictum axioma *in dubiis*, non *in opinionibus*: nam in dubiis neutri parti aſſentimur, & in opinionibus aſſentimur alterutri. Sed refellitur quamfacillime reſponſio illa ex ipſius Vaſquesii principiis. Ait enim vir ille præclarus eadem diſput. cap. 3. *Dubius quis eſt inter utramque partem, quoties in neutra cognoſcit majorem convenientiam prædicati cum ſubjecto in una parte contradictionis, quam in altera*. At ſi pulſent animum duæ opiniones æque probabiles, fieri nequit, ut in una parte contradictionis dignoſcatur major *convenientia prædicati cum ſubjecto*: non enim apparet major convenientia ejuſmodi, ubi occurrit æqualis veriſimilitudo, ubi premunt animum æqualia rationum pondera, ubi confligentur duo ejuſdem firmamenti opinatus. In hoc ergo caſu quiſque, ipſo Vaſquezio judice, dubius erit. Revincunt præterea reſponſionem hanc quæ modo adverſus Tamburinum producta ſunt.

Communior tamen Probabiliſtarum reſponſio eſt, valere illud morale proloquium in dubiis practicis, non in ſpeculativis, ac poſſe per judicium reflexum reddi conſcientiam moraliter certam practice, tametſi ſpeculative ob oppoſitas opiniones foret dubia. Disjecta fuit hæc machinatio capite præcedenti, ubi oſtendimus cum D. Thoma 1. p. q. 79. art. 11. judicium practicum, & ſpeculativum ſolo fine, & connotatione diſtingui, eo quod illud ordinatum ſit ad ſolam conſiderationem veritatis, atque illud dirigatur

ad

ad opus. Diximus practicum judicium ſpeculativum ſectari, nec poſſe, niſi imprudenter ac temere, eligi in praxi, quod non habet in mentis contemplatione firmitatem, niſi accedant momenta alia, & rerum circumſtantiæ immutentur. Addamus tamen aliqua. Primum in allatis ſummorum Pontificum definitionibus fruſtra appoſita fuiſſet regula illa juris, *In dubiis pars tutior eſt eligenda*, ad præſcribendum iis, qui mente fluctuantes ignorabant quid ſibi in praxi foret agendum, certam morum ſuorum regulam: nam ii ſpeculative dubii erant, non practice. Deinde ſi ad conſcientiæ rectitudinem ſufficiat actus reflexus, quo mens practica judicet licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, nunquam eveniat caſus, in quo tranſgredi poſſimus regulam illam juris, quandoquidem quiſquis actu operatus, ſe determinat judicio practico ad opus; ideoque dummodo actu reflexo dicat ſibi fas eſſe eligere quod lubet, etiam præſiſtente dubitatione induet bonam certamque conſcientiam. Inſuper actus ille *reflexus* vel cadit ſuper opiniones menti obverſantes, vel ſupra ipſarum objectum, vel ſupra libertatem aut voluntatem omnium pro libito eligentem. Si actu reflexo judico utramque opinionem eſſe probabilem, judicium illud firmum, & certum quidem eſt, ſed me ab eligendo opinionem contrariam præcepto debet magis removere; ſiquidem judicio ipſo magis in dubitationem trahor, cum aperte percipiam utramque opinionem pugnare invicem, & in alterius electione inveniri evidens erroris & peccati periculum. Si autem judicio reflexo judicetur objectum honeſtum eſſe, dum de hac honeſtate mens titubat, eſt judicium imprudens, nec ductum rationis ſequitur, ſed ſubjicitur errori, quoniam ratio ob conflictationem opinionum utrinque pendet. Quod ſi cadat reflexio ſupra libertatem ac voluntatem operantis: quid eſt aliud aſſerere reddi conſcientiam certam per actum reflexum, niſi forte dicere, Etiamſi ſpeculative dubii ſimus, certum eſt nos minime peccare, dummodo dicamus, Cum liberi ſimus, facere poſſumus quicquid libet? Deinde juxta traditam Auguſtini doctrinam, peccat qui certis incerta præponit: atque qui approbat falſa pro veris. At judicio reflexo Probabiliſtæ præponere poſſunt tanquam certa quæ incerta ſunt, & approbare falſa pro veris. Igitur poſſunt peccare, & errare. Præterea judicii reflexi certitudo innixa eſt illi Probabiliſtarum principio, *Licet operari ſecundum ſententiam probabilem*, hoc autem incertum eſt, & quod inter nos diſputatur. Dum ergo inquiunt haberi conſcientiæ certitudinem per judicium reflexum, certitudinem incertitudine fulciunt, & reſpondentes per id quod eſt in quæſtione principium repetunt. Ad hæc judicium reflexum non inducit ignorantiam ſaltem invincibilem judicii directi & oppoſiti paullo ante in opinionum conflictu menti obverſantis: quomodo ergo poterit operantem immunem reddere a culpa, ſi falſæ opinationi practice præſtet aſſenſum? Denique judicium illud reflexum vel innixum eſt probabili opinioni operantis, vel probabilitati alienæ: ſi probabilitati operantis, aut is ſuſpendit judicium directum de actionis inhoneſtate, & hæc ſuſpenſio, quoniam voluntaria eſt, ipſum imprudentiæ ac negligentiæ condemnat: aut librat momenta, quæ inhoneſtatem illam ſuadent; & impoſſibile eſt, quod efformetur judicium reflexum de operis honeſtate, ſi hanc non evincant majoris ponderis argumenta. Propriæ itaque probabilitati nequit inniti judicium reflexum firmum ac certum. Sed neque probabilitati alienæ; etenim hæc intellectum movere poteſt auctoritate ac ratione æquali, aut præponderanti comparate ad auctoritatem, quibus directe probabilitas propria fulcitur. Si æqualis ſit probabilitatis alienæ ratio vel auctoritas, adhuc judicium anceps, & fluctuans erit, nec me probabilitas aliena poterit ad judicium practicum permovere. Si vero apparebit auctoritas & ratio præponderans, fiet una opinio altera probabilior. Vide Logiſticam Ægidii Eſtrix Jeſuitæ. Recte etiam in Ode Parænetica ſæpe laudatus Joannes Blanchet:

Directa honeſti regula præminens
Sit norma agendi: judicio exteri
Te ſtare prudenter vetabo,
Ni ratio comitata præſit:
Ne tu reflexo judicio impotens
Incumbe: inani fretus arundine
Mergere caligantis averno
Tartareis tumulandus undis.
Suſpenſa mentis libra licentiæ
Nil te juvabit: nullaque flexio
Obliqua tollet, nec protervos
Ingenii reparabit auſus.

Demonſtratur præterea propoſitio ex doctrina D. Thomæ: qui citata Quæſt. XIV. de Veritate art. 1. docet intellectum non moveri, *niſi a duobus, ſcilicet a proprio objecto quod eſt forma intelligibilis, & a voluntate, quæ movet omnes alias virtutes*: ait aliquando ita moveri ut non inclinetur magis ad unam, quam ad alteram partem contradictionis vel propter defectum moventium, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & hanc eſſe *diſpoſitionem dubitantis*: aliquando inclinari ad unam partem potius, quam ad alteram, ſed tamen dubitare de oppoſita, & hanc eſſe *diſpoſitionem opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius*: aliquando adhærere omnino uni parti, atque id quandoque eſſe ab intelligibili, quandoque a voluntate; ſi ab intelligibili, eſſe *diſpoſitionem ſcientis*, ad quam requiritur vel ut cognoſcantur principia immediate in ſe, quod pertinet ad intelligentiam, vel mediate atque evidenti demonſtratione ex iiſdem principiis deducta, quod ſcientiæ proprium eſt: ſi denique ab auctoritate tantum, ita ut voluntas præbeat aſſenſum firmiſſimum, etiamſi intellectus non moveatur ab intelligibili ſive immediate per cognitionem primorum principiorum, ſive mediate per evidentem demonſtrationem, *eſſe diſpoſitionem credentis*. Hæc eſt illius articuli ſumma: ex qua primo ſequitur in concurſu duarum opinionum æque probabilium, nullam in intellectu eſſe diſpoſitionem, niſi dubitantis, propter apparentem æqualitatem rationum moventium ad utramque partem. Sequitur etiam neutram opinionem in hypotheſi eſſe veram opinionem probabilem, quoniam animus æque inter duas fluctuans non inclinatur in unam partem contradictionis potius, quam in alteram. Sequitur pariter non poſſe in opinionum iſtarum conflictu haberi judicium certum, quum nequeat intellectus ad aſſenſum alterius determinari evidenti ratione, vel firmiſſima auctoritate. Sequitur poſtremo judicium illud practicum ac certum, quod tantopere jactitant adverſarii, pendere a ſola voluntate, eaque levi, & ad malum damnabiliter inclinata, quum nec rationis lumen ſequatur, neque irrefragabilem auctoritatem.

Quamquam laudatus, atque in epitomen redactus articulus ſatis Sancti Thomæ mentem patefacit; ſunt tamen alia loca complura, ac pervulgata, quæ probabiliſmum aperte revincunt, præſertim Quodlib. VIII. art. 13. & Quodlib. IX. art. 15. ubi quærit an ſit licitum habere plures præbendas. In quorum locorum uno ſcribit valde periculoſum eſſe determinare ſententiam dicere: *Quia Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis inveniuntur contraria ſentire*; in altero autem ait: *Si ille, qui poſſidet plures præbendas, in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & ſi manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam ſalutem*. Et ne quis reponat agere beatum Thomam de conſcientia dubia, non de probabili, per quam inducitur quædam perſuaſio recti atque honeſti, penſitanda ſunt quæ ibidem docet Angelicus. *Dicendum eſt ergo*, inquit, *quod quando duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur a peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam. Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur, ita quod vere licet habere plures præbendas, & tunc diſtinguendum eſt, quia aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic iterum peccat contra conſcientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet ſcientiam de contrario, ſed certitudinem, ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & ſic ſi manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, &c.* Igitur qui operatur ex conſcientia probabili, vel ſequitur falſam opinionem, & peccat quia agit contra legem, neque excuſari poteſt ob invincibilem ignorantiam quæ tunc non adeſt: vel ſequitur opinionem veram, & in conflictu duarum opinionum, quum non habeat talem certitudinem, quæ omnem formidinem excludat, item peccat, quia ſe exponit peccandi periculo: ideoque ne peccet, neceſſum eſt ut opinio quam ſequitur ſit adeo probabilis, ut ex oppoſita in nullam dubitationem adducatur, prout docet ibidem S. Doctor. Verum quod nequeat id contingere ſtantibus duabus opinionibus æque probabilibus, res per ſe loquitur. Recte itaque ponderata hac S. Thomæ doctrina ait Amadeus Guimenius: *Hæc ſi vera ſunt, væ operantibus ex opinione probabili*. Vide Ubigant, Contenſonum, & Guerrerum in Confut. Probabiliſmi. Lege & Philippi Cancellarii Pariſienſis miſerrimum exitum apud eumdem Guerretum Tom. 1. pag. 42. Argumenta a ratione in ſuperioribus theſibus producta ſunt.

PROPOSITIO IV. Nefas pariter eſt, ſequi opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate in concurſu opinionis probabilioris, quæ ſtet pro lege.

Hanc theſim confirmant, ut liquet, omnia argumenta præcedentia, magiſque corroborant quæ conſequuntur. Ac primum ei robur addunt Scripturæ, cum Eccli. XIX. 4. legimus: *Qui credit cito, levis corde eſt*. Matth. VII. 14. *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam!* Lucæ XXI. 36. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ ventura ſunt, & ſtare ante Filium hominis*. Profecto qui laxiorem ac minus probabilem ſententiam amplectitur, Doctoribus varia tradentibus aſſentitur facillime, imo iis tantum, qui auribus ſuis ſerviunt, accommodat auditum; ideoque levis eſt corde, incautus, nimis credulus, ac ſuipſius palpo, & ſeductor. Viam quoque ſalutis unicam, & arctiſſimam fingit ſibi pluribus diverticulis inſtructam, ac planiſſimam ampliſſimamque: quod adeo verum eſt, ut Caramuel haud veritus ſit ſcribere in Th. Fundament. pag. 549. poſt exortum probabiliſmum multas opiniones eſſe probabiles

quæ

quæ antea non erant, & jam homines non peccant, cum antea peccarent, eo quod omne probabile a peccato excuſet. Ita ne Apoſtoli, Patres, antiquiores Theologi, Chriſtus ipſe, ignorarunt quomodo arduum ſalutis iter complanarent, compellentes conſcientiam infirmam ad aſſiduam ſolicitudinem, ad vigilantiam, ad preces, ad iter arripiendum laboris timoriſque pleniſſimum? Si fas eſt ſimilia effutire; cui bono deſervit aut ſtudium moralium diſciplinarum, aut orationis frequentatio, quum abſque ulla ingeniorum tortura, & abſque implorato ſupernæ colluſtrationis munere poſſit magna cum tranquillitate conſcientiæ unuſquiſque æternam ſalutem aſſequi, dummodo agat quod videtur ſibi veriſimile, perlegatque ad ſummum auctorem aliquem maxima comitate præditum? At de hoc argumentorum genere Sinnichius, Wendrokius, Gonet, L'Herminier, ac Merbeſius ſuperius laudati.

Argumentum alterum promitur ex lib. 1. Clement. tit. 1. ubi diſſentientibus Theologis in ea quæſtione, an pueri in baptiſmo ſimul cum remiſſione peccatorum gratiam habitualem recipiant, etſi nonnulli verum negarunt ob ratiocinationes non prorſus ſpernendas, ait tamen ſummus Pontifex Clem. V. *ſecundam ſententiam tamquam probabiliorem, & doctrinis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, ſacro approbante Concilio* (Viennenſi) *duximus eligendam*. Lemovicenſe quoque Concilium pertractans de Officio S. Martialis, definit *neceſſum eſſe, ut ſemper juſtior, & rationabilior pars prævaleat*, dum cultus aliquis Sancti decernitur. Eamdem regulam in ſecernendis Scripturis Canonicis tradit S. P. Auguſtinus lib. II. de Doct. Chriſt. cap. 8. docens *eas, quæ ab omnibus recipiuntur Eccleſiis, præponendas eis, quas quædam non accipiunt; in iis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponendas eas, quas plures gravioreſque recipiunt, eis, quas pauciores minoriſve auctoritatis Eccleſiæ tenent*. Diffiteri non poterunt adverſarii juxta Eccleſiæ ſtatuta, Sanctorumque documenta, in Scripturis recipiendis, in dirimendis controverſiis, in Eccleſiæ ritibus ſtatuendis probabiliorem ſententiam eſſe minus probabili præferendam. Cur idem in formandis moribus non erit accurate ſervandum?

Tertium argumentum ſit. Si liceret ſequi opinionem minus probabilem, quotieſcumque infidelis aliqua probabilitate ductus ad fidem Chriſtianam ſibi probabiliori ratione propoſitam accedere detrectaret, eſſet ab infidelitate excuſandus: & fas eſſet Judici veriſimili ratione permoto damnare reum, quem firmiores conjecturæ abſolvendum eſſe monſtrarent. Enimvero uterque probabili opinioni ſeſe accommodaret. At proſcriptæ fuerunt ab Innoc. XI. propoſitiones illæ: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*; &, *Probabiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem*. Quid ad hæc Probabiliſtæ? Præcavendum eſſe grave incommodum, ac damnum illatum proximo? At mihi magis pertimeſcendum ſempiternum animæ interitum, quam temporale proximi exitium, præſcribit lex, commonſtrat ratio, præcipit caritas, communiſque ſenſus enuntiat.

Proximum argumentum ſuppeditant cenſuræ latæ adverſus ſententiam oppoſitam. Ludovicus enim de Gondrin Archiepiſcopus Senonenſis die 3. Septembris anno 1658. coacta ſeptingentorum virorum Synodo, omnium plauſu ac ſuffragiis declaravit, *doctrinam quæ cenſet fas eſſe, neglecta probabiliore & tutiore, ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam..... falſam & periculoſam eſſe, & innumeris corruptelis viam aperire*. Eodem anno die 24. Octobris Antiſtites, Alectenſis, Apiamenſis, Convenarum, Vaſatarum, & Conſeranorum non tantum proſcripſere celebrem Caſuiſtarum Apologiam, verum etiam, quod ſummopere notandum eſt, declararunt ejuſdem Apologiæ auctorem tam abſurda ſcripſiſſe innixum illi principio, *Que de deux opinions probables on peut choiſir celle, qui a moins de probabilité*. Pari jure Epiſcopus Lexovienſis in Cenſura anno proximo 1659. eamdem Apologiam confixit, quoniam probabilitati, quæ eſt laxitatum omnium ferax parens, innititur: *La Probabilité* (inquit Gallice) *qu'on peut appeller la mere funeſte de toutes les autres erreurs des Caſuiſtes*. Archiepiſcopus Bituricenſis ipſammet Apologiam damnans, eamdem probabilitatem errorum ſcaturiginem eſſe demonſtravit in ſua Cenſura die 6. Februarii ejuſdem anni 1659. *La vraye regle, que ſuivent le Caſuiſtes, enſeigne que deſlà que une opinion eſt probable, elle eſt ſi aſſeurée, qu'on ne court point riſque de ſe damner en la ſuivant: on peut s'arreſter à un opinion, quoy qu'elle ſemble moins probable q'une autre*. Vide Cenſuras alias quamplurimas apud Merbeſium P. 1. Summæ Chriſtianæ quæſt. 36. & Antonium Charlas in Diſput. de Opinionum delectu cap. XVIII. Atque in eis adverte non ſolum Apologiam damnari ob opinionum laxitatem, ſed etiam aſſeri hujus laxitatis fontem eſſe principium illud, *Licet ſequi opinionem minus probabilem, &c.* In hujus rei confirmationem demonſtrare poſſem, quomodo omnes morum corruptelæ ex libris Probabiliſtarum prodierint; uberrimam enim ſegetem præbent ad hoc evincendum Epiſtola V. & VIII. Ludovici Montaltis, Chriſtianus Alethophilus in Artibus Jeſuiticis a cap. 55. uſque ad 166. Germanus Philalethes Opuſculo V. cap. 5., & ne rigidiores iſtos, & forte Janſeniano fermento conſperſos, ac ſeſquihæreticos commemorem, Nicolaus L'Herminier Tom. V. pag. 113. & ſeq. ubi recenſet abſurda, in quæ prolapſus eſt. Probabiliſtarum anteſignanus Caramuel, ac Gonetus ſtilum acuens in tertio hujus diſſert. articulo adverſus laxitates ejuſdem Caramuelis, Tamburini, Sancii, Dianæ, Bauni, aliorumque; necnon Vincentius Contenſonus in Probabilitatis Commento cap. 2. ſpeculat. 2. Verum cum omnis homo mendax ſit, atque obnoxius errori, ab his ſuperſedeo, ratus ſufficere ad malorum germinum perditionem, ſi ſecuris admoveatur radici.

Quintum argumentum petitur a veterum Theologorum conſpiratione: de qua ſatis multa in Prænotatis, atque præcedenti propoſitione II.

Argumentum ſextum rationi ſubnixum eſt. Cumque multiplex poſſit ratio ſuccurrere, illam iterum urgebimus, qua adducimur ad operandum prudenter: imprudentiſſime enim ſe gerere, qui ſequitur opinionem minus probabilem, oſtendunt momenta plurima. Ac primo, quid eſt prudentia? Illam ſupra ex Auguſtino definivimus, quod ſit eligendorum, & rejiciendorum diſcretio, ſive affectio animæ, qua percipimus æterna ſuperiora eſſe, temporalia autem inferiora. Conſentit Cicero ſcribens in 1. de Officiis: *Prudentia, quam Græci φρόνησιν dicunt, eſt rerum expetendarum, fugiendarumque ſcientia*. Hujus munus præcipuum eſt ſagaciter ſeligere *ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur*, ait S. Pater lib. 1. de Morib. Eccl. Cath. Cap. XV. n. 25. Si aligantur temporalia & inferiora, eſſe prudentiam carnis, quæ teſte Apoſtolo inimica eſt Deo, non prudentiam ſpiritus præfigentem ſuperiora, ſcita idem Auguſtinus demonſtrat Q. LXVI. num. 6. inter 83. Etiam Ariſtoteles in libro Magnorum Moral. cap. 33. ait, *Prudentiæ ac prudentis eſt optima expetere, eaque ſemper ſibi proponere & aſſectare: at aſtutiæ & aſtuti fuerit conſectare*. Peto nunc: Qui ſequitur opinionem minus probabilem, abjicitque probabiliorem, ſeligit optima? Minime. Præponit ſibi ſuperiora? Minime. Diſcernit accurate inter res expetendas ac fugiendas? Minime, inquam. Eſt itaque maxime imprudens. Deinde, ut Comitolus demonſtrat lib. V. Reſponſ. Moral. Q. 15., imprudens & ignarus eſt, qui eligit longius abeſſe, quam propius accedere ad veritatem: qui in morum diſciplina obſtruit ſibi viam indagandæ veritatis: qui ſponte a ratione diſcedit: qui judex conſtitutus, pluribuſque teſtibus auditis, ſequi mavult eorum teſtimonium, qui minus veriſimilia depoſuere. At ſi probabiliori ſententiæ præfers minus probabilem, eligis longius abeſſe a veritate, quoniam quod eſt minus veriſimile magis a veritate divellitur: præcludis tibi aditum ad veritatem inveniendam, quia via expeditior veritatis eſt veriſimiliora ſectari: diſcedis ſponte a ratione, quum abjicias quod magis rationi eſt conſonum; & quaſi pro tribunali veritatis ſedens cauſſam definis teſtimonio fretus deteriori, nam contrariis de eadem re argumentis acceptis minus veriſimilia præfers veriſimilioribus. Quomodo ergo non eris ſcelerate ignarus, imprudens, ac infrunitus? Mitto quæ ſæpe repetita ſunt, de peccati, cui te committis, periculo.

Poſtremum argumentum promitur ab exemplo. Doctrina eſt Vaſquezii inter Probabiliſtas celeberrimi, eoque auctore ab omnibus approbata, medicum peccare, ſi applicet medicamenta, de quibus dubitat, utrum ſint profutura, vel nocitura, eo quod in dubiis tutior ſit tenenda pars. Ceterum ſi medicus probabili opinione ſua, vel aliorum medicorum credat medicamentum magis profuturum, quam nociturum, nec magis certum ſuppetat remedium, poterit illud adhibere; ſatis enim prudenter ſe gerere videtur, ſi ſciens ægrotum moriturum adhibeat ei aliquid, quod quamvis non certo, probabiliter tamen ſit profuturum, tametſi nocere fortaſſe poſſit. Si vero ſit aliud remedium citra opinionem magis certum, illud debet adhibere; alioquin præcepto non ſatisfaciet, quo debet ſubvenire proximo. Hæc, atque eiſdem plane verbis Gabriel Vaſquez 1. 2. diſput. LXV. cap. 4. Dicant modo Probabiliſtæ, quare hæc prudentiæ, & æquitatis regula non ſit in cura animarum ſervanda? oſtendant cur major adhibenda ſit ſolicitudo in curatione corporis ægrotantis, quam in dirigenda interioris hominis valetudine? demonſtrent delectu opinionis minus probabilis, dum ſuppetit tutior, nullum afferri animæ nocumentum: negent quod nec Ciceronem latuit De finibus 5., *Ut medicinam valetudinis, ſic vivendi artem eſſe prudentiam*. Hæc adverſus Probabiliſmum ſatis ſunt, cum quatuor hæ poſitiones ſeſe invicem valide communiant, & momenta unius fulcimentum alterius corroborent.

CAPUT XV.

Expediuntur Probabiliſtarum argumentationes.

DILUENDA nunc Adverſariorum objecta præcipua; quorum primum fabricari poteſt ex iis Scripturarum ſanctarum locis, in quibus Dei præcepta dicuntur jucunda, levia, & obſervatu facillima. Ita Pſ. CXVIII. 39. *Judicia tua jucunda*. Matth. XI. 30. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*; & Epiſt. 1. Joan. V. 3. *Mandata ejus gravia non ſunt*. At præcepta Chriſtianæ legis gravia aſ-

ſent,

ſent, & jugum Domini ſervile, nimis ponderoſum, & collo excutiendum, ſi neque fas eſſet libertati indulgere, & benigniorem ſententiam probare. Abeat ergo rigida Antiprobabiliſtarum, qui id inficiantur, ſententia.

Reſpondetur recte dici jugum Domini ſuave, & mandata levia atque jucunda, etſi nobis juxta divina eloquia, per anguſtam portam intrandum ſit, orandum ſine intermiſſione, noſmetipſos abnegandum, & quemadmodum monent Apoſtolicæ Epiſtolæ, cum carnales ſimus venumdati ſub peccato, ingemiſcamus in hoc tabernaculo gravati, colluctationem habeamus adverſus carnem & ſanguinem, & nos exhibere debeamus ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in caritate non ficta. Sed, inquis, quomodo ſub tanto onere jucunditas, ac facilitas? Multa quidem, neque ob unam duntaxat cauſſam. Primum leve eſt onus Chriſti comparate ad præcepta legalia, quibus abrogatis, ut inquit Auguſtinus Epiſt. 118. nunc 54., *Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem novi populi colligavit*. Deinde leviſſimum eſt ob ſpem magnæ retributionis, quæ cor noſtrum allicit & inclinat, cum non ſint condignæ paſſiones hujus ſæculi ad futuram gloriam; unde ait idem Auguſtinus Serm. 182. de Tempore: *Jugum diſcipulis Chriſti obedientiæ merito eſt ſuave, cui ſervire eſt regnare*. Leviſſimum præterea eſt, quoniam non timore, ſed amore ad hanc legem ſervandam pertrahimur, accipientes ſpiritum adoptionis, non ſervitutis: quare ipſemet Auguſtinus de Perf. juſtit. cap. 10., *Laborant*, inquit, *in Dei præceptis, qui ea timendo adimplere conantur; ſed perfecta caritas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam non ſolum non opprimentem onere ponderum, verum etiam ſublevantem vice pennarum*. Inſuper perleve eſt iſtud onus, eo quod ſatis ſit ad ſalutem capeſſendam, ubi vires & facultates non ſuppetant, bona voluntas, cum e contra in mundi amore nil ſolo cordis deſiderio acquiratur præter torquentem animum anxietatem: quare idem Auguſtinus ait lib. VI. de Muſica cap. 14. *Laborioſior eſt hujus mundi amor, quam Dei*. Tandem, ne omnia perſequar, ſuave eſt jugum Domini, quia *ipſe adjuvat ut fiat quod imperat*; inquit idemmet S. Pater Serm. XCVI. cap. 1. & de Nat. & Grat. cap. 69. *Et ipſo, quo firmiſſime creditur Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*. Vide quam bene his conſentiat Tridentinum Concilium ſeſſ. VI. cap. 11. Hæc itaque veriſſimæ cauſſæ ſunt, cur mandata non ſint gravia, cur jugum ſuave, cur onus leve.

Et quidem ſi divinæ legis æquitas & jucunditas plenam nobis in opinionum diſcrepantia relinqueret libertatem, levis magis ac lenior foret, ſi permitteret etiam in dubiis, imo & in noxiis atque illicitis agere quicquid lubet; &, quod horrent Chriſtianæ aures, ſuavior eſſet lex concupiſcentiæ, quam ſpiritus. Levior eſſet, ſi nos ad inquirendam veritatem nequaquam adigeret, quod tamen omni adhibita diligentia, pro negotii qualitate ac magnitudine, faciendum eſſe Adverſarii non diffitentur, ut Thomas Sanchez lib. 1. Sum. cap. 6. n. 36. & Gabriel Vaſquez 1. 2. diſput. 123. cap. 2., etſi decipiantur, dum ajunt quæſitum ſatis de veritate, ubi adinventa ſit aliqua ratio probabilis ac veriſimilis. Longe gravior quoque fuiſſet lex Chriſtiana priſcis Eccleſiæ temporibus, dum fideles hæc moralis Theologiæ rudimenta ignorabant; ac dura, graviſque Doctorum omnium ſententia per ſæcula retroacta. Statera denique ad dignoſcendum quid gravius, quid levius ſit, eſſet humana ratio rerum veriſimilitudine obducta, ſibique placens ac illicitis inhians arbitrium. Sed quid tam multa ad futilem, ineptamque argumentationem? Neganda eſt minor. Ait eo loci Joannes: *Hæc eſt enim caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus*: & Auguſtinus cit. cap. de Nat. & Grat. *Quomodo eſt enim grave, cum ſit dilectionis mandatum? Aut enim quiſque non diligit, & ideo grave eſt; aut diligit, & grave eſſe non poteſt*.

Opponunt deinde regulam Cæſarei Juris 171. *In pari cauſſa poſſeſſor potior haberi debet*. Et alteram num. 11. in VI. Decret. *Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori*. Ex quarum prima Probabiliſtæ ita arguunt: Stat homo in poſſeſſione ſuæ libertatis: igitur in pari opinionum conflictu, penes ipſum eſt eligere quod magis libet. Similiter ex altera regula ratiocinantur: Judex in ferendis ſententiis non debet reo pœnam præſcribere, dum in ſuo foro incertus eſt de delicto. Ergo neque in foro conſcientiæ damnari aliquis debet, niſi certa ſint patrati criminis argumenta; ideoque immunis a reprehenſione eſt qui habet rectitudinis ſuæ opinionem aliquam veriſimilem.

Reſpondetur has, quibus ſententiam ſuam Adverſarii munire ſtudent, juris regulas nullum in hac quæſtione fulcrum ipſis ſubſternere. Nam de priori regula Gabriel Vaſquez, quamvis inter Probabiliſtas percelebris, 1. 2. diſp. 65. cap. 3. ait, locum habere ſolum in materia juſtitiæ, alioquin in omni dubio fas eſſet eligere partem minus tutam, quod valde abſurdum eſt. Deinde quis, niſi inſigniter audax, adverſus Deum, ejuſque legem objiciat titulum poſſeſſionis? Rurſus, ſi hic regula iſta advocanda eſt, poſſeſſio ſtabit pro Deo, ejuſque lege, quæ ſempiterna ac inviolabilis eſt, non pro humana libertate nobis Dei munere collata, ut merito obedientiæ eidem legi ſubjiciamur. Item nullum habet opinio probabilis jus poſſeſſionis adverſus probabiliorem ac tutam, quæ adverſariorum conſenſione probatur ab antiquioribus omnibus, ſuiſque oppugnatoribus ſemper obſtitit. Præterea hæc eadem regula in decretal. VI. n. 65. legitur, *In pari delicto vel cauſſa melior eſt conditio poſſidentis*, ibique Gloſſa exemplum affert Titii volentis repetere pecuniam ob ſtuprum inferendum datam virgini, actoriſque repetentis a corrupto judice nummos. Ad hæc non tenet regula ipſa, neque par eſt cauſſa, quando emergit ex una parte peccandi periculum; in Cap. enim *Significaſti*, de homic. definitur Sacerdotem habendum eſſe tamquam irregularem, tametſi incertum ſit an ejus ictu occiſus interierit, & quamvis ille habeat ſacrorum poſſeſſionem: atque in Cap. *Dominus*, de ſecundis nuptiis, decernitur ut mulier, quæ fruitur ſecundarum nuptiarum poſſeſſione, ſi dubitet de morte prioris conjugis, non poſſit a viro, quem poſſidet, debitum exigere conjugalem. Tandem jus civile præſcribit duntaxat ea, quæ ſpectant externam politiam, civiumque concordiam, neque interioris fori animorum quoque pravitatem damnantis ſibi arrogat auctoritatem. Ad primum itaque, nego antecedens; quandoquidem in duarum opinionum conflictu, neque par eſt cauſſa, cum in altera adſit peccandi periculum: neque objicere poteſt humana libertas adverſus legem Conditoris ſui titulum poſſeſſionis; neque patrocinandum eſt eis, qui adverſus Legiſlatorem intendunt actionem.

Alterum legis pronunciatum, *Cum ſunt &c.* definit judicem non poſſe pœnam ordinariam, & impoſitam pro certo ac determinato delicto, infligere reo, quem certe non conſtet delictum illud perpetraſſe: id vero minime locum habet, ſi pœnæ ſit annexum præceptum aliquod abſtinendi ſe a certo genere officii ac operis, qualis eſt *irregularitas* arcens delinquentem a miniſterio altaris. Si enim miniſter committat peccatum, etiamſi certo non conſtat de delicto, irregularis cenſendus eſt, & debet a miniſterio altaris recedere, quando eidem peccato canones pœnam irregularitatis præſcripſerint. Ita laudatum Caput *Significaſti*, & ipſe Vaſqueſius 1. 2. diſput. 66. cap. 7. Adde diſparem eſſe rationem de Judice in foro externo adverſus reum pœnam decernente, & de interno conſcientiæ foro: quam diſparitatem affert Gloſſa doctrina deprompta ex D. Thoma 2. 2. q. 60. art. 4. *Ubi* (inquit) *non apparent manifeſta indicia, debemus alios reputare bonos, quia contemptum, & nocumentum alteri non debemus afferre, niſi cauſſa cogente: at circa nos ipſos dubia interpretari in malam partem, ſecundum illud Job, Verebar omnia opera mea; quia cum debeamus malis noſtris adhibere remedium, expedit ut ſecurius remedium apponatur, ſupponere id, quod eſt deterius*. Hæc Gloſſa ad Cap. *Ex parte*, de ſcrut. Quare ad ſecundum argumentum neganda eſt conſequentia, propterea quod nec tenet regula illa juris ubi adeſt peccati periculum, nec eadem externi ac interni fori habenda eſt ratio. Accedit cenſendum eſſe homini tutiorem ſententiam, ſicuti honeſtior eſt, ita utiliorem, benigniorem, jucundiorem, ac libertati magis conſentaneam; quoniam ſuavitas caritatis præferenda eſt cuilibet voluptati, & libertas ſpiritus libertati malum agendi, quæ potiori jure dici debet ſervitus, quam libertas. Dum ergo dicimus tenendam eſſe tutiorem partem, propugnamus ſententiam, quæ filiis, qui aguntur ſpiritu Dei, videri debet ſtare pro libertate, & ad finem, in quem tendunt, facilius pertrahens; quod colligitur etiam ex Divo Thoma 2. 2. q. 147. art. 2. ad 3. Atque his productæ juris regulæ colluſtrantur, exponuntur, ac retorquentur.

Inſuper objiciunt quædam reſcripta Pontificum. Innocentius III. Cap. *Literas*, de Reſtit. ſpoliat. interrogatus a Gerardo Archiepiſcopo Bituricenſi quid agendum de muliere, quæ non expectato Eccleſiæ judicio receſſerat a marito opponens impedimentum conſanguinitatis, & viri ſævitiam, recitatis ſententiis oppoſitis, ac mediam eligens, inquit: *Nos autem ad præſens nullam de prædictis ſententiis reprobamus, nec cuiquam illarum aliquod præjudicium ex noſtra reſponſione volumus generari*. Declaravit ergo Innocentius fas eſſe utramlibet opinionem ſectari. Alexander III. in IV. Decret. Tit. XI. de Cognat. ſpiritual. cap. 2. quærentibus, *An vir, aut mulier, ſi ſcienter vel ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperint, debeant propter hoc ſeparari*, reſpondit: *Quamvis generaliter ſit conſtitutum, ut debeant ſeparari: quidam tamen humanius ſentientes, aliter ſtatuerunt: ideoque nobis videtur, quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi*. Alexander itaque ſecutus eſt opinionem benigniorem ſtantem pro libertate conjugum, etſi altera communior eſſet, ac probabilior. Etiam Cæleſtinus III. in IV. Decret. Tit. XV. cap. *Fraternitatis*, excuſat ſententiam Epiſcopi Altiſiodorenſis, qui ſeparaverat Odoardem mulierem a viro, per errorem probabilem: *Sententiam divortii* (inquit) *per errorem licet probabilem novimus eſſe prolatam*:

ideoque

ideoque cenſet ſummus Pontifex minime damnandum, qui probabili opinione ductus falſum approbat.

Reſp. his Reſcriptis egregie ſententiam noſtram firmari. Innoc. III. cit. Cap. *Literas*, laudat primum Epiſtolam Lucii III. relatam eodem tit. de Reſt. ſpoliat. qua decrevit reſtituendam eſſe mulierem e viro violenter expulſam exceptione conſanguinitatis, non expectata ſententia Judicis Eccleſiaſtici; nec adeſſe periculum inceſtus, quoniam mulier ſi habet notitiam impedimenti, nequit debitum petere, ſi non habet notitiam petere valet, nec minus reddens graviter peccat, quia obedit Eccleſiæ, cujus judicio facta eſt reſtitutio. Hæc ſententia non ſtet pro libertate, ſed pro lege de indiſſolubilitate matrimonii: non enim Pontifex permittit, ut mulier pro ſuo libito petat debitum, ſed jubet, ne e marito divellatur impedimento non comprobato, ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Affert deinde Innocentius oraculum Clementis III. quæ quærentibus an mulier quemdam in virum petenti, qui ut eam repelleret exceptionem conſanguinitatis objecit, prius eſſet prolata ſententia jungenda viro, an prius de impedimento eſſet agendum; reſpondit primum eſſe cognoſcendum de exceptione conſanguinitatis, e qua altera quæſtio perimitur. Atque oraculum iſtud ſtat pro lege prohibente inter conſanguineos matrimonium, non pro libertate. Dum ergo Innocentius ait nolle ſe, ut reſponſione ſua prædictis ſententiis generetur aliquod præjudicium; vult ſemper tenendam eſſe opinionem ſtantem pro lege: & ſententias Lucii, & Clementis egregie conciliat, quod *Lucii Papæ mandatum ad poſſeſſorium, reſponſum vero Clementis ad petitorium referatur*. Ita poſt verba, quæ objiciuntur. Deinde non ait Innocentius, Poteſt Iſemberga reſtitui ſpoliato juxta Lucii decretum, non debet juxta reſponſum Clementis, ideoque licet facere utrumlibet: minime. Definit mulierem, quæ conſanguinitatis habet certam notitiam, non poſſe viro abſque peccato commiſceri: decernit illam, ſi habet pareiat probationes conſanguinitatis, reſtituendam non eſſe; ſin autem, ad reſtitutionem Eccleſiaſtica cenſura compellatur, quia præſumitur contra eam, eo quod ſine judicio Eccleſiæ ſue tantum temeritate a viro diſceſſerit: reſtituta tamen deneget tori conſortium, donec probationes afferantur, & tunc abſolutione petita ſecundum *formam* Eccleſiaſticam abſolvatur. Igitur Innocentius non opinionem mulieris pro ſua libertate probabili ratione pugnantis definivit eſſe tenendam, ſed opinionem ſtantem pro lege matrimonii, & ſtatuente conſanguinitatis impedimentum. Neque hoc tantum Reſcripto ſententiam noſtram confirmavit Innocentius; ſed etiam Cap. *Inquiſitioni*, de ſent. Excommunicat. de quo ſupra. Ad primum itaque neganda eſt conſequentia.

Quod ſi objiciat, Cur ergo cum Lucius, tum Innocentius mandarunt conjugi de impedimento conſanguinitatis ancipiti reddendum eſſe debitum; niſi ſat ſit ſequi opinionem probabilem? Reſpondeo, quare præceperunt, ut redderet quidem, ſed poſtulare non auderet, tametſi pulſet ipſius animum conſanguinitatis exceptio, & conſcientia non ex credulitate levi ac temerarie, ſed *ex probabili atque diſcreta*? Tenetur reddere debitum, inquit Innocentius, ne peccet *contra legem conjugii*: & Lucius, *Ut obediat Eccleſiæ, cujus judicio facta eſt reſtitutio*; quod perinde eſt, ac ſi diceris, quia præferenda eſt ſententia quæ ſtet pro lege conjugii: a contra petere nequaquam poteſt, *Ne contra judicium conſcientiæ committat offenſam*; nimirum, quia conſcientia pulſans animum *ex credulitate probabili* non excuſat a culpa, neque cum tali conſcientia fas eſt ſequi opinionem ſtantem pro libertate. Nobis ergo non tantum ſuppetiat, ſed & auxilia Adverſarii ipſi ſubmittunt.

At quid de Reſcripto Alexandri? Statutum erat definitione Papæ Deuſdedit relata etiam a Luithprando in ejus Vita, ut mulieres, quæ in ſabbato Paſchæ filios ſuos levarent de baptiſmo, ſepararentur, dotem reciperent, & poſt annum nuberent alii marito. Quam hæc generalis conſtitutio difficilis ſit, tradunt Juriſconſulti omnes, ac noſter Baſilius Poncius lib. VII. de Matrim. c. 40. Sive de ſponſis & conjugibus ſit ea definitio *diſtributive* accipienda, ita ut conjuges ſeparentur, ſponſi autem nec matrimonium contrahant, eo quod ſpiritualis cognatio ſit impedimentum conjugii, ut liquet ex canone 53. Trullano, aliiſque decretis poſterioribus; ſive ſenſus ſit, ſeparandos eſſe tantummodo pœnitentiæ tempore, eoque tranſacto permittendum illis conſortium tori, nihil attinet ad quæſtionem in qua verſamur. Certiſſimum eſt, quod ſi conjuges filium ſuum e ſacro fonte ſuſceperint ſeu propter ignorantiam, neſcientes jure conſanguinitatis, & cognationis ſpiritualis, ſeu propter malitiam, ut poſtea ea exceptione utantur ut viciſſim dividantur, minime ſeparandos eſſe, ut habetur in cap. *De his*, in Reſcripto Nicolai Papæ. Certiſſimum quoque eſt poſſe Pontificem hujuſmodi in caſu diſpenſare, ac diſpenſationis legitimam cauſſam eſſe, ſi contineri non valeant. Itaque Alexander jure meritoque non obſtante generali conſtitutione Papæ Deuſdedit, ſequutus eſt ſententiam aliorum Prædeceſſorum, qui *humanius* ſtatuerunt cum his diſpenſandum, quod utique præſtare poteſt Pontificis auctoritas; atque ſequutus eſt ſententiam probabiliorem Nicolai ſtantem pro lege matrimonii, eamdem firmiſſimam rationem ibidem afferens, *Quia ſi ex ignorantia id factum eſt, ignorantia eos excuſare videtur; ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari vel dolus*. Ac propterea τὸ *humanius alii ſtatuerunt*, ad Pontifices, qui pro ſua auctoritate humaniter ad vitandam conjugum incontinentiam in factis iſtiuſmodi diſpenſarunt, apertiſſime eſt referendum: aut cum Oſtienſi, & aliis Canoniſtis ſubſellii non infimi dicendum eſt idem eſſe *humanius*, ac *rationabilius & æquius*. Nego itaque Alexandrum III. opinionem minus probabilem fuiſſe ſequutum.

Expendamus & caput *Fraternitatis*. Epiſcopus Antiſiodorenſis celebrabat divortium Odoardis a viro, poſteaquam non potuit ab ipſo carnaliter cognoſci diu cum eodem morata; nec hoc contentus experimento ab utroque conjuge manifeſtato, volens habere certitudinem pleniorem, matronas providas honeſtaſque evocavit, diſtricte illis injungens ſub periculo animarum, ut Odoardem prudenter inſpicerent an idonea eſſet ad viriles amplexus: quæ in fide ſua conſtanter aſſeveravere, quod ea mulier non poterat eſſe mater, aut conjux. Quare Epiſcopus morali certitudine detegens impotentiæ impedimentum Odoardem ſejunxit a viro. Accidit poſtea, ut hujuſmodi impedimentum, quidquid cauſſæ fuerit, nullum dignoſceretur; & Cæleſtinus pronunciavit matrimonium Odoardis cum primo viro validum extitiſſe, affirmans ſententiam divortii latam fuiſſe ab Epiſcopo per *errorem probabilem*. Ea propter error hoc loci *probabilis* dicitur, non quod fuerit ex conſcientia opinativa, ſed quod innixus fuerit argumentis olim moraliter certis, tametſi poſtmodum evanuerunt: unde extat in illo Capite, *Sententiam divortii per errorem licet probabilem novimus eſſe prolatam, cum pateat ex poſt facto, quod ipſa cognoſcibilis erat*. Atque ita corruunt argumenta omnia ab Adverſariis ex Jure Canonico, & Romanorum Pontificum Reſcriptis deprompta. Nam quod opponit Caramuel Epiſtolæ IV. adverſus Fagnanum Romanos Pontifices diſpenſaſſe aliquando in voto ſolemni caſtitatis, nec non e vinculo matrimonii rati; id nullam habet vim ad infringendam ſententiam noſtram, quum ſemper præſtiterint quod ſibi certo perſuaſum erat non excedere collatam ſibi divinitus auctoritatem.

Urgent præterea S. P. Auguſtini loca nonnulla. Ac primo S. Pater lib. I. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. IV. in eoque Opere frequentiſſime excuſat S. Cyprianum, quod ſequutus fuerit ſententiam de rebaptizandis hæreticis: quam indubitatum eſt fuiſſe minus probabilem. Rurſus in lib. de Adulterinis Conjugiis cap. 26. laudata opinione aliquorum, qui tenebant baptizandum non eſſe Catechumenum in mortis articulo conſtitutum, nec Sacramentum petentem, dicentes obſervandum quod dixiſſe Dominum legimus *Nolite ſanctum dare canibus*: hac opinione repudiata ait S. Pater: *Etiamſi voluntas ejus incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam, volenti negare*. In quibus ſequitur opinionem minus probabilem, atque repugnantem Scripturæ. Denique Epiſtolæ ad Hieronymum XIX. nunc 82. num. 3. ait Auguſtinus ſe verum putare quod in aliis Auctoribus legit, *non quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia vel per auctores Canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt*. Probabilis itaque ratio, etiam ab Auguſtino extorſit aſſenſum.

Reſp. ad I. S. Patrem eo loci num. 28. excuſare Cyprianum 1. *quia erat filius pacis Eccleſiæ*, ideoque pro falſo dogmate non violata caritate pugnabat. 2. quia ſanguine abſterſit maculam *ſi qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepſerat*. 3. quia ei conſenſere octingenti ferme Coepiſcopi, *neque plenarii Concilii ſententia quid hac in re ſequendum eſſet totius Eccleſiæ conſenſio firmaverat*. Addit lib. IV. cap. VI. num. 8. exemplum Petri qui coegit Gentes judaizare, non omnino irreprehenſibiliter, ut idem Auguſtinus demonſtrat in Epiſtolis ad Hieronymum. Videtur etiam lib. I. contra Creſconium cap. XXXII. num. 38. in dubium revocare an revera Cyprianus cenſuerit hæreticos iterum baptizandos: quod Vir noſtri ævi doctiſſimus, (cui tandem nondum plane aſſentimur) erudita diſſertatione Cyprianum non ſenſiſſe contendit. Nego itaque Auguſtinum aſſerere, quod Cyprianus ſequendo opinionem minus probabilem omnino inculpate ſe geſſerit. Deinde, quamquam beatus Cyprianus erripuit rationes potius veriſimiles quam veras, & inſpexit conſuetudinem ſolius Africæ ſub Agrippino paucis ante ſe annis inductam, ut inquit S. P. Auguſtinus lib. IV. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. VI. num. 8. nihilo tamen minus viſum Cypriano non incertam ac veriſimilem, ſed veram certiſſimamque ſententiam a ſe propugnari. Enimvero Epiſtolæ ad Januarium, aliosque Numidiæ Epiſcopos ſcribit ſe promere ſententiam, *non novam, ſed jam pridem ab anteceſſoribus ſtatutam*; ac in Epiſt. ad Quintum affirmat ſe duci *conſenſu, & auctoritate communi*. Putabat quoque invictiſſimam eſſe rationem illam, quam affert in Epiſt. ad Jubajanum, & in Epiſt. ad Stephanum, ſcilicet, quod *in Eccleſia hæreticorum, ut fides, ita aqua ſit mendax*: atque adeo Cyprianus ex patrio more, ex conſenſu Epiſcoporum, ex Agrippini Concilio, & ex ratione, quæ ſibi invictiſſima videbatur, induebat conſcientiam moraliter certam: aut forte putabat dogma de Rebaptizandis hæreticis ad diſciplinam

nam

nam tantum pertinere, quum non deſint Theologi, qui tenent tranſiiſſe illud in dogma fidei poſt Synodum Tridentinam; ideoque tanto ardore Cyprianus pro diſciplina Eccleſiæ Africanæ pugnavit. In his autem, quæ ad ſolam diſciplinam pertinent, poteſt quiſque pro more Eccleſiæ ſuæ decertare. Hæc itaque pro Cypriano.

In libro autem de Adul. conjugiis docet Sanctus Pater Auguſtinus tenendam eſſe opinionem probabiliorem, & Catechumenum baptizandum, demonſtrans in illo locum non habere Dominicam ſententiam, *Nolite ſanctum dare canibus*; quemadmodum non habet locum in pueris, qui propriam nequeunt exprimere voluntatem. Ait enim: *Etiamſi voluntas ejus incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare; ubi velit, an nolit ſic non apparet, ut tamen credibilius ſit eum, ſi poſſet, velle ſe potius fuiſſe dicturum ea ſacramenta percipere, ſine quibus jam credidit non ſe oportere de corpore exire*. Et ibidem, *Quamvis petere ſibi baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint, proſit eis, quod eorum in fide Chriſtiana jam nota voluntas eſt*. Quod ſi oppoſitam ſententiam tenentes non damnat, hoc ideo eſt, quoniam iis videbatur certa, & Domini præcepto cohærens: ac proinde etiam hoc loco S. Pater probabiliſmum oppugnat, quum doceat Catechumenum illum baptizandum, quia id eſt probabilius; excuſetque ſentientes contrarium, quod eis probabilius proculdubio apparebat.

Pariter in Epiſtola ad Hieronymum S. Pater Probabiliſtarum commenta refellit. Eo enim loci docet *ſolis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, hunc timorem honoremque deferendum, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime* credendum ſit. Quomodo ergo fas eſt opinioni cujuſque Theologi *junioris* abſque ulla formidine adhærere? Docet *alios ita* legendos, *ut quantulibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum* putandum ſit, *quia ita ipſi ſenſerunt; ſed quia vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt*. Quomodo ergo dum animum pulſat adverſa opinio, licet ob quamlibet auctoritatem ei contraire? Docet nec Hieronymi libros ſic legendos, tamquam Prophetarum vel Apoſtolorum, *de quorum ſcriptis quod omni errore careant dubitare nefarium eſt*. Quomodo ergo abſque hæſitatione approbem quicquid Caramuel, Diana, Tamburinus, aliique ſcripſerunt? Ita ſemper ex Adverſariorum conflictu honeſtiſſime triumphos agimus. *Probabilem* vero rationem, quam contraria nequeat labefactare, & quæ a veritate non abhorreat, etiam nos dicimus inculpatam: ac propterea diu in uno vocabulo non verſabimur.

Inſuper objiciunt aliorum Sanctorum teſtimonia. Leo Magnus in altera Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem ait: *In his, quæ dubia fuerint, vel obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Evangelicis, nec decretis ſanctorum Patrum invenitur adverſum*. Ergo ſat eſt, inquiunt, ſi opinio probabilis, quam ſequimur, ſacris Scripturis, ac Patrum documentis non ſit contraria. S. Thomas Aquinas citato articulo 13. Quodlib. VIII. concludit: *Si ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, ſic nec committit ſe crimini, nec peccat*. Itaque dummodo conſcientia dubia non ſit, ſed probabilis, etiam in conflictu diverſarum opinionum cenſenda eſt recta. S. denique Antoninus 1. p. tit. 3. cap. 10. ait: *Qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione peccat mortaliter. Sed ſi dubitet leviter quis per modum ſcrupuli agendo contra tale dubium non peccat, dum adhæret opinioni alicujus doctoris; & habet rationes probabiles pro ipſa magis, quam pro oppoſita opinione, &c.* Laudator & Antonini reſponſum, quod liceat ſequi quamcumque opinionem, dummodo ſit *magni alicujus Doctoris*.

Reſpondetur ad 1. veriſſimum eſſe quod ſcribit S. Leo in dubiis eligendam eſſe opinionem, quæ non adverſetur Evangelicis præceptis, ſanctorumque Patrum decretis; ſed non inde ſequitur licitum eſſe operari dum conſcientiam pulſat dubium, graviſque ſuſpicio; alioqui recta foret etiam conſcientia fluctuans ac dubia, quod nullus aſſerit. Unum Magnus Leo hic jubet, ſupponit alterum. Jubet ne ſequamur opinionem, quæ ſacris literis, ac Patribus invenitur adverſa: ſupponit nos ſatis operæ locaſſe in veritatis inquiſitione, & percepiſſe nullum eſſe peccati periculum in opinione, quam ſequimur; quod in conflictatione duarum æque probabilium fieri non poteſt. Imo præcipit, ut æqua lance libratis iis quæ libertati obſequuntur, & iis quæ divina lege interdicuntur aut jubentur, ad hanc tantum mores noſtros componere ſtudeamus. *Quis conſcientiæ ſuæ* (inquit ſerm. XI. de Quadrag.) *aut tam gratioſus, aut tam imperitus eſt arbiter, qui ignoret quid a ſe auferri, aut quid in ſe oporteat augeri? .... Non ergo per omnia ſibi placeat, nec ſe ſecundum carnis oblectamenta dijudicet, ſed omnem conſuetudinem ſuam in divinorum præceptorum lance conſtituat, ubi cum alia jubeantur ut fiant, alia interdicuntur ut non fiant, juſta ſe trutinabit examine, qui vitæ ſuæ mores ex utriuſque ponderis comparatione penſaverit*.

S. Thomas citato articulo aperte, ut vidimus, probabiliſmum oppugnat; ait enim, quod faciens contra legem non excuſatur a peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam. Si vero eligat opinionem veram & legi conſonam, docet nullum committi peccatum, dummodo contrariæ opiniones in dubitationem non inducant; quoniam tunc non operatur contra legem, neque contra conſcientiam. Itaque per S. Thomam eligens opinionem contrariam legi, etſi probabilem, peccat. Deinde ſi eligatur etiam opinio vera, inducatur tamen ex contrarietate opinionum dubitatio, adhuc peccatum committitur, quia homo eligendo temporalia ac libertati conſona, exponit ſe peccandi periculo, ut ibidem docet Angelicus. Nego autem ex opinione aut probabiliori, aut æque probabili dubitationem hanc non induci. At legatur citatus articulus. Id unum aliquam parit difficultatem, cur falſam opinionem eligens ex invincibili ignorantia non peccet, quum faciat contra legem, ſi verum eſt, quod ait Thomas, *Illud, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod eſt ſecundum conſcientiam*. Hoc verſat adverſus Mercorum Wendrockius, & adverſus Gennettum Philalethes; quibus paullo infra curabimus ſatiſfacere.

Petitum ex S. Antonino argumentum nullius eſt roboris, I. Quoniam loquitur eo loci de conſcientia ſcrupuloſa, quam ex levi motivo prodeuntem commonet eſſe deponendam; non de conſcientia gravi momento innixa, ac probabili. II. Quia dum exigit neceſſarium eſſe ad peccatum vitandum, ut qui adhæret opinioni alicujus Doctoris, habeat *rationes probabiles pro ipſa magis, quam pro oppoſita*, aperte damnat æque probabilem, aut minus probabilem ſtantem pro libertate. III. Quia ibidem ad bonam conſcientiam has conditiones requirit, ut qui tenet unam partem alicujus opinionis, habeat pro ſe notabiles doctores, ut talis opinio non ſit contra auctoritatem expreſſam ſacræ Scripturæ, nec contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ, ut ex contrarietate opinionum non inducatur ad dubitandum, ut formet ſibi bonam conſcientiam, & credulitatem de eo quod credit, tamquam de probabiliori parte, ut denique inquirat an ſufficienter moveatur ad hoc quod eſt licitum. Hæ conditiones aperte demonſtrant S. Antoninum nonniſi tutiorem ac probabiliorem ſententiam probare: unde L'Herminier ait perperam, & frivole nobis Antoninum objici; illumque adverſus Probabiliſtas laudant non ſolum Contenſonus, Charlas, aliique Probabiliſmi Oppugnatores, verum etiam Sanchius lib. 1. in Decalogum cap. 9. Addit Wendrockius nihil uſitatius Caſuiſtis, quam Antonini ſenſus aſpernari, cujus hoc loco opponunt auctoritatem. At apertum eſt, ab Antonino recedere etiam Wendrockium ipſum, aliosque rigidiores, qui negant fas eſſe ſequi ſententiam probabiliorem: quibus non aſſentimur. Reſponſum vero, quod tribuitur Antonino ſive Alberto Magno, ſi tamen genuinum eſt, quod negant complures, tenet eodem pacto pro conſcientia ſcrupulis agitata, non pro dubia ac probabili; alias Antoninus ſecum pugnaret, atque ipſum Reſponſum proſcriptum eſſet una cum propoſitionibus relatis Theſi 1. capitis præcedentis.

Opponunt prætereà argumenta plura deprompta a ratione: quorum primum ſit. Poteſt a Theologis propugnari abſque ullo periculo erroris ac deceptionis opinio minus probabilis, qualis eſt in ſententia noſtra de Gratia efficaci a conſenſu, & de ſufficientia attritionis ad gratiam in Sacramento recipiendam: imo cautum eſt Apoſtolicæ Sedis decreto, ne Theologi ſimilia tradentes aliqua cenſura notentur. Igitur etiam in praxi opinionem minus probabilem ſequi poſſumus.

Reſpondeo antecedens laborare æquivocatione; nam complures Theologi propugnant opiniones, quæ aliis ſunt minus probabiles; ſed nullus Theologorum eas opiniones amplectitur, aliiſque tradit niſi quæ ſibi videntur probabiliores. Sit in exemplo: Qui tenent gratiam efficacem eſſe a conſenſu, veriſimilius eſſe putant, quod gratia ab intrinſeco ſuis efficax libertatem evertat; & qui ajunt attritionem ſufficere, putant hanc Tridentinorum Patrum mentem fuiſſe. Igitur antecedens verum eſt, ſi minus probabile accipiatur pro eo, quod tale videtur aliis, non pro eo quod tale apparet ſibi ipſi. Quare argumentatio hæc retorquetur: Etiamſi Doctor defendat ac tradat opinionem reprobatam ab aliis; non tamen, ſi prudens ac verax ſit, aſſenſum præbet eidem opinioni, neque eam propugnat, niſi videatur ſibi aut certa, aut ſaltem veriſimilior. Igitur quamvis nonnulli ſequantur in praxi opinionem minus probabilem aliis; id tamen caute ac prudenter non faciunt, niſi eadem opinio aut irrefragabilis, aut ſaltem probabilior ipſis appareat. Si autem opiniones Scholarum ad fidem, moreſque non ſpectent; latiſſima quoque occurrit diſparitas: nempe quia diſputamus de opinabili, ut a veriſimili trahamur in agnitionem veritatis: ſed nefas eſt opinative operari, ne imprudenter in peccatum labamur. Appoſite S. Thomas Quodlib. III. articulo 10. *Dicendum quod diverſæ opiniones Doctorum ſiquidem non pertineat ad fidem, & bonos mores, abſque periculo auditores utramque opinionem ſequi poſſunt; tunc enim habet locum quod Apoſtolus dicit ad Romanos, Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat. In his autem, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excuſatur ſi ſequatur opinionem alicujus Magiſtri: in talibus enim ignorantia non excuſat*.

Sit

Digitized by Google

Sit argumentum aliud. Si debeamus eligere opinionem probabiliorem, poſſumus etiam eligere minus probabilem; quum enim ſit omnium fere Theologorum ſententia quod fas ſit ſequi minus probabilem, pars, quæ docet licere ſequi minus probabilem, eſt probabilior.

Huic argumentationi, quam urget in Apologemate Caramuel, abunde in Prænotatis ſatisfecimus. Cedo mihi auctorem unum antiquum ante annum 1570., qui ſcripſerit licere ſequi minus probabilem: demonſtra magnam recentiorum partem pro meliori cauſſa, ac ratione validiori, quæ auctoritati præferenda eſt, decertare: proferas vel unius ex noſtratibus palinodiam. Sed ea, quæ ibidem proſequutus ſum, non repetam. Tria addam quam breviſſime. Primum contingere aliquando ut magna Eccleſiæ pars non ſolum in moralibus diſciplinis, ſed etiam in fidei dogmatibus exorbitet a veritate: quo in caſu accedendum eſt ſaniori parti, inquirenda veritas, vitandum peccati periculum, & cavendum ſedulo, ne ſequamur turbam ad faciendum malum. Alterum quod non omnes, qui ſtare videntur pro opinione probabili, revera ſubſcribunt Probabiliſtis; nam vel probabila ita accurate deſcribunt, ut non ſit talia quicquid non innititur momentis validioribus: vel loquantur de opinionibus ſtantibus utrinque pro lege; vel exigunt conditiones paullo ſupra ex Antonino enumeratas; vel apponunt hypotheſim, ſi opinio in probabilitate perſiſtat, quod fieri nequit in conflictu opinionis æque probabilis. At de his lege Contenſonum in Vindiciis Thomiſtarum, Du-Hamelium Tom. IV. pag. 400., & ipſum Terillum Probabiliſtam quæſt. XXIX. & XXXII. de Conſcientia. Tandem ex noſtro antecedenti: *Debet eligi opinio probabilior*, ſi recentiores Caſuiſtæ redderent ſola auctoritate nominis ſui opinionem magis probabilem, ſequeretur quod non ſolum liceat ſequi minus probabilem, ſed etiam quod non liceat ſequi probabiliorem. Quis autem ita deſipit, ut id non licere pronuntiet? Non ergo tribuit opinioni majorem probabilitatem caterva contradicentium.

Proximum argumentum ſit. Qui ſequitur opinionem probabilem prudenter ſe gerit, ſequitur enim opinionem conformem rectæ rationi, & exiſtimationi virorum prudentum: talis quippe eſt opinio quæque probabilis. At non peccat qui prudenter ſe gerit. Non ergo peccat qui ſequitur opinionem probabilem. Præterea opinio probabilis gravi momento eſt innixa: ſufficit ergo ad moralem certitudinem conſtituendam. Rurſus etiam in conflictu opinionis contrariæ remanet opinio ſuis rationibus ſuffulta, atque præſidio auctoritatis munita; poteſt ergo a viro prudente extorquere aſſenſum. Rurſus in concurſu alterius nulla opinio probabilis cognoſcitur falſa; remanet ergo abſolute probabilis, & ad mores dirigendos idonea.

Reſpondeo hæc omnia jam a nobis fuiſſe pleniſſime refutata. Ad primum itaque nego majorem, ſi loquamur de opinione probabili in æqualis, aut probabilioris conflictu; tunc enim ex multiplici titulo deprehenditur imprudentia: primum quia non expenditur opinio oppoſita, non inquiritur veritas, & voluntas non a ratione æqua lance librata, ſed a ſeipſa inconſiderata flectitur ad agendum: deinde, quia adeſt peccati periculum, mens ex contrarietate opinionum in dubitationem inducitur, & cum opiniones oppoſitæ conſimili momento nituntur, nequit recte inter falſitatem ac veritatem diſcerni: tandem quia dum abjicitur opinio ſtans pro lege, non ſeliguntur ſagaciter optima, inferiora ſuperioribus præponuntur, & non habetur accurata eligendorum ac rejiciendorum diſcretio. Nego itaque majorem. Ad ſecundum nego antecedens, ſi loquamur de opinione in alterius occurſu: non eſt enim momentum grave, cui aliud ejuſdem ponderis contraponitur, nec opinio apta eſt ad moralem certitudinem animo ingenerandam, niſi ſuffulta ſit validioribus, quibus trahamur, momentis; ut dictum ſupra, & confirmatum ab Eminentiſſimo Gotti Tom. VII. Th. pag. 298. Quod ſequitur faciliorem habet ſolutionem; nam in conflictu opinionis contrariæ, licet quæ ſtat pro libertate remaneat probabilis vel in ſe, aut in mente aliorum; non remanet tamen probabilis in mente operantis, qui hinc, inde veritate opinionum diſtrahitur: ac regula morum non eſt aliena conſcientia, ſed propria. Poſtremi argumenti nulla eſt conſecutio; nam in conflictu duarum opinionum æque probabilium, etſi neutra cognoſcatur aperte falſa, utraque tamen cognoſcitur contraria alteri probabiliter veræ: quod ſat eſt, ut nequeat una alteri prudenter præferri, & in regulam regendorum morum adſumi. Atque id a fortiori dicendum eſt, ſi opinio, quæ abjicitur, ſit probabilior.

Rurſus objiciunt. Sententia affirmans quod liceat ſequi opinionem probabilem, qua talem, ab Eccleſia proſcripta non eſt, ac traditur a viris doctrina ac morum probitate conſpicuis. Cur ergo illam ſequi inculpate non poſſumus? Ad hæc ſi opinio appareat probabilis, non erit ſacris literis, ac doctrinæ Patrum contraria; ac proinde provide poterit teneri.

Ad primum reſpondetur jam ab Eccleſia definitum, quod non liceat ſequi opinionem tenui probabilitate innixam, ut vidimus Cap. præced. propoſit. prima: tenuis autem evadit probabilitas, quando ab æquali, vel majori oppugnatur; ideoque licet ſententia quorumdam recentiorum non ſit expreſſe damnata, ex alia damnata rejici debet ac repudiari: nam quod ex falſa directe ſequitur, falſa merito reputatur, ut liquet ex regulis, quas in XII. de Locis Canus præſcripſit. Quamquam ſilentium Eccleſiæ nos ad inquirendam abſque diſſidio veritatem impellit, non eſt autem dirigendorum morum exacta regula: alioqui opinio alicujus junioris cenſenda erit probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe tamquam improbabilem ab Apoſtolica Sede: quod eſt damnatum ab Alexandro VII. prop. 27. Ad alterum liquet ex dictis, in opinionum conflictu, quamvis neutra appareat adverſa Scripturæ aut Patribus, unam tamen apparere contrariam alteri, quæ probabiliter Scripturæ ac Patribus eſt conſentanea, atque id ſufficit, ne illa poſſit prudenter eligi, tametſi vel in ſe, vel in aliorum mente ſit veriſimilis, ac probabilis.

Inſuper opponunt. Nullum dubium in praxi pulſat conſcientiam probabilem, quum judicio *reflexo* induat moralem certitudinem; neque adeſt peccandi periculum, niſi forte *materialiter*, quum ignorantia, ſive ſit invincibilis, ſive eorum quæ ſcire non debemus, excuſet a culpa. Corruit ergo quælibet adverſus Probabiliſmum machinatio.

Reſpondeo certitudinem illam ex judicio *reflexo* exortam eſſe deceptionem ſingularem; ac dum pulſant animum opiniones contrariæ ignorantiam nullam adeſſe, niſi culpabilem, cum occurrat probabilis opinio contraria, ac præcepto conformis, quam pleniſſima libertate repellimus, ac propterea non *materialiter* tantum committit peccatum, ſed & *formaliter*. At de his ſupra.

Adhuc objiciunt. Nonne opinione tantum probabili utuntur Medici, dum deſperata ægroti valetudine adhibent remedium, quod fortaſſis arceſſit mortem? Idem faciunt in belli diſcrimina duces exercitus: idem in cauſſis forenſibus judices, idem in conducendis mercibus inſtitor ac tabernarius. Te, antiprobabiliſta, appello. Si tibi ſint duo nummi aurei, Italicus, & Hiſpanicus, æque probati rectique ponderis, nonne potes utrumque impendere, aut viciſſim a debitore recipere? At utrique opinioni probabili ſuum, quemadmodum nummo aureo, ſtat pondus.

Reſpondeo his exemplis probabiliſmum everti; nam Medicos, niſi probabilius medicamentum adhibeant, graviter peccare vidimus ex Vaſquaſio: ac idem de ductoribus exercituum, aliiſque dicendum eſt. Si aliquo in caſu minus probabile eligant; id erit minus probabile in re, & ex parte *objecti*, non in mente operantium; alioqui gerent ſe admodum imprudenter. Si unum ſit quod eligant, illos excuſabit neceſſitas: ſi plura occurrant, in quo periculum viderint, illud vitabunt; ſi malum utrinque impendeat, fugient deterius: ſi neutra ex parte infortunium immineat, agant, ſi adſit par ratio, quod lubet. Atque ita, ſi utraque opinio ſit legi conformis, cum in nulla poſſis legem tranſgredi, amplectere utramlibet. At ſi altera prohibeat opus, quod aggrederis, nec ulla re adigat agendi neceſſitas; qua prudentia illam ſua probabilitate munitam abjicies? Quod ergo Medicum in corporis valetudine curanda, id tu agere ſtudeas in ægritudine animi. Adverte aliud eſſe eligere probabilia & errori obnoxia, aliud id facere ex ſententia probabili, dubiiſque jactari. Si prudenter eligas quod male vertat, immunis eris a culpa; ita enim Medicus, ita belli imperator, ita mercatores excuſantur. At ſi imprudenter eligas, & varia opinatione diſtractus, nullam habebis excuſationem. Apage ſis cum aureis nummis. Hiſpanicum probatioris auri repones in marſupio, Italicum minus fulgidum, niſi utrumque recondere valeas, iſtud erogas: ſi a debitore exhibitum opinaris aut adulterinum, aut amſum, probum petis, ac ponderas in libræ lance. Hoc pacto tene probabiliorem ſententiam, dimitte minus probabilem; & dum plures contrariæ occurrunt, obſerva quanti pendant, & rejice minus tutam.

Argumentantur ulterius. Prudens exiſtimatur qui litem ſuam uni Juriſconſulto committit, qui ægrotans Medicorum unum percelebrem advocat, & qui unius præceptoris doctrina imbuitur, qui unum Parochum, aut unum Confeſſarium frequenter adit.

Reſp. Immo in cauſſis magni momenti plurimos conſulis, nec acquieſcis ſententiæ unius; & poſt contrariam ſententiam ad ſuperiorem Judicem provocas. In corporis pariter ægritudine nonne expetis plurium medicorum conſilium? Id ergo magis expedit facere, ne patiaris animæ detrimentum. Non damno tamen, ſi uni probo, doctoque viro te dirigendum committas, ejuſque præceptionibus obedias, dummodo Deum depreceris ut mentis tuæ tenebras diſcutiat, & ſupernæ illuſtrationis tibi donum impertiatur, & dummodo traharis, non cupiditate, ſed caritate, habenſque conſcientiam rectam non diverbereris opinionum conflictatione; ac denique, ſi hæc inſurgat, quæras ſagaciter veritatem, ſtudeaſque legem præponere libertati.

Denique opponunt Probabiliſtæ. Tenentur Religioſi viri, imo & Catholici omnes ex opinione probabili interdum ſibi regulam morum præſcribere. Religioſi quidem viri, quia poſteaquam ſe obedientiæ voto obſtrinxerunt, ſi eis Superior præcipiat quod ipſis minus probabile appareat, dum non conſtat eſſe peccatum, tenentur adimplere

præceptum. Fideles item univerſi colere debent diem feſtum Conceptionis Deiparæ, quam ſine originaria labe fuiſſe conceptam fert opinio tantum probabilis. Quod ſi probabilitas ſat eſt ad ſtatuendum cultum religionis, ac publicam Eccleſiæ feſtivitatem; multo magis ad regendam privatam conſcientiam erit ſufficiens. Denique ſi non ad tenendam opinionem probabiliorem adigamur, neceſſum quoque erit eligere tutiorem, atque ita omnes cucullem induent, aut capiens genus aliud vitæ aſperrimum atque duriſſimum, ni velint abripi in gehennam. Antiprobabiliſtæ igitur ſunt erga religioſos homines, erga Cultores Deiparæ, erga probos conjuges, omnemque popularium ordinem nimium rigidi.

Reſp. probum ac bene moratum religioſum poſſe ad Superioris præceptum prudentes exuere dubitationem, quam præconceperat; imo debet deponere judicium ſuum, animadvertens ſuperiores gerere Dei vices, & pro nobis vigilare, quaſi rationem pro animabus noſtris reddituros, ac memoria repetens, quod ait Dominus: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Vide Suareſium lib. vi. de legib. cap. 8. & Thyrſum Gonzalez Diſſert. xiv. Religioſus itaque judicio proprio depoſito jam induit opinionem probabiliorem ac certam moraliter. Quod ſi adhuc præcedentis opinionis momento valido premeretur, poſt adhibitas preces exploratamque conſcientiam, nego quod poſſet ea repugnante cujuſvis hominis mandatum exequi.

Ad ſecundum plura in Notis ad literas Montalti Wendrockius. Ait Caramuelem, Theophilum Rainaudum, aliosque Probabiliſtas aſſerere quod nequeat in dubium revocari, quin intemerata Virgo potius abſque maculæ concepta fuerit: etiam Alexandrum VII. declaraſſe opinionem illam religioſam ac piam: certiſſimum eſſe, quod cultus beatæ Virgini ſit exhibendus, & celebranda gratiæ beneficia divinitus ipſi collata: recoli propterea in Conceptionis ſolemnitate ſanctificationem Deiparæ, quocunque tandem momento peracta ſit: eos, qui ſibi certo perſuadent Virginem ſine labe conceptam, duci in recolenda Conceptione ſententia, quæ ſibi probabilior eſt, atque ex hoc capite nihil argumentum convincere; ſi quis ſentiat oppoſitum, hunc venerari Deiparam, ſed non ei de tam eximio gratiæ privilegio ex corde plaudere, non defectu devotionis, ſed potius affectu ſinceritatis, ne ſimulate illi congratuletur: hunc ad ſummum Conceptionem ſolemni ritu celebrare ſub tacita conditione, ſi nimirum revera ſit Dei mater tam ſingularis gratiæ munere condecorata. Neceſſarium non arbitror, ut hæc minutatim revocentur ad trutinam: etenim ſi Pontifex decrevit religioſam ac piam eſſe ſententiam, quod Virgo concepta ſit abſque macula originali, indixitque ob hanc rem feſtum diem; quidquid ſit de facto, quod in quæſtionem nefas eſt revocare, jam redditur probabilior decreto ipſo ſententia affirmans Conceptionem Virginis colendam eſſe; ſive privilegium iſtud conſequuta fuerit, & æquum ſit illud concelebrare: ſive res ambigua ſit, ac non debeat in dubio ad factum, non ad jus pertinente, hac veneratione privari Dei Genitrix glorioſiſſima; cui nemo mortalium *digne valet jura gratiarum, ac laudum præconia rependere*, ut ait Auctor ſermonis 18. de Sanctis, inter Opera Auguſtini.

Ad poſtremum reſponſio eſt facillima: ſi enim opinio minus tuta ſit probabilior; qui illam ſequitur prudenter ſe gerit, quum moveatur ratione firmiſſima: ideoque non ſe exponit peccandi periculo. At in opinione minus probabili contingit oppoſitum. Si tamen opinio ſit tuta in ſe, qualis eſt ſententia probans conjugium, viamque laicalem, ſed alicui videretur, ob ſui conditionem, proximumque diſcrimen obnoxia peccati, haud dubium, quod is debeat amplecti arctioris vitæ inſtitutum, niſi ſuppetat alia ratio vitandi peccatum. At de his, quæ expedita fuerunt in prænotatis, nunc attentate preſſeque diſſeruimus.

CAPUT XVI.

An in aliis judicandis, aut dirigendis ſequi poſſimus opinionem minus probabilem.

EXCISA fallax probabilitatis doctrina protulit mala quædam germina, quæ ſimul cum illa evelluntur ac diſſipantur. Ex eo enim, quod unicuique licet ſequi minus probabilem opinionem, collegerunt poſſe virum Theologum aliis proponere ſententiam, quam ſibi falſam eſſe perſuadeat, dum illam aliquis doctor propugnet: licere laico varios adire Confeſſarios, donec inveniat qui reſpondeat ad ejus libitum, ſi afficiatur firmo animo nihil gerendi conſcientiæ probabili adverſum; debere Confeſſarium abſolutionem impendere pœnitenti ducto opinione probabili, quam idem Confeſſarius improbabilem putet, tametſi nolit pœnitens ſuam opinionem deponere. Hæc inter Probabiliſtas tradidere Laymanus Th. Moral. lib. i. Tract. i. cap. 5. §. 2. Caſtropalao lib. i. Tract. 1. diſp. 2. p. 3. Sanchez lib. i. Decalogi cap. 9. Bonnius Tract. iv. q. 13. & cum aliis plurimis Eſcobarius lib. 2. n. 113. Sunt quidem hæc omnia hactenus refutata: quum enim debeamus præcepto caritatis diligere proximum ſicut nos ipſos, quod vidimus nobis non licere, nec aliis fas erit proponere. Brevi tamen & hæc ſingillatim excutiamus.

PROPOSITIO I. Non licet viro Theologo ex ſententia, quam ipſe oppugnat, cenſetque minus probabilem, alteri conſilium dare, tametſi non ignoret eamdem ſententiam tamquam probabiliorem ab aliquibus propugnari.

Traditur hæc veritas in veteri, novoque Teſtamento. Malachias enim cap. 2. verſ. 7. inquit: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt*. Angelus ſacerdos dicitur, quaſi nuncius juſſorum Dei, & præceptorum, quæ illi Dominus proponit, interpretator ac præco. Non ergo requirentibus ex ore ejus legem, & quid ſibi agendum ſit conſulentibus, gerit ſe tamquam Angelus Domini, ſi nunciat ea, quæ non audit, atque adverſus conſcientiam ſuam inſtruit ignaros. Deinde Apoſtolus in ii. ad Corinth. cap. 1. ait Apoſtolici muneris decus eſſe evangelizare ex fide, & juxta intimos conſcientiæ ſenſus: *Nam gloria noſtra hæc eſt* (inquit verſu 12.) *teſtimonium conſcientiæ noſtræ*; atque hoc teſtimonium inde comprobat, quod Corinthiis loquutus fuerit *in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei*, ſcilicet ſincero animo, tamquam Deo ſpectante atque audiente. Addit verſu 17. *Numquid levitate uſus ſum, aut quæ cogito ſecundum carnem cogito, ut ſit apud me Eſt, & Non?* Levitatem appellat conſuetudinem illorum, qui aliud habent in animo, aliud in ore; ſuadet enim Corinthiis ſe habuiſſe ſinceram voluntatem ad illos redeundi: & quaſi mirabundus, quod ipſum vanum mendacemque haberent, *Numquid* (ait) *eſt apud me Eſt, & Non?* Numquid ore affirmo, quod negem animo? Exhibet ſenſum hunc Græca phraſis, qua Paulus utitur, *ναὶ, ἢ ὀ*, quæ tranſiit etiam, auctore Feſto, in proloquium. Qui ergo juxta conſcientiam ſuam non inſtruit plebem levis eſt corde, quia habet *Eſt* in labiis, & *Non* in pectore; atque vituperat Apoſtolicum miniſterium, quia non comprobat diſpenſationem doctrinæ teſtimonio conſcientiæ. Idem Apoſtolus ad Epheſios iv. 25. jubet, ut loquatur *veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo; quoniam ſumus invicem membra*. At veritatem non loquitur, qui illam occultat, imo aliorum dicta, quæ putat falſa, ut blandiatur diſcipulis peritiſſime, & callidiſſime venditat.

Addamus explicationis, non convicii gratia, Evangelica exempla. Pilatus credidit Chriſtum inſontem eſſe, et Phariſæorum invidia traditum: illum autem damnarunt Pontifices, tamquam blaſphemum, & Scribæ omnes tamquam populi ſubverſorem, & jura Cæſaris invadentem. Ergo ſi fas ſit juxta aliorum opinionem ſententiam dicere, & definire veritatem; Pilatus rectus fuit judex, præſertim cum Chriſtum ſupplicio addixerit, non ad unius accuſationem, ſed omnibus legiſperitis affirmantibus malefactorem eſſe, & univerſo populo conclamante, *Reus eſt mortis*. Eſt ergo Pilato deterior, qui firmiſſime tenens hoc licitum eſſe, illud illicitum, ob opinionem aliorum, nec communem, tamen tanta aſſertione firmatam, adverſus conſcientiam ſuam contrarium pronuntiat. Exemplum iſtud ingenioſe tractat in hac Quæſt. Merbeſius P. 1. Summæ Chriſt. q. 32. Ac aliud ego proferam nequaquam adverſariis injurioſum. Chriſto explorante fidem Apoſtolorum Mat. xvi. 13. & interroganti, *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* nonnulli referunt aliorum opiniones duntaxat, dicentes: *Alii Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis*. Atque ita reſpondentes nec laudari video, nec reprehendi. Dum vero ait illis Chriſtus: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Petrus non humanæ intelligentiæ ambiguitate, ſed firma confeſſione reſpondit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*: promeruitque ſingularem laudem, quia illum terrena opinio non fefellit. Quod ſi reſpondiſſet, *Chriſtus eſt Elias*, juxta aliquorum hominum opinionem, nonne merito fuiſſet reprehenſus? Si ergo a re fidei morumque doctrinam petentibus reſpondeas hoc Bannius docet, illud Veſquesius, iſtud Sanctius; recitas opiniones hominum, nec promereris laudem, aut vituperium: ſi dicas quod tibi interior ac firma conſcientia proponit, loqueris ut Chriſti diſcipulus, & commendandus eris juxta conſcientiæ tuæ rectitudinem; ſi contra conſcientiam tuam faciendum aſſeris quod ſcripſit Bannius, aut Sanctius, merito te reprehendam.

Ac videtur qui contra propriam conſcientiam alios inſtruit imitari conſuetudinem Priſcillianiſtarum, quos Auguſtinus cap. 2. libri contra Mendacium ceteris hæreticis pejores appellat, propterea quod *ipſi ſoli, vel certe maxime ipſi reperiuntur ad occultandum ſuam, quam putant, veritatem, dogmatizare mendacium*. Etenim mentitus quiſquis loquitur, quod falſum exiſtimat, nec non qui verum enuntiat, quod non putat verum, ut idem Auguſtinus demonſtrat in libro ad Conſentium cap. 3. & 4. Si ergo falſam putas ſententiam, quam alius probat, eamque proponis alteri conſilium petenti, mentiris; loqueris enim quod exiſtimas falſum. Ex alio capite occultas tuam, quam putas, veritatem. Igitur imitaris Priſcillianiſtas in hoc malo ceteris hæreticis iniquiores: quod ſalva caritate argumentationis cauſa dictum ſit. Faceſſat itaque ab omni fidelium ſocietate illa quorumdam doctrina: *Nihil a ratione alienum fore, ſi Doctor conſultus ſignificet conſulenti opinionem a qui-*

buſdam

Digitized by Google

buſdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ſequi ipſi liceat; quamvis idem Doctor ejuſmodi ſententiam ſpeculative falſam certo ſibi perſuadeat, & proinde ipſimet in praxi eam ſequi non liceat.

Hanc Probabiliſtarum aſſertionem aperte ratio ipſa refellit. Si ſpectemus conſiliarii officium, eſt inſpicere quid expediat ei, cui datur conſilium: unde Paulus in 1. ad Corinth. VII. 35. dans conſilia de ſervandis virginibus, *Porro*, inquit, *ad utilitatem veſtram dico*. Qui enim conſiliarii munus explet ſui cauſſa, ut illa, qui apud Martialem ajebat, *Utile quod nobis, do tibi conſilium*, is conſiliarius malus eſt, de quo Eccleſiaſticus XXXVII. 9. *A conſiliario ſerva animam tuam*. Debet proinde conſilium dare ut vitetur, quod ipſe putat corpori aut animo nociturum. Nemo quippe eſt, qui non horreat eer medicum adhibentem remedia, quæ putat mortem probabiliter allatura, aut negotiatorem hortantem ad ineundam ſocietatem, ex qua timet grave aliquod detrimentum. Atque id magis obſervandum eſt, dum agitur de ſalute animæ, quæ ſi pereat, nihil prodeſt homini, etiamſi mundum univerſum lucretur. Inſpiciendum prætera, quinam ſit ipſe Conſiliarius: qui in hoc caſu ſummi Dei implet miniſterium, dicente Apoſtolo II. ad Corinth. v. 20. *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. Tandem conſideranda ipſa conditio petentis conſilia hominis, ſcilicet Chriſtiani, ignari, veritatem quærentis, & Evangelii lege inviolabili obſtricti. His accurate inſpectis, liquido conſtabit Theologum qui adverſus opinionem ſuam alteri det conſilium, non fungi munere conſiliarii, quia non proponit, quod conſcientia ſua magis expedit: non ſe gerere tanquam Eccleſiaſticum virum, quia tanquam *exhortante Deo* non loquitur veritatem; & non habere rationem petentis conſilia, quia illum non hortatur ad facienda opera juxta judicium ſuum digna homine Chriſtiano: ac propterea doctrina Probabiliſtarum tanquam contraria ſacris literis, repugnans Evangelicis inſtitutionibus, & adverſa rationi, eſt omnino explodenda. Atque hoc erat theorema noſtrum.

PROPOSITIO II. Non licet homini ignaro varios Caſuiſtas adire, eo animo, ut tandem inveniat benigniorem aliquem affirmantem eſſe probabile, quod alii improbant, ſibique fas ſit eligere quod magis libet.

Illud enim Eccleſiaſtici XXXII. 19. *Qui quærit legem, replebitur ab ea; & qui inſidioſe agit, ſcandalizabitur in ea*; uti eruditionem promittit legem ſcrutantibus ut faciant eam, viroſque doctos conſulentibus ne in errorem inducantur; ita minatur deceptionem quæ in legem impingit ei, qui *inſidioſe*, ſive ut Græcus habet, *ὑποκρινόμενος*, *ſimulans* ſe quærere inſtitutionis diſciplinam, dum veſtigat quomodo abſque conſcientiæ ſtimulo indulgeat cupiditati, adit humaniores Confeſſarios, Theologoſque præditos ſingulari erga omnes facilitate. Propterea Apoſtolus in II. ad Theſſal. 2. verſ. 10. ait Deum mittere in operationem erroris, ut credant mendacio, eos, qui *caritatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent*: quod Dominus olim comminatus fuerat per Ezechielem cap. 14. At qui opinionem probabiliorem ſtantem pro lege parvi facientes inquirunt alteram benigniorem libertati percommodam, rejiciunt beneficium divinæ illuſtrationis, caritatemque præferentem præceptum Domini humanæ conſuetudini. Peſſime ergo ſe gerunt, Deumque provocant, ut tradat illos in deſideria ſua, & eos mittat in operationem erroris.

Quærit Auguſtinus cur Balaam dignus eſſet, quem aſina corriperet; & Q. XLVIII. in Num. reſpondet, Balaam prohibente Domino ne pergeret ad Balaac regem Moabitarum iterum Dominum conſuluiſſe; permittente autem ut iret, ſtatim ſe viæ commiſiſſe, atque ita demonſtraſſe cupiditatem ſuam, ac deſiderium munerum, quæ cap. XXII. Num. verſ. 7. appellantur *divinationis pretium*: ac propterea promeruiſſe Domini indignationem. *Cur poſt iſtam permiſſionem* (inquit S. Pater) *Dominum iterum non conſuluit, & poſt illam prohibitionem iterum conſulendum putavit, niſi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur!* Ita prorſus agunt qui plures conſulunt, ut licite faciant quod libet. Si audiant Dominum prohibentem, iterum conſilia petunt: ſi inveniunt permittentem, abſque ulla hæſitatione operantur: digni profecto, in quos Deus ſpargat pœnalem cæcitatem, & quos cum Balaam aſina ipſa corripiat.

Hoc ſi Chryſoſtomi verbis commoneſeci paullo ſupra, qui negligunt inquirere veritatem, & tanquam in pulvino, in opinione favente libertati quieſcunt, ut imitentur eos, qui veſtimenta empturi circumeunt unum negotiatorem & alterum, & qui impenſam ſibi pecuniam propria manu ponderant, ac numerant: nunc inquirentes qui auribus ſuis ſerviunt, commoneo Apoſtolicis verbis in 2. ad Tim. IV. 3. *Ne ad ſua deſideria coacervent ſibi magiſtros, prurientes auribus*: verbiſque Irenæi lib. IV. adv. hæreſes cap. 44. *A pravis Sacerdotibus abſtinere oportet, adhærere vero iis, qui Apoſtolicam doctrinam cuſtodiunt, & cum presbyterii ordine ſermonem ſanum, & converſationem præſtant ſine offenſa, ad informationem, & correctionem reliquorum*. At ſecunda theſis facile his expeditur.

PROPOSITIO III. Non debet Confeſſarius abſolutionem impendere iis, qui ſequuntur opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate, illamque nolunt deponere.

Hanc propoſitionem, quam falſo Probabiliſtæ ajunt ab omnibus, vel fere omnibus reprobari, quum illam propugnant quotquot refellunt probabiliſmum, demonſtrant argumenta omnia cap. XV. & quæ produximus nuper propoſitione priore. Nam ſi nefas eſt ſequi opinionem minus probabilem, neque illam poteſt prudens Sacerdos tradere eumdem conſulenti; quo jure tali opinione utetur in adminiſtratione Sacramenti, in exercenda poteſtate ſibi divinitus tradita, in Chriſti munere implendo, in afferendo puſillorum animæ remedio ſalutis? Eamdem tamen propoſitionem duplici argumento confirmabimus; quorum unum ex prærogativa Confeſſarii, alterum ex conditione pœnitentis depromitur. In Confeſſario attendi poteſt judiciaria poteſtas, ſcientia, qua diſcernat inter lepram, & lepram, ac prudentia per quam debet tanquam ſpiritualis medicus animorum ægritudini pharmacum adhibere. Judicem non poſſe judicare juxta opinionem minus probabilem, liquet ex propoſitione ab Innocentio XI. proſcripta. Medicum homicidam eſſe, ſi adhibeat medicamentum quod probabilius cenſet nociturum, indulgeatque ægrotorum opinioni, ratio ipſa ſuadet, nec diffitentur Adverſarii. Spectata demum ad ſpiritualis Judicis ſcientiam, atque auctoritatem, ut propria ratione quod debeat judicare diſcernat, commonſtrat ratio ipſa judicii, & definitum eſt cap. *Qui vult*, diſt. 6. de Pœnit. Quum itaque Confeſſarius abſolutionem impendens reo nolenti deponere opinionem ſuam, exerceat judiciariam poteſtatem ſpreta conſcientia, non diſcernat intimo ſenſu, quod debet decernere, & ægroti vulneribus non oleum infundat, ſed laxativam mulcedinem; indignus propterea eſt, cui committatur ſpiritualis Judicis auctoritas, animarumque curatio.

Ex alia parte pœnitens ſiſtere ſe debet ad ſacerdotis tribunal tanquam reus atque infirmus. Reo autem non convenit proferre judicium, neque infirmo præſcribere medicamentum. Tantummodo ſi & ipſe ſit juris ac medicinæ peritus, poterit humiliter proferre propriam opinionem, eamque pondererent Judex ac Medicus, ſi noverint meliorem, illa utentur: quum enim per mentis judicium ulterius ſententiam approbant, jam non alienam conſcientiam ſequuntur, ſed propriam. Atque hoc in pœnitentiæ foro ſi fiat, non improbo. Sed audiatur Probabiliſtarum flagellum, & J. CC. decus maximum Fagnanus ſuper Caput *Innotuit*, de Conſt. num. 304. *Cum abſolutio Sacramentalis ſit actus judicialis, & Sacerdos ſit vere & proprie judex, ad eumque ſpectet diſcernere inter lepram, & lepram, & pœnitentem abſolvere vel ligare; per hanc doctrinam Sacerdos non fungitur amplius judicis officio, ſed ſubditus ordine inverſo aſſumit ſibi judicium conſcientiæ ſuæ, & eligit ſuo arbitratu ſententiam ligantem aut ſolventem. Nam cum Sacerdos judicat eſſe reſtituendum, negotiationem relinquendam, aut quid ſimile, ſtatim pœnitens objicit extare ſuper hoc opinionem probabilem ſibi faventem, & eſſe in ſua facultate illam eligere. Unde in foro animæ Judex cogitur ſequi judicium rei, & non reus judicium Sacerdotis: quod quam ſit abſurdum nemo non videt*.

Quæ opponunt Probabiliſtæ, ex dictis obviam habent ſolutionem. Inquiunt denegandam non eſſe abſolutionem pœnitenti ſufficienter diſpoſito. Verum ex dictis conſtat hanc diſpoſitionem non haberi: ſi enim pœnitens novit opinionem ſuam eſſe minus probabilem, aut pugnare cum alia æqualiter probabili, & illam tamen velit pertinaciter tenere, neque vult vitare peccandi pericula, neque in dubiis partem eligere tutiorem. Si autem adhæreat opinioni ſuæ tanquam probabiliori, audiens a Confeſſario ſe in errore verſari, debet veritatem diligenter inquirere, ac promittere ſe, omnium partium ſtudio depoſito, daturum operam orationi, ac optimorum librorum lectioni, ac primum legem Domini divinaſque Scripturas, deinde ſtatuta Conciliorum, decreta Pontificum, documenta Sanctorum, Theologorum ſenſum, & humanam quoque rationem diligentiſſime ſcrutaturum. Quod ſi facere nolit, repellendus eſt, quoniam non vult intelligere, ut bene agat. Si affirmat ſe aut ingenium aut tempus non habere ad hæc expendenda; objurgandus eſt, quod eum careat ingenio & exercitamento doctrinæ, velit tamen opinionem ſuam proponere illi, quem Eccleſia ſibi conſtituit judicem, non diſcipulum. Si e contra valeat plurimum ingenii acumine, & eruditione, eamque velit oſtentare, poterit Sacerdos reſpondere ſe Judicis tribunal conſcendiſſe, non cathedram diſputantis. Humillime tamen proferenti rationem conſcientiæ ſuæ, ſi hanc Sacerdos percipiat eſſe probabiliorem, ut diximus, abſolutionem impendat. Reliqua Adverſariorum argumenta præcedenti capite fuerunt rejecta, atque exploſa.

SCHOLION.

„ Videor mihi de opinione probabili ſatis ſuperque ab exordio capitis decimi tertii uſque ad exitum proxime præcedentis diſſeruiſſe. Nam ſi quis cuncta, quæ in utramque partem, ætate præſertim noſtra, diſputata ſunt, non dicam expendere, ſed referre duntaxat velit; non adnotationem aliquam, & exagitatæ quæſtionis dilucidationem, ſed plura oppoſitionum, ac reſponſionum volumina ampliſſima atque locupletiſſima tenebitur ſuperaddere. Quanta enim in *Hiſtoria Probabiliſmi* Italico conſcripta idiomate complexus eſt Scriptor Ordinis Prædicatorum percelebris? quanta ex adverſo Societatis Jeſu præclari Theologi? quanta inſuper utriuſque partis ſtrenui, atque imperterriti Apologiſtæ? Quorum omnium ſi ſcripta forent recenſenda, nimium mihi laboris, parum fortaſſa utilitatis crearem lectori. Si enim de ſingulis quamvis graviſſimis & difficillimis controverſiis, prolixa, & fere infinita contentione dicendum ſit; ad finem Theologicarum Inſtitutionum, immo nec ad unum caput complendum, omnibuſque abſolvendum numeris nulla ratione poterit quiſquam, quantumvis præditus copia verborum, & eruditionis ornatu, pertingere. Ergo iis, quæ produximus, temperata & pro ingenioli noſtri modulo elucubrata diſquiſitione, tyrones ſaltem, primiſque præceptionibus imbuendos, contentos futuros fore confidimus. At quæret aliquis: Quænam ergo erit hujus adjiciendi Scholii neceſſitas? Ea quidem, non minima, immo ad retundendam iniquam in nos recentioris Scriptoris accuſationem, breviterque exſufflandam, apta admodum atque opportuna.

„ Prodiit itaque Ingolſtadii anno 1758. parvus liber inſcriptus, *Quæſtio Facti. An major fides ſit habenda Probabiliſtis, aut Antiprobabiliſtis in adlegandis Auctoribus, eorumque doctrinis, diſcuſſa in Alma, Catholica, & Electorali Univerſitate Ingolſtadienſi.* Auctor hujus Opuſculi nomen ſuum illi nequaquam appoſuit: ſed datis ad nos ampliſſimi ac præſtantiſſimi Viri a Bavaria epiſtolis accepimus elucubratum fuiſſe opera ac ſtudio *R. P. Jacobi Hizler* Societatis Jeſu in prælaudata Academia Ingolſtadienſi Profeſſoris Moralis Theologiæ. In eodem itaque Opuſculo capite octavo, pagina 52. & ſequentibus egomet poſt virum clariſſimum *Euſebium d'Amort*, alioſque complures tamquam malæ fidei in Probabiliſmo inſectando traducor: cumque prædictus Auctor præclariſſimus D. Amort hanc a ſe calumniam expunxerit Opuſculo altero, inſcripto: *Duo Academici Anglipolitani malæ fidei cauſa caſtigati*, edito Auguſtæ Vindelicorum eodem anno 1758. inſtituti noſtri Sodales, quaſi honor meus, atque Ordinis univerſi illa Jeſuitæ Ingolſtadienſis inſimulatione peſſumdatus videatur; mirum! quanta anxietate animi, & ſollicitudine, me quoque ad reſpondendum inſtigaverunt. Intelliget profecto unuſquiſque adeo inſulſam eſſe, adeo futilem criminationem illam *Hizlerii*, ut magis conſulendum foret illius famæ ea, quæ contra nos ſcribit, diſſimulando & tacendo, quam noſtræ eamdem inſimulationem excutiendo, & ad trutinam revocando. Sed quoniam mei amantiſſimis, & reſponſionem aliquam non deſiderantibus modo, ſed poſtulantibus & flagitantibus morem gerere, & obtemperare neceſſum eſt, ea propter Adverſarii verba producam, refellam, exagitabo.

„ Atque ne malæ, aut ſubleſtæ fidei, etiam in ſuis referendis verbis redarguamur; ea primum, nec uno immutato commate, proferantur: *P. Joannes Laurentius Berti* (ait Auctor Quæſtionis) *T. 4. de Theologicis Diſciplinis l. 21. C. XIII. num. 9. Bellarminus in Epiſtola ad Nepotem ſuum Epiſcopum Theanenſem hæc habet:* „ Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant: & ſi ea certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla temporali auctoritate propoſita ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma re, cum de ſalute æterna tractatur; & facillimum eſt, conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conſcientia non remordente ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur. „ *Afferunt graviſſima hæc Bellarmini verba Thyrſus Gonzalez, &c.*

„ *P. Berti nec verba P. Thyrſi, nec Bellarmini ſincere refert, uti nec Genettus & Ballerinius antiprobabiliſtæ. Sic enim habet P. Thyrſus ex Bellarmino de recto uſu probabilium* diſſertat. XIII. §. 13. num. 90. *Quare ſi quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, & ſimul oporteat eum Epiſcopali officio fungi, is omnino debet de omnibus Controverſiis certam veritatem inquirere, &c. Quæ verba omiſſa oſtendunt Bellarminum nec voluiſſe omnes, nec in omni materia adſtrictos ad certam veritatem inquirendam.*

„ Malam in me fidem Criminator putat ſe demonſtraſſe, proptereaquod in productis Bellarmini verbis quædam prætermiſſa ſint, quæ ad inſtitutam de *Probabiliſmo* quæſtionem nihil facere, palam ex hiſce animadverſionibus perſpicuum erit. Ea autem, quæ ad rem non faciunt, reſecare, quis, niſi forte aut improbus, aut inſcitus, argumentum ſubdolæ fidei arbitrabitur? Verum conviciator ipſe, dum nos minus ſinceros eſſe blateraret ob ea, quæ exſcribere non oportebat, aliorum exemplo prætermiſſa; temere admodum ac imprudenter ſe non ſincerum, ſed callidum, verſutum, & vaferrimum accuſatorem eſſe perſpicue, evidenterque demonſtrat. Mea ſiquidem verba producens, inquit: *Afferunt graviſſima hæc Bellarmini verba Thyrſus Gonzalez, &c.* Quid ſibi vult, obſecro, illa particula, *&c.*? Profecto innuit aliquid aliud in noſtro ſcripto præter celeberrimi Auctoris nomen adinveniri. Revera ita eo loci ſcripſimus: Afferunt graviſſima hæc Bellarmini verba *Thyrſus Gonzalez, & Cardinalis Aguirre, una cum Epiſtola Mutii Vitelleſchi Præpoſiti Generalis data anno 1617. pridie nonas Januarias.* Duo hic a me laudantur viri ſummi, unus Thyrſus Gonzalez, quem Criminator commemorat, alter Cardinalis de Aguirre, quem ſilentio præterit. De hoc primum dicendum eſt, tum de Thyrſo Gonzalez.

„ Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre in Prologo ad Hiſpaniarum Concilia, cui titulum iſtum præfigit, *Ratio Operis ad Lectorem pium, & eruditum, ac ſacrorum canonum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſum*, pag. IV. editionis Romanæ anni 1693. num. XXI. ita loquitur: *Laudandus quoque eſt eodem titulo doctiſſimus Cardinalis Bellarminus: qui variis locis, præſertim in aureo illo Opuſculo, ſive Epiſtola ad Nepotem ſuum Epiſcopum Theanenſem, diſciplinam veterem ſacrorum Canonum, laxitate novarum opinionum extenuatam atque impeditam, inſtaurare curavit. Verba illius præcipua exhibeo.* „ Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et ſi ea certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali propoſita, ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma re, cum de ſalute æterna tractatur: & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum inducere, & eo modo conſcientia remordente, ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur. „ *Sequitur immediate* (*quod accurate notandum eſt:*) XXII. „ *Hæc ſcribebat piiſſimus ille Cardinalis ſub initium hujus ſeculi, quando Probabiliſmus nondum radices miſerat. Quid diceret longe poſtea, ubi tot monſtra opinionum adverſus Moralem Chriſtianam, ac Canonicam erupere? Quarum 45. Alexander VII. jure merito damnavit, 65. Innocentius XI. & duas alias præcipuas peccati Philoſophici, ac præcepti dilectionis divinæ negati, Alexander VIII. ut alias mittam ejuſdem furfuris* XXIII. *Bellarmini veſtigia tandem aliquando preſſit eruditiſſimus Cardinalis Sfortia Pallavicinus, ejuſdem Societatis. Nam licet in decurſu vitæ Probabiliſmo cum pluribus aliis adhæſiſſet, poſtea re maturius conſiderata, & lectis quibuſdam libris doctiſſimis de eodem argumento, iis ſubſcripſit, & teſtimonium authenticum ſuæ retractationis dedit R. P. Nicolao Mariæ Pallavicino Examinatori Epiſcoporum, nuper vita functo: quod apud ſe retinet modo Reverendiſſimus Pater Thyrſus Gonzalez Generalis Societatis Jeſu, Primarius olim Theologiæ Profeſſor in Salmanticenſi Academia, eamdem fere utriuſque Cardinalis ſententiam ex inſtituto ſequens, cum Michaele Elizalde alias Cella-Dei, & multis aliis doctis hominibus ejuſdem Inſtituti, quorum ſcripta parantur ſuo tempore in lucem prodituræ. Præluxit vero iis non parum olim Mutius Vitelleſcus, Generalis ejuſdem Societatis, in celebri illa Epiſtola ad ſuos ſcripta anno 1617. die 4. Januarii.* XXIV. *Verum prolixus eſſem, ſi omnes Dominos Cardinales Probabiliſmi illius laxi inimicos, & tutiorum, aut ſaltem palam probabiliorum ſententiarum tenaces, tam factis, quam ſcriptis, jam vita functos nominare vellem. Inter tam multos eorumdem, qui uſque modo ſanctitate, aut doctrina inſigni floruerunt, vix* (*credo*) *invenietur aliquis, qui aliter ſenſerit, & docuerit. Immo & ex iis, qui modo ſuperſtites ſunt, tam intra, quam extra urbem, præſtanti pietate, ac eruditione conſpicuis, ac toto Orbi Chriſtiano notis, quorum judicia ac ſententiæ mihi frequenter colloquiis, ac variis congreſſibus innoteſcunt, nemo eſt* (*quantum capio*) *qui tam in theoria, quam in praxi, non cenſeat ſequendam omnino eſſe ſententiam tutiorem, vel ſaltem longe veriorem ac probabiliorem. Atque in ſacris hiſce Congregationibus quotidie occurrunt innumeræ Cauſæ, quarum deciſio ex Sacr. Conc. Canonibus pendet. Ubi autem variæ auctorum occurrunt ſententiæ, illa omnino præfertur, quæ, omnibus hic inde conſideratis, tutior videtur, aut juri & æquitati conformior. Lege interea Eminentiſſimum ac Reverendiſſimum D. Card. Lauream Tom. 4. in lib. 3. Sent. diſput. 14. num. 254. & latius Tom. 2. diſp. 11.* XXV. *Nimirum hic fuit ſemper ſpiritus Eccleſiæ, tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, & Epiſcopis, quotquot canones Conciliorum ediderunt, quam in iis, qui pietatis, & doctrinæ laude illos uſquemodo imi-*

„ tati

tati ſunt. Unde ab initio fere Pontificatus laudati Alexandri VII. mirum eſt, quo zelo, qua eruditione, & conſtantia, quamplurimi Epiſcopi præſtantiſſimi nominis, partim vita functi, partim ſuperſtites, Probabiliſmum luxuriantem repreſſerint. Quot Concilia ab eo tempore in Gallia contra illum uſque modo celebrata ſunt, unanimi Patrum congregatorum ſuffragio, a Merbeſio & aliis exſcripta? Quot conventus Epiſcoporum, Doctorum clariſſimæ Sorbonæ, ac Parochorum Pariſienſium, Rhotomagenſium, aliorumque ad illud exterminandum, & ad proſcribendam famoſam illam Apologiam Caſuiſtarum, conſpirarunt? XXVI. Quibus verbis zelo, & ſeveritate plenis, illam damnaverint, inter plurimos alios Præſules, Eminentiſſimus Cardinalis de Janſon, tunc Dinienſis Epiſcopus, & Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis Harlai, tunc Rhotomagenſis, ſatis notum eſt, & ego poſſem hoc loco utriuſque verba ac judicia exprimere, ſi neceſſum eſſet. Quot laudes audiuntur Summæ illius Moralis, ſex brevibus tomis comprehenſæ, & toties recuſæ, hortatu, aut juſſu Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Grimaldi Archiepiſcopi Aquenſis, & De-Camûs Epiſcopi Gratianopolitani! quamvis mihi hactenus non fuerit otium pervolutandi illam, ſed ſolum partem libandi. In ea vero paſſim fere ex puris ſacrorum Canonum, ac SS. Patrum fontibus theſes morum adverſus Probabiliſtarum commenta proferuntur. Idipſum cernere eſt in Summa Chriſtiana citati Merbeſii, duobus magnis Voluminibus comprehenſa, & edita ſub auſpiciis Illuſtriſſimi D. Tellier Archiepiſcopi, ac Ducis Rhemenſis, quæ (ſolum obiter a me lecta) videtur catena fere continua Moralis Chriſtianæ, ex Canon. Conciliorum, & locis SS. PP. contexta adverſus laxones quoslibet. Neminem prodo, neminem nomino: generatim loquor de iis, quicunque demum ſint, ſive communi aura fruantur adhuc, ſive jam diem obierint. XXVII. Sed & laudandus eſt maxime inter Regulares Cl. Ordo S. Dominici, qui hortatu laudati Alexandri VII. vexillum extulit adverſus Moralem laxam, per doctiſſimos alumnos ſuos, Joannem Martinez de Prado, Julium Mercorum, Vincentium Baronium, Vincentium Contenſonem, Pichinardum, Gonetum, alioſque ſimiles ampliſſimo fructu. Et merito quidem ita ſe geſſit: cum nihil aliud diſcere potuerit ab incomparabili magiſtro ſuo Doctore Angelico, immo & ab Auguſtino, ac ceteris SS. Patribus, quorum germanam mentem circa fidem, ac mores, ille divino ingenio, & admiranda claritate explanavit, atque in methodum redegit. XXVIII. Idem fere dixerim de multis Religionibus, præſertim militantibus ſub regula ejuſdem S. Auguſtini, S. Franciſci, Carmelitarum, aliiſque. Multi enim viri doctiſſimi ex iis, intra, & extra Urbem, in lucubrationibus ſuis, partim ſcriptis, partim editis, ſtudent, ac ſtuduerunt Probabiliſmo frænum imponere, abjecta regula illa Lesbia, & male fida, qua plerique a fine fere ſeculi præcedentis abducebantur, & feruntur adhuc, non quo eundum eſt, ſed quo itur, ut Senecæ verbis utar. Ex ſolo Ordine S. Auguſtini nunc Romæ habemus Illuſtriſſimos Epiſcopos Ignatium de la Zerda Aquilanum, & Lambertum Le Drou Porphyrienſem, ac Rev. Magiſtrum Henricum de Noris, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum: ut mittam Magiſtrum Franciſcum Fervaques, celebrem olim Profeſſorem Lovanienſem, & Joannem Schweizerts Doctorem Colonienſem; qui verbo, ac ſcriptis refellunt eamdem licentiam opinandi. Idipſum accidit pleriſque PP. ne dicam omnibus Præmonſtratenſibus, & Congregationis Oratorii in Gallia, ac Belgio. XXIX. Id etiam curarunt hoc tempore nonnulli celebres ſcriptores, aut Doctores Benedictini: veluti in doctiſſima, & obſervantiſſima Congregatione S. Mauri Galliarum, Joannes Mabillon Tract. de Studiis Monaſticis p. 2. cap. 7. Gabriel Gerberon toto fere libro de vero Pœnitenti. In Congregatione Helvetica Illuſtriſſimus D. Cæleſtinus Sfondratus Abbas S. Galli, & S. R. I. Princeps, in diſput. Juridica de lege in Præſumptione fundata, quam edidit Salisburgi anno 1682. dum eſſet publicus ſacrorum Canonum ex Benedictina Academia Profeſſor (quæ communi Doctorum conſenſu Probabiliſmum refellit) pariter illum impugnavit pag. 15. & ſeqq. Sunt & alii plures ejuſdem ſententiæ in diverſis Congregationibus Benedictinis Italiæ, Galliæ, & Germaniæ. Quantum vero ſtudii collocaverit laudatus Princeps Sfondratus, non modo in Theologia, ſed & in ſacris canonibus, unde doctrina morum ſolida eruitur, ſatis oſtendunt celeberrimi ipſius libri, qui præ manibus eruditorum omnium ſumma cum laude verſantur. XXX. Verum longe antea in Congregatione Benedictina Hiſpaniæ non defuit, qui doctrinis Caſuiſtarum laxis antidotum pararet. Anno 1653. vivente adhuc Innocentio X. electus eſt Generalis ipſius Reverendiſſimus Magiſter D. Bernardus Hontiveros, Primarius Theologiæ Profeſſor in Ovetenſi Academia, Theologus Majeſtatis Catholicæ, ac Conſultor ſupremi illius Fidei Senatus, vir ſpectatiſſimæ pietatis, ac ſublimis doctrinæ. Is ab eo tempore acerrime invehebatur adverſus laxas Caſuiſtarum opiniones, & lectionem quorumdam ex iis vetabat ſubditis, ac diſcipulis, inter quos ego numerabar. Poſtea anno 1658. fuit electus Epiſcopus Eccleſiæ Calagurritanæ, eodem tempore, quo præerant Oxonienſi D. Joannes de Palafox, & Placentinæ D. Ludovicus Creſpi. Tres hi Præſules doctiſſimi pariter & vitæ exemplariſſimæ fama, ac ſcriptis inſignes, hortatu Eminentiſſimi Cardinalis D. Balthaſſaris de Moſcoſo & Sandoval, Archiepiſcopi Toletani, (cujus memoria pariter in benedictione eſt) cœperunt communi conſilio exagitare Probabiliſmum, tunc longe, ac late graſſantem. Hontiveros ſpeciatim ſcriptis ſuis ea de re titulum dederat, Lacrymæ militantis Eccleſiæ. Verum anno 1662. initio Novembris, fractus mortificationibus, ſtudiis, ac laboribus, circumſtante, ac flente toto Clero illius Eccleſiæ, & pauperibus ejulantibus tam pii Patris obitum, immortuus fuit Operi nondum perfecto, quod proinde in lucem edi non potuit. Idem fere acciderat Palafoxio, qui triennio ante ſanctiſſime obierat, ideſt, anno 1659. die 30. Septembris. Unde licet tot libris antea editis, ſparſim pernicioſas ac laxas quorumdam recentiorum opiniones impugnaſſet, non potuit perficere volumen aliquod ex inſtituto in eumdem ſcopum. Denique Epiſcopus Creſpius diſtentus occupationibus variis, & legatione Majeſtatis Catholicæ in Urbem pro cauſa Conceptionis, ſolum potuit edere diſputationes Morales ſelectas adverſus Caſuiſtas prurientes auribus, & nominatim præcipue adverſus Caramuelem. Obiit vero magna ſanctitatis opinione relicta, eodem circiter anno 1662. XXXI. Ab iis præſtantiſſimis Epiſcopis, & Scriptoribus variis inſtructus, paucis poſt annis cœpi dubitare de ſecuritate illa, quam nobis plurimi alii pollicebantur in uſu opinionum quarumlibet probabilium. Eo uſque enim communi fere ſenſu, & præjudicio abreptus, in Probabiliſmo, veluti in pulvino, molliter quieſcebam: & plerumque ſtudium meum (ita ingenue fateor) ſitum erat in examinando potius an aliquid eſſet probabile, quam in veſtigando an eſſet verum. Detecta enim probabilitate, nullatenus dubitabam me poſſe illud in praxi ſequi, aut aliis conſulere. Unde & in Theologia Florulenta, quam edidi Salmanticæ anno 1667. Ludovico V. præſertim a num. 70. uſque ad 98. tota mihi cura fuit in examinandis conditionibus opinionis ab uno Doctore pio & docto traditæ adverſus communem aliorum, neceſſariis ac ſufficientibus, ut illa probabilis cenſeatur. Hoc enim ſemel ſtatuto, non dubitabam licitum eſſe ipſius uſum, adhuc poſtquam Alexander VII. anno 1666. damnaverat 45. propoſitiones, & in eis illam num. 27. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe a Sede Apoſtolica, ut improbabilem. Hanc ipſam theſim per ſe ſpectatam ibidem late impugnavi, ſicuti & nimiam licentiam opinandi circa doctrinam morum: quam in rem memoravi n. 79. ea fere ipſa, quæ paullo antea protuli de Illuſtriſſimis Epiſcopis Calagurritano, Oxonienſi, & Placentino. XXXII. Nec proceſſi ulterius ad quærendum, an dato quod opinio aliqua ſit Probabilis, liceat omnino illam ſequi in praxi, aut aliis conſulere, relicta probabiliore, ac tutiore. De hoc enim tunc Salmanticæ dubitabam. Uſque adeo invaluerat Probabiliſmus ibidem, quamvis paullo antea Magiſter Joannes Martinez de Prado, & Vincentius Baronius ambo Dominicani ſcriptis editis impugnaſſent longe ac late Caramuelem, & rejeciſſent uſum opinionis minus probabilis faventis libertati, in concurſu probabilioris ſtantis pro præcepto. Nulla enim fere ratio utriuſque laudati Scriptoris habebatur in ea parte, ob multitudinem innumerabilium aliorum liberius ſcribentium, ut poſſent ii dicere cum Poeta: Obruimur numero. XXXIII. Cœpi itaque rem maturius examinare, ab anno circiter 1672. uſque modo, lectis ac relectis, ultra prædictos, plurimis auctoribus recentibus, qui hinc & inde controverſiam hanc graviſſimam profligarunt ex inſtituto. Deprehendi vero ingens periculum ſalutis in ſectando, aut conſulendo aliis Probabiliſmo, ſive uſu cujuslibet opinionis minus probabilis faventis libertati, in concurſu alterius probabilioris adhærentis præcepto. Idem mihi alte inſedit, ubi utraque apparet probabilis æque aut circiter. Manet enim adhuc res vere dubia, & incertum omnino, an actio, vel omiſſio ſit contraria legi æternæ necne, quidquid plerique recentiorum diſtinguant inter dubium ſpeculativum, & practicum. Hanc enim diſtinctionem quoad controverſiam præſentem plurimi alii a triginta circiter annis uſque modo doctiſſimi rejecerunt. In dubiis autem, & ſpectantibus ad æternam ſalutem, eligendam eſſe tutiorem partem jura clamant, & prudentia, ac lex charitatis divinæ de propria, & aliorum ſalute, palam dictat. XXXIV. Certe nemo prudens vitam corporis ita negligit, ut audeat uti cibo, aut pharmaco ſolum probabiliter ſano, quod æque aut magis probabiliter cenſeatur noxium, & exitiale futurum. Quare ne exponat ſe probabili, aut probabiliori periculo mortis, eligit aliud certo innoxium, aut ſalutiferum. Idem fere accidit circa rem familiarem ſervandam, & honores aſſequendos. Cur ergo vita animæ, & ſalus æterna, longe pretioſior, paſſim exponatur probabili periculo opinionum liberiorum? Nec inflexiones aliquæ, ſeu judicia reflexa ad auctoritatem alienam videntur prodeſſe, aut ſufficere ad formandum judicium moraliter certum, & neceſſarium de uſu licito opinionis benignæ quoad bona animi potius, quam corporis vel fortunæ, ubi opinio ſeverior æque aut magis urget. Non enim voluntas habet vim imperan-

di intellectui, ut judicio reflexo cenſeat verum, aut certum moraliter id, quod directo judicio aſſerit falſum, aut dubium, aut minus probabile. XXXV. Quare reflexiones illæ ad ſummum poſſunt habere locum, & prodeſſe, ubi vir doctus & prudens recta intentione placendi Deo, aut ipſum non offendendi, & nullo præjudicio, paſſione, aut utilitate abductus, diligenter inquirit veritatem pro qualitate materiæ, & debitis circumſtantiis, quando concurrunt invicem contrariæ opiniones inter Scriptores Catholicos, doctos, & pios. Si poſt rem examinatam inveniat ſententiam benignam longe ac palam prævalere opinioni auſteriori, tum auctoritate & numero Patronorum, tum rationibus, & plene reſpondere argumentis contrariis; videtur poſſe formare judicium moraliter certum de illius veritate & licito uſu, aut nihil curare rigidiorem aliorum opinionem, vel eam reputare tantum ex inani ſcrupulo. Dato enim, aut præmiſſo quod ſententia illa benignior eſſet falſa in ſe, agens excuſaretur a peccato, ſaltem gravi, ob rectam intentionem, bonam fidem, & ignorantiam venialem, ex infirmitate humana. Si autem poſt diligentem inquiſitionem inveniat opinionem auſteriorem æquale pondus habere, aut etiam majus, ac proinde veritatem rei eſſe ſpeculative dubiam; non poterit ulla reflexione formare ſibi judicium moraliter certum de illius veritate, aut uſu licito. Quare abſtinendum erit ab opinione benigniore, & adhærendum tutiori, ſive ſtanti pro præcepto. XXXVI. Hæc videtur fuiſſe praxis aſſidua SS. Patrum, Pontificum, ac Theologorum doctrina, ac pietate inſignium, a tempore naſcentis Eccleſiæ uſque ad finem fere ſæculi præcedentis, quo cœpit reputari ſecurus uſus opinionis benignæ probabilis, in concurſu opinionis auſterioris æque probabilis, aut probabilioris, per reflexiones antiquis ignotas. Sequebantur enim veteres illi quod intra ſinum Eccleſiæ Catholicæ, poſt rem mature examinatam, oratione ac ſtudio competenti, videbatur verum, & moraliter certum. Et licet ipſi Sancti Patres & Doctores celebres aliter, atque aliter circa varias quæſtiones morum cenſerent, unuſquiſque tamen pius ac prudens id agebat vel conſulebat aliis, quod poſt debitum examen judicabat verum, aut ſaltem longe conformius canonibus ſacris, rationi, & æquitati. Neque enim amplius exigi putabant ab homine mortali infirmo, & ignorantiis obnoxio. Alioqui ſequebantur tutiorem partem. Exempla plurima poſſent hoc loco produci, niſi quæſtionem hanc graviſſimam potius excurrendo libandam, quam ex inſtituto dirimendo recepiſſemus. XXXVII. Et hoc ipſum fere eſt, in quo videntur convenire Scriptores ac Theologi laudati a num. 20. contra Probabiliſmum diſſerentes. Nominatim vero doctiſſimus ac piiſſimus Cardinalis Bellarminus verbis exſcriptis num. 21. aperte id tradit; immo & loquitur ſtrictius quam plerique ex allegatis, ut conſideranti palam erit. Ac certe innocentia vitæ ipſius, candor morum, & profeſſio minime fucata veritatis, quæ fulget in ejus ſcriptis, ſatis docent eumdem in agendo & conſulendo non quæſiiſſe probabilia, ſed vera, non dubia, aut morali erroris periculo obnoxia, ſed ſecura & ſolida. Exeat nunc aliquis recentiorum quorumdam, & propterea Bellarminum Janſeniſmi, aut Bajaniſmi arguat. Plane enim notam ex eodem doctrinæ morum ſeverioris capite inurere auſi ſunt nonnulli plurimis aliis Catholiciſſimis Epiſcopis, Prælatis, Doctoribus, & Scriptoribus, licet nullo fermento hæreſeos, vel doctrinæ erroneæ aſperſis, & palam rejicientibus illas quinque famoſas theſes, ab Innocentio X. & Alexandro VII. fulguratas, atque in iis Illuſtriſſimo Fagnano, quo neminem in ſacris canonibus doctiorem aut celebriorem ætas noſtra tulit. Sed calumnia ejuſmodi, dum linguario cribus quocumdam injecto coerceri nequit, contemptu aut riſu exſibilanda erit, juxta illud vetus adverſus convitia injuſta: Spreta exoleſcunt. Hactenus de Probabiliſmo Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre.

„ Manifeſtum eſt ex dictis, a me lecta fuiſſe verba Cardinalis Bellarmini apud Eminentiſſimum Cardinalem de Aguirre, quem poſt Thyrſum Gonzalez laudavi; ſiquidem eodem prorſus pacto, quo a me eadem verba afferuntur, occurrunt in Prologo ad Concilia Hiſpaniarum citato numero XXI. Quum itaque Cardinalem de Aguirre laudaverim, aperte conſequitur, me eadem verba ſincere, non mala fide exſcripſiſſe.

„ Perſpicuum itidem eſt ex num. XXXIII. ipſum Eminentiſſimum de Aguirre legiſſe, & perlegiſſe auctores ſuperioribus numeris a ſe productos: Legit ergo, ac perlegit Epiſtolam Ven. Bellarmini ad nepotem ſuum Epiſcopum Theanenſem. Prætermittit tamen de Aguirre ea verba, *Et ſimul oporteat eum Epiſcopali officio fungi*; & alia, *de octo controverſiis*. Si quis vero propter hujuſmodi verborum omiſſionem, & reticentiam argutaretur, *Ergo Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre nec verba Bellarmini, nec P. Thyrſi ſincere refert*, inſulſe, ac pueriliter ratiocinaretur. Ratiocinatur ergo pueriliter & inſulſe, qui propter eamdem verborum omiſſionem infert a me ſincere non referri verba P. Thyrſi, ac Bellarmini.

„ Inſuper a me producuntur verba Cardinalis Bellarmini, uti afferuntur a Cardinali *Aguirre*. Hunc P. *Hizler* cur a me commemorari non ſcribit? Cur utitur ea phraſi *Thyrſus Gonzalez, &c.*? Quid ſibi vult illud, *&c.*? Aut legit *Hizler* Prologum ad Hiſpaniarum Concilia, aut non legit. Si legit, Purpuratum Patrem me ſincere exſcripſiſſe fateatur, eumdem laudet, nec ad ſtruendam ſubdolam, & iniquam criminationem utatur particula *&c.* ſi autem non legit, legat, & ſuffundatur rubore.

„ Ad hæc Reverendiſſimus P. Thyrſus Gonzalez, de quo infra, diſputatione 13. num. 103. pag. 349. editionis Bononienſis. Item edit. Coloniæ Agrip. ann. 1694. pag. 222. & edit. Rom. an. pariter 1694. pag. 307. pro ſententia ſua laudat Eminentiſſimum de Aguirre, præſertim in Prologo ad primum Conciliorum Hiſpaniæ volumen, ſcribens: *Verum copioſius ſenſum ſuum aperuit in Prologo ad Tomum Conciliorum Hiſpaniæ, ubi poſtquam pro ſua, & noſtra ſententia citaverat Cardinalem Bellarminum, & Cardinalem Pallavicinum, n. 24. ſubjungit*. Quæ ſequuntur, ne iterum mutilati textus redarguamur, integra producta fuerant citato num. 24. & ſeqq. Ipſe ergo Thyrſus Gonzalez idem ſentire ſe, ac Eminentiſſimum de Aguirre, teſtatur, & uterque pro ſua ſententia producit verba Eminentiſſimi Bellarmini ad demonſtrandum nefas eſſe ſequi opinionem minus probabilem, non Epiſcopis tantummodo, verum etiam unicuique prudenter operanti; nec in aliquibus duntaxat quæſtionibus, ſed inſuper in omnibus agendis, vel conſulendis, quæ ad æternam ſalutem attinent. Sincere itaque citat *Thyrſum*, & *de Aguirre* quiſquis, ut nos fecimus, eorumdem profert teſtimonium; & Bellarmini doctrina univerſim, & abſque limitatione ad ſolos Epiſcopos, & ad aliquas determinate quæſtiones, oppugnat, & inſectatur Probabiliſmum.

„ Poſtremo ea verba, quæ Conviciatus violata ſinceritate a me præteriri autumat, neque a me ſolum, ſed etiam a Gennetio, atque a Ballerinio Antiprobabiliſtis, nihil omnino ad rem faciunt, & ſive apponantur, ſive omittantur, ſecta Bellarmini ſententia percipitur, & æque Probabiliſmo adverſatur; ideoque neque a me, neque a Gennetio, neque a Ballerinio (Adde, *Neque a Cardinali de Aguirre*; cur enim hujus Interpolator non meminit?) fuco aliquo, & fraude, ſed pure, ſincere, ingenue fuerunt allata. Scribit utique *P. Hizler*: *Quæ verba omiſſa* (ſcilicet, *Et ſimul oporteat eum Epiſcopali officio fungi*, &, *de octo controverſiis*) oſtendunt *Bellarminum nec voluiſſe omnes, nec in omni materia adſtrictos ad certam veritatem inquirendam*. Si Profeſſor iſte Ingolſtadienſis ſignificare velit, non omnibus certam veritatem eſſe inquirendam in qualibet materia, quæcunque ſit; ſeu ad dirigendos mores regendamque conſcientiam pertineat, ſeu non pertineat; ſeu cuique ſcitu neceſſaria ſit, ſeu neceſſaria non ſit: recte, ſapienterque loquitur. Neque enim tenemur inveſtigare quæ ad conſequendam ſempiternam ſalutem non requiruntur, Deo nobis non præcipiente ut omnes ſimus vel philoſophi, vel mathematici, vel milites, vel artifices: neque laicus ſcire tenetur quæ tenetur ſcire ſacerdos, aut ſubditus quæ legiſlator, aut pœnitens quæ Confeſſarius. At ſi Ingolſtadienſis inſtitutor ſignificare velit Epiſcopum, non omnes, teneri inquirere veritatem in iis, quæ ad conſcientiam ſuam dirigendam neceſſaria ſunt, atque id ſervandum eſſe in quibuſdam non in omnibus controverſiis, toto cælo aberrat a veritate. Principio enim Cardinalis Aguirre, & P. Thyrſus Gonzalez utuntur Venerabilis Bellarmini auctoritate ad Probabiliſmum univerſim in iis, quæ ad Epiſcopos, & ad cæteros omnes attinent, rejiciendum & profligandum: igitur exiſtimant ad quæſtionem hanc dirimendam perpauca verba, quæ a nobis prætermiſſa ſunt, non eſſe attendenda. Secundo juxta ſententiam Venerabilis Cardinalis Bellarmini tenetur Epiſcopus *certam veritatem inquirere* in quæſtionibus, quæ ſpectant ad officium Epiſcopi: pari ergo ratione tenentur paterfamilias, mercator, presbyter, laicus, *certam inquirere veritatem*, in iis quæſtionibus, quæ pertinent ad officium patrisfamilias, mercatoris, presbyteri, laici. Tertio ratio Cardinalis Bellarmini ea eſt, *Si quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare*, & rurſus, *Agitur enim de ſumma rei, cum de ſalute æterna tractatur*. Atqui *in tuto collocare ſalutem ſuam* velle debet tam Epiſcopus, quam non Epiſcopus; atque *agitur de ſumma rei*, tam *dum agitur de ſalute æterna* Epiſcoporum, quam non Epiſcoporum: Igitur attenta ratione Cardinalis Bellarmini, tam Epiſcopi, quam non Epiſcopi, debent *certam veritatem inquirere*. Tandem quiſnam Probabiliſtarum, ſi excipias Ingolſtadienſem noſtrum, dicturus eſt unquam: Opinio duntaxat probabilis juxta Venerabilem Bellarminum nequit eſſe regula, & norma operandi Epiſcopis; Ergo eſſe poteſt regula, & norma operandi non Epiſcopis, quaſi non Epiſcopi æternæ ſalutis ſuæ, æque ac Epiſcopi, curam & ſollicitudinem gerere non teneantur, & unuſquiſque juxta conditionem ſuam non debeat evitare peccandi pericula? Quis inſuper inepta, & ludicra hac ratione pro adſtruendo Probabiliſmo pugnaret, Nefas eſt, in quibuſdam quæſtionibus, in quibus agitur de ſumma rei, & de æterna ſalute inniti Probabiliſmo,

„ Igitur

„ Igitur fas eſt Probabiliſmum ſectari in quæſtionibus religionis, etiamſi de ſumma rerum, & de æterna ſalute itidem in illis agatur? Videat ergo Reverendus Pater *Hizler* quam futili conjectura nos minus ſinceros in referendis Bellarmini verbis adjudicaverit, legatque Eminentiſſimum de Aguirre, in quo percipiet non tantum noſtram ſinceritatem, verum etiam Probabiliſmi ſui eo acriorem inſectationem, quo ſapientiſſimus Purpuratus eomdem Probabiliſmum, in quo antea, tamquam in pulvinari, quieſcebat, doctior factus, Auctoribus hinc inde libratis, ſemel, iterumque lectis, pernicioſum credidit, abjecit, execratus eſt, oppugnavit, evertit, eliminavit.

„ Dicet, opinor, Ingolſtadienſis Profeſſor, At ego nequaquam aſſerui Auguſtinianum Theologum ſincere non referre verba Cardinalis de Aguirre, ſed affirmavi duntaxat, illum *nec verba Patris Thyrſi, nec Bellarmini ſincere referre*. Belliſſime! At P. Thyrſus diſſert. 13. num. 103. pag. 349. editionis Bononienſis anni 1694., quam habeo modo præ manibus, inquit: *Quid in hoc puncto ſentiat ſapientiſſimus Cardinalis de Aguirre jam vidimus* §. XI. *in 6. capite probando majorem probabilitatem noſtræ ſententiæ: mentem ſuam prius expoſuerat diſput. 2. ſect. 6. ubi inter alia inquit:* „ Sane inſigni Dei beneficio tribuendum, quod eum multis annis poſt inchoatam, aut jam graſſantem licentiam opinandi in rebus moralibus, prætextu ſpecioſo illius probabilitatis, cœperint non pauci viri pietate ac doctrina inſignes ſcribere contra illam ad hæc uſque tempora „ *Ita ibi. Verum copioſius ſenſum ſuum aperuit in Prologo ad Tomum Conciliorum Hiſpaniæ, ubi poſtquam pro ſua, & noſtra ſententia citaverat Cardinalem Bellarminum, & Cardinalem Pallavicinum, num.* 24. *ſubjungit: Verum prolixus eſſem, &c.*, Ipſe ergo Thyrſus Cardinalem de Aguirre laudat, ac ſibimet conſentire teſtatur. Quid ergo opus erat verba etiam Thyrſi proferre, quando prolata erant verba Cardinalis longe doctiſſimi, quem Thyrſus idem ſecum ſentire declarat? Etſi vero Thyrſus Gonzalez ea verba exſcripſerit, quæ a nobis prætermiſſa conqueritur inofficioſus Auctor Quæſtionis facti, nec prætermiſſa tantum, verum etiam *ſinceritate* violata non fuiſſe perlecta; nihilominus ad rem non facere, ideoque præteriri potuiſſe ex ipſomet Thyrſo Gonzalez demonſtratur.

„ Ille enim *Probabiliſmi* inſectator acerrimus præcitata diſſertatione 13. §. 13. num. 90. ad hunc loquitur modum. &c. „ Cardinalis autem Bellarminus *eamdem ſententiam tenuit ad finem libelli de Regimine Principis, in Opuſculo, cui titulus*, Admonitio ad Epiſcopum Theanenſem Nepotem ſuum, *in quo agit de iis, quæ neceſſaria ſunt Epiſcopo, qui ſalutem ſuam in tuto ponere velit, materiam integram octo controverſiis comprehendens. In prologo autem hujus Opuſculi ſic inquit:* „ Quare ſi quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, & ſimul oporteat Epiſcopali officio fungi, is omnino debet de octo controverſiis certam veritatem inquirere, & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant, vel faciant. Et ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla temporali utilitate propoſita, ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma re, cum de ſalute æterna tractatur: & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum inducere, & eo modo conſcientia non remordente ad eum locum, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, deſcendere. „ Exſcripſimus rurſus Ven. Bellarmini verba, ne inſimulator, quærens in ſcirpo nodum, nobis minimam illam tribuat tranſpoſitionem verborum, quæ in poſtrema occurrit periodo. Si autem ad ſolos Epiſcopos, & in quibuſdam duntaxat quæſtionibus, Bellarmini graviſſimam, optimamque admonitionem Thyrſus Gonzalez pertinere arbitrabatur, cur illam ad ſuam corroborandam ſententiam adhibuit? Atque, ut illud repetam, quod obloquentium ora debet obſtruere, annon ceteri omnes, dum ſuis chriſtianis, præceptiſque muneribus incumbunt, atque Dei adimplent mandata, & comparare ſibi æternam beatitudinem ſtudent, annon, inquam, *agunt de ſumma re?* annon cavere debent, ne *conſcientiam erroneam* induant aliorum exemplo? annon ipſam conſcientiam erroneam unuſquiſque in iis, quæ ſcire poteſt, ac debet, exuere ac deponere tenetur, niſi velit eum ipſa erronea conſcientia perire & damnari?

„ At enim ajunt: Sequeretur, ſi Venerabilis Bellarmini verba rigoroſo ſenſu forent accipienda, debere unumquemque non probabiliorem tantum, verum etiam *tutiorem* partem tenere. Ita ratiocinatur ille idem Auctor, unde Ingolſtadienſis Profeſſor ſuas hauſit cavillulas. Excuſſit id, ejuſdemque generis nugas vir doctus, qui ſub *Eraniſtis* nomine Litteratorum Italiæ audacem cenſorem exagitat ac refellit. Verum idem Thyrſus Gonzalez ratiocinationem illam, ineptam alioqui, ac futilem, præviderat, & exſufflaverat. Nam poſt allata nuper verba num. 91. hæc ſubjicit:

„ *Dum autem Bellarminus dicit*, Si rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem ſequi; *non intendit ad ſecuritatem conſcientiæ reperiri certitudinem omnimodam, ſed certitudinem fundatam in veriſimilitudine authoritatis, & rationis clare præeminenti veriſimilitudini partis oppoſitæ, vi cujus operans prudenter abſque anxietate & formidine cenſet illam partem eſſe veram, quia licet ſciat dari opinionem de oppoſito, videt tamen fundamenta illius clare, & dilucide diſſipari, nec poſſe ab illis prudenter moveri ad judicandum non eſſe prohibitam; ac proinde licet videat doctrinam oppoſitam eſſe probabilem in ſe, & de facto probatam eſſe viris graviſſimis, non eſt tamen probabilis ipſi, quia non poteſt ab illo probari per prudentem aſſenſum, ex quo agnoſcit ejus fundamenta eſſe parum ſolida, & in comparatione aliorum ipſi apparent manifeſte minus veriſimilia. In rebus enim moralibus, de quibus eſt controverſia inter Doctores, non exigitur major certitudo, quam illa, quæ fundatur in fundamentis clare præeminentibus apud eum, qui operatur, ſi ille omnem adhibuit diligentiam, quam debuit ad inquirendam veritatem. Jamque poſt decretum Alexandri* VIII. *damnantis hanc propoſitionem.* Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam, *videtur inferri, ſecuritati conſcientiæ ſufficere opinionem inter probabiles probabiliſſimam, etiam faventem libertati; ac proinde licitum eſſe ſequi ſententiam minus tutam, quando illa eſt clare & manifeſte longe veriſimilior oppoſita, & ut talis proponitur operanti citra omnem ipſius culpam. Tunc enim prudenter poteſt judicare rem illam non eſſe prohibitam, & non poteſt judicare oppoſitum, neque prudenter dubitare, quia nequit intellectus, etiam ex imperio voluntatis, prudenter aſſentiri ut veræ illi parti, quæ illi proponitur clare ut minus veriſimilis, quam oppoſita: Si autem appareret magis veriſimilis pars favens libertati, vel ex negligentia culpabili inquirendi veritatem, vel ex paſſione obcæcata; tunc aſſenſus illi præſtitus non eſſet judicium prudens, ſed error culpabilis; ac proinde qui ex illo errore operaretur, peccaret. Nam ſecundum principium verum D. Thomæ q. 17. de Veritate, art. 3. ad* 4. Tunc conſcientia erroris non ſufficit ad abſolvendum, quando ipſo errore peccatur, ut cum errat circa ea, quæ ſcire tenetur. *Similiter Quodlibeto* 8. *art.* 15. Error conſcientiæ habet quamdam vim abſolvendi, ſive excuſandi, quando ſcilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire non poteſt, vel non tenetur. Quandoque error conſcientiæ non habet vim abſolvendi, & excuſandi, quando ſcilicet ipſe error peccatum eſt, ut cum procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire tenetur, & poteſt. Idem docet 1. 2. q. 76. art. 2. & lect. 7. in c. 1. Epiſt. ad Romanos. „ Hæc Probabiliſmi everſor Gonzalez. Verbo dicam: *Tutiorem* partem eligendam docet Ven. Bellarminus, ſcilicet, eam, quæ *tutior* ſit comparate ad oppoſitam, ſeu quæ innitatur rationibus præponderantibus, & conſcientiam erroneam excludat; non *tutiorem* abſolute, & quæ habeat in ſe certitudinem omnimodam atque pleniſſimam, adeo, ut ſuperet non tantum opinionis oppoſitæ ac probabilioris, verum etiam cujuſlibet, etiam probabiliſſimæ, fundamenta; alioqui Purpuratus Clariſſimus propoſitioni ab Alexandro VIII. damnatæ præluſiſſet.

„ Excuſſa inſimulatoris Ingolſtadienſis argutiuncula, operæ pretium eſt animadvertere Cardinalem Bellarminum in ſua ad Epiſcopum Theanenſem Admonitione idcirco agere *de octo controverſiis*, non de aliis compluribus, quoniam pertractat de iis, in quibus oportet Epiſcopum prudenter ſe gerere, ne in ſuo exequendo munere decipiatur, induatque aliorum exemplo conſcientiam erroneam. Quare ineptiunt, qui ajunt, Præſulibus tantum, & in octo duntaxat controverſiis, partem eligendam eſſe tutiorem, eo quod ipſi debeant perfectionis iter arripere. Enim vero Auctor præſtantiſſimus, monet omnibus quidem arduam eſſe viam ſalutis, ſed maxime Paſtoribus, quibus difficiliora mandata præſcribuntur, & munera incumbunt longe ampliora. Cum ergo aliis non epiſcopis, & qui ſunt minoribus obſtricti officiis, facillimum ſit a veritatis ſemita deflectere, id periculi magis Epiſcopo occurret, cui aliorum cura committitur, & gravioribus negotiis eſt inſiſtendum. Eapropter ad hunc modum incipit Venerabilis Viri Admonitio: *Quod Salvator noſter ait, multos eſſe vocatos, & paucos electos, & multos eſſe, qui ingrediuntur viam latam, quæ ducit ad perditionem, paucos autem, qui viam anguſtam, quæ ducit ad vitam, inveniunt; id in Epiſcopis etiam locum habere videtur; cum S. Joannes Chryſoſtomus hom. 3. in Acta Apoſtolorum dicat, paucos eſſe in ordine Epiſcoporum, qui ſalventur:* productiſque Chryſoſtomi, aliorumque Patrum teſtimoniis, aureum profert monitum, de quo agitur. Præterea falſum eſt ad ſolos Epiſcopos *octo illas Controverſias* pertinere. Nam 1. *An Epiſcopus teneatur in Eccleſia ſua reſidere*, quam affirmative reſolvit cum Tridentino Concilio Seſſ. 23. cap. 1. S. Thoma q. 185. art. 5. & Dominico Soto de Juſtit. & jure lib. 10. q. 3. necnon ratione petita, ex quo Epiſcopus ſit Paſtor, oveſque ſibi creditas regere teneatur; hæc, inquam, controverſia ſpectat etiam ad Parochos, omneſque, *quibus animarum cura commiſſa eſt*, ut legitur, ac demon-

„ ſtruitur citato cap. 1. Tridentini Concilii. Ad eoſdem item Parochos pertinet controverſia ſecunda, *An Epiſcopus teneatur per ſe prædicare*. Tertia, *An Epiſcopus teneatur eſſe perfectus*, quam pariter reſolvit affirmative, productis verbis Apoſtoli ad Timm 2. & S. Thomæ 2. 2. q. 184. art. 7. illaque ratione, quoniam ſacri antiſtites præbere ſe debent in omnibus exemplum bonorum operum, quoslibet Religioſorum Superiores reſpicit, eoſdemque Religioſos, ſaltem quodammodo; nam ad perfectionem, niſi adhuc pervenerint, tendere debent. Controverſia IV. *An liceat, vel expediat multos ordinare*, ad ſolos Epiſcopos pertinere fatemur. At quinta & proxima, *De multiplicitate beneficiorum*, quam multiplicitatem improbat acerrime canonum, Tridentini, Doctoris Angelici, Dominici Soto, Adriani, Panormitani, & aliorum ſanctionibus, nonne permultos clericos attingit charactere non inſignitos Epiſcopali? Permultos quoque, omneſque Eccleſiarum adminiſtros concernunt controverſia VI. *de modo agendi cum Principibus ſeculi*; VII. *de modo agendi cum conſanguineis & affinibus*; & poſtrema *de redditibus Eccleſiaſticis, in quos uſus expendi debeant*. Controverſiæ igitur octo, quas Bellarminus eo in Opuſculo explicat, ſi unam excipias, non ita ad Epiſcopos attinent, ut alii quicunque excludantur. Sed lege *Admonitionem* illam tum Romæ editam, tum Coloniæ in ſupplemento Operum Bellarmini, & Lugduni poſt Tractatum *De officio Principis*. Ad cetera progrediamur.

„ Pag. 53. hæc addit auctor *Quæſtionis Facti*: „ P. Berti citando hom. 44. in Matth. inter Opera Chryſoſt. cap. 4. num. 3. eodem modo, ut Auctor *Theol. Eclect.* omittit illa verba, Et *omnium confeſſiones cognoſcere*. „

„ Utique omiſimus: Sed quid ad *Probabiliſmum* fulciendum, comprobandumque, ea verba, *Oportet omnium confeſſiones cognoſcere*? Foret ne argumentum Theologo dignum iſtud, *Oportet omnium confeſſiones cognoſcere: Ergo licitum eſt ſequi opinionem probabilem in concurſu probabilioris*? Oſtendat vir peracutus hujus ratiocinationis robur. Nos inde inferri oppoſitum arbitramur. Quod ſi integram illius ſcriptoris, proſus digni, qui inter Chryſoſtomi Commentaria in Matthæum conſecutus ſit locum, a nobis proferri velit periodum; en illam: *Quid ergo* (ita legitur pag. 901. Pariſienſis editionis anni 1588. qua utebamur conſcribentes Theologicas diſſertationes) *Quid ergo, ignorans populus excuſabilis erit? abſit. Si enim veſtimenta empturus gyras unum negotiatorem, & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori ab illo comparas: quomodo non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi ſincera veritas Chriſti venumdatur, & ubi corrupta, & omnium confeſſiones cognoſcere, & veriorem eligere, pluſquam veſtimentum? Dicit Apoſtolus*, Omnia probate, & quod bonum eſt, tenete. *Ad Theſſalon.* 5. „ Modo te appello, Ingolſtadienſis Inſtitutor Probabiliſta, Tuam amplecti doctrinam, eſt ne circuire omnes Doctores? eſt ne inquirere ubi ſincera veritas Chriſti venumdatur? eſt ne omnium aſſertionem cognoſcere? eſt ne veriorem eligere? Vah lepidum capitulum, nobis de mutilatis corruptiſque Scriptorum locis impudenter inſultans! Ea inſuper verba, *Et omnium confeſſiones audire*, nil ad *Probabiliſmum* ſtatuendum faciunt; non ergo dolo aliquo *Probabiliſmum* inſectantes illa prætermiſimus, ſed ut redundantia, neque ad inſtitutam quæſtionem admodum neceſſaria. *Confeſſiones* enim hoc in loco ſunt ſinceræ veritatis manifeſta teſtimonia, factaque a Doctoribus explicatio: neque enim ad populum, quem Homiliæ Auctor alloquitur, ſpectat confeſſiones peccatorum excipere, vel cognoſcere. Quare eadem verba, *Et omnium confeſſiones cognoſcere*, præcedentium, *Circuire omnes Doctores, & inquirere ubi ſincera veritas Chriſti venundatur, & ubi corrupta*, continent expoſitionem, quam ignorare non deberet Ingolſtadienſis Theologus.

„ Sequitur in eadem Homilia immediate poſt allatum Apoſtoli monitum, Tom. 2. edit. Pariſ. anni 1588. pagina 618. *Aut ſi propter utilitatem aliquam, vel neceſſitatem mundialem, proficiſci volueris ad aliquem locum, cujus viam ignoras, nunquid propter ignorantiam viæ diſcedis a profectione propoſita? Non, ſed experiris nunc iſtam viam, nunc illam: & quos interroges quæris; & cum inveneris, rogas & poſtulas, ut ſemitam diſcas. Et ſi velis Scripturarum ingredi veritatem, non petis orationibus, non quæris in Scripturis, non pulſas bonis operibus, non interrogas ſacerdotes, nunc iſtos, nunc illos, non inveſtigas qui veri ſunt clavicularii Scripturarum, non qui falſi?* Et iſta omiſimus: nunquid hinc arguitur, debere nos in Probabiliſtarum commentationibus, neglectis oppoſitum ſentientibus, tanquam in pulvinari quieſcere? nunquid hinc infertur, prudenter incedere, qui unam viam experitur, non alteram, & illos ſacerdotes interrogat, non iſtos? Legimus in ipſamet Homilia hæc gravis ſententia: *Nec poteſt eis eſſe excuſatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, ſi fuiſſet quærendi voluntas.* Arripiat & hæc criminator: ſuum illinc ſtatuminet *Probabiliſmum*, & querimonias ingeminet, eo quod non ſolum ea verba, *Et omnium confeſſiones cognoſcere*, verum etiam exſcripta modo, fucum lectoribus faciens omiſerim. Æquo, lubentique animo id patiar.

„ Tertia Ingolſtadienſis Theologi criminatio ea eſt. „ P. Berti, inquit citata pag. 53., *cap.* VI. *num.* 21. *ſic ait de Guimenio, ſeu P. Moya*: " *Recte itaque ponderata hæc D. Thomæ Doctrina ait Amadeus Guimenius*; " Hæc ſi certa ſunt, væ operantibus ex opinione probabili!

„ *Audiamus Guimenium Tract. de opin. probabili Propoſitione 1. num. 6. ſic autem habet*: " *Quæ ſi vera ut ſonant, væ operantibus ex opinione etiam probabiliori, imo & moraliter certa, ni ſecuriorem ſemper eligant, in qua ne materiale quidem peccatum eſſe poſſit. Exponendus eſt ergo &c.* „

„ *Et in Quæſtionibus Selectis q. 6. de opinione probabili*, §. 4. *num.* 23. *ſic ſcribit*: Quæ ſi vera ut ſonant, væ operantibus ex opinione probabiliori, imo & moraliter certa, &c. „ Hæc, quantum ad Probabiliſmum attinet, de me Ingolſtadienſis Profeſſor: nam longe plura addit, ut me Janſenianis adnumeret, quæ omnia alibi fuerunt diſcuſſa.

„ Huic itaque animadverſioni reſpondeamus. Ac principio, ſi mala fide verba Guimenii, ſeu Patris Moya, a Contenſonio, Guerrero, & Ubigant, fuiſſent allata, quod abſit de probis doctiſque viris ſuſpicari; quid ad me, qui ex illis me eadem verba exſcripſiſſe profiteor? *Vide*, hæc ſtatim addo, *Vide Ubigant, Contenſonium, & Guerrerum in Confutatione Probabiliſmi*. Deinde ita a nobis Guimenii verba citantur, *Quæ ſi vera ſunt*, & Inſimulator ait a nobis ad hunc modum referri, *ſi certa*, ipſomet, ſi ludo ludum velimus repellere, adulteratore verborum. Inſuper quid ſibi vult ea particula *Etiam*, quam apud Guimenium legi iocantus Cenſor non obſervat, citis oculis avolantibus; quid, inquam, ſibi vult ea particula *Etiam*, niſi hunc ſenſum reddere, *væ operantibus* non ſolum ex opinione probabili, ſed *Etiam ex opinione probabiliori*? Explicemus hæc paullulum accuratius.

„ Productis verbis S. Thomæ ex Quodlibeto VIII. art. 13. ubi inſtituitur quæſtio, *An quando ſunt diverſæ opiniones de aliquo facto, ille, qui ſequitur minus tutam, peccet?* quæ verba a nobis quoque afferuntur cap. 14. Prop. 3. ita piiſſimus, ac doctiſſimus Contenſonius Tom. 1. edit. Coloniæ Agrip. an. 1687. pag. 360. *Hæc D. Thomas. Quæ verba adeo plana & luculenta viſa ſunt Amadeo Guimenio, ut tract. de Opinion. probab. num. 6. dixerit*: " Hæc ſi vere ſint, væ operantibus ex opinione probabili. „ Atque eadem omnino Ant. Guer. tom. 1. edit. Matriti, ubi etiam laudatur Ubigant, & Guerrerus. Qui non legit Opus Guimenii *adverſus quorumdam expoſtulationes circa nonnullas Jeſuitarum opiniones morales*, opus proſcriptum, nec obvium, laudatque auctores percelebres perſonati hominis verba recitantes, poteſt ne ſubleſtæ fidei, animique ſubdoli inſimulari?

„ Dices, opinor: At hi tres Theologi, & ſi alii ſint, qui Guimenii verba ad eum modum protulerunt, allucinati fuerunt, corruptaque produxerunt, aut callide, aut inſcienter. Sed noſtra expedita cauſſa, nobiſque plurium clariſſimorum virorum teſtimonio adverſus convicia Impoſtoris vindicatis, atque abſolutis, breviter egomet ſummorum virorum, quos pro me adduxi teſtes, cauſam actitabo. Ergo Guimenius citato in Opere, & prædicto Tract. de Opinione Probabili prop. 1. num. 6. pag. 29. edit. Lugdun. anni 1664. pertractat de electione opinionis, & ait: „ *Ceterum circa electionem opinionis, vide Angelicum Præceptorem quodlib. 8. art. 13. ubi hanc ſtrictiſſimam reperies* (*Illud, inquit, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod ſit contra conſcientiam, &c. Dicendum ergo eſt, quod quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic cum faciat contra legem Dei, non excuſatur a peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam*) *Hæc D. Thomas, quæ ſi vera, ut ſonant, væ operantibus ex opinione etiam probabiliori, imo & moraliter certa, ni ſecuriorem ſemper eligant, in qua ne materiale quidem peccatum eſſe poſſit. Exponendus ergo eſt.* „ Pugnare eo loci Guimenium pro opinione probabili, nemo unus inficias ibit. Ne totum excurramus opuſculum, ſat eſt perlegere quid ibidem num. 9. ſcribat de ea Quæſtione, *An liceat eligere in operando opinionem probabilem minus tutam, relicta probabiliori, & magis tuta?* quam affirmative reſolvit, ſuamque aſſertionem veriſſimam, communi hominum praxi comprobatam, & tenendam eſſe declarat, quoniam opinio, quæ eſt probabilis, habet pro ſe graves auctores urgenteſque rationes. Jam vero vulgaris eſt Pugnantium pro opinione Probabili, & repetita cantilena, ſi non teneamur ad tenendam opinionem probabiliorem, neceſſum futurum fore ut eligamus quoque tutiorem, ac ita moraliter certam, ut nec materialis

pec-

„ peccati occurrat periculum; atque id præmiſimus cap. xv. §. *Denique opponunt Probabiliſtæ*. In horum itaque ore, Quid exprimit illud, *Væ operantibus ex opinione etiam probabiliori*, ſi verba S. Thomæ, ut ſonant, accipienda ſint, niſi iſtud idem, Væ *operantibus ex opinione non ſolum probabili, ſed etiam probabiliori?* Illud ergo quod in Guimenii textu dilucide evidenterque ſubintelligitur, demonſtratque particula *Etiam*, Contenſonus, Guetterus, aliique aſſertum a Guimenio, jure, meritoque affirmarunt. Quomodo autem ex illo articulo 13. Quodlibeti 8. minime conſequatur, oportere, ſi vera ſit S. Thomæ doctrina, amplecti non opinionem probabiliorem ſolum, ſed ulterius omnino certam, & quæ omne peccandi, etiam materialiter tantum, excludat periculum, oſtendimus proximo capite xvii. §. *Reſpondetur Rigoriſtis*.

„ Ea plura, quæ Conviciator ſubjicit, ut me Janſeniana doctrina imbutum evincat, alibi a nobis refutatæ ſunt, neque eſt loci hujus expendere. Auctoris Hiſtoriæ Litterariæ vernacula Italorum lingua conſcriptæ libros deflorans putat Ingolſtadienſis diſputator magnum aliquid ſe effeciſſe, ignorans, aut diſſimulans non uno ſcripto nos illius Hiſtorici refutaſſe criminationes, & Senonenſium quoque Præſulis, cujus utraque repetit objecta, typis procuſa *Expoſtulatione* a me fuiſſe diſpuncta. Omnia vero, quæ ad Janſenianæ hæreſeos ſpectant accuſationem, ſimul collecta quamprimum in hac Remondiniana librorum noſtrorum editione iis, qui ea velint perlegere, curabimus exhibere. Interim ex his paucis quænam ſit Adverſarii hujus vaniloquentia, & jactantia, ex hactenus dictis de opinione probabili poterit quiſque conjicere. Danielis Concinæ non unus Prædicatorum Familiæ exornavit vindicias, & Scriptoribus Societatis ab Ingolſtadienſi laudatis luculentiſſime ſatisfecit. Clariſſimus Euſebius Amort pariter in *Quæſtione Facti* impetitus ſtrenue cauſam egit ſuam. At hi aliique patrocinio noſtro non indigent. Ceterum P. Hizler, quandoquidem ei ſubiit animus inſtituere quæſtionem, *An major fides ſit habenda Probabiliſtis, aut Antiprobabiliſtis in allegandis Auctoribus, eorumque doctrinis*, eamque a Baccalaureo, & Philoſophiæ Magiſtro diſcuti voluit; animadvertere debebat ſe hujus *Quæſtionis* titulo non tantum auditoribus polliceri, a ſe falſas eſſe *Antiprobabiliſtorum* allegationes & doctrinas, demonſtratum iri; ſed ulterius veras eſſe, quas proferunt *Probabiliſtæ*. At hic labor, hoc opus. In adjectis quoque Janſeniſmi criminationibus opportune meminiſſe debebat eorum, quæ literis tradidit Eminentiſſimus de Aguirre, nonnullos Antiprobabiliſtis Janſenianæ hæreſis notam inurere; ſed hanc *contemptu aut riſu exſibilandam eſſe*. Vocitet nos itaque Probabiliſtarum chorus Janſenianos: contemnemus nos illorum dicteria, & ridebimus. At quoniam de Guimenio diximus paullo ſupra, verbis, quibus ille pagina 288. reſponſiones ſuas abſolvit, abſolvamus & noſtram. *Claudunt*, inquit, *Apologiam D. Hieronymi verba epiſt. 18. ad Auguſtinum tom. 2. Epiſt. Aug.* (Non ego tibi, ſed cauſa cauſæ reſpondit. Et ſi culpa eſt reſpondiſſe, quæſo, ut patienter feras, multo major eſt provocaſſe. Sed faceſſant iſtiuſmodi querimoniæ, ſit inter nos pura germanitas, & deinceps non quæſtionum, ſed charitatis ad nos ſcripta mittamus). *Hæc Hieronymus ad Auguſtinum. Eadem Amadeus ad Anonymum* „ Adde: Hæc eadem Frater Etruſcus ad Probabiliſtam Ingolſtadienſem.

CAPUT XVII.

Emolliendum eſſe nimium quorumdam rigorem, qui tenent nullam conſcientiam probabilem in materia juris naturalis excuſare a peccato.

QUI nullam inculpabilem ignorantiam juris naturalis admittunt, conſequenter docent in iis, quæ ad idem jus pertinent, nullam opinionem vel probabiliſſimam reddere operantem immunem a culpa; nam, inquiunt, ſi falſam opinionem eligat, nequit error excuſari, cum ſit vincibilis, voluntarius, ac adhibita diligentia facile potuerit expelli, ideoque amplectens opinionem probabilem plena libertate peccandi periculo ſe committit. Ita ſentiunt Joannes Sinnichius, Guilelmus Wendrockius, noſter Vauroy, Norbertus Elbecque, & quos laudavi cap. 25, Gennatus, & Ballerinius. Si adverſus iſtos opponas propoſitionem damnatam ab Alexandro VIII. *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*: facile ſe expedient dicendo merito fuiſſe proſcriptam; quia cum univerſalis ſit, & conſcientia probabilis aliquando excuſet a culpa in iis, quæ ſpectant vel ad *factum*, vel ad jus poſitivum, abſque ulla exceptione prolata apertiſſime falſa eſt.

Sententiam noſtram poteſt quiſque deprehendere ex capite 20. & 21. hujus libri, ubi de ignorantia diſputavimus. Oſtendimus non poſſe invincibiliter ignorari legem naturalem quantum ad prima principia, & ad præcepta, quæ evidenter inde inferuntur; ignorari tamen a plurimis abſque culpa quantum ad ea, quæ remote, & perplexa ratiocinatione ex iiſdem principiis, præceptiſque inferuntur, dummodo qui tali ignorantia laborat, in eligendis, rejiciendiſque dijudicandis omnem, quam prudentiæ jura præſcribunt, adhibuerit diligentiam. In jure poſitivo dari ignorantiam invincibilem nec Catholicus negat, nec Janſenianus, nec rationabilium quiſpiam. Ignorantiam *facti*, ſi ſit eorum quæ prævideri aut non poterant, aut non debebant, excuſare a peccato nemo pariter inficiatur. Hinc ſequitur opinionem vere probabilem, & quæ appareat gravi fundamento innixa, etiamſi in ſe falſa ſit, conſtituere conſcientiam rectam; dummodo non verſetur circa principia, & notiora præcepta juris naturæ, & dummodo non pugnet cum opinione æque probabili, aut probabiliori, nec talem dubitationem pariat, quæ exponat operantem peccati periculo; uno verbo, dummodo ingeneret conſcientiam moraliter certam, nec propria voluntate obcæcatam. Proximo tamen theoremate hæc omnia confirmabuntur.

PROPOSITIO. Sequi poſſumus in qualibet materia ſive juris, ſive facti, ſententiam probabilem, quæ poſt diligentem veritatis inquiſitionem appareat oppoſita ſententia probabilior: quod tamen in per ſe notis, obviiſque præceptis legis naturæ nequit occurrere.

Opinionem quippe probabilem hoc loco illam appello, non qualem fingunt plurimi, innixam cuicumque momento, ſive petitum ex auctoritate alicujus recentioris, ſive ex humana ratione aut præjudiciis affecta, aut noxia cupiditate, aut voluntaria ignorantia; ſed quæ probetur omnibus, aut pluribus, vel ſapientioribus, & iis vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis: quæ aut ex definitione Conciliorum, aut ex ſacris literis, aut ex doctrina Patrum, aut ex rationis lumine dijudicetur; & quæ inhæreat homini non affectata cæcitate, noxiiſque cupiditatibus abrepto, ſed veritatis amatori, & ad eam aſſequendam conſilia, preces, ſtudiumque adhibenti. Qui enim hac præcautione ſequitur opinionem probabilem, prudenter ſe gerit, vitat peccandi pericula, & conſcientiam moraliter certam habet in corde. Et quod prudenter ſe gerat liquet, quoniam diſcernit inter eligenda ac rejicienda, eaque probat, quæ præmiſſo debito examine recta & inculpata exiſtimantur: quod vitet peccandi periculum conſtat, nam ne in legem impingat, doctos conſulit, Deum orat, ponderatque momenta rationis; quod habeat denique conſcientiam moraliter certam patet, propterea quod ad moralem certitudinem non requiritur evidentia quædam geometrica; & ſi animum pulſet levis tenuiſque hæſitationis nubecula, fuganda eſt gratiæ divinæ illuſtratione, lumine rationis, optimaque conſultatione; alioqui conſcientiarum omnium prudentior, ac præſtantior eſſet illa, quæ ſcrupulis valde agitatur, utpote quæ exili, tenuique cauſſa angitur ac percellitur. Igitur opinio probabilis ita a me circumſcripta conſtituit optimam, rectiſſimamque conſcientiam.

Veritatem iſtam comprobant omnia genera argumentorum. Primum petitur ex ſacris literis. Deuteronomii xvii. 8. legimus: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſſam, & cauſſam, lepram & lepram: & judicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore; quæreſque ab eis: qui indicabunt tibi judicii veritatem: & facies quodcunque dixerint*, &c. Cur ergo ruſticus ambigua conſcientia pulſatus humiliter accedens ad Parochum, & ad Confeſſarium, quem probum ac doctum deprædicant, prudenter non facit quod illi ſuadent? aut vir doctus tanta auctorum diſcrepantia diſtractus, ſacrorum librorum lectione, ac ponderatis ſacrorum Canonum, & Romanorum Pontificum definitionibus prudentiſſime non diſpellit priorem hæſitationem? Si ita eſſet, fruſtra Sacerdotes conſulerentur, ac perperam colerentur ſtudia ſacra, ad eas præſertim controverſias dirimendas, in quibus aut non omnes conveniunt, aut haberi non poſſunt metaphyſicæ demonſtrationes; quia opinio unius aliquam ſaltem tenuem opinionem ingeneraret, & deficientia rationis evidentiſſimæ fere omnia opera tanquam illicita reprobaret.

Alterum argumentum, ne multus in diſceptationibus videar, ſimul ex Eccleſiaſtica hiſtoria, ex ſanctis Patribus, & Pontificum definitionibus petitur. Invenimus enim complures ſanctitate, doctrina, & dignitate Eccleſiaſtica ſummos viros propugnaſſe opinionem non ſolum non probabiliſſimam, ſed aut falſam, aut ſaltem reprobatam ab aliis, & tamen inculpate ſe geſſiſſe, quoniam ipſis apparebat probabilior, & ceteris præferenda poſt exactam veritatis inquiſitionem. Mitto beatiſſimum Cyprianum, qui pugnans pro rebaptizatione aut nullo pacto, aut venialiter tantum erravit, etiam ſi ſciret ſententiam ſuam a pluribus oppugnari: nam de ipſo dixi capite xv. Theodoretum, Acacium, Proclum, magnum quoque Hieronymum quis damnet, quod ſcripſerint poſſe bigamum in ſacrum mini-

ſtum

ſitum aſſumi, interpretantes verba Apoſtoli I. ad Timoth. III. 2. *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*, de bigamia *ſimultanea*, qualis olim viguit divina diſpenſatione in Abraham & Jacob, & nunc ſervatur improba conſuetudine a Saracenis? Nullus pariter de gravi peccato illos arguet, qui iterarunt conſecrationes factas ab Epiſcopis hæreticis ac ſimoniacis; eoſque, qui ſæculo decimo & duodecimo docuerunt nunquam extremam unctionem poſſe iterari. Damnaſſe tertias nuptias Gregorium Nazianzenum, Baſilium, alioſque Patres, repugnantibus tamen plurimis, nec tamen reprehendi, latet neminem. Poſſe conſecrari in Epiſcopum, qui juravit ſe ordinationem non admittere, ſcripſit Athanaſius ad Dracontium, eumque poſt tale juramentum in Epiſcopum ordinavit, quamquam id illicitum opinarentur Baſilius, Palladius, & qui ob eam rem Formoſum Papam etiam poſt mortem degradandum exiſtimarunt. Per adulterium ſolvi vinculum matrimonii, ut poſſit vir innocens aliam ducere, pluribus perſuaſum fuit; ut liquet ex Epiſtolis Aviti Epiſcopi Viennenſis, atque ex Synodo Tiburienſi. Diſpenſarunt in matrimonio rato, & non conſummato, abſque ullo prorſus errore Paulus IV. & Adrianus VI., & a voto ſolemni caſtitatis Alexander III. Pius V. & Gregorius XIII., quamvis contraria opinio extiterit penes aliquos exiſtimantes hujuſmodi diſpenſationes invalidas. In ipſo matrimonii Sacramento nullam gratiam conferri perſuaſum fuit Petro Pictavenſi, nec non Jacobo de Vitriaco, & Roberto Pullo S. R. E. ampliſſimis Cardinalibus. Innumeris propemodum Theologis placet ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ attritionem omni caritate expoliatam, & poſſe occidi injuſtum vitæ aggreſſorem, quæ duo Noſtrates fere omnes oppugnant. Hæc aliaque plura producit, demonſtrat, noriſque colluſtrat in Erudito Opere de Opinione Probabili helluo antiquarum diſciplinarum Chriſtianus Lupus. Quare prædictos viros ſanctitate, doctrina, eruditione, & auctoritate conſpicuos non reprehendimus? Id quidem, quoniam ſequuti ſunt opinionem ſibi probabiliſſimam, illamque non temere, & inconſulte, ſed poſt accuratam, æquiſſimamque ponderationem: in qua ſi quidam illorum decepti ſunt, id non malitiæ, aut negligentiæ tribuendum eſt, ſed communi hominum infirmitati.

Tertium argumentum deſumptum erit ex S. Thoma; hunc enim pugnaciter Adverſarii ſibimetipſis adjudicant. Ergo Angelici Doctoris ſententiam eſſe, quod etiam in lege naturæ ſint plura, quæ nonniſi a ſapientibus ſubtiliori conſideratione rationis judicantur eſſe obſervanda, probatum eſt cap. XI. ex I. 2. q. 100. art. 10. In actibus moralibus non requiri certitudinem demonſtrativam, ſed ſufficere probabilem, *quæ ut in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus a veritate deficiat*, tradit S. Doctor 2. 2. q. 70. art. 2. Haberi ſine peccato plures præbendas ab eo qui adhibet diligentiam inquirendo an id ſit licitum, *nec invenit aliquid quod ipſum moveat ad hoc quod ſit illicitum*, expreſſe docet Quodl. VIII. art. 13. Sed controverſiam omnem dirimit eodem Quod. art. 15. ſcribens: *Error conſcientiæ quandoque habet vim abſolvendi, ſive excuſandi, quando ſcilicet procedit ex ignorantia ejus quod quis ſcire non poteſt, vel ſcire non tenetur: & in tali caſu quamvis factum de ſe ſit mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccaret venialiter; ſicut ſi aliquis intenderet accedere ad uxorem ſuam cauſſa delectationis, & ita intenderet peccare venialiter, ſi alia ei ſupponeretur eo neſciente, peccaret venialiter. Quandoque vero error conſcientiæ non habet vim abſolvendi, vel excuſandi, quando ſcilicet ipſe error peccatum eſt, ut cum procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire tenetur, & poteſt; ſicut ſi crederet fornicationem ſimplicem eſſe peccatum veniale, non tamen peccaret venialiter, ſed mortaliter*. Quemadmodum igitur per S. Thomam opinio probabilis, & ex ignorantia procedens non excuſat in iis, quæ per communia legis naturalis principia facile poſſunt approbari, vel reprobari, quia horum ignorantia facile poteſt excuti: ita excuſabit in iis, quæ implexa ac perdifficili ratiocinatione ex iiſdem principiis a ſapientioribus deducuntur, quia ignari ea ſcire non poſſunt; ſapientiores autem adhibita diligentia, quam debent, habent *probabilem* certitudinem, nec inveniunt aliquid, quod ipſos moveat ad credendum eſſe illicita. Virum enim ſapientem moveri ratione aliqua inepta, futili, ac parum probabili, indecens & incongruum omnino eſt. Conſentire S. Thomæ S. Antoninum conſtat ex dictis cap. XVI. & ex P. prima Summæ Tit. 3. cap. 10. ubi docet in humanis actibus ſufficere *certitudinem moralem*: neceſſarium non eſſe, ut *hæc certitudo ſemper ſcrupulos omnes abjiciat*, ſed ſatis eſſe *ſi eos contemnat ac ſuperet*: haberi demum certitudinem ipſam ab incipientibus *ex alterius auctoritate*, a proficientibus *ex ſtudio divinarum Scripturarum*, a perfectis *ex circumſtantiarum circumſpectione*. Merito de hac S. Antonini doctrina ait clariſſimus L' Herminier Tom. V. Summæ Theolog. pag. 158. *Serio nihil ad rem noſtram illuſtrius afferri poteſt*.

Confirmant præterea communiorem hanc aſſertionem argumenta a ratione; quorum præcipuum petitum ex prudentia principio poſitum eſt. Neque illud repetam, ne imprudentiſſimus ipſe videar diſputando an eluceat prudentia in iis, qui deliberant ex momentis validioribus, ac inania contemnunt: quod nemo prudens, & rerum expetendarum ſcientia præditus dubitat eſſe ipſius prudentiæ, quæ morum eſt princeps regula, primam partem; quam poſt Græcos philoſophos appellamus *εὐβουλίαν*, ideſt, perſpectam conſultationem. Alterum argumentum ſuppeditat gratiæ ſanctificantis, ac juſtificationis incertitudo; nemo quippe, etſi nullius criminis ſibi conſcius ſit, ſe juſtum eſſe certo novit, ſed tantum dum partes ſuas accurate explet, id ſperat, prudenterque confidit. Alia ex parte nulli accedendum eſſe ad Angelicam menſam, & ſancta ſancte eſſe tractanda, ex legis divinæ præſcriptione, atque ex ratione ipſa pateſcit. Niſi ergo immunem reddat a culpa certitudo moralis, qua partibus noſtris perfectis prudenter induimus conſcientiam bonam, quamquam adſit leve aliquod contrariæ ſuſpicionis motivum, nullus Sacerdos quantumvis probus poterit ad peragendum ſacrum accedere, nulluſque laicus accipere Euchariſtiam, quoniam juſtitiæ ſuæ certiſſimam habere nequit demonſtrationem. Tandem niſi probabiliorem ſententiam poſſimus eligere, damnandi erunt qui tutam ſequuntur, quando probabilior eſt tutiori; atque ita rei erunt, qui conſilia Evangelica non amplectuntur, quia tutius eſt eadem amplecti; cum tamen eo ipſo quod conſilia ſunt, non præcepta, nullum obſtringant.

RESPONDETUR RIGORISTIS.

Quoniam ex hoc capite, atque ex XI. & XII. hujus libri corruunt objecta quæque illorum, quos *Rigoriſtas* appellant, non ero in iis diluendis linguax, atque, ut Gellius inquit, locutulejus. Timendum eſt, ajunt rigidi illi Theologi, ne de his, qui probabiliorem opinionem concipiunt ex Caſuiſtarum rudimentis, verificetur Chriſti pronunciatum Matth. XV. 14. *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Quomodo non audiunt Auguſtinum dicentem de Util. Credendi, quod *opinari numquam ſine vitio eſt?* Saltem perlegant quæ ſcribit S. Thomas quodlibet. VIII. art. 13. *Quod agitur contra legem ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc quod ſit ſecundum conſcientiam:* & quodlibet. III. art. 10. *Nullus excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicujus Magiſtri; in talibus enim ignoratio non excuſat*. Si hunc Scholarum ducem nolint audire; ne deſpiciant commune proloquium, *Peccat qui ſe exponit peccandi periculo*. Annon in electione opinionis, quamvis probabilioris, favente maxime libertati, fieri poteſt, ut eligatur falſa? Erit ergo tunc peccatum, quia fiet quod veritati ac legi repugnat. Annon in ea prælectione pulſat animum formido aliqua, ac dubitatio? In dubiis ergo non premit æquiorem viam quiſquis ſequitur opinionem etiam probabiliſſimam. Hæc ſi attendantur, manifeſtum erit poſtremam hanc aſſertionem contrariam eſſe præcedentibus, & Scripturis, Auguſtino, S. Thomæ, atque rationi manifeſto adverſari.

Reſp. hæc dictis nullo negotio repelli. Nam Chriſtus apud Matt. loquitur de Phariſæis obſtringentibus plebem ad obſervandum *doctrinam, & mandata hominum*, & abſque ullo momento probabili imponentes *onera gravia, & importabilia*. Nemo noſtrum Phariſaicam conſcientiam cæcam eſſe, & in præcipitia ruentem denegat. Imo nos a *Rigoriſtis* ad conſcientiam illam Phariſæorum compellimur, ſi ob leve motivum debemus gravis culpæ induere ſuſpicionem. Caſuiſtas ſequimur, non ſi cæci dignoſcantur, ſed ſi nobis lumen veritatis oſtendant, aut ex Dei Verbo, quod *lucernam pedum noſtrorum* appellat David, aut ex Patribus, viriſque Apoſtolicis, qui dicuntur in Evangelio *lux mundi*: aut ex ratione, de qua ſcriptum eſt, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*. Qui lucerna iſta graditur, non eſt cæcus cæco ducatum præſtans. Præcurrentes abſque hoc lumine Caſuiſtas nemo prudens ſequitur. Si aliquis tardus ingenio, & abſque malitia cæcus horum cuidam ſe ducendum committat, quem recta conſcientia ducem optimum credit, licet cadat in foveam, non colliditur. Cæcum in foveam cadere ait Dominus; cadere, & ſemper collidi, id non ait. Accidit hoc infortunium iis, *qui amaverunt tenebras, & non lucem, dilexerunt cæcitatem & non viſionem*, inquit S. Pater in Pſalmum LIV. num. 25. Cadentem cæcum in foveam, quam prævidere non potuit, quis niſi immanis, reprehendat? Sed ad primum ſatis. Auguſtinus recte docet, quod nunquam opinari eſt ſine vitio, quoniam opinio naſcitur ex ignorantia, quæ eſt vulnus animæ: ſed conſulto ait, *ſi per ſeipſam conſideretur*: nam ſi conſideretur in eo, qui curat ignorantiam diſpellere petendo humiliter Spiritus ſancti illuſtrationem, hominumque ſapientum conſilia, nec *temere præſumit ſe neſcire*, quod neſcit; nihil habet turpitudinis, quia caret *animi male affecti temeritate*, ob quam ibidem Auguſtinus ait turpiſſimum eſſe opinari. Ideo nos diximus pag. 257. opinionem

er ex ignorantia profectam non eſſe vitioſam, quando ipſi ignorationi imputari nequit ad culpam. Concedo itaque quod ait S. Pater, opinari cum præſumptione, ac temeritate conjunctum rem eſſe turpiſſimam; nego opinionem ignorantis *quod diſci non poteſt*, & non *temere*, ſed conſulto opinantis, jure meritoque culpari. Doctoris Angelici mentem jam explicui. Recte ait malum eſſe quod fit contra legem, quamvis non fiat contra conſcientiam, ſi hanc non excuſet ignorantia eorum, *quæ quis ſcire poteſt ac debet*, ut ait Quodlibet. VIII. art. 13. ubi exemplum affert fornicationis, quam peccatum eſſe nemo poteſt invincibiliter ignorare: aut ſi quis non adhibeat diligentiam inquirendo veritatem, aut poſt veritatis inquiſitionem inveniet probabile motivum judicandi, *quod ſit illicitum*, ut inquit eodem Quodlibet. VIII. art. 13. Si ergo conſcientia non laboret ignorentia communium præceptorum legis naturæ, & eorum, quæ inde facili obviaque ratione deducuntur, quæ ignorantia culpabilis ſemper eſt; atque ſi poſt accuratam inſpectionem nullis momento aliquo gravi non trahatur ad dubitandum an res ſit licita, per S. Thomam quiſque a peccato excuſabitur. At in Quodl. III. art. 10. non loquitur de opinione probabili, ſed de erronea, nullique gravi momento ſubnixa: nam ait, *Si ſequatur opinionem erroneam alicujus magiſtri;* proferique ſtatim exemplum Arii, Neſtorii, & eorum hæreticorum, qui adverſus communem Eccleſiæ fidem perverſa dogmata tradiderunt. Quod vehementer movit Philalethem, & Wendrockium, S. Thomam univerſaliter loquutum, nil efficit: nam *ſemper* peccare inquit qui legem tranſgreditur, niſi adſit error excuſans, & culpabilis negligentia: alioqui quis non dixerit peccatum eſſe infidelitatem quoque invincibilem? quis non damnabit inceſtus Jacobum accedentem ad Liam, aut Judam ad Thamar, quorum unus putans accedere ad uxorem deceptus compreſſit affinem, alter exiſtimens convenire ſcortum, concubuit cum nuru? At Jacobum omnino inſontem, Judam fornicationis tantum crimen patraſſe Theologi omnes pronuntiant. Habet ergo exceptiones quaſdam enunciatio illa, *Quod agitur contra legem, ſemper eſt malum*, eaſque ab eodem Thoma accuratiſſime traditas. Sed Philalethis & Nicolii error, cum facile deprehendatur, non eſt pluribus refutandus. Ad rationem poſtremam, nego quod ſe exponat peccandi periculo qui laborans ignorantiæ inculpabili, ac diligenter veritatem inquirens offendit in legem inſcius ac ſimplex: nego contemnendam non eſſe minimam ſuſpicionem, cum ſolida momenta nos permovant: nego denique haberi conſcientiam *dubiam*, cum animus inter utramque partem non hæret ſuſpenſus, ſed uni caute, prudenterque aſſentitur; cum id etiam definitioni *conſcientiæ dubiæ* ex capite tertiodecimo ſit repugnans. His autem diſſertationi de Opinione probabili finem facio: & ſimul liber ille concluditur præclare Jeſuitæ Pictavienſis ſententia,

Virtus judicio veri momenta ſevero
Ponderat, & caute præcavet omne malum.

DE

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS SECUNDUS,

De veritate Religionis Chriſtianæ, aliarumque profanarum vanitate.

NULLUM eſt inter humanarum virtutum officia præſtantius Religione, cultuque ſupremi Numinis: ideoque licet hoc Opere moralia præcepta ſingillatim non explicemus; quæ tamen Religio vera ſit, a ſuperſtitione immunis, & ab omni errore purgata, erit hac diſſertatione inquirendum. Ac perſtringenda primum Gentium idololatria paucis contractiſque adnotationibus: quas non ſolum a Chriſtianæ Religionis Apologiſtis Arnobio, Firmico, Commodiano, Clemente Alexandrino, ac Magno Prompatente, ceteriſque Patribus delibavimus; verum etiam a Poetarum figmentis, atque Theologia Gentilium, a Giraldo, Boccaccio, Voſſio, Seldeno, aliiſque magnopere colluſtrata. Tum acuendus ſtilus adverſus Mahumetiſmum, adeo ſuo quoque auctori improbatum, ut ne turpitudinis, mendacii, maximeque improbitatis argueretur, interdixerit gregariis ſuis literarum culturam, verique diſquiſitionem. Poſthac veritas Religionis noſtræ momentis firmiſſimis confirmabitur; refutatiſque ſectis hæreticorum, quid vera Chriſtiana Religio profiteatur, tradetur in Apoſtolici Symboli Expoſitione. Hoc itaque libro, mole quidem parvam, ſed argumento magnam ac perutilem diſputationem complectimur, ſuomet titulo, abſque ulla præfatiuncula, commendatam.

CAPUT I.

Serviendum Deo in ea Religione, quæ in primis Idololatriam execratur.

IN primo hujus Theologici Operis libro dedimus operam, ut uniuſcujuſque animo immota hæreret unius Numinis exiſtentia, atque inde exploderetur plurium Deorum commentatio. Nunc de Religione ac fide Chriſtiana, ceteriſque divinarum virtutum officiis acturi, in eos iterum calamum perſtringimus, qui profana eruditione tumidi ex Theologia Gentilium audent in noſtram inſurgere. Adverſus errores iſtos pingendam principio ducimus Romanorum, Græcorumque ſuperſtitionem. Hi duodecim *Conſentes* Deos coluere, octo autem *Selectos*, iiſque addiderunt turbam Deorum minorum immenſam. Conſentes Dii, qui & Penates, & Urbani dicti ſunt, duodecim numerantur, ſex maſculi, atque ſex fœminæ; horum nomina exhibent duo illi verſus apud Ennium,

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Dicam modo quam fuerint inſipientes Deorum iſtorum cultores.

PROPOSITIO I. Summæ dementiæ eſt inter Divos cenſere maſculos Deos Conſentes.

PROBATUR I. DE JOVE.

Jupiter alius eſt Argivus, ideſt Apis, qui Niobem ſororem compreſſit; de quo Apollodorus ſcribit lib. 2. *Poteſtatem regni in libidinem convertit.* Alius Phrygius, ideſt, Tantalus, qui Ganimedem Dardani regis pronepotem flagitioſiſſime rapuit. Alius Cretenſis, ſcilicet Aſterius, vel Xanthus, qui vim intulit Europæ filiæ Agenoris Regis Cananæorum. Hinc exortæ fabulæ, quæ de uno Jove narrantur, & nihil ſunt quam plurium perditiſſimorum hominum flagitia, quæ in unum quadrare non poſſunt; nam Rex primus Jupiter vixit inchoato Regno Sicyoniorum, qui imperare cœperunt circa annum M. 2148. Raptor Ganimedis vixit tempore Ehud, ſive Aod Judicis Iſraelitarum, & nefarium ſcelus patravit poſt annum M. 2680. Violatio Europæ refertur ad annum ducenteſimum ante bellum Trojanum, qui eſt mundi 2720. ante primam Olympiadem 409. Nequeunt ergo hæc omnia convenire Jovi, quem Romani a loco Templi appellarunt Capitolinum, Tarpejum, Latialem, Vimineum, Olympium, Jovem autem, quaſi ille fuerit *Juvans pater*; non, ut quidem putarunt, *Juvans patrem*, cum dicatur Saturnum parentem ſuum regno evoluiſſe, apud Tullium in v. de Natura Deorum. Itaque nil ſtultius fingi potuit, quam pro vero Numine Jovem habere: primo quia ridiculum eſt facere ſatorem, Conditoremque hominum, quem conſtat ab aliis hominibus longe poſt mundi exordia fuiſſe progenitum. Deinde quia iniquum eſt uni viro tribuere facinora, quæ a pluribus fuere patrata. Inſuper quia impium eſt appellare Capitolinum, Tonantem, Lucetium, Dapalem, aliiſque magnificis titulis raptorem virginum, & puerorum conſtupratorem. Poſtremo, quia non ſinunt hæc aliaque flagitia a Lactantio, Minucio Felice, Commodiano, & Arnobio ex ipſa Gentilium Theologia manifeſte comprobata, ut Jovem, non dicam optimum, ſed virum tolerabilem exiſtimemus.

II. DE NEPTUNO.

Neptuni nomine Veteres ſignificarunt aquam maris deducto nomine *a nubendo*, quod aqua terram nubat & operiat: atque ita ex ſalſedine, undarumque regreſſu factæ, ut Auguſtinus ſcribit lib. VII. de C. Dei cap. XXI., Salacia, & Venilia. Voſſius deducit Neptuni nomen a *νίπτω*, *lavo*, Cicero in 2. de Nat. Deorum a *nando*. Perſonam vero Neptuni tradit libro V. Diodorus fuiſſe filium Rheæ, qui omnium primus tractavit maris negotia. Romani illum, qui Romulo conſilium dedit de rapiendis Sabinis. Hinc Conſum appellarunt, ludoſque Circenſes Feſta Conſualia. Nos cum viris doctiſſimis arbitramur fuiſſe Japhet Filium Noe, cui poſt diluvium ferunt obtigiſſe inſulas Mediterranei, & continentem Europæam, ut ei ob mare tranſmittendum opus fuerit Nauticam inſtituere. Cyclopes, aliique ferociſſimi, & ab humanitate alieni dicuntur filii Neptuni ob maris violentiam, ut ſcribit Gellius lib. XV. N. A. cap. 21. & Phornutus apud L. Giraldum Synt. V. pag. 216. Exploditur ergo fabuloſa Neptuni divinitas 1. quoniam nihil eſt aliud, quam mortuum elementum. 2. quoniam quæ de eo narrantur conficta ſunt ex hiſtoria Japhet filii Noe, quem Gentiles Saturnum dixerunt. 3. ob inſanam libidinem, de qua vide Clementem Alexandrinum Tom. III. Biblioth. PP. pag. 8.

III. DE VULCANO.

Vulcanum ex ipſo nomine liquet eſſe ignem; ſic enim appellatur quaſi Volicanus, quomodo Mulciber & Ætnæus, a mulcendo, molliendoque ferro, & a flammis ab Ætna monte erumpentibus. Ita dixere Cooperarium Minervæ, quod ignis adminiculo artes plurimæ exerceantur, & conceptum vento, quod hoc flante flamma exardeſcat, receptumque in Lemno, ob fabricas inſulæ. At Poetæ commenti ſunt, ob deformitatem de cælo fuiſſe dejectum, ejuſque arte Martem ac Venerem in adulterio deprehenſos, evocata ad ſpectaculum ſtupri Deorum turba. Plura Auguſtinus in IV. de Civ. Dei cap. 10. & Gregorius Nazianzenus Orat. I. in Julianum. Sententia noſtra Vulcanus eſt Tubalcain, de quo Geneſis IV. 22. nam huic conveniunt, quæ de Vulcano ſcribit lib. V. Diodorus fuiſſe malleatorem ferri, atque æris. Itaque ſive nomen ſpectemus, ſive commenta Poetarum, ſive profanam ac ſacram Hiſtoriam, Vulcanus eliminandus eſt a concilio Conſentium.

IV. DE MARTE.

Specioſum videtur nomen Martis; quem Latini appellant hoc nomine, quod maribus in bello præſit, magnaque *vortat*. Sed hæc ſunt Mars, Mavors, aliaque plura bellorum nomina; ideoque Martem quoque dicimus Quirinum ab haſta, necnon truculentum, cæcum, atrocem, ultorem, ſanguineum. Martis cum Venere adulterium narrat Statius, Minucius in Octavio, & Arnobius. Homerus lib. V. Iliad. ait Martem haſta percuſſum a Diomede; quod adverſus Gentes urget Clemens Alex. in Admonit. & Cyprianus de Vanitate Idolorum. Athenis accuſatum ſcribunt Pauſanias, & Demoſthenes in Oratione, *κατ' ἀριστοκράτου*, nec non Auguſtinus lib. XVIII. de Civit. D. c. 10. Hinc judicii locum appellaverunt *Areopagum*, nam Græcis Mars dicitur *ab interficiendo*, *ἄρης*. Ductor luporum ob belli feritatem appellatur a Plauto in Truculento: & lupi paſſim a Poetis dicuntur Martii. Hinc Romulum, quem lactavit uxor Fauſtuli Laurentia, quam Lupam ob proſtitutionem vocitabant, Latini tamquam Martis filium ſuſcepere. Non alia fuit perſona Martis, quam Nimbrodus, ſive

Be-

Digitized by Google

Belus, de quo Gen. xv. 8. Poſt illum eodem nomine deſignati ſunt potentiſſimi bellatores, ut Oreſtes matricida, quem ferunt accuſatum Athenis. Ergo nihil aliud Martis nomine intelligimus, præterquam hoſtilia bella, contentiones, ac milites truculentos.

V. DE MERCURIO.

Mercurium alii quidem dictum putant a mercium cura, unde nummarium ſacculum tenet, atque juxta hanc etymologiam percipitur cur etiam appellatus ſit Hydrargyros, ob argenti theſauros, quos navigando comparant mercatores. At alii Mercurii nomen deducunt a *medium currere*, itaut nihil ſit aliud, quam eloquium vel ſermo, ideoque apponunt alas illius capiti ac pedibus propter verborum velocitatem. Hinc Auguſtinus fictitium nomen demonſtrat lib. vii. de C. D. cap. 14. Antiqui Mercurium furibus ac latronibus præpoſuere: unde Prudentius,

Expertes furandi homines hac imbuit arte
Mercurius, &c.

Fabuloſos Mercurios enumerat Cicero in iii. de Nat. D. Illum, quem cum Statio faciunt inventorem citharæ liquet eſſe Jubal, Gen. iv. 21. Nuntius Jovis, cujus meminit Horatius lib. 1. Od. 10. & evocator animarum, de quo Virgilius in iv. Ænead. confictus eſt ex iis, quæ de Angelis, atque de horum principe Michaele tradunt ſacræ literæ. Vide Carolum Moreau Cl. Ordinis Scriptorem T. ii. Op. Tertull. pag. 40. & Mendicum Chriſti Commodianum ab eo verſu, *Mercurius veſter fiat cum ſaraballo depictus*. Nulla eſt ergo fabuloſa Mercurii divinitas.

VI. DE APOLLINE.

Apollinem eſſe ſolem Eruditi omnes fatentur, nomenque derivant ἀπὸ τοῦ πάλλειν, quod eſt, radios jaculare, ſive ab ἀπολλύω, ideſt tertena *ſovo ac diſſolvo*. Ita dicitur Δῆλος Perſpicuus, φοῖβος ſplendidus, & λύκιος a luce, necnon λοξίας ab obliquo per Zodiacum curſu. Legendus Auguſtinus lib. vii. de Civ. D. cap. 16. & Macrobius in Saturnalibus cap. 17. Apollinis autem, quem nobis pingunt poetæ, narrat ſtupra Admonit. ad Gentes Clem. Alex., & Lact. lib. 1. divin. Inſtit. cap. 10. Addit Firmicus libro de Errore profanarum Relig. turpiſſimum pueri Hyacinthi deſiderium. Servilem in ducendis armentis conditionem Apollinis commemorat lib. xviii. cap. 13. ejuſdem Operis Auguſtinus, ubi plura ex profana eruditione Vives. Apollinis iram immiſſamque ab eo peſtilentiam deſcribit Homerus Iliad. 1. ejuſdem adverſus ceteros Deos objurgationem narrat Homerus ipſe libro xxiv. De Daphne, quam Apollo ferveſcens libidine inſecutus eſt, nec tamen potuit comprehendere, adeas Commodianum, & Euſebii Opuſc. iv. edit. a Sirm. pag. 199. Aut ergo Apollo ſol eſt, aut homo obſcenus, improbus, iracundus, abjectus, & impotens. Sex ergo maſculi Conſentes fictitia numina ſunt; quod erat demonſtrandum.

PROPOSITIO II. Ridiculum & inverecundum eſt in numero Deorum Conſentium putari fœminas.

PROBATUR I. DE JUNONE.

Priuſquam de Junone dicam, præmitto in genere rationes, ob quas non debeat inter Numina ſexuum admitti diſcrimen. At prima depromitur e teſtimonio Varronis, de quo Auguſtinus in iv. de Civit. Dei cap. 27. Secunda eſt ratio philoſophica tradita a Novatiano de Trinit. cap. 6. quoniam ea in diverſitatem membrorum recidunt, quæ veniunt ex nativitate in diſſolutionem. At ſine diverſitate membrorum ſexus nequit ſecerni. Tertiam rationem ſuppeditat Arnobius in iii. adverſus Gentes, ex quo femineus ſexus admittatur tantum ob generationem: & generatio corporea habeat cum materiæ deciſionem, tum exordium temporis atque occaſum. Addit quartam Lactantius in i. divinarum Inſtitut. cap. 16. quoniam ſi Dii uterentur fœminis, quotidie nova Deorum turba conſurgeret. Quintam, & ſextam profert eodem loco Lactantius; quoniam ſi Dii coeunt, domos, urbeſque habeant neceſſe eſt, nec non fœminæ ſint viris imbecilliores. Poſtrema ratio eſt Athanaſii in Orat. contra Gentes, quod fœminæ ab ipſis idololatris neque ad communia Reipublicæ conſilia admittantur. Hæc lectoribus noſtris jam percipientibus vim argumentationum ſufficit fuiſſe propoſita.

Junonem ergo dicimus eſſe aerem, & conjugem Jovis, quia æther, & aer conjuncti ſunt: atque ita ſentiunt Cicero 2. de Nat. Deorum, Macrobius Saturn. 1. cap. 25. Servius in 1. Æneid. & Auguſtinus in iv. de C. D. cap. 10. Hinc Græcum nomen ἥρα, ab ἀὴρ, aer, & Latinum *Lucina*, aut *Lucetia*, a luce. Varro tamen Terram putat, ideoque dictam *Fluvionam*, atque *Pomonam*; atque ita confundi poteſt cum *Feronia*. Huic olim erecta ſimulacra ad Soractem montem, prope urbem Anauris, ideſt, Tarracinam, atque in partibus Ætruriæ maritimis, ubi Deſiderius Longobardorum Rex condidit Petram ſanctam. Junoni tribuunt profani Scriptores inceſtum, quod illis exprobant Firmicus cap. 4. & Tertull. cap. 9. Apologetici. Illius adverſus Trojanos indignationem deſcribit in 1. Æn. Virgilius: de ejus Aſylo idem Poeta libro 2. & Auguſtinus in 1. de Civit. Dei cap. 4. ubi probat Diis invitis everſas urbes, ereptoſque Penates. Phereponus Animad. p. 576. imprudentiæ Auguſtinum, alioſque Patres redarguit, quod auſi fuerint uti pro Religione Chriſtiana iis armis, quæ & Ethnici adverſus Chriſtianos tractare poterant; ſed garit ſe potius Phereponus imprudenter, atque impudenter. Enimvero ſi capta E. G. a Philiſtæis Arca, ſi dirutum templum Jerſolymitanum, ſi adverſæ aliquando res Chriſtianorum: verus Deus hæc & prædixit, & vindictam peccatorum impleri paſſus eſt, & non ſemel in terris inimicorum omnipotentiam ſuam demonſtravit. E contra conſtat everſum Ilium, & ereptos Penates diis ipſis invitis, inſciis, & reluctantibus; ita ut Juno, de qua modo loquimus, ut Æneam perderet ſupplex Æolum ventorum regem fuerit allocuta:

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victoſque Penates.

ut legitur in 1. Æn. atque, ut habetur in x. tabeſcens invidia jurgiis Venerem adierit, ne Diis Penatibus novam Æneas urbem excitaret. Hac itaque Junonis inceſta libidine, invidentia, iracundia, imbecillitate, atque confictis ex aere terraque nominibus fabuloſum ipſius numen evertitur.

Notandum hoc loco adverſus hæreticos, qui ex vetuſtis quibuſdam imaginibus audent præferre Paulum Apoſtolorum Principi Petro, quod iſte occupet ſiniſtram, ille autem dexteram; olim in ſimulacris Capitolii fuiſſe ad dexteram Jovis Minervam, ſiniſtram tenente Junone. Reſpondet Voſſius in lib. de Orig. Idolol. Minervam eſſe Junoni anteponendam, quod probat ex iis ſimulacris. At aperte refellitur ex lapidibus Albæ Juliæ, Auguſtæ, Mediolani, & qui aſſervantur apud Tranſilvanos: ubique enim Junoni primus locus conceditur. Vide Gruteri Inſcript. Deorum pag. iv. & v. Refutatur etiam Voſſius Virgiliano Junonis carmine:

Aſt ego, quæ Divum incedo regina, Joviſque
Et ſoror, & conjux.

Nullum eſt ergo argumentum illud hæreticorum ex veteribus numiſmatibus.

II. DE MINERVA.

Venit ſecundo loco Dea Conſentis Minerva. Hanc ætherem, ſive ſupremam aeris partem putat Macrobius in iii. Saturnal. de qua opinione etiam Auguſtinus in vii. de C. Dei cap. 16. Sed communior eſt opinio nil eſſe aliud quam Sapientiam, ſic appellatam a memoria, quaſi *Meminervam*. Hinc dicitur de capite Jovis progenita, & ob admirationem aut velocitatem Παλλὰς, ob perennitatem Ἀθηναίη. Reputatur inventrix artium, quoniam ſapientia omnium operum eſt effectrix. Negat Boccaccius in 2. de Genealog. Deorum huic Minervæ haſtam, armaque convenire: at aliter ſentit in Deorum Imagin. Vincentius Regienſis. Nos arbitramur primo cum Tertull. cap. 47. Apolog. Minervæ numen fictum eſſe ex ignorantia eorum, quæ de Sapientia Dei Chriſtiana docet Theologia, & de Generatione Verbi ex Dei mente. Deinde cum omnes ſcribant Minervam inſtituiſſe nendi texendique artem, probabile eſt eſſe Noemam de qua Gen. iv. 22. Aut ſit Minerva æther, aut ſoror Tubalcain, aut poeticum ſapientiæ figmentum, conſtat immerito cenſeri inter Numina.

III. DE VENERE.

Tertia Dea eſt Venus: quo nomine intelligimus primo vim gignendi plantis atque animantibus inditam; nam Venus dicitur quod ad cuncta *veniat*, & Proſerpina, quod ſata in lucem *proſerpant*. Deteriori ſenſu accipitur pro voluptuoſa libidine: ejuſque ſimulacra formata primum ad ſimilitudinem Cratinæ meretricis, quam deperibat Praxiteles. Obſcena, quæ de Venere narrantur, inſectatur Auguſtinus in iv. de Civit. Dei cap. 10. Homerus in v. Iliad. narrat Venerem deriſam a Minerva, ſauciatam a Diomede, & ad genua Martis provolutam. Venus Cypria fuit ſcortum Regis Cinyræ, ut demonſtrat Voſſius lib. 1. de Orig. Idololat. cap. 17. Plura de hac Venere Clemens Alexandr. in Admonit. & Lactantius in primo de falſa Religione. Venus *Calva*, de qua Cyprianus in libro de Idolorum vanitate, conſecrata ob Romanas puellas, quarum capillis perfecta olim adverſos Gallos tormenta bellica. Denique Venus, quam teſte Euthymio coluerunt Saraceni, eſt Agar uxor Abram, & genitrix Iſmaelis; a qua Iſmaelitarum, & Saracenorum genus. Et quidem Agar idem eſt ac Fecunda ab אגר, *Congrego*, ideoque Proſerpina. Videndi Cedrenus in Vita Mahometis, Seldenus de Diis Siriis Synt. ii. cap. 4. Voſſius de Idolol. lib. ii. cap. 31. Aut Venus Agar ſit, aut ſcortum Cinyræ, aut ſalax & voluptuoſa libido, nullum habet characterem divinitatis.

IV. DE VESTA.

Proximum eſt Veſta. Hanc aliqui, ut ait Ovidius in vi. Faſt. terram putant, quæ ſua vi ſtat. Sed probabilius eſt eſſe

ignem,

ignem, & nomen accepiſſe ab hebræis vocabulis אש & יה, unde Græcum Ἑστία. Dicitus Virgo, quod ignis, inquit ibid. Ovidius, *femina nulla remittat*. At immerito hunc Ignem perpetuum dixere. Accenſum prima die Martii ſcribit Macrob. in 1. Saturn. cap. 12. Extinctum negligentia Veſtalium virginum Æmiliæ, & Tuciæ referunt Varro, & Val. Maximus lib. VIII. De Veſtalibus dictum lib. 1. cap. 7. non alia ratione Dæmon Veſtæ cultum intruſit, niſi ut ſimiam ſe gereret Dei præcipientis Levit. v. 12. perpetuare ignis in altari cuſtodiam. Si ergo Veſta ignis eſt, tot erunt Veſtæ, quot lychni, quot lampades, quot lares, quot fornaces, quot favillæ. Verum pudet in his immorari.

V. DE CERERE.

Ceres terra eſt, ſic dicta, quod frugergerat, vel *cereat*, verbo Latinorum antiquo: unde Apulejus lib. 11. *Ceres*, inquit, *omnium terra creatrix*. Virgilius in 1. Georg. ait quod annum ducit *Liber & alma Ceres*, quoniam meſſis, & vindemia ſunt vertentis anni indicia. Appellatur ob naturam ſegetum flava, munifica, rubicunda. Redimitur corona ſpicarum, eique mactatur porca ſegetem avide depaſcens.

Nam ſata vere novo, teneris lactantia ſuccis
Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.

ait in 1. Faſt. Ovidius. Hinc aorta fabula de Cerere gravidata a Jove: terra enim fecundatur calore ſolis. Eadem ergo Ceres, & Proſerpina. De hujus raptu ſcripſit tres libros Claudianus clarus ſui ævi Poeta; quem Florentinum faciunt Petrarcha, Landinus, Politianus, at Giraldus & Barthius Alexandrinum. Pingitur Claudiani fabula nobilis mulier Sicula Hennenſis, quam cum Optimates amarent, ruſticus dives (Plutonem a divitiis appellant) junctis quadrigis rapuit: ſed fugiens in proximum lacum Parcum demerſus eſt. Mater reptæ Virginis cum villico Triptolemo doloris acerbitate navim conſcendit, & jactata maris tempeſtatibus pervenit ad urbem Atticam: ibique docuit incolas agrorum culturam. Hinc appellata Ceres a patria Siciliæ, Hennenſis, Carinenſis, & Trinacria: ab adventu in Græciam Eleuſina; quo nomine appellatur etiam Juno Lucina adveniens, ut auxilium afferat parientibus. Atque hinc apparet origo Poeticarum fabularum Cereris, & Triptolemi.

VI. DE DIANA.

Ultima Dearum Conſentium eſt Diana, eadem prorſus cum Cerere, ut animadvertit Hieronymus in Procem. Commen. Ep. Pauli ad Eph. Dianæ nomen eſt a Jana, adjecta litera D. decoris cauſa, ut demonſtrat Ludovicus Montioſus in Gallo Romæ Hoſpite: idem docet Macrob. in 1. Saturnal. cap. 9., repugnante tamen Voſſio. Jana autem eſt a Jano, ſive Apolline, & ſole. Atque hinc Diana ſoror Apollinis. Translatum propterea Dianæ nomen etiam ad lunam: ideoque imago Dianæ facem præfert, & in antiquis numiſmatibus inſcriptionem, *Diana Lucifera*. Appellatur a Græcis Ἄρτεμις, quia aerea ſecat: & Hecates triceps, vel tergemina ob triplicem lunæ formam, planam, mediam, falcatam. Habetur Virgo ob lunæ candorem: & tamen ob fecunditatem legimus in antiquis numiſmatibus Dianam Polymammam. Commenta Poetarum de Diana orta ex Dicta, ſive Britomarte filia Ebuli Regis, quæ in ſylva fugiens violentiam Minois ſeſe præcipitavit ea rupe; ideoque vocatur Diana Dictynna, & dicitur ſylvarum Dea, & caſſium retiumque inventrix. His ergo Dianæ Triviæ, aliorumque Conſentium Deorum fabulæ refutantur.

PROPOSITIO III. Eodem loco habenda eſt fabularis ſelectorum Deorum hiſtoria.

PROBATUR I. DE JANO.

Dicendum reſtat de Diis ſelectis, quot Conſentibus addidere, ut numerum complerant viceſimum. Sunt autem Janus, Saturnus, Genius, Liber, Orcus vel Pluto, Sol, Luna, & Tellus. Janum ex Gentilium Philoſophorum ſententia S. P. lib. VII. de Civ. Dei cap. 7. probat eſſe mundum: & ideo bifrontem finxerunt, quaſi una facie ortum ſpectet, altera occaſum, ſive ob quatuor mundi partes quadrifrontem. Quidam apud Macrob. in 1. Saturn. cap. 9. dixerunt Janum eſſe cælum, ita dictum ab *eundo*. Ipſe Macrobius ait eſſe ſolem; nam Janus appellatur Vertumnus, quia ſol ſeſe per cæli gyrum convertit, Conſivius a conſerendo, Patulcius & Cluſius quia oritur & occidit, & a Poetis Matutinus Pater. Hinc Jani ſimulacra habent digitorum nexus 365. reſpondentes numero dierum anni; cujus menſem primum a Jano Januarium appellarunt, quoniam tum ſol prima efficit dierum incrementa. Jani vero perſonam Goropius 4. libro Orig. Antuerp. contendit eſſe Japhet filium Noe; Zanchius de Origine Cenomanorum, ipſum Noha, Voſſius lib. 1. de Origin. Idol. cap. 18. Javan filium Japeti. At ſive ad Noe, ſive ad aliquem ex ejus poſteris Janum referas, parum intereſt; nam ſatis hinc Jani origo, numiniſque vanitas deprehenditur.

II. DE SATURNO.

Saturnus, qui & χρόνος, omnium fere conſenſu eſt tempus, hoc diſtinctum nomine quod annis ſaturetur, & ideo dicitur filius cæli, & Deus falcifer, quoniam omnia metit, orbiumque cæleſtium dimenſione peragitur. Recte Lactantius Div. Inſtit. 1. cap. 11. probat filium cæli non eſſe Deum, quia Deus cælum condidit: neque Saturnum revere eſſe patrem Deorum omnium, ſi ipſe a Cælo genitus eſt. De ſtella Saturni, quæ a terra diſtare dicitur ſemidiametris 13171., ſtelliſque aliis, quibus gentes divinitatem tribuerunt, plura Auguſtinus lib. VII. de Civit. Dei cap. 15. Saturnum antiquiorem alii putant Adamum, dictum Saturnum ab hebraica voce סתר, *latere*, quoniam poſt peccatum ſe abſcondit a facie Domini. Sed melius referas Saturnum ad aliquem ex Noha poſteritate, a quo Italia Saturnia dicta eſt longe ante adventum Evandri, & Æneæ, atque ab ipſa Aboriginum inſtitutione. Traditio eſt, licet falſa, veterum Rabbinorum, Cham exſecuiſſe pudenda patris ſui, ne deinceps liberos procrearet. Fabulantur Poetæ de Saturno conſimilia. Quædam de Saturno diximus libro XII. cap. 1.

III. DE GENIIS.

Genios Ethnici dixerunt, quaſi gignendarum rerum præſides, ſive Deos ſingulis datos, dum gignuntur. Servius in ea Virgilii verba, *Quiſque ſuos patitur manes*, ſcribit, cum naſcimur duos Genios nobis deſtinari, Bonum inclinantem ad bonum, Malum ad malum. Derivatos liquet ex iis, quæ traduntur de Angelis; ut diximus libro 2. cap. 19. Cum Gentes præeſſe gignendis hominibus putaverint Junonem Lucinam, conſequens eſt, Genios, ſi darentur, ipſius Junonis ſervulos eſſe.

IV. DE LIBERO.

Primo libro XXIV. de Baccho, ſive Libero Patre, a quo Bacchanalia dicta ſunt, quædam narrabimus. Sat eſt modo, ſignificari hoc nomine vinum, juxta illud Virgilianum,

Et multo in primis hilarans convivia Baccho.

Ad elevandam, & evertendam hujus falſi Numinis divinitatem agit Auguſtinus lib. VII. de Civ. D. cap. 21. de turpitudine ſacrorum, quæ in Liberi Patris honorem celebrabantur. Hinc occaſionem arripuit Phereponus Animadv. pag. 580. ſtomachandi in ſanctum Epiſcopum, eo quod tam ſæpe περὶ τῶ σπέρματος verba faciat in Opere hoc etiam a mulieribus & adoleſcentibus legendo. At qui Auguſtinum legerit, viderit ab illo reticeri nefariam in Liberum Proſymni cupiditatem, fabricata ex ficorum arboribus inſtrumenta, Bacchi paſſionem a ligno, turpiſſimamque torturem: quæ tamen ad ignominiam Idololatrarum Clemens Alexandrinus, Arnobius, aliique deſcribunt. Mirum ergo Phereponum reprehendere in Auguſtino licentiam, ubi laudare debet temperantiam. Sed magis mirum eo loci Phereponum exaggerare adoleſcentis Auguſtini vitam *ſat*, ut ille ait, *libidinoſam*: cum Auguſtinus nunquam, poſtquam baptiſmo initiatus eſt, indulſerit carnis illecebris, neque Pherepono poſſent vitia adoleſcentis innoteſcere, niſi ea manifeſtaſſet humilis Auguſtini confeſſio. Debebat etiam Criticus ille audaciſſimus legere in Epiſtola Eraſmi a ſeipſo edita ſup. pag. 461. *Adoleſcens* (Auguſtinus) *habuit concubinam, quod humanæ permittunt leges: & hac non repudiata, ſed erepta, adſcivit alteram.* Deinde non ignorabat Phereponus, libros de C. D. adverſus Cultores Deorum falſorum occaſione irruptionis Gothorum, non pro adoleſcentium ac mulierum otio, fuiſſe ab Auguſtino conſcriptos. Bacchatur ergo, inſanitque Phereponus.

V. DE PLUTONE.

Plutonem alii Orcum dixerunt, quaſi receptorem mortuorum, ab Orca. Summanum quoque appellarunt, quaſi ſummum Manium, cui celebre olim delubrum in montibus Vaticanis. Similiter Acherontem, & Cocytum. Juvenalis Sat. 11.

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna
Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una tranſire vadum tot millia cymba
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.

Voſſius lib. 1. de Idolol. cap. 18. haud male conjicit Plutonem eſſe Chamum filium Noe in partem occidentalem profectum; & idem appellatum Deum Inferorum. Erit ergo diverſus a Plutone, de quo paullo ſupra in *Cerere*, uterque tamen improbus & ſceleſtus.

VI. DE SOLE, LUNA, ET TERRA.

Ad Solem omnes Deos refert in 1. Saturn. Macrobius, pluresque referendos eſſe conſtat ex dictis. Perſæ ſolem Mithram appellavarunt, a rege hujus nominis, qui regnaſſe dicitur Æliopoli. Mithræ litatum in latebris refert de errore

tore prof. Relig. Firmicus. De luna pariter ſupra. A lucendo lunam nominari, docet Cicero. Græcis dicitur σελήνη, non σέλας eſt idem ac lumen. Fœminam ac marem crediderunt Ægyptii, & Luni templum commemoratur a Spartiano in Caracalla. Terra demum eſt magna illa Deorum Mater, de qua Auguſtinus lib. VII. de C. D. cap. 23. & ſeqq., Rhea, Ops, Cybele; ſoror Veſtæ, filia Cæli, Saturni conjux: in Aiy ſignificatur flos, aut ſeges: unde fictum Cybelis cum Aiy concubitus, Auguſtinus citato libro cap. 26. pertractat de turpitudine ſacrorum Matris magnæ; de quibus inquit, *Nihil Varro dicere voluit, nec uſpiam me legiſſe commemini*. Phereponus in hunc locum, *Mirum*, ait, *cum innumeri ſcriptores de iis ſint locuti, quorum loca plura indicabit Gerardus Joannes Voſſius Operis de Orig. Idolol. lib. 3. cap.* 53. Citandus erat liber II. ſed error Typographi, iſque minimus. Immerito autem Phereponus de Auguſtino miratur, quod verba illa protulerit; *Nihil Varro, &c.* Scribit enim S. Pater nullibi ſe legiſſe interpretationem ſacrificiorum illorum, quamquam ea ſacrificia narraverint Servius, Apuleius, Statius, & alii. Id adnotavit Vives, & ipſe Auguſtinus prioribus verbis hæc addens: *Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio*. Cum inanibus itaque caſtigationibus Phereponi mittimus Cybelem, atque Deos omnes Selectos.

PROPOSITIO IV. Una cum Romanis, Græciſque idololatris e vera Religione aberrarunt Gentes reliquæ, quarum profana Numina vetus Teſtamentum commemorat.

Hæc quarta theſis addenda erat, ne quis melioris conditionis exiſtimaret Deos alienos, a quorum cultu prohibentur Judæi. Horum Deorum exponam breviter nomina & characteres. Phœnices, & Chananæi coluerunt Deum *Baal*, de quo Judic. II. 13. III. Regum XVI. 31. & alibi. Baal ſignificat Deorum principem. Alii Saturnum, alii Herculem, alii Apollinem dixerunt. Sed idem eſt, ac Babyloniorum Belus, Rex olim conſecratus in ſolem, filius, ut arbitror, Nambrodi. Bel autem idem eſt, ac *Deus*, unde Beelphegor, Beelzebub, & conſimilia: ideoque Græci Jovem communiter interpretantur. Baal additur Aſtaroth Judic. II. 13. quam propterea aut Lunam, aut Venerem, aut Junonem eruditi conjectant: hanc præſertim colebant Sidonii, ſculptamque ſcribit Porphyrius bovino capite, expreſſo in cornibus lunæ ſymbolo. Hæc Regina cæli, de qua Jeremias XLIV. 17., Βεελθις nominatur Philoni Biblio. Vide quæ diximus Tom. I. pag. 34. Grotius in cap. XI. Danielis v. 38. ſcribit eumdem eſſe Baal, ac Deum Maozim, & Baal-ſemen, quem idem Philo aſſerit eſſe Jovem Olympium, & Phœnicibus Saturnum. Porro poſtrema duo nomina ſignificant tantum *Deum cæli, fortem ac validum*.

Madianitæ coluerunt Deum Beel-phegor; de quo Num. XXV. 3. Origenes Hom. in Num. 13. ait fuiſſe *ſpeciem quamdam turpitudinis*, & Iſidorus lib. VIII. Orig. *ſimulacrum ignominiæ*, & litatum illi maxime a fœminis ſcribit in cap. 4. Oſeæ Hieronymus. Erit ergo idem ac Deus Hortorum. At Joannes Seldenus Syntagm. I. de Diis Syris cap. 5. nititur demonſtrare non alium eſſe a Baal, cujus Templum exstiterit in faſtigio montis Phegor: quod videtur comprobari nominis etymologia. Et quidem Baalim ſacrificatum in excelſis liquet ex quarto Regum XVI. 4. unde Auguſtinus Calmet in diſſert. de Numin. Chananæorum refert Baal eſſe ſolem. Verum cum Beel ſit nomen Dei commune, & Phegor locum demonſtret, nil certi ex ſolo nomine Beelphegor deduci poteſt.

Ammonitæ adorarunt idolum Moloch. Eo nomine non videtur ſignificari niſi Deum *Regem*. Probant viri docti Molochum ipſum eſſe Saturnum, quoniam idolo Moloch immolabantur pueri, & puellæ, ut conſtat ex Levit. XX. 2. & IV. Regum XXIII. 10. Ita litatum Saturno ſcribunt Lactantius lib. 1. cap. 21. Minucius in Octavio, Tertullianus in Apolog. & Auguſtinus in VII. de Civit. Dei cap. 19. Factum id quoque a Carthaginenſibus; unde Silius Italicus,

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poſcere cæde Deos veniam, ac flagrantibus aris,
Infandum dictu, parvos imponere natos.

Non repugnant dictis, qui opinantur Moloch eſſe nomen ſtellæ, quam Ammonitæ tamquam Regem venerabantur: nam & in ſtellis veteres, ut ſupra diximus, Reges ſuos coluerunt, ac præſertim Saturnum.

Chaldæi ignem, atque in igne lucem, ſolemque venerabantur. Auctorem habemus Herodotum in Clio. Hinc nominare urbi, de qua Geneſis XI. 31. & II. Eſdræ IX. 7., ſcilicet, *Ur* Chaldæorum, ut a Sole, quem Hebræi vocant שמש, *Scemeſc*, Joſue XIX. 38. *Bethſemes*. Facile hinc percipiuntur Chaldaica nomina impoſita Dan. I. 7. Danieli, Ananiæ, Miſaeli, & Azariæ. Daniel dictus eſt *Baltaſſar*, quaſi Cuſtos myſteriorum Beli, a כל nomine Idoli, & שתש *recondere*, ac אוצר *theſaurum*. Ananias appellatus *Sidrach*, quaſi mala depellens: Miſael *Miſach* ob Opim, vel Terram, quæ a Chaldæis dicitur Dea שך Sach, inquit Junius in Danielem. Meminit feſtorum Σακκέων Athenæus, & Dio Chryſoſtomus apud Grotium in Jerem. XXV. 26. Azarias denique *Abdenago*, quaſi עבד, *Servus*, נגו *Negonis*, ideſt, Ignis ab נגה *ſplendeſcere*. Vides, ut opinor, hinc derivatam Græcorum idololatriam, ut diximus lib. 1. cap. V.

In Accaron regia urbe Philiſthinorum percelebris fuit cultus Beelzebub, de quo IV. Regum 1. 2. Satis de hoc idolo in libro 2. cap. 18. unde infertur hoc nomen fuiſſe impoſitum ignominiæ cauſa Jovi, & Deo cæli, ſive ſoli, quem coluerunt Accaronitæ; ac jure & merito Matth. XII. 24. & Lucæ XI. 15. tributum idem nomen Principi dæmoniorum, quem ſcimus ex angelo lucis factum Beelzebub, *Deum muſcam*, ac *Dominum ſtercoris*. Vide igitur quæ ibidem ſcripſimus, & Seldenum de Diis Syr. Synt. 2.

Celebre fuit apud Philiſthæos, urbemque Azoto templum Dagonis, commemoratum 1. Regum V. 2. Referebat Dagon ab umbilico & inferius figuram piſcis, ſuperne hominem, quales Græci fecerunt Tritones, fœmineoque ſexu Nereides. Appellatio ergo Dagonis eſt ab דג, *Piſcis*. Hinc ubi legitur citato Regum cap. V. 5. *Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo*; innuitur abſciſſis palmis, hominiſque deleta figura, tantum remanſiſſe quod piſcem referebat. Videtur idem eſſe Dagon, ac Derceta dicta a Strabone, & Macrobio Atargatis, culta apud Aſcalonem urbem Syriæ, ubi ſtagnum refertum piſcibus: nam Derceto vocatur, quaſi אדגה, *Degeto*, piſcis fœmina. Plura citato Syntag. Seldenus, Antonius Nebriſſenſis cap. 6., & Gyraldus in Decreto, vel Athara; ubi animadvertit diſtinguendam Dercetom a Dea Syria Luciani, quoniam hæc non piſcis erat, ſed πάντα γυνή, *tota mulier*. Ex his autem conſtat Dagon eſſe Tritonem, quem Poetæ fingunt filium Neptuni, & Salaciæ, ideſt, aut marinum piſcem, aut unum ex filiis Noe cultum Tritonis ſymbolo, Dercetum autem Venerem.

Plura alia Gentium idola in ſacris literis commemorantur, ſed minime, ut de iis diſtincte tractemus, neceſſe eſt. Hujuſmodi ſunt idola Michæ & Labani, Geneſ. XXXI. 19. & Jud. XVII. 5. appellata ab Hebræis *Teraphim*, תרפים. Erant autem Laminæ quædam aureæ, quibus mactato homine primogenito, eique obtorto collo, inſcribebatur ad auguria captanda nomen immundi ſpiritus. In Titulo aureo, quem Amos VIII. 14. appellat delictum Samariæ, quoniam colebatur in Bethel non procul a Samaria, expreſſus Apis Ægyptiorum. Fuit is, auctore Herodoto, Epaphus, aut Joſeph, tauro ab idololatris comparatus tamquam miniſter Cereris, frumentique proviſor. Adramelech 4. Regum XVII. 31. ideſt, *Rex potens*, cui filios concremabant, non alius eſt a Moloch, vel Saturno, de quo ſupra. Idem dicendum de Melchom apud Sophoniam 1. 5. *Militia cæli* ibidem ſunt aſtra. Eodem ergo pacto falſæ religioni mancipati ſunt Phœnices, Chananæi, Madianitæ, Philiſthæi, Chaldæi, Ammonitæ, cæterique omnes plurium Deorum cultores, ac Romani & Græci ante Salvatoris adventum, atque veræ Religionis per orbem univerſum propagationem.

CAPUT II.

Veram Religionem nequaquam vigere apud Turcas, & Mahumetanos.

EXPLOSA Idolorum vanitate, demonſtrandum eſt non extare Religioſum Dei cultum apud Mahumetanos hoſtes Chriſtiani Nominis infenſiſſimos. Id vero ut aſſequamur, comparanda eſt Mahumetana ſecta cum ipſa, quam profitemur, Chriſtianorum Religione, nam hanc præſtare Idololatrarum ſuperſtitioni, necnon legi Hebræorum ultro Turcæ ac Saraceni fatentur. Si cui autem a nobis dicenda jejuna, dilutaque videbuntur, adire poterit vel Orthodoxos ſcriptores, Turrecrematam, Marraccium, & Thyrſum Gonzalez, vel Heterodoxos Grotium, Levinum, & Biblianderum, qui plura de hoc argumento conſcripſerunt. Do tamen operam, ut quæ hi uberius pertractant, habeas in epitomen redacta, debitaque argumentationum ſerie diſpoſita.

PROPOSITIO. Mahumetana Religio in ſe quidem abſolute, ſed maxime dum comparatur Chriſtianæ, apparet execrabilis, repudianda, & divino cultui, hominumque ſaluti repugnans.

Demonſtratur primo comparatione Mahumetis cum Chriſto. Quamquam a Mahumetanis plura de Chriſto ejuſque virgine Matre fabuloſa narrantur, V. G. nomen *Jeſu* arcanum eſſe ac barbarum, Mariam filiam fuiſſe Amrani, cum ea æquiparandam Fatimam a Mahumeta genitam, delapſum Evangelium de cælo nocte Menſis Rambdani decima tertia, aliaque hujus farinæ complura; ſcriptum tamen eſt in Alcorano Chriſtum eſſe Meſſiam Dei benedictum, Dei Verbum, Mentem, ac Sapientiam, ut liquet ex Azoara V. & X. probantque ex Authenticis teſtibus Euthymius Zigabenus, & Levinus Warnerus, nec id inficiari audet quiſpiam Saracenorum. Mahumetum vero fuiſſe prædonem, narrat Chronica Mahumetis citata a Grotio lib. VI. n. 4. & fuiſſe adeo mulieroſum, atque impudicum, ut jactaret habere ſe ſolum vim generativam, quam habent ſimul homines quadraginta, legitur in Alcorano Azoara XLII. & XLIII., ut prætermittam alia Mahumetis vitia, de quibus Petrus Abbas Cluniacenſis, & in Hiſtoria Turcica Sanſovinus. Præterea Jeſum patraſſe complura miracula, ſanaſſe cæcos claudoſque, conceptum fuiſſe de Spiritu ſancto,

cto, evectum in cælum; habetur in Alcorano Azoara xi. & xiii. quamquam ibidem aliqua fabuloſa enarrentur, ut de avibus ex luto a Chriſto formatis. At Mahumetem genitum conſueto naturæ ordine credunt Saraceni, imo extat liber ipſius Generationis apud eos pervulgatus: ſigna vero Mahumetis celebriora ſunt columbam ad grana in aure ejus incluſa advolaſſe, apparuiſſe ei, nullo teſte, dum morbo Epileptico laboraret, Gabrielem Archangelum, a puteo, in quem ſtatim ſaxorum congeriem injecit, humanam vocem erupiſſe. Chriſtum denique eſſe Prophetam in lege Moſis prædictum teſtatur Alcoranus, ac Turcæ omnes fatentur; Mahumetem eſſe Prophetam prænunciatum in Evangelio, ut iidem autumant, mendacium eſt apertiſſimum, cum potius Chriſtus prædixerit venturos Pſeudoprophetas Matth. vii. 15. &c. Itaque æquum eſt, ut Religio inſtituta a Dei Verbo ac Sapientia, ſive a Meſſia divinitus concepto, atque in cælos aſſumpto, præferatur ſectæ, cujus auctor eſt Pſeudopropheta, & carnalis homo, raptor, atque impuriſſimus. Atqui conſtat ex ipſo Alcorano Chriſtum eſſe Meſſiam, verum Prophetam, ac mirabilium operum auctorem; Mahumetem vero mulieroſum, raptorem, prædonem, ex Azoara xii. lxxv. & lxxvi. Æquum eſt ergo, ut Religio Chriſtiana præferatur Mahumetanæ.

Secundo demonſtratur ex collatione Alcorani cum Evangelio. Evangelium ipſum elapſum de cælo ait, ut dixi ſupra, Mahumetes, & licet a nobis depravatum credant Saraceni in iis, quæ ſpectant ad prædictionem ſectæ Mahumetanæ, in hiſtoria narrare vera non denegant. At Alcoranus quanta a veritate hiſtoriæ aliena ignaris rudibuſque deprædicat? Solem quieſcere in fonte ad quem pervenit Magnus Alex., legitur Az. xviii. Templum Mechæ ædificatum ab Abrahamo habetur Az. ii. Mariam Virginem educatam apud Zachariam Prophetam Az. iv. Simulacrum pro Jeſu cruci ſuffixum Az. xi. Rurſus in Evangelio nil Deo indignum reperies: in Alcorano autem quamplurima; cujuſmodi eſt manum habere frigidam, & ſella geſtari, de quo plura Cantacuzenus Or. 2. & 4. in Mahumetem. Nihil præterea occurrit in Evangelio ridiculum & inſulſum. At in Doctrina Mahumetis ſtella Veneris fuit pulcherrima mulier: mures in Arca Noe nati ſunt ex ſtercore Elephanti, & feles leonis ex halitu: mors aries eſt ſtabulans inter cælum & inferos: luna in manicas Mahumetis delapſa eſt, ut mittam fabulas alias, de quibus vide Cantacozenum loco citato, & Grotium omn. x. Hinc ſanctus Eulogius apud Thyrſum Gonzalez lib. 3. cap. 9. refert juvenem Mahumetanum ſola lectione Alcorani perſpicue illius falſitatem deprehendiſſe. Enimvero, ut ex dictis argumentationem ſubinferam, extrema dementia eſt præbere fidem libris narrantibus, quæ repugnant hiſtoriis, quæ tradunt Deo indigna, & quæ venditant fabularum commenta. Alcoranus eſt liber hujus plane furfuris. Ergo præbere fidem Alcorano extremæ dementiæ eſt.

Tertio probatur comparando dogmata Alcorani cum Inſtitutionibus Chriſtianorum. Præcipua Alcorani dogmata collecta a Cardinale Turrecremata ſunt, primo hæreſes quæ impugnant Trinitatis myſterium, Incarnationem, cultumque ſanctorum. Deinde quæ faciunt Deum corporeum, atque auctorem peccati. Accedunt opiniones abſurdæ de Anima, quam Mahumetani arbitrantur eſſe portionem quamdam animæ Dei, necnon de Angelis, quos credunt genitos ex flamma ignis. Animorum denique felicitatem conſtituunt in carnalibus oblectamentis. Iiſdem igitur argumentationibus, quibus hæ hæreſes profligantur, Mahumetiſmus quoque confoditur. At urgere poſſumus ſpeciale argumentum. Ante promulgationem legis Mahumetanæ, fatentibus Saracenis, vera erat, cæteriſque præſtantior Chriſtiana Religio; neque enim tunc viguiſſe credunt Moſaicam, aut admittendam ſuperſtitionem Gentilium. Nulla vero ante Mahumetis adventum extabat Religio, niſi aut Judæorum, aut Gentilium, aut Chriſtianorum. Prioribus ergo a Mahumetanis rejectis, neceſſario Religio Chriſtianorum eſt admittenda. Atqui ante Mahumetem Chriſtiani profitebantur ea dogmata, quæ modo Saraceni rejiciunt. Mahumetes enim nonniſi ſeptimo ſæculo apparuit. Ergo dogmata, quæ modo Mahumetani refellunt, ante annum 622. quo incipit Aera Hegiræ, ſeu Mahumetica, vera fuerunt. Fieri autem non poteſt ut falſum dogma ſit, quod tranſactis ſæculis verum fuit.

Quarto probatur ex Alcorani, & Evangelii moralibus præceptis. Præſcribit Evangelium perpetuam conjugum fidem: Alcoranus dat repudiandi licentiam. Proponit Evangelium unicam uni viro uxorem, ut ſervetur mutuus amor, ſtudiumque liberorum: permittit Alcoranus fovende diſſidia, & irritamenta libidinum, alias ſuper alias uxores. Prohibentur Chriſtianis carnales illecebræ: permittitur Mahumetanis cujuſque voluptatis turpitudo. Chriſtifideles rejiciunt Judæorum circumciſionem per legem gratiæ abrogatam; & Mahumetis aſſeclæ, repudiata lege veteri, reponunt in circumciſione vim prope totam. Legendus Euthymius, & Georgevitius de Ritibus Turcarum. E contra lex Chriſtiana permittit temperatum cibi, vinique uſum: Turcica tanquam rem execrandam in Alcorano Azoara xvi. vetat ſuillam carnem, potumque vini etiamſi moderatum. Præponenda eſt autem lex honeſta jubens, & illicita prohibens, legi quæ vetat licita, ac turpia permittit. Lex Evangelica jubet honeſta, vetatque turpia: & Mahumetica prohibet honeſta, ac proponit illicita. Igitur lex Evangelica Mahumetanæ præponenda eſt.

Quinto demonſtratur ex Alcorani, & Evangelii propagatione. Chriſtus Evangelium promulgaturus primum miſſionem ſuam comprobat divinis, humaniſque teſtimoniis, appellatque Judæos ad ſcrutationem divinarum Scripturarum. At Mahumetes in abſcondito cum Sergio Apoſtata fabricato Alcorano, præcipit Azoara xiii. ne quis in novam Religionem inquirat; & ne falſitatis redarguatur, prohibet etiam gregalibus ſuis cum divinarum ſcientiarum ſtudia, tum humanarum. Elegit Chriſtus pro Evangelii propagatione, exiguum numerum pauperum: adſcivit ſibi Mahumetes turbam prædonum vim armis inferentium, ſtatuens Azoara xviii., Religionem eſſe armorum pediſequam. Annuntiarunt principio Chriſti Evangelium in Synagogis Juriſperitorum, tum in Athenienſium Areopago, urbibuſque univerſi mundi cultiſſimis: at Alcoranus inter Arabes, ac Saracenos rudes, ignaros, incultos, prædiſque deditos, ut libro iii. Emendat. Temporum cap. de Periodo Arabum ſcribit Scaliger. Diſcipuli denique Chriſti legem adverſantem carni & ſanguini repugnantibus Tyrannis potentiſſimis promulgarunt; Mahumetani ſingulis morem gerentes, fretique armis rebellium, qui ab Heraclio defecerant, longe lateque religionem ſuam propagaverunt. Quare in promulgatione Evangelii nihil non mirabile, non divinum: & in propagatione Alcorani nihil non irreligioſum, non violentum. Sic itaque ratiocinabor: Non ſplendet virtus divinitatis in acceptatione legis proponentis voluptates in quas inhiat concupiſcentia, probatæ duntaxat ab impiis, & quæ aut mali ſuaſione, aut metu extorquet aſſenſum. Splendet quidem, ſi acceptetur lex inimica mundo, ſenſibuſque repugnans, non cogente Promoventis auctoritate, armorumque potentia. Ergo in ſola promulgatione Evangelicæ legis, non in fortuna exituque Alcorani, fulget virtus divinitatis.

Poſtremo utimur hoc argumento. In Alcorano, Az. i. & xxi. in Libro Doctrinæ Mahumetis, atque in Mahumetis Teſtamento in lucem edito a Theodoro Bibliandro legitur Chriſtianos poſſe in ſua lege ſalvari: unde recte Petrus Paſchaſius contra Mahumetanum pag. 30. num. 26. ait: *Multis in locis Mahumetus in Alcorano affirmat Chriſtianos optimam habere & colere legem, eſſeque in ſtatu ſalvationis*. Nullus tamen Chriſtianorum putat aliquem ſalvari poſſe in lege Mahumetica. Et quidem recte: cum enim unus ſit Deus, una veritas, una ſalus; oportet, ut unus ſit Dei cultus, una vera Religio, & una ad ſalutem via. Aſt ita urgentur Mahumetani: Magis certa eſt doctrinæ veritas, & via ſalutis in Religione, quam veram & proficuam eſſe tenent tum Chriſtiani, tum Saraceni, quam in Religione illa, in qua poſſe hominem ſalvari Chriſtiani negant, & ſoli Saraceni arbitrantur. Atqui poſſe hominem ſalutem conſequi in Religione Chriſtianorum tradunt tam Chriſtiani, quam Saraceni; ſalvari autem in Mahumetica putant Saraceni ſoli, negantque Chriſtiani. Igitur magis certa eſt doctrinæ veritas, & via ſalutis in Chriſtiana Religione, quam in Mahumetica. Conſimili argumento permotus Henricus Quartus Galliarum Rex cum audiſſet a Miniſtris Reformatæ Religionis etiam in Eccleſia Romana ſalutem eſſe, Calvinianam hæreſim ejuravit.

RESPONDETUR MAHUMETANIS.

Saraceni nullis, ut diximus, diſciplinis imbuti ſolis argumentis utuntur rudibus, inſulſiſque, quibus etiam obviis, ac palmaribus exemplia reſpondendum eſt, allatis jam lib. vii. de Trinitate cap. 7. & proximo volumine de Incarnatione lib. xxv. cap. xi. Fidem ergo divinæ Trinitatis, atque Incarnationis adverſus illos propugnare non erit Candidatis noſtris perdifficile. Quædam ſunt peculiaria, quæ ipſis tenaciter inhærent. Inquirunt primo, quomodo Deo Filium tribuamus, cum non habeat uxorem? Reſpondemus non eſſe Deum corporeum, ut filium gignat carnali complexu; ſed ejus generationem quamdam habere cum productione Verbi mentis noſtræ analogiam; id vero magis eſſe credibile, quam angelos ſpiritales genitos a flamma ignis, & ab anima Dei deciſam animam Adæ: ſcriptum denique in Alcorano natum Chriſtum ex Virgine; nec minus eſſe mirabile in temporali generatione non eſſe patrem, quam in divina non dari matrem, ſive generantis uxorem.

Deinde inquirunt, undenam certi ſimus dogmata de Verbi Incarnatione ac de Trinitate non fuiſſe a Majoribus noſtris in Evangeliorum libros intruſa? Reſpondemus autem id nos certiſſimis argumentis evincere. Principio, quoniam Apoſtoli, quos Mahumetes ait fuiſſe viros ſanctiſſimos, ac Saracenos, certiſſime Evangelia non depravarunt. Ab Apoſtolorum autem tempore per univerſum orbem Codices Evangelici ſparſi ſunt omnium fere gentium lingua conſcripti. Si ergo autographum credunt Alcoranum penes ſe deliteſcentem, a ſolo Arabum idiomate exaratum, eccur non integrum opinantur Codicem Evangelii ubique terrarum

Digitized by Google

rarum multiplici lingua diffuſum? Præterea impoſſibile eſt tantum facinus divinas literas depravandi attentaſſe univerſos Chriſti fideles, aut potuiſſe perficere: ſi vero id auſi fuiſſent perpauci, profecto Eccleſia universalis repugnaſſet, præſertim cum ante Mahumetem fuerit, Saracenorum conſenſione, verax & ſancta. Inſuper ſi in Chriſti honorem excogitaſſent Chriſtiani adulterare Evangelia, curaſſent expungi narrationem mortis ejus turpiſſimæ atque teterrimæ, quam adeo indignam Chriſto putant Moſulmani, ut eo divinitus ſublato credant affixum cruci ſimulacrum & corpus umbratile. Ulterius divinitatem Chriſti Turcis incredibilem, æternamque generationem ipſius tradidiſſe literis Joannem Evangeliſtam adverſus hæreſes Cerinthi, & Ebionis, teſtantur Hieronymus, aliique Patres, qui præceſſerunt Mahumetem: Trinitatem vero divinarum Perſonarum definivit Synodus Antiochena contra Paulum Samoſatenſem anno 260. & ipſam Verbi divinitatem contra Arium Nicæna Synodus anno 325. nec unquam Antitrinitarii, vel Ariani auſi ſunt affirmare depravata a Catholicis Evangelia. Tandem dicant Saraceni quandonam hæc dogmata fuerint a nobis intruſa. Num poſt Mahumetem? Id quidem aperte eſt falſum; nam eadem profeſſi ſunt, atque ex Evangelicis libris in ſua commentaria derivarunt innumeri Eccleſiæ Patres, qui ante Alcoranum floruerunt. Poſt Mahumetem vero? Neque id credi poteſt, cum oppoſitum probet teſtimonium ipſum præcedentium Scriptorum, & ſacrorum Librorum multitudo, antiquitas, & cohærentia.

Tertio petunt, unde probemus in Evangelio Joannis c. xiv. ubi promittitur adventus Paracleti, non fuiſſe olim quædam ad Mahumetem ſpectantia dolo Chriſtianorum abraſa? Reſpondemus iſtud a nobis probari iiſdem argumentationibus, quibus modo demonſtratum eſt libros noſtros eſſe incorruptos. His vero addimus, nihil abraſum in odium Mahumetis antequam appareret, quoniam tunc ejus doctrina ac perſona ignorabatur: nihil etiam poſtquam advenit, quoniam ipſe produxiſſet miſſionis ſuæ hoc teſtimonium, atque iſtud in aliquo ſaltem Evangeliorum Codice etiamnum extaret, cum nullum tamen proferre poſſint Mahumetani, vel Arabicum, vel Græcum, vel Syriacum, vel Latinum.

Quærunt tandem ſi poſt Moyſen creditur veniſſe Chriſtus Judaicam Eccleſiam inſtauraturus, quare credendum non eſt poſt Chriſtum veniſſe Mahumetem reformaturum legem Chriſtianam? Reſpondemus hoc de Mahumete credendum non eſſe, quoniam ejus doctrina non promovet perfectionem legis Evangelicæ, ſed corruptelam. Si enim per Mahumetem perfectior eſt lex Chriſtiana, quam ſit Moſaica; cum lex Chriſti vetet dari libellum repudii, concupiſcentiam mulieris, pluraque Judæis olim permiſſa; lex perfectior eſt quæ ſervat pudicitiam, & Matrimonii vinculum atque unitatem, quam lex hæc omnia diſrumpens, & innovans abrogatam Judæorum conſuetudinem. Lex ergo Mahumetis permittens fornicationes, repudia, polygamiam, aliaque ſcelera turpiora, eſt corruptela, non reformatio: alioqui lex Moſis erit perfectior Evangelio, contra manifeſtam rationem, & communem quoque fidem Mahumetanorum. Deinde cum Deus non poſſit mentiri, credimus Chriſtum veniſſe poſt Moſen, quoniam in lege Moyſis teſtimonium habet: non credimus a Deo veniſſe Mahumetem, quoniam in lege Chriſti non prædicuntur futuri, niſi Pſeudoprophetæ. Nam quod Turcæ inquiunt nos cap. xiv. Joannis v. 16. abraſo Mahumetis nomine ſuppoſuiſſe Paracletum, refutatum eſt paullo ſupra; ac præterea liquet Mahumetem nec fuiſſe Spiritum inviſibilem mundo, nec docuiſſe Apoſtolos, nec veniſſe ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem, quæ omnia de mittendo a Filio *Conſolatore* eo loci affirmantur. Rurſus ſi Mahumetes ſalubriora præcepta attulit mundo, promulgato Alcorano abrogata erit lex Chriſtiana, nec ad ſalutem ſufficiens; quemadmodum promulgato Evangelio ceſſavit lex Moſis. At Mahumetani putant Chriſtianam legem adhuc eſſe validam, & ſalutiferam. Denique in Evangelio, quod Saraceni credunt e cælo delapſum, habetur regnum Chriſti fore ſempiternum, & adverſus Eccleſiam nunquam prævalituras portas inferi. Fruſtra ergo poſt Chriſtum veniſſe creditur alius Religionis Inſtitutor, & Legiſlator. Prætermitto quæ ſupra demonſtrata ſunt, nullum eſſe aut in perſona Mahumetis, aut in doctrina Alcorani, aut in promulgatione ſectæ Saracenorum, ex characteribus divinæ miſſionis, quos deprehendi in Religione Chriſtiana, dicam proximo Capite, nec non libro xxv. cap. x. ubi diſputabo de Chriſti adventu contra Judæos, & Paganos.

CAPUT III.

Demonſtratur Fidem ac Religionem Chriſtianorum evidentiſſime veram eſſe.

CUM neceſſe ſit aliquem Dei cultum, Religionemque tenere, quippe id tantum negare audent Athei, adverſus eos natura ipſa, ac teſtimonio animæ reclamantibus; poteſt quiſque ex dictis inferre, ſolam Chriſtianam religionem eſſe tenendam. Nam Idololatrarum ſuperſtitionem profligavimus ſupra, Mahumetanam quoque ſectam modo impugnavimus; ac nullam Religionis formam præter hebraicam, quam alibi antiquatam demonſtrabo, invenies; niſi aut Paganorum, aut Mahumetanorum, aut Chriſtianorum. Illorum ergo religione ejurata, Deus in Chriſtianorum fide colendus eſt. Attamen quia aſſenſus fidei, ac Religionis profeſſio debet eſſe prudens, alias opinio eſſet, non virtus; ideoque ſupponere debet certam notitiam divinæ revelationis; rationem fidei noſtræ petentibus non ſolum reſpondemus adduci nos fortiſſimis argumentis ad refellanda Gentilium, & Saracenorum dogmata, verum etiam ad præſtandum aſſenſum iis, quæ proponit Eccleſia Chriſti. Sunt autem argumenta illa hujuſmodi.

I.

Religionem Chriſtianam ab exordio mundi divina Oracula prænuntiarunt innumeris vaticiniis, quæ continentur in veteri Teſtamento, & quæ omnia completa ſunt poſt Chriſti Domini Incarnationem. Non poſſumus autem hæc aut conficta exiſtimare, aut in ſacris libris appoſita. Primo enim cetera, quæ ad Chriſtum non ſpectant, genuina eſſe facile demonſtretur. Moſen vera ſcripſiſſe, demonſtratum eſt alio in loco. Mundi productionem, qualem ipſe deſcribit, tradiderunt Phœnicum hiſtoriæ, de quibus Euſebius 1. Præp. E. cap. 10. Ægyptii apud Diodorum Siculum, Heſiodus in Theogonia; nec poteſt falſitatis convinci ullo profanorum ſcriptorum teſtimonio, cum ipſa ceteros omnes præceſſerit. Quæ de diluvio tradidit, probantur a Beroſo, Abydeno, Luciano, & Nicolao Damaſceno. Legum, rituumque Hebræorum meminerunt Strabo, Tacitus, Herodotus, Philo Byblius. Joſephi Hiſtoriam haud ignorarunt Artapanus, Eupolemus, Demetrius. Exitum populi Iſrael de Ægypto etiam Manetho, Lyſimachus, & Chæremon commemorarunt. Miracula Eliæ, aliorumque Prophetarum nequeunt eſſe conficta, cum patrata fuerint coram Sacerdotibus idolorum, qui falſæ narrationi ſeſe profecto oppoſuiſſent. Vide annotata H. Grotii ad primum de Relig. Chriſt. n. xvi. Si ergo hæc aliaque plura vera eſſe creduntur, cur non vaticinationes vocationis Gentium, atque inſtitutionis Chriſtianiſmi? Deinde quiſnam hæc vaticinia ſacris Codicibus aſſuit? Judæorum aliquis? At impoſſibile eſt hanc nationem, cui ſumma religio vel unum ſacrum apicem abradere, voluiſſe verba divina depravare: cur ante Chriſti adventum id faceret, cauſſam non habuit; poſtquam Chriſtus venit, id attentare non potuit, & ob evulgatas jam Græcorum lingua ſcripturas, & propter populi, librorumque per Univerſum diſperſionem. Sed neque credibile eſt, Judæorum aliquem in gratiam Chriſtianorum in vetus Teſtamentum manus ſacrilegas intuliſſe. Si autem Chriſtiani hoc attentaſſent, revincerentur ab ipſis Judæis. Hinc recte Auguſtinus ſcribit lib. xviii. de Civ. Dei c. 46. diſperſos per orbem Judæos, ut Chriſtiana Religio teſtes in omnibus gentibus habere poſſet. Eſt ergo manifeſtum, Prophetarum vaticinia de Chriſto antiqua eſſe, divina, neque a Chriſtianis conficta.

II.

Veriſſima quoque eſt Evangelica Hiſtoria, quæ nobis tot Chriſti miracula, incolpatam vitam, mortem pro mundi redemptione, mirabilem reviviſcentiam, ac plura alia apertiſſimæ veritatis monimenta patefacit. Literis enim conſignata eſt a Viris fide digniſſimis, qui res ſua ætate geſtas narrarunt, nec mentiri potuerunt, aut voluerunt. Non potuerunt quidem, cum Chriſtus nihil in abſcondito locutus ſit, nihil eorum, quæ deſcribuntur, clam perpetraverit: ideoque Evangeliſtæ potuiſſent facile falſitatis redargui ab invidis, & Chriſto infenſiſſimis inimicis. Sed nec mentiri voluerunt. Cui enim bono, ſi nihil inde utilitatis, honoriſque ſe percepturos videbant, ſed perſecutionem tantummodo, odiumque hominum, cum nequaquam eos lateret prædicari a ſe Jeſum Crucifixum Judæis ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam? Neque credibile eſt falſa narraviſſe in gratiam Magiſtri. Hujus enim, quem Hebræi expectabant præpotentem & gloria circumdatum, minime tacent parentes humiles, nativitatem in præſepio, neglectam vitam, tenuiſſimam apud Optimates exiſtimationem, ſuppliciumque Crucis teterrimum. Accedit, quod ſcripſerint jam illo a vivis ſublato: quem propterea, niſi reſurgentem vidiſſent, cur decepti, ac ſpe fruſtrati hominem commendaſſent inviſum Synagogæ in eos quoque pauperes, obſcuros, ac numero exiguos, cædes minaſque ſpiranti? Dubitare ergo non poſſumus, quin ſacri Evangelicæ Hiſtoriæ Scriptores nobis vera narraverint. Quæ autem ab iis tradita ſunt, incorrupta a nobis ſervari, capite præcedenti adverſus Saracenos demonſtravi.

III.

Facta a Chriſto miracula tam illuſtria ac manifeſta ſunt, ut ab ullo ſanæ mentis nequeant in dubium revocari. Vertit in nuptiis Canæ Galileæ aquam in vinum, ſpectantibus convivis pluribus, aquam non Apoſtolis, ſed Sponſi famulis in hydrias fundentibus, ac degoſtante merum architriclino. Hominem maligno ſpiritu vexatum ſpectante univerſa Synagoga ſanavit, cum a dæmonio jactaretur in medio. Adoleſcentem viduæ filium revocavit ad vitam, cum effer-

retur ad tumulum, comitante turba civium, ac univerſo populo obſtupeſcente. Cæcum a nativitate notum omnibus illuminavit, fruſtra Phariſæis miraculi gloriam technis & maledictis Chriſto detrahere molientibus. Paralyticum e tecto demiſſum coram immenſa populi multitudine ſanavit. Infirmum triginta & octo annorum morbo laborantem, atque ab omnibus derelictum uno verbo ad probaticam reſtituit ſanitati. Magnam hominum multitudinem ſatiavit, ita ut etiam ſupereſſent fragmenta, quinque panibus hordeaceis. Lazarum quatriduanum ad vitam revocavit, adſtantibus ad monumentum Phariſæis, qui non ſemel poſtea hominem in Bethania viderunt colloquentem & manducantem. Ipſe Chriſtus a mortuis ſurrexit, apparuitque Mariæ Magdalenæ, Simoni Petro, Diſcipulis euntibus in Emmaus, Diſcipulis omnibus ſimul congregatis, quingentis aliis viris ac fœminis. Cetera Chriſti miracula prætermitto. Hæc itaque palam facta, & comprobata teſtimoniis innumeris non poſſunt aliqua ratione denegari: cumque miracula ſint inviċtiſſimum veritatis argumentum, ex his Chriſtianæ Religionis veritas mirifice confirmatur.

IV.

Tam mira eſt Evangelii promulgatio, ut ſola demonſtret ſui ipſius certitudinem ac veritatem. Principio enim propagatum eſt a perpaucis hominibus nulla philoſophorum doctrina imbutis, nullo patrocinio terrenorum principum commendatis, non armis & eloquentia præditis, ſed profectis in orbem bini ac bini, abſque pera & calceamentis, omnique præſidio hominum deſtitutis. Atque hi induti virtute ex alto, abſque prævio ſtudio omnium gentium linguam edocti, & abſque naturali facultate vel artis omnium morborum curatione prædati, fuerunt Chriſtianæ Religionis columen ac fundamentum. Deinde non adierunt tantummodo rudem ac ſylveſtrem multitudinem, ſed Chriſtum annuntiarunt in ipſa celeberrima urbe Jeroſolyma, in qua Magiſter ligno ſuſpenſus occubuit, poſthac in Græcorum philoſophorum congreſſibus, in ipſa Roma dedita tum maxime literarum cultui, ac ſuperſtitioni Deorum, atque in univerſo propemodum orbe, ac provinciis regnorum omnium ampliſſimis. Præterea non inſciam tantum plebem ad ſe perduxerunt: ſed Reges, Philoſophos, Tyrannos, atque ipſos idolorum Sacerdotes, adverſarioſque præcipuos. Tandem iis non obvia ſenſibus propoſuerunt, præſcripſeruntque genio, libidini, vetuſtiſque moribus conſentanea; ſed prædicarunt ſapientiam abſconditam. Deum in Trinitate unum, Dei filium crucifixum ac mortuum, propoſito credentibus præmio Gentibus inaudito, viſione ſummi Dei & corporum reſurrectione, latiſque præceptionibus, ut frangerentur idola, abrenuntiaretur divitiis ac voluptatibus, ſupplicia æquo lubentique animo ferrentur, atque a viris uxores, a parentibus filii, a fratribus, ubi cauſa adeſſet religionis, divellarentur & fratres. Atque hæc tam ſublimia & ardua talium hominum prolata eloquio, quæ virtus ſuadere poterat humana ſcientia inflatis, & carnalibus, niſi divina, & occulta vis Religionis?

V.

Affine eſt argumentum, quod nunquam adverſus inſtitutam a Chriſto Religionem potuerint portæ inferi prævalere. Præcurſorem ipſius inceſtuoſus Rex capitis damnavit: ipſum Chriſtum, omnibus adverſus eum conſpirantibus, cruci Pilatus appendit. Petrum Apoſtolorum Principem Herodes catenis vinxit, Claudius Nero in Cruce ſuſpendit: alii omnes Apoſtoli exilio, ac morte mulctati. Neque in hos ſævitum tantummodo Romanorum Imperatorum edictis, & Proconſulum immanitate ab Eccleſiæ incunabulis fideles diſperſi ſunt, proſcriptis bonis, corporibuſque omnium tormentorum genere dilaniatis. Exortæ fuerunt etiam ipſo priori Eccleſiæ ſeculo complures hæreſes, quæ tamen veritatem Religionis noſtræ non potuerunt labefactare. Norunt, qui veterum ſcripta legerunt, quanta moliti fuerint Simon, Cerinthus, Menander, Saturninus, Baſilides, Valentinus, aliique miniſtri Satanæ. Hæc autem Perſecutorum, atque hæreticorum machinamenta proximis ſeculis, ut produnt hiſtoriæ, minime ceſſavere. Neque incorrupti fuerunt ab initio mores fidelium omnium, quamquam non adeo ſutra corrupti: diſſenſiones quippe, & fornicationes Corinthiorum redarguit Paulus, & vitia in ſeptem Eccleſias irrumpentia ſcriptor Apocalypſis Joannes. His autem minime obſtantibus efficere non potuit aut furor perſequentium, aut apparentia peregrinarum doctrinarum, aut dæmonis nequitia, ut navis tot, tantiſque procellis jactata fluctibus mergeretur: quod profecto evenire debuiſſet, ſi non illam regeret virtus Altiſſimi, & ſpiritus veritatis. Huc ſpectant argumentationes, quibus demonſtro libro xxv. cap. x. Chriſtum eſſe verum Meſſiam, divinumque Legiſlatorem.

VI.

Argumentum ſextum ac poſtremum ex eo deducitur, quod Chriſtiana Religio ceteris omnibus præſtet. Primo id evincitur ex dignitate Inſtitutoris. Hunc enim nemo dixerit elatum inani gloria, cum evangelizaverit pauperibus, & regni honorem, hominumque plauſus repulerit. Nemo dixerit hominum gratiam captaſſe, cum palam arguerit hypocriſim Phariſæorum, textiſque flagellis e templo ejecerit profanatores. Nemo dixerit ſubdolum circumventorem, cum doctrinam ſuam annuntiaverit in Templo, & Synagogis. Nemo denique inanium præceptorum promulgatorem; cum ipſa omnium primus eadem impleverit ſectando vitam humilem, & ſubeundo mortem turpiſſimam. Habes ergo in Religionis noſtræ Inſtitutore rectiſſimum intentionis finem, manifeſtam conſcientiam veracitatis, & exempli operiſque confirmationem. Et tamen ipſius dignitatem ac potentiam teſtimonia, & prodigia innumera comprobarunt. Compara huic legiſlatores ceteros, & longe præſtantiorem invenies, non dicam Græcis ſapientioribus vitiorum omnium fœditate inquinatis, aut Romanis cultu dæmonum, & fraterna cæde pollutis, ſed ipſo Moyſe, cujus vita, licet probatiſſima, cum rebus a Chriſto geſtis nullatenus eſt comparanda. Deinde liquet Chriſtianæ fidei præſtantia ex Evangelicis præceptis: in quibus nihil offendens, quod repugnet vel immutabili legi naturæ ſingulis inditæ, vel ſanioribus Sapientum documentis, vel morum regulæ ac probitati. Jubemur enim Deum colere, Parentes diligere, turpia vitare, ſingulis benefacere. Hæc cum natura dictante complures ſervanda eſſe præceperint, conſpurcarunt tamen inſtitutis aliis juxta inſeminatæ concupiſcentiæ, & pravæ indolis incitamenta. Nam Idololatris nihil non contaminatum: horrenda autem ſummopere conſuetudo victimas humanas mactandi. Ex Philoſophis Plato plurium Deorum cultum invexit. Ariſtoteles lib. v. Politic. cap. 11. docet indecoras artes conſervandæ Tyrannidis, etiam cum Religionis abuſu. Stoici aliam virtutem agnovere, quam bonorum operum oſtentationem, ut omnibus eſſent admirationi, humanarum laudum captatores ſuperbiſſimi. Epicurei ſpreta religione ſolam voluptatem ſectarunt. Hebræorum autem præcepta aliqua inſtitutis Chriſtianorum conformia ſunt, plura iſtorum promiſſiones ac ſigna, nonnulla œconomiæ cauſa pronis ad idololatriam ad tempus præſcripta. Religio ergo ſervans æternis ritibus, animoque Dei cultum, proponens omnia erga proximum humanitatis officia, probans virtutes quotquot conſenſu hominum habent decorem honeſtatis, damnans flagitioſa qualibet, etiamſi ſola mente verſentur; & nihil agens cauſa terrenæ voluptatis, aut philautiæ ceteras omnes antecellat neceſſum eſt. Denique felicitatem, quæ immortalem animum explere poſſit, hæc religio ſola promittit; aliæ nec agnoverunt: nam de perenni vita animorum aliqui dubitarunt, quidam tranſitum hominum in beſtias commenti ſunt, nonnulli dixerunt ſolam virtutem, cujus vis in perferendis malis ſita eſt, ſibi præmium eſſe, alii epulas & concubinas expectant: quæ omnia vel ſunt mortalis vitæ neceſſitates, vel ſaltem habent pericula, anxietates, interitum. At ſpes firmiſſima Chriſtianorum divinis promiſſionibus, & reſurrectione Redemptoris corroborata, tendit in vitam ſempiternam, in Deo abſconditam, nulloque corporis animique incommodo affectam. Cum vero admittendam conſtet beatitudinem, quam omnes homines cupiunt, nec profecto expetarent, niſi aſſequi poſſent: ea tantum Religio vera exiſtimanda eſt, quæ veram beatitudinem pollicetur. Quamobrem ſpectata dignitate Inſtitutoris, præceptorum æquitate, nec non excellentia mercedis, debet profeſſio Chriſtianorum ceteris omnibus anteferri.

CONTRARIA ARGUMENTA SOLVUNTUR.

Poteſt adverſus dicta primum objectari. Quod ipſi Apoſtoli Evangelicam Hiſtoriam conſcripſerint, atque autographi ſint libri, quibus narrantur Chriſti miracula; ac præcepta Religionis noſtræ traduntur, incertum prorſus eſt, atque inexploratum: labaſcit ergo primum, ac proximum argumentum. Prob. ant. I. Cum plura Evangelia ab ineunte Eccleſia fuerint ſub nomine Apoſtolorum conficta, & evulgati libri complures apocryphi; poſſunt eſſe ejuſdem generis ſcripta, quæ a credulis primi ævi Chriſtianis fuerunt recepta. II. Facile evenire potuit in Jeroſolymorum excidio, ut diſperſis illius Eccleſiæ monimentis falſa ac mendacia ſupponerentur. III. Recipit Eccleſia inter Canonicas ſcripturas ſcripta quædam ſub nomine Apoſtolorum, ut Epiſtolam Pauli ad Hebræos, ſecundam Petri, Catholicam Judæ, & Apocalypſim Joannis, nec tamen conſtat habere reapſe illos, quorum nomen præferunt, auctores. Pariter ergo dubium eſt ſcripſiſſe Evangelia Matthæum, Lucam, Marcum, Joannem.

Reſp. nego ant. Cum enim habeamus conſtans ſæculorum omnium teſtimonium, nefas eſt de auctoribus Evangeliorum dubitare, ac multo minus de rebus a Chriſto geſtis, pro quarum confirmatione mentiri, nihil, ut vidimus, Apoſtolorum intererat. Ad probat. 1. dico, ob eamdem rationem, ob quam rejiciuntur Pſeudo-Evangelia, aliique libri apocryphi, a nobis ſcripta retineri Apoſtolica; ideſt, quia illa nunquam univerſalis Eccleſia probavit, hæc autem unanimi ac perpetua traditione recepit. Enarrantur

præ-

præterea in Pſeudo Evangeliis facta quædam Chriſti aut pugnantia, aut abſque ullo teſte patrata, in Evangeliis autem publica doctrina, & Chriſti opera facta coram multitudine populorum, atque omni teſtimoniorum genere confirmata. Ad alteram probationem reſpondeo non a ſola Jeroſolymitana Eccleſia receptam Chriſti doctrinam ac religionem, ſed præterea Antiochiæ, Corinthi, Epheſi, Romæ, atque in univerſo propemodum orbe, in quo Evangeliorum Codices fuerunt ante Jeroſolymitanum excidium diſperſi. Ad tertiam hoc habeto reſponſum. Si incertus eſſet auctor ſcriptorum, quæ commemorata ſunt, quia de ipſo auctore nonnulli veterum dubitarunt; certiſſima tamen Evangelia conſcripta fuiſſent ab Apoſtolis, quoniam in hoc veteres omnes conſentiunt: ſed nego etiam, non eſſe adſcribenda ea ſcripta Auctoribus, quorum præferunt nomen, cum privato aliquorum judicio præponi debeat traditio Apoſtolicæ Eccleſiæ ſatis jam explorata, ac diſcuſſa.

Deinde opponi poteſt. Apoſtoli, cum ignari eſſent, ac ſimplices, facile decipi potuerunt. Primo ipſe Chriſtus potuit cum iis, qui infirmos ſe fingerent, convenire. Deinde fallere eos potuit rerum apparentia, & rumor vulgi. Inſuper fuerunt fortaſſe, quos Chriſtus ſanavit, infirmi non reipſa, ſed imaginatione duntaxat. Demum ipſi Apoſtoli cum impenſe Chriſtum diligerent, potuerunt ob nimium amorem deludi præſertim in apparitionibus poſt ejus mortem ac ſepulturam.

Reſp. evidentiſſimum eſſe quod Apoſtoli non fuerint circa facta a Chriſto prodigia decepti. Sane Chriſtus non potuit cum ſuppoſitis infirmis fraudulenta conventione paciſci. Etenim aliqua ejus prodigia facta ſunt in univerſa populi multitudine, ut multiplicatio quinque panum; & impoſſibile eſt ingentem turbam in ſimulationem conſpiraſſe, & ex ea neminem fraudem poſtea patefeciſſe: aliqua patrata ſunt ad preces exterorum, ut Centurionis, & mulieris Chananææ, quibuſcum conveniſſe Chriſtum nequit oriri ſuſpicio: aliqua evenerunt coram invidis Phariſæis, quorum ſtudium præcipuum erat Chriſtum deprimere, & gloriam ipſius obſcurare, ut curatio paralytici, & dæmoniorum expulſio. Prima ergo conjectura evidentiſſime exploditur. Sed nec ſimulaſſe infirmitatem quos Chriſtus ſanavit, liquet: quis enim a primo nativitatis die ſe cæcum fingeret, ut apparenter illuminaretur? quis triginta & octo annis ſimularet paralyſin? quis cum Lazaro quatuor diebus jaceret in ſepulcro? quis fingeret ſe a dæmone vexari, & elidi? His non apparenter redditam a Chriſto fuiſſe lucem, vitam, ac ſanitatem, tam certum eſt, quam intereſſe non potuit ſimulatio eorum, qui receperunt beneficia; nec falſus rumor, cum cæcum e nativitate recepiſſe lumen ſpectarent omnes, teſtarentur parentes, & perperam occultare tentarent invidia in Chriſtum tabeſcentes Judæi. Paralyticum quoque ferentem grabatum ſuum, & Lazarum revocatum ad vitam ſinguli propriis oculis inſpexerunt. Nulla ergo hic ſimulatio, aut falſus rumor occurrit. Cæcitatem ipſam, paralyſim, mortem in ſepulcro jacentis, quis, niſi inſaniat omnino, dixerit imaginationis effecta? Denique non fefellit Apoſtolos exiſtimatio Magiſtri; nam & diutius fuerunt increduli, & pluribus experimentis veritatem contrectaverunt, & accepta a ſeipſis miraculorum virtute dubitare non poterant Magiſtrum, a quo acceperant, ea caruiſſe.

Cetera argumenta perquiras libro I. cap. VII. & lib. XXV. cap. XI.

CAPUT IV.

Non eſſe connumerandos inter Chriſti fideles, nec fructum Redemptionis illius percepturos, qui ejus Divinitatem atque Incarnationem non confitentur.

VERAM Religionem, quam Chriſtianam eſſe demonſtravimus, ſe profiteri autumant gregales omnes Socini contendentes non eſſe e fidelium numero expungendos, qui myſteria quoque fidei noſtræ præcipua, idest individuam Trinitatem, & Dominicæ Incarnationis Œconomiam præfracte oppugnant, aut negant. In eodem luto hæſiſſe Hugonem Grotium liquet ex iis, quæ habet Tom. IV. Op. Theol. pag. 752. *Sunt aliæ quæſtiones intricatiores de diſtinctione, unitate Patris, Verbi, & Spiritus ſancti, de duabus in Chriſto naturis, earumque proprietatibus, ſine quarum nimis exacta cognitione, nihil impedit quo minus aliquis ſit Chriſtianus.* Exactam quippe cognitionem non appellat hoc loco Grotius ſublimiorem Theologorum doctrinam, ſed firmam fidem illorum myſteriorum, ſcribens hæc non computari inter dogmata, ſine quibus in veteri Eccleſia nemo Chriſtianus exiſtimabatur, & ſuper his conſpici in antiquorum ſcriptis non tantum diſſonas locutiones, ſed interdum libertatem quoque ſententiarum. Ita pariter ſentiunt omnes illi, qui putant homines ſingulos, dummodo pagani non ſint, & Deum colant, ac ſervent legis præcepta, debere ſeu omnium Eccleſiarum commercio, conſociare, & colere fraternitatem; ut in IV. Inſtit. libro ſect. 2. cap. 33. nititur demonſtrare Epiſcopius, necnon Auctor operis, cui titulus *Irenicum Irenici*. p. 73. Refellunt tam pernicioſum errorem Scholaſtici omnes commonſtrantes neceſſitatem Fidei explicitæ in Chriſtum, & luculenter Placidus Troylus Abbas Ciſtercienſis de Fide, ſive Tractatu III. articulo 3. aliique recentiores; nec non Antonius Arnaldus in opere de neceſſitate Fidei in Chriſtum, & ex Proteſtantibus Georgius Bullus celebris, & eruditus Epiſcopii adverſarius in diſſertatione, quæ ſequitur Defenſionem Nicænæ Fidei: eidemque Epiſcopio, ceteriſque Remonſtrantibus, ac novis Ebionæis opponimus proximam definitionem.

PROPOSITIO. Non ſunt habendi tanquam Chriſti fideles, neque hæreditatis ejus participes erunt, qui ad normam legis Evangelicæ mores componentes in capite de divina Chriſti natura a nobis diſſentiunt.

Probatur primo ex ſcripturis. Marci ultimo 15. ita Chriſtus Dominus Apoſtolos allocutus eſt: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* In ea doctrina, ac miniſtratione baptiſmi comprehendi invocationem Trinitatis, conſtat ex cap. XXVIII. Matth. 19. Igitur qui Trinitatis myſterium, & Domini noſtri Jeſu Chriſti divinitatem non profitetur, is neque Chriſtianam fidem amplectitur, nec ſalvus erit. Deinde Joannes cap. I. poſtquam nobis Chriſti divinitatem propoſuit, verſu 12. inquit: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine ejus.* Ac III. cap. 18. *Qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Qui ergo in Chriſtum non credit, neque filius Dei eſt, neque hæres, ſed extra Chriſti ovile expulſus, atque dejectus. Præterea in Apoſtolicis Actibus cap. IV. 12. ait Petrus: *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* In quo ergo nomine ſalutem conſequentur, qui rectam Chriſti fidem abjiciunt? Hæc aliaque plura diluere nequeunt, aut Sociniani reponentes, quod ſufficiat credere Jeſum eſſe Meſſiam, præter naturæ ordinem de Spiritu ſancto conceptum, novique fœderis auctorem; aut Remonſtrantes ad hæc addentes fidem quoque præexiſtentiæ Chriſti ante Incarnationem: nam ut libro VII. demonſtratum eſt, non hæc tantum dogmata, ſed etiam Filii Dei conſubſtantialem Patri divinitatem nobis ſacroſancta Evangelia proponunt.

Confirmatur Catholica veritas Patrum exploratiſſima Traditione. Enimvero S. Martyr Ignatius in Epiſtola ad Epheſ. illos, qui Chriſti denegant divinitatem, appellat *Domus corruptores, qui non hæreditabunt regnum Dei.* Irenæus lib. III. cap. 21. *Qui nude* (inquit) *tantum hominem eum dicunt ex Joſepho generatum, perſeverantes in ſervitute priſtinæ inobedientiæ moriuntur, nondum commixti Verbo Dei Patris, neque per filium percipientes libertatem:* paucique interjectis: *Ignorantes autem eum, qui ex Virgine eſt Emmanuel, privantur munere ejus, quod eſt vita æterna.* Tertullianus Libro de Anima, cap. I. ait: *Cui veritas comperta ſine Deo? cui Deus cognitus ſine Chriſto? cui Chriſtus exploratus ſine Spiritu ſancto?* Ac de præſcript. cap. 13., & 36. fidem, qua credimus Chriſtum Deum eſſe, commendat, & neceſſariam deprædicat. S. Hieronymus ad cap. III. Epiſt. ad Epheſios: *Non poſſumus eſſe filii per adoptionem, niſi prius fidem Filii Dei, & intelligentiam recipiamus.* Idem luculentiſſime tradit S. P. Auguſtinus de Corrept., & gratia cap. VII. ſed hæretici trium duntaxat priorum ſæculorum nobis doctrinam, Fideique confeſſiones objectant.

Accedit momentum ex Eccleſiaſtica Hiſtoria. Nam ſtatim ac exortæ ſunt hæreſes adverſus Salvatoris noſtri divinitatem, ac ſalutiferam Incarnationem, non tantum illas Eccleſiæ Paſtores refellere, ac eliminare ſtuduerunt, verum & profeſſores a fidelium cœtu exturbarunt. Ebionæos ab incunabulis Eccleſiæ tale facinus auſos profligavit S. Joannes Evangeliſta, ut ſcribunt in Catalogo Hieronymus, & in III. adverſus Hæreſ. cap. II. Irenæus. Nec profligavit tantum: mendaces, Antichriſtos, ſeductores appellat cap. 2. prioris Epiſtolæ, eoſque ab æterna vita arcet quinto ejuſdem Epiſtolæ capite. Cum vero circa annum 195. Theodotus, dictus ab arte Coriarius, Deum eſſe Chriſtum negaret, a Victore ab Eccleſiæ communione ejectus eſt, ac Byzantii primum, deinde Romæ in ſummum contemptum, ludibriumque venit, ut narrat Epiphanius Hæreſ. LIV. Cajus apud Euſebium lib. V. H. Eccl. cap. 28., & in poſtremo de Præſcript. Tertullianus, ſive Auctor illius Additamenti. Ejuſdem rei cauſſa proſcriptus eſt, ac reprobatus ab omnibus initio tertii ſæculi Artemon, paullo poſt Beryllus Boſtrenſis, ac deinceps Paullus Samoſatenus, qui, auctore Athanaſio in lib. de ſalutari Adventu, protulit hanc de Chriſto blaſphemiam: *Prædeſtinatione quidem fuit ante ſæcula, ſed Nazarethi primum eſſe cœpit.* Vigebat Pauliana hæreſis, quam damnarunt Patres Antiocheni, interdicta impio hæreſiarchæ Eccleſiaſtica communione, circa annum 260. Falſum ergo eſt, Chriſtifideles trium priorum ſæculorum, cum iis, qui negabant divinitatem, & Incarnationem Chriſti, coluiſſe fraternitatem.

Præterea quis non videt quanta conſequantur abſurda, ſi tanquam Chriſti diſcipuli habendi ſint, qui moralia præcepta tenentes ſibi pro libidine dogmata fingunt? Principio

cipio non viri prudentes, ſed ſtulti fuiſſent, qui ab Arianis martyrium perpeſſi proprio ſanguine Chriſti divinitatem comprobarent: imo ab idololatris ad necem quæſiti facile potuiſſent declinare tormenta aſſirmantes Chriſtum a ſe non Deum, ſed hominem tantum humilem, ac probum haberi: quod, ut opinor, non fuiſſet Judæis ſcandalum, Gentibuſque ſtultitia. Patres vero cur tam bonos hæreticos ſcriptis laceſſere, ferire anathemate, & tam exoſos habere, ſi crediſſent futuros in cæleſti Jeruſalem concives ſuos, & in Eccleſiæ viatorum membra ſibi corporis compagine conjunctos? Ipſi denique hæretici cur tanto molimine Romanam communionem evertere, & dogmata nobis adverſa ſtabilire conantur, ſi omnes, dummodo peccata vitemus, in qualibet ſecta ſalutem, ac perpetuam felicitatem aſſequimur? Aut ergo una fides tenenda eſt, aut fruſtra Martyres occubuerunt, fruſtra Patres inſectarunt Apoſtatas, fruſtra hæretici ipſi in nos tam audacter inſiſtunt.

DILUUNTUR OBJECTIONES.

Ex Epiſcopio poſſunt hæc opponi. Primum: In antiquis ſymbolis, quæ Catechumeni accedentes ad baptiſmum recitare tenebantur, exprimitur tantum nomen Patris, Filii, & Spiritus ſancti, ut liquet ex Irenæo lib. 1. cap. 2. & Tertulliano libro de velandis Virginibus cap. 1. & de Præſcript. cap. 13. nulla facta mentione de Verbi divinitate, aut de Perſonarum diſtinctione; neque poſſunt hæc ſymbola dici mutila, aut imperfecta, cum Irenæus ſymbolum ſuum tam abſolutum appellet, ut nihil ei poſſit addi, vel detrahi: quod & affirmat ibidem Tertullianus.

Reſp. in eo ſymbolo myſterium Trinitatis, & Incarnationis præcontineri: Trinitatis quidem, nam tres perſonæ ſigillatim enumerantur, & in earum fide, earumque nomine profitetur Catechumenus ſe baptizari, & ad baptiſmum accedit jam fide Chriſtiana imbutus, & Catholicum verborum illorum ſenſum tenens: ideoque ſymbolum Catechumenorum abſolutum, ac perfectum eſt, quoniam illi nihil addi poteſt contrarium, etſi poſſint ipſa myſteria enucleatius exponi. Hoc veriſſimum eſſe conſtat, quod tam Irenæus, quam Tertullianus ſcribant, perſeverare in ſervitute priſtinæ obedientiæ, qui Chriſtum putent nudum hominem. Accedit quod Catechumenorum ſymbolum in libro Conſt. Apoſtolicarum VII. cap. 41. ad hunc modum ſe habet: *Credo, & baptizor in unum ingenitum, ſolum, verum Deum omnipotentem, Patrem Chriſti, creatorem, atque opificem univerſorum, ex quo omnia: & in Dominum Jeſum Chriſtum unigenitum ejus filium, primogenitum omnis creaturæ, qui ante ſæcula genitus eſt, non creatum, per quem omnia facta ſunt, &c.* Arbitror hoc ſymbolum eſſa alterius brevioris expoſitionem. Etſi enim de Auctore Conſtitutionum Apoſtolicarum inter eruditos plane non convenit, conſentiunt omnes plura inde utilia hauriri ad explorandam veterem diſciplinam, ut ſcribunt Joannes Bona de Rebus Liturgicis cap. 8. §. 4. Joannes Morinus P. 2. de Sacramento Ordinis p. 20. & Joannes Fronto in Prænotatis ad Kalendarium Romanum §. 5. Addo Catechumenorum ſymbola fuiſſe præſertim inſtituta, ut ejurarent idololatriam, ac Deorum multitudinem, ut dixi libro VII. cap. 4.

Ob. 2. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone pag. 268. inquit: *Verum enimvero non amittitur illud, hunc eſſe Chriſtum Dei, ſi probare nequeam, & extitiſſe ipſum prius filium Conditoris hujus univerſitatis, & eſſe Deum, ac genitum ex Virgine, omnino interim demonſtrato hunc eſſe Chriſtum illum Dei, qualiſcunque demum is futurus ſit.* Itaque connumerari poſſunt inter veros Chriſti fideles, qui ipſum nec Dei filium, nec Conditorem univerſorum, imo nec filium Virginis, & Incarnationi præexiſtentem fateri nolunt.

Reſp. nego conſequentiam. Juſtinus eo loci, ut dixi lib. VIII. cap. 2. refellit Tryphonem argumento, quod appellant *ad hominem*. Dixerat paullo ante Trypho: *Omnes nos Chriſtum hominem ex hominibus naſciturum præſtolamur.* Itaque S. Juſtinus, Cur ergo, inquit, negas Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam, quod percipere nequeas illum fuiſſe natum ex Virgine, & divinam habere naturam? Si Judæi omnes præſtolantur Chriſtum purum putum hominem, ecur ejusdem Jeſum, in quo impleta vidimus vaticinia Prophetarum, non eſſe Meſſiam, quoniam huic competere nequeunt characteres divinitatis? Ceterum poſthac Juſtinus Chriſtum Deum eſſe luculenter demonſtrat; & paullo ſupra pag. ſcilicet 264. de Chriſtianorum genere ſcripſerat: *Agnoſcunt Chriſtum Dei filium, qui ante luciferum, & lunam fuit, & ex Virgine generis Davidici caro factus naſci ſuſtinuit.*

Inſurges: At ibidem Juſtinus affirmat eos, qui negant Chriſtum prius extitiſſe, & Deum eſſe, ac natum ex Virgine, adhuc eſſe ex vero Chriſtianorum genere, licet ipſe neget ſe talibus aſſentiri: *Sunt enim* (inquit) *nonnulli, o amici, ex genere noſtro confitentes ipſum eſſe Chriſtum, ſed hominem ex hominibus genitum eſſe affirmant: quibus ego minime aſſentior.*

Reſpondet Bullus legendum eſſe, *ex genere veſtro*; quod videtur probari ex verbis præcedentibus Tryphonis aſſerentis præſtolari Judæos hominem ex hominibus naſciturum: ita enim tota ratiocinatio Juſtini cohæret. Ac ex alia parte facilis fuit mutatio ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους, in ἀπὸ τοῦ ὑμετέρου γένους, quemadmodum ibidem irrepſit τούτων pro τοῦτον. Addit male convenire hoc nomen γένος Chriſtianis, qui ex diverſis nationibus collecti ſunt, illo quippe vocabulo non *ſecta*, aut congregatio hominum idem inſtitutum perſequentium ſignificatur, ſed gens, ſive populus eadem ſtirpe progenitus. At labaſcit hæc poſtrema ratio Georgii Bulli, quamquam reſponſio ſit ex priore capite valde probabilis. Etenim Plato, quem magni Juſtinus fecit, de philoſophantium quadam ſecta ait in Ep. VII. φιλοσοφούντων τὸ γένος, & apud Euſebium lib. IV. cap. 26. dicitur a Melitone Sardiano Chriſtianorum congregatio θεοσεβῶν γένος; in Actis quoque Eccleſiæ Smirnenſis de Martyrio Polycarpi legitur apud eumdem Euſebium τὸ γένος Χριστιανῶν ἀρετήν: ac demum latiniſſime non ſolum dicimus Genus Achillis, aut Herculis; ſed etiam de aliqua hominum ſocietate, quos natura, aut religio conciliet, Genus hominum, genus fidelium, &c. Potuit ergo Juſtinus idem vocabulum uſurpare etiam de ſocietate, ac multitudine Chriſtianorum, quamvis hi ex diverſis nationibus ſint collecti. Magis itaque mihi placet altera, & communior reſponſio S. Juſtinum per *τὸ ex genere noſtro* deſignare Ebionæos, qui licet non eſſent in communione Eccleſiæ Catholicæ, ſibi tamen Chriſtianum nomen arrogabant, & Chriſtiani cenſebantur, in quantum ſecernebantur ab idololatris, & a Judæis, confitentes veniſſe Meſſiam. Et quidem Juſtinus in Apologia II. ad Antoninum Pium diſcipulos Simonis, Menandri, & Cerinthi appellat promiſcue Chriſtianos, non tamen *pura alioqui piaque ſententia*, ut eodem Dialogo cum Tryphone dicit aliquos Chiliaſtes: ſed *quemadmodum Philoſophis, cum iis non ſint communia dogmata, nomen tamen, quod a Philoſophis ducitur, commune eſt.*

Hanc reſponſionem alia via Remonſtrantes, alia Sociniani nituntur evertere. Illi qui Chriſtum Virgini præextitiſſe, & de Spiritu ſancto conceptum fatentur, inquiunt, Juſtinus non loquitur de Ebionitis, ſed de iis tantum, qui Chriſti divinitatem oppugnabant, & tamen eos affirmat eſſe ex genere noſtro. Comprehenduntur itaque in Chriſtiano genere, qui negant Chriſtum eſſe Deum. Et quod Juſtinus de Ebionitis non loquatur probant, tum quia nimis frigida contra Ebionæos loquutus eſſet, ſi dixiſſet tantum *ſe iis non aſſentiri*, cum in tot aliis graviſſimis capitibus diſſentiret: tum etiam quia hoc in loco *quibuſdam e genere noſtro*, idest, Chriſtiano, opponuntur *plerique*, qui eadem ſentiebant, ac Juſtinus; unde intelligere eſt agi de ejuſdem generis hominibus. Ita Joannes Clericus in Hiſt. Eccleſ. ad annum CXL. num. 10. At futilia, inepta, vaniſſimaque iſta ſunt. Nam quis, niſi Ebionita, aut conſimilis ſectæ homo, putat Chriſtum purum putum eſſe *hominem ex hominibus genitum*? aut quis id affirmans credit illum *præter naturæ ordinem e Spiritu ſancto* conceptum, quod neceſſarium eſſe ad Chriſtianorum fidem inquit paullo ſupra idem Clericus? Juſtinus ergo *quoſdam ex genere noſtro* affirmantes Chriſtum eſſe tantum hominem, intelligit Ebionæos, & tamen eos non recipit in Eccleſiæ communionem, quia non credunt, quod etiam Arminiani profitentur, e Spiritu ſancto conceptum. Clericus ergo ex ipſa ſua fide refellitur. Juſtinus autem illos hoc loco hæreticos non appellat, quoniam adverſus Tryphonem, & Judæos pernegantes veniſſe Meſſiam, non adverſus Ebionitas ſtilum exercet: ſed appellat ex genere noſtro, quia licet non ſint ex Eccleſia Catholica, ſunt tamen ex genere illorum, qui annuunt veniſſe Chriſtum.

Ex adverſo Sociniani aiunt: Si Juſtinus comprehendit in genere Chriſtianorum Ebionæos negantes Chriſti præexiſtentiam atque divinitatem, cur nos eadem ſentientes ab Eccleſia repellimur? At hi eadem reſponſione revincuntur; quippe Juſtinus connumerat Ebionitas in genere Chriſtianorum profitentium adventum Chriſti, non in communione Chriſtianorum credentium quæ docuit Chriſtus: ſiquidem poſt ea verba, *quibus ego minime aſſentior*, addit, *non enim hominum traditionibus ac doctrinis juſſi ſumus a Chriſto credere, ſed iis quas beati Prophetæ promulgarunt, & ipſe Chriſtus docuit*: & in eodem Dialogo pag. 252. variis hæreticorum ſectis enumeratis, inquit, *cum quorum nullo communionem habemus.*

Si dixeris: Non potuit Juſtinus a Chriſtianorum cœtu amovere aliquam hæreticorum ſectam: cum in altera Apologia aperte inter Chriſtianos enumeret etiam Socratem, & Heraclitum, qui ſpretis idolis unum Deum coluerunt; Reſpondeo philoſophos illos dici a Juſtino Chriſtianos quatenus unum Deum cum Chriſtianis agnoverunt, & deteſtati ſunt Ethnicorum ſuperſtitionem, quam ipſe Juſtinus eo loci inſectatur: non autem dici Chriſtianos, quatenus pertineant ad Eccleſiam, & regnum Chriſti: eo nempe ſenſu, quo Tertullianus Animam unum Deum invocantem appellat naturaliter Chriſtianam, & quemadmodum ait idem Juſtinus in prima Apologia pag. 46. *Juxta partem aliquam ſeminalis rationis.*

Opp. 3. Primo ſæculo Eccleſia Jeroſolymitana habuit cum ceteris fidelibus communionem, & tamen conſtabat ex Nazaræis & Ebionitis, cum in ea aliquo tempore ſervata fuerint legalia.

Reſp. fabulam eſſe putidiſſimam, quam ſtuduit venditare Auctor *Irenicorum* p. 73. & recoxit Joannes Clericus in H. E. ad

E. ad annum lxx. num. 1. Eccleſiam enim Jeroſolymitanam uſque ad Adriani tempora *cognitionem Chriſti genuine ſuſcepiſſe*, teſtatur Euſebius lib. x. H. E. cap. 5. neque Remonſtrantium commentatio nititur aut Scripturis, aut veterum Scriptorum teſtimonio. Ait quidem Hieronymus in Epiſtola lxxiv. ad Auguſtinum, Cerinthum & Ebionem propter hoc a Patribus anathematizatos, *quod Legis cæremonias cum Evangelio miſcuerunt*; ſed quod hi neceſſarium putabant, Eccleſia Jeroſolymitana aliquandiu ſervavit œconomiæ cauſſa, ut diximus libro xx. cap. 10. Quare ſumma irrogatur injuria priſcis Jeroſolymitanæ Eccleſiæ fidelibus, (qui in conventu habito anno Æ. Ch. 50. poſt Petri, & Jacobi ſuffragia communi decreto ſtatuerunt Gentes converſas non ligari lege Moyſi, ut habetur Act. xv.) dum appellantur Nazaræi, atque Ebionitæ. Falſo etiam has duas ſectas unam eſſe ſcribit ibidem Joannes Clericus; nam Hieronymus citata Epiſtola inter Auguſtinianas 89. aperte ab Ebionitis diſtinguit hæreſim Mineorum, ſive Nazaræorum; & ait iſtos credere *in Chriſtum filium Dei, natum de Virgine Maria*: cum de Ebionitis aperte affirmet de Scrip. Eccl. num. ix. aſſerere *Chriſtum ante Mariam non fuiſſe*, Ac Ebionitas putaſſe Chriſtum eſſe nudum hominem, filium Davidis, non filium Dei, obſervarunt Tertullianus lib. 2. de carne Chriſti, Epiphanius H. 30., Euſebius lib. iii. H. E. cap. 27., aliique veteres. Ideo autem Hieronymus in Epiſtola ad Auguſtinum poſt hæreſim Ebionis, commemoret etiam hæreſim Nazaræorum, quoniam & hi cum Ebionæis cæremonias legis tamquam neceſſarias ſervabant; de quo argumento cum Auguſtino Hieronymus diſceptabat. At licet in obſervantia legis Moſaicæ utrique convenirent, Nazaræi tamen Chriſtum Dei Filium, Ebionæi tantummodo hominem cum Cerinthianis prædicabant, ut liquet ex dictis, & accurate animadvertit ſanctiſſimus parens Auguſtinus in libro de Hæreſibus num. ix. & x. Errat ergo Jo. Clericus confundens ea Epiſtola Hieronymi Ebionitas cum Mineis, ſive Nazaræis: &, ni fallor, etiam doctiſſimus Martianæus Tom. iv. Operum S. Hier. pag. 623. male appoſuit notationem, *Mines Judæi Ebionitæ*. Verum quidquid ſit de utriuſque ſectæ diſcrimine: nego fideles Jeroſolymitanos, qui non cogebant gentes judaizare, fuiſſe Ebionitas, aut Nazaræos: niſi hoc poſtremum nomen pro Chriſtianis univerſis accipiatur: quos novimus ex cap. xxiv. Act. Apoſt. dictos a patria Salvatoris noſtri *Nazarenos*.

Oppones 4. Si Ebionæi, ac Paulliani, ſive Samoſatenſes, necnon Theodotus ac Beryllus ideo damnati fuerunt, quia putarunt Chriſtum eſſe nudum hominem, ac Nazarethi primum cœpiſſe; ſat erit hæc impia dogmata reſutare, ut quis in fidelium communione cenſeatur, nec invidia facienda eſt iis, qui in ardua quæſtione de Verbi divinitate ab aliis diſſentiunt. Expellantur itaque ab Eccleſia, ſi libet, Sociniani, at non Ariani, aliique hujus generis homines.

Reſp. ejectos a communione fidelium hæreticos illos non ſolum quod præexiſtentiam, ſed etiam quod divinitatem Chriſti negarent. De Ebionæis nuper diximus. De Paullo Samoſatenſi ſcribunt in Ep. Synodica PP. Antiocheni, negaſſe Chriſtum *Dominum Deum ſuum*, nec diſſentit S. Pater de Hæreſibus num. xliv. Idem legitur de Theodoto in Præſcriptionibus Tertulliani cap. 53. & de Artemone apud Euſebium lib. v. H. Ecc. cap. ultimo: de Beryllo denique ibidem lib. vi. cap. 33. Quare argumentum retorquetur.

Opp. ultimo Matth. xix. 17. cuidam Chriſtum interroganti, *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* reſpondit, *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*. Sufficit ergo ſervare præcepta, quamvis non credantur myſteria, quæ ſuperant humanum captum.

Reſp. nego conſequentiam: ad obſervantiam enim præceptorum fides in Chriſti divinitatem præſupponitur; *Non enim per legem promiſſio, ſed per juſtitiam fidei*, inquit Apoſtolus ad Rom. iv. 13. & præced. cap. 2. *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, qui credunt in eum*. Qui Chriſtum interrogavit, forte ejus fide jam erat imbutus, nam apud Marcum x. 17. legitur hæc interrogaſſe *genu flexo ante eum*: aut Dominus fidem in divinitatem ſuam commendavit præmittens ea verba, *Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, &c.* Non ſunt ergo inter Chriſtianos revera connumerandi, qui de Salvatore noſtro humana tantummodo ſentiunt,

Vipereo promunt ſemperque ex corde venena,
Filius, ut dicant, eſt creatura Dei:
Quos magis auxilium præſtat ſapientia mundi,
De ingenito genitum quæ negat eſſe Deum.

Ita de Sectariis Venantius Fortunatus lib. ii. num. 6.

CAPUT V.

Deteſtandas eſſe tamquam Chriſtianæ Religioni adverſas ſectam Calviniſtarum, Lutheranorum, aliorumque Proteſtantium.

APUD hæreticos non extare veram Eccleſiam, & fidelem Chriſtianorum cœtum, liberiori ſtylo alibi ex certis notis conabimur demonſtrare. Nunc brevi quantum illi a Religione Chriſtiana extorres cenſendi ſint, ne eos de fide ac Religione diſſerendo omnino prætermittamus, ſtatuam ob oculos. Eſt autem Religio, ut illam ex Cicerone definiunt S. P. Aug. q. 31. ex 83. & S. Thomas q. 80. *virtus, quæ ſuperioris cujuſdam naturæ, quam divinam vocant, curam, cæremoniamque affert*. Illam definitionem his verbis Theologi tradunt, *Religio eſt virtus, quæ exhibet cultum Deo debitum*. Coli Deum fide, ſpe, & caritate, ait S. Pater cap. 3. Enchiridii. Hi ſunt Religionis interni actus: exteriores vero, ſacrificium, oratio, &, quæ huc ſpectant, ſacrorum myſteriorum, Sacerdotum, rituumque obſervatio.

Facile hinc deprehenditur, quam hæreticorum ſectæ ſint a vera Religione alienæ. Nam ſi de fide ipſorum inquiretur, nec veritates *fundamentales*, quas ſaltem credendas & ipſi poſt Jurium non denegant, in Sectariorum libris incontaminatas invenies. Deum unum, quem Apoſtolica fides, & ratio ipſa ſingulis indita fatetur omnipotentem, & qualibet re excogitabili meliorem, qualem nobis Heterodoxi pro libidine pingunt? Abſolutam ejus potentiam Joannes Calvinus ad cap. x. Jobi appellat rem deteſtabilem ac diabolicam, necnon Scholaſticorum commentum: ejuſque diſcipulus Theodorus Beza lib. i. adverſus Heshuſium arguit falſitatis illa verba Gabrielis Archangeli, *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*. Quid vero ſentiunt de Dei bonitate? Deum operari mala culpæ, & ad peccatum impellere voluntate effectrice, ſcribunt Calvinus lib. 1. Inſtit. cap. 18. & Beza in Summa Chriſtiana Aphoriſmo x. Hinc Deum Calviniſtarum eſſe diabolum, cum ſit auctor homicidii ac mendacii, & ſeminator zizaniorum, probant ex Catholicis Becanus Opuſc. iii. cap. 15. & ex Lutheranis Tilmannus Heshuſius in libro de Erroribus Calv. Et tamen de Deo ſimilia ſentire Lutherum, ac Melanchthonem colligitur cum ex illius Aſſert. Vittembergenſibus art. 36. tum ex hujus Annotationibus ad cap. viii. Epiſt. ad Rom. Quam abſurda de Trinitate effutiant, norunt omnes. *Trinitatis* vocabulum penitus rejiciunt ſinguli cum Lamberto Danæo libro contra Genebrardum. Chriſto ignorantiam tribuunt Lutherus in Conc. de Nat., Zuvinglius ad cap. x. Lucæ, Calvinus ad 24. Matthæi. Cruci ſuffixum deſperaſſe ſcribit idem Hæreſiarcha lib. x. Inſtit. c. 16. & in Annot. ad Biblia vernacola lingua edita anno 1562. Genevenſes miniſtri, in caput Mat. ſeptimum ac viceſimum. Chriſtianam ſpem, ut alibi diximus, tollunt, illam in ſuperbam inflatamque fiduciam commutantes, dum inquiunt juſtificatum certo ſcire, ſe non poſſe excludi a gloria, & excidere a gratia. Nullum mehercle habent vinculum caritatis ſeipſos mutuo amore proſequentes. Albertus Molinæus, & Illyricus appellant Calviniſtas idololatras, corruptores divini verbi, blaſphemos, mendaciorum architectos, infernales moloſſos, ac miniſtros miſſos a Satana: Calvinus e contra Lutheranos in Admon. 3. ad Joachimum Weſtphalum, vertiginoſos, phreneticos, bardos, faſtuoſos, improbos, calumniatores. Fruſtra nobis pariter diſſidia, & jurgia objectant. Hæc illi invicem ejaculant ob diſcrepantiam dogmatum circa Cœnam Dominicam; at nullus Catholicorum ob hanc cauſſam proſcindit alterum, ideoque ſi nos aliquando in caritate deficimus, ſervamus tamen unitatem religionis ac fidei, quæ unitas ab ipſis frangitur ac diſcinditur.

Neque inter ſectarios Religionem invenies, ſi actus exteriores inſpicias. Orationem, niſi præfracte mentiantur, etiam dominicam illam, ac principem ceterarum, debent reprobare. Nequeunt ſincere dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*, quum impiis credant nunquam peccata remitti; juſtos vero nunquam ſanctitatem amittere. Revera Puritani ea verba non proferunt. Quis appellaret ſpiritum precum, & non potius inſaniam, Adamitarum, qui Deum colunt & orant nudo corpore in hortis ambulantes? Fanaticorum, qui tamquam dæmone arrepti decidentes in terram geſtus edunt oris deformitate, membrorumque torture horrendiſſimos? Ejelantium, qui nil Deo gratum putant præter lacrymas atque ſingultus? Sacrificia major hæreticorum pars abjicit. Miſſam abrogat, ſacroſque ritus tamquam ſuperſtitioſos condemnat. Templa diruit, ſacras Imagines incendit, ipſum Redemptionis ſignum, crucem ſcilicet Domini frangit. Erga Divos adeo ſunt injurioſi, ut nec probent ſolemnia Martyrum antiquitus inſtituta, nec cultum ipſis impendant, nec illorum patrocinio ſe committant, nec interceſſione ſe communiant: quarum rerum afferunt quidem ineptas, futileſque cauſſas, ſed eas omnes refellendas, ubi ſigillatim dogmata vindicabimus Romanæ Eccleſiæ. Nunc enim ex his concluſionem hanc apertiſſimam deducimus, carere ſectas hæreticorum actibus omnibus Religionis, tam internis, quam externis.

Atque ne tam jejune pertractetur argumentum iſtud ampliſſimum; eadem momenta, quibus ſupra demonſtrata eſt veritas Religionis Chriſtianæ, evincunt falſitatem doctrinæ ſectariorum. Nulla divina oracula horum adventum prænuntiaverunt, niſi ea, quæ prædixerunt fore, ut adverſus Eccleſiam inſurgerent Antichriſti, pſeudoprophetæ, ſeductores. Calvinianam, ac Lutheranam hæreſim aperte calamitatem cladem que Eccleſiæ allaturas vaticinata

eſt in Templo Burdigalenſi perhumilis Dei famulus F. Thomas Minorita, quem ſcurriliter nacipit Bezæ impudens ſtilus, at ſatis tuetur eventus rerum. Quidquid accidit Germaniæ, vaticinata fuerat celebris ſanctimonialis Hildegardis. Quæ in Anglia evenerunt ſub Henrico, & Eliſabetha manifeſte prænuntiavit virgo illa celebris Cantiana, quam Novatores, tamquam pythone agitatam capitis damnarunt. Inter prænuntios ſerpentium hæreſum Florimundus lib. 1. cap. 3. connumerat Hieronymum Savonarolam, de quo varia fuiſſe hominum judicia, ſcribit in Hiſtoriarum ſuarum libro IV. Guicciardinus. At nil refert ad vaticinationum veritatem hominis aut probitas, aut audacia: nam Genevenſium apoſtaſiam etiam dæmon fertur prædixiſſe his verſibus:

Quæ tanto ſtudio expetitur modo grata Lemani
Unda lacus, pariet jam mox faſtidia ſumma.

Ex vaticiniis itaque apparet, quam proteſtantium religio ſit deteſtabilis.

Quemadmodum ex Evangelica hiſtoria habemus veritatis apertiſſima munimenta; ita ex libris ſectariorum produnt ſe innumera falſitatis indicia. Credimus Evangeliſtis, viris humillimis, divino numine afflatis, narrantibus quæ audierunt, & optimorum Scriptorum prærogativa exornatis. Hoc idem in cauſſa eſt, ne credamus Heterodoxis ambitione inflatis, falſariis, a dæmone adoctis. Lutherum illorum antiſignanum animum ſuum paſcere conviciis, ac maledictis, ſcripſerunt eo vivente Eraſmus, & Bucerus; deſiderari in ipſo moderationem, ait non ſemel Melanchthon. Muncerus dux Anabaptiſtarum ſibi Evangeliſtæ nomen attribuit, Meſſiæ David Georgius, Zuinglius ſe in ſomniis a phantaſmate accepiſſe ſenſum verborum illorum, *Eſt enim Phaſe, ideſt, tranſitus Domini*, proprio ore affirmavit. Depravaſſe Evangelia ad infringendum Catholicum de Euchariſtia dogma liquet ex editione Tigurina novi Teſtamenti anni 1525. ubi legitur: *Hoc enim ſignificat corpus meum*. Quis ergo ſanæ mentis poterit doctoribus iſtis præſtare fidem?

Ut diximus præterea confirmari Chriſtianam Religionem geſtis mirabilibus, ac portentoſis; ita deteſtamur ſectas hæreticorum plebem decipientium ſignis, & prodigiis mendacii. Celebriora Anabaptiſtarum miracula ſunt e lacu extrahere retibus copiam piſcium, ignaros, & illiteratos expedite legere ſacra biblia. At hæc duo, quæ tam magnifice prædicant, non excedunt dæmonis facultatem. Voces Londini ex antro erumpentes, & Angelis attributæ, fuiſſe puellæ, cui nomen Eliſabetha Crofta, a ſectariis ad hanc nequitiam inductæ dirutus paries, & publicum judicium patefecit. Fuerunt itaque Calvinianæ ſectæ teſtimonia non cælitus demiſſa, ſed, ut contigit quoque Mahumetis dolo, per ſummam fraudem conficta. Quid acciderit Luthero dæmonem adjuranti, & Calvino fingenti reſurrectionem Brulei, vide apud Bellarminum lib. IV. de notis Eccl. cap. 14. Melchiorem Hofmannum de ſuo reditu, ac triumpho divinitus, ut jactabat, admonitum, Argentorati ſqualidus carcer, & inedia confecit morte triſtiſſima, ac teterrima. Interitum mundi, quem futurum die 3. Octobris anno 1533. tam aſſeveranter prophetavit Stiphelius, adhuc expectamus ſæculis duobus exactis. Lege ita Hiſtorias Ræmundi, & Laingæi. Sat eſt, ſi cum Eraſmo in Diatriba de lib. arbit. aſſeramus nullum, ut vocant, Reformatorum adhuc extitiſſe, *qui vel equum claudum ſanare potuerit*.

Præterea ad confirmandam veritatem Religionis Chriſtianæ produximus miram Evangelii propagationem. Longe diverſa via proceſſit hæreſis. Hujus præcones non acceperunt doctrinam illapſu Spiritus ſancti; ſed ex cucullati illi, Lutherus, Petrus Martyr, Œcolampadius, Bucerus, Ochinus, ſectis, quas magno ſtudio didicerant, abuſi ſunt diſciplinis. Ac facti Apoſtatæ nunquam inter ſe convenerunt; nec mirum ſi data ſententiarum libertate plures laſcivientis ingenii homines deceperint. Non leges ſenſibus repugnantes promulgarunt, ſed libidini, ac noxiæ libertati percommodas. Permittunt Anabaptiſtæ uxorum promiſcuum uſum; Adamitæ prorſus nudi inverecunde conveniunt; Sacerdotes contrahunt matrimonia; Calviniani libertatem ſibi audacter vendicant, & leges Magiſtratuum contemnunt. Sectæ hac ratione inſtitutæ haud mirum ſi impios alliciant, ſublato maxime Eccleſiaſtici judicii timore, rejecta Confeſſione Sacramentali, facta libertate frangendi jejunia, & abſque ullo merito, aut operum ſempiterna beatitudine repromiſſa. Vim etiam, ac tyrannidem adhibuerunt. Necati in Anglia, quod Henricum VIII. non agnoverint tamquam Eccleſiæ caput, clariſſimi viri, Joannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis, & Cardinalis ampliſſimus, Thomas Morus ſupremus regni Cancellarius, & præter ingentem Monachorum numerum, etiam probatiſſima mulier, ac mater Cardinalis Poli Margarita Comitiſſa Sariſburienſis. Regnante Eliſabetha perforatæ presbyteris auriculæ candenti ferro, & inſuti Catholici urſinis pellibus a moloſſis dilaniandi. Contra omnium principum jura,

Poſt varias clades miſerorum, & cædis acervos
Inſontum, tamen exornat ſpectacula Mater
Supplicio, Regum ſoror, & fidiſſima conjux,

ſcilicet Maria regina capite truncata anno 1587. duodecimo Kal. Martii. Gauſii, ideſt, Calviniſtæ Belgæ in ſola urbe Brilæ 184. Martyres mactarunt. Quid Gallis Huguenoti? Matronas intortis crinibus equorum caudæ alligare, vivos capite tenus defodere, evellere linguam, ſacerdotes cruci affigere, ori ferveſcens oleum infundere, extrahere inteſtina fuſis circumvoluta, ventrem ſtupratis viduis pulvere tormentario diſrumpere, aliaque horribiliora iconibus & Epigrammatibus aptiſſe Verſtegan in Theatro crudelitatis hæreticorum. Hac ratione ſtetit aliquando, floruitque idolorum ſuperſtitio, Gothorumque ſævum imperium; at nunquam Chriſtiana fides, & Apoſtolica Eccleſia: quæ non vi armorum, ſed Martyrum ſanguine propagatur.

Quinto argumento demonſtravimus Chriſtianæ Religionis firmitatem, quod non potuerit adverſus illam prævalere hæreſis, ac malitia: nam ſi in Eccleſia hæretici deprehenduntur, exeunt excommunicatione percuſſi; ſi vivunt improbi, pœnitentiis, & correctionibus ſubjiciuntur. At non ita ſe gerunt refractarii. Prævaluit adverſus illorum hæreſim hæreſis; nam ex Lutherana factione prodiit Caroloſtadiana deflectens ad Berengarianam negantem in Cœna diſtribui Corpus & Sanguinem Chriſti: Caroloſtadiana peperit Zuinglianam, quæ quadragies circa Euchariſtiam dicitur ſententiam mutaſſe. Hinc Anabaptiſtæ, aliæque peſtes. Lutheranorum alii rigida ſervant Confeſſionem Auguſtanam; emolliunt alii, & Melanchthonem illius Confeſſionis Architectum accuſant tamquam Lutheranæ doctrinæ depravatorem, ac idololatram. Inter Calviniſtas alii Jacobini, alii Cauſarii, alii Liberi: & tamen ſeſe invicem patiuntur, ac mordent tamquam angues invicem complicati. En quomodo prævalent in ſectis portæ inferi, & ſpiritus mendaciorum. Turpitudines morum non ſolum ibidem regnant, quod humanum eſt; ſed etiam probantur, quod eſt irreligioſum, atque ſacrilegum. Commendatur Joannes Leidenſis, qui induxit polygamiam, habuitque ſimul ternas uxores: ac Theologi Wittembergenſes inſontem judicarunt mulierem matrimonio conjunctam patri, fratri, ac marito. Habetur inter religioſiores Petrus Martyr publice Argentorati cum fœmina Deo ſacra ſcortatus. Andreæ autem Caroloſtadio, qui primus a ſacerdotibus uxorem duxit, non tantum laudum præconia, ſed & ſacrilega Miſſa ſolemniter decantata, in qua prior Collecta: *Deus, qui poſt tam longam & impiam Sacerdotum tuorum cæcitatem, beatum Andream Caroloſtadium ea gratia donare dignatus es, ut primus nulla habita Papiſtici juris ratione uxorem ducere auſus fuerit*, &c. Reliqua me pudet referre. At ſufficienter hinc demonſtratur Sectariorum Eccleſias inteſtinis hæreſibus, & ſcelerum approbatione labefactari.

Poſtrema ratio, quæ demonſtrat Chriſtianæ fidei præſtantiam, ſuperiori capite III. petita eſt ex conditione Inſtitutoris, & æquitate præceptorum. At quinam fuerunt Sectariorum ſigniferi? Unus poſt ſolemnia vota ſacratæ Virginis conſtuprator; alter ob turpius crimen Novioduni ſtigmate in tergo notatus; neuter vero habens propriæ miſſionis auctoritatem. Quæ autem in hæreticorum libris moralium diſciplinarum principia? Solum apoſtaſiæ & incredulitatis flagitium animas perdere: homicidia, adulteria, & peccata quælibet horribilia nihil obeſſe credentibus: omnia bona opera eſſe ſordes & inquinamenta: privatum cujuſque ſpiritum eſſe regulam fidei ac morum: juſtum nulla hominum lege teneri. Hæc tantum, ne commemorem reliqua, flagitiis omnibus viam ſternunt, ablegant ſtudium virtutis, diſſidia fovent, & Reipublicæ tranquillitatem perturbant. Si aliquando inter nos ſcandala, & perverſi mores cernuntur, adverſantur inſtitutionibus noſtris, atque malitiam noſtram, non Eccleſiæ documentum, habent cauſſam. E contra in hæreticorum conventu ad ſcelere pertrahit ipſa doctrinæ conditio. *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior*, inquit Lutherus ipſe in Poſtilla domeſtica impreſſa Jenæ Conc. 2. Dom. 1. Adventus. Conſimilia Muſculus in libro de Prophetia Chriſti, & Calvinus in Comment. 2. Petri 1. 2. Caret ergo Proteſtantium Eccleſia dignitate inſtitutionis, & diſciplinæ æquitate, atque tot argumentationibus convellitur, quot Chriſtianam religionem communiunt, & roborant.

CAPUT VI.

Romanæ Eccleſiæ Symbolum tamquam Apoſtolicum eſſe recipiendum.

QUATUOR Fidei Symbola ſunt ceteris illuſtriora, Romanum, ſive Apoſtolicum, Nicænum, Conſtantinopolitanum, & quod tribuitur Athanaſio. Secundum ac tertium pro eodem habetur a pluribus, quod poſtremum ſit alterius auctarium. De Nicæno conſtat editum in magno Concilio habito Nicææ in Bythinia anno Sylveſtri Papæ XII. ideſt, Æ. v. 325. conſenſu Epiſcoporum CCCXVIII. ibique appoſitum vocabulum ὁμοούσιον adverſus hæreſim Arianam, ut diximus lib. VII. cap. 13. Conſtantinopolitani auctores eſſe Patres CL, qui ad Synodum convenere adverſus Macedonium, Aetium, & Eunomium, anno XV. Damaſi, ideſt, Chriſtianæ Æ. 381. conſentiunt omnes. De Symbolo Athanaſiano diſputatum eſt lib. VIII.

cap. 8.

cap. 8. Inquirendum reſtat de Symbolo Apoſtolorum, quod ab Apoſtolis editum negant quamplurimi; inter quos Gerardus Voſſius diſſert. 1. de tribus Symbolis, Dupinius in nova Bibliotheca Tom. 1. pag. 14. Auctor Anglus Hiſtoriæ Symboli Apoſtolici cap. 1. num. 20. & 21. Apoſtolis tribuunt Scriptores innumeri, ac omnes fere Catholici.

Diſputationem quidam inſtituunt de Symboli nomine, quod Noſtrates interpretantur *collationem*, negat autem, oppugnatque interpretationem iſtam Voſſius num. 17. & 18. Ait ſignificationem hanc depromptam ex antiquitatibus convivalibus male Symbolo aptari, quum veteres cœnam collatitiam, non ſymbolum dixerint, ſed ſymbolam: quod probat ex Andria Terentii, ex Athenæo, aliis. Exſcripſit omnia in Notis pag. 18. Dupinius. Addit interpretationem aliam ex Suida, & Turnebo comprobatam teſtimoniis Græcorum, qui ſymbolum accipiunt pro *indicio*, ac *teſſera*. Auctor Anonymus Hiſtoriæ ſymboli vocem derivat ex Gentilium *ſacris*, in quibus initiatis dabantur quædam ſuperſtitionis ſigna, puta lychnum, gladium, hederam, papaver. Quod *ſymbolum* ſit quaſi teſſera, ac ſignum Apoſtolicæ fidei, non nego. Probant & hanc interpretationem Rufinus, Maximus, Iſidorus. Videſis hujus lib. vi. Origin. cap. ult. Etiam fateor *ſymbolam* eſſe pecuniam collatam ab iis, qui cœnaturi erant communi ſumptu, annulum quoque, arrham, aut ſignum quodcunque pactionis; nec repugno Henrico Stephano, Turnebo, Faerno, ac Fabricio caſtigantibus lectionem Terentianam, ubi peccato librariorum pro *ſymbola* ſcriptum eſt *ſymbolum*. At nego rejiciendam eſſe interpretationem priorem ob tam infirmas conjecturas, quas idem Voſſius dicit Grammaticum pulverem. Συμβάλλω idem eſt ac *conferre*, & *congredi*: hinc derivarunt tam *ſymbola*, qua cœnaturi conveniunt, quam *ſymbolum*, ſeu teſſera, qua milites congregantur, & dignoſcuntur ab hoſtibus. Aliæ ergo interpretationes corroborant primam, non evertunt. Pachymeres ad cap. iii. Eccl. H. Dionyſii *ſymbolum* interpretatur τὸν ἔρανον, collectam, quod approbat in ſuo Theſauro Budæus. Rufinus in Expoſit. Symboli inquit: *Symbolum enim Græce, indicium dici poteſt & collatio*. Auctor Commentariorum in Proverbia inter Opera Hier. cap. 23. *Symbolum græcum nomen eſt, & interpretatur collatio*. Caſſianus lib. iii. de Incarnat. cap. 3. *Quod enim Græce ſymbolum dicitur, Latine collatio nominatur*. Scriptor Epiſtolæ ad Jacobum Clementi ſuppoſitæ, *Symbolum latine collatio dicitur*. Eamdem eſſe ſententiam Iſidori, Rabani Mauri, & Eucherii Lugdunenſis nec Voſſius denegat. Horum itaque auctoritate priorem interpretationem recipimus, alteras non refutamus.

Præterea diſputatur, an Apoſtoli ſymbolum condiderint, & quo tempore, ac modo. Levioris momenti ſunt duæ quæſtiones poſtremæ. Baronius ad annum xliv. editum putat anno ſecundo Claudii paullo poſt mortem Jacobi Majoris, quem Herodes capite truncavit. Rufinus in Expoſitione Symboli, & Iſidorus Hiſpalenſis conditum arbitrantur ſtatim poſt adventum Spiritus ſancti, cum Apoſtoli ab invicem diſceſſuri conſtituerent normam futuræ prædicationis. Huic ſententiæ facilius ſubſcribo; quamquam enim nonnulli afferant alias cauſſas ſymbolum edendi, præſertim, ut in ſingulis Eccleſiis certa baptizandis formula exponeretur, id tamen non repugnat ſententiæ Rufini, & Iſidori, cum potius utraque cauſſa, ideſt, norma prædicationis, & baptizandorum catecheſis, atque Eccleſiarum inſtitutio eumdem ſcopum attingant. Quare non video cur Voſſius num. vii. & etiam Juenin Tom. vi. pag. 172. ſcribant Auctores diſſentire circa finem, quo Apoſtoli ſymbolum condiderunt, quia unus aſſerit editum tamquam normam prædicationis, alter tamquam Catechumenorum formulam. Eſt ergo infirmiſſimum argumentum, quod hinc depromit Dupinius, præſertim cum temporis aut finis non tam explorata cognitio, ſi nullam repugnantiam involvat, minime elevet rerum narratarum ſubſtantiam.

Idem affirmandum eſt de modo, qui non unus e Scriptoribus aſſignatur. Sunt enim, qui affirment cum Ratberto Paſchaſio Apoſtolos condidiſſe hoc ſymbolum in commune conſulentes, ea ratione, qua eduntur Canones in Synodis Epiſcoporum. At placet nonnullis editum ſymbolum in eo cœtu cxx. virorum, de quo Actorum capite primo. Placet aliis unumquemque Apoſtolorum unum articulum condidiſſe: quod improbant juniores, ut Calmet in dictionario, & Troylus Tom. 1. pag. 137. Non valde firmo fundamento nititur ſententia prior, ſed tamen veriſimili. Nam præter ſermonem cxv. de Tempore falſo tributum Auguſtino, peramiquum tamen, nec omnino rejiciendum, fulcitur prior illa opinio auctoritate Leonis Magni in Epiſtola 96. ad Pulcheriam Auguſtam, Innocentii III. lib. 2. Myſteriorum Miſſæ cap. 49. ut mittam Jacobum Vitriacum, & Albertum noſtrum Patavinum etiam a Voſſio laudatos. Poſterioris autem ſententiæ nulla ratio profertur, niſi quod ita videbatur agendum: & idcirco unam non rejicimus, de altera titubamus. His vero expeditis videndum, an ſymbolum revera condiderint Apoſtoli, quod diximus negari a permultis, cujuſmodi ſunt Laurentius Valla, Eraſmus, Brentius, Calvinus, & impugnari præſertim a tribus eruditis viris Voſſio, Dupinio, & Auctore Anglo paullo ſupra commemoratis.

PROPOS. I. Hoc Symbolum recte dicitur *Apoſtolicum*.

Non tantum hæc propoſitio fide Catholica tenenda eſt, ut inquit Gaſpar Juenin; ſed etiam admittitur ab Adverſariis. *Neque enim dubium eſt*, inquit Calvinus lib. ii. Inſtit. cap. 16. *quin a prima ſtatim Eccleſiæ origine, adeoque ab ipſo Apoſtolorum ſæculo inſtar publicæ, & omnium calculis receptæ Confeſſionis obtinuerit*. Eadem Voſſius num. 21. Probatur autem; quoniam Irenæus diſcipulus Policarpi partem hujus ſymboli referens lib. 1. cap. 2. ait, *Eccleſiam per omnem terrarum orbem diſperſam ab Apoſtolis eorumque diſcipulis illud accepiſſe*. Tertullianus adverſus Praxeam de ſymbolo ſcribit, *Hanc regulam ab initio Evangelii decucurriſſe*. Hieronymus Epiſt. 38. ad Pammachium, *Symbolum fidei, & ſpei noſtræ ab Apoſtolis traditum, &c.* Plura collegit Natalis Alexander diſſert. xii. ſæculi 1. quæ omnia ſaltem uſque ad num. 6. probant ſymbolum recte dici *Apoſtolicum*, & continere doctrinam ab Apoſtolis traditam, etſi apertiſſime non evincerent, quod eſt controverſiæ caput præcipuum, ita eſſe ab Apoſtolis traditum, ut ab iis quoque ſit conditum, atque digeſtum. De propoſitione itaque, quam nullus in dubium revocat, hæc perpauca.

PROPOSITIO II. Ipſi Apoſtoli idem Symbolum condiderunt.

Demonſtratur: nam juxta regulam S. P. Auguſtini lib. iv. contra Donatiſtas, *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum certiſſime creditur*. Ubi notandum eſt non dici ab Auguſtino traditum *auctoritate Apoſtolica*, quod ſcripturis, & Apoſtolicæ doctrinæ non repugnat, quo ſenſu fatentur Voſſius, Baſnagius, aliique hæretici, ſymbolum eſſe *Apoſtolicum*. Enim vero juxta hanc acceptionem *Apoſtolici* appellantur etiam Canones ſacrorum Conciliorum. *Auctoritatem* itaque *Apoſtolicam* hoc loco appellat S. P. ipſam Apoſtolorum inſtitutionem. Atqui ſymbolum recipit univerſa Eccleſia, ſemper retinuit, neque editum eſt in Conciliis. Itaque editum eſt ab Apoſtolis. Recipi ſymbolum Apoſtolicum ab univerſa Eccleſia fatentur Heterodoxi. Eorum quidam ſemper retentum negant; affirmantque ſecundo aut tertio ſæculo fabricatum adverſus erumpentes hæreſes. At revincuntur ex productis teſtimoniis Irenæi, Tertulliani, & Hieronymi; atque ratione ipſa, quum pernicioſiſſimæ hæreſes eruperint ipſa Apoſtolorum ætate. Symbolum autem illud non fuiſſe confectum a Synodo aliqua Œcumenica patet, nam liquet in pretio habitum ante Synodum Nicænam, & Conſtantinopolitanam, quum Rufinus, qui Roma cum Melania profectus eſt Alexandriam anno 370. ſymbolum Apoſtolicum tamquam vetuſtiſſimum laudat, quemadmodum & Hieronymus, & Auguſtinus, & alii, qui idem ſymbolum interpretantur. At ſolæ Synodi Nicæna, & Conſtantinopolitana fuerunt ante annum quadringenteſimum. A nulla ergo Œcumenica Synodo ſymbolum Apoſtolicum editum eſt. Conſentientem habeo Voſſium num. xlv.

Affine eſt argumentum petitum ex Traditione. Rufinus nuper laudatus in Expoſit. Symboli, ait conſtare Traditione majorum omnes Apoſtolos in unum adunatos, & Spiritu ſancto repletos hoc ſymbolum edidiſſe; narrationemque his verbis orditur, *Tradunt Majores noſtri*. Samuel Baſnagius ad Annum 42. n. 18. ait, quod narrat Rufinus, editum hoc ſymbolum, *ut eſſet futuræ prædicationis indicium*, videri Apoſtolis injurioſum, quaſi per orbem diſperſi poſſent diverſa credentium animis inſtillare, aut ſcriptura non omnia complecteretur quæ ſunt in ſymbolo, vel Paulus antequam ſalutaret Apoſtolos diverſa in Arabia annuntiaverit. At inepta nimium cavillatio. Placuit Apoſtolis normam fidei proponere perbrevem, facillimam, non Scripturis oppoſitam, ſed illarum compendiariam doctrinam. Falſum eſt præterea, ſolam Scripturam ſingulis eſſe apertam, & omnia ad ſalutem neceſſaria comprehendere. Ad hæc per id temporis ſolum vetus teſtamentum extabat. Cui ergo bono additum novum? Num ſuperfluum eſt, vel oppoſitum? Ipſe Paulus cur Epiſtolas conſcripſit? Quidquid reponet Baſnagius, id confirmabit Apoſtolici ſymboli auctoritatem. Atque ut ad Veterum traditionem revertar: hujus locupletes teſtes habemus Leonem Magnum in Epiſtola ad Pulcheriam Auguſtam, Innocentium lib. ii. Myſteriorum Miſſæ c. 49. Iſidorum lib. ii. de Eccl. Offic. c. 22. Venantium Fortunatum Præfat. in hujus Symboli exegeſin, aliosque etiam a Voſſio laudatos num. iv. & c. Communem hanc eſſe traditionem omnium PP. Orthodoxorum demonſtrant Genebrardus in iii. de Trinit. Feuardentius in lib. primum Irenæi cap. 2. Boverius de Unitate Fidei, Natalis Alexander ſup. cit. ac fere omnes Theologi. Neque dicas Patres, quos afferunt, non eſſe primi aut ſecundi ſæculi; nam, ne producam iterum Irenæum, Tertullianum, Pſeudoclementem, aliosque, Rufinus, Leo Magnus, & Iſidorus non tribuunt ſymbolum Apoſtolis ex propria ſententia, ſed ex Traditione Majorum; ideoque hæc non eſt fabula ab ipſis inventa, ſed narratio vera, & antiquitus divulgata; manetque inconcuſſum illud ex Traditione argumentum.

Poſtremo validiſſima videtur ratio, quod non ſolum Catholici omnes in ſententiam noſtram conſpirant, verum et-

iam opinionem contrariam arguunt magnæ temeritatis. Theologi Pariſienſes objecerunt Eraſmo quod in Præfat. ad Paraphraſim in Matthæum ait de ſymbolo, *quod an ab Apoſtolis proditum ſit, neſcio*. Eadem fuit ſententia ſacræ Facultatis Colonienſis adverſus Monbernium, anno 1560. Genebrardus cit. loco inquit, *præfractam eſſe temeritatem vertere in quæſtionem, num Apoſtoli vere ſint auctores Symboli, quod circumfertur ipſorum nomine*. Eadem eſt aſſertio Sixti Senenſis lib. II. Bibliothecæ Sanctæ, aliorumque. Addamus in gratiam Novatorum teſtimonium Lutheri in Colloquiis editis anno 1571. *Symboli verba ab Apoſtolis conſtituta eſſe credo, qui in congregatione ſua hoc Symbolum verbis tam breviſſimis, & conſolatoriis confecerunt. Eſt opus Spiritus ſancti rem tantam brevitate, ac tam efficaciſſimis, & emphaticis verbis deſcribere. Extra Spiritum ſanctum, & Apoſtolos non potuiſſet ita componi, etiamſi millia ſæcula illud componere conarentur*. Colloquia Lutheri non legi: producit hæc Feuardentius.

AD VOSSII, ALIORUMQUE OBJECTAMENTA.

Opponit Voſſius I. Nullum eſt argumentum, quod petunt Catholici ex nomine ſymboli, quum falſum ſit eo vocabulo ſignificari *collationem*. II. Qui tribuunt Symbolum Apoſtolis, non conveniunt de fine, modo, ac tempore, quo conditum illud eſt. III. Ante Rufinum ccc. fere anni abiere, antequam de ſymbolo ab Apoſtolis condito ab aliquo eſſet auditum. IV. Ipſe Rufinus in media narratione non dicit *Apoſtoli*, ſed, *Qui ſymbolum tradiderunt*, velut incertus quinam illius auctores extiterint. V. Poteſt dici *Apoſtolicum*, quamvis ab Apoſtolis non ſit editum, quum collectum fuerit ex doctrina per manus eorum tradita.

Reſp. ad I. aſſertionem noſtram non fulciri ſola nominis etymologia, quamvis facillimum ſit hanc quoque nuper commemoratam propugnare auctoritate Scriptorum, atque ratione. Ad alterum hæc ſit reſponſio: Si incertum eſt tempus ac modus, quo Apoſtoli condidere Symbolum, quoniam in hoc non conveniunt Auctores; certiſſimum tamen erit editum ab Apoſtolis, quia hac in re habetur magnus Auctorum omnium conſenſus. Tertium ſic diluitur: obtinuiſſe hoc Symbolum ab origine Eccleſiæ, adeoque ab ipſo ſæculo Apoſtolorum, ut vidimus, non diffitetur Calvinus: traditum ab Apoſtolis docent ante Rufinum Tertullianus, & Irenæus: Rufinus rem non enarrat ex propria ſententia, ſed ex traditione Majorum. Quod ſequitur eſt inanis Eraſmi conjectura; nam Rufinus inquit, *qui ſymbolum tradiderunt*, referre ad Apoſtolos, quorum antea mentionem fecerat, aut ad diſcipulos Apoſtolorum, per quos accepimus Apoſtolicas Traditiones. Ad poſtremum dicimus *Apoſtolicum* eſſe, quod proprie ad Apoſtolos ſpectat, ut Apoſtolica Eccleſia, Apoſtolica doctrina, Apoſtolica ſedes: ac Symbolum eſſe etiam Apoſtolicum editione, & origine, quia auctore Tertulliano ab initio Evangelii decucurrit, & fatente Voſſio e nullo Concilio invenitur inſtitutum.

Opponit idem Voſſius: ſi hoc Symbolum fuiſſet ab Apoſtolis concinnatum, non prætermiſiſſet Beatus Lucas in Actibus Apoſtolicis, nec ſiviſſet Eccleſiam Catholicam rem tanti momenti ignorare. Traditum quoque eſſet omnibus orbis Eccleſiis, nec ſingulæ proprium cudiſſent ſymbolum, cum tamen diverſa ſint, quæ leguntur apud Irenæum, lib. I. cap. 2., Tertullianum de velandis Virg. Optatum, Origenem, & alios. Denique circa annum quadringenteſimum non fuiſſent diverſa ſymbola in Eccleſia Romana, Aquilejenſi, & apud Orientales, quæ tamen diverſitas patet conferenti eadem ſymbola, ut fecit Dupinius pag. 19. explicata in Tabulis hac varietate, ex diſſertatione Voſſiana num. XXXI. & ſeqq.

Reſp. Lucam hujus ſymboli non meminiſſe, quoniam non ſcripto traditum erat, ſed memoriæ commendatum, adeo etiam divulgatum ac notum, ut neceſſe non fuerit illud literis conſignare, præſertim eo fine editum, ut non atramento aut charta ſcriberetur, ſed in tabulis cordis, ſicut affirmant Hieronymus ad Pammachium, & S. P. Auguſtinus ſerm. 212. alias 75. de Diverſis. Ita non poterat Eccleſia ignorare rem omnium fidelium ore prolatam, & cordi ſingulorum inſcriptam. Traditum Symbolum omnibus Eccleſiis non denegamus. Irenæus, Tertullianus, & alii non ſymboli verba exſcribunt, ſed quid contineat exponunt. Diverſas Eccleſias ſymbolo Apoſtolico quædam verba addidiſſe vel explicationis cauſſa, vel ob exortas hæreſes, haud diffitemur. Eadem fidei ſubſtantiam non immutant: & in Eccleſia Romana ſymbolum ſemper ſervatum eſt intemeratum, ut ſcribit in Expoſitione Rufinus, & ad Siricium Ambroſius.

Opponit Dupinius: Patres primorum ſæculorum nunquam contra hæreticos uſi ſunt auctoritate Apoſtolici ſymboli; ſed tantum conati ſunt demonſtrare doctrinæ in ſymbolo contentæ auctores eſſe Apoſtolos: quum tamen validius argumentum eſſet iſtud, Contra ſymboli doctrinam pugnatis: illius conſtat Apoſtolos auctores eſſe: igitur pugnatis contra Apoſtolorum doctrinam. At hac ratione uſi non ſunt; ideoque perſuaſum ipſis erat, ſymbolum non eſſe editum ab Apoſtolis.

Reſp. falſum eſſe, quod Patres uſi non fuerint hac ratione. Cur enim S. Irenæus tamquam certum præmittit cap. 2. lib. I. fidem, quæ traditur in Symbolo, derivatam ab Apoſtolis, niſi ut hæreſes, in quas poſtea ſtilum acuit, demonſtret ſymbolo Apoſtolico adverſas? Cur Tertullianus affert ſymboli Apoſtolici definitiones cap. 13. de Præſcript. niſi ad refellendas quæſtiones, *quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciunt*? Præterea antiquiores hæretici, eodem, ac recentiores, præditi erant ingenio; nimirum rejiciebant Apoſtolicas traditiones, ut Verbum Dei depravabant. Symbolum eſſe Apoſtolicum conſtat ex traditione. Ad refellendos hæreticos noluerunt tamquam medium aſſumere quod ipſi hæretici pervicaciter oppugnabant, cum poſſent aliunde revinci. Nihil ergo probat argumentum Dupinii, niſi quod hæretici negaverint ſymbolum editum eſſe ab Apoſtolis.

Opponit Baſnagius. Si ſymboli auctores eſſent Apoſtoli, receptum eſſet in canone divinarum Scripturarum. Divina quippe eſſet in eo materia, divina verba, divinus ordo: quid eſt canonicum eſſe, ſi hoc non eſt? Fruſtra reſpondetur non eſſe ſcriptum manu Apoſtolorum, nam Epiſtola Pauli ad Epheſios eſt ſcripta per Tychicum, Epiſtola ad Romanos per Phœben, ad Philippenſes per Epaphroditum; & nihilominus ſunt in Canone. Præterea ſi inſtitutum eſt ſymbolum, ut fideles ab infidelibus ſecernantur, erit perfecta fidei teſſera; & fruſtra nova ſymbola prodierunt. Deinde ſi Apoſtolicum eſt, cur in Miſſa non iſtud, ſed Conſtantinopolitanum canitur? At aſſumptis non eſt opus argumentis, cum inſita ſufficiant. In nono articulo habetur, *ſanctam Eccleſiam Catholicam*. Catholicam a Vincentio Lirinenſi definitur, quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus creditum. Si conditum eſt ſymbolum ante mortem Jacobi, aut paullo poſt, quomodo Eccleſia poterat dici Catholica?

Reſp. Symbolum non eſſe in canone, quia non eſt traditum, ut ſcribatur, ſed ut audiendo perdiſcatur, inquit S. P. Auguſtinus citato ſerm. num. 2. ubi de hoc ſymbolo interpretatur verba Jerem. XXXI. 33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*. Quod addit Baſnagius Canonicum eſſe, quod eſt divinum, laborat æquivocatione. Si *Canonicum* dicas quod eſt in *Canone* ſcripturarum, ſymbolum non eſt *Canonicum*: ſi dicas *Canonicum* quod eſt *canon*, ſive regula fidei, ſymbolum *Canonicum eſt*. Hoc ſenſu Canonica ſunt plura ἄγραφα, ideſt, Traditiones non ſcriptæ; priori ſenſu Canonicæ Epiſtolæ Pauli eo fine editæ, ut literis mandarentur. Num illas ſcripſerit, aut dictaverit Paulus, nil refert, dummodo ſcriptæ ſint auctoritate divina. In hoc tamen Baſnagius labitur, quod facit Tychicum ſcribam Pauli, quum Epiſtolam ipſe non ſcripſerit, ſed detulerit Epheſum. Vide hujus Epiſtolæ cap. ultimum, verſ. 21. Ita Epiſtola ad Romanos miſſa Corintho per Phœben Diaconiſſam, cap. XVI. I. Epaphroditum quoque miſſum ad Philippenſes liquet ex cap. II. 25. Hunc, & Tychicum fuiſſe Evangelii cooperatores, ſacroſque miniſtros affirmat Paulus, ſcripſiſſe illos Epiſtolas divinat Baſnagius. Perfectum quidem eſt ſymbolum Apoſtolicum adeo, *ut omnes hæreticorum opiniones ſolo poſſint hoc gladio detruncari*, inquit in Epiſtola ad Pulcheriam Magnus Leo. Neque eſt oratio, ut ait Baſnagius, exaggerata; quia etſi additæ fuerunt poſtea voces aliquæ; factum id non ob fidei defectum, ſed ob hæreticorum audaciam, & quæ addita ſunt explicant vetera, non redarguunt. Vide diſſertationem noſtram de ſymbolo non corrupto lib. VII. cap. 19. Inde colliges Conſtantinopolitanum non eſſe aliud ſymbolum ab Apoſtolico, ſed hujus explicationem adverſus poſteriores hæreſes; ideoque merito canitur in Miſſa: quamquam Romana Eccleſia frequentius recitat Apoſtolicum, ter ſaltem quotidie in divinis Officiis, & in privatis precibus quamſæpiſſime. Neque Athanaſianum præterit diebus Dominicis, atque in feſto SS. Trinitatis. Ita vero tria ſymbola uſu ſuo veneratur ac probat; nec Apoſtolicum omittit in collatione Baptiſmi, ad quam vero dicitur inſtitutum. Si velis vocem *Catholicam* fuiſſe adjectam contra hæreticos, & ſchiſmaticos, parum intereſt: nec plura effundam ad minimam atque invalidam objectionem.

CAPUT VII.

Apoſtolici Symboli Exegeſis.

IN duodecim articulos ſive capita ſententiaſque præcipuas dividitur ſymbolum Apoſtolorum. Primus Articulus eſt: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ*. Symbolum Orientale addit *unum*; &, *inviſibilem & impaſſibilem*. Deſunt alicubi ea verba, *creatorem cœli & terræ*. At nulla eſt in ſubſtantia mutatio; nam ſi Deus eſt, hunc & unum, & incorporeum, & paſſionum expertem eſſe liquet. Poſtrema verba Rufinus ait addita *hæreſeos cauſſa Sabellii*, quæ Patripaſſiana appellatur. Eraſmus in Reſponſione ad Cenſuram Pariſienſium ait Orientales legere *in Deo*: ita habetur in Aquilejenſi ex editione Morelli, & Cauchii, quod Dupinius tribuit errori bibliopolæ aut librarii.

Prin-

Principio dicitur *Credo*, quoniam fides initium ſalutis eſt, ex Apoſtolo ad Hebræos XI. 6. Hæc voe profertur ore; quoniam quod credimus corde, debemus ore profiteri, ut in Eccleſia nos contineri teſtemur, dicente eodem Apoſtolo ad Rom. X. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Vide Auguſtinum initio ſerm. ſive libri I. de ſymb. ad Catech. Profertur ea vox *Credo* ſingulari numero, quoniam actus fidei ſingillatim eſt eliciendus, & ſinguli accedentes ad Baptiſmum debent præſtare aſſenſum, & edere fidei profeſſionem. Legatur Vigilius Tapſenſis inter Opera Athanaſii Tom. II. Diſcrimen aliquod important hæ loqutiones, *credere Deo*, *credere Deum*, *credere in Deum*: prima ſignificat aſſenſum Deo revelanti; altera exprimit ſupremi Numinis exiſtentiam; tertia deſignat etiam fidei directionem in ipſum Deum tamquam in finem rationabilium creaturarum. Hæc directio fieri nequit, niſi credamus Deum eſſe, ejuſque promiſſis fidamus: ideoque ſi credis *in Deum*, credis *Deum*, credis *Deo*, & hæc duo in illo verbo præcontinentur.

Recte dicitur Deus *unus*, quod nullus Judæorum negat, auctore Maimonide in articulis num. 2., & annuerunt quoque Philoſophorum præſtantiſſimi apud Lactantium cap. XI. de Ira Dei. Dicentes ergo *in unum Deum*, execramur polytheiſmum: item hæreſim Gnoſticorum, qui duo coæva principia ſtatuerunt, *Deum*, & *materiam*; quod & aſſeruit Harmogenes, & Marcion, *duos Deos aſſerens*, ut inquit lib. I. Tertullianus. Deinde hæreſim Simonis Magi, atque Manichæiſmum, & Dei boni, ac mali coexiſtentiam. Fatemur propterea unum eſſe novi, ac veteris Teſtamenti auctorem, ut animadvertit Epiph. lib. III. adv. hæreſes. Additur nomen *Patris*, primum, quia is eſt rerum omnium cauſa & origo: deinde ait Rufinus, ut intelligamus patrem eſſe Filii: *Sicut enim nemo dicitur Dominus, niſi habeat vel poſſeſſionem, vel ſervum cui dominetur, & ſicut nemo magiſter dicitur, niſi qui diſcipulum habeat: ita & pater nullo pacto quis dici poteſt, niſi filium habens*. Hæc ergo eſt fides in primam Trinitatis Perſonam: in que *Dei Patris* nomen conjungitur, quia *non ante Deus eſſe cœpit*, & poſtea Pater, ſed ſine ullo initio & *Deus ſemper, & Pater eſt*, ait auctor ſermonis 181. de Tempore, inter Opera Auguſtini.

Omnipotentis vocabulum deſtruit hæreſim Valentinianorum non credentium Deum condidiſſe quæ facta ſunt ex his quæ non erant, ut ait Irenæus lib. II. cap. 10. Enimvero Omnipotent dicitur, *cui nihil impoſſibile eſt, & qui omnia ſolo Verbi creavit imperio*, inquit cit. Sermonis auctor. Eliminantur quoque eo vocabulo errores eorum, qui Deo tribuerunt ſive mendacium, ſive potentiam peccandi, cum Deus *ſi mentiri, ſi fallere, ſi inique agere poſſet, non eſſet Omnipotens*, ait Auguſtinus de Symbolo ad Catechumenos, cap. I. Significat etiam vox *Omnipotentis* juxta Salvianum lib. I. de Gubern. Dei, *quod omnia regit*: atque ita potentatum quoque, regimen ac providentiam Dei confitemur adverſus Mercionitas, qui apud Irenæum lib. I. cap. 29. ajebant mundum eſſe ſub tyrannide Diaboli, & hunc appellabant *Coſmocratorem*. Refelluntur propterea hoc articulo etiam Genethliaci, Priſcillianiſtæ, aliique fatalis neceſſitatis aſſertores; de quibus dixi lib. V. cap. 2. Eſt etiam vocis *Omnipotens* ſignificatio apud S. Cyrillum Catech. IV. ejus, qui nullo loco *circumſcribitur, nec minor eſt cælo*: ideoque credimus etiam divinam immenſitatem, rejecta plenitudine Æonum per *Horon* circumſcripta, & quam refutavi lib. II. cap. 4. necnon hæreſi Sociniana Divinam ſubſtantiam intercludente in ſummitate cælorum: quam hæreſim oppugnavi cap. 4. ejuſdem libri.

Creatorem dicimus *cæli ac terra*, refellentes Epicureos, & Atheos autumantes Univerſum conditum fortuito atomorum concurſu. Oſtendimus eadem voce, rerum omnium Opificem nulla indiguiſſe materia in tam mirabili molitione; omniaque perfeciſſe *ſola verbi poteſtate*. *Cæli & terra nomine univerſa creatura ſignificata eſt*, ait idem Auguſtinus lib. I. de Gen. contra Manichæos. Excluduntur & hac voce duo principia Marcionis: & rejicitur hæreſis Simonis, Menandri, & Carpocratis, qui affirmarunt mundum productum ab Angelis, ut inquiunt Epiphanius H. Carpocr. Irenæus lib. I. cap. 21. & S. Pater ad Quodvultd. hæreſ. 2. & 3. Repelluntur & Origeniſtæ, de quibus vide cap. 6. libri X. prop. 2.

ARTICULUS II.

Proximus articulus ad hunc modum ſe habet: *Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum*. In Aquilejenſi *unicum* præmittitur ad *filium*. Venantius Fortunatus omittit *vò Dominum noſtrum*; ſimiliter Symbolum Orientale in ſchemate Dupinii. Prior diſcrepantia minima eſt; altera componitur ex Act. II. 36. ex I. ad Corinth. VIII. 6. & ad Epheſ. IV. 6. unde liquet deberi Redemptori noſtro *Domini* characterem: cumque hoc titulo præſertim in libris Canonicis deſignetur, inveriſimile omnino eſt defuiſſe in Symbolo ab origine Eccleſiæ. At veniamus ad Exegeſin.

Explicatur hoc articulo Catholica fides in ſecundam S. Trinitatis perſonam: quam a temporali Nativitate appellamus Chriſtum Jeſum. Hunc dicimus Filium unicum; ideoque Patri conſubſtantialem, quia filium natura: *Cæteri quippe licet dicantur filii, adoptionis tantum gratia dicuntur*, inquit Rufinus. Hinc apparent omnia ſupremæ Divinitatis argumenta, eadem cum Patre natura, eadem omnipotentia, eadem æternitas. *Si filium unicum*, ait Sanctus Pater ſerm. 214. in Trad. Symb., *ergo ejuſdem ſubſtantiæ cujus eſt pater. Si filium unicum, ergo ejus omnipotentiæ cujus eſt Pater. Si filium unicum, ergo Patri coæternum*. Refutantur itaque hoc articulo I. Valentiniani diſtinguentes Monogen a Logo, & Chriſtum a Jeſu. 2. Cerinthiani aſſerentes, Chriſtum deſcendiſſe in baptiſmate ſuper Jeſum, & unum ab altero diſpeſcentes. 3. Ebionitæ negantes Chriſtum eſſe filium Dei. 4. Ariani oppugnantes Verbi Divinitatem, ac Sabelliani negantes Divinarum perſonarum pluralitatem. 5. Neſtoriani non agnoſcentes unum filium, & unum Dominum, niſi unione morali. 6. Sociniani Ebionis, Arii, & Sabellii erroribus inquinati.

Filius Dei dicitur *Jeſus Chriſtus*: de utroque nomine lib. II. cap. I. Quum Jeſus ſit proprium vocabulum Salvatoris, profitemur adverſus Judæos veniſſe Redemptorem in lege promiſſum, & hunc eſſe Chriſtum Domini. Hac de re utrumque nomen apponitur conjunctum. Jeſus hebraice dicitur, latine *Salvator*: Chriſtus græce, *Unctus* latine. Unctionis uſus olim fuit in conſecrandis, inaugurandiſque Prophetis, Sacerdotibus, ac Regibus: ac propterea unctus dicitur Elias, Sadoc, David. Unctio Salvatoris noſtri fuit ampliſſima Spiritus ſancti virtute, juxta illud Eſaiæ LXI. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum manſuetis miſit me*. Eſt itaque Chriſtus Dominus *Propheta*, Lucæ VII. 17. *Sacerdos*, Pſal. 109. 4. & ad Hebræos VII. 21. *Rex*, Lucæ I. 32. Joan. XVIII. 36. Apocalypſis XIX. 16. Habet ergo omnes veri Meſſiæ Characteres.

Appellatur *Dominus* Matth. XXVIII. 6. Lucæ XXIV. 34. Joan. XX. 2. & alibi frequentiſſime; & quidem proprie, quum ſit Dominus *ingenita poteſtate*, non *conceſſa*, inquit Rufinus. Etenim *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, ut legimus ad Philipp. II. 6. quia eſſe Dominum, eſſe Deum, eſſe Conditorem univerſorum, eſſe æqualem Patri *natura illi eſt, non rapina*; ait Auguſtinus ſerm. CCXIV. num. 5. Ac ideo neque a conſortio dominii, quod tribuitur Filio, excludendus eſt Pater, neque a communione Divinitatis, quæ enuntiatur de Patre, disjungendus eſt Filius. Dominium Chriſti eſſe pleniſſimum, atque univerſale, liquet ex Mat. XI. 27. & Joan. III. 35. Singulariter Jeſus Chriſtus appellatus Dominus, quia principem hujus mundi, ideſt, diabolum ejecit, & ſpolia ejus diripuit, redimendo humanum Genus, expellendo cultum idolorum, & Eccleſiam inſtituendo. Primum dominii hujus rationem affert Paulus ad Coloſſ. I. 12. alteram Joan. XVI. 11. tertiam Petrus Act. II. 36. Iccirco in baptiſmate abrenunciantes diabolo, Chriſto tamquam Domino ſubdimur, ut regenerati, ut veræ Religioni addicti, ut in unum corpus cooptati.

III. ARTICULUS.

Tertius eſt: *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine*. Aquilejenſe, & Orientale non habent *Conceptus*, quod nec legitur apud Alcuinum in III. de Trinit. cap. I. At ipſa conceptio nativitatis nomine exprimitur etiam Matt. I, 20. S. P. Auguſtinus in ſermonibus ad Competentes, & in Traditione ſymboli utrumque ponit, *Conceptus*, & *natus*: antiqua eſt igitur vulgaris formula, licet nec a Petro Chryſologo, nec a Maximo Taurinenſi uſurpata.

In hoc articulo primum fatemur Chriſti conceptionem divinitus eſſe peractam; & ejus corpus a Spiritu ſancto fabricatum inter ſecreta uteri virginalis. *In qua*, ait de Virgine S. P. Auguſtinus ſerm. 213. *operatus eſt Spiritus ſanctus, non homo maritus: qui fœcundavit caſtam, & ſervavit intactam*. Atque ita refelluntur Ebionæi, & Cerinthiani dicentes Chriſtum ex ſemine Joſephi conceptum. Refelluntur etiam Valentiniani, & Marcionitæ, qui Chriſto tribuerunt corpus e cælis delapſum, non formatum ex Virgine. Repellitur & affinis hæreſis Appellitarum aſſerentium Chriſtum non eſſe e Maria genitum, ſed per illam, ſicut tranſit per canalem aqua, tranſiiſſe. Expungitur & hæreſis Baſilidis, aliorumque Phantaſiaſtarum, qui nullum corpus Chriſto tribuerunt, niſi umbratile. Quoniam vero ille, qui conceptus eſt, eſt idem qui præcedenti articulo dicitur Filius Dei unigenitus, etiam revincitur hæreſis Neſtoriane, & aſſeritur Mariam vere ac proprie eſſe Dei genitricem. Præterea affirmantes Filium Dei conceptum & natum, non converſum in carnem, reſpuimus quoque nefaria dogmata Eutychetis. Hoc pacto profitemur mirabilem Incarnationis œconomiam adverſus omnes hæreſes a nobis libro XXVI. pro virili parte exagitatas.

IV. ARTICULUS.

Sequitur in ſymbolo, *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferos*. Deeſt in Aquilejenſi, & Orientali *vò paſſus*, & *mortuus*, ſed unum

ſub

ſub eo, quod crucifixus eſt, continetur; alterum ſub eo, quod ſepultus. Abeſt a pluribus *deſcendit ad inferos*: vis tamen hujus verbi, ait Rufinus, videtur eſſe in eo, quod ſepultus dicitur. At, quemadmodum oſtendam, deſcenſus ad inferos præter corporis ſepulturam aliquid aliud commonſtrat. Legit idem Rufinus *deſcendit ad inferna*. Quidam hæc poſtrema verba referunt ad articulum proximum.

Dicitur ergo Dominus Jeſus Chriſtus *paſſus*, ludibria nempe, flagella, & cruciatus, de quibus Evangeliſtæ hiſtoria. Non ſolum hoc articulo refelluntur Marcion & Menander, qui dicebant Chriſtum in phantaſmata paſſum, verum etiam Aphthartodocitæ ei tribuentes verum corpus, ſed doloribus minime obnoxium. Pertractabo de hac hæreſi libro XXVI. cap. 6. Dum *paſſus* dicitur, ſignificatur in ſe ſuſcepiſſe vulnerum ictus, & fuiſſe affectum doloris ſenſu, non mente reluctante, ſed ſubeunte tormenta pleniſſima poteſtate. Traditur etiam tempus, quo hæc ſub Pontio Pilato geſta ſunt, ne fides paſſionis Chriſti, ait Rufinus, *velut vana & incerta vacillaret*. Nam ſupplicium filio Dei illatum ſub procuratione Pilati potuit facile ad omnium gentium aures pervenire. Arbitror & Pontii Pilati fieri mentionem, ut quum penitus Judæis ablatum ſit ſceptrum, jus, ac regimen Jeroſolymorum, admoneamur ſtultos eſſe qui Meſſiam præſtolantur. Videtur huc ſpectare quod legitur in cit. Serm. CLXXII. cap. 3., *Pilatus judex erat in eo tempore ab Imperatore poſitus in Judæa, ſub quo Dominus paſſus eſt: cujus mentio ad temporis ſignificationem, non ad perſonæ illius pertinet dignitatem*.

Non ſolum paſſus eſt Chriſtus, ſed & *crucifixus*. Deteſtamur hoc verbo inſaniam Baſilidis aſſerentis non Chriſtum ſuffixum cruci, ſed Simonem Cyrenæum, & Mahumetis, qui ſubſtituit Judam Iſcariotem, necnon impiiſſimam blaſphemiam Manichæorum dicentium fuiſſe in crucem ſublatum principem tenebrarum: quæ omnia refellam citato cap. 6. & ſequenti. Dum genus mortis commemoramus, occurrit animo etiam humilitas Salvatoris, qui ſemetipſum exinanivit *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*, inquit ad Philipp. II. 8. Apoſtolus: unde edocemus, ut in Cruce Domini gloriemur, dum illam, *in qua Dominus crucifixus eſt in corpore, nos geſtamus in fronte*, legitur loc. cit. Ex ipſo mortis genere certiores quoque reddimur peccati Adæ, in quo omnes peccaverunt: nam ſi Chriſtus mortuus eſt, omnes mortui ſunt; atque ita adverſus Pelagianos, alioſque hæreticos, originariam labem, Redemptoris gratiam, & regenerationem ſpiritus confitemur. Enimvero ex ligno, unde mors, ſurrexit vita; & quemadmodum ſcripſit Venantius Fortunatus de Cruce lib. II. 2. & canit Romana Eccleſia:

Hoc opus noſtræ ſalutis ordo depopoſcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde, hoſtis unde læſerat.

Dicitur Dominus Jeſus in Cruce *mortuus*. Mors definitur a Sancto Athanaſio de ſalut. Adventu ψυχῆς ἀπὸ σώματος χωρισμὸς, *animæ a corpore divulſio*: fuit itaque in Chriſto perfecta humanitas ex corpore, animoque conflata. Hanc animam non ſolum ſenſu, ſed & ratione præditam credimus, damnantes hæreſim Apollinariſtarum refutatam lib. XXI. cap. 8. Memores Dominicæ ſepulturæ veritatem Incarnationis confirmamus, dicente Chryſologo ſerm. 6. *Sepultum dicis, ut veram carnem Chriſti, mortemque non perfunctoriam probet confeſſio ſepulturæ*.

Additur *Deſcendit ad Inferos*; in quo immorabor aliquantulum, cum hæc verba commentitia, & perperam appoſita conentur demonſtrare nonnulli hæretici. Horum argumenta ſunt. I. Hæc traditio de deſcenſu Chriſti ad Inferos orta eſt ex prava intelligentia verborum illorum Pſalmi XV. 10. *Non derelinques animam meam in Inferno*; quæ de Chriſto accipit Petrus Act. II. 27. At in Hebræo eſt vocabulum שאול, *Sheol*, quo ſignificatur duntaxat *ſepulcrum*, Geneſis enim XLII. 38. ubi legimus, *Deducetis cum dolore canos meos ad inferos*, habetur in hebræo *sheol*, omneſque interpretantur pro *ſepulcro*. Idem occurrit III. Regum cap. II. v. 6. & 9. Et quidem Auctor libri Tobith שאול reddidit τὸν τάφον, *foveam*, & Scindlerus, *terram*. Senſus ergo verborum illorum, *Non derelinques animam meam in inferno*, minime innuit deſcenſum Chriſti ad ſubterranea animorum receptacula. II. Eadem eſt vis græcæ phraſeos, εἰς ᾅδα; quæ tamen nihil aliud ſignificat, quam locum inviſibilem; ex quo nimium inſcite infertur locus, aut ſtatus animarum poſt mortem. Voſſius hanc vocem derivat ab *Adamah*, id eſt, terra, unde & primus homo dictus eſt *Adam*. III. Antiqui Patres, qui Ἅδην, interpretati ſunt *animorum ſtationem*, laborantes linguæ hebraicæ imperitia, & ex Philoſophia Platonica haurientes Græcorum fabulas, non ſolum iis Evangelii veritatem obſcurarunt, verum etiam in abſurda prolapſi ſunt. Irenæus enim lib. IV. cap. 39. ait Chriſtum ſpiritibus in Inferno degentibus Evangelium prædicaſſe, & remiſiſſe peccata. Hermas in Paſtore lib. III. ſimil. 9. etiam addit, adminiſtraſſe baptiſmum. Hæc cum ſint inveriſimilia, demonſtrant dogma de Chriſti deſcenſu ad Inferna popularem eſſe credulitatem. IV. Illud *deſcendit ad Inferos* omittitur in ſymbolo Niceno, in Antiocheno, in Sardicenſi, in Conſtantinopolitano, in ſymbolo Pelagii, Chariſii, Macharii Antiocheni, in aliis. At ſaltem Nicenum non omiſiſſet, ſi agnoviſſet hoc dogma; quippe eo nihil magis valuiſſet ad refellendum Arium negantem Chriſto fuiſſe animam. His impetunt Catholicum dogma Gerardus Voſſius lib. II. Harmoniæ Evang. cap. 13. & Joannes Clericus in H. Eccl. ad an. 62. quem jejune nimis refellit Hyacinthus Serry Exercit. LVIII. n. II. ex auctoritate ſymboli Apoſtolici, & ex cap. 2. Act. Nam hoc quæritur, an in ſymbolum ex falſa Traditione deſcenſus Chriſti ad Inferna intruſus ſit, & an in Act. Apoſt. aliud Petrus demonſtret, quam corporis Chriſti e ſepulcro reſurrectionem. Affert quidem Serrius verba Jacob Gen. XXXVII. 35. *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*; ubi *sheol* nequit accipi pro ſepulcro, eo quod illatum Joſephum Pater non exiſtimabat. Verum & hoc eget fulcimento aliquo; jam enim prædicti hæretici reſponderunt, R. Salomonem Jarchi ita exponere hunc locum, *deſcendam in Sheol propter filium meum*, ideoque intelligitur, inquiunt, mortis cauſa, non conſortium. Hæc addo in gratiam Phereponi.

Nemo adeo bardus eſt, quin videat hæc hæreticos effutire, ut Patrum traditiones, & Purgatorii dogma amandent ad Græcas fabulas: quod num utiliter moliantur, inquiram modo. Agendum primo de Interpretatione vocabuli שאול, *Sheol*. Etſi Bellarminus lib. IV. de Chriſto cap. 10. ait vel raro, vel nunquam accipi pro ſepulcro; ego ea voce ſepulcrum aliquando deſignari non denego; quippe ſepulcrum ſignificatur Pſ. 141. 7. & Jobi XVII. 13., necnon III. Regum II. 6. 9. quamquam ambiguus eſt locus iſte. Dico ea voce utrunque ſignificari, ſepulcrum, atque infernum. Primo habeo conſentientes Rabbinos, inter quos Rab. Levi ait: *Sheol eſt venter terræ depreſſior*; atque hunc oppono Aben-Ezræ, quem nobis objiciunt Sectarii. Addo traditionem Hebræorum, quos inter ſoli Sadducæi negabant ſtatum animarum apud inferos, auctore Joſepho lib. II. de Bello Judaico: at Phariſæi, & reliqui Judæorum ſtatum illum aſſerebant, apud eumdem Joſephum XVIII. Antiq. cap. 2. Hanc fuiſſe ſententiam omnium Judæorum probat ex illorum Liturgiis Auctor Anglus Hiſtoriæ ſymboli Apoſt. cap. IV. num. 15. demonſtrat Huetius in Origenianis p. 101. & Rich. Simon in Hiſt. Critica N. T. cap. 22. Sufficiunt hi ad refutandam Abenezram. Præterea habeo conſentientes hæreticos ipſos, Druſium ſcribentem ad cap. XXXVII. Geneſis: *Sheol tam infernum ſignificat, quam ſepulcrum*. Idem affirmat Sixtinus Amama reprehendens Aben-Ezram: quos vide primo ſacrorum Criticorum volumine. Deinde ſepulcri proprium nomen eſt קבר, *cheber*, a קבר, *ſepelire*; nec *sheol*, pro uno uſurpatur, nam in ſacris Bibliis etiam commemoratur שאול מטה, *infernus deorſum*, ideoque præter *sheol*, aut foſſam ſuperficiei terræ proximam, eſt locus ſive animorum ſtatus *depreſſior*. Ac ridicula eſt ratio, quam petunt hæretici ab etymologia, quaſi ſepulcrum ſit *sheol*, quia poſtulat cadavera, a שאל, *petere*; ut enim terra corpus, ita abditior locus petit ſpiritum. Rurſus *sheol* non ſignificat ſepulcrum Gen. XXXVII. 35. quoniam Jacob ſibi perſuaſerat filium non ſepultum, ſed a mala fera diſcerptum. Conjecturæ autem R. Jarchi eſt nimis futilis; nam Onkelos habet, *Apud filium meum*; ideoque optima eſt verſio Hieronymi, & ſalluntur Grotius & Voſſius. Etiam Druſius probat Hieronymi verſionem, demonſtrans particulam אל, propria eſſe *Ad*. Denique in Pſalmo XV. *sheol* non poteſt ſignificare ſepulcrum; etenim ſepulcrum ſignificant partim ea verba præcedentia, *Caro mea requieſcet in ſpe*, partim ſequentia, *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: nec anima ſepulcro clauditur. Vide Lorinum in hunc Pſalmum, & in II. Act. Fruſtra reponunt Calviniſtæ, *Animam* accipi aliquando pro corpore. I. quia de corpore mortuo, & ſeparato ab anima hoc dici nequit. 2. quia etſi hebraicum נפש, *nephesc* illam ſignificationem admittat, hanc non patitur græcum ψυχὴ, quod habetur Act. II. 27. tandem quia caro ibidem deſignatur proprio nomine, ἡ σάρξ μου, *caro mea*. Atque his abunde ſatisfactum eſt argumento primo, & iis quæ in gratiam Phereponi addidi adverſus Serrium. Brevi dicam; *Sheol* eſſe ſepulcrum, foſſam, τὸν τάφον, non nego; nec damno Ariam Montanum, Pagninum, Steuchum: eſſe ſolummodo foſſam ac tumulum, id nego.

At alterum ſic refellimus. Nullibi invenies, quod equidem ſciam, ᾅδην accipi pro *ſepulcro*. Innumera apud profanos Scriptores invenies loca, ubi hoc nomine deſignatur receptaculum animorum. Lege Homeri Odyſſæam lib. XI. & invenies *Aden* eſſe locum, in quo degebat anima Agamemnonis, Patrocli, Antilochi, Achillis. Hinc fabulam ſuam finxit Virgilius de Æneæ ad inferos deſcenſu: hinc etiam Elyſii, mœnia Ditis, ac Tartara. Nec ſequitur antiquos Patres fabulas græcas fuiſſe imitatos; nam e contra, quæ in Græcorum libris narrantur, de noſtris tranſlata ſunt, permixtis aliis rebus futilibus ac ſuperfluis; ut docet Ambroſius de Bono Mortis cap. 10. Et quidem univerſam Græcorum Theologiam eſſe ſacrorum librorum depravationem, demonſtrat Daniel Huetius in Demonſtrat. Evangelica, ipſemet Voſſius in erudito Opere de Theologia Gentilium, ſive de Origine Idololatriæ, ne commemorentur quiſquiliæ noſtræ, collectæ cap. 1. hujus libri. Profecto ᾅδης nequit inter fabulas amandari, quoniam extat in Scripturis ſæpiſſima,

ſime, ac in ipſis locis citatis Geneſ. xxxvii. 35. Pſalm. xv. 10. Act. ii. 27. Faliter ſolemniſſime Voſſius derivans ᾅδης ab ארמה, *terra*. Derivatur aſt ab עדן, *Eden*, quo nomine appellatur Geneſ. ii. 8. Paradiſus voluptatis, quod præter vocabulorum ſimilitudinem commonſtrant verba Chriſti Lucæ xxiii. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo*; nam hoc in loco veteres omnes *Eden* intelligunt, ideſt, Receptaculum animorum, & locum tranquillitatis, ubi animæ ante Chriſti mortem aſportabantur. Atque hinc intelligimus Chriſtum deſcendiſſe ad Lymbum Patriarcharum, eiſque feliciſſimo completæ Redemptionis nuncio, ac præſentia ſua gaudium maximum attuliſſe, & pro latroni præſtitiſſe quod paullo ante promiſerat: quamquam an illic recepta fuerit latronis anima, non ſit adeo certum, ut dixi libro iii. cap. 9. Hinc quoque infertur nugari hæreticos circa vocabulum ᾅδης, ut ſuadeant imperitis deſcenſum Chriſti ad inferos, & *Limbum* veterum Patrum eſſe commentum ſcholaſticum. Secundæ itaque argumentationi hoc modo ſatisfecerimus.

Tertio autem argumento hoc habeto reſponſum. Perdifficilis eſt locus Petri, Epiſt. prima cap. iii. 19. *His, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca*. Hunc locum Irenæus, Hermas, & Clemens Alex. 3. Strom. ita accipiunt, quaſi Chriſtus apud inferos prædicaverit, & baptiſmum contulerit, Theodorus Abacura Opuſc. 17. ait Sanctus credentes Chriſto advenienti ad inferos baptizatos aqua, quæ ex latere divino profluxit reſoluta in elementum. Vide Cotelerium Tom. i. PP. Apoſt. pag. 118. S. P. Aug. Epiſt. 99. ad Evodium, nunc 164. interpretatur hunc locum de prædicatione facta a Chriſto ſpiritu divinitatis etiam incredulis tempore Noe, dum in carcere corporis detinerentur. Non video cur hanc interpretationem rejiciat lib. iv. de Chriſto Bellarminus. Etenim verſu proximo ait Petrus: *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma, &c.* Comparat ergo Arcam Noe Eccleſiæ: octo animas, quæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, baptizatis; & incredulos, quibus per internas revelationes Chriſtus *in ſpiritu* prædicavit pœnitentiam, Gentibus, quibus annunciatum eſt Evangelium. Confirmat hanc interpretationem, quod legitur Lucæ xvii. 26. Eam probat S. Thomas iii. P. q. 52. art. 2. Quid ergo in Auguſtiniana interpretatione aut abſtruſum, aut repugnans? Ea eſt ceteris omnibus planior, licet Auguſtini ſingularis modeſtia non ſine hæſitatione eam tradat: & niſi hanc prædicationem ad Chriſtum migrantem ad inferos referamus, nulla occurret in Epiſtola Petri difficultas: neque hoc loco demonſtramus deſcenſum ad inferna, ſed ex 2. cap. Act., ex Pſalmo 15., ex traditione. Si dicas Chriſtum poſt mortem prædicaſſe ſpiritibus incredulis ad increpationem, aut iis, qui in carcere purgatorio detinebantur, lætum extuliſſe nuncium, ob auctoritatem Damaſceni, aliorumque Patrum, non repugnabo. Ob varias ergo de hac prædicatione ſententias temere & impudenter aſſeritur deſcenſum Chriſti ad inferos derivaſſe ex Platonicorum Philoſophia.

Ad poſtremam argumentationem reſpondere oportet in hunc modum. Deſcenſus ad inferos habetur in Symbolo Cyrilli Hieroſolymitani Catech. 4. ubi legitur: *Paſſus, crucifixus, ſepultus, deſcendit ad loca inferna, εἰς τὰ καταχθόνια*. Floruit autem Cyrillus circa annum 370. Extat & in Symbolo Epiphanii, qui floruit circa annum 390. lib. 3. adv. hæreſ. in Compendio Fid. Cath. Falſum eſt ergo, quod inquit Voſſius, Patres nunquam hoc dogma agnoviſſe, & in omnibus Symbolis omitti. Imo eſt in Symbolo etiam Arianorum propoſito in Concilio Ariminenſi anno 359. Nam inter Arianos erat ſecta Luſianiſtarum, de quibus Epiphanius in Ancorato, qui animam Chriſti impugnabant: altera, quæ opponebatur Apollinario, Acacianorum, qui animam Chriſti non denegabant, & ſubſcribebant Symbolo Ariminenſi. Igitur Nicænum Symbolum definiens Chriſti divinitatem adverſus totam Arianorum familiam appoſuit *Omoouſion*, nec fuit neceſſe etiam addere, quod Ariana ſecta admittebat, maxime quia ſi Chriſti divinitas eſt eadem ac Patris, gerere non potuit vices animæ, quam triſtitia, & dolore affectam teſtatur Scriptura. Quare dum Chriſto tribuitur divina natura, & vere paſſio, etiam conceditur anima capax paſſionis: nec male Rufinus, ut vidimus, ait deſcenſum animæ ad inferos intelligi in verbis præcedentibus, *mortuus, & ſepultus eſt*. Additum ergo *deſcendit ad inferos*, ad majorem Apollinariſtarum confutationem; nec negandum eſt Symbolo ab Apoſtolis edito aliquas particulas ſubſtantiam doctrinæ non immutantes occaſione poſteriorum hæreſum fuiſſe adjectas. His Voſſio, Pherepono, horumque prædeceſſoribus hæreticis per nos abunde reſponſum eſt.

Manet ergo inconcuſſum Catholicum dogma de Chriſti ad inferna deſcenſu, quem prænunciavit Pſalmographus, prædicavit in Actibus Apoſtolicis Petrus, & confirmavit traditio Patrum exploratiſſima. Aperta ſunt teſtimonia Irenæi lib. v. adv. H. cap. 26. Tertulliani de Anima c. 32. Athanaſii de Salut. Adv. Chriſti, Hilarii Pictav. in Pſ. 53. & 134. Cyrilli Jeroſolymit. Catech. 4. S. P. Auguſtini in Pſ. 85. & de Civit. Dei xx. 15. Hieronymi in cap. 2. Jonæ, Leonis Magni ſerm. 8. de Paſſione Dom. & aliorum: quorum verba, cum negare non audeant heterodoxi, non eſt neceſſe ut adſcribantur. Igitur Chriſtus, ut lib. i. Epiſt. 4. canit celeberrimus Poeta Franc. Petrarcha,

> *Tartara victor*
> *Ingreſſus, clauſo poſuit ſua membra ſepulcro*
> *Vi repetens, ſecumque trahens felicia Patrum*
> *Agmina, & exhauſtas longis cruciatibus umbras.*

V. ARTICULUS.

In v. articulo, *Tertia die reſurrexit a mortuis*, conveniunt omnia Symbola; nam ſi Chriſtus non reſurrexit, vanam eſſe fidem noſtram affirmat Paulus i. ad Corinth. xv. 17. At reſurrectionem Redemptoris teſtes innumeri confirmarunt, milites cuſtodes ſepulcri, mulieres, quæ venerant ad monumentum, Angeli cælorum, Diſcipuli qui vulnera Chriſti palparunt, ipſe Dominus per dies quadraginta apparens eis.

Dicitur Chriſtus reſurrexiſſe *tertia die*, non *poſt diem tertiam*; nam ipſum triduum nondum completum fuerat, quippe Dominus per tot horas inter mortuos delituerat, quot dies poſt reſurrectionem in terris permanſit, ſcilicet quadraginta, computandis a veſperis feriæ 6. ad diluculum proximæ Dominicæ. Diſſentiunt Auctores in aſſignando triduo ſepulturæ hujus. Alcuinus, & Paulus Foroſempronienſis laudati a Corn. a Lap. in cap. xii. 40. Matth. videntur differre Dominicam Reſurrectionem ad veſperam 2. feriæ. Nonnulli Græcorum uno die Chriſti mortem anticipant. Ipſe Cornelius a Lapide putat Evangeliſtas dies numerare Romanorum more a dimidia noctis. At non opus eſt hiſce commentationibus. *Ad integrum diem pars primi noviſſima, & pars tertii prima occurrit*: ait ſerm. 1. de Reſurr. S. Leo, ac ſimilia lib. iv. de Trinit. cap. 6., & q. 6. Epiſt. 49. S. P. Auguſtinus. Ita unus dies totus, reliqui ſecundum partes prætererunt; ut recte Commant. in Matth. Eſtius. Etiam Porphyrius in Qq. Homericis ait: *Qui veſpere domum venit, mane autem diei tertiæ exiit, dicitur tertia die iiſſe peregre*. Si opponas, legi apud Matthæum citato loco: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ*: dico *dies*, & *noctes* περιφραστικῶς ſignificare dies naturales, qui apud Hebræos ea circumlocutione ſignificantur, ut liquet ex i. Geneſ. verſu 5. Idem eſt igitur *tribus diebus ac tribus noctibus*, ac τρισὶ νυχθημέροις, *per tria diemoctia*, inquit Grotius. Hanc periphraſim agnoſcit citato loco Eſtius.

Reſurrectio Chriſti propria ejus virtute peracta eſt: habebat enim poteſtatem *ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam*; Joan. x. 18. ideoque dicimus *Reſurrexit*, non, *ſuſcitatus eſt*; ſicut de Lazaro idem Joannes xxii. 1. Quamquam & Pater *reſuſcitavit* Filium, in quantum tota Trinitas id operata eſt, ſurrexitque Filius divina illa vi, quam habet ex ſempiterna generatione, ut dixi lib. vii. cap. 9. Reſurrexit autem Chriſtus *in carne vera*, inquit S. P. Auguſtinus ſerm. 214. num. 8. ac proinde hoc articulo damnamus hæreſim Apellitarum, qui apud Tertullianum de Præſcript. aſſerebant Chriſtum in deſcenſu ſideream ſibi carnem contexuiſſe, & in reſurrectione eam reddidiſſe ſingulis elementis, a quibus fuerat mutuatus, in adſcenſu autem ad cælos, aeri quoque dediſſe corporis ſui partem, atque ita carne ex quatuor elementis compacta, cuique horum reſtituta, in cælum ſolo ſpiritu rediiſſe. Denique ut in paſſione docuit nos Chriſtus quid toleremus; ita in reſurrectione, ait S. P. ſerm. 113. *oſtendit quid ſperemus*.

VI. ARTICULUS.

Sequitur, *Adſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*. Et in hoc articulo Symbola quæque conveniunt: aliqua tantummodo omittunt poſtremam vocem; quod habeatur etiam in articulo primo.

Adſcendit Chriſtus elevans, *quod ſuſcepit ex nobis, in cælum*, inquit S. Pater de Symbolo ad Catech. cap. 7. & idcirco adſcendit ratione naturæ humanæ, ſicut deſcenderet de cælis eamdem aſſumens. Hunc adſcenſum factum propria Chriſti virtute, indicant ipſa verba: quamquam & non repugnat dici in cælos *aſſumptum*, ea ratione, qua dicimus *ſuſcitatum*: nam & initio Act. Ap. legitur, *aſſumptus eſt*. Hinc refellitur prædicta hæreſis Apellis ab Epiphanio adverſus Her. & ab Aug. de Fide & ſymbolo, ſi enim in cælos aſſumptum eſt terrenum corpus, illud in ſubſtantiam elementorum non eſt reſolutum.

Melius dictum eſt *ad cælos*, quam *in cælum*; primo quia hoc pacto notatur diſcrimen inter adſcenſionem Chriſti & raptum Eliæ, qui I. Mach. II. 58. dicitur *Receptus in cælum*, ideſt, in locum igneum ac ſublimem: deinde, quia Eccleſia ait in Præf. Pent. *Qui aſcendens ſuper omnes cælos, &c.* Ubi igitur habetur *in cælum*, (ut in Symbolo Niceno, & Act. ii. 34.) ibi *cælum* ſumitur pro firmamento ac ſede Beatorum; quod juxta Tychonem a nobis diſtat ſemidiametris decies novies millenis, & decies millenis ſecundum Merſennium. Atque ita lapis a firmamento demiſſus, ſi minuto quolibet leucam conficeret, nec centum

tot annorum intervallo ad nos perveniret. At miſſis Aſtronomicis tricis; ex quo Chriſtus adſcenderit ſuper omnes cælos, ſequitur falſam eſſe opinionem Seleucianorum, qui poſt Hermogenem affirmarunt corpus Domini noſtri in ſole fuiſſe collocatum, accipientes occaſionem ex Pſalmo xviii. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*; ut ſcribit H. 59. Auguſtinus. Verum verſiculus ille Pſalmi in hebræo legitur, *ſoli poſuit tabernaculum in eis*, ideſt, in cælis: in lxx. autem & in Vulgata eſt figura *hypallages*, inquit Tirinus, hoc eſt, oratio inverſa vice proſertur, velut cum dicimus *date claſſibus auſtros*. Myſtice ab Auguſtino in Pſalm. xliv. num. 3. refertur ad uterum Virginis thalamum divini Verbi.

Sedere ad dexteram Patris non ita accipiendum eſt, quaſi Pater humana forma ſit circumſcriptus, ut monet idem Auguſtinus de fid. & ſymb. cap. 7. Nam qui ita ſentiunt, Deo corporalia membra tribuunt cum Anthropomorphitis a me refutatis lib. 15. cap. 2. *Dextra* Patris ſignificat primo ſempiternam felicitatem, et *ſiniſtra* in Cant. ii. 6. commoditatem terrenam: ac propterea commentitium eſt temporale regnum Chiliaſtarum. Deinde Patris *dextra* opponitur *ſiniſtra* reproborum, ſcilicet miſeriæ. Tertio eadem vox deſignat judiciariam Chriſti poteſtatem, de qua Matth. ult. 18. *Sedere* dicitur Chriſtus, ne quis opinetur collocatam in cælis aſſumptam carnem vacuam ſenſu, & veluti *vaginam* exempta perſona, ut quidam apud Tertullianum de Carne Chriſti. Non certam membrorum poſitionem ea vox ſignificat, ſed perennem habitationem, quo ſenſu conſuetum eſt dicere, *In illa patria ſedit per tres annos*. Ita S. Pater de Symb. ad Catech. cap. 4. Non ergo hæc repugnant verbis Stephani Act. vii. 55. *Video cælos apertos, & filium hominis ſtantem a dextris Dei*. Hic oſtenditur Chriſtum in cælis permanere, & gerere ſolicitudinem noſtri: quod liquet ex 1. Joannis cap. ii. 1. & ex Epiſt. Pauli ad Hebræos ix. 24. ac xii. 2. Sed hactenus de ſexto articulo, nunc ſeptimum aſpicemus.

VII. ARTICULUS.

Tam Romanum, & vulgare, quam Aquilejenſe, & Orientalia ſymbola habent, *Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos*, fatente Dupinio. Rufinus etiam, ait Voſſius num. 38., nullum diſcrimen aperit; quamquam Venantius Fortunatus paullulum hæc immutet, ſimpliciter habens, *Judicaturus vivos, & mortuos*.

Itaque primo credimus futurum judicium adverſus deteſtandum errorem Borborianorum, Florianorum, & Proclianitarum, qui negarunt apud Philaſtrium ullum fore poſt hanc vitam judicium, contra apertiſſimam auctoritatem Matth. xvi. 27. xxvi. 64. Act. xvii. 31. Apocalypſ. xx. 12. &c. Venturus eſt idem Chriſtus in quantum filius hominis, in aſſumpta ſcilicet humanitate. Ita Joan. cap. v. 22. & 27. Hinc intelligimus quod ſcriptum eſt, *Pater non judicat quemquam*, nimirum ſecundum aſpectabilem formam, quam ſolus Filius ſibi per ſacramentum Incarnationis univit. Videſis Auguſtinum Tract. xxi. in Joannem. Particula *inde* commonſtrat Judicem venturum de cælis, lucida nube circumdatum, atque apparatu majeſtatis, quemadmodum aſcendit in cælum; ita Act. 1. 11. Hinc commonemur, ne ullam habeamus fidem Pſeudoprophetis, & Antichriſto, ex loco ignoto prodeuntibus; vide Matth. cap. xxiv. 26. 27. Comites illi aſſuturos Angelos, Apoſtolos, omneſque Sanctos habemus Matth. xxv. 31. Lucæ xxii. 30. & 1. ad Corinth. vi. 2. Certum eſt Apoſtolos, ac Martyres, ceteroſque Sanctos judices aſſeſſuros; redarguentes improbos exemplo, probantes ſententiam judicis, & Chriſto tamquam membra Capiti, ac Magiſtratus adhærentes ſummo Principi. Apoſtolos, & qui voluntariam ſuſceperunt paupertatem præcipuo quodam titulo mundum judicaturos videtur colligi ex Matth. xix. 28. an quia eminentiori loco ſeſſuri ſint, an quia & ipſi ſententiam proferent, Theologi ac Patres non conſentiunt. Paſſionis Chriſti tempus in iv. articulo expreſſum eſt; at non in ſeptimo tempus judicii: quum non ſit noſtrum *noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*, Act. 1. 7. Inſaniunt itaque definientes ætatem mundi poſtremam, ac diem illam, quam Matth. xxiv. 36. noluit hominibus patefacere. Sed illorum curioſitatem atque audaciam frenare ſtudui libro xi. cap. 8.

Judicandi erunt omnes tam *vivi*, quam *mortui*. S. Pater de fide, & ſymbolo cap. 8. & de ſymbolo ad Catech. cap. 14. per *vivos, & mortuos* intelligit juſtos & peccatores; ſive illos, qui tempore adventus Chriſti adhuc vivent, & qui in hoc adventu reſurgent. At Rufinus per *vivos* intellexit animas, per *mortuos* corpora. Juxta interpretationem Auguſtini dicimus omnibus ante tribunal Chriſti eſſe comparendum, nec excipimus parvulos decedentes ſine baptiſmate: de quibus plura lib. xvii. cap. 8. Quando Joannes iii. 18. ait jam eſſe judicatos qui non credunt, & Patres aliqui affirmant judicandos duntaxat, qui in religione verſantur; id accipiendum eſt vel de judicii diſcuſſione, vel de privatione vitæ æternæ, vel de ordinatione, decretoque divino; ut ſenſus ſit infidelibus jam eſſe ſtatutam gehennam, nec in judicio diſceptandum cur recenſeantur cum reprobis; in eos tamen ſententiam eſſe pronuntiandam, eoſque pro qualitate peccatorum eſſe mulctandos. Juxta expoſitionem Rufini apparet etiam extremi judicii finis, nempe, ut unuſquiſque *referat propria corporis prout geſſit ſive bonum, ſive malum*, ut inquit Ap. 2. ad Corinth. v. 10. Præcipuus tamen finis eſt Dei gloria, Chriſti exaltatio, & felix conſummatio principatus ac regiminis hujus Eccleſiæ: de quo fine idem Apoſtolus in 1. ad Corinth. xv. 24. & ſeqq. Hoc articulo etiam rejicimus fatalem neceſſitatem inductam a Gnoſticis; non enim judicio ſubjiciuntur quæ eveniunt abſque arbitrii libertate, ut diſputant adverſus Valentinianos Clemens Alex. lib. 2. Strom., & in 2. Apologia S. Martyr Juſtinus. Hæc de ſeptimo articulo; reliquos perſequamur.

VIII. ARTICULUS.

Proximus eſt, *Credo in ſpiritum ſanctum*. In Aquilejenſi omittitur credendi verbum; quod tamen extat in Græcis apud Auctorem Hiſt. ſymboli Ap. p. 262., & falſus eſt hac in parte Dupinius: conſentiunt quoque vetuſta Gallorum, & Belgarum ſymbola. Ubi omiſſum eſt, ſuppleri debet ex initio, prout indicat particula *Et* appoſita in ſymbolo Rufini, & apud Auguſtinum de ſymbolo ad Catech. cap. v. num. ix.

Repetitur ergo verbum credendi, ne quis a fide in Chriſtum filium Dei, ejuſque Patrem, disjungat Spiritum ſanctum: quum & ejus explicita fides ad æternam ſalutem neceſſaria ſit, ut conſtat ex concione a Paulo habita Epheſi Act. xix. 2. Conſideranda eſt quoque vis illius particulæ *In*, quæ, ut conſtat ex Articulo 1. & 2. demonſtrat hujus Spiritus divinitatem. Hac de cauſſa, ut acute animadvertit Rufinus, hæc propoſitio articulo proximo non præmittitur, quoniam Eccleſia non eſt Deus, ſed Dei congregatio. Tam ergo exigua voce ſignificatur in tribus Perſonis, ait citato loco Auguſtinus, *una natura, una ſubſtantia, una potentia, ſumma æqualitas, nulla diviſio, nulla diverſitas, perpetua caritas*. Atque ita refelluntur Macedoniani, & Pneumatomachi, qui negarunt Sancti ſpiritus divinitatem. Perſtringuntur eadem ratione Gallica Catecheſis Calviniſtarum, & Clypeus Fidei Genev. ubi traditur adorandum eſſe ſolum Patrem in nomine Filii; necnon Philippus Melanchthon qui in Locis Theolog. negat in Spiritu ſancto haberi perfectam divinitatem. Rejicitur & Petri Abaelardi inſignis error, de quo in priori volumine pag. 59.

Nomen *Spiritus* tribuitur tertiæ perſonæ, primum quia cum ab illa nulla alia procedat, nequit habere peculiare nomen, quod relativum ſit ad perſonam a ſe procedentem: deinde quia nomen iſtud *Spiritus* diſtinguit hanc perſonam a prima, & ſecunda, quæ ſunt unum, ut loquuntur Theologi, principium ſpirans: atque iis profitentes credere nos in tertiam Perſonam, iterum anathematizamus Sabellianos. Hoc nomen *Spiritus* etiam proceſſionem tertiæ Perſonæ a prima & a ſecunda commonſtrat, quemadmodum explicatum eſt lib. viii. cap. 21. ideoque propugnamus adverſus Græcos dogma Romanæ Eccleſiæ; de quo eodem libro cap. 18. Hunc Spiritum appellamus *ſanctum*, quoniam ejus inhabitatione remittuntur peccata, & anima ſanctitate exornatur; ideoque deteſtanda eſt blaſphemia Theodori *Bezæ* ſcribentis in Confeſſ. punct. 4. art. 10. Spiritum Sanctum æque ac in juſtis permanere in iis, qui turpiſſimis ſceleribus inquinantur. Ex quo autem in juſtis habitet ſanctitatem impertiendo, & ſpiritum innovando, recta ratione damnamus Novatores, qui negant inhærentem juſtitiam.

ARTICULUS IX.

Nonus eſt, *Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem*. Aquilejenſe, & Orientalia non habent *Catholicam*, & quæ deinceps ſequuntur. Hæc tamen jure meritoque adjecta ſunt. Nam vox illa *Catholicam* extat in antiquiſſimo ſymbolo Alexandri Epiſcopi Alexandrini apud Theodoretum lib. 1. cap. 4., in utroque ſymbolo Epiphanii in Ancorato: cumque Alexander Epiſcopus Alexandrinus floruerit ante annum 325. aut circa hæc tempora, errat Franciſcus Picus affirmans ſententiam *de Eccleſia Catholica*, tempore Nicænæ ſynodi, hoc anno celebratæ, nequaquam apparuiſſe. Reliqua adverſus Schiſmaticos dicuntur appoſita: ſed omnia in ſolo *Eccleſiæ* vocabulo continentur: nam *ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans, &c.* inquit S. P. de ſymb. ad Catech.

Eccleſia ſic appellata ab ἐκκαλέω, *evoco*, eſt aggregatio fidelium, quos de tenebris gentium Deus vocavit in admirabile lumen ſuum, ut in unum cœtum coadunati teneant eamdem fidem, degant ſub eodem capite, eademque participent ſacramenta. Cur huic articulo præpoſitio *In* non addatur, dixi paullo ſupra ex Rufino. Nunc ex ipſo nomine *Eccleſiæ* colligimus credere nos unam Chriſtianorum congregationem a Jeſu Chriſto inſtitutam, & ab Apoſtolis per orbem terrarum divulgatam, non incertis privatiſque documentis directam, neque inviſibilem & occultam; ſed præditam ſalutaribus fidei morumque regulis, certiſque diſtinctam characteribus, ideſt, doctrina, ſacrificio, cultu, Pa-

ſtorum

ſtorum ordinatione ac regimine, ſanctitate morum, & Apoſtolicæ originis antiquitate. Firmiſſime itaque tenemus Eccleſiam hanc non extare apud Proteſtantes, qui illam conſtituunt in occulto cœtu electorum, negantque Apoſtolicæ Cathedræ auctoritatem, Sacerdotum ordines ac miniſteria, & excogitatis pro libidine dogmatibus ac inſtitutionibus non Apoſtolos habent auctores, ſed Apoſtatas, ejectos, turpiſſimiſque flagitiis contaminatos.

Hanc *Eccleſiam* ſingulari numero appellamus, quoniam debet eſſe *una*, quod explicationis cauſſa addidere ſymbolum Nicænum, & Conſtantinopolitanum. Alexander vero Alexandrinus citato loco majori emphaſi ait, *Mίαν, καὶ μόνην*, *unam*, *& unicam*. Hæc Eccleſiæ unitas eſt conſpiratio omnium fidelium in eadem fide, ac doctrina; quamobrem ſegregati ſunt ab Eccleſia omnes manifeſte hæretici: & idcirco Rufinus ſcribit, quod docuit Marcion, quod Manichæus, quod Paulus Samoſatenus, quod Arius, quod ceteri hæretici, commonſtrare quomodo horum ſectæ non Eccleſiam conſtituant, ſed *concilium vanitatis*. Præter unionem doctrinæ, character Eccleſiæ eſt unio membrorum inter ſe, & cum myſtici hujus corporis Capite, ideſt, Romano Pontifice. Hac de cauſſa ſeparatos ab Eccleſia Novatianos dolet Ep. 43. ad Cornelium Papam S. Cyprianus. Idem ſcribit de Donatiſtis lib. 2. contra Parmenianum Optatus. E contra S. P. Auguſtinus in libris de Baptiſmo impenſe eumdem Cyprianum commendat, quod ebulliente controverſia de Rebaptizandis, nunquam paſſus ſit invehi ſchiſma, & fidelium caritatem diſrumpi. Vide lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 6. Aſſentiendum propterea eſt Bellarmino lib. III. de Eccl. cap. 5. aliiſque plurimis ſegregantibus ab Eccleſia non ſolum hæreticos, verum etiam ſchiſmaticos.

Præterea Eccleſia dicitur *Sancta*. I. ratione doctrinæ, quum in Eccleſia nihil a ſupremo Rectore proponatur quod non ſit pium, honeſtum, formandiſque bonis moribus conſentaneum. II. ratione Inſtitutoris, qui nobis factus eſt redemptio, & ſanctificatio, ac membris ſibi per fidem unitis, dummodo apte ſe diſponant, juſtitiam ac ſanctitatem impertitur. III. ratione Sacramentorum, quæ digne diſpoſitis conferunt remiſſionem peccatorum, & gratiæ augmentum. IV. ratione antiquorum rituum, quibus Dei, Sanctorumque cultum Eccleſia promovet. V. ratione plurium membrorum, ideſt, fidelium, qui vivunt vitam cœlibem, incontaminatam, atque honeſtiſſimam. Jure ergo meritoque ſcripſimus cap. v. non extare apud Heterodoxos, qui flagitioſam vitam approbant, Eccleſiam Chriſti.

Deinde Eccleſia appellatur *Catholica*, ſcilicet, univerſalis. *Catholicum* idem eſt, ac toto orbe diffuſum: ideoque non eſt vera Eccleſia hæreticorum, qui latitant in angulis provinciarum. *Catholicam*, (inquit Auctor ſerm. 181. de Temp. inter Auguſtinianos) *dicit toto orbe diffuſam, quia diverſorum hæreticorum Eccleſiæ ideo Catholicæ non dicuntur, quia per loca, & per ſuas quaſque provincias continentur*. Apoſtolorum ergo tempore Eccleſia erat Catholica, quia diſtincta a Synagogis limitibus terræ Chanaan circumſcriptis. Nec valet quod opponit Voſſius, tunc extra Palæſtinam fuiſſe aliquos religione Judæos: nam ſingulis Religionis cauſſa Jeroſolymas conveniendum erat. Inſuper Apoſtoli mandatum acceperant prædicandi Evangelium in univerſo mundo, eratque amplitudinis Eccleſiæ ſpes firmiſſima, & aperta promiſſio. Etiam *Catholica* appellatur, quatenus nemo, ubicunque exiſtat, niſi in ipſa Eccleſia ſalvari poteſt; quia nequit *fractus ramus ab arbore fructus germinare*, ait in libro de unitate Eccl. Cyprianus. Idcirco credimus neminem extra Romanam Eccleſiam ſalutem conſequi.

Sanctorum communionem Auctor prædicti ſerm. 181. de Temp. refert ad Cives ſupernæ Jeruſalem, quibuſcum ſocietate, & ſpei communione tenemur, ita ut nos de illorum imitatione cogitemus, illi autem pro nobis dignentur Domino ſupplicare. Rejicienda non eſt hæc interpretatio: cum enim caritas nunquam excidat, nequeunt Sancti a nobis ſocietate disjungi: & ideo credimus illos jam beatitudine perfrui, pro nobis orare, & a nobis religioſe coli, adverſus antiquos Millenariorum errores, & recentiorum hæreticorum perfidiam. Hæc tamen Sanctorum *Communio* non alia ſignificat, ideſt, appellationem fraternitatis, quam invicem Catholici fovent, & orationum, bonorumque operum, quæ fiunt in Eccleſia, participationem. In illius fraternitatis conteſſerationem conſueverunt olim novi Epiſcopi alios electionis ſuæ reddere certiores per literas, quas appellarunt *Communionis*: quarum exemplar extat Epiſt. 42. Cypriani ad Cornelium Papam, & viciſſim Cornelii ad Cyprianum. Huc ſpectant literæ datæ fidelibus peregre profecturis, ut in communionem ab omnibus Eccleſiis reciperentur, piaque conſuetudo conſecrationis olim de licentia Epiſcopi advenis demandatæ, ut narrat de Polycarpo Romam ſub Aniceto adventante Euſebius lib. v. H. Eccl. cap. 24. Bonorum orationes ceteris prodeſſe, ne alia exempla proferam, demonſtrant preces Stephani, & piæ matris Monicæ lacrymæ.

X. ARTICULUS.

Decimus eſt: *Remiſſionem peccatorum*. In tabula Dupinii conveniunt in hoc articulo quatuor antiqua ſymbola. Quidam putant eumdem articulum receptum tempore Cypriani; eo quod deſideretur in ſymbolis Tertulliani, Irenæi, & Origenis. Nil id ingerit difficultatis; commemorata enim *Eccleſia*, ſtatim intelligitur peccatorum remiſſio: quoniam & Eccleſiæ miniſtris data eſt poteſtas remittendi, & retinendi peccata, Joannis xx. 23. & in Eccleſiam cooptamur per Baptiſmum, quo remittuntur ipſa peccata, Act. II. 28.

Credimus itaque hoc articulo per Baptiſmum deleri omnia peccata, & legem Chriſti etiam hoc titulo ceteris eſſe præſtantiorem, quod habeat expiationem pro quocunque flagitio; cum Gentiles viam delendi culpam, & fugiendi ſupplicium ignorarent, expertes ſacrificiis quibus culpæ reatus abſtergeretur: cujus delendi vim nec habebant ſacramenta veteris legis ſuapte natura: immo adverſus adulteria, & graviora delicta hæc nullum afferebant remedium. At Baptiſmus omnia prorſus peccata tollit, ut docet Auguſtinus in Ench. cap. 64. Ad hunc ſenſum innuendum ſymbolum Nicænum poſuit, *Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum*. Credimus tamen in Eccleſia remitti quoque peccata poſt baptiſmum patrata, contra Baſilidem, Montanum, & Novatum: quorum primus apud Clem. Alex. libro 4. Strom. volebat condonari tantum peccata ex ignorantia & præter voluntatem commiſſa: alter, ut inquit Hieronymus lib. 2. adverſus Jovinianum, negabat poſſe renovari per pœnitentiam, qui ſibi crucifixerunt filium Dei: ultimus, auctore Epiphanio H. Cathar., ajebat nullam ſpem veniæ lapſis poſt baptiſmum relinqui. Fatemur quoque peccata vere dimitti, non tegi duntaxat, damnantes cum Lutherum aſſerentem art. 2. inter damnatos a Leone X. remanere poſt baptiſmum peccata, tum Calvinum ſcribentem in III. Inſt. cap. 2. §. II. reprobos nunquam conſequi remiſſionem peccatorum. Venialia peccata etiam eleemoſyna & oratione deleri, docet S. Pater de Symb. ad Catech. Ita peccata ante baptiſmum commiſſa delentur Sacramento regenerationis: quæ poſtea patrata ſunt, per ſacramentalem abſolutionem; quotidiana autem ac venialia oratione, jejunio, eleemoſyna. Etiam temporalis ſcelerum pœna per Indulgentias relaxatur. At hæc nonniſi baptizatis prodeſſe poſſunt, quoniam nequit percipere fructum paſſionis Chriſti, qui in morte ipſius baptizatus non eſt, ut ſcribit Apoſtolus ad Rom. cap. 6. Etiam baptiſmum adultorum præcedere debent debitæ diſpoſitiones: ut liquet ex Act. II. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum, &c.* necnon ex iis, quæ ante baptiſmum exigebantur a Catechumeno, recenſitis a Juſtino in 2. Apologia, a Tertulliano in libro de Baptiſmo, & ab Origene hom. 21. in Lucam. Verum de his diſpoſitionibus pertractavi lib. XIX. c. 4.

XI. ARTICULUS.

Carnis Reſurrectionem. Undecimum ſcilicet articulum, habent ſymbola quæque. Aquilejenſe addito pronomine ait, *Hujus Carnis*. De antiquitate hujus articuli, nec Voſſius muſſitat; annuntiatam quippe reſurrectionem ab initio Evangelii, conſtat ex Act. XVII. 18. ex I. ad Corinth. xv. & 2. ad Timoth. 2.

Non *corporis* dictum eſt, ſed *carnis*; quoniam corpora ſunt cæleſtia, terreſtria, & aerea; caro autem deſignat *ſpeciem* corporis peculiarem. Recte dicitur a Damaſceno lib. IV. de fide Orthod. cap. 2. anaſtaſis, ſive reſurrectio, *δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις*, *nova ejuſdem corporis, quod ceciderat, ſuſcitatio*, ſive, ut inquit de Reſur. carnis 6. Tertullianus, *recidivatur*. Ipſa Reſurrectionis ratio poſtulat, ut quod morte cecidit, illud excitetur: & ideo pronomen additum ab Aquilejenſibus continetur in ipſo *Carnis* vocabulo. Apparet hinc error Origeniſtarum, & Bardeſaniſtarum, qui *Corporis* reſurrectionem dicere maluerunt, opinantes non carnem hanc redituram, ſed corpus aereum, atque alterius naturæ: de quo errore vide Hieronymum in Epiſt. ad Pammach. & Oceanum. Rufinus in I. adverſus eumdem Hieronymum Invectiva, ut ſe purget ab hoc errore, affert ſymbolum Eccleſiæ ſuæ Aquilejenſis, in qua, ut diximus, addebatur pronomen, & digito etiam tangebatur frons, quaſi diceretur, *Credimus carnis hujus, quam contingimus, reſurrectionem*. Opinionem, quam ſecuti ſunt Origeniſtæ, viguiſſe tempore Clementis Romani, non obſcure conjectat Auctor Hiſt. Symboli Apoſt. cap. VII. n. 40.

Deterrima via aberrarunt, qui reſurrectionem negarunt penitus: cujuſmodi fuere Sadducæi Act. XXIII. 8. Hymenæus & Philetus 2. ad Timotheum II. 17. Baſilides, Cerdon, & Apelles apud Tertull. de Præſcript. Valentiniani, Archontici, & Hierachitæ, apud Auguſtinum de Hæreſ. n. II. 20. 47. Seleuciani, & Proclinitæ, apud Philaſtrium, aliique plures apud Voſſium diſput. XII. Th. I. num. 3. Recte Juſtinus in Expoſit. Symboli ait hanc reſurrectionem *non ſolum a gentilibus, ſed etiam ab hæreticis impugnari*. Movet me tanta adverſariorum pervicacia ad

vindi-

vindicandum hoc loco Catholicum dogma demonſtrando futuram eſſe reſurrectionem, & idem corpus reſtituendum animæ ſuæ, licet diverſis affectionibus præditum. Leget autem, qui plura deſiderat, Tertullianum de Reſurrect. Carnis, S. P. Auguſtinum lib. xx. de Civ. D. cap. 6. 7. 14. 20. 21. lib. xxii. cap. 5. & ſeqq. ſerm. 240. & duobus ſequentibus, Friderici Nauſeæ Epiſcopi Viennenſis tres libros de Reſurrect. Eſtium, aliosque Scholaſticos in diſt. 43. libri quarti, Voſſium quoque citata diſput. xii. & xvii. Nos ſatis eſſe arbitramur tria, quæ proxime ſequuntur, aſſerta.

Aſſero primum futuram eſſe corporum Reſurrectionem, quod probo auctoritate utriuſque teſtamenti, Patrum traditione, confutatione Gentilium, & ratione Theologica. Et loca quidem prioris teſtamenti afferenda ſunt adverſus ſubmoroſos quoſdam Recentiores, qui etſi Reſurrectionem fateantur, negant hanc evinci ex libris legis veteris. Jobus enim xix. 25. ait, *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, &c.* Pſalmus xl. 9. *Nunquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat?* & ciii. 29. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*: de quo loco plura adverſus Sadducæos R. Manaſſes Ben Iſrael in lib. de Reſ. mort. Eſaias xxvi. 19. *Vivent mortui tui; interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate qui habitatis in pulvere.* Ezec. xxxvii. 12. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de tumulis veſtris, popule meus: & ſcietis quia ego Dominus, cum dedero ſpiritum meum in vobis, & vixeritis, &c.* Daniel xii. 2. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Oſeas denique xiii. 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua o mors, morſus tuus ero inferne.*

Mercerus, Grotius, Voſſius, Manaſſes Ben-Iſrael, & Rabbinorum complures negant reſurrectionem probari ex cap. xix. Jobi, ob diverſum ſenſum quem exhibent hebræa, *Scio quod Redemptor meus vivit, & noviſſimo ſurget ſuper pulverem, & poſtquam pellem meam corroſerint hanc, rurſum illa circumdabor.* Ait ergo Job duntaxat, poſſe Deum reſtituere priſtinam formam corpori ejus morbis, vermibusque propemodum exeſo. Verba Eſaiæ, & Ezechielis explicantur a viris doctis de inſperata liberatione Iſraelitarum, qui ob ſummas calamitates mortuis æquiparantur. Reliqua nunquam adverſus Sadducæos ab antiquis Rabbinis prolata ſunt, quod nullam vim ad eos revincendos viderentur habere. Ex veteri itaque Teſtamento minime probatur reſurrectio mortuorum. Imo occurrunt ibidem aliqua, quibus hæc reſurrectio oppugnatur. Nam Pſ. i. 5. legitur: *Non reſurgent impii in judicio*: & lxxvii. 39. *Et recordatus eſt, quia caro ſunt, ſpiritus vadens, & non rediens.* Job reſurrectionem negat cap. xiv. 7. *Lignum habet ſpem; ſi præciſum fuerit rurſum vireſcit, & rami ejus pullulant .... Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus atque conſumptus, ubi quæſo eſt?* Eccleſiaſtes autem cap. iii. 19. inquit: *Idcirco unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio.* Hæc & alia his conſimilia corporum reſurrectionem potius evertunt, quam evincant.

Verum ex adverſo reponimus, ſenſum Jobi optime a Latino interprete expreſſum. Ut enim mittam quod obſervat Didacus a Stunica noſtri Ordinis, Comment. in Job. pag. 306. facile commutari quieſcentes literas, אחרי, nec mirum eſſe, ſi ponitur יקום, *ſurget*, pro אקום, *ſurrecturus ſum*: Vulgata cum hebraico textu non pugnat. Illorum quippe verborum, *Redemptor meus noviſſimo ſurget ſuper pulverem*, ſenſus eſt, inquit in hunc locum Guilelmus Eſtius, *Surget ad ſuſcitandum ſua præſentia mortuos in die judicii, quod ex ſubjectis verbis eſt manifeſtum.* Hanc Eſtii expoſitionem probat etiam Codurcus. Præterea ſi ad Chriſtum Redemptorem textus referatur; annon prædicitur aperte reſurrectio Salvatoris, qui primitiæ fuit dormientium, ut explicat etiam Clarius? Referri autem ad Chriſtum, qui reſurrectione ſua noſtram repromiſit, cum ipſa Lectione hebraica manifeſtum eſt, tum Græca, & Syriaca: quarum una habet, *Scio enim quia æternus eſt, qui me reſoluturus eſt ſuper terram ad reſuſcitandam cutem meam*: altera, *Ego quidem ſcio, quod Salvator meus vivens ſit, & in conſummatione ſuper terram appariturus.* Vide Biblia Waltoniana Tom. iii. p. 41. Denique Jobum non loqui de ſola vermium corroſione, ſed de reſolutione proprii corporis in pulverem, poſt quam ait carnem ſuam jam contritam, macieque ſolutam fore reſuſcitandam, tria commata oſtendunt: primum eſt, ואחר עורי נקפו זאת, *Et poſtquam pellem meam contriverint hanc*, ubi non ſolam cutis corroſionem, ſed omnimodam corporis corruptionem demonſtrat verbum נקף, quod eſt *confringere, occidere, excutere*: unde Anglorum verſio apud Sixtinum Amama in Antibarbaro eſt, *Etiamſi poſt pellem meam, hoc corpus deſtruant*; & Scholia Genevenſia, *Quand meſmes il me reduiroit a plus grand extremité, & que je ſeroy du tout conſumé.* Itaque ex ipſa Novatorum expoſitione Job non ſolum ſperabat reſtaurationem cutis, ſed & reſurrectionem corporis penitus conſumpti, & emaciati. Alterum eſt illud, יקום על־עפר, *ſurget ſuper pulverem*, quod volunt ad Redemptorem referri. At עפר, non cutem diſruptam atque corroſam ſignificat, ſed *terram, minutumque pulverem*; ideoque ſenſus eſt, potentia Domini non ſolum corroſam carnem reſtituendam, ſed etiam ſuſcitandum corpus, poſteaquam redierit in pulverem. Tertium eſt, אחזה אלוה, *Videbo Deum meum*; nam חזה, non eſt experiri divina beneficia corporis ſanitate, ſed *videre, mente intueri, & contemplari*, & conſequenter exprimitur viſio Dei, *in carne ſurrecturis repromiſſa*. Atque ita ex hebraico textu, quem tam mirifice extollunt Sectarii, comprobatur ſenſus Vulgatæ. Niſi ergo Mercerus, Grotius, Amama, Voſſius, & alii ſubſcribere velint Auguſtino, qui libro xxii. de C. D. cap. 29. ait, *Job, ſicut in exemplaribus, quæ ex hebræo ſunt, invenitur, reſurrectionem carnis ſine dubio prophetavit*; audiant ſaltem commilitonem ſuum, Sebaſtianum Munſterum ſcribentem in hunc locum, *Aperte adſtruitur reſurrectio mortuorum*: & quod hic habet Caſtalion, *Chriſti reſurrectio, quam hominum reſurrectio ſequetur.*

Saltem Prophetiam Ezechielis non poſſe accommodari ſoli Iſraelitarum reſtitutioni probat Manaſſes Ben-Iſrael, quia Propheta collectionem populi ibidem prænuntiat parabola duorum lignorum, in quorum uno ſcriptum erat nomen Ephraim, in altero Juda: & quia manifeſte ſepulchra, cadavera, & ſpiritus vitæ ibidem commemorantur. At dum tam ab Eſaia, quam ab Ezechiele annuntiari reſtitutionem regni Iſrael ſub reſurgentium oſſium imagine: conſequitur etiam ipſam reſurrectionem futuram eſſe; quoniam, ut ait in hunc locum Hieronymus, *Nunquam poneretur ſimilitudo reſurrectionis ad reſtitutionem Iſraelitici populi ſignificandam, niſi ſtaret ipſa reſurrectio, & futura crederetur: quia nemo de rebus non extantibus incerta confirmat.* Idem demonſtrat Tertullianus de Reſurrect. Carnis cap. 30. & 31. Danielis verba, ut obſervat S. P. Auguſtinus lib. xx. de C. D. cap. 23. confirmantur a Chriſto Joannis v. 29. & verba Oſeæ repetuntur ab Apoſtolo 1. ad Corinth. xv. 55. & utrobique aptantur reſurrectioni, unde nequeunt niſi impudentiſſime aliter exponi.

Cur Sadducæi refutati non fuerint hiſce Propheticis teſtimoniis in cauſa eſt, quod quinque libros Moſis reciperent, rejectis Prophetis: *Taceo* (inquit Tertull. de Præſcript. cap. 45.) *Judaiſmi hæreticos, Doſitheum Samaritanum, qui primus auſus eſt Prophetas, quaſi non in Spiritu ſancto loquutos repudiare: taceo Sadducæos, qui ex hujus erroris radice ſurgentes auſi ſunt ad hanc hæreſim etiam reſurrectionem carnis negare.* Et Hieronymus in cap. 22. Mat. *Sadducæi*, inquit, *quinque tantum libros Moyſis recipiebant, Prophetarum vaticinia reſpuentes.* Id negat Clericus in Proleg. H. E. ſect. 1. cap. iii. n. 9. quia nuſquam a Chriſto, & Apoſtolis, nuſquam a Joſepho hoc flagitium Sadducæis exprobratur. At Ger. Voſſius diſp. x. num. 7. ait aſſertionem Tertulliani, & Hieronymi veriſſimam eſſe, Scaligerum, quem ſequitur Clericus, duci argumentis haud ſatis firmis, conſentire hac in re veteres & recentiores, Flavium quoque Joſephum lib. xiii. cap. 18. & Joſephum Gorionidem lib. iv. H. cap. 6. Addamus nonnulla. R. Simon Ben Johay refellit Sadducæos ex Gen. iii. 9. In Jalkut revincuntur ex Gen. xxxvii. 10. Rab-Mehir illos confutat ex cap. xv. 1. Exodi. Gamaliel ex Deut. iv. 1. Raba ex Deut. xxxiii. 6. Collegit omnia Manaſſes Ben-Iſrael in libro de Reſurrect. Mortuorum: nos hæc Rabbinorum argumenta nimis abſtruſa relinquimus ſtudioſis: & hinc inferimus Sadducæos præſertim ex Pentateuco a Rabbinis refelli, quod ſolos Moſis libros ſummo honore dignarentur, reliquos aut abjicerent, aut ſaltem pro Canonicis non haberent.

Neque dogma Catholicum ullo contrario textu oppugnatur. Nam Pſalm. i. *reſurgere* idem eſt ac *juſtificari, conſiſtere, non erubeſcere*: ac ſenſus eſt, impii non juſtificabuntur Deo judice, confundentur, cauſa cadent. Pſal. lxxvii. demonſtratur vitam hominis, ad inſtar venti, eſſe brevis ævi, per ſe ſtatim recedere, nec redire, niſi divinitus, voluptuoſam hanc vitam cito deperdi, & in puncto cum ſumma calamitate commutari, nullam ex gehennæ ſupplicio redemptionem ſperandam. Jobus reſurrectionem non denegat, ſed ibidem v. 12. futuram ait poſt cælorum tranſitum, & conſtitutum tempore: ne repetam exquiſitum teſtimonium cap. xix. abunde a falſis interpretationibus vindicatum. Eccleſiaſtæ denique ſenſus eſt, nil mirum ſi in hac vita boni non diſcernuntur a malis, cum vix diſcrimen ſit homines inter ac pecudes, dum ſimul prodeunt in lucem, ac ſimiliter diſſolvuntur in pulverem: bonorum præmium manere poſt mortem; & Deum tandem, uti habetur in fine libri, omnia adducturum in judicium. Vide 1. Volum. p. 304.

In novo Teſtamento apertiſſime carnis reſurrectio prænuntiata eſt. Matth. xxii. 31. *De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt a Deo dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Joan. v. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei: & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in reſurrectionem judicii*: & Martha Joan. xi. 24. *Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.* Act. xxiv. 15. Paulus Felici præſidi pro-

fitetur

Digitized by Google

ſtetus credi a ſe, *Reſurrectionem futuram juſtorum, & iniquorum*. Luculenter ibidem Paulus in 1. ad Corinth. xv. hoc demonſtrat I. ex reſurrectione Chriſti verſu 12. *Si autem Chriſtus prædicatur quod reſurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* II. ex veritate Apoſtolicæ prædicationis ac fidei, verſu 14. *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra*. III. ex quo, niſi reſurrectionis & melioris vitæ ſpes ſupereſſet, Chriſtiani forent omnium mortalium miſerrimi, verſu 19. *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. IV. ex comparatione Adæ v. 22. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*.

Traditionem Catholicorum Patrum nemo unus negabit. Polycarpus apud Euſebium lib. iv. H. Eccl. 15. morti proximus ait: *Benedico te, qui me in hunc diem, & ad horam hanc perducere dignatus es, ut partem caperem in conſortium Martyrum, & in calice Chriſti tui, in reſurrectionem vitæ æternæ, animæ ſimul & corporis in incorruptione Spiritus Sancti*. Juſtinus reſurrectionem aſſerit in 2. Apologia. Athenagoras & Tertullianus de hoc argumento libros integrum conſcripſerunt. Irenæus futuram reſurrectionem probat libro v. adverſus hæreſes. S. Pater Auguſtinus exquiſite hanc quæſtionem adverſus Gentiles pertractat in locis ſuperius laudatis, quod & præſtant alii Patres, Ambroſius lib. 2. de fide, Theodoretus lib. v. H. fab. cap. 19. &c.

Facillimum eſt Sadducæos & Gentiles refutare opponentes hanc reſurrectionem eſſe impoſſibilem. Ac 1. Auguſtinus xxii. de C. D. cap. 5. ingenioſe demonſtrat, id cum jam credatur ab univerſo fere mundo, non eſſe incredibile. 2. Juſtinus in Apologetico demonſtrat non eſſe cenſendum impoſſibile Deo, quod eſt impoſſibile alicui; ſicut naturæ impoſſibile eſt ſine ſemine animant producere, quod tamen potuit Deus. 3. Scholaſtici demonſtrant illum, qui compoſitum produxit ex nihilo, a fortiori poſſe illud reſtituere diſſolutis quidem principiis, ſed remanentibus. 4. Fridericus Epiſcopus Vienneuſis probat poſſibilitatem reſurrectionis ex quo Elias ſuſcitarit filium viduæ Sareptanæ, Eliſæus filium Sunamitidis, Chriſtus adoleſcentulum Naimi, puellam filiam Jairi, & Lazarum quatriduanum, Petrus Tabitham, Paulus Eutychum: quos olim ſuſcitatos ſacri libri commemorant. 5. Nec ſapientes Ethnici id impoſſibile crediderunt; cum ſuſcitatum Armenium quemdam ſcribat Plato in x. de Republ. Valerius Max. lib. 1. c. 8. Plutarchus Sympoſ. ix. 5. Macrobius, ac Tullius in Som. Scipionis. Reſuſcitatam mulierem ſcribunt Heraclides Ponticus in libro de Exanimi, Diogenes Laertius in Empedocle, Galenus vi. de locis affectis, Plinius lib. vii. c. 52. Idem accidiſſe Ariſtæo narrant Herodotus in Melpomene & Plutarchus in Romulo: quas fabulas literis non mandaſſent, ſi incredibiles exiſtimaſſent, ut inquit Grotius lib. ii. de Verit. Relig. Chriſt. cap. vix. Vid. Æneam Gazæum in Theophraſto Tom. viii. Bibl. PP. plura Gentilium teſtimonia proferentem. 6. Nequit in dubium revocari Chriſti reſurrectio, ut demonſtro lib. xxv. cap. 10. neque id negat ex Judæis Joſephus lib. xviii. Antiq. cap. 4. R. Jehuda in libro Arcanorum citato ab Huetio Dem. Evang. Prop. ix. cap. 142. & R. Bechai apud H. Grotium. 7. Omnes Platonici affirmarunt abſtruſiora, opinantes Juſtorum animas factas oblivione veterum miſeriarum, poſtquam cum diis requieverint, velle reverti ad corpora corruptibilia; quod, ut Auguſtinus obſervat ſerm. 143. de Temp. nunc 241. horruit etiam Virgilius dum sit 6. Æneidum Anchiſi aſſerenti redituras ad corpora animas illuſtrium Romanorum, reſpondiſſe Æneam admiratione perculſum:

O Pater, an ne aliquas ad cælum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas, iterumque ad tarda reverti
Corpora?

Opponebat Porphyrius, omne corpus fugiendum eſſe: ſed S. P. eodem ſermone illum revincit, ex quo idem Porphyrius crederet mundum animal magnum præditum intellectu, & anima, quam appellabat aut Jovem, aut Hecatem. *Si ergo*, ait Auguſtinus, *æternus mundus, & ſine fine manet mundus, & animal eſt mundus; anima iſte ſemper tenetur in mundo. Quid eſt quod dicebas, Corpus eſt omne fugiendum? Ego dico beatas animas incorruptibilia corpora ſemper habituras. Tu qui dicis corpus omne fugiendum, occide mundum. Tu dicis, ut fugiam de carne mea; fugiat Jupiter tuus de cælo & terra*.

Platonicos vero negantes terrenum corpus poſſe conſiſtere in cælo refutamus 1. quia ſi aves levitate pennarum portantur in aere, poſſunt quoque divina virtute in cælis immortalia corpora permanere. 2. quia etiam homo ſine pennis, cum ſit terrenus, carpit vitam de ſuperiori elemento. 3. quia aut Dei, aut dæmonis virtute Veſtalis virgo aquam continuit in cribro. 4. quia & imbres antequam in terram decidant, pendent in nubibus. 5. quia ſi plumbum ab artifice accipit formam, qua natet ſuper aquam, poteſt omnipotens corpori humano talem qualitatem concedere, qua feratur in cælum. His exemplis refellit Platonicos opponentes corporum gravitatem magnus Auguſtinus lib. xxii. de C. D. cap. 11. & ſerm. 147. de Temp. nunc 242. Adde dotes corporis glorioſi, de quibus infra.

Nulla ergo contraria argumentatione mortuorum reſurrectio concutitur; eamque etiam ipſa ratio ſuadet. Spectata enim divina retributione, ut anima ſimul & corpus moralia opera exercent, licet illa tamquam cauſa princeps, hoc tamquam inſtrumentum, ita debet utrumque pro ſuæ conditione aut præmium aut ſupplicium referre. *Caro* (inquit Tertullianus de Reſurr. cap. 7.) *dum miniſtra, & famula animæ deputatur, conſors, & cohæres invenitur; ſi temporalium, cur non æternorum?* Et Æneas Gazæus paullo ſupra laudatus, *Quo pacto juſtum non erit animæ bonis ad corpus frui, cujus in adverſis rebus ſocietatem nunquam declinavit?* Vide & Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Corinth. Hom. 38. & 39. Accedit argumentum Apoſtoli petitum ex comparatione Adami cum Chriſto. Illud urget Tertullianus eodem libro cap. 48. Prætermitto argumentationem depromptam ex Apoſtolorum ac Martyrum tolerantia; quam adhibet idem Apoſtolus verſu 32. præcitati capitis xv. verſatque eleganter Auctor Reſponſionis ad objecta Græcorum inter Opera S. Juſtini. Hactenus autem primum aſſertum ſatis, ut arbitror, confirmatum eſt.

Deinde affirmo reſurrectionem futuram in eodem corpore, quod morte diſſolvitur: atque id proxima argumenta corroborant. I. Ipſo Reſurrectionis vocabulo oſtenditur, quod excidit, hoc reſurgere. II. Mortuos, qui in monumentis audient vocem filii Dei, nemo, inquit Tertull. cap. 37., poterit interpretari niſi corpora & carnem, quia nec ipſa monumenta aliud ſunt, quam cadaverum ſtabula. III. Chriſtus, ut Ambroſius lib. 2. de Sacram. cap. 6. invenit reſurrectionem, *ut redintegraret cæleſte beneficium, quod fraude fuerat ſerpentis amiſſum*; ideoque reſtituendum eſt idem corpus, quod ablatum eſt morte. IV. Non omnes reſurgentes immutabuntur, ut docet Apoſtolus eodem cap. verſ. 51. quoniam multi in ictu oculi requieſcent, & reviviſcent, ait S. P. Auguſtinus lib. xx. de C. D. cap. 20. Si autem hi in proprio corpore ſurgent, cur non alii? V. In reſurrectione Chriſti, & Lazari, quæ ſunt typus univerſalis, ſuſcitatum idem corpus membrorum contactu, epuliſque probatum eſt. VI. Hoc, non aliud corpus efficit quæ animus cogitavit, ideoque & illud aut pœnæ reſervatur, aut gloriæ.

Mirum quanta hoc loco objiciunt increduli! Primo, inquiunt, ſi corpus in cineres reſolutum eſt, quomodo iterum coagmentabitur? Deinde quædam corpora mare deglutivit, quædam vorarunt feræ ac piſces, & in membra & carnem aliorum animantium converſa ſunt. Præterea cui bono ſuſcitatio abortivorum fœtuum, atque monſtrorum? Rurſus ſi ulterius non erunt nuptiæ, & concubitus, cur reſurgent fœminæ? Ad quid ſexus diſcrimen? Num ut flectat ad libidinum oblectamenta? Inſuper ſi idem ſurgat corpus, habebit pilos, ungues, humores excrementitios, & ſanguinem; quæ iterum inducent corruptionem, ac mortem. Denique, niſi in altera vita paratæ ſint epulæ turpeſque voluptates, ſuperfluum eſt ad illam corporalia membra avocare.

At reſpondeo hæc omnia revinci ſola fide in ſummam Dei poteſtatem. Brevi ad ſingula aliquid reponamus. Ad priorum Apoſtolus affert comparationem ſeminis, quod putrefactum humorem circumfuſum attrahit, radices figit, emittit florem, erigit culmum, ariſtas nutrit, reſuſcitatque extinctum jam triticum. *Seminatur corpus animale*, inquit Paulus v. 44., *ſurget corpus ſpiritale*. Mire explicat hanc ſeminis comparationem in ſuo Theophraſto, ſive Dialogo de Reſur. mort. Gazæus. Vide & Tertullianum cap. 52. S. Paulinus de obitu Celſi pueri ſatis appoſite.

Nullus eram & faciente Deo ſum natus ut eſſem,
Nunc jam de proprio ſemine rurſus ero.
Nam licet in tenuem redigantur & oſſa favillam,
Corporis integri ſemina pulvis habet.

Idem dicendum de membris diſſipatis, atque diſperſis. Tertullianus cap. 63. ait carnem *in ſuam matricem terram quaſi per ambages reſorberi, ut rurſus ex illa repræſentetur*. S. Pater Auguſtinus, *Abſit* (inquit de C. D. lib. xxii. cap. 20.) *ut ſinus ullus, ſecretumque naturæ ita recipiat aliquid ſubtractum ſenſibus noſtris, ut omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat poteſtatem*. S. Paulinus ibidem:

Sed licet e membris in humum tranſmiſſa ferinis,
Membra hominum vivo ſemine ſalva manent,

Affirmandum idem eſt de pueris, monſtris, & abortivis anima informatis, quos omnes ſuſcitandos divina poteſtate integris membris, atque ætate perfecta, non eſt incredibile: quoniam, ut ait S. Pater Auguſtinus eodem libro, cap. 14. *Hunc perfectionis modum ſic habent omnes, ut cum illo concipiantur, atque naſcantur: ſed habent in ratione, non in mole; ſicut ipſa jam membra omnia ſunt latenter in ſemine, cum etiam natis nonnulla adhuc deſint*. Fœminas in proprio ſexu reſuſcitandas dicimus, cum eodem Auguſtino ſeq. cap. 17. quia *non eſt vitium ſexus fœmineus, ſed natura*: neque ex fœminarum aſpectu conſequetur oblectamentum libidinis; *nam prius, quam peccaſſent, nudi erant, & non confundebantur vir & fœmina. Corporibus ergo illa vitia detrahentur, natura ſervabitur*; ait ibidem Auguſtinus. Haud vereor, quin S. Patris opinio verior ſit, quicquid viſum aliquibus: aſtipulantur enim illi Tertull. cap. 60.

Am-

Ambroſ. de Reſurrect. Hieronymus Ep. ad Pammachium, Eugenius, & Julianus Tolet. lib. III. Προγνῶ. cap. 24. Scholaſtici fere omnes in IV. ſent. diſt. 44. Porro quod nonnullos movet dictum Matth. XXII. 30. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur*; & ad Rom. VIII. 29. *conformes fieri imaginis filii ſui*, nequit trahi ad fœminei ſexus abolitionem; cum unum de ſexus uſu accipiendum ſit, alterum de immortalitate, & gloria prædeſtinatorum. Humores deſervientes tantum generationi ac nutritioni, nec non excrementitios non adfuturos in corpore reſurgentium ultro aſſentimur. Erunt tamen reliquæ partes, quia licet plures priſtina non exercebunt officia, ut alvi gurges & ubera, ſpectant tamen ad corporis decorem, & complementum. Ita inquit Tertullianus cap. 60. *Omnis compago priſtina neceſſaria eſt ſoli navi ſaluti, licet vacatura*. Recta ergo Prudentius in fine Apoth.

Qui modo vivit, erit: nec me vel dente, vel ungue
Fraudatum revomet patefacti foſſa ſepulcri.

Si opponat quod ait Apoſtolus verſu 50. non ſemel laudati cap. XV. ad Corinth. *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*; Reſpondeo carnem, & ſanguinem eo loci poni ſecundum mortalitatem, ſive carnis & ſanguinis corruptionem; nam ſequitur, *Neque corruptio incorruptionem poſſidebit*: ideſt, ſignificari corpus, quale nunc habemus, fluidum & fragile: ſive etiam intelligi opera carnis & ſanguinis, quamvis de incorruptione loqui Apoſtolum pateſcat ex verbis proximis, & fuſiori explicatione demonſtret ſummum vas ſcientiæ Auguſtinus Epiſt. 146. nunc 205. ad Conſentium. Sed otioſum erit amplius in hac ſecunda theſi verſari.

Tertio loco dicendum eſt de qualitate corporum reſurgentium. Futura hæc incorruptibilia & immortalia, probatur cum ex Apoſtolo v. 52. *Canet tuba, & mortui reſurgent incorrupti*; tum ex fine Reſurrectionis, qui eſt ut qui bona egerunt ſimul cum corpore transferantur in vitam æternam, qui mala in gehennam ac ſempiternum opprobrium, Dan. XII. 2. Matth. XXV. 46. Joan. V. 29. Accedit ratio, quoniam otioſa mors eſſet, ſi in vitam eamdem iterum eſſet redeundum; inquit Æneas Gazæus citato Dialogo, qui inſcribitur Theophraſtus. De futura itaque immortalitate bonis maliſque communi non eſt ullatenus dubitandum.

Non erunt tamen utriſque eædem omnino affectiones. Beatorum corpora comitabitur incorruptio. De hac Apoſtolus v. 42. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione*: & Ambroſius de fide Reſurrect. *Flos reſurrectionis immortalitas eſt*. Conſequetur decor & venuſtas, de qua Apoſtolus v. 43. *Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria*: & ad Philipp. III. 21. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. Affert Gazæus pulchram ſimilitudinem Artificis, qui ſtatuam Achillis æream minutiſſime confractam conflat & expurgat in aurum, & inducta priori forma videtur aureus idem ille Achilles, qui fuerat æreus. Ad gloriam hanc demonſtrandam utuntur ſcripturæ comparatione ignis, ſtellarum, & ſolis, Sap. III. 7. Danielis XII. 3. Matth. XIII. 43. quod hæc corpora fiant ceteris ſplendidiora. Imitabor ego laudabilem moderationem Auguſtini ſcribentis lib. XXII. de C. D. cap. 21. *Quæ ſit autem, & quam magna ſpiritualis corporis gratia, quoniam nondum venit in experimentum, vereor ne temerarium ſit omne, quod de illa profertur, eloquium*. Propterea corpora beatorum mirabili prædita erunt agilitate: de qua Apoſtolus verſu proximo: *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute*. Et S. Pater cap. ultimo ejuſdem libri, *Certe ubi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus*. Iiſdem denique corporibus erit ſubtilitas, quam innuit Apoſtolus verſu 43. dicens, *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale*: quo in loco non ſolum innuitur puritas purgata ab omni labe terrena, & facultas denſos obices permeandi, verum etiam perfecta ſubjectio ſpiritui, unde orietur tranquillitas, impeccantia, & ceſſatio ab operationibus mere animalibus, iis ſcilicet, quæ non ſolum perficiuntur corporeis organis, ſed & ad animalem vitam ſunt neceſſariæ: quamvis perſeverent actus corporei, quos ſine labe exercet ſentiens animus, ut videre, loqui, audire, moveri. Atque hæc eſt interpretatio Auguſtini de Fide & Symb. cap. 6. & S. Thomæ in IV. contra Gentes cap. 86. Ex his conſtat dotes corporum beatorum eſſe carere corruptione, opacitate, pondere, atque craſſitie, quibus afficitur corpus hoc animale.

Objiciebant Gentiles: Si corruptio non erit, quare poſt reſurrectionem manducavit Chriſtus? quare ſurrexit cum ſuorum vulnerum cicatricibus? At magnus Auguſtinus reſpondet, quod manducavit, poteſtatis fuiſſe, non egeſtatis: manducaſſe etiam Angelos incorruptibiles ab Abraham, & Tobia ſuſceptos hoſpitio: exhibitas cicatrices vulneris, ut ſanaretur vulnus incredulitatis. Legatur ſermo 147. de Temp. nunc 242. n. 2. & 3.

Ut de corpore damnatorum dicamus aliqua: Gerardus Voſſius diſp. XIX. num. 28. ait S. Thomam in illud Apoſtoli, *Et mortui reſurgent incorrupti* ſenſiſſe reprobos non reſurrecturos cum illorum corporum vitiis. At falſo, & audacter. Doctor enim Angelicus in loco citato a Voſſio, ideſt, in cap. 15. Epiſt. I. ad Corinthios, lect. 6. ait tantum Sanctos fore incorruptos, non ſolum eo ſenſu, quod illorum anima non dividetur a corpore, *quam incorruptionem habebunt & corpora damnatorum*, ſed etiam quia *nullam habebunt noxiam paſſionem ſive ab interiori, ſive ab exteriori*. Libro autem IV. contra Gentes cap. 89. ubi hanc quæſtionem diſſolvit, principio ait verba Apoſtoli, *Mortui reſurgent incorrupti*, de omnibus debere intelligi *tam bonis, quam malis*: ideoque & ipſe cum Hieronymo, quem illi immerito opponit Voſſius, verba Apoſtoli interpretatur de ſtatu immortalitatis. Deinde S. Thomas ait, quod corpora damnatorum non erunt ſpiritualia, ideſt ſpiritui ſubjecta: non agibilia, ſed ponderoſa: non impaſſibilia, ſed magis, quam nunc ſint, obnoxia paſſionibus; non luce perfuſa, ſed tenebroſa & opaca: optimamque rationem profert, quia & reproborum anima experietur carnis affectus, averſa erit a Deo, acerbiſſime excruciabitur, & a lumine divinæ cognitionis erit aliena. Quare Voſſius & in hoc iniquus eſt, quod S. Thomæ præfert Durandum ſcribentem in IV. diſt. 44. art. 6. reprobos enim iiſdem vitiis corporum ſurrecturos; quum hac in re Durandus Magno Aquinati non diſconveniat. Eidem nos pollice utroque ſubſcribimus. Atque hæc eſt noſtra *de Reſurrectione carnis* diſſertatio: de qua ſi videmur pingui minerva, & jejuna oratione dixiſſe, adeat Theologus Patrum, & Scriptorum, quos in hoc articulo laudavimus, ornatas fuſaſque lucubrationes.

XII. ARTICULUS.

Ultimus articulus eſt, *Vitam æternam*. Non explicat hunc articulum Rufinus, nec Venantius Fortunatus: vel quia in eorum ſymbolis deſit, vel quia ex prædictis obviam habeat intelligentiam. Neque nos hic immorabimur. In quo ſita ſit vita æterna ſanctorum diximus ſuperiori libro c. 6. nunquam poſt mortem corpora interitura dictum eſt articulo præcedenti; perpetuas pœnas damnatorum oſtendimus lib. X. cap. 17. Circulum ac transmigrationem animorum refutavimus libro XII. capite 6. Nunc duobus verbis damnamus Epicureos negantes animæ immortalitatem, Pythagoricos aſſerentes reditum, ſinemque perpetuum vitæ, & interitus, Gnoſticos inficiantes remunerationem meritorum, Origeniſtas ſtatuentes finem exilii, ſuppliciique reproborum. Verbo dicam; credimus Evangelio Mat. XXV. 46. *Et ibunt* (impii) *in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*: in quem locum Juvencus:

Æternam miſeri pœna ſodientur iniqui,
Æternumque ſalus juſtis conceſſa manebit.

Digitized by Google

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS TERTIUS,

De Theologalium Virtutum natura, atque exercitatione.

FACILE ex præmiſſa Symboli Apoſtolici expoſitione conjicitur nihil eſſe Chriſtiana fide præſtantius, nihil utilius; quoniam divina illius claritate perfuſi, quæ nec Athenienſium philoſophorum aſſidua contemplatio, nec idololatrarum gentium excogitavit religio, divini cultus præcepta, morum inſtitutiones, virtutum officia, & firmiſſimam atque inconcuſſam Theologicorum dogmatum doctrinam abſque ulla erroris caligine aſſequimur, tradimus, propugnamus. Sed cum ſit miſerrima illorum hominum conditio, quibus aut non affulget hujuſce fidei ſupernum lumen, aut ſponte ſedentibus in tenebris & umbra mortis ineſt pœnalis cæcitas, animique increduli ſordes ac dedecus; illorum tamen deterrima via, ac ſuprema malitia eſt, qui fidem non conſummantes operibus, nec poſito fundamento ſuperædificantes probatæ dilectionis aurum, & pretioſos piorum operum lapides, theſaurizant ſibi iram in futuro, amittunt ſperandarum rerum ſubſtantiam, nec adhibent omnem curam, ut peregrini & hoſpites ſuper terram ad Civitatem, cujus artifex & conditor Deus, indeſeſſo labore, invictoque ſtudio contendant. Ab iis enim, quibus ampliora collata ſunt beneficia, uſque ad minimum quadrantem reddendam eſſe rationem docent Evangeliorum parabolæ, commonſtrant diſperſæ Judæorum reliquiæ, flagitat, acriterque poſtulat ingratiſſimæ oblivionis meritum ſingulare. Poſteaquam ergo Catholicæ fidei ac religionis munus accepimus, myſteria cognovimus, firmitatem & vidimus & audivimus & contrectavimus; danda eſt opera, ne fides noſtra ſit inanis & mortua, ſed vividæ ſpei, & flagrantiſſimæ caritati conjuncta adipiſcatur repromiſſionem: nec ulterius per ſpeculum & in ænigmate, ſed ablato velamine, & facie ad faciem, quod firmiſſime credimus, atque expectamus, mente apertiſſime intueamur, corde jucundiſſime deguſtemus. Hujus rei gratia quomodo credendum ſit, quomodo ſperandum, quomodo diligendum proxima diſſertatione explicabo, divinæ Sapientiæ, quæ pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei mater eſt, nomine ſuppliciter demiſſeque implorato.

CAPUT I.

Quid ſit illa virtus, per quam prædictis, ceteriſque Eccleſiaſticis dogmatibus præſtatur aſſenſus.

SYMBOLO, & Orthodoxæ Religionis cuilibet veritati adeo firmiter aſſentimur, ut, quamquam ſenſum omnem humanum excedant, magis inconcuſſa & conſiſtentia credamus, quam ea, quæ aut tangimus, aut videmus. Id virtutis, quam *Fidem* dicimus, effectus eſt: & de hac virtute differentes, nomen, definitionem, & objectum quanta fieri poteſt perſpicuitate ac brevitate inquiremus.

A nomine ut ordiamur, dicta eſt fides *a Fio*, quod fiat, quod dictum eſt, inquit in 1. de Off. Tullius. Eo nomine ſignificantur apud Latinos conſtantia promiſſorum, patrocinium & clientela, auctoritas, fiducia, veracitas: unde conſuetum eſt dicere, fidem interponere, fidem liberare, in fidem & amicitiam ſe conferre, fidem fallere, fidem tribuere. Etiam Gen. xliv. 32. Judas de Benjamin ait: *In meam hunc recepi fidem*; ſignificans promiſſionem factam patri illum reducendi: & de vadimonio, aut fidejuſſione Prov. xi. 15. *Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo*. Hic autem fidem accipimus pro illa animi qualitate, qua firmiſſime, & abſque ulla fluctuatione aſſentimur iis, quæ a Deo revelata ſunt; de qua Gen. xv. 6. *Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*; & ad Hebræos xi. 6. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo*.

Hanc fidem definit Apoſtolus cap. citato verſu 1. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Eraſmus putat hic fidem laudari, non definiri. Juenin Tom. vi. pag. 163. ait hanc eſſe definitionem deſcriptivam, non eſſentialem: L'Herminier pariter Tom. viii. p. 34. ait definitionem hanc eſſe minus accuratam; quod probat primo quia Apoſtolus non explicat naturam fidei per genus & differentiam, quod enim dicatur ſperandarum rerum ſubſtantia, in hoc certe commendatur fides, non definitur: quum idem ſit, ac baſis, & fundamentum ſpei Chriſtianæ. 2. quia fides non ſe extendit ad res ſperandas tantum; fide enim credimus etiam infernum, quem timemus. 3. quia fides non modo verſatur circa inevidentia, ſed & circa res evidentes, puta Dei exiſtentiam, & immortalitatem animorum. Accuratam ergo hi putant ſolam definitionem illam ſcholaſticam: *Fides eſt virtus divinitus infuſa, per quam intellectus firmiter aſſentitur iis, quæ a Deo revelata ſunt, propter ipſius revelantis auctoritatem*.

Etſi vero Apoſtolus definitionem verbo tenus non tradat more Dialecticorum; ſi tamen ſenſum inſpiciamus, definitionis utriuſque eadem vis eſt; & Apoſtolica longe ſublimior, & accuratior. Græce ad hunc modum ſe habet, Ἔςι δὲ πίςις *ἐλπιζομένων ὑπόςασις*. Hypoſtaſis, ſive ſubſiſtentia, aut ſubſtantia dicitur fides triplici titulo: primo quia adeo firmam rerum ſperandarum perſuaſionem gignit, ut iis tam firmiter aſſentiamur, ac ſi jam ſubſiſterent, ac præſentia ante oculos noſtros obverſarentur. Subſtantia ergo dicitur metonymice, ſive per transnominationem, quaſi dicatur *Virtus faciens ſubſiſtere in intellectu*. Hanc interpretationem tradunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius, aliique Græcorum, necnon Eſtius, ac Tirinus, & nos etiam alibi. Quidquid ergo Scholaſtici allata definitione expreſſere, id affirmavit Apoſtolus uno vocabulo *hypoſtaſis*. Hujus vocis altera ſignificatio eſt, quod fides ſit ſpei noſtræ *baſis ac fundamentum*: atque juxta hunc ſenſum communiter traditum intelligimus virtutem fidei, quæ ſalutis initium eſt, non eſſe fiduciam illam, quæ eſt actus ſpei, atque fidem præexiſtentem ſupponit. Tertio apud Lyranum fides dicitur *ſubſtantia*, quoniam eſt inchoatio beatitudinis, & quemadmodum ſubſtantia eſt in rebus qualitatum omnium ſubſtratum, ita fides eſt prima virtus infuſa, cui aliæ ſuperadduntur. Nomine *rerum ſperandarum*, intelligitur fidei objectum, Deus primum, in quem tendimus, gloriam, reſurrectionem; & ne quis putet hæc tantum eſſe credenda, addit Apoſtolus: *ἔλεγχος ὀυ βλεπομένων*, *argumentum non apparentium*. Ἔλεγχος non ſolum eſt *indicium*, ſed etiam *firma perſuaſio, & aſſenſus firmiſſimus*: ideoque ſenſus eſt, ſicut in dialecticis eſt Elenchus, ſive oratio explorandi argumenta, unde pendet ſcientiæ firmitas, ita in credendis fides eſt illa, per quam habetur certa probatio eorum, quæ non apparent, nec movent ſenſum.

Reſpondemus itaque negantibus accuratam eſſe definitionem Apoſtoli, in ea vocem *hypoſtaſis* accipiendam metonymice, ideoque non tantum ſignificare Chriſtianæ ſpei fundamentum ac baſim, ſed etiam virtutem, ac ſupernaturalem qualitatem, quæ cauſa eſt firmiſſimæ illius perſuaſionis, per quam revelata myſteria menti noſtræ conſtantiſſime inhærent. Eſt enim *ſubſtantia* metonymice idem ac virtus, & cauſſa, quæ facit ſubſiſtere. Ad 2. dicimus, ideo Apoſtolum addidiſſe *argumentum non apparentium*, ut demonſtraret, plura ad fidem ſpectare, quæ non ſperantur, eaque omnia, quæ revelata ſunt, & non apparent. Ad tertium vero reſpondemus immortalitatem animorum, exiſtentiam Dei, & alia nobis evidentia, ſpectare ad fidem in quantum creduntur ob ſolam divinam revelationem, etiam ab iis qui demonſtrationis vim non percipiunt, non in quantum a nobis certo argumentorum genere comprobantur.

Ex dictis ſequitur aſſenſum fidei eſſe firmiſſimum; per quod ab opinione, quæ penitus non excludit animi hæſitationem, ſecernitur. Quæri ſolet an hujuſmodi aſſenſus ſit liber, an ſupernaturalis, an diſcurſivus. Si enim articuli fidei, & Religionis Chriſtianæ rudimenta, ut diximus cap. 3., evidentiſſime ſunt credibilia, quomodo poſſumus, dum explorata ſunt credibilitatis motiva, cohibere aſſenſum? cur autem voluntas gratiæ munere trahenda eſt, dum ineſt menti immutabilis perſuaſio, Deum hæc revelaſſe, & non poſſe mentiri? quid vero in hujuſmodi aſſenſu eliciendo opus eſt ratiocinatione, ac diſcurſu?

Reſpondemus aliam eſſe evidentiam divini teſtimonii divinæque revelationis, aliam evidentiam objecti & rei revelatæ. Evidens nobis eſt, Deum nec falli nec fallere; inſtitutam ab ipſo Apoſtolicam Eccleſiam, hanc ejus ſpiritu duci, certiſſimum proinde eſſe quidquid ea proponit, puta Trinitatem, Incarnationem, Euchariſtiam. At hæc obſcura ſunt, ac tenebris obvoluta; ſenſum enim ſubterfugiunt,

piunt, & ſupergrediuntur rationem, nec ad ea inveſtiganda poſſumus in hac peregrinatione pertingere. Itaque aſſenſus fidei eſt liber, quoniam licet exploratæ ſit auctoritas revelantis, non eſt evidens objectum, ſed impervium, reconditum, obſcuriſſimum. Eſt etiam ſupernaturalis, tum ratione revelationis, quia nullo quantumvis perſpicuo rationis lumine fidei myſteria Deo non revelante poſſunt apprehendi; tum ratione firmiſſimæ certitudinis, quia hæc nulli naturali momento innititur, ſed Apoſtolicæ prædicationi, miraculorum virtuti, & ſubminiſtrationi Spiritus ſancti: tum denique ratione piæ motionis, quia ad hunc conſtantem firmumque aſſenſum voluntas trahi debet repugnantibus rerum ſenſibilium imaginibus, humani intellectus anguſtiis, ſuperſtitionibus gentium, philoſophorum placitis, & hæreticorum machinamentis. Denique aſſenſus fidei diſcurſivus eſt ſuo modo: quoniam ab evidenti divinæ revelatione mens ad credendam rem latentem inflectitur, atque ex noto exploratoque principio ſubinfert veritatem, quæ nequit ex naturalium ſcientiarum præceptionibus hauriri.

Sequitur etiam ex dictis objectum *materiale* fidei eſſe omnem veritatem a Deo revelatam, ſive ad credendum propoſitam: quæ ſi inevidens ſit, & excedat ſenſum humanamque rationem, cujuſmodi eſt Trinitatis Myſterium, eſt fidei objectum neceſſario ac per ſe, quia niſi revelatum eſſet, non poſſet a nobis extorquere certum & conſtantem aſſenſum: ſi autem ſit aliunde evidens, ut Dei exiſtentia; eſt objectum fidei tantum per accidens, & in quantum ei præſtatur aſſenſus propter auctoritatem Dei revelantis, quum tamen firmiſſime ea veritas per naturalem quoque philoſophiam comparetur, & attingatur. Atque hinc liquet prorſus inutilem eſſe eam quæſtionem, an quod evidens eſt, poſſit ſubeſſe fidei, ſive, quod idem eſt, an fides conſiſtat cum evidentia objecti.

Diſputatur in Scholis, an objecta credibilia creverint ſucceſſu temporis. Antiquiores Scholaſtici, Magiſter, S. Thomas, Scotus, Ægidius, & alii tenent fidem quoad ſubſtantiam credibilium ſemper, etiam a mundi exordio, fuiſſe eamdem. Recentiores, ut L'Herminier pag. 167. & Cardinalis de Laurea in 3. Sent. diſput. 3. art. 4. tenent uſque ad Apoſtolos & adventum Spiritus ſancti ſemper per novas revelationes objecta fidei creviſſe, poſt illud autem tempus eamdem ſemper fidem perſeveraſſe. Puto utramque ſententiam veram eſſe, ſed adhibendam diſtinctionem. Si objecta fidei ſecundum ſubſtantiam accepta intelligantur præcipue myſteria, aut explicite, aut implicite ſaltem credenda, eadem ſemper fuere; una eſt enim fides, ſine qua eſt impoſſibile placere Deo, omneſque Patres veteris Teſtamenti eumdem eum nobis ſpiritum fidei habuerunt, ut inquit Apoſtolus: ideoque *tempora variata ſunt, non fides*, ait Tract. 45. in Joannem S. P. Auguſt. Omnes liquidem, ab Adam uſque in Deum, & in futurum Mediatorem crediderunt, etſi non adeo aperte revelata eſſet Trinitas divinarum perſonarum, & Chriſti paſſio ac divinitas, ſed veluti ſemen continet arborem latentem, & poſt temporis intervalla explicandam, primæva illa fides eſſet paullatim exponenda, & inſinuanda mortalium animis.

Si vero objecta fidei accipiantur *explicite*, & veluti rami a ſua radice foras emiſſi, atque inter ſe diſtincti numero; haud dubium, quod ſemper creverint uſque ad Evangelii promulgationem. Plura enim in lege naturæ Abrahamo, Jacobo, aliiſque Patribus revelata ſunt; plura per Moyſen ac Prophetas innotuerunt; plura, quæ ſub cortice veteris legis latebant, & antiquis myſteriis fuerunt promiſſa, ſub Chriſto patefacta ſunt & completa. At non proinde ſubſtantia credendorum immutata eſt, quemadmodum non eſt diverſa ſubſtantia ac materia humani corporis membris nunc perfectis & aſpectabilibus compacti, ab ea, quæ antea occulta & inviſa in maternis viſceribus latitabat, ibique primum fuit indigeſta & informis, poſtea ſuis diſtincta partibus, conſolidata, in lucem edita, enutrita, perfecta.

A temporibus autem Chriſti & Apoſtolorum omnia fidei objecta fuerunt adeo expreſſe, & manifeſte revelata, ut nonniſi contingens & accidentalis mutatio facta fuerit aut particularium rerum eventu, aut ſingularium propoſitionum definitione, ſemper perſeverante eadem perſpicua pleniſſimaque veritate, in qua omnia religionis capita, & univerſalia dogmatum omnium fundamenta certa & inconcuſſa conſiſtunt. Oportebat enim ut Chriſtus Eccleſiam ſuam adverſus omnes hæreſes valide præmuniret, & quemadmodum ſpoponderat, miſſus ab illo Paracletus, Joan. xvi. 13., doceret Apoſtolos *omnem veritatem*. Quare quidquid temporis decurſu aut a Romano Pontifice, aut e plenariis Conciliis ſtatutum eſt, ex Apoſtolica traditione, diviniſque ſcripturis propoſitum ac decernitur. Fruſtra ergo a nonnullis objicitur non ſemper ſpectaſſe ad fidem plura dogmata, quæ nunc refellere nefas eſt; E. G. Epiſtolam Judæ eſſe canonicam, Sanctorum animabus ſtatim poſt mortem conferri gloriam, Sacramenta eſſe numero ſeptem, Papam in factis dogmaticis eſſe infallibilem, Tridentinum Concilium eſſe Œcumenicum, Clementem XII. eſſe legitimum Petri ſucceſſorem; & alia hujuſmodi, quorum alique antiquitus definita non erant, alique etiam ignota. Enimvero propoſitiones univerſales, quas modo tenemus ſpectare ad fidem, ſemper in Eccleſia Apoſtolica obtinuerunt, licet nonnullæ a privatis quibuſdam in dubium fuerint revocatæ, cujuſmodi ſunt, Recipienda eſt doctrina Romanæ Eccleſiæ circa Canonem Scripturarum, circa Beatorum ſtatum, circa numerum Sacramentorum: particulares vero ex univerſalibus deducuntur; ut ex quo Papa ſit fidelium paſtor, & irrefragabilis auctoritatis, ſequitur errare non poſſe in definiendis quæſtionibus ad fidem, moreſque pertinentibus: ex quo œcumenicum ſit omne Concilium plenarium & legitime convocatum, infertur talem eſſe Synodum Tridentinam; ex quo omnis Romanus Pontifex canonice electus ſit Divi Petri ſucceſſor, conſequitur hunc honoris ac dignitatis loco habendum eſſe Clementem XII. Quod pari argumentatione de omni orthodoxa veritate concluditur.

Quodnam ſit objectum fidei *formale*, Theologi non conſentiunt, quibuſdam affirmantibus eſſe ſummam Dei veracitatem, quibuſdam vero divinam revelationem. Movet prioris ſententiæ auctores, quod incommutabilis Dei veritas, ſive Deus ipſe, ut quatenus fallere & falli neſcius eſt, nos ad aſſentiendum propoſitionibus revelatis pertrahat, ideſt, idcirco credimus, quoniam revelantur ab Auctore, qui incapax eſt erroris ac deceptionis. E contra alii inquiunt objectum *formale* eſſe revelationem divinam, quod hæc ſit ratio, ſub qua fides attingit ſuum objectum materiale, & per quam fides a ſcientia & ab opinione diſtinguitur. Sunt qui utramque opinionem conciliant, dicendo ſummam Dei veritatem eſſe objectum formale *quod*, illud nempe quod credendo perpendimus in objecto *materiali*; cujuſmodi eſt color reſpectu potentiæ videntis: & revelationem eſſe objectum formale *quo*, ſcilicet rationem illam, ſub qua virtus fidei objectum proprium attingit, cujuſmodi eſt lux comparate ad facultatem videndi. Placet nobis, omiſſis tot metaphyſicis partitionibus, priorem ſententiam amplecti, & revelationem potius appellare medium, *per* quod nobis ea, quæ credenda ſunt, proponuntur, quemadmodum demonſtratio eſt medium ad acquiſitionem ſcientiæ, & lumen ad viſionem corporum coloratorum. Videtur enim divinam revelationem eſſe potius effectricem cauſſam fidei, quam *formalem*; & ad credendum neceſſariam eſſe, ſicuti requiritur ad inſtituendum puerum præceptor aut pædagogus: quod fortaſſis innuit Apoſtolus ſcribens ad Rom. x. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*: quibus verbis oſtenditur, per Dei verbum, ſive revelationem ad nos Apoſtolica prædicatione tranſmiſſam percipi audita quæ ſunt credenda: ac ipſo auditu fidem in cordibus generari.

Reliquum eſt, ut nonnulla dicamus de fidei diviſione, quæ eſt in fidem *actualem*, & *habitualem*. Et *actualis* quidem eſt ipſe aſſenſus, quem auxiliante divina gratia præſtamus propoſitionibus a Deo revelatis: *habitualis* vero eſt permanens in anima affectio, per quam in eumdem aſſenſum facilius prorumpimus, & fideles dicimus, tametſi non ſemper a nobis actus fidei eliciatur, ſicut per *habitum* gratiæ & caritatis juſti Deoque cari efficimur, & per *habitus* naturalium ſcientiarum philoſophi aut mathematici. Ita hæc fides etiam in pueris ac dormientibus reperitur, & nullo peccato, niſi infidelitatis & hæreſis, deleri poteſt. Jure itaque meritoque a gratia ſanctificante, & a caritate diſtinguitur; & amiſſa per peccatum juſtitia remanet, ut definit Tridentina Synodus ſeſſ. 6. c. 28. Dicitur tamen ſine caritate & ſine gratia fides *informis*, quoniam caritas forma eſt, & perfectio virtutum ceterarum: ideoque ſi fides ab ordine amoris ſejuncta ſit, non eſt talis virtus, quæ reddere poſſit hominem in genere moris perfectiorem, licet adhuc ſit virtus intellectualis inclinans animum ad aſſenſum ſupernaturalium veritatum. E contra fides gratiæ & caritati conjuncta dicitur fides *formata*: quæ nomina licet ſint a Scholaſticis poſt ſæculum XII. adinventa, utiliter retinentur ad refutanda dogmata hæreticorum, adverſus quæ libro undeviceſimo diſceptavimus. Tandem hæc fides quatenus in ipſa juſtificatione cum ſpe & caritate infertur, ut evenit in Baptiſmo, ex Trident. Conc. ſeſſ. 6. cap. 7. appellatur *infuſa*; quatenus repetitis actibus gignitur & roboratur, dicitur *acquiſita*: dum per dilectionem operatur, *viva* eſt; ſine operibus, ut inquit Jacobus cap. II. 26. *mortua eſt*, & quaſi ſine ſpiritu corpus.

CAPUT II.

Non reſolvi aſſenſum fidei in humanam rationem, neque in ſolam Scripturam, neque in privatum ſpiritum, internamque ſingulorum hominum perſuaſionem, ſed in auctoritatem Eccleſiæ ea, quæ credenda ſunt, definientis ac proponentis.

QUÆSTIO, quam pertractant omnes Scholaſtici, de fidei reſolutione, & analyſi, ſi a controverſiis, quæ inter nos, hæreticoſque verſantur, abſtineremus, aut contentioſa eſſet circa verba altercatio, aut inutilis prorſus, & compendio expedienda rei ſatis apertæ definitio. Ego enim omnia, quæ ad fidem animo inferendam concurrunt, breviter repetens animadverto me adductum

motivis

motivis efficaciſſimis ad credendum; religionem Chriſtianam, ſive congregationem fidelium ſub Romano Pontifice Chriſti cultum ac legem profitentium eſſe divinitus inſtitutam, & in doctrina & morum inſtitutione immaculatam, ejuſque præcepta eſſe rectiſſima atque inconcuſſa, propterea quod auctorem habeant ipſum Deum, ac primam incommutabilem veritatem. Quare illud conſtantiſſimo aſſenſu probo, quod mihi per Rectorem ſuum Eccleſia ipſa, tamquam divinitus traditum, credendum exhibet. Ipſa vero Eccleſia ne in fidelium ſuorum regimine ſubjiciatur errori, popter promiſſam ſibi divini Spiritus aſſiſtentiam, quam gravi qualibet controverſia emergente ſuppliciter invocat, tenet dijudicandorum regulam invariabilem, Scripturam nempe divinam & Apoſtolicas traditiones. Reſolvitur ergo fides in motiva credibilitatis, tamquam in præviam quamdam diſpoſitionem, quæ neceſſaria eſt, ut certus ſim de veritate revelationis divinæ, nec imprudenter, & levi corde iis, quæ mihi proponuntur, aſſentiar; reſolvitur in auctoritatem divini teſtimonii, tamquam in objectum fidei *formale*, cujus cauſſa præſtitus aſſenſus redditur præ omni alio fixus ac ſtabilis: reſolvitur in divinam revelationem, tamquam im medium, per quod ea quæ credenda ſunt Eccleſiæ innoteſcunt: reſolvitur denique in auctoritatem Eccleſiæ, tamquam in cauſſam proponentem, ideſt, tamquam in vivum Judicem, ad quem ſpectat de fidei quæſtionibus ſententiam pronuntiare. Atque ita Scholaſtica diſputatio de Reſolutione fidei, quæ alioqui videtur implexa, inter Catholicos nullo negotio dirimitur, ſi hæc accurate diſtinguantur, motiva credendi, objectum, ut inquiunt, *formale*, Judex credenda proponens, & regula, ſive criterium ab ipſo Judice adhibitum, nimirum Dei verbum ſcriptum, ac traditum.

At non adeo facile hæc quæſtio expeditur, ſi adverſus hæreticos diſputamus. Horum enim aliqui nulla Eccleſiæ, ac divinarum Traditionum ratione habita, totum fidei ſtabilimentum in humana ratiocinatione conſtituunt, aſſerentes nihil eſſe credendum, niſi quod rationi conſentaneum eſt, obvium, ac manifeſtum; adeo ut nemo debeat altitudine myſteriorum terreri, nec fides ante rationem ſit imperanda, ſed credendum ſit duntaxat diſcuſſa, & enodata veritate. Hi ergo fidem, tamquam in regulam dijudicandi, in ſolam rationem reſolvunt; eaque de Scripturis divinis, earum ſenſu, ceteriſque fidei capitibus neglecta alterius Judicis ſententia definiunt. Hujus generis fuerunt olim Manichæi, de quibus S. Pater lib. de util. credendi cap. 1. His acceſſit Abaelardus, ut ſcribit ad Innocentium S. Bernardus Epiſt. 190.: poſtea eadem veſtigia calcarunt hæreticorum omnium perniciosiſſimi Sociniani. Ceteri autem hæretici unam fidei regulam ſtatuunt, divinam Scripturam, prout privato ſpiritu, & divinitus immiſſa perſuaſione unicuique clareſcit, rejectis Apoſtolicis traditionibus, ſpretiſque Paſtorum Eccleſiæ decretis. Ergo, ne tam nefaria placita abſque ulla diſcuſſione prætereant, eliminandus principio eſt error Socinianorum; tum inſtituenda quæſtio, an ad dirimendas controverſias fidei ſufficiat ſola Scriptura, aut privatus, quem hæretici jactant, ſpiritus, an potius recurrendum ſit ad Eccleſiæ judicium, & auctoritatem: poſtremo inquirendum eſt, an præter verbum Dei ſcriptum admittendæ ſint, tamquam optima, & minime fallax fidei norma, transmiſſæ ad nos traditiones. Atque, ut a priori diſſertatione incipiamus, quoniam de ea perpauci ſcripſerunt, Sociniana autem hæreſis nimium ſerpſit, fuditque venenum lethiferum, illam ex ſacris literis, ex Patribus, atque ex iis, quæ attulit adverſus Manichæos Auguſtinus, & contra Petrum Abaelardum Bernardus, ſummatim ſimul, ac naviter profligabo.

PROPOSITIO I. Statui nequit norma, & libella, ad quam fides exigenda eſt, in ſola humana ratione.

Probatur 1. nam Chriſtus Matth. XI. 25. ait: *Confiteor tibi, Pater Domine cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*: & cap. XVI. 17. *Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*: Paulus in priori ad Corinth. II. 4. *Et ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis: ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*; atque 1. ad Theſ. II. 13. *Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui crediſtis*. Collegit hæc, aliaque teſtimonia huc pertinentia Suareſius de Fide diſp. III. ſect. 1. & Card. de Laurea diſp. VII. 1. Ex his vero argumentum iſtud conficio. Si naturalis ratio eſſet fidei norma & criterium, non eſſent myſteria fidei abſcondita ſapientibus, ſed ad ea percipienda magis idonei eſſent illuſtres viri, qui multum ſapere videntur, quam manſueti, & humiles demiſſe intellectum in obſequium fidei captivantes: non opus eſſet ad credendum divina revelatione, ſed ſufficerent hominum ratiocinia, & argumenta philoſophorum: non confirmanda Apoſtolica prædicatio patratis in Chriſti nomine ſignis, ſed eruditione, qua utitur hominum ſapientia: non infereretur fidei donum virtute Dei, & munere Spiritus Sancti, ſed animum pervaderet tamquam humana inſtitutio, ingenita ac naturali vi intelligentiæ. Atqui juxta Chriſti, & Pauli apertiſſimum teſtimonium, fidei arcana latent ſapientes ingenioque acutiſſimo præditos; revelantur, pro ſuo beneplacito, a Patre luminum illiteratis, carentibus acumine & hebeſcentibus; animoque ingenerantur non dialecticis artificiis, non humanarum ſcientiarum uſu atque exercitatione, ſed vi & efficacia divini verbi. Igitur naturalis ratio nequit eſſe rerum credendarum regula ac norma.

Deinde probatur Sanctorum auctoritate. Baſilius enim hom. in Pſ. 115. appellat fidem *aſſenſum nulla prævia inquiſitione nitentem*. S. P. Auguſtinus Tract. 40. in Joan. *Credimus*, inquit, *ut cognoſcamus, non cognoſcimus, ut credamus: quid enim eſt fides, niſi credere quod non vides?* Athanaſius lib. de ſalut. adventu, *Non enim fides de re evidenti concepta, fides dici poterit*. Ambroſ. lib. 1. de Abraham cap. 3. *Ratione præveniat fides*. Greg. Magnus in 1. Regum cap. 4. *Fide velut fama Deum cognoſcimus*: & hom. 26. in Evangelia, *Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*.

Præterea Socinianos acutiſſimos quidem dialecticos, ſed copioſos Sophiſtas, ipſa ratione revincimus. Ac primo: Fides aut definitur, aut commendatur, quod ſit convictio rerum non apparentium; at quæ ratione percipiuntur, non ſolum apparent, ſed etiam ſcientiam generant. Ad fidem ergo neceſſarium non eſt, ut quæ credenda ſunt, ratione percipiantur. II. Si fidei capita ratione expendantur, aut occurrent menti argumenta probabilia, aut certæ demonſtrationes: ſi argumenta probabilia, opinionem gignent, non fidem corroborabunt; neque habebimus firmiorem propheticum ſermonem, ſed circumferemur omni vento, & diſtrahemur hæſitatione: ſi autem invictæ demonſtrationes, nullum erit fidei meritum, nec Chriſtiana religio ſublimior erit Græcorum philoſophia, ut diximus Volum. 1. pag. 184. III. Si non eſſent credenda ea, quorum rationem reddere non poſſumus: tamquam falſa ea ſingula habenda eſſent, quorum cauſſam non valemus oſtendere, ut quod narrant de Agrigentino Siciliæ ſale, qui admotus igni flueſcit, in aqua vero tamquam in igne crepitat: de fonte Debris apud Garamantum, diurnis horis frigidiſſimo, nocturnis tam fervido, ut tangi non poſſit: & de aliis naturæ mirabilibus, quæ commemorat S. Pater lib. XXI. de Civit. Dei cap. 5. his verbis perſtringens infideles negantes æternitatem pœnarum, quod rationem ſuperet corpora perpetuo vivere, & infernalibus ignibus concremari. *Hi tamen fidei reprehenſores, exactoreſque rationis, quid ad iſta reſpondet, de quibus ratio reddi ab homine non poteſt, & tamen ſunt, & ipſi rationi naturæ videntur eſſe contraria?* IV. Vel norma fidei eſt ratio, qua mens convertitur ad communes ideas & ingenitas atque anteceptas; vel a ſenſibus hauſtas, factitias, & ſingulares: ſi illud affirmes, idem eſt Chriſti fides, ac Platonis vel Carteſii phyſiologia; ſi alterum aſſeris, ut una non eſt ſingulorum idea, nec ratio inde petita, ita una non erit fides, ſed pro ſingulorum perceptione multiplex, & tamquam Schola Athenarum in ſectas diſciſſa. V. Quemadmodum animal premente corporeo plaſmate ad æthera volare non poteſt, ita mens conſortio canis depreſſa nequit ad myſteriorum agnitionem elevari. At quamvis nonnulli poſſent ratione certa huc pertingere, quoniam ad impoſſibile eſt inſipientibus & univerſæ credentium multitudini, ſtatuenda eſſet communis quædam fidei norma in gravis auctoritatis imperio; *ſicut etiam ii, qui* poſſent volare, *ne cui eſſent periculoſo invitamento, deberent pauliſper incedere, qua etiam ceteris tutum eſſet*, inquit Magnus Auguſtinus de util. credendi cap. X. num. 24. VI. Neque in amicitia, & ſocietate generis humani abſque ſumma impietate contemni poteſt quicquid certa ratione non demonſtratur; patrem enim noſtrum credimus interpoſita matris auctoritate, ipſam vero matrem plerumque obſtetricibus, nutricibus, famulis enuntiantibus, qui proculdubio poterant parienti filium furari, ſpuriumque ſupponere: quanto ergo magis credendum eſt Catholicæ Eccleſiæ auctoritati, etiamſi myſteria omnia ratione non aſſequamur; quum illam divina teſtimonia immunem ab omni deceptione pronuntient? Vide eo loci num. 26. Doctorem maximum Auguſtinum. VII. Si ad fidem neceſſaria eſſet diſquiſitio rerum quæ proponuntur, omniaque eſſent ad rationis trutinam revocanda, neque alias exploratæ auctoritati eſſet obſequenter acquieſcendum; immerito laudaretur Abraham, qui divinis promiſſis de futura ſeminis ſui propagatione emortuo jam corpore contra ſpem in ſpem credidit: immerito ſanctiſſima Dei Genitrix, quæ Angelo nuntianti, ad ea verba, *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*, rationem fide præveniens humilem præbuit aſſenſum: immerito Apoſtoli, qui ad unius vocis imperium ſequuti ſunt Dominum; immerito denique Patres omnes, qui ad hæc uſque tempora ineffabile Trinitatis myſterium ſola auctoritate contra hæreticos propugnarunt. Commendanda potius foret Sara, quæ ait: *Num vere paritura ſum anus?* Commendandus Zacharias, qui fidem ratione tentavit; nec increpandi erant diſcipuli ob duritiam cordis, quando credere noluerant Chriſti reſurrectionem. Atque hoc argumento utitur contra Petrum Abaelardum S. Bernardus: imo & Apoſtolus

cap. xi. ad Hebræos, ubi fidem ac actis veterum Patrum magnificentiſſime laudat. Vide & Du-Hamelium Tom. iv. Tract. i. cap. 4.

Objicies. Niſi omnia, quæ credenda proponuntur, ad rationis normam aſſeut ponderanda; non eſſet recte ab Eccleſiaſtico ſcriptum cap. xix. 4. *Qui cito credit, levis eſt corde*; & ab Joanne I. Ep. iv. I. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*. Ratio itaque norma eſt credendorum; & Catholici ad auctoritatem Eccleſiæ confugiunt, ut plebem ſuperſtitione deterreant, ac inſerant animis ſub myſteriorum nomine abſurda, atque aciem ingenii obruant, & afficta imagine religionis perſtringant.

Reſp. ſervanda Eccleſiaſtici, & Apoſtoli monita, dum nos alloquuntur homines dubiæ fidei, pſeudoprophetæ, & novorum dogmatum auctores; non vero dum proponuntur credenda ab Eccleſiæ ſummis Paſtoribus, quos in definiendis, ac dijudicandis controverſiis novimus duci irrefragabili veritatis afflatu: quod ſi alicui Religio Chriſtiana primum annuntiaretur, ad revocanda ad rationis libram motiva credendi, ut prudenter ſe gerat, ultro concedimus. Sed aliud eſt requiri rationis criterium in eligenda religione; aliud nihil eſſe credendum, niſi quod ratione percipitur, & ipſam religionem conculcare, quia plura deprædicat, quorum apertam cauſſam reddere non valemus, atque in ratione, non in auctoritate locare fidei diſquiſitionem. Eccleſiaſticus eo loci, *non de fide in Deum, ſed de mutua inter nos loquitur credulitate*, ait cit. Epiſt. S. Bernardus. Revere quantum hominibus invidis, ſubdoliſque credere afferat detrimenti, Joſue a Gabaonitis decepto, & ac Criſpo, & Hippolyto injuſta cæde ſublatis, demonſtrat in hunc locum A Lapide. Quidam ea verba, *Qui cito credit*, ita accipiunt, ac ſi diceretur, *Qui ſe committit*, ſcortis, ſcilicet, & fornicariis, de quibus eſt ſermo. Joannes accipiendus eſt de pſeudoprophetis, qui a fide Chriſti Jeſu tunc temporis abducebant, negantes hunc veniſſe in carne. Horum quidem & ſimilium pſeudoprophetarum ſcita probare debemus, an catholicis inſtitutionibus conveniant. Privatorum quoque hominum placita, nova præſertim, & obſcura rationis libramento ſunt ponderanda, hujuſque rationis momenta æqua lance juſte recteque penſanda ſunt. Cæterum religione perſpecta, hujus dogmata ſunt, quantumvis ſublimia appareant, firmiſſima ſuſcipienda, non ad libellam penſitanda laſcivientis ingenii. Ita Apoſtoli poſtquam virtutes ac ſigna præceſſerant, & in Chriſto demirati fuerant occultæ divinitatis majeſtatem, ita ut dici non poſſet, quod irrationabiliter ſequerentur vocantem, ſeſe illi ſingulari fidei merito ſubjecerunt. Vide & Hieronymum in cap. ix. Matthæi.

Honoratum Manichæorum ore muſſantem, quod Catholici ſuadeant abſurda, & a ratione aliena, ita S. Pater alloquitur, cap. vii. n. 17. *At abſurda ibi, dicis, videbantur. Quibus aſſerentibus? Nempe inimicis, qualibet cauſa, qualibet ratione; non enim hoc nunc quæritur, tamen inimicis. Cum legerem, per me ipſe cognovi. Itane eſt? nulla imbutus poetica diſciplina Terentianum Maurum ſine Magiſtro attingere non auderes: Aſper, Cornutus, Donatus, & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet poeta poſſit intelligi, cujus carmina & theatri plauſus videntur captare: tu in eos libros, qui quoquo modo ſe habeant, ſancti tamen, divinarumque rerum pleni prope totius generis humani confeſſione diffamantur, ſine duce irruis, & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam?* Eadem a Socinianis prætlat in præſentia repoſcere.

CAPUT III.

Sequitur quæſtionis pars altera, ſcilicet an ad dirimendas controverſias fidei ſola Scriptura ſufficiat.

POSTREMA verba Auguſtini aperta docent, ſacros, divinarumque rerum plenos libros non eſſe abſque duce & præceptore evolvendos. Hæretici e contra inquiunt divinam Scripturam adeo eſſe apertam ut unuſquiſque, cujuſvis licet ingenii, dogmata ibidem tradita nullo proponente ac declarante aſſequatur. Sibrandus, & Hunnius aliique citati a Jacobo Gretſero viro Societatis Jeſu doctiſſimo lib. iii. defen. Bellarm. cap. i. inquiunt falſo a nobis hoc dogma ipſis hæreticis tribui, quum & iidem fateantur in ſcripturis permulta occurrere ſcitu difficillima, & quæ non idiotis tantum, verum etiam viris doctiſſimis plurimum negotii faceſſant. Sed imperitos ſpecioſis verbis decipiunt homines calliditiſſimi. Etſi enim alicubi Scripturam intellectu difficilem fateantur, & donum quoque interpretationis Eccleſiæ prorſus non denegent; nihilominus contendunt dogmata quæque ad ſalutem neceſſaria in ſacris literis contineri, ea obſcura quidem eſſe ſuperbis & infidelibus, non autem humilibus, & qui gratiæ fideique ſpiritu aguntur; hos uno verbi ſcripti præſidio omnia quæ ſunt credenda dijudicare; ſi quid abſtruſum ac perdifficile in uno ſcripturæ textu ob implexam ſignificationem verborum invenitur, illud alio in loco abſque ulla ambiguitate expedite ac dilucide contineri: difficultatem denique, non rerum eſſe, ſed verborum, quibus per Grammaticas inſtitutiones, ac peritiam hebræorum, græcorumque ſyntaxeos expoſitam, aditur: ſolis nubibus omnibus diſſolutis, catholicam doctrinam ſingulari nitore, nimiaque perſpicuitate aſſulgere. At nos ac adverſo ſolam Scripturam ad controverſias fidei componendas ſatis eſſe, atque res omnes in ea traditas per ſe omnino fidelium apertas eſſe negamus, aſſerentes temere, ac imprudenter ſe gerere quiſquis Eccleſiæ auctoritate neglecta arrogat ſibi munus interpretationis, cui ſingitque ad divinorum librorum oracula, tanquam ad Judicis definientis tribunal.

Diſtinguunt etiam hæretici duplicem Scripturæ perſpicuitatem, externam unam, quæ ſita eſt in verbi miniſterio, & in ipſius Scripturæ propoſitione; interiorem alteram in ſcrutatione & cognitione fidelium: ac de prima inquiunt, omnia per illam producta eſſe in lucem apertiſſimam; de altera vero fatentur interdum eſſe enthuſiaſmum quamdam, interdum divinam inſpirationem, ſed ab his, qui ſpiritum Dei non habent, negant vel unum jota percipi poſſe: quo miſero falſitatis perfugio utitur poſt Reformatæ, ut vocant, Eccleſiæ antesignanos Jacobus Piceninus in Triumph. cap. 2. quem poſt P. Semery, Hyacinthum Tonti, & Cardinalem Vincentium Gotti, in Epiſtolis Polemicis refutavit Abbas Benedictus Bacchini methodo brevi, expolita, ac plurimum elaborata.

Ut quæſtionem hanc pro inſtituti noſtri ratione facile diſſolvamus, prænotandum eſt nos inter ac Novatores convenire, quod ſacra Biblia tanquam Fidei norma ſint agnoſcenda: ſed illi normam ipſam & Judicem imperite confundunt; nos unum ab altero diſtinguendum meliori, ſanoque judicio exiſtimamus. Hæreticorum vox una eſt, *Scriptura, Judex, norma & regula agnoſcitur, ad quam, ceu ad Lydium lapidem, omnia dogmata exigenda ſunt, & judicanda*: & Piceninus cap. 13. Apologiæ abutitur ad errorem hunc vindicandum auctoritate S. P. Auguſtini in Pſalm. xxi. n. 30. ubi tamen, quemadmodum animadvertit Bacchinus 2. Epiſt. Polem. num. 3. accurate S. P. diſtinguit allata comparatione litigantium, inter teſtamentum & Judicem, ſive inter judicii criterium, & Judicis ſententiam pronuntiantis auctoritatem. Auguſtini verba paullo infra in 2. prop. afferentur. At vetus eſt hæreticorum conſuetudo ad ſolas ſcripturas provocare, eaſque pro libito in ſenſum, quem ipſi approbant, detorquere, ut S. Pater ſcribit de Arianis lib. I. contra Maxim. cap. I. & de Pelagianis de Nat. & Grat. cap. 39. apud præclarum Ordinis Scriptorem Taddæum Caluſchi Mediolanenſem in Examine Reformatæ, ut appellant, Eccleſiæ art. 6. Nos itaque Scripturam eſſe fidei normam, licet non unicam, profitemur, eſſe normam ſimul ac Judicem denegamus.

PROPOSITIO I. Sacra Scriptura non eſt adeo aperta, & perſpicua, ut ſola ad omnia dogmata definienda ſufficiat.

Hanc aſſertionem fuſiori ſtilo propugnant omnes Controverſiarum Tractatores Bellarminus lib. iii. cap. 5. & Gretſerus in ejus Defenſione, Thomas Stapletonus lib. xi. Becanus Opuſc. 2. Tom. 5. & in Manual. lib. I. q. 4. Macedo de Clavibus Script. Controv. 3. aliique innumeri. Probatur autem primo Scriptura ipſa. Cur enim David fidelis quidem, & humilis, Pſalm. cxviii. v. 18. ait: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua?* & v. 34. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam?* Cur diſcipulis proficiſcentibus in Emmaunta Lucæ xxiv. 27. *incipiens (Jeſus) a Moyſe, & omnibus prophetis interpretabatur in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant?* Cur Spado Reginæ Candacis legens Iſaiam, & interrogatus a Philippo num lecta intelligeret, Act. viii. v. 31. reſpondit, *Quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Cur inquam, ſi ſcriptura, ſolis inſtar, ſeipſa unicuique ſplendeſcit? Sane reponere non poſſunt Heterodoxi ſanctiſſimum Davidem, Chriſti diſcipulos triſtitia ob illatam Chriſto mortem affectos, & loquentes de iis quæ acciderant in Hieruſalem, atque Eunuchum aſcendi cupidum, & ſacrorum librorum auditorem, fuiſſe ſuperbia tumidos, & omni fide deſtitutos. Neque regerent perculſos tantum difficultate verborum; cum linguam callerent hebraicam, neque hujus, ſed latentium myſteriorum poſcerent expoſitionem. Inſuper nec externam revelationem & miniſterium verbi petebant, cum non ſemel hanc nacti fuiſſent, ſacroſque libros haberent præ manibus. Qua ergo via hæretici ſe expedient? Num dicent Davidem, Eunuchum, Diſcipulos nondum in fide corroboratos? At de Davide hoc ſentire non licet. Spado vero, & Diſcipuli, quanquam non omnia completæ Redemptionis myſteria firmiter percepiſſent, attamen ſacram ſcripturam eſſe verbum Dei fatebantur. Cur hanc recipientibus Prophetarum oracula non fuerunt aperta? Ac ſi in fide nutantibus plura apparent ambigua, hi quomodo ad fidem pertrahentur? Miniſterio verbi? illud nondum aſſequuntur. Interna revelatione? hæc auxiliaris mus eſt, ac non ſemel, fatentibus hæreticis, fallax deceptio. Dicent forte ſcripturarum perſpicuitatem apparuiſſe tantummodo poſt promulgationem Evangelii, & adventum Spiritus ſancti? Neque id ſolidi crepat aliquid. Nam & in veteri teſtamento, ſi ſcriptura, ſolis inſtar, ſeipſa diſcernitur, miniſterio verbi propoſita debebat ſingulis illuceſcere. Præterea ex verbis Pauli 2. ad Corinth. iii. 15. *uſque in hodier.*

in hodiernum diem, tum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum; atque ex Petro ſcribente 2. Epiſt. cap. 16. de Epiſtolis Pauli, *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras ſcripturas*, liquet etiamnum perſeverare, niſi aliud lumen adhibeatur, antiquam Scripturarum obſcuritatem.

Probatur 2. ex PP. Atque, ut mittam Clem. Alex. lib. 2 Strom. cap. 6. Origen. Hom. 12. in Exodum, Baſilium Epiſt. 75. ad Neocæſarienſes, & alios, quos improbo labore collegit Coccius: S. P. Auguſtinus, quo præſertim abutuntur hæretici, præf. in Pſalm. cxl. ſcribit: *Sunt in ſcripturis ſanctis profunda myſteria, quæ ad hoc abſconduntur, ne vileſcant, ad hoc quæruntur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut paſcant*. Et in 2. de Doctrina Chriſt. cap. 6. *Sed multis & multiplicibus obſcuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio ſentientes; quibuſdam autem locis quid vel falſo ſuſpicentur non inveniunt, ita obſcure quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt. Quod totum provisum eſſe divinitus non dubito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum a faſtidio revocandum, cui facile inveſtigata plerumque viliſcunt.* In Epiſtola quoque ad Voluſianum 1. 1. nunc cxxvii. ait: *Tanta eſt enim Chriſtianorum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia uſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere*. Quid Patres commemoro? Ipſi hæretici parum ſibi conſtantes hanc veritatem confeſſi ſunt: nam Lutherus Præf. in Pſal. ait: *Scio impudentiſſimæ eſſe temeritatis eum, qui audeat profiteri unum ſcripturæ librum a ſe in omnibus partibus intellectum*. Witakerus q. 4. cap. 1. *Concedimus multa loca obſcura eſſe, & ſcripturas egere explicatione, & ob hanc cauſſam miniſtros Dei audiendos eſſe, & ſcripturæ peritiſſimos eſſe conſulendos*. Brentii & Kemnitii antilogias vide apud Bellarm. cit. loco.

Tertio refelluntur hæreticorum ſubterfugia. Inquiunt enim obſcuritatem ſcripturarum verborum eſſe, non rerum. At Auguſtinus citata ad Voluſianum Epiſtola, inquit: *Tanta non ſolum in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimiſque cupiditate diſcendi hoc contingat quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum conſummaverit homo, tunc incipit*. Deinde in eo Evangelii teſtimonio, in cujus intelligentia nunquam Lutheri, & Calvini diſcipuli convenire potuerunt, *Hoc eſt corpus meum*, quodnam verbum obſcurum eſt? quidnam pronomine illo uſitatius? quæ propoſitio hac planior? cujus vocabuli magis, quam *corporis*, explorata perceptio? Myſterium itaque Euchariſticum, non verborum involucra, deterret Calvinianos. Eadem eſt ratio verborum illorum, *Verbum caro factum eſt*, quæ in oppoſitum ſenſum trahunt Neſtoriani, & Eutychiani. Undenam, niſi ex Myſterii altitudine, illorum hæreticorum allucinatio? Apoſtolicam quoque ſententiam, *Arbitramur juſtificari hominem per fidem*, quis dixerit involvi difficultate tantum grammatica? Et tamen quid ſit hæc fides, quid hominis juſtificatio, quid ad hanc requiratur, graviſſima quæſtio eſt, in qua nobiſcum, & invicem Novatores pugnaciſſime bellum gerunt. Omittimus alia ejuſmodi innumera. Affirmant præterea hæretici unum ſcripturæ textum ex alio innoteſcere. Sed quid accidet, cum plures invicem videbuntur pugnare? Si expendamus utrumque, creſcat neceſſum eſt hæſitatio: ſi unum dumtaxat locum excipiamus, & viget adhuc mentis perplexio, & ſacrilege Dei verbum repudiatur. Quo inſuper jure unum locum alteri præferemus? Tandem inquiunt veritatis lucem humilibus affulgere: ſed quomodo nobis perſuadeamus fiduciam illam ab Heterodoxis jactatam non eſſe audaciſſimam temeritatem, nec ſpiritus humilitatis vicem gerere ſpiritum cenodoxiæ, affirmante Apoſtolo non ſingulis in Eccleſia datam eſſe diſcretionem ſpirituum? At de his paullo infra.

Poſtremo, niſi Deus ſcripturæ interpretationem commiſiſſet Eccleſiæ, illamque omnium menti luciſſimam, aperiſſimamque exhiberet, quiſnam inter paſtorem, & gregem diſcerneret? quo jure idem Apoſtolus in 1. ad Corinth. affirmaſſet non omnes doctores eſſe, non omnes interpretes? quis non poſſet ſibi arrogare munus docendi, Apoſtolicam miſſionem, onus presbyterii, Evangeliſtarum ſanctorumque miniſterium? Audent quidem tantum facinus hæreticorum complures; ſed reclamat eo loci, cap. 12. 29. Apoſtolus: *Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Nota & corporis, membrorumque, quæ ſimul juncta ſunt, ibidem traditam comparationem: ut enim tolleretur auditus, *ſi totum corpus eſſet oculus*, & corporis dirumperetur compago, ſi omnia membra haberent eundem actum; ita abjicitur verbi miniſterium, ſi omnes Scripturam percipiant, & ſcinditur unitas Eccleſiæ, ſi unicuique detur eadem interpretationis auctoritas. Quamobrem hæc ſupremis Paſtoribus collata eſt, *Et Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, ut non ſit ſchiſma in corpore*, inquit ibidem Paulus. Revera nulla ſecta hæreticorum ſibi de Scripturarum perſpicuitate blandientium potuit hactenus tenere unitatem, quoniam iſte ad hunc ſenſum, ille ad alterum eadem verba detorquens, dogmata pro libitu unuſquiſque ſubvertit. Ad Eccleſiæ ordinem accedit ejuſdem divinæ Scripturæ dignitas, quæ poſtulat ut fidei myſteria abſque arrogantia credantur, & Dei oracula aſſidua contemplatione verſentur. Ita illuſtriores poetæ, & philoſophi præſtantiſſimi fabulas, & naturæ ſcientiam, ne vulgata viloſcerent, peregrina phraſi, ac mirabili artificio obducere ſtuduerunt. Ne repetam Auguſtini alloquium; ipſe Lutherus morti proximus, ut refert Aurifaber, *Virgilium in Bucolicis*, inquit, *non poteſt intelligere, niſi qui fuerit quinque annis paſtor: Virgilium in Georgicis non poteſt intelligere, niſi quinque annorum agricola: Ciceronem in Epiſtolis non intelligit, niſi viginti annis verſatus ſit in aliqua Republica inſigni. Scripturas ſanctas ſciat ſe nemo deguſtaſſe, niſi centum annis cum Elia, Eliſæo, Joanne Baptiſta, & cum Chriſto & Apoſtolis Eccleſiam gubernarit*.

PROPOSITIO II. Judicium de fidei quæſtionibus nequit ex ſolis Scripturis repeti, ſublata vivi Judicis auctoritate.

Demonſtratur 1. quoniam poteſt in quæſtionem venire ipſe canon ſcripturarum: hæc autem quæſtio quomodo e ſacris literis componi poterit? Sit impius aliquis, qui utrumque teſtamentum repellat, per quam alterius Teſtamenti auctoritatem poterit controverſia iſta reſolvi? Pervulgatum eſt hoc argumentum, allatumque a Cano lib. 2. cap. 7. & ab aliis. Sed accipe quanto verborum pondere illud urgeat Auguſtinus lib. xi. contra Fauſtum cap. 2. *Si non de aliqua particula, ſed de toto audes contradicentem & clamantem, Falſus eſt: quid ages, quo te convertes? quam libri a te prolati originem, quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis? Nam ſi hoc facere conaberis, & nihil valebis; & vides in hac re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum uſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie & tot populorum conſenſione firmatur*. Ratione conſimili ſi de *autographia* unius libri, aut unius textus oriatur contentio, neque occurrit in alio libro, puta Hiſtoriam Suſannæ, aut Adulteræ; undenam componi poterit hæc diſceptatio? Si præterea a diſputantibus varii textus citentur, & unus neget alterius auctoritatem, & dicat, *Illud quod per te ſonas falſum eſt*, (inquit ibidem Auguſtinus) *hoc autem quod contra te eſt, verum eſt*; quo adverſarius confugiat? Contendat inſuper aliquis recipiendos in canone libros apocryphos, aut ab hæreticis confictos, ut inductos a Baſilide Prophetas, Bartholomæi, & Nicodemi Evangelia; aut a nonnullis Patribus commendatos, ut Hermam, Epiſtolam Barnabæ, Apocalypſim Petri; qua ſcriptura commonſtrante hos inter apocrypha ſcripta rejiciemus? Datur præterea antiquiorum librorum autographiam comprobari teſtimoniis poſteriorum: hos quorum auctoritate adverſus impios poſſumus vindicare? Quæſtio itaque de canone ſcripturarum, niſi ad judicium Eccleſiæ confugiatur, manebit ſemper ambigua. Atque hinc eſt, quod Athanaſius in Synopſi rationem afferens, cur non recipiamus Evangelium Thomæ, reſpondet, *Quia non eſt in Catholico canone*. Et S. Pater lib. 1. ſerm. Dom. in Monte cap. 3. ſcribit a nobis cenſeri apocrypham Apocalypſim Pauli, quoniam illam *Eccleſia ſana non recipit*. E contra libros Machabæorum, alioſque ab hæreticis rejectos ipſius Eccleſiæ auctoritate retinemus, juxta regulam S. P. Auguſtini lib. 11. de Doctrina Chriſt. cap. 8. & lib. xviii. de Civit. Dei cap. 36. Accedit in hujus argumenti confirmationem, quod Novatores aliquos veteris teſtamenti libros rejiciunt, quia non extiterunt in canone Judæorum, ideoque non ad ſacrarum literarum judicium, ſed ad Synagogæ tribunal, ut diſcernant ſacrorum librorum auctoritatem, confugiunt, non denegantes Eccleſiæ Judæorum quod temere negant Catholicæ, & Orthodoxæ. Adverſus nos etiam objiciunt quod recipiamus libros ab Eccleſia priorum ſæculorum nequaquam probatos, a ſe vero omnes illos retineri, quos ante magni Gregorii tempora Eccleſia ipſa probabat, ut Piccninus ait in Triumpho cap. 2. num. 26. Vel Eccleſia hujus controverſiæ Judex eſt, vel non eſt. Si primum affirmant, cur ad ſolam ſcripturam nos provocant? Si Eccleſia caret judicandi auctoritate; quid ad veterem Synagogam, quid ad Eccleſiam priorum ſæculorum appellant?

Deinde probatur theſis, quia poteſt inſtitui diſputatio circa intelligentiam unius Scripturæ textus, quem utraque pars contendat diverſum habere ſenſum. Sit in exemplo, *Hoc eſt corpus meum*; quæ verba proprie & literaliter accipiunt Lutherani, Calviniſtæ autem figurative, & ſymbolice: aut hæc alia, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, quæ Anabaptiſtæ de ſolis adultis, alii de omnibus promiſcue accipienda eſſe docent. Si ea ſola Scriptura hæc controverſia dirimitur: quare hæretici eundem ſenſum non aſſequuntur? quare idem dogma unanimiter non propugnant? Si allati textus ambigui ſunt, cur non proferuntur alii tam expreſſi, & aperti, ut pars contraria acquieſcat? At etiamſi proferrentur, nonne reſponderet Adverſarius, ut Fauſto Auguſtinus lib. xiii. cap. 4. *Quomodo ille, cui non credo, profert mihi ſcripturas, quibus de illo credam; & eis ipſe conatur dare auctoritatem, cum ego ipſi non credam?* Quomodo, inquiet Calvi-

niſta, affert adverſus me Lutheranus divinam Scripturam, qua ipſi credam, ſi ipſe ſcripturæ ſenſum non percipit? quomodo conatur illam explicare, ſi mihi obvia eſt oppoſita interpretatio? Similia reponet contra adverſarium ſuum Lutheranos. Atque ita, ſi talis judiciorum forma præſcribatur, ut nullum præter ipſam ſcripturam judicium expectandum ſit, nullus litigiorum finis erit, &, quemadmodum comprobat experimentum, perpetuo diſſidia inter Heterodoxos crudeſcent.

Accedit tertium argumentum. Diſtinguendum quippe eſt, ut poſſint utrinque litigantium rationes audiri, Judex, & Norma. Sit in exemplo, dum condito teſtamento, ac viro defuncto, qui de hæreditate diſpoſuit, propinqui nequeunt ad concordiam revocari, norma quidem ad litem dirimendam ſunt tabulæ a Notario conſcriptæ, ſed neuter jure bona teſtatoris acquiret, ſi unus aut neget producta inſtrumenta, aut ex his petat cauſæ ſuæ patrocinium, neque ſit vivus Judex, qui expendat pugillaria, audiat diſſidentes, & ſententiam pronuntiet. Ita poſt Chriſti mortem intentarunt nobis litem ad hæc uſque tempora hæretici, nec fuit eorum quiſpiam, qui teſtamentum, ſacram ſcilicet divinamque Scripturam non proferret; hanc & nos tanquam Dei teſtamentum recipimus, hanc normam fidei, & veritatis regulam eſſe fatemur. At quomodo poterit dignoſci, ad quos pertineat hæreditas, ad quos ſpectet Eccleſia, ad quos cuſtodiendum fidei depoſitum, ſi proferentibus nobis libros aut Sapientiæ, aut Eccleſiaſtici, aut Machabæorum, reſpondent Sectarii, Non eſt teſtamentum Domini; aut promentibus Evangelia, reponunt aliam eſſe mentem Teſtatoris? Judicis vivi ſententia neceſſaria eſt, qui decernat ſacrorum Codicum germanitatem ac ſenſum. Appoſite Auguſtinus in Pſalmum XXI. num. 30. *Quare litigamus? Non inteſtatus mortuus eſt Pater: fecit teſtamentum, & mortuus eſt. Tandiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu teſtamentum proferatur in publicum; & cum prolatum fuerit, tacent omnes, ut tabulæ aperiantur, & recitentur. JUDEX intentus audit, advocati ſedent, univerſus populus ſuſpenſus eſt, ut legantur verba mortui.* Nota allucinationem Piccatoi ex hoc loco, ut diximus, probantis ſcripturam eſſe controverſiarum omnium *normam*, & *judicem*; quum Auguſtinus tam aperte *Judicem a teſtamento* ſecernat.

Comprobatur Catholica veritas eventu rerum. In veteri namque lege, quiſnam, niſi ſummus Pontifex, controverſias dijudicabat? Non ad mortuos codices remittebantur diſſidentes, ſed ad *Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui erat illo tempore*, Deut. XVII. 8. Mentiuntur autem Sectarii, dum ajunt ad Sacerdotes non ſpectaſſe judicium de controverſiis fidei, ſed tantum de legalibus. Eorum quippe erat pronuntiare, *Ubicunque quæſtio eſſet de lege, de mandato, de cæremoniis, de juſtificationibus*, 2. Paralip. XIX. 10. Ipſe Herodes *congregans principes Sacerdotum, & Scribas populi*, Matt. II. 3. ut ſciſcitaretur de loco, ubi naſciturus erat Meſſias, redarguit pervicaces, qui ajunt Sacerdotes nonniſi de ritibus ac cæremoniis protuliſſe judicium. Joſephus in 2. adverſus Appionem ait: *Omnium rerum inſpectores, & controverſiarum Judices conſtituti ſunt Sacerdotes.* Vide Levit. X. 10. Ez. XLIV. 23. & Malach. II. 7. Si ad hiſtoriam novi teſtamenti mentem convertamus, orta quæſtione de neceſſitate circumciſionis Act. XV. circa annum 49. Æ. V. Antiocheni non appellarunt ad Scripturam, ſed ad Apoſtolos, qui tum temporis Jeroſolymis morabantur: atque hi coacto Concilio ſe illius controverſiæ idoneos Judices declararunt, dicentes: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, verſu 28. Eadem judicii forma, non ad Scripturam, ſed ad Eccleſiam appellando, anno 198. finita eſt cauſſa Quartodecimanorum. Simili judicio damnati anno 255. Novatiani, anno 266. in Concilio Antiocheno Samoſatenſes, anno 325. in Synodo Nicæna Ariani, anno 431. in Epheſina Neſtoriani. Quid ſingulas repetam controverſias? Nulla hæreſis per ſolam Scripturam damnata eſt, nulla cauſa finita, nulla diſceptatio abſque vivorum judicum ſententia, & examine, terminata.

PROPOSITIO III. Non eſt idoneum judicium, quod fit ex privato ſpiritu, & interiori cujuſque fidelis perſuaſione.

Demonſtretur primo: Incertum eſt, num ſpiritus iſte privatus ſit a Deo: & quamvis nonnunquam donum interpretationis ſit alicui collatum, ut de Antonio ſancto, perfectoque Ægyptio Monacho in Prolog. lib. I. de Doct. Chriſt. ſcribit S. P. Auguſtinus, nullus habet proprii ſpiritus certam, exploratamque perſuaſionem, & qui hanc ſe habere præſumit, inſigniter inflatus eſt, ac ſuperbus. Eſſe enim Prophetas, *qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident*, affirmat Ezech. XIII. 3. eum, *qui loquitur mendacium, ex propriis loqui, quia mendax eſt & pater ejus*, inquit ipſa Veritas, Joann. VIII. 44. atque in corpore Eccleſiæ omnibus a Spiritu, qui ubi vult ſpirat, non dari *interpretationes ſermonum*, ſcribit Paulus in I. ad Corinth. XII. 28. 30. Spiritum autem hæreticorum non ſolum ob hanc rationem incertum eſſe probatur, ſed etiam eſſe ſpiritum mendacii, præſumptioniſque ſacrilegæ, cum ſibi temere attribuant, quod Chriſtus nonniſi ſupremis Eccleſiæ rectoribus repromiſit. Teſtem appellamus illius incertitudinis Zuinglium, qui in Lutheranis palæſtris edoctus ad Sacramentarios circa doctrinam Cœnæ defecit, alio *ſpiritu* interpretatus verba conſecrationis; monitoremque habuit in ſomniis, de quo ipſemet ſcribit in *ſubſidio de Euch.* non meminiſſe, *ater is fuerit, an albus*. Præſumptionis vero exemplum ſingulare tribuit Lutherus ſcribens initio libri contra Regem Angliæ, *Nactum ſe ſpiritum inſignem contemptorem tam fraudis, quam furoris Papiſtici*. Et quodnam majus præſumptionis indicium, quam ſibimet arrogare auctoritatem interpretandi Scripturam, illamque auctoritatem Romano Pontifici, & plenariis Synodis denegare? Interpretatio itaque facta privato ſpiritu, tamquam ambigua, fallax, & temeraria debet eſſe ſuſpecta. Ac licet fieret divino ſpiritu afflante, non eſſet tamen ad faciendam fidem idonea, niſi accedente Eccleſiæ comprobatione: nam & Paulus Evangelium acceperat per revelationem Jeſu Chriſti; & nihilominus illud cum Apoſtolis contulit, *ne forte in vacuum curreret, aut cucurriſſet*, ut ipſe ſcribit ad Galatas II. 2. ſcilicet, *ne ſecundum illos crediſiſſet, & ne ſecundum illos evangelizaret*, ait in IV. contra Marcionem Tertullianus etiam a Grotio laudatus. Quare S. P. Auguſtinus lib. XXVIII. cap. 4. contra Fauſtum, *Quis eſt ergo tam demens*, inquit, *ut credat neſcio cui ex tranſverſo de Perſide poſt ducentos & amplius annos venienti..... cum ipſe Apoſtolus Paulus poſt aſcenſionem Domini de cælo vocatus, ſi non inveniret in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omnino non crederet?* Atque hujus argumentationis hæc ſumma eſt: Spiritus privatus aut eſt ſpiritus mendacii, aut veritatis: ſi mendacii, idoneus non eſt ad rectum judicium pronuntiandum; ſi veritatis, ſuam ab Apoſtolica Eccleſia poſtulat dijudicationem, niſi ſui cauſſa, illorum ſaltem, qui ſunt inſtruendi; ideoque nullatenus privatus ille ſpiritus eſt ad formandos dirigendoſque fideles ſufficiens.

Deinde privatus ille ſpiritus, vel omnibus communis eſt, vel peculiaris. Si communis eſt, cur non conveniunt in ſingulis fidei dogmatibus Heterodoxi? cur ea verba *Hoc eſt corpus meum*, in tam diverſas ſententias diſtrahunt? cur Saxonici Lutherani in Colloquio Altemburgenſi an. 1568. judicium Melanchthonis reſpuerunt, Electorales Melanchthoni ſubſcribunt? Privatus eſt ergo ille ſpiritus, & qui eo ducuntur, proprio innituntur judicio, neglectis aliis. At quis non videt idem eſſe hunc ſpiritui fidem ſubſternare, & libertatem unicuique facere illud, quod magis libet, comminiſcendi? Et quidem nonne quod libuit commentus eſt Lutherus, quod libuit Zuinglius, quod libuit Oſiander, quod libuit hæretici omnes? Rectiſſime ajebat de Præſcript. Tertullianus, *Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio ſuo fidem innovare*: meritoque Steplet. lib. X. cap. 4. hanc hæreticorum de privato ſpiritu aſſertionem comparat opinioni Socratis, unde Sectatores, ut ſcribit Auguſtinus VIII. de Civit. Dei cap. 4., *quod cuique placuit, ſumpſerunt*. Præterea ille ſpiritus, cum privatus ſit, erit humanus; & revere divinus eſſe nequit, qui diverſis diverſa dictat, inſpiratque dogmata omnino pugnantia. Quomodo ergo mihi perſuadebunt hæretici idoneum eſſe judicem hunc ſpiritum humanum, ſubdolum, multiloquum, dum ipſi audent aſſerere obnoxium errori ſpiritum totius Eccleſiæ, hac tantum de cauſſa, quod humanum putent, & hominibus inſidentem? Rurſus ſi incertus ſum hunc Scripturæ ſenſum eſſe intentum a Deo, cur incertus non ero hunc ſpiritum privatum a Deo inſpiratum eſſe? Quænam habet validiora argumenta, quænam ampliora veritatis indicia ſenſus metaphoricus, quem Calvinus affricat verbis conſecrationis, quæ non habet ſpiritus quo idem Calvinus ſenſum illum præfert & approbat? At ſi utrumque incertum eſt, quomodo per ſpiritum privatum Scripturæ ſenſum dijudicabo, incertum ſcilicet per incertum? Si certam perſuaſionem requiras, hanc hæretici omnes Calvino adverſantes jactitabunt: ſi velis ſpiritum eſſe humilibus precibus petendum, ſe petiiſſe reponent; ſi firmiſſimam fidem exigas, ajunt omnes ſe credere. Qualem ergo hæreticorum ſpiritum, dum in contrarium ſenſum Scripturam trahunt, cenſeas alteri præferendum? Ad hæc privato illo ſpiritu carent proculdubio infideles; nam ſi hi ſpiritu recto ducuntur, nihil erit tam ſacrilegum & nefarium, quod non ſit patretum Spiritu ſancto inſpirante. Infidelis ergo quomodo ad fidem perduci poterit? Prædicatione, inquis, & Scripturarum ſanctarum lectione: at dum audit, vel legit credendum eſſe Deum in Perſonis Trinum, & Dei filium natum ex Virgine, crucique ſuffixum, hærebit animo, neque tam reconditam doctrinam aſſequetur. Ipſe enim privato ſpiritu caret, ſi verum eſt per illum dirigi ſolam mentem perfecte credentium. Itaque ut credat, poſtquam certis indiciis veram Eccleſiam detegerit, debet ſe imbuendum ac dirigendum illius auctoritati committere. Paucis hæc omnia complectar: Privatus ſpiritus humanus eſt fallax, errori obnoxius, multiloquax, non communis, non ſibi conſtans, ſed mortalium opinioni ſe attemperans, varius, levis, diſſenſionis pleniſſimus: ideoque non ad componendas controverſias conducit, ſed ad magis ciendas, atque implicandas.

Inſuper

Google

Inſuper ſapientes ſcriptum a Baſilio Epiſt. ad Neocæſarienſes, *Oportet, ut eadem ſint animi induſtria præditi, & qui alienas ſcripturas judicaturus eſt, & qui illas conſcripſit*: idque S. Doctor probat, quo jam nec de agrorum cultura poteſt judicare qui nunquam exercuit opus agricolæ, nec de rythmis, notiſque muſicis, qui mathematicis non fuit imbutus. Scripturæ ergo afflante divino Spiritu editæ, nonniſi Spiritus ſancti diffuſo lumine poſſunt intelligi. Forte id non denegabunt hæretici, ſed quomodo nobis perſuadeant privatum ſpiritum eſſe Spiritum ſanctum? Hoc etiam Pſeudoprophetæ audacter præſumunt. Oportet ergo, demonſtrent ſe non eſſe Pſeudoprophetas, ut privatum ipſorum ſpiritum comprobemus: quod nunquam propriæ perſuaſionis teſtimonio poterunt demonſtrare. Hinc Petrus 2. Epiſt. 1. 20. ex quo Prophetæ locuti fuerint Spiritu ſancto inſpirati infert propheticam ſcripturam non eſſe privato ingenio exponendam. *Omnis prophetia ſcripturæ*, inquit, *propria interpretatione non fit*, monetque eo loci a Pſeudoprophetis cavendum. In hoc Petri teſtimonio ea verba *Prophetia ſcripturæ* ſignificant ſcriptorum propheticorum, ſeu verbi divini expoſitionem, ut ad Rom. XII. 7. prima ad Corinthios XIII. 8. 1. ad Theſſalon. v. 20. nec videtur proprie per *Prophetiam ſcripturæ* ipſam ſcripturam propheticam, non ſcripturæ explicationem ſignificari, ut in hunc locum obſervat Eſtius; nec vocabulo προφητεία, quamvis interdum alia ſignificentur, melius & in ſacris literis frequentius aliud demonſtratur, quam interpretatio & expoſitio. Itaque allati teſtimonii ſenſus eſt, *Scripturæ ſacræ explicatio propria interpretatione, ſive privata doctrina & auctoritate non fit*: ut inquiunt Eſtius, & Tirinus in hunc locum, Bacchinus Epiſt. 2. num. 4. Quod etſi *Prophetiam ſcripturæ* intelligamus eamdem ſcripturam propheticam, ſenſus erit nullam ſcripturam exponendam eſſe privato ingenio; qui ſcopus conſtuet in præcedentium. Non ſunt ergo Scripturæ privato ſenſu interpretandæ, ſed exponendæ eo ſpiritu, quo ſcriptæ ſunt, ſpiritu nempe divino, quem Chriſtus promiſit Eccleſiæ.

Denique hæretici ſuorum teſtimonio poſſunt revinci. Henricus enim VIII. Anglorum Rex anno 1540. decrevit neminem præter Eccleſiæ Doctores poſſe Scripturas interpretari, inhibuitque populo ne illas exponeret, aut ex illis ratiocinationes inferre auderet. Videatur Boſſuet in Hiſt. Variat. lib. VIII. num. 64. Zuinglius ad refellendos Anabaptiſtas lib. 1. de Baptiſmo p. 72. demonſtrat non ad illos, ſed ad Eccleſiam ſpectare ſcripturarum expoſitionem. Idem ſcribit Bucerus in Rat. can. exam. pag. 223. Cur demum hæretici ad controverſias dirimendas non ſemel Synodos coegerunt, ſi unuſquiſque a proprio, privatoque ſpiritu debet dirigi? Reſpondere nequeunt ad Synodum convenire ad ſtatuendam Eccleſiaſticam diſciplinam, non ad dogmata definienda; nam Synodus Jenenſis habita fuit adverſus Zuinglianos, Dordrectana contra Arminianos, Carentonenſis contra Calviniſtas: & in ſingulis Novatorum conventibus actum de Euchariſtia, de Baptiſmo, de Juſtificatione, cæteriſque graſſantibus controverſiis. Quid etiam definiunt, niſi fidei dogmata, tot Confeſſiones ab hæreticis divulgatæ? Ipſi ergo velint, nolint, præter Scripturam, & privati ſpiritus perſuaſionem, coguntur vivum Judicem adire, quem nullibi invenient, niſi in viſibili, & Apoſtolica Eccleſia.

CAPUT IV.

Explicantur Scripturæ loca, quibus ad veritatem oppugnandam abutuntur Sectarii.

AT Scripturam fidelibus ſingulis apertiſſimam eſſe hæretici demonſtrare conantur ſequentibus argumentis. Principio, inquiunt, Deuteronomii XXX. 11. legitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum*. Divinæ ergo legis volumina, & conſequenter ſacri omnes libri, unicuique fidelium perſpicua ſunt. Verum hujus argumentationis falſiſſima eſt conſequentia; nam aſſeritur tantum hoc loco, Deum non dediſſe mandata impoſſibilia, ſed literis conſignaſſe eadem præcepta, quæ lex naturæ inſcripſerat ſingulorum hominum cordi: quare non urgent nos laudata Deuteronomii verba, ſed ipſos hæreticos aſſerentes tam difficile eſſe implere mandata legis, quam caucaſum tranſvolare. At legis præcepta æquiſſima ſunt, levia, jucunda, & lata nimis, *Si caritas, quæ eſt plenitudo legis, habitet in corde*, inquit Auguſtinus q. 54. in Deut. Hanc interpretationem confirmant proxima verba verſus 14. *Juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*. Imo & in verbis præcedentibus, ubi legimus *mandatum non ſupra te eſt*, habet Hebraicus Codex, נִפְלֵאת הִוא מִמְּךָ, *Non eſt ſeparatum a te*, ſcilicet, *inſcriptum cordi*. Ipſe Fagius Volum. 1. Crit. Sacrorum p. 237. ait: *In corde dicit, quia legem cordibus Judæorum inſcripſerat Dominus, priuſquam in tabulis lapideis Decalogum inſculpſiſſet. Vel in ore tuo*, ideſt in *ore Levitorum, qui e popularibus tuis ſunt; nam labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ejus ore requirent*, Malach. II. 7. Hæc Fagius. Itaque nihil poterunt hinc evincere Proteſtantes, niſi divina præcepta volentibus eadem implere eſſe leviſſima atque facillima.

Deinde objiciunt: Pſ. XVIII. 9. legitur: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Pſ. CXVIII. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*. Ac Petrus II. Epiſt. 1. 19. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco*. Apertiſſimus eſt ergo, ac per ſe nitidiſſimum affundit lumen ſacrorum librorum codex. Reſp. Scripturam quidem lucernam eſſe, & pedibus ac ſemitis, ideſt, peragendis operibus regulam exhibere, ſed revelatione ſuppoſita, & Doctorum Eccleſiæ præmiſſa declaratione; quod idem Pſalmiſta affirmat citato Pſalmo CXVIII. 18. dicens: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*; & v. 130. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*. Petrus quoque non fruſtra caliginoſum locum commemorat, ſed ut demonſtret, opus eſſe, ut qui lucem non habet, ab aliis, qui ſacras literas callent, illam fœneretur; quemadmodum fecit Hieronymus dum perrexit Alexandriam ad Dydimum, & ab eo ſciſcitatus eſt quæ in Scripturis omnibus dubia habebat. Videatur idem Hieronymus Præfat. Comment. in Epiſt. ad Epheſ. Ipſum Hieronymum de Scripturarum quæſtionibus difficillimis conſuluerunt Damaſus Papa, Evagrius, Dardanus, & totius fere Orbis viri Clariſſimi. Similiter S. P. Auguſtinum Voluſianus, Marcellinus, Bonifacius, Honoratus, Simplicianus, alii. Atque his exhibita eſt in caliginoſo loco lucerna, quam Sectarii contemnentes interpretamenta eorum, quibus a Domino dictum eſt, *Vos eſtis lux mundi*, facti rebelles lumini abjiciunt, & in explicandis textibus omnium expreſſiſſimis inter ſe more Andabatarum decertant.

Rurſus opponunt. Iſaiæ VIII. 20. mandat Dominus, ut in rebus ambiguis recurramus tamquam ad judicem, *Ad legem magis, & ad teſtimonium*. Et Jeremiæ XXXI. 33. ne quis alienum judicium quærat, ait: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*. Reſpondemus autem, apud Iſaiam eo loci damnari illos, qui ad pythones ac maleficos confugiunt, ut cognoſcant futurorum eventus, quod diſtricta prohibetur in lege Domini, Deut. XVIII. 9. Atque id liquet ex verbis proxime præcedentibus, *Et cum dixerint ad vos: Quærite a pythonibus, & a divinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis*. A Jeremia autem prædicitur novum Teſtamentum, in quo non ſolum lex forinſecus terrat minitando, ſed etiam gratia introrſecus adjuvat amorem juſtitiæ inſpirando, neque cordi inſcribitur *atramento, ſed ſpiritu Dei vivi*, ut inquit Apoſtolus 2. ad Corinth. III. 3. Audiatur Auguſtinus de Sp. & lit. cap. XXI. num. 36. *Quid ſunt ergo leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritus ſancti, qui eſt digitus Dei, quo præſente diffunditur caritas in cordibus noſtris, quæ plenitudo legis eſt, & perfectio finis?*

Inſuper objiciunt. Joannis v. 39. Chriſtus non ad Eccleſiæ judicium, ſed ad ſolam ſcripturam remittit Judæos, ut veritatem Incarnationis jam peractæ, & Meſſiæ adventum cognoſcerent, dicens, *Scrutamini ſcripturas*. Reſp. Nihil ex hoc teſtimonio contra nos evinci poſſe. Primo quia nec Romana Eccleſia prohibet, ne veritatis amatores ſacrarum literarum ſtudiis incumbant, ſed hoc magnopere commendat, Dei verbum tamquam normam fidei, & fontem veritatis perennem nobis proponendo. At aliud eſt Scripturam expendere, ſcrutari, diſcutere, & ex ea veritatem inquirere; aliud ipſius authenticitatem dignoſcere, ſenſum ambiguum definire, & de fidei controverſiis abſolutam ſententiam pronuntiare. Deinde eo loci Chriſtus non remittit Judæos ad ſolam Scripturam, ſed primo ad teſtimonium Joannis v. 33. poſtea ad opera a ſe patrata v. 36. ulterius ad teſtimonium, quod de illo perhibuit Pater v. 37. Quomodo ergo ſolam Scripturam hæretici hoc loco abutentes deprædicant? Præterea unde Judæi ſcripturas acceperant, niſi ex Traditione Majorum, & Eccleſiæ auctoritate? Inſuper quomodo probant per illa verba, *Scrutamini ſcripturas*, Judæos ad ſacrorum librorum lectionem remitti? Si fides habenda eſt Eraſmo, non minus Græcis, quam nobis incertum eſt, utrum *Scrutamini* imperandi modo dictum ſit, an indicandi. Idem ſcribit Vatablus. Cameron contendit eſſe potius indicativi, temporiſque præſentis, imo & hæc eſt ſententia Cyrilli apud citatum Eraſmum. Erit ergo verborum illorum ſenſus, Vos ſcrutamini ſcripturas, ſed iiſdem, quod in eis præcipuum eſt, non creditis; quum enim illæ de me teſtimonium perhibeant, *non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. Ex quibus infertur hoc argumento ſententiam hæreticorum oppugnari; nam quemadmodum Judæi, licet ſcrutarentur Scripturas, quia non receperunt Joannis teſtimonium, non crediderunt Chriſti miraculis, non audierunt vocem Patris, obcæcati ſunt, & videntes non viderunt; ita hæretici ſolam ſcripturam perlegentes, & ſanctorum teſtimonia, miraculorum virtutem, & vivam Dei vocem ore ſummorum Eccleſiæ Paſtorum prolatam pervicaciter contemnentes, veritatem peſſumdant, & in tenebris deliteſcunt.

Præterea arguunt hæretici. Act. XVII. 11. Beroenſes, ac nobiliores Theſſalonicæ ad prædicationem Pauli *ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent*. Si Apoſtoli verba

ad ſcripturarum judicium revocata ſunt, quidni ſas erit ex Scripturis de Pontificis Romani definitionibus judicium ferre? Reſp. Beroenſes non ad ſcripturas legendas ſe convertiſſe, ut crederent Paulo, jam enim verbum cum omni aviditate ſuſceperant; ſed ut in fide proficerent, videntes omnia, quæ de Chriſto ab Apoſtolo enunciabantur, fuiſſe prædicta vaticiniis Prophetarum. Vidit id etiam Grotius, quem tantiſaciunt Novatores, ſcribens in hunc locum Tom. 2. Op. Th. p. 630. *Non quod dubitarent de veracitate Pauli, & Silæ, ſed ut Prophetica ſcripta cum illorum verbis conferendo, magis magiſque in veritate confirmarentur, & haberent unde alios convincerent.* Hac intentione, animoque proficiendi unicuique fas eſt ſcripturas expendere, & ex illis veritatem inveſtigare, judicio diſcuſſionis, non judicio definitionis, quæ duo callide heterodoxi confundunt. Adde diverſam conſiderationem illorum, quibus nova doctrina proponitur, & illorum, qui jam alicui Religioni ſe nuncuparunt. Illi enim ſi prophetias, ſi miracula, ſi rerum conſonantiam, ſi auctorum fidem explorant, prudenter ſe gerunt, quum nemo teneatur credere, priuſquam *motiva credibilitatis* ad trutinam revocaverit. Tales fuiſſe Beroenſes conjicit Comment. in hunc locum Jo. Lorinus. At qui jam fide imbuti ſunt, & Chriſti Religionem ſuſceperunt, debent in ea ſupremi Judicis agnoſcere auctoritatem; ſine qua Religionis unitas nequit conſiſtere.

Sexto contendunt probare in novo Teſtamento omnia fidelibus aperta eſſe, quoniam Apoſtolus in 2. ad Corint. IV. 3. ſcribit, *Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum; in iis, qui pereunt, eſt opertum.* At in Apocalypſi V. 9. dicitur *Agnus*, ideſt, Chriſtus aperuiſſe *librum*, & ſolviſſe *ſignacula ejus*: ideoque poſt Chriſti mortem nullum amplius myſterium latet. Verum Apoſtolus tantummodo affirmat prædicationem Evangelii, & Chriſti fidem diſcipulorum opera per orbem terrarum diffundi, & ſi permulti Redemptionis myſteria non percipiunt, hæc illis abſcondi, quia idololatriæ, flagitiiſque dediti dignos ſe præbent, quos princeps hujus ſæculi, ſinente Deo, in errorem adducat: quod ex ſola Paulinæ Epiſtolæ lectione obvium eſt. In Apocalypſi autem dicitur Agnus occiſus accepiſſe librum, & ſolviſſe ſignacula ejus, quoniam in Chriſti morte completi fuerunt typi veteris Teſtamenti, ut demonſtravit etiam ſciſſio veli, juxta communem Patrum ac Interpretum expoſitionem: cui addimus primo, librum ab Agno apertum in medio ſeniorum & quatuor animalium, Evangeliſtarum nempe, & Apoſtolorum, quibus Dominus aperuit ſenſum, ut *intelligerent Scripturas*. Deinde cum aperuiſſet Agnus unumquodque de ſeptem ſigillis, ait unum da quatuor animalibus, *Veni, & vide*: quæ ſunt verba Petri, principis Apoſtolici cœtus Joannem alloquentis, quia & dignitoribus ſummus Eccleſiæ Rector pandit oracula. Tandem in libri apertione ſignificantur hic decreta Dei pertinentia ad Judæos, quæ Chriſtus ſummatim prædixit Matth. XXIV. & Lucæ XXI. Si Novatorum aliquis petat, Quiſnam hoc loci Petrum ſpecialiter nominari exiſtimet, quis expoſitionem hanc tradat? Reſpondeo, Grotius tuus, quem appellas illuſtrem, eximium, & ſingulis Romanenſibus præferendum. Videſis Tom. III. Op. Th. pag. 1178. Si reponat hæreticus Grotium decipi; fateatur neceſſe eſt etiamnum librum iis, qui a Novatoribus doctiores habentur, obſignatum.

Addunt quædam loca, quibus videtur comprobari privati ſpiritus judicium. Hujuſmodi ſunt quod ſcribit Apoſtolus in priori ad Corinth. II. 15. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Spiritualis autem judicat omnia, & ipſe a nemine judicatur.* Joannes Epiſtola prima, II. 27. *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium.* Et in Evangelio cap. VII. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet ex doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego a meipſo loquar.* At neque iſta juvant Heterodoxos. Pro intelligentia teſtimonii Apoſtolici oportet inquirere quid ſit *animalis* homo, quid *ſpiritualis*. Animalis homo dicitur, qui ſolum ſenſum, & naturale rationis lumen, per quod homo factus eſt in animam viventem, dijudicando ſequitur, nulla imbutus Chriſtianæ fidei doctrina, ut Ethnici aut omnino rudes, aut humana inſtructi philoſophia. Spiritualis e contra eſt, qui fide, & illuminatione Spiritus ſancti eſt illuſtratus. Senſus ergo eſt, quod nec philoſophi, nec ſenſuum ductum ſectantes percipiunt Trinitatem, Incarnationem, & alia Fidei myſteria, quæ credentes aſſequuntur; & quod hi optime deprehendunt deliramenta philoſophorum negantium aut unius Numinis exiſtentiam, aut animorum immortalitatem, aut rerum creatarum adminiſtrationem ac productionem; neque humana philoſophia eſt adeo ſublimis, ut poſſit de Chriſtianorum rudimentis judicium ferre. Verum non ait Apoſtolus ſpiritualem hominem proprio ſpiritu omnium Scripturarum arcana pervadere, & ad omnes difficillimas quæſtiones definiendas idoneum eſſe: quod licet alicui eximiæ ſanctitatis viro aliquando conceſſum fuerit; nos cavere debemus, juxta Auguſtini monitum in Prolog. librorum de Doct. Chriſt. *tales tentationes ſuperbiſſimas & periculoſiſſimas, magiſque cogitare & ipſum Apoſtolum Paulum, licet divina & cœleſti voce proſtratum & inſtructum, ad hominem tamen miſſum eſſe, ut ſacramenta perciperet, & copularetur Eccleſiæ. Et Centurionem Cornelium, quamvis exauditas orationes ejus, & eleemoſynas reſpectas ei Angelus nuntiaverit. Petro tamen traditum imbuendum, per quem non ſolum ſacramenta perciperet, ſed etiam quid credendum, quid ſperandum, quid diligendum eſſet, audiret.* Accedit quod ea verba, *ἀνακρίνει τὰ πάντα, judicat omnia*, non ſunt idem, ac, *omnia definit*, ſed, *recipit*, *approbat*, piaque affectione *dijudicat*; ut eſt in Proverbio apud Ariſt. III. Eth. 15. *ὁ σπουδαῖος ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς, Probus de omnibus recte judicat:* quod explicat S. Thomas Lect. III. in cap. 2. Epiſt. 1. ad Corinth. comparatione vigilantis, qui recte judicat ſe vigilare, & alium dormire, quoniam revera, *non ſunt res quales videntur dormienti, ſed quales videntur vigilanti.* Alioqui ſi imbutus fide judicat omnia, cur non expedit difficillima theoremata? cur indiget cum Eunucho, & diſcipulis euntibus in Emmaus expoſitore, & interprete? cur non tum Apoſtolo, & Cornelio ad Eccleſiæ magiſterium accedit? Præterea haud male conjicit Cl. Eſtius Paulum in Epiſt. ad Corinth. *ſpiritualem* hominem appellare perfectum, & jam Apoſtolicis documentis inſtructum, quemadmodum ad Galatas VI. 1. inquit, *Vos qui ſpirituales eſtis hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Conſequenter docet *animalem dici*, qui credit utique, ſed ob mentis imbecillitatem nondum percipere poteſt altiora myſteria, cujuſmodi ſunt pueri, ac ruſtici, quibus expoſita Fidei Catecheſi, inepte proponerentur quæſtiones Theologicæ. Atque id colligit ex Apoſtoli ſcopo, verborumque complexu; nam principio ejuſdem capitis rationem producens, cur non prædicaverit Corinthiis recondita fidei myſteria, inquit, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.* Atque hanc reſponſionem tradit etiam Canus lib. II. cap. 8. de locis. Ex qua adverſus hæreticos retorquetur argumentatio. Enimvero ſunt in Eccleſia complures in Chriſto parvuli, adhuc carnales, & qui ad inſtar Corinthiorum nondum eſcam, ideſt, ſublimiorem doctrinam recipiunt, licet ſint & ſpirituales permulti, qui traditas ſibi doctrinas ſenſu ac ratione aſſequuntur. Igitur non omnes in Chriſtum credentes habent ſpiritum, non ſolum interpretationis, ſed nec diſcuſſionis ac diſcretionis. Quod autem ait Joannes in Epiſtola I. veriſſimum eſt, etenim per ſpiritum fidei, & internam unctionem poterant Parthi dignoſcere quicquid illis in implendis mandatis præſtandum erat, necnon diſtinguere Pſeudoprophetas negantes Verbi divinitatem & Incarnationem; ſed illi hæc myſteria jam per Apoſtolicam prædicationem innotuerant, affirmante ibidem Joanne: *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam.* Ex hoc itaque loco tantum infertur habentes ſpiritum & unctionem Dei, niſi ſuis deſint partibus, ſcire quid ſibi ad ſalutem ſit neceſſarium, nec in errorem ab hæreticis induci, ſi teneant acceptam ab Eccleſiæ Paſtoribus inſtitutionem. Addo internam unctionem non excludere externum Eccleſiæ magiſterium, ſed adjuvare mentem, & inſpiratione occultæ virtutis efficere, ut quæ forinſecus dicuntur, formentur in corde, ſicuti ut arbor poma ferat præſtat internus vigor, ſed neceſſarium eſt tamen, ut agricola forinſecus operetur, adhibeatque diligentem culturam. Si magiſterium Eccleſiæ non requiritur, *Quid ergo nos facimus, qui docemus? Si unctio ejus docet nos de omnibus, quaſi nos ſine cauſa laboramus*, inquit S. P. Auguſtinus Tract. III. in Epiſt. Joan. paucisque interjectis ita ipſum Joannem alloquitur: *Tu dixiſti, quia unctio ipſius docet vos de omnibus, ut quid talem Epiſtolam feciſti? quid illos tu docebas? quid inſtruebas? quid ædificabas?* Ac ſubinde producit allatum agricolæ exemplum, confirmatque illud verbis Apoſtoli 1. ad Corinth. III. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit.* Addo etiam ſermonem Joannis dirigi ad Eccleſias, non ad fideles ſingulos in particulari, hoc ſenſu, Spiritus ſanctus veſtras Eccleſias docet, nec opus eſt, ut Pſeudoprophetæ, quorum multi exierunt in mundum, ſe apud vos intromittant quaſi veritatem docturi. Vide Sylvium Opuſc. V. lib. 1. q. 3. art. 6. ad 5. Eadem reſponſione expeditur quod depromitur ex Evangelio ipſius Joannis. Qui enim fecerit voluntatem Dei, doctrinam ſibi in ſuo ſtatu neceſſariam habebit cognitam ac perſpectam, non tamen ſine doctore externo; quemadmodum Judæi, quos Chriſtus alloquitur, Evangelium tantis argumentis annuntiatum & comprobatum recepiſſent, ſi divinis præceptis obtemperaſſent, dum Deus illis dederat Filium ſuum in ducem, ac præceptorem.

Denique, inquiunt Sectarii, cum Scriptura ſit verbum divinum, nequit ab homine teſtimonium accipere, nam & Chriſtus Jo. V. 34. dixit, *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio.* Quid enim magis abſurdum, quam divinam auctoritatem ab humana robur accipere, & confirmari? Reſpondemus autem, *τὴν μαρτυρίαν λαμβάνειν, teſtimonium accipere*, apud Joannem duplicem habere ſenſum; primus eſt, *alterius teſtimonium admittere:* ſecundus *alterius teſtimonium requirere, eoque indigere.* Priori ſenſu ait Joan. cap. III. 32. *Teſtimonium ejus nemo accipit;* & Ep. 1. V. 9. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt.* In altero ſenſu inquit Chriſtus, *Ego non ab homine teſtimonium accipio:* de ipſo enim

ſo enim

Google

ſe enim propria opera perhibebant teſtimonium, ut ibidem ait, *majus Joanne*. Nego itaque quod Chriſtus non admittat aliud teſtimonium, etſi illud non ita requirat, quaſi aliunde ipſius veritas non conſiſtat. Eodem loci verſu 32. ait: *Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me, & ſcio quod verum eſt teſtimonium, quod perhibet de me*: & cap. xv. 27. Apoſtolos alloquens, ait, *Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis*. Igitur Chriſtus & Joannis, & Apoſtolorum teſtimonium accepit. Ab hoc autem teſtimonio veritas non habet in ſe robur ac firmitatem, ſed explicatur, proponitur, exhibetur. Præterea Chriſtus Joan. v. ſermonem inſtituit de propria divinitate ac miſſione; quam cum probaſſent tot prodigia ab ipſo patrata, teſteros eſſet apud Jordanem cæleſtis Pater, ac olim prænuntiaſſent recepta a Judæis prophetarum oracula, non opus erat humano teſtimonio corroborare. Nunc vero ſi ambiguum ſit judicium de ſcripturis, de dogmatibus, de emergentibus controverſiis, quomodo ſpreta Eccleſiæ auctoritate poterit veritas definiri?

Objectant præterea hæretici ſanctorum Patrum auctoritatem. Etenim aſſerere videntur Scripturam unicuique apertam eſſe, & non indigere vivis judicibus, Juſtinus, Joannes Chryſoſtomus, & S. Pater Auguſtinus. Et Juſtinus quidem cum Tryphone diſputans eumdem ſolis propheticis teſtimoniis revincit, eaque tam enucleata eſſe contendit, ut auditione ſola, non interpretatione opus habeant. Chryſoſtomus hom. 3. in 2. ad Theſſalonic. affirmat *omnia in Scripturis divinis plana eſſe*. S. autem Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. vi. ait: *Magnifice, & ſalubriter Spiritus ſanctus ita Scripturas ſanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim fere de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſime dictum alibi reperiatur*. Quæ ergo in uno Scripturæ textu apparent intellectu difficilia, aliorum textuum collatione enodantur.

Reſpondeo perperam Sectarios ad Patrum auctoritatem confugere. Quomodo enim, ſi Scriptura clara eſt, neque indiget Eccleſiæ approbatione, latere in illa divinorum myſteriorum theſauros omnes aſſeruerunt? Quomodo obſcuriſſimam appellarunt Irenæus lib. ii. cap. 47. Origenes lib. 3. contra Celſum, Clemens Alexandrinus, & Baſilius ſuprecitati? Quomodo Chryſoſtomus ait eſſe agrum in quo abſconditus eſt ſapientiæ theſaurus, ejuſque profunditatem miratur hom. 40. in Joannem, 19. in Acta, & in Epiſtolam ad Philippenſes? Quomodo Ambroſius Epiſt. 44. ad Conſtantium ſcribit eſſe mare habens in ſe profundam altitudinem propheticorum ænigmatum? Quomodo Hieronymus ſcribit ad Paulinum, eam ſine magiſtro ac doctore intelligi non poſſe, & quæſt. x. ad Hedibiam, tantis obſcuritatibus involutas eſſe Epiſtolas Pauli, ut ad illas intelligendas Spiritus ſancti indigeamus auxilio? Quomodo ſanctiſſimus parens Auguſtinus eodem, quem objiciunt, loco inquit quædam Scripturæ dicta obducere caliginem denſiſſimam, & edomandam eſſe labore ſuperbiam, atque in illius Operis prologo Pauli Apoſtoli & Cornelii nobis exemplum proponit, ut nos Eccleſiæ magiſterio imbuendos ſubjiciamus, vitemuſque præſumptiones ſuperbiſſimas & periculoſiſſimas? Itaque Juſtinus loquitur de Meſſiæ adventu, & cum Judæo recipiente prophetarum oracula, quibus evidenter demonſtrant veniſſe promiſſum in lege Reparatorem: unde tantum infertur quædam in Scripturis prænuntiata poſſe propugnari adverſus inimicos veritatis, dummodo & hi ex majorum ſuorum traditione Scripturas ipſas recipiant. Chryſoſtomus intelligendus eſt de ea Scripturarum parte, quæ continet moralia præcepta, quæ ut plurimum dilucide proponuntur: quamquam in iis etiam Eccleſiæ inſtitutionem aliquibus neceſſariam agnoſcit, dum ait citata hom. 3. *Si non potueris aſſiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad ſapientiorem, vade ad Doctorem*. S. P. Auguſtinus, neque de omnibus Scripturæ locis accipiendus eſt, ut liquet ex illa particula, *fere*: neque commendat Scripturas abſque Eccleſiæ auctoritate & conſultatione: ſed de hac ſcribit proximo capite viii. *In Canonicis autem Scripturis Eccleſiarum catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur*. Ac lib. iii. ejuſdem Operis cap. 2. *Conſulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ auctoritate percepit*. Similiter libro primo contra Creſconium cap. 33. *Quiſquis falli metuit obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſacra Scriptura demonſtrat*. Quid plura? Trita eſt omnium ſermone præclara Auguſtini ſententia cap. 5. contra Epiſtolam Fundamenti: *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas*.

Poſtremo hæretici argumentantur a ratione, nobiſque objiciunt vitioſum circulum. Enimvero probamus Scripturam ex Eccleſia. Eccleſiam autem unde probamus? Ex Scriptura. Agimur itaque in fallaci circulatione, non minus ac inepte & ſtolide vagaretur, qui comprobaret matris alicujus honeſtatem ex teſtimonio filii: & interrogatus, undenam ſciat filium eſſe teſtem idoneum ac probum, reponeret id patefieri atteſtatione matris. Adduntque penes Eccleſiam nullam haberi auctoritatem irreformabilem, cum omnis homo ſit mendax, ideoque minime aptus ad ferendum judicium de verbo Dei, quod ſubjici nequit errori.

Reſpond. Si aliquis imperite argutando fallaci ambitu circumagitur, hunc eſſe Petrum, aut Calviniſtam aliumve ſimilem adverſus Catholicos eſurientem. Nam unde probant Sectarii eſſe normam ad Scripturam dijudicandam privatam inſpirationem? Ex ipſa Scriptura. Unde norunt Scripturam eſſe divinam, atque hoc, vel illo ſenſu exponendam? Ex privati ſpiritus perſuaſione. Ipſi ergo hæretici vitioſo ambitu circumaguntur. At nos nequaquam tali circulo agi conſtat, quia *circulus* committitur, quando hoc per illud, & illud viciſſim per hoc probatur apud illum, qui neutrum concedit, atque ita circulatur qui apud Judicem probare nititur honeſtatem matris teſtimonio filii, & honeſtatem filii teſtimonio matris, quum tam filii, quam matris honeſtas inexplorata ſit & ambigua: circulantur hæretici, qui nobis contendunt demonſtrare privatum ſpiritum ex Scripturis apertiſſimis, eaſdemque Scripturas ex perſuaſione privati ſpiritus, dum nos utrunque negamus, & ſcripturas quas proferunt eſſe apertiſſimas, & privati ſpiritus perſuaſionem ad Scripturas dijudicandas idoneam eſſe. Verſaremur & nos in tali circulo, ſi ad refellendum Paganum comprobaremus veritatem Religionis Chriſtianæ ex Scripturis, veritatem Scripturarum ex fide, quæ viget in Religione Chriſtiana, dum Paganus ille utrumque præfracte denegat. Hunc non tali methodo ad fidem pertrahere ſtuderemus; ſed propoſitis argumentis iii. cap., quæ dici ſolent *motiva credibilitatis*, ac demonſtrata ſummi Dei revelantis auctoritate, illum adigeremus ad præſtandam fidem Eccleſiæ ob eamdem Dei auctoritatem, implorata, a qua fides eſt, Chriſti gratia. At inimicos veritatis, qui ex fidei controverſiis aliquam nobiſcum propugnant, ex veritate quam probent nitimur refutare. Negant Manichæi vetus teſtamentum? Manichæos confutamus ex teſtamento novo quod approbant. Negant Lutherani auctoritatem Eccleſiæ? Lutheranos revincimus ex utroque teſtamento quod non abjiciunt. Neget Catholicorum aliquis incompertum ſibi dogma? Catholicum convincimus auctoritate Eccleſiæ, cui ſe ſubmittit. Atque id non eſt circulando vagari, ſed recta aggredi oppugnatorem. Ubi autem Novatores omnia fere Romanenſium Theologorum dogmata impugnantes nobiſcum decertant, non utimur nos uno duntaxat Scripturæ textu; ſed ubi negant Eccleſiæ judicium, urgemus teſtimonia Evangelii: ubi Traditiones, opponimus Epiſtolas Pauli: ubi Scripturarum canonem, obtrudimus & Traditiones, & Eccleſiæ judicium, quæ non jam ex Scripturis comprobavimus. Atque ita non ex ignotis ignota, ſed ex probatis ea quæ negantur inferimus. Quod ſi unum Scripturæ locum ex ipſa Scriptura explicamus, confugimus ad contextum magis expreſſum; ad ſacri Scriptoris ſcopum, ad magis probatam Verſionem, ad linguarum etiam proprietatem atque ſyntaxim, & ex iis, quæ nota ſunt, ea quæ ignota erant interpretamur, recepto tamen, quod ſpernunt Sectarii, vivorum Judicum magiſterio. Si hoc ſit vagari circulatione; nulla eſt, quæ non laboret tali vitio, in qualibet ſcientia ratiocinatio.

Dum objiciunt omnem hominem eſſe mendacem, quid aliud probant, niſi mendacem eſſe Lutherum, mendacem Calvinum, mendacem cujuſque hæretici ſpiritum, qui proculdubio eſt humanus? Et quidem hujus mendacii argumentum eſt arrogantia, vanitas, pervicacia, contradictio, & quæ paullo ſupra redarguimus. At ſummus Eccleſiæ Rector, licet homo ſit, divino Spiritu dirigitur, juxta factam beato Petro promiſſionem, quod nunquam deficiet fides ejus, & nunquam portæ inferi adverſus eum prævalebunt. Ceteris directio Spiritus ſancti non adeſt, niſi cum ipſo Eccleſiæ Capite conjuncti ſint; ac propterea controverſiarum fidei ſupremus Judex eſt ſolus Romanus Pontifex; cujus auctoritatem alibi vindicabimus.

CAPUT V.

Præter divinam Scripturam ſacras quoque Traditiones eſſe admittendas.

NOVATORES, ut diximus, ſolam Scripturam judicandorum dogmatum normam & regulam ſtatuunt, quoniam illam pro libitu in pravum ſenſum detorquentes facilius veritati repugnant, erroremque ſuum inſolenti pervicacia tuentur, facti veterum omnium hæreticorum imitatores. Nam poſt Sadducæos, qui ante Chriſti adventum in Hebræorum gentem plures hæreſes intruſerunt, temere negantes quicquid veteris Teſtamenti ſcriptis non continetur, ut ſcribit Joſephus lib. xiii. Antiq. cap. 18., nullam præter Verbum Dei ſcriptum fidei regulam agnovere priorum duorum ſæculorum hæretici, Valentiniani præſertim, & Gnoſtici, apud S. Irenæum lib. iii. cap. 2. Idem præſtiterunt Ariani rejicientes *Homoouſion*, propterea quod in nullo ſacro librorum ſcriptum ſit, ut liquet ex Epiſtola S. P. Auguſtini ad Paſcentium, & ex 2. adverſus Maximinum libro: idemque Macedoniani, & Eunomiani refutati a Magno Baſilio in Opere ad Amphilochium, Eutychiani, ut liquet ex Act. 1. Concilii Chalcedonenſis, Pelagiani, apud S. Patrem Auguſt. de Nat. & Grat. cap. 39. aliique hæretici omnes. At præ cæteris bellum Traditionibus

bus indiaete Lutheri, Calviniſque gregales: & ex his majori fortaſſis audacia, extremoque conatu Chemnitius, Dallæus, Georgius Calliatus, ac Baſnagius. Innumeri ex adverſo pii, doctique Theologi Verbum traditum propugnarunt: eorumque communia hæreticorum argumenta diluunt Canus, Bellarminus, Valamburgenſes, aliique ſacrarum Controverſiarum Tractatores; Chemnitium refutavit in libris Stromatum Wilelmus Lindanus: Dallæo ſatisfecit Nicolaus L'Hermioier Tom. 8. pag. 194. & Natalis Alexander diſſert. xvi. 2. Sæculi, ac Samueli Baſnagio Abbas Benedictus Bacchini in Epiſtolis Polemicis vernacula lingua contra Jacobum Picenioum conſcriptis. Ut ex Noſtratibus aliquos recenſeam, præter Hyacinthum Tonti, & Taddæum Caluſchi ſuperiori capita commemoratos, dignus eſt qui legatur Carolus Moreau Tom. iii. Tertull. pag. 716. & ſeqq.

Ut præſens quæſtio dilucide reſolvatur, præmittendum eſt, quid ſit Traditio, quotuplex, & quibus notis diſcerni poſſit. Ac primo appellantur Traditiones illa quoque dogmata, quæ in Scripturis ſanctis continentur: quo ſenſu falſi teſtes Act. vi. 14. de Stephano dixerunt: *Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jeſus Nazarenus hic deſtruet locum illum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes*. Deinde Traditio accipitur pro doctrina, quæ primum prædicatione Apoſtolorum propagata eſt, poſtea ſacris etiam literis conſignata, ut 1. ad Corinth. xi. 23. *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus, &c.* Tertio Traditio accipitur prout verbo Dei ſcripto non continetur, ſed ore a patribus derivatur ad poſteros: atque de hac Traditione cum hæreticis ad ſolam Scripturam provocantibus decertamus, affirmantes plura a nobis de fide tenenda eſſe, quæ in Verbo Dei ſcripto minime inveniuntur expreſſa.

Traditionum autem genus multiplex eſt. Aliæ ſunt divinæ, quæ nonniſi a Chriſto Domino ducunt originem, ut quæ ſpectant ad formam & materiam Sacramentorum, a Deo homine, qui ſolus potuit gratiam ſenſibilibus ſignis alligare, inſtitutorum. Quædam ſunt Traditiones Apoſtolicæ, quæ ab Eccleſiæ incunabulis, ab Apoſtolis divino Spiritu afflatis Eccleſiis fuerunt propoſitæ, ut jejunium quadrageſimale in Chriſti memoriam, animarumque medelam primitus inſtitutum, & fidei ſymbolum recitandum a Catechumenis ſacro lavacro expiandis. Aliæ ſunt traditiones Eccleſiæ ſano, providoque conſilio inductæ, & paullatim receptæ, cujuſmodi ſunt ritus in Sacramentorum adminiſtratione ſervandi, ordo precum, feſtorum plurium inſtitutio, & alia id genus permulta: in quibus diſtinguendum eſt, quod ſervat univerſalis Eccleſia, & quod in uſu eſt apud Eccleſias peculiares, ut de jejunio ſabbati ſcribit S. P. Auguſtinus in Epiſtola ad Caſulanum, & de cantu Eccleſiaſtico lib. ix. Confeſſ. cap. 7. Non contendimus adverſus hæreticos ſervandas eſſe traditiones omnes ſingularium Eccleſiarum, ſed divinas, Apoſtolicas, & univerſalis Eccleſiæ uſu, & auctoritate probatas: in ceteris dicimus ſequendum morem illius Eccleſiæ, apud quam commoramur. Harum traditionum quædam ad doctrinam ſpectant, ut dogma de canone Scripturarum, & de perpetua Deiparæ Virginitate: quædam ad mores, ut jejunium, Sanctorum cultus, Monachalis inſtitutio: quædam ad diſciplinam, ut baptiſmi collatio per immerſionem, vel ablutionem. Poſtremum locum tenent traditiones humanæ, quæ, ut ab Eccleſiaſticis diſcernuntur, ſunt inſtituta hominum pro libito inducta, ſæpenumero legum præſcriptionibus adverſantia; ut de traditionibus Phariſaicis diximus hujus voluminis pagina 283.

Ad diſcernendas Chriſti, & Apoſtolorum traditiones his regulis utimur. I. Si univerſa Eccleſia tamquam fidei dogma amplectatur, quod nonniſi ſolus Deus potuit conſtituere, etſi ſcriptum illud non ſit, deſcendit tamen ex traditione divina. Hujus regulæ ratio eſt, quia cum Eccleſia univerſa non poſſit errare in fide; quicquid tamquam de fide credendum proponit, id certiſſime a Deo revelatum eſt. Traditur hæc regula ab Irenæo lib. iii. adverſus hæreſes cap. 2. a Tertulliano de Præſcript. cap. 28. a Cypriano lib. iii. Ep. 13. & a S. P. Auguſtino lib. 2. de Baptiſm. cap. 7. II. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Deprompta eſt hæc regula a S. P. Auguſtino lib. iv. de Baptiſmo contra Donat. cap. 24. hujuſque regulæ ratio aperta eſt, quoniam vetuſta conſuetudo, cujus inſtitutionem ac initium non invenimus, ad Apoſtolorum uſque tempora debet referri. III. Doctrina, quam Eccleſia univerſa quovis ſæculo propugnavit, etſi in aliqua particulari Eccleſia viguiſſe non conſtet, perpetuo tamen ſervata eſt in Eccleſiis præcipuis, atque Apoſtolicis, ex Chriſti, & Apoſtolorum traditione manavit. Deſumpta eſt hæc regula ex Irenæo lib. iii. cap. 2. & 3. & ex Vincentio Lirinenſi cap. 2. Commonitorii: & liquet; nam dum ſervamus antiqua dogmata Eccleſiarum Apoſtolicarum, ab his ſenſibus nullatenus recedimus, quos majores, ac patres noſtros habuiſſe comperimus. IV. Si uno ore viri Eccleſiaſtici teſtentur dogmata aut conſuetudinem ab Apoſtolis derivaſſe, aut contrarium aſſerentes tamquam hæreticos reprobent; divinæ aut Apoſtolicæ traditionis certum eſt argumentum. Ita docuerunt PP. Septimæ Synodi art. 6. Hieronymus in Epiſt. ad Pammach. & Leo Papa Epiſt. 13. ad Auguſtam: quod & rationi conſentaneum eſt, quia dum adhæremus doctoribus Eccleſiaſticis, & disjungimur ab hæreticis, ſequimur Spiritum veritatis, rejicimuſque Pſeudoprophetas, homineſque mendaces. Vide Melch. Canum libro iii. cap. 4. Franc. Sylvium lib. ii. Controv. Q. iii. art. 5. Gaſp. Juenio Diſſert. iv. q. ii. cap. 3. &c. E contra traditio divina, aut Apoſtolica cenſenda non eſt, ſi non ab univerſa Eccleſia ſervetur, ſed vigeat duntaxat in aliqua Eccleſia particulari: ſi perantiqua non ſit, ejuſque inſtitutionis deſignetur origo: ſi a perpaucis, licet antiquis, Scriptoribus commemoretur, ſed repugnent alii numero, doctrina, & auctoritate præcipui: ſi denique viri Eccleſiaſtici, & Apoſtolica præſertim Eccleſia, tamquam novellam adinventionem illam repudient, atque proſcindant. Legatur S. Vincentii Lirinenſis Commonitorium cap. 20. 21. 22. 28. His præmiſſis ſit

PROPOSITIO. Admittandæ ſunt divinæ, & Apoſtolicæ Traditiones.

Demonſtratur primo; quoniam nemo ſanæ mentis negare poteſt, Eccleſiam antiquiorem eſſe Scripturis, & aliquandiu ſolam traditionem veræ fidei normam fuiſſe. Etenim in lege naturæ nulla Scriptura extitit, quæ divinam haberet auctoritatem. Primus omnium canonicos libros ad Eccleſiæ inſtitutionem aut Jobus ſcripſit, aut Moſes, nam librum Enoch, alioſque vetuſtos neque Synagoga tamquam divinos unquam habuit: & nihilominus ad notitiam uſque noſtram pervenerunt ſacrificia, quæ obtulit Abel, Dei cultus confirmatus ab Enos, immolata a Noe holocauſta, acceptum a Deo mandatum circumciſionis, & poſteris Abrahami annuntiatum, altaria a Jacob erecta, aliaque legis naturæ inſtituta, abſque membranis, tabuliſque ſervata. In lege itaque naturæ fidei regula non erat verbum ſcriptum, ſed traditum, per quod filii a parentibus religionem, ritumque colendi Deum edocebantur, quemadmodum innuit S. David, dicens: *Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis, ut cognoſcat generatio altera, &c.* Pſ. lxxvii. 5. In lege autem Moyſi, etſi plura ſacris literis fuerunt conſcripta, plura tamen alia fide certiſſima tenebantur ex ſola traditione majorum. Atque, ut mittam, quæ negant hæretici, ut ſacrificia pro defunctis, quæ ante Machabæorum tempora nulla Scriptura legis expreſſerat; aut quæ ſpeciatim deſignare non poſſumus, ut remedium pro fœmellis ad originalem maculam expiandam: undenam acceperunt Judæi Moyſen eſſe Auctorem librorum, qui ſub ejus nomine circumferuntur, eoſque fuiſſe Deo inſpirante exaratos, niſi ex traditione? unde ceterorum ſacrorum librorum, niſi tradente Synagoga, canonem habuerunt? unde cruentis victimis didicerunt præſignari Chriſtum Reparatorem? Profecto ex Patrum inſtitutione, de que idem Regius Vates Pſalm. xliii. *Deus auribus noſtris audivimus, Patres noſtri annuntiaverunt nobis*. Si denique de Evangelica lege ſermonem inſtituamus, Chriſtus Dominus nihil ſcripſit, quod canonicum eſſe ſciamus; nec Apoſtolis præcepit, ut literis mandarent Evangelica dogmata, ſed ut ea univerſis hominibus annuntiarent, adeo ut Chriſti fides, juxta Prophetarum vaticinia, prius cordibus, quam tabulis inſcripta fuerit. Præceſſit itaque Traditio Scripturam, & aliquando Eccleſia & Religio abſque Verbo Dei ſcripto ſubſtiterunt.

Demonſtratur ſecundo; nam, ut liquet ex præcedenti capite ſola Scriptura non eſt dijudicandorum dogmatum norma. Sine Eccleſiæ auctoritate Evangelio nemo prudens aſſentiretur: illius judicio canonicos libros ſecernimus ab Apocryphis, & ſenſus Scripturarum ambiguos non privato ſpiritu definimus, ſed docente Eccleſia tantummodo, ſine erroris periculo aſſequimur. Arbitror id paullo ſupra fuiſſe ſufficienter comprobatum. At Eccleſia qua regula uti poteſt ſive ad canonem ſacrorum librorum definiendum, ſive ad ſenſum obſcurum perplexumque enodandum, niſi forte traditione Majorum? Ipſa commonſtrante quatuor tantum Evangelia ſuſcipimus, & ſpuria ac fictitio nomine intruſa repellimus, ut lib. vi. H. E. cap. 10. & 19. probat Euſebius teſtimonio Serapionis, & Origenis. Neque eſt neceſſaria aliorum teſtium auctoritas; poſtquam vidimus inepte probari ex ſcriptura ſcripturæ ipſius canonem, aut inſpirationem. Idem aſſerendum de Scripturarum interpretatione; quam ex unanimi Patrum ſenſu petendam eſſe, jure meritoque ſcribit Agatho Papa in Epiſtola, quæ extat Act. iv. Synodi ſextæ. *Si enim*, ut verbis utar Lyrinenſis cap. 38., *divinis eloquiis, ſententiis, promiſſionibus Diabolus & diſcipuli ejus utuntur, quid facient Catholici omnes, & matris Eccleſiæ filii quonam modo in Scripturis ſanctis veritatem a falſitate diſcernent? Hoc ſcilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commentarii iſtius ſanctos, & doctos viros nobis tradidiſſe ſcripſimus, ut divinum canonem ſecundum univerſalis Eccleſiæ Traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur*. Traditio itaque tam ad diſcernendas divinas Scripturas ab apocryphis, quam ad illarum ſenſum legitimum diſquirendum eſt ſummopere neceſſaria.

Tertia demonſtratio ſit. Plura nobiſcum hæretici propugnant dogmata, quæ nequeunt ex Scripturis probari, quum

ibi-

ibidem aut nullo pacto, aut nonniſi obſcure contineantur. Perpauci ſunt, qui adverſus Helvidium non fateantur perpetuam Deiparæ virginitatem, & contra Apollinariſtas deſcenſum Redemptoris ad Inferos. Baptizandos pueros ante uſum rationis defendunt adverſus Anabaptiſtas tum Lutherani, tum Calviniſtæ: utrique cenſent valere collatum ab hæreticis baptiſmum. Nequeunt hæc ea ſola Scriptura demonſtrari. Alia ex ſcriptura quidem inferuntur; at non ſi traditionem contemnas: proceſſionem Spiritus ſancti a Filio, divinarum perſonarum in una, eademque ſubſtantia æqualitatem, Sacramentorum numerum, aliaque multa non ita expreſſe in canonicis Scripturis invenies, ut inde poſſint adverſarii prorſus refelli. Imo ſi quæ in Scripturis expreſſa ſunt, facile in contrarium ſenſum detorquentur, Patrum traditione rejecta. *Et jam Proteſtantes* (inquit Grotius in Annotatis ad Conſult. Caſſandri) *quæ tuentur, ea non ſunt omnia αὐτολεξεὶ, ad verbum, in ſacris literis. Dicunt admittendas conſequentias. At ipſi conſequentias ſæpe admittunt ex privato cujuſque ingenio: unde tot & tam gravia inter ipſos diſſidia, & quotidiana divortia. Catholici vero eas admittunt conſequentias, quas admiſit vetus Eccleſia antiqua, & univerſali conſenſu. Atque ita ſtat omne verbum in duobus teſtibus, in Scriptura & in Traditione, quæ mutuo facem ſibi allucent.* Vidit hujus argumenti firmitatem etiam vir ille peracutus, a communione noſtra alienus.

Quartum argumentum depromitur ex confutatione hæreſum, quæ non ſolum Scriptura, verum etiam Traditione, & hac præſertim fuerunt refutatæ. Gnoſticos refellit S. Irenæus lib. III. cap. 3. primum ex Traditione Eccleſiæ Romanæ, cujus dogmata probat eſſe inconcuſſa ex legitima ſucceſſione Pontificum a Petro uſque ad ſedentem eo temporis Eleutherium; deinde ex Traditione Eccleſiæ Smyrnenſis, quæ Epiſcopum ac magiſtrum habuit virum ab Apoſtolis edoctum, & cum eiſdem converſatum, ſanctiſſimum ſcilicet, invictiſſimumque Chriſti martyrem Polycarpum: tertio ex Traditione Eccleſiæ Epheſinæ, quam fundavit Paulus, ac diu rexit Joannes, & quæ poterat traditionis Apoſtolicæ verax teſtimonium præbere. Confutatos Arianos in magna Nicæna Synodo ex vetuſtis Epiſcopis, & Scriptoribus, qui ante eamdem Synodum eos, qui Filium Dei facturam eſſe dicerent, non autem Patri conſubſtantialem reprehenderant, ſcribit libro I. H. E. cap. 8. Theodoritus. Quinta Synodus, ſive Conſtantinopolitana II. can. 9. anathematizavit Neſtorianos autumantes Verbum incarnatum adorandum non eſſe eadem adoratione cum aſſumpta humanitate, *ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt*. In Sexta Synodo ſeu Conſtantinopolitana tertia, diſcuſſa ſunt omnium præcedentium Patrum teſtimonia ad evincendas duas in Chriſto voluntates, & profligandam hæreſim Monothelitarum, ut liquet ex Act. IV. X. & XVIII. Septima vero, ideſt, ſecunda Nicæna nonne in definitione fidei confirmavit ſacrarum Imaginum cultum ex Eccleſiaſtica Traditione? Idem præſtitiſſe adverſus ſubortas alias hæreſes poſteriora Concilia, neque hæretici denegant. Tenuerunt eamdem viam ſancti Patres, de quibus paullo infra. Incredibile autem eſt Eccleſiam Chriſti in refellendis hæreſibus uſam fuiſſe incertis, fluxiſque argumentis. Si ergo adverſus inimicos veritatis ſemper objecit Veterum Traditiones; ſunt iſtæ Eccleſiaſticorum dogmatum fulcrum firmiſſimum atque inconcuſſum.

Sit argumentum quintum petitum ex ſacris literis. Proverbiorum I. 8. legitur: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ*; quod de Traditionibus ſanctæ matris Eccleſiæ interpretatur laudandus infra Epiphanius. Joannes ultimo: *Sunt & alia multa quæ fecit Jeſus, &c.* ex quo loco Traditiones comprobat S. Thomas III. p. q. 83. art. 4. Apoſtolus Paulus I. ad Corinth. XI. 3. commonſtrans ſe plura Corinthiis traditurum, quæ in Epiſtola prætermittebat, *cetera*, inquit, *cum venero diſponam*: hinc enim S. Pater in Epiſtola ad Januarium 118. nunc 54. cap. 6. probat ex Apoſtolica traditione deſcendere quod Euchariſtia nonniſi a jejunis accipiatur, & ab Apoſtolis ordinatum eſſe quod univerſa per orbem ſervat Eccleſia, neque ulla morum diverſitate variatur. Idem Apoſtolus 2. ad Theſſalonicenſes II. 14. ait: *Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*. De quo teſtimonio Orat. IV. Chryſoſtomus: *Hinc eſt perſpicuum quod non omnia tradiderunt per Epiſtolas, ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque eſſe fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſemus eſſe fide dignam. Eſt traditio: nihil quæras amplius*. Similia Damaſcenus lib. IV. cap. 17. Timotheum vero idem Apoſtolus II. Epiſtola cap. I. ita alloquitur: *Formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiſti. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum*. Quo in loco apertiſſime traditiones commendare primo teſtatur prælaudatus Chryſoſtomus ſcribens in ea verba: *Non modo per literas, ſed etiam verbis diſcipulo quæ eſſent agenda dictavit: quod plurimis aliis in locis oſtendit, dicens: Sive per verbum, ſive per Epiſtolam quaſi per nos miſſam. Ne igitur minus aliquid doctrinæ habere putemus, plurima illi abſque ſcripto tradidit, quæ illi modo ad memoriam revocans, dicit, Formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiſti*. Deinde quid eſt, *depoſitum*, niſi doctrina per manus tradita, & quaſi theſaurus alteri creditus, ut inquit Vincentius Lirinenſis cap. 27. Commonitorii? His itaque, aliiſque Scripturarum ſanctarum oraculis Traditiones Apoſtolicæ commendantur.

Sextum argumentum ſententiis ſanctorum Patrum conſtituitur. Ex illorum autem numero ſeligam, quos hæretici magna doctrinæ laude celebrari, ac ſumma præſtare auctoritate non denegant, & quos ad ſe trahere irrito conatu nituntur, Irenæum ſcilicet, Tertullianum, Epiphanium, Baſilium, Cyprianum, Auguſtinum. Nam de Papia Hierapolitano, Ignatio Martyre, & Clemente Alexandrino, aliiſque ſat eſt, ſi loca breviter indigitando aliquid contracte dicamus. Igitur Irenæus lib. III. cap. 2. demonſtrans eam eſſe hæreticorum hominum vafritiem, ut dum Scripturis arguuntur, in accuſationem convertantur ipſarum Scripturarum, *Cum autem*, inquit, *ad eam iterum traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ ſucceſſione Presbyterorum in Eccleſia cuſtoditur, provocamus eos, adverſantur Traditioni*: atque ex his infert hæreticos neque Scripturis, quas pro libito temerant, neque Traditioni, quam repellunt, conſentire. Cap. autem III. Valentinianos primum traditione, deinde Scripturis confutaturus, illius firmitatem his verbis corroborat: *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in omni Eccleſia adeſt reſpicere omnibus, qui vera velint videre: & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale ab his deliratur.* Atque eo loci præfert Irenæus traditionem Romanæ Eccleſiæ a duobus Apoſtolis Petro & Paulo erectæ & conſtitutæ, nec non Eccleſiæ Smyrnenſis, & Epheſinæ, quarum illa a Polycarpo, hæc a Joanne Evangeliſta edocta fuit. Refutatis poſtea Gnoſticis ex Traditione, S. Irenæus cap. 5. eoſdem Scripturis impetens ait: *Traditione igitur quæ eſt ex Apoſtolis ſic ſe habente in Eccleſia, & permanente apud nos, revertamur ad eam quæ eſt ex ſcripturis oſtenſionem.* Hic reſpondere nequeunt hæretici Irenæum Traditionem accipere pro ipſis Scripturis, aut pro Fidei Symbolo, ut comminiſcitur Grabius. Enimvero aperte Irenæus Traditionem a Scriptura diſtinguit, & duplici telo Valentinianos confodit: deinde ait hanc traditionem etiam ſine charta & atramento ab innumeris barbarorum gentibus, quæ in Chriſtum crediderunt, cuſtodiri: ulterius affirmat ordinem traditionis fuiſſe tenendum, etiamſi Apoſtoli Scripturas non reliquiſſent nobis. Vide Irenæum eodem libro cap. 4. Symbolum autem qua fronte nunc callidi hæretici obtrudunt, cum ab Apoſtolis editum denegent, & ſi editum fateantur, admittant nihilominus dogmata, quæ in Symbolo non continentur, ut parvulorum baptiſmum, & originalis peccati propagationem?

Hæc cum erudite pertractaverit Renatus Maſſuet ſuis in Irenæum Adnotationibus, ac præſertim prævia diſſertatione III. art. 3. effugiumque omne adverſariis præcluſerit, id ægre ferens Joannes Franciſcus Buddeus irrito conatu Maſſuetum refellere aggreſſus eſt. Ait primo eruditiſſimum virum dum initio diſſertationis ſcribit, *Scripturas ſacras eſſe regulam veritatis, certam, & immutabilem, cui nihil addere, vel detrahere fas eſt*, confiteri opus non eſſe traditionibus. Sed quid inſulſius, ineptiuſque potuit proferri? Divinæ quidem Scripturæ ſunt ejuſmodi regula, eiſque non licet ſcripturas alias apponere, neque eas fas eſt interpolare, & mutilas reddere; ſed ad hanc regulam Maſſuetus adjicit alteram, quam ab Irenæo prædicari invicte demonſtrat, ut nonniſi ſcurriliter ſe gerat Buddeus affirmans confeſſionem Maſſueti ſibi eſſe gratiſſimam, dum vir clariſſimus exornat hæretici dogmatis refutationem. Deinde Buddeus ex verbis Irenæi aſſerentis hæreticos dum ſcripturis exagitantur confugere ad Traditiones, infert hæreticos eſſe, non orthodoxos, qui traditiones ipſas recipiunt. Firmum ſane hæreſeos præſidium, dignumque, ut eſt in proverbio, patella operculum! Enim vero S. Irenæus lib. III. cap. 2. num. 1. ſcribit Valentinianos, dum Scripturis premuntur, in accuſationem converti ipſarum Scripturarum, affirmantes recipiendam eſſe traditionem, de qua Apoſtolus ait, *Sapientiam loquimur inter perfectos*; verum hanc traditionem, ac ſapientiam ab unoquoque adinveniri, *ut digne ſecundum eos ſit veritas aliquando quidem in Valentino, aliquando in Marcione, aliquando in Baſilide: unuſquiſque enim ipſorum omnimode perverſus ſemetipſum regulam veritatis depravans prædicare non confunditur*. Poſt hæc Irenæus n. 2. provocat Valentinianos ad eam traditionem, quæ eſt ex Apoſtolis, quam ex ſucceſſione Epiſcoporum demonſtrat perſiſtere in Eccleſia Romana; cujus Pontifices enumerat uſque ad Eleuterium tunc temporis ſedentem. Apertiſſimum ergo eſt, S. Irenæum hæreticos appellare qui rejiciunt traditiones Romanæ Eccleſiæ, probanteſque doctrinam poſt Apoſtolos ab hominibus excogitatam, ut Valentini deliramenta nunquam Romæ ante Hyginum audita, atque rejecta veritatis regula, ſemetipſos, propriamque adinventionem deprædicantes: cujus generis ſunt Novatores ſectantes placita Lutheri, aut Calvini, contemnentes Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ doctrinam, atque ad normam proprii ſpiritus Scripturarum ſenſum dijudicantes. Nemo quippe neſcit, ut diſſert. VI. in libros

bros Irenæi cap. 5. animadvertit Nicolaus Nourry, paganos, eique hæreticos contra naſcentem Chriſti Eccleſiam uſos traditionum ſuarum argumento, cum tamen hæ traditiones ex corruptiſſimo nefandi erroris fonte manaverint, & admittendæ ſint illæ traditiones tantummodo, quæ ab Apoſtolis ad nos tranſmiſſæ probantur. At, inquit Buddeus, eo tempore adhuc ex traditione colligi poterat Eccleſiæ ſententia, quam Irenæus opponeret Gnoſticis adeo inflatis, ut ſe Apoſtolis ſapientiores eſſe jactarent. Principio hæc adverſantur hujus Scriptoris ſcopo; neque cohæret, Irenæum loqui contra hæreticos aſſertores traditionum, & traditiones tunc temporis fuiſſe inconcuſſas, atque ad revincendos hæreticos ab Irenæo recte, ſapienterque productas. Præterea Irenæus traditiones ad nos tranſmiſſas probat ex legitima ſerie Epiſcoporum, ſcribens cap. 111, n. 3. *Hac ordinatione & ſucceſſione ea qua eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, & veritatis præconatio pervenit uſque ad nos: & eſt pleniſſima hæc oſtenſio unam & eamdem vivificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſervata, & tradita in veritate*. Ex eadem legitima Epiſcoporum ſucceſſione Apoſtolicam doctrinam dignoſci ſcribit lib. iv. cap. 63. Nequit ergo demonſtrari in Eccleſia Romana adulterare Traditio, quum in ea perſeveret legitima Epiſcoporum ſucceſſio. Ac tandem cum traditiones Apoſtolicæ in univerſam Eccleſiam antiquitus dimanaverint, ſi illas Romana Eccleſia labefactaſſet, id ex aliarum Eccleſiarum traditione deberet commonſtrari, ideoque adhuc perſiſteret Traditionum fundamentum firmiſſimum atque inconcuſſum. Hactenus de Irenæo, qui tam aperte refellit hæreticorum figmenta.

Tertulliani Latinorum antiquiſſimi teſtimonia adeo ſunt invicta, ut eaccuti nulla ratione valeant. De cultu fœm. cap. 3. ait: *Cum Enoch filio ſuo Mathuſalæ nil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum poſteris ſuis traderet: igitur ſine dubio potuit Noe in prædicationis ſucceſſione deligere*. De jejunio cap. 10. *Eorum*, inquit, *quæ ex traditione obſervantur, tantomagis dignam rationem afferre debemus, quantum carent Scripturæ auctoritate*. Idem de Corona cap. 4. pluribus commemoratis, quæ ad baptiſmum, Euchariſtiam, oblationeſque pertinent, *Harum*, inquit, *& aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix*. In v. contra Marcionem cap. 17. ſermonem inſtituens de Epiſtola Pauli, ait, *Eccleſiæ veritate Epiſtolam iſtam ad Epheſios habemus emiſſam, non ad Laodicenos*, & de Carne Chriſti cap. 2. ex traditione evincit *originalia eſſe inſtrumenta*, quæ delere auſus eſt Marcion. Demum de Præſcrip. 28. protulit pervulgatam illam ſententiam, *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum*. Plura colligit Carolus Moreau Tom. 3. v. *Traditio*. His autem conſtat Tertullianum Traditionem comprobare ex primævæ legis inſtitutis: ex traditione repetere Eccleſiaſticos ritus: traditione autographas Scripturas ſecernere a ſuppoſitis; traditionis quoque criterium ſtatuere, multarum ſcilicet Eccleſiarum conſenſionem. Tertullianus itaque omnia, quæ ſupra dicta ſunt, colluſtrat, confirmat, corroborat.

Quid autem Epiphanius? Is H. 60. pag. edit. Petavianæ 511. inquit: *Sed & traditione quoque opus eſt: neque enim ex Scripturis peti poſſunt omnia. Idcirco alia ſcripta, traditione alia ſanctiſſimi Apoſtoli reliquerunt. Quod ipſum ita Paulus affirmat, Quemadmodum tradidi vobis. Item alio loco: Ita doceo, & ita tradidi in Eccleſiis. Item, Si memiviſtis, &c.* indigitans loca in quinto argumento præcitata. Atque H. 76. pag. 912. *Poteſt vero*, inquit, *quiſquam maternam ſanctionem, aut legem patris evertere? quemadmodum a Salomone ſcriptum eſt, Audi fili ſermonem patris tui, & ne repellas legem matris tuæ. Quibus Patrem, hoc eſt unigenitum Deum cum Spiritu ſancto declarat partim ſcripto, partim ſine ſcripto docuiſſe: matrem vero noſtram Eccleſiam decreta quædam habere penes ſe, quæ diſſolvi everti que nequeunt*. His pariter, quibus nil proferri poteſt expreſſius, quintæ argumentationi robur accedit.

At Baſilius in libro de Spiritu ſancto ad Amphilochium tam ſplendide, & enucleate Traditiones adſtruit, ut nullum aliud effugium ſuppeteret Refractariis, quam aureum illud opus magno Baſilio abjudicare: quod in caſſum tentari etiam ex ingenua ſuorum confeſſione oſtendi lib. viii. cap. 9. Ergo Baſilius cit. libri cap. 27. ait *Dogmata, & inſtituta, quæ in Eccleſiis prædicantur, quædam habentur ex doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione; quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſane, vel tenuiter expertus ſit quæ ſint jura Eccleſiaſtica*. Enumerat ibidem aliqua, quæ ex traditione ſervantur, ut communire ſe ſigno crucis, præmittere preces conſecrationi Euchariſtiæ, delinire unctionis oleo neophytum, abrenuntiare in baptiſmate Satanæ & angelis ejus, aliaque plura, quæ confirmat exemplo Moyſis ſtatuentis profanos extra cancellos, quem imitati ſunt Apoſtoli ac patres, a quibus plurima in occulto, & ſine ſcripto fuerunt tradita, ut myſteriis ſuam ſervarent dignitatem, nec dogmatum cognitio propter aſſuetudinem veniret in contemptum. Atque hæc a nebulone quodam inſerta perperam jactat Hermannus, cum ellate Baſilii verba integra proferat in 1. Orat. de Imagin. Jo. Damaſcenus, & Eraſmi conjecturæ, quæ deceperunt Hermannum, Sculretum, ac Proteſtantium alios, ſint, ut alibi diximus, omnium futiles. Cap. 29. ejuſdem libri, *Arbitror*, inquit Baſilius, *Apoſtolicum eſſe etiam non ſcriptis traditionibus inhærere. Laudo, inquit, vos quod omnia mea meminiſtis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis: & illud, Tenete traditiones quas accepiſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam*. Quo in loco Baſilius interpretatur de Traditione non ſcripta textus Apoſtoli paullo ſupra citatos. Addit Baſilius ſatis idoneam comparationem; ſi enim legibus revinci nequeat adverſarius, conſuetudine refutatur: *Ergo*, ait Baſilius, *ſi apud Tribunal probationibus e ſcripto deſtituti multos vobis teſtes produceremus, nonne ſententiam abſolventem a vobis conſequeremur? Quod ſi etiam temporis diuturnitatem pro nobis facientem vobis evidenter oſtenderimus, annon videbimur vobis probabilia dicere, non poſſe litem iſtam jure nobis intendi?* Atque hæc comparatio movit etiam Hugonem Grotium, ut liquet ex ejus diſcuſſione Apologetici Rivetiani; ubi illam confirmat auctoritate Calliſtrati, & Paulli Juriſconſulti. Non poterat ergo Baſilius de ſacris traditionibus loqui magnificentius, quam illis parem cum verbo ſcripto vim tribuere, illis fulcire ſacrorum myſteriorum dignitatem, illis denique religionis, fideique cauſſas definire.

Dicamus nonnulla de Cypriano. Hunc propugnaſſe ſententiam de Rebaptizandis innixum ſuppoſitæ traditioni liquet ex Epiſtolis ad Pompejum, ad Quintum, ad Jubejanum, ad Stephanum; & licet erraverit pro traditione obtrudens conſuetudinem ſolius Africæ, aſſeruit tamen definiendi dogmatis normam eſſe conſenſum, & auctoritatem Majorum: quare Epiſtolæ omnes a Cypriano de hoc argumento conſcriptæ & Traditiones commendant, & ſimul commonent has in Eccleſiis Apoſtolicis requirendas. At inquis, nonne Raymundus Miſſorius palam fecit Epiſtolas illas doctrinamque de Rebaptizandis Cypriano ſuppoſitam? Dixi alibi non unum eſſe de ſententia Miſſorii judicium Eruditorum: virum eſſe H. E. peritiſſimum, emunctæ naris criticum, ejuſque ſtilum perſpicuum ac perpolitum, non ſolum Rotignus ſcribit, verum etiam qui ediderunt Acta Eruditorum Lipſiæ an. 1736. pag. 60. Idem fateri debet quiſquis limatam, elaboratamque diſſertationem perlegerit. At S. P. Auguſtinus, quemadmodum ait non deeſſe, qui hoc Cyprianum non ſenſiſſe contendant, ſed ſub ejus nomine a præſumptoribus atque mendacibus fuiſſe confictum, perſpectaque hæreticorum fraude aliquando de hac re hæſitet fluctuetque: ita ubi opinionem ſuam profert, aperte literas ac de Rebaptizatione ſententiam adjudicat Cypriano, ductus duplici argumento; quorum unum petitur a ſtilo S. Martyris ſingulari, & quaſi certis, quibus diſtinguatur, affectus delineamentis; alterum ex unitate Eccleſiæ ipſis Epiſtolis Cyprianicis vindicate, quam ſana tanto ſtudio minime ſervaſſet Epiſtolarum illarum architectus, ſi fuiſſet aliquis Donatiſta. *Nos tamen*, inquit S. Pater Epiſtolæ ad Vincentium Rogat. 48. nunc 93. num. 39. *Nos tamen duas ob res non negamus illud ſenſiſſe Cyprianum: quod & ſtilus ejus habet quamdam propriam faciem, qua poſſit agnoſci; & quod ibi magis contra vos noſtra cauſſa monſtratur invictior, veſtraque ſeparationis præſumptio, videlicet ne macularemini peccatis alienis, tota facilitate ſubvertitur, cum apparet in literis Cypriani communicata eſſe cum peccatoribus Sacramenta, cum admiſſi ſunt in Eccleſiam, qui ſecundum veſtram, & ſicut vultis, illius ſententiam, baptiſmum non habebant, & tamen Eccleſiam non periiſſe, &c.* Addo Auguſtinum Epiſtolas Cyprianicas ſuo auctori abſque ulla hæſitatione tribuere lib. vi. de Baptiſmo cap. 7. n. 10. & lib. 1. de An. cap. 9. num. 11. Meminit etiam Concilii opera Cypriani celebrati lib. iii. de Bapt. cap. 3. num. 4. & lib. vi. cap. 6. num. 9. Cum Epiſtolas, tum Concilium commemorat S. Hieronymus in Altercatione Orthodoxi & Luciferiani edita an. 378. Tom. iv. pag. 303. & 305. edit. Martianæi. Verum quicquid de his cenſeas; Cyprianus alibi traditionem aperta commendat ſcribens ad Cecilium: *Admonitos autem nos ſcias, ut in Calice offerendo dominica traditio ſervetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit; ut Calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur*.

Sanctum parentem Auguſtinum comprobare ſacrarum Scripturarum autographiam ea traditione, & auctoritate Eccleſiarum, quæ fundatæ ſunt ab Apoſtolis, habentque ſeriem ſibi ſuccedentium Epiſcoporum, demonſtratum eſt Prop. 2. capitis x. ex lib. adverſus Fauſtum, de Civitate Dei, & de Doct. Chriſtiana. Idem Auguſtinus lib. 2. contra Julianum cap. 1. ait Pelegianorum dogmata eſſe *Eloquiis redarguenda Sanctorum*. Peccatum originale & futuri Reparatoris adventum antiquis Juſtis, etiam ante diluvium ac datam legem per traditionem innotuiſſe affirmat lib. 2. de peccat. Origin. cap. 24. Libro iv. de Baptiſmo cap. 24. tradit præclaram dijudicandæ traditionis regulam ſuperius allatam, meritoque a PP. Mauriniis grandiuſculis literis editam. Scripſerat præcedenti libro ii. cap. 7. de conſuetudine non repetendi baptiſmum: *Quam conſuetudinem credo ex*

do ex

do ex Apoſtolica traditione venientem: (ſicut multa, quæ inveniuntur in literis eorum; neque in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam nonniſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur): hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem, &c. Sunt enim Auguſtini etiam quæ clauduntur parentheſi, licet abſint a plurimis Mſſ., ut commonſtrat repetitio illius vocabuli *conſuetudinem*, ob orationem parentheſi interclusa diſtractam. Libro v. ejuſdem Operis cap. 26. loquens de Cypriano inquit: *Quod autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, ideſt ad Apoſtolicam traditionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum.* Recte a Benedictinis adnotatum in Margine: *Certiſſima regula veritatis exploranda Apoſtolica traditio.* Idem Auguſtinus Epiſtola ad Januarium 117. nunc 54. num. 1. *Illa*, inquit, *quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri, ſicuti quod Domini paſſio, & reſurrectio, & adſcenſio in cælum, & adventus de cælo Spiritus ſancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrit quod ſervatur ab univerſa, quacumque ſe diffundit, Eccleſia.* Adeat qui plura cupit Hieronymi Torrenſis Confeſſ. Aug. libro 1. cap. 7. art. 5. & 6.

Ceteros Patres Traditionibus ſuffragari eſt exploratiſſimum. De Ignatio Martyre, Papia, Polycarpo, & Clemente Alexandrino id teſtatur Euſebius in Eccleſ. H. colligitque loca omnia Nat. Alexander. Hieronymus Traditiones commendat adverſus Luciferianos Tom. iv. edit. PP. S. Mauri p. 304. ſcripſerat ſupra pag. 294. *Nam & alia multa, quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt.* Vide & Epiſtolam 52. ad Lucinium eodem Tomo pag. 579. Plura collegit in Confeſſione Hieronymiana Cornelius Schultingus. Sed hæc & genuina, & invicta. Afferunt Patres reliquos Bellarminus lib. iv. cap. 7. & ibidem Bellarmini Vindex Gretſerus, Jodocus Coccius in Theſauro libro vi. cap. 3. Moreau in Tertull. Tom. 3. pag. 716. Lantea in iii. ſent. tom. 3. diſput. 4. DD. ſuperius laudati, aliique plurimi; ut nullum ſit dubium, quin Traditio unanimi ſanctorum Patrum ſenſu probetur.

Poſtrema argumentatio ſit. Ipſi quoque hæretici, velint, nolint, ad Traditionum præſidium, dum inter ipſos gravia emergunt diſſidia, conantur confugere. Quomodo enim Payrerium Syſtematis Præadamitici auctorem refutarunt, niſi Traditione Majorum, quod ipſum impulit ad Calvinianam ſectam ejurandam, ut ipſe teſtatus eſt in ſua ad Alexandrum VII. Deprecatione? Socinianos ſenſum Scripturæ pervertentes nonne teſtimoniis Patrum confodiunt? Nonne vindicata Antenicænorum fide Georgius Bullus, aliique ſeſe tandem ad Majorum placita inquirenda convertunt, ne his abdicatis tamquam novæ doctrinæ aſſertores inſimulentur qui aut Presbyterianis adhærent, aut certæ Religioni nomen dandum eſſe fatentur? David Blondellus Apologiam pro ſententia, ut putat, Hieronymi, de primitiva Epiſcopi & Presbyteri ἰσοτιμίᾳ contexit teſtimoniis Clementis, Hermæ, ſeu Paſtoris, Juſtini, Papiæ Hieropolitani, Irenæi, aliorumque, inanem dans operam ut evincat ſententiam oppoſitam Eccleſiaſticæ traditioni adverſari. Simplicius Verinus, ideſt Salmaſius, nititur Tranſubſtantiationis dogma impugnare coacervatis verbis Cyrilli, Theophylacti, Auguſtini, Euſebii Cæſarienſis, Theodoreti, aliorumque ætate poſteriorum. Hæc tantum exempla ſat eſt protuliſſe. Accedit hæreticorum confeſſio; nam Calvinus contra Pighium, *Non difficulter*, inquit, *inter me, & Pighium in hoc de Traditionibus contentione conveniret poſſet, ſi modo Eccleſiæ traditionem ex certa & perpetua Sanctorum & Orthodoxorum conſenſu demonſtraret.* Philippus Melanchthon apud Grotium Tom. iv. Op. Th. pag. 724. *Univerſalis conſenſus omnium temporum eſt teſtimonium quod hæc ordinatio eſt Apoſtolica.* Chemnitius in Examine Conc. Trid. pag. 306. ſcribit: *Hanc traditionem, quæ nobis in manus dantur ſanctæ Scripturæ libri, reverenter ſuſcipimus.* Druſius, Grotius, & alii docent Paulum ex traditione Jannis & Mambris magorum Pharaonis nomina didiciſſe. Ex eadem traditione notum Petro lapſum angelorum, ſcribit in ejus Epiſtolam 2. Thomas Smith. Trinitatis myſterium traditione Judæis innotuiſſe teſtatur in Hiſt. Relig. Jud. Jacobus Baſnagius. Bucerus adverſus Latomum pag. 224. profitetur ſe in hac quæſtione de Traditionibus loqui de novis noxiiſque inventis, non de iis, quæ ſancti Patres, & Eccleſiæ auctoritas tradidit. Vide citatum Grotium ad Conſultationem Caſſandri pag. 569. Hic vero cum eo loci, tum in Animadverſionibus adverſus Andream Rivetum, & in diſcuſſione Apologetici nobiſcum plane in hac quæſtione conſentit. Jacobum quoque Picenium aſſerere ſacros libros recipi ex traditione priorum ſæculorum dixi cap. x. prop. 2. Confirmatur ergo catholica veritas etiam hæreticorum hominum lucubrationibus, & conſenſione.

CAPUT VI.

Hæreticorum adverſus Traditiones præcipua argumenta.

NITUNTUR principio Sectarii evertere Traditiones Scripturarum ſanctarum præſidio. In Deuteronomio, inquiunt, cap. iv. 2. & cap. xii. 32. præcipitur ne Verbo ſcripto addatur aliquid, vel detrahatur. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, &c. *Nec addas quicquam, nec minuas.* Id in novo quoque Teſtamento præceptum eſſe liquet ex poſtremo Apocalypſ. cap. v. 18. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Traditiones a Phariſæorum ſecta intruſas legi divinæ adverſari conqueritur Dominus Matth. xv. 6. & 9. eoſdem Phariſæos alloquens, *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras*, &c. *Sine cauſſa me colunt docentes doctrinam, & mandata hominum:* quod & monet Apoſtolus ſcribens ad Coloſſenſes cap. ii. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum.* Idem Apoſtolus intrudentibus præter Evangelium ex humana traditione doctrinam ad Galatas i. 8. infligit pœnam ſegregationis atque anathematis, dicens: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Et jure quidem: enimvero ad formandos mores, fidem inſerendam, refellendas hæreſes, impioſque arguendos, ſatis eodem Apoſtolo in 2. ad Tim. iii. 16. *omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt.* Quænam alia inquirenda ſunt documenta? Etſi innumera Dominus Jeſus fecit, & docuit, non omnia tamen Evangeliſtæ mandarunt literis, ſed ea tantum, quæ videbantur ſufficiens fidei fulcimentum; unde ait Joannes cap. xx. 31. *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis.* Hæc rhetoricantes hæretici, ut imperitis fucum faciant, in differendo verſuti & vaniloqui amplificant. Si nefas eſt, inquiunt, Verbo ſcripto adjicere aliquid, ſi hæc Traditionum additio Phariſæorum inducit morem, legiſque contemptum, ſi inani fallacia infimam decipit plebem, ſi contra illam Apoſtolus intorquet vibratque fulmen anathematis, ſi literis ſacris, præceptionibuſque Evangelicis in fide ſatis inſtruimur: cuinam commodo, niſi forte pravorum, novorumque dogmatum patrocinio invectæ in Eccleſiam traditiones deſerviunt?

Reſp. Hæc omnia a Novatoribus aut callide, aut imperite urgeri contra Catholicum dogma. Etenim in Deuteronomio præſcribitur cæremonialium, & ſacrificiorum exacta obſervatio, quam nihil immutando curare debebant Levitæ, nec non præceptorum Domini inviolata cuſtodia: nam ſtatim additur cap. iv. *Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri*; & xii. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito.* Tantum dicit, ne Judæi in Idololatrarum regionem ingreſſi ſuperſtitioſos ritus ſectantes Religionem idolorum cultu commacularent. Vide ibidem verſu 30. Si his vetitum alia tradere; cur nam Prophetarum recipimus vaticinia? cur Evangeliorum volumina? cur Epiſtolas Apoſtolicas, quæ tanto poſt Deuteronomium intervallo fuerunt conſcriptæ? Cur etiam novæ inſtitutæ feſtivitates, quas ſacræ Judith, Eſtheris, & Machabæorum commendant hiſtoriæ? Ergo in Deuteronomio legis præcepta integre ſervanda proponuntur, rejectis Gentium moribus, idolorumque ſuperſtitioſis immolationibus. Quis præterea ignorat *verbum* דבר, non ſolum divinam Scripturam, verum etiam latam ore legem ſignificare? Vidit, irriſitque Sectariorum cavillulam etiam Grotius Arminianus ſcribens ad iv. Deuteronomii: *Hoc dictum neque traditionibus ſcriptum interpretantibus, neque præceptis humanis legem ſepientibus repugnat.* Idem dic de verbis Apocalypſeos; in quibus etiam notandum eſt τὸ *ad hæc*, ἐπ᾽ αὐτά, quibus repellitur additio ipſi libro, ejuſque vaticiniis appoſita. At nemo eſt, qui illud, aut aliud Volumen ſacrum audeat temerare, niſi magnopere audax heterodoxus.

Phariſæorum traditiones & nos repudiamus, ſpuriæ enim ſunt, ineptæ, aniles fabulæ, & divinis præceptis contrariæ. Quædam enim Phariſæi ſervabant ex continua & a Moyſe derivata diſciplina, quædam ex inſtitutis Sammai, & Hillel, unde exorti ſunt, ut inquit Hieronymus lib. iii. Comment. in Iſaiam Tom. iii. pag. Edit. Martianæi 79. Traditiones prioris generis perutiles erant, aliæ vel iniquæ, vel futiles, nec dignæ oboli. Primæ etiam a Chriſto commendantur Matthæi xxiii. 2. ut obſervat in Pſalmum 2. Hilarius: ſecundæ rejiciuntur Matth. xv. 6. Illæ ab univerſa Synagoga, exceptis Sadducæis, recipiebantur: iſtæ in ſola Phariſæorum ſecta vigebant. De illis traditionibus pervetuſtis, & a tota Synagoga receptis pertractat R. Moſes Maimonides in libro, quem *Chezakah* inſcripſit, & vir eruditus Joſeph de Voſin de Lege divina cap. 9. ſpectantique ad benedictionum, & expiationum ritus. Alias Phariſæorum traditiones a Sammai, & Hillel inductas, & quas Salvator appoſite indigitavit iis vocabulis, *propter traditiones veſtras*, probus quilibet irridet. Harum nonnullas adverſas filiorum erga parentes pietati explicavimus hujus voluminis pag. 183. atque de his liquet ſermonem inſtitui cap. xv. Matthæi. Alias cum ſœdas,

tum

tum riſu dignas recenſet Magnus Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam pag. 207. Tom. iv. ejuſdem Editionis Martianææ, ſcilicet, ignominioſam conſuetudinem probandi guſtu munditiam ſanguinis menſtruatæ, & ambulare in domo unaquaque ſabbatorum bis mille pedes. Inter has traditiones, quas Hieronymi ætate vocabant δευτερώσεις, connumerandum eſt, quod ſcribit S. P. Auguſtinus lib. 2. contra Adverſ. legis cap. 1. *Judæos habere quaſdam traditiones ſuas, quas non ſcriptas habent, ſed memoriter tenent; inter quas illud eſt, Deum primo homini duas creaſſe mulieres*. Revera in Talmud Babylonico, quod Auguſtino ſuperſtite nondum prodierat, abſolutum enim dicitur anno 473. in libro *Erubin*, & in libro *Ben-Siræ* commemorantur duæ illæ Adami uxores, Lilit dæmonum genitrix, & Eva protoparens hominum: quod ad intelligentiam illius Auguſtiniani loci non abs re fuerit adnotaſſe. In Talmud pariter libro *Sanhedrin* cap. 10. habetur duo illa Phariſæorum capita Sammai, & Hillel gloriam ſuam gloriæ Dei præferentes feciſſe ſchiſmata in Iſrael. Quod ergo objiciunt ex traditionibus Phariſæorum hæretici, hac ratione repellitur; nam Chriſtus damnat a Sammai, & Hillel inductas, non derivatas a Patribus, ac præſertim erga Parentes impietatem. At vide lib. xx. cap. 6. harum noſtrarum lucubrationum.

Ait Clericus in Prolegomenis ad H. Ec. ſect. 1. cap. 2. ſepoſita divina Chriſti auctoritate conſtare e Judæis ſcriptoribus, Phariſæos *multa quaſi legitima tradidiſſe populo accepta a Patribus, quæ non ſunt ſcripta in legibus Moſis*. Fateor: id Joſephus ſcribit Antiq. xiii. c. 18. ſive 10. num. 6. in poſtrema Editione Amſtelædami Tom. 1. pag. 663. Verum quid Clericus iſte contendit? Num, qui Traditiones propugnant, ſequuntur conſuetudinem Phariſæorum? At en loci Joſephus ait Patrum traditiones rejici a ſecta Sadducæorum. Atque Sadducæos fuiſſe Phariſæis longe deteriores, quoniam negabant Deum auctorem bonorum, & permanere animas, & præmia, ſuppliciaque dari apud inferos, idem Joſephus ſcribit Antiq. xviii. 1. & de Bello ii. 8. Reſpuentes itaque Traditiones æquiparandi ſunt Sadducæis, Clericus maxime liberi arbitrii cum Sadducæis oſtentator. Verum Joſephus Phariſæorum, quibus addictus erat, ſectam nimium celebrat. Quamvis hi Traditiones optimas tenerent, V. G. de immortalitate animorum, & reſurrectione corporum, quas Paulus probat Act. xxiii. 8. illis traditiones alias humanas, & paullo ante Chriſtum excogitatas commiſcuerunt. Si petas, qua norma hæ ab antiquis poſſent ſecerni; Phariſæos ipſos interroga: qui, ut Hieronymus ſcribit citata ad Algaſiam Epiſtola, q. 10. illorum mores redarguentibus ſolent reſpondere: *Barachibas, & Simeon, & Helles magiſtri noſtri tradiderunt*. Hieronymo, ut diximus, conſentit Talmud; & perperam Druſius de tribus ſectis Jud. lib. 2. c. 10. & Baſnagius Tom. 1. Annal. pag. 549. contendunt Hieronymum errare, quia Hallel fuit centum ante excidium Templi annis, nec Judæus, ſed Babylonius; quaſi non poſſit idem nomen pluribus convenire. Ita ergo quæ ab hominibus tradita, neque antiquitus in Apoſtolica Eccleſia viguiſſe comperimus, ad hominum adinventa amandamus: atque in iis certum judicii criterium requirimus; ne quis nos decipiat *per philoſophiam, & inanem fallaciam*, juxta S. Pauli præmonitionem.

In Epiſtola ad Galatas Apoſtolum loqui de illis, qui ab Evangelio abducebant, contendentes cum lege Chriſti jungendam circumciſionem, & ceteras ceremonias, Epiſtolæ argumentum evincit. Ergo verſu 8. particula *præter* idem eſt, & *contra quam*. Ita S. P. Auguſtinus ſcribens libro xx. contra Fauſtum cap. 22. *Longe aliud annuntiat Fauſtus, aliud Paulus. Sed quoniam quiſquis vobis evangelizaverit præter quam quod accepiſtis, anathema ſit: verum dicit Chriſtus in Paulo, anathema ſit Manichæus in Fauſto*. Vide & Enarrat. in Pſalm. 155. Conſentit Hieronymus Tom. iv. pag. 228. Extat in Græco παρ' ὃ. Particulam παρὰ interdum eſſe *contra*, liquet ex Lexicis Conſtantini Medici, Henrici Stephani, & Joannis Scapulæ. Tria exhibet exempla in Solone Plutarchus. Παρ' ὃ, ut hic extat, valere *contra quam*, probat in Commentariis Linguæ Gr. Guil. Budæus pag. 246. Similia promit Grotius ex Act. xviii. ac tribus in Epiſtola ad Romanos expreſſis locis. Verſio Arabica, & Æthiopica habent: *Si nos, aut Angelus de cælo annuntiet vobis quicquam diverſum, &c.* non ſolum in Bibliis Max. Tom. xv. pag. 6. verum & in Waltonianis N. Teſt. pag. 756. Œcumenius utique, ac Theophylactus docent reprehendi a Paulo non tantum qui contraria addunt, ſed etiam qui adjiciunt *aliud quodlibet parum a prædicta diverſum*, ſed accipiendi ſunt de iis, qui licet Evangelio non opponantur aperte, illud tamen, ut inquit Chryſoſtomus, quem ſequuntur ipſi Œcumenius & Theophylactus, *prædicatione corrumpunt*. Ac tales erant qui Galatis imponebant ſimul Evangelium, Moſiſque legitima. Demum Verbum evangelizatum tam Scripturam complectitur, quam Traditionem.

Recte idem Apoſtolus in 2. ad Timotheum appellat Scripturam idoneam atque perutilem, at non ait Scripturam ſolam ſufficere: nam in eadem Epiſtola iv. 11. Marcus dicitur *utilis in miniſterium*, nec tamen ſupervacanei erant Lucas, Titus, Timotheus, Oneſimus. Utilis eſt etiam cibus ad nutriendum, nec tamen rejiciendus eſt potus. Adde loqui Apoſtolum de ſcripturis veteris Teſtamenti, nam præmittit, *Ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem*; Timotheus vero infans non legit Teſtamentum novum, quod nondum erat conſcriptum, & ſacrarum Scripturarum canoni agglutinatum. Vide in hunc locum Eſtium, ac Sylvium Opuſc. v. q. 2. art. 1. Becanum etiam in Manuali lib. 1. cap. 2. Senſum Apoſtoli paucis expreſſit Syrus: *Omnis Scriptura, quæ a Deo inſpirata eſt, utilis eſt etiam ad docendum*.

Simili ratione Joannes in cap. Evangelii viceſimo ait, *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis*: non quod Evangelium omnia credenda contineat, nam alioquin ipſe nec Epiſtolas, nec Apocalypſim edidiſſet, & ſupervacanea eſſent pariter, quæ literis mandavit Paulus, quæ Lucas, quæ Jacobus, quæ Judas; ſed quia enarrata in Evangelio Joannis, & a Chriſto facta in conſpectu diſcipulorum, poſtquam ſurrexit a mortuis, abunde comprobant ipſum eſſe Dei Filium, planiſſimamque fidem faciunt legentibus de veritate Evangelii, & reſurrectionis eventu. Atque hanc explicationem traditam a Cyrillo, & S. Thoma in Joannem ipſa Evangelici textus lectio confirmat. Ex quibus liquet Catholicum de Traditionibus dogma nec veteris, nec novi Teſtamenti locis ullatenus concuti, qualeſcumque nugas garriant, oblatrentque Sectarii.

Traditiones non poſſe ex libris PP. comprobari contendunt hæretici proximis argumentationibus. Primo ignoramus num Patrum ſcripta haud mutilata, nec ſpuria ad nos temporis viciſſitudo tranſmiſerit. Negari quippe non poſſumus interpolata fuiſſe Acta Conciliorum, veteres Liturgias, ac Patribus codices plures adulterinos ſuppoſitos, quod non ſolum aſſeruit Dallæus, Rivetus, Clericus, ſed etiam erudita diſſertatione oſtendit Germon. Quæ ad nos incorrupta pervenerunt, ut plurimum ambigua ſunt, nec exhibent ſacrorum dogmatum integritatem: nam invenies in libris Veterum repudiatum homouſion a Synodo Nicæna probatum, & uſiam, hypoſtaſim, aliaque plura diverſo plane ſenſu prolata. Etiam Corpus pro ſubſtantia uſurpavit Tertullianus. Præterea Patres a priſcis ſæculis falſa dogmata pro legitima traditione venditarunt. Papias apud Euſebium ex traditione non ſcripta retuliſt peregrinas Salvatoris parabolas, regnumque Chiliaſtarum. Impegere in eumdem ſcupulum Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius. Tertullianus de Corona ait cap. 3. vetitum ex traditione die dominico *de geniculis adorare*. Cyprianus adverſus Stephanum traditione contendebat tinctos ab hæretico rebaptizandos. Trinam in baptiſmo immerſionem ſervandam ex Apoſtolica traditione docuerunt Alcuinus Epiſt. 81. ad Paulinum, & Walfridus libro de Rit. Eccl. cap. 26. quod tamen Synodus iv. Toletana abrogavit. Mitto exempla alia. Traditio itaque dogmatum puritatem commaculat. Inſuper ſi ex traditione Patrum comprobatur doctrinæ veritas, nulla erit hæreticorum ſecta quæ propugnari non poſſit. Nam Baſilides, Valentinus, Marcion, aliæque peſtes ſe audiviſſe Apoſtolorum diſcipulos gloriabantur. Pro nihilo itaque valet in fidei definitionibus antiquorum auctoritas.

Reſp. ad 1. temere dici interpolatos Patrum libros univerſos, etſi nonnulli aut amanuenſium incuria, aut fraude hæreticorum fuerint vitiati: neque ex his, quæ dubiæ ſunt fidei dogmata confirmamus, ſed ex receptis, vindicatis, & qui Scriptorum aliorum magnæ in Eccleſia auctoritatis teſtimonio non refragantur. Quamquam etiam ſine ſcriptis Patrum traditio poteſt conſtare, ut de barbaris gentibus inquit lib. iii. cap. 4. Irenæus: *Cui ordinationi aſſentiuntur multarum gentes barbarorum, eorum qui in Chriſtum credunt, ſine charta & atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes*. De codicibus, qui depravati creduntur, vide Vindicias doctiſſimi Patris Conſtant. Quod ſequitur de varia ſignificatione vocabulorum, facile expeditur; percipiuntur enim ſingula, ſi Scriptorum ætatem, graſſantes hæreſes, ſtili conſuetudinem, & interdum verborum penuriam, qua laborant qui græca latine reddunt, ſedulo perpendamus, maxime autem Apoſtolicæ Eccleſiæ judicium: nam Traditionis regula nemo bene utitur, qui Eccleſiæ ſpernit auctoritatem. Proximum ex ipſo Baſnagio, qui argumentum illud urget, diluitur. Diſſert. enim 12. adverſus Tradit. exornata n. 16. agens de canone Scripturarum, ait, quod etſi complures de Epiſtola Judæ, de Jacobæa, & de Apocalypſi olim dubitarunt, non tamen *in eam calamitatem incidit Eccleſia, ut communi omnium Chriſtianorum conſpiratione liber qui divinus eſſet canone pelleretur*. Idem tenent Novatores alii ex Eccleſiæ conſpiratione Scripturarum canonem, ut inquiunt, recipientes. At eo prorſus pacto traditio a Papia evulgata, homine ingenii exigui, dogma communi aliorum ſenſu probatum commaculare non potuit, ut oſtendi lib. xii. cap. 9. præſertim cum ipſe Papias apud Euſebium lib. iii. H. E. aliique Chiliaſtæ Traditiones comprobarint, tametſi minus accurate inductas a Cerinthianis cum veris & Apoſtolicis intruſerint. Tertullianus autem in 3. de Corona labitur, traditionem appellans, quod repugnat Scripturæ

Act.

Digitized by Google

Act. xx. 36. cum utrumque tenendum ſit, Verbum ſcriptum ac traditum; & traditio repugnans aperte verbo ſcripto nequeat eſſe Apoſtolica. Illud vero quod de trina immerſione additum eſt, ſpectat ad diſciplinam & ritum, non ad dogma: potuitque variari, quoniam ſicut trina immerſio ſignificat *triduanæ ſepulturæ ſacramentum*, ita una commonſtrat *in tribus ſubſiſtentiis unam ſubſtantiam*, inquit Epiſt. 41. Magnus Gregorius; cujus auctoritate freti Patres Toletani decreverunt c. 45. ut conferretur baptiſma ſive *trina*, *ſive ſimpla merſione*. Ergo id reprehendere non debebant poſt annos fere 200. Alcuinus, & Walfridus: quorum zelum coercere ſtuduit an. 868. Synodus Wormacienſis confirmans canone 5. Toletanæ definitiones. Sed legendus Martene de Antiq. Rit. libro 1. art. 14. Ipſe Baſnagius, qui hæc poſt Dallæum objectat, num. 29. ſcripſerat num. 24. *Dum pietatis dogmata, morumque præcepta ſalva manent, de ceremoniis pax eſſe poterit*. Poſtremum de hæreticis faciliimæ eſt ſolutionis; illi quippe cum traditione, tum ſcriptura abutuntur: ſed quemadmodum Scripturæ canonem debemus inquirere in Apoſtolica Eccleſia, ubi eſt continuata ab Apoſtolis Epiſcoporum ſucceſſio: ita ibidem, juxta Irenæi & Auguſtini documenta ſuperius producta, legitimæ traditiones cuſtodiuntur.

Deinde objiciunt hæretici innumeras Patrum ſententias. Ac primo inquiunt Irænenm lib. III. cap. 1. hæc habere: *Non enim per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconiaverunt, poſtea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum, & columnam fidei noſtræ futurum*. At liquet eo loci Irenæum Traditiones non excludere, ſed refellere Marcionitas, qui Apoſtolicis ſcriptis alia præferebant a ſe mutilata, *glorianter emendatores ſe eſſe Apoſtolorum*, nec in Apoſtolis Spiritum ſanctum locutum, ſed *reperiri voluntatem aliquando in Valentino, aliquando in Marcione, aliquando in Cerintho*; ut ibidem ait Iræneus, necnon Tertullianus lib. 2. adv. Marcionem, & Epiphanius hæreſi 42. Inſiſtunt hæretici: Nonne Irenæus proximo capite inquit Valentinianos, dum a Scripturis arguuntur, ad Traditiones converti, *quaſi non poſſit inveniri veritas ab his, qui neſciunt traditiones*? Reponimus autem illic Irenæum eos inſectari, qui obtrudunt traditiones humanas exploſis Apoſtolicis: ſequitur namque num. 2. *Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos, adverſantur traditioni, dicentes ſe non ſolum presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores ſinceram inveniſſe veritatem*. Vides quantum hæc cum ſuperioribus cohæreant. Sed heterodoxi regerunt. Irenæus lib. 2. cap. 47. ait *ſcripturas perfectas eſſe*: ac lib. IV. cap. 66. inveniri in illis *univerſam actionem, & omnem doctrinam, & omnem paſſionem Chriſti*. Nihil tamen hæc probant; nam lib. 2. cap. 47. ſive ex diſtinctione Maſſuet 38. num. 4. invehitur in eos, qui adverſus ſcripturas aperte unum Deum annuntiantes, commenti Ennææ, & Verbi, & Vitæ nativitates, ipſum Dominum dicebant *labis fructum, & ignorantiæ prolationem*. Hi erant Valentiniani fabricatores Æonum. Lib. autem IV. cap. 66. ex diſtinctione Maſſuet 34. num. 1. refellit Marcionitas autumantes ab altero Deo eſſe prophetas, ex quo hi a Chriſto facta prædixerint, & novum Teſtamentum vaticiniis antiqui conſentiat. *Legite*, inquit n. 1. *diligentius id, quod ab Apoſtolis eſt Evangelium nobis datum, & legite diligentius prophetas, & invenietis univerſam actionem, & omnem paſſionem Domini noſtri prædictam in ipſis*. In ſubjecta itaque materia, de qua cum hæreticis decertabat, Irenæus Scripturas commendat, non rejectis traditionibus, ſine quibus nec Scripturarum ipſarum perſiſteret auctoritas.

Provocant præterea nos ad Tertullianum, qui contra Hermogenem cap. 22. *Adoro*, inquit, *ſcripturæ plenitudinem*; paucisque interjectis, *Væ illud adjicientibus, aut detrahentibus deſtinatam*. At ibidem refutatur Hermogenes aſſerens mundum ex præjacente materia conditum contra apertam Geneſeos hiſtoriam, quæ initio Factorem manifeſtat & facta, illis nempe verbis, *In principio creavit Deus cœlum & terram*; quibus allatis ait Tertullianus, *An autem de reliqua ſubjacente materia mundum fecerit nuſquam legi. Væ illud adjicientibus*, ideſt mundum eſſe factum ex materia Deo coæterna, *aut detrahentibus deſtinatum*, ſcilicet in principio Deum a nihilo cœlum terramque condidiſſe: væ ſcripturam, qua pleniſſime Deus aſſeritur Conditor univerſorum, temere mutilantibus. Solet opponi & quæ ſcribit de Carne Chriſti cap. 7. *Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers*. Sed notandum eſt Marcionem, ne humanam Chriſti fateretur generationem, pluribus Evangelii verbis reſciſſis, verſum 47. cap. XII. Matthæi, *Ecce mater tua, & fratres tui, &c.* hac ratione eludere ſtuduiſſe, *Tentandi gratia nuntiaverant ei matrem & fratres, quos non habebat*: hæc ibidem Tertullianus, qui oſtendens laudato in verſu non eſſe materiam tentationis, ut eſt cap. XIX. 3. & XXII. 35. *Non recipio*, inquit, *quod de tuo infers*, nuntiatum Chriſto, *Ecce mater tua, & fratres tui*, non quod haberet matrem, fratreſque, ſed tentandi animo: quibus non traditiones eliminat, ſed miſerrimum Marcionis effugium. Idem Tertullianus de Reſurrect. Carnis cap. 3. arguit hæreticos, quod cum Ethnicis ſapiant, nec de Scripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant. Verum quid ſibi velit, ſatis explicat dicens, *Interſtruant unde ſciunt facile capi mentes de communiori favorabili ſenſuum*, nimirum hæretici, licet Scripturas recipere videantur, more Ethnicorum probant tantummodo obvia ſenſibus, nec ſolis ſcripturis nituntur, ſed humani ſenſus fallacia. Quare mirandum eſt Novatores tam confidenter abuti verbis Tertulliani; quum is de Præſcript. demonſtret hæreſes refellendas ex quo aliquid novi in Religionem intrudant, viamque confutandi illos ſcripturis eſſe longam ac perdifficilem, quia vel ſacros libros non recipiunt, vel corrumpunt ac temerant, vel ſenſus pravos illis affigunt; inquirendam ex ſucceſſione Epiſcoporum Eccleſiam, cui ſcripturæ concreditæ ſunt, & antiquiſſimam ejus doctrinam tenendam, nuperam vero repellendam tamquam extraneam & falſam; ne repetam quæ attuli capite præcedenti.

Urgent & Cypriani verba ex Epiſtola ad Stephanum 74. in qua ad illam ſententiam Pontificis, *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, reſpondet Martyr ſanctiſſimus: *Unde eſt iſta traditio? Ea facienda eſſe, quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatur*. At Cyprianus ad ſacras literas provocat, quoniam hoc loco arbitratur Traditionem præſcriptam a Stephano commentitiam eſſe, ſcripturiſque unam Fidem, & unam Eccleſiam commendantibus repugnantem, paratus tamen recipere traditionem perantiquam & Apoſtolicam, ut ait ſub finem ejuſdem Epiſtolæ: *Si in aliquo vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & ad Evangelicam, atque Apoſtolicam traditionem revertamur*. Liquet etiam ex Epiſtolis Cyprianicis ad Pompejum, & Jubajanum, ſanctum martyrem oppoſuiſſe conſuetudinem, traditionemque Eccleſiæ Africanæ; ut etiam S. Pater Auguſtinus animadvertit lib. v. de Baptiſmo cap. 23. ſed huic conſuetudini præferendam *conſuetudinem univerſæ Eccleſiæ etiam Conciliis univerſalibus roboratam*, ex ejuſdem Cypriani ſententia, ut S. Pater Auguſtinus ſcribit proximo libro VI. cap. 7. Haud repetam quæ protuli ex Epiſtola 63. ad Cecilium de Calicis conſecratione, ſcripta a Cypriano jam Epiſcopo, ut ex Auctore Annalium Angelorum probat Dupinius.

Obtrudunt & Baſilium, quo nullus Traditiones commendavit expreſſius. Inquiunt illum in Regulis brevioribus n. 95. aſſerere de Epiſcopo, *E divinis literis ediſcat rectum, & neceſſarium*. At præterquamquod ex Paulinis Epiſtolis poteſt Epiſcopus illud etiam addiſcere quomodo ſit cuſtodiendum *depoſitum*, quomodo traditiones ſervandæ, ut idem Baſilius ſcribit ad Amphilochium, in breviori illa Regula 95. ait poſſe Epiſcopum ediſcere ex prima ad Corinth. IV. 1. ut ſit *Miniſter Chriſti, & diſpenſator myſteriorum Dei*, & ex 2. ad Theſſalonicenſes 11. 16. ut fratres *confirmet in omni opere, & ſermone bono*: quæ duo Epiſcopum rectum, probumque conſtituunt: ſed ut his polleat, opus illi eſt doctrina ſana, vitæ integritate, & ſacræ eruditionis ornatu. Objectant & Baſilii Epiſtolam 80. ubi ait *Stemus arbitratui inſpiratæ a Deo Scripturæ*. His tamen verbis cautos nos reddit ad libitum, & ante Eccleſiæ definitionem, ſacra dogmata explicemus vocabulis ambiguis & apud Patres inuſitatis, & *quæ ejuſdem generis eſſent, ac præter vocis novitatem, ſenſum etiam nobis novum, & inuſitatum afferrent, & apud ſanctos Viros nuſquam in uſu fuiſſe reperiretur*: quibus an traditiones evertat, an roborat, judicet cordatus lector. Addunt Baſilium in Aſceticis *de vera ac pia fide* commonere ut fugiamus *omnem a Dominica doctrinam alienam, & vocem & ſententiam*, & *infidelitatis manifeſtiſſimum indicium eſſe Scripturis adjicere, & ea quæ non ſunt ſcripta introducere*. At hæc ſive Baſilius, ſive Euſtathius Sebaſtenus, cui Aſcetica tribuit lib. III. cap. 15. Sozomenus, ſcripſit adverſus hæreticos; de quibus Joannis x. 5. præſcriptum Chriſti ovibus eſt: *Non noverunt vocem alienorum*.

Ex Chryſoſtomo hæc promunt. Primum ait ille in Pſalmum 95. *Si quid dicitur abſque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat*. At iſtic eos vellicat, qui ſacras Conciones ſtruunt profana tantum loquentia, aut a ſuo cerebello ratiocinationes effingunt, *ſine teſtibus, ſolaque animi cogitatione*, inquit ibidem Chryſoſtomus: in quem lapidem impingunt tam qui paradoxa eructant, quam ii, qui e ſuggeſtu nihil crepant, niſi Tullium, Boccacium, Caſam, nacti auditores a Paulo prænuntiatos, & auribus prurientes. Addit Chryſoſtomus, inquiunt, Hom. 49. in Matt. *Valentes firmitatem accipere fidei ad nullam rem fugiant, niſi ad Scripturas*. At de his auctor homiliæ, quem alium eſſe a Chryſoſtomo, & Ariana labe inquinatum, Sixtus Senenſis, Savilius, Bellarminus, Maldonatus, Labbeus, Dupinius, Alexander, omneſque conſentiunt; de his, inquam, inquitur, qui Antichriſto adveniente nullum alium Redemptorem agnoſcent, niſi quem viderint palam deſcendentem de cœlo, juxta divina oracula Matth. XXIV. 27. Imo in eadem homilia pag. editionis Commelinianæ 954. affirmatur nos in fide fore perfectos, ſi non tantum *Scripturis*, verum etiam *doctrinæ Sacerdotum aſſidui fuerimus*. Præterea objiciunt quod in Hom. XIII. in 2. ad

Corin-

Corinthios appellat Scripturam exactam rerum omnium *lancem ac normam*: quod de ipſa Scriptura dici ego fateor, ſed agit eo loci Chryſoſtomus de præceptis, moribuſque ad illorum præſcriptionem formandis, ac præſertim de divitiarum contemptu, allata parabola divitis & pauperis Lucæ XVI. 19. & ſententia illa Matth. XIX. 24. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Scripturam autem eſſe formandorum morum exactam regulam, maxime Patrum commentariis colluſtratam, non eſt qui deneget.

Veniamus ad Hieronymum. Inquiunt præclariſſimum hunc Eccleſiæ Doctorem ſcripſiſſe in Pſalmum 86. Tom. 2. pag. 350. *Quamvis ergo ſanctus ſit aliquis poſt Apoſtolos: quamvis diſertus ſit, non habet auctoritatem*. Reſpondemus aſſerere illic Hieronymum privata ſcripta non eſſe Apoſtolicis comparanda, & quæ *paucis ſcripta fuerunt*, abſcindenda a canone eorum, *quæ principes Eccleſiæ, & principes Chriſti non ſcripſerunt paucis, ſed univerſo populo*. Rejicitur ergo a Hieronymo privata commentatio, non univerſalis Eccleſiæ traditio. Deinde opponunt quod ſcribit in cap. I. Michææ Tom. III. pag. 1503. egreſſam non eſſe Eccleſiam *de finibus ſuis*, ideſt, *de ſcripturis ſanctis*. Sed inepte & imperite; reprehendit enim ibidem hæreticos, qui contortis explicationibus ſacras literas pervertentes, *domum ſuam* non in ſcripturis conſtruunt, *ſed in vicinia Scripturarum*; quod mirifice adverſariis noſtris convenit. Addunt Hieronymum in I. Aggæi eodem Tom. p. 1690. hæc habere: *Quæ abſque auctoritate & teſtimoniis Scripturarum, quaſi traditione Apoſtolica ſponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei*. Optime: quæ ſponte confingunt hæretici, nec a majoribus acceperunt, ut *obſervationes veris, Chamounter*, ideſt, *humi dormitiones*, & ξηροφαγίας, ideſt, aridas epulas, ineptiaſque *de Tatiani radice creſcentes*, quibus *hæreticorum conciliabula deceptis populis blandiuntur*. Nil ergo hoc loco efficit auctor Apologiæ Anglicanæ. Objiciunt & quod ait contra Helvidium Tom. IV. pag. 141. *Ut hæc quæ ſcripta ſunt non negamus, ita ea quæ non ſunt ſcripta renuimus*. At quænam iſthæc ſunt? *Mariam nupſiſſe poſt partum*; quod tradidit ante Helvidium Ebion, & Theodotus Byzantinus. Accedit quod ibidem Hieronymus ſcribit poſſe Helvidium etiam traditione refutari: *Nunquid non poſſum tibi*, inquit, *totam veterum Scriptorum ſeriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Juſtinum Martyrem, multoſque alios Apoſtolicos, & eloquentes viros?* Sed Scripturis garrientem appoſite iiſdem armis revincit. Rurſus opponunt, quæ Hieronymus habet in Caput 23. Matth. eodem Tom. IV. pag. 112. *Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*. Verum quid eſt *Hoc?* Zachariam filium Barachiæ occiſum inter templum & Altare, eſſe Zachariam patrem Joannis, quod aliqui affirmabant *ex quibuſdam apocryphorum ſomniis*: quare ibi refelluntur ſcripta apocrypha, non legitimæ traditiones. Demum Hieronymus in caput I. Epiſt. ad Titum eodem Volumine pag. 419. inquit: *Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem*: quæ cum ſcripta ſint adverſus ſubdolos, qui deſtituti præſidio veritatis nituntur *perverſam doctrinam etiam divinis teſtimoniis roborare*, non pugnant adverſus nos, qui præter Scripturam utimur Traditione; ſed contra garrulos ſubverſores, Scripturarum auctoritate, ſine qua non haberent fidem, hæreſim diſſeminantes, uti fecerunt quidam de circumciſione Judæi, ut adverſus naſcentem Eccleſiam præcepta legalia introducerent.

Proximus eſt Auguſtinus, ex quo ſex loca producunt facillime ſingula expeditionis. Ac primus eſt, ut librorum teneamus ordinem juxta PP. S. Mauri editionem Pariſienſem, in Epiſtola ad Hieronymum 82. alias 19. ubi num. 3. ait ſolis Scripturarum libris hunc honorem deferendum, *Ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe*, firmiſſime credendum ſit. Quo in loco iſtud tantum Auguſtinus contendit, nullius privati Scriptoris libros excipiendos, *tanquam Prophetarum & Apoſtolorum: de quorum ſcriptis quod omni errore careant dubitare nefarium eſt*. Ita S. Pater eadem Epiſtola, eodemque numero, pag. 190. Tom. II. Quid vero de iis, quæ *non ſcripta, ſed tradita* a Catholica Eccleſia cuſtodiuntur? Hæc, *vel ab Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta* eſſe, ideoque inviolabiliter ſervanda, eximius doctor ſcribit eodem Volumine, pag. 124. in Epiſtola 54. olim. 118. ad Januarium. Alter locus extat Tom. III. de Doctrina Chriſt. lib. II. cap. 9. num. 14. ubi ait: *In iis enim, quæ aperte in Scripturis poſita ſunt, inveniuntur ea omnia, quæ continent fidem, moreſque vivendi*. Ad hæc accipienda eſſe de præceptis, fideique myſteriis, quæ unicuique perſpicua ſunt in Chriſti Eccleſia, non de complexu dogmatum univerſorum, liquet ex eo quod ibidem ſequatur, *Spem ſcilicet atque caritatem*; & ex eo quod S. Pater lib. V. de Baptiſmo cap. XXIII. numer. 31. ſcribat: *Sunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur*. Vide Tom. IX. pag. 156. Tertius petitus ex eodem Tom. III. 2. p. pag. 619. ideſt, Tract. 49. in Joannem. ubi hæc leguntur: *Electa ſunt quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur*. Aſt horum verborum ſenſus eſt, ſufficere ſigna in Evangelio enarrata, imo ſolam Lazari reſurrectionem, ut *datis velut ſuæ virtutis indiciis, credamus* in Chriſtum; nec ibi ſermo eſt de credendorum dogmatum plenitudine. Depromptus eſt quartus ex libro de Bono Viduitatis cap. I. num. 2. Tomo VI. pag. 369. *Sancta enim Scriptura noſtræ doctrinæ regulam figit*. Verum neque his verbis diſpungitur Patrum traditio; neque de alia re agitur, niſi *de quæſtione ad vitam moreſque pertinente*, de profeſſione ſcilicet viduitatis. Quintus habetur Tom. VIII. pag. 704. ſive libro II. contra Maximinum cap. 14. num. 3. Eſt autem: *Sed nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tamquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris, Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, ſed utriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet*. Sed ibidem Auguſtinus hæreticum nullo in pretio habentem Concilium Nicænum, illique opponentem Ariminenſe, compellit ad recipiendum *Homooufion* auctoritate Scripturarum, ideſt, verſu 20. capitis V. Epiſtolæ I. Joannis: *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*; non quod Auguſtinus aut Concilia nauci faciat, aut Traditionem contemnat, nam ibidem ait: *Hoc eſt illud Homooufion, quod in Concilio Nicæno adverſus hæreticos Arianos a catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum eſt*; ſed ut confugientem ad Scripturas, ſcripturis vellicet, & confodiat. Recole quæ diximus cap. præcedenti, argum. IV. probatum in Nicæna Synodo ab Athanaſio *Homooufion* ex Patrum traditione, ut inquit Theodoretus lib. I. cap. 8. pag. edit. Moguntinæ 29. Poſtremus locus occurrit Tom. X. pag. 70. ideſt libro II. de Peccat. mer. cap. 36. num. 59. *Ubi de re obſcuriſſima diſputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis, clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio nihil faciens in partem alteram declinando*. Utiliſſimum quidem monitum in quæſtionibus obſcuriſſimis, (qualis tunc erat de animorum traduce eo loci pertractata) a diſſerentibus religioſe ſervandum, *ut magis*, inquit ibidem ſanctus Pater, *inquiſitio cauta laudetur, quam præcipitata reprehendatur aſſertio*. At negamus quæſtionem eſſe obſcuriſſimam, ubi ſit explorata Apoſtolicæ Eccleſiæ traditio.

Eruuntur ex dictis quatuor Regulæ ad quælibet alia Patrum teſtimonia explicanda: quarum prima eſt, Patres dum ad ſolas ſcripturas provocant hæreticos, ſolis illis catholicam fidem aſſerere, quoniam in ſubjecta materia, ideſt, ad errorem illum refellendum ſufficiunt, poſteaquam Traditione Eccleſiæ aſſecuti ſumus Scripturarum ipſarum Canonem, & ſenſum. Ita Irenæus Scriptura revincit Marcionem, Tertullianus Hermogenem, Auguſtinus Maximinum: atque ita Athanaſius orat. 3. contra Arianos, & magnus Conſtantinus apud Theodoretum lib. I. cap. 7. inquiunt ſcripturis comprobari Verbi divinitatem. Altera regula eſt, ut diſtinguantur ea quæ ab omnibus promiſcue credenda ſunt, ut Deum eſſe unum, & Trinum, Verbum hominem factum, ab iis quæ cuſtodiuntur ab Eccleſia, ejuſque Rectoribus, ut hanc Scripturam eſſe Canonicam, illam Traditionem perantiquam: & de iis, quæ generatim ad ſingulos ſpectant, accipiamus ſententias Patrum, ubi docent in Scripturis omnia contineri. Atque hac regula explicamus non ſolum Baſilium in Regulis brevioribus, Chryſoſtomum hom. 13. in 2. ad Corinth. Auguſtinum 2. de Doct. Ch. 9. verum etiam Cyrillum Jeroſolymitanum in Catecheſibus, alioſque permultos. Regula tertia eſt, ut dum nihil præter Scripturas probandum aſſerunt, & ſacrorum librorum exigunt auctoritatem, eos accipiamus ſive de quæſtionibus obſcuriſſimis, quæ traditione nequeunt reſolvi, ſive de hominum in ſacris diſciplinis nudo infirmoque ratiocinio, ſive de hiſtoriolis e ſcriptura apocrypha hauſtis, ſive denique de novitate dogmatum innixa libris ſpuriis ac ſuppoſitis. Atque hoc ſenſu loquitur Hieronymus in cap. 23. Matth. Auguſtinus lib. 3. contra literas Petiliani cap. 6. num. 7. nec non Theophylus Alexandrinus in 2. Paſchali, Theodoretus in 2. Dialogo, imo & Origenes Hom. I. in Hierem. & in cap. 3. Epiſt. ad Rom. quo loco abutuntur Prædicantes, ut liquet ex Colloq. Ratiſbonenſi ſeſſ. 8. Poſtrema regula eſt, ut dicta Patrum intelligantur de Scripturis rite explicatis, juxta ſenſum, quem tenet Romana Eccleſia; ut docet Catecheſi IV. Cyrillus ſcribens: *Diſce ab Eccleſia, quinam ſint veteris teſtamenti libri, quinam novi, nec leges, inſtitutaque Patrum everte*. Quam regulam tradi etiam a S. Patre Auguſtino in II. de Doctr. Chriſt. cap. 8. non ſemel diximus. His ergo regulis fabulonum procacitatem contundito.

Deinde hæretici nituntur demonſtrare Romanam Eccleſiam in cuſtodiendis traditionibus infidam eſſe, & ignavam. Nam nonnullas antiquavit, ut de lacte & melle porrecto Neophytis, de Euchariſtia privatis in domibus ſumpta, de eadem ſub utraque ſpecie laicis miniſtrata. Nonnullas e contra Traditiones tamquam Apoſtolicas intruſit, ut jejunium quatuor temporum, Sanctorum cultum, Crucis adorationem, immaculatam Conceptionem Deiparæ. Nonnullas denique in oppoſitas commutavit, ut de Animorum beatitudine ad judicii diem differenda, & de vinculo

culo metrimoniorum indiſſolubili; pro quarum prima adulteravit S. Leonis collectam, alteram innumeris diſpenſationibus labefactavit. Hæ vero traditiones non ſpectant ad ſolum ritum aut diſciplinam, ut aliquæ ſuperius commemoratæ.

Reſp. traditiones prioris generis utique ad ſolam diſciplinam, ritumque ſpectare, ideoque admittere, ut inquit lib. de Velandis Virg. cap. 1. Tertullianus, *novitatem correctionis, operante, & proficiente uſque in finem gratia Dei.* Uſus tribuendi baptizatis lac & mel non ſolum probatus fuit ætate Hieronymi, ut liquet ex ejus Dialogo adverſus Luciferianos: ſed etiam perduravit uſque ad medium ſæculum nonum, perſeveratque etiamnum apud Æthiopes, ut oſtendit Martene de Antiq. Ritibus lib. 1. cap. 1. art. 5. At tali uſu ſublato, ſicut & immerſionis, periiſſit fidei integritas, melliſque ac lactis ſymbola ſunt anguſtioribus ceremoniis expreſſa; illa vero recte ſublata, poſteaquam inſani homines ea adhibuere etiam in Calicis conſecratione, ut olim Ethnici in ſacris Leoninis. Euchariſtiam ad privatas domus deferri cœptum ſævientibus perſecutionibus, ne abſque Communione quis obiret, & dum onica miſſa, cui omnes adeſſe non poterant, celebrabatur; invaluitque diutius id conſuetudinis apud anachoritas: at ſumendam de manu *præſidentium*, ideſt, ſanctorum miniſtrorum, ait olim Tertullianus cap. 3. de Corona militis; demandatamque illam diſpenſandi munus Diaconis conſtat ex Ambroſio lib. 1. de Offic. cap. 41. & Magno Leone ſerm. 2. de S. Vincentio. Inſtitutum propterea optima, ut ſacris in ædibus manu presbyterorum, ſi adſint, diſpertiatur. Communionem ſub utraque ſpecie nec Apoſtolorum ætate, nec priſcis ſæculis ſemper ſervatam alibi demonſtrandum, quemadmodum & juſſis de cauſſis laico interdictam.

Nec Romana Eccleſia falſas unquam traditiones intrusit. Etenim jejunium Quatuor temporum, ſive e Victore, ſive a Calliſto inſtitutum, eo ſenſu dicitur a D. Leone ſerm. 47. c. 1. deſcendere *ex traditione Apoſtolica*, quod ab Eccleſia, cujus definitiones dicuntur Apoſtolicæ, ſit *in conſuetudinem devotionis receptum*, ut inquit ibidem Leo: aut quia jejunium Apoſtoli commendarunt, Eccleſia autem ſtatuit jejuniorum fixos dies, ut ait Lupus in Notis ad Synodum Victoris. De Sanctorum cultu, & adoratione Crucis alibi. Ad inſtituendum feſtum Conceptionis B.M. V. ſat eſt pia fidelium opinio; nec fide Catholica adhuc creditur, quod nefas eſt oppugnare. Non aſt tamen certa traditio oppoſita; nam Patres, qui aliter videntur ſenſiſſe, exponi poſſunt de debito contrahendi peccatum. Non fuit Occidentalis Eccleſia, quæ omnium prima coluerit Deiparæ Conceptionem; ſed longe ante Latinos illam celebrarunt Græci. In Hiſpania inſtitutum hoc feſtum a D. Iacobo ſcribit Flavius Dexter in Chronico. Auctor ſuppoſitus eſt, ut narratio fluxa nimis ac dubia. At quid plura? Religioſum eſt Deiparam venerari, & momentum illi plaudere, quo Reparatrix Generis noſtri procreata eſt. Id fidelium pietatem commendat, id confratrum ſodalitia, id Scriptorum præconia, id ſacramenta Theologorum, quæ anno 1574. Pariſiis tanto ardore Maldonatus exagitavit.

Traditio de Sanctorum præſenti beatitudine a nobis lib. 3. fuit propugnata. In antiqua beati Leonis Collecta Sancti Pontificis animæ non eſſentialem gloriam, ſed accidentalem deprecabatur Eccleſia, ut diximus eodem libro, Tom. 1. pag. 87. Non tamen inficias ibo olim deprecatam etiam pro ſanctis Confeſſoribus, ſcribente Auguſtino de Virginit. cap. 45. n. 46. *Notum eſt, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad altare ſacramenta recitentur:* & ſerm. 17. de Verbis Apoſt. nunc 159. n. 1. *Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur: pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria eſt pro Martyre orare, &c.* Aliquando ergo etiam pro ſanctis Confeſſoribus orare conſuetum fuit. At male hinc Dallæus infert, errare modo Eccleſiam, dum orat tantum pro animabus Purgatorii, non eadem ratione pro Sanctis: nam aliquando in vetuſtiſſimis diptychis Martyrum Confeſſores eximiæ virtutis commemorantur; licet tria eſſent diſtincta, diptycha Martyrum, diptycha defunctorum fidelium, diptycha vivorum. Quare orationes olim factæ pro ſanctis Confeſſoribus neque oppugnant oblationes pro mortuis, neque præſentem Sanctorum gloriam. Legi poterunt viri doctiſſimi Mabillonius Præfat. ad v. ſæculum Benedict. §. 6. & Martene in Antiq. Rit. lib. 1. cap. IV. art. 8. & 12. Matrimonium rite celebratum nunquam Eccleſia diſſolvit: diſpenſationes juſta de cauſſa impertitur: majorum ſtatuta propugnat acerrime; ac fruſtra hæretici ad illam collidendam conatus omnes impendunt.

Poſtremo hæretici pugnant nobiſcum ratione. Apoſtoli, inquiunt, *miſſi* dicuntur, nec aliud homines docuerunt, quam expreſſam in Evangelio Magiſtri doctrinam. Quis enim a Rege legatus alia præter Regis præſcripta audeat populis intimare? At ſi quid aut Apoſtoli ipſi, aut ſucceſſores ſuperaddiderunt, quod perſiſtente fidei integritate non ſuit in dogmate, humanum illud erat, mutationi obnoxium, temporiſque exiguo intervallo interiturum; nec aliquid ejuſmodi poteſt eſſe fidei divinæ fulcrum, & horti concluſi, ideſt, immaculatæ Eccleſiæ propugnaculum ac fundamentum. Quid, quod ea quæ tranſeunt de aure in aurem continuam ſubeunt immutationem? Adde tam longam annorum ſeriem ab Apoſtolorum ætate ad hanc uſque, antiquorum indiligentiam, nec non exilia, diſperſiones, ſimplicitatem, ſummamque ignorantiam: quamobrem non potuit humana aliqua traditio incorrupta ad nos pervenire. Demum ſi talis ſit norma credendi, ut quicquid traditum eſt, illud recipiatur; Pythagorica erit diſciplina noſtra, non Chriſtiana, imo Saracenorum more, Arabumque inſtar, pſeudomagiſtris præbebitur a nobis aſſenſus; quod docti infideli & incerta traditionum regula miſerando experimento verum eſſe confirmant.

His reſpondemus, audacter, ignominioſe, imperite hæc putido ore Novatorum effundi. Apoſtoli miſſi quidem ſunt, & Legati, ſed cum poteſtate præcipiendi, & quemadmodum Conſul & Imperator plura præter conſilium & imperium faciunt, ſuo tamen officio convenienter, ita illi multa præter mandata Evangelica præſcribere poterant, dummodo iiſdem mandatis utilia, nec Apoſtolorum nomine indigna. Atque ita Regum miſſi, ut recte fungantur commiſſo munere, ad præſcripta principum univerſalibus inſtructis comprehenſa, quædam particularia, quæ tempus & occaſio poſtulant, non pugnantia, ſed cohærentia adjiciunt ſano, perutili, providoque conſilio. Sed & falſum eſt Apoſtolis nihil præter Evangelica ſcripta commiſſum; cum e contra nec ſcripta tunc extarent, quando dictum eſt eis, *Prædicate Evangelium*, nec Chriſtus illos omnia prorſus docuerit, antequam in cælum conſcenderet: imo ait, Joan. XVI. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ecquid vero Spiritus docuit, niſi quæ nondum acceperant, & quæ ante adventum ejuſdem Spiritus portare non poterant? Multa ergo, quicquid Calvinus blateret, Apoſtolis Spiritus ſanctus ſuggeſſit nondum audita: & nemo jure negabit commentatione Calviniana æquiorem eſſe interpretationem Auguſtini Tract. 98. in Joannem n. 8. *Quod itaque ait Dominus, Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo, adjicienda illis fuerant quæ neſciebant, non quæ didicerant evertenda.* Enim vero, ut ibidem Auguſtinus demonſtrat, non relinquitur fundamentum dum alia adduntur ad conſtruendum ædificium, neque evertitur fides ſi ad ipſius incrementum, & Scriptura, & traditio, & alia documenta plurima poſt aſcenſum Chriſti acceſſerunt.

Cum autem Traditiones, ſive Apoſtolicæ, ſive Eccleſiaſticæ a Spiritus ſancti inſpiratione deſcendant, temere & inique ad hominum inventa amandantur: alioqui humanum eſſet Teſtamentum per Moyſen conſtitutum & promulgatum, humana Evangelia ab hominibus literis conſcripta, humanæ Epiſtolæ Pauli manu exaratæ: quod nemo dixerit, niſi qui deneget Moyſen, Prophetas, Apoſtolos fuiſſe afflatos Spiritu ſancto, adverſus teſtimonium Petri Epiſtola II. c. 1. 21. *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Homines ergo ſunt Traditionum promulgatores, non auctores, eiſque teſtimonium adduut, non firmitatem, & quemadmodum qui regia diplomata adhibent, ita qui Apoſtolicas inſtructiones proponunt, promerentur fidem, & hi eo majorem, quo politicorum miniſtrorum munus antecellit doctrina, ac pietas ſacerdotum. At homines, inquis, hi ſunt. Quid vero inde? Recipis ab his Scripturas, non recipis Traditiones? Si conſpirare non potuerunt omnes in ſacris libris mutilandis, ſupponendis, eradendis; ſuſpicabis ad confingendas Traditiones in Eccleſia per orbem diffuſa ſingulos conſenſiſſe? Non patitur Spiritus ſanctus, quos poſuit regere Eccleſiam Chriſti, omnes ſimul deficere. *Quicquid ergo vel omnes, vel plures uno, vel eodem ſenſu, manifeſte, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur.* Tene præclarum iſtud Lirinenſis Commonitorium.

Sed, regeris, nonne potuerant tanto annorum intervallo, in tanta rerum viciſſitudine, quæ excipiuntur auribus excidere, & variari? Si providentiam, ſolicitudinem, quam de Eccleſia ſua Chriſtus gerit, tu perneges, nec verbum traditum, nec ſcriptum ſervatum eſſe fateberis; nam ut illud diſperdi in auribus, & lingua vitiari potuit, ita iſtud potuit amanuenſis adulterare, tinea corrodere, ignis incendere, & injuria temporum depravare. Si providentiam eamque illam confiteaaris: illa utrumque Verbum, Scriptum ac Traditum ſervatum eſt. Adde ſingularia Traditionum adminicula, perpetuum Eccleſiæ uſum, ſucceſſionem Epiſcoporum, Conciliorum canones, ſcripta Patrum: quibus ea quæ tranſeunt de aure in aurem firmantur moribus fidelium, conſuetudine, diſciplina, præceptionibus, & monimentis literarum, ut deleri non poſſint oblivione. Scitum Pythagoræ, ut diſcipuli reſponderent, *Ita viſum Magiſtro*, alium Chriſtifidelis probat dum hanc dogmatum ſuorum rationem profert, *Ita tradiderunt Apoſtoli*: & niſi hæc ratio ſit inculpabilis, in recipiendis quoque Scripturis eſt irrationalis & ruſticus, quippe illarum canonem definivit Eccleſia: ſed abſit, ut id effutiamus; cum ad credendum Eccleſiæ certa nos pertrahant momenta, quæ non habebat ad credendum Pythagoræ juventus Athenienſis. Vide hujus libri cap. III. & V. In IS. demonſtrata eſt falſa Saracenorum Religio: quæ una cum omnibus hæreſibus etiam ex hoc refutatur; quoniam figmentum humanum eſt quicquid antiquæ Traditio-

ni adverſatur. Verum hæc diſputatio concludi jam poteſt; nam ſatis oſtendimus ſervandum vetuſtum morem, & perantiquum dogma,

Quod ſemel invectum eſt Majorum TRADITIONE, inquit in Carmine Euchariſtico Paulinus.

CAPUT VII.

De interioris fidei ad ſalutem neceſſitate.

CONTRA Ebionæos, Arminianos, Libertinos, alioſque hujus farinæ homines quarto hujuſce libri capite demonſtravi veram non eſſe Fidem aut Verbi divini Incarnationem, aut individuam Trinitatem negantium. Nunc inquirimus, an hæc fides ita ad ſalutem ſit neceſſaria, ut qui ejus inculpabili ignorantia laboraret, eam tamen haberet in animi præparatione, quamvis hæc myſteria non profiteretur *explicite*, adhuc ſalutem ſempiternam conſequeretur. Nam qui in Eccleſiæ gremio nutritus, & ſenſuum pollet integritate, ſi myſteria hæc negligat, neque gratia Sacramentorum, neque gloria, ob voluntarium negligentiæ crimen, donari compertum eſt. Immo huic Eccleſiaſtico Jure præſcribitur, ut etiam memoria teneat Symbolum, Decalogum, & Orationem Dominicam: *Neſcio enim qua fronte ſe Chriſtianum dicat, qui paucos verſus in Symbolo, vel oratione Dominica parare diſſimulat*; inquit Serm. 265. num. 2. Ap. Auguſtinus, aut Cæſarius. In ceteris ſervandi canones Cap. xi. lib. xxi.

Haud dubium eſt, quin in adultis requiratur fides interna; cum ſcribet Apoſtolus ad Rom. x. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam*; & ad Hebr. xi. 6. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo*: cum inſuper hæc fides neceſſaria ſit ad juſtificationem, ut definit ſeſſ. 6. cap. 6. & 8. Synodus Tridentina, & nos demonſtravimus Tom. iii. pag. 492. Neque poteſt id de fide exterius tantum expreſſa intelligi, quoniam Apoſtolus præcipit fidem *cordis*, Tridentina Synodus fidem, qua *libere*, animoque *movemur in Deum credentes quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt*: neque Deus attendit ſermonem oris, ſed voluntatis affectum. Deberet quidem hæc fides in nobis continua eſſe, & ſi non actu, virtute; ut omnia opera in Dei cultum, ac in finem ultimum referrentur, ideoque excitanda eſt actuum frequentatione; hi ſaltem repetendi dum Sacramenta recipiuntur, maxima Euchariſtia, dum urget adverſus fidem tentatio, dum ſolemni ritu ab Eccleſia recoluntur ſacra myſteria; nec memoria excidat, quod Scriptura ait, *Juſtus autem meus ex fide vivit*: ad Rom. i. 17. & proſcripta ab Innoc. XI. propoſitio, *Sufficit myſteria fidei ſemel credidiſſe*.

Igitur de hac interna fide quærimus, an ita debeat eſſe *explicita*, ut neceſſitate *medii* ad ſalutem neceſſarium ſit credere Deum unum, ac Trinum, & Verbum Deum & hominem pro nobis crucifixum ac mortuum. Illud autem dicitur a Theologis neceſſarium neceſſitate *medii*, ſine quo finis nulla ratione poteſt haberi, ut baptiſmus, ſive martyrium puerulis, Sacramentum pœnitentiæ adultis poſt lapſum; quemadmodum appellatur neceſſarium neceſſitate præcepti, quod adhiberi debet, quando id fieri poteſt; at ſi non poſſit, ſat eſt votum ac deſiderium, ut adultis ſacramentalis Confeſſio, Communio, jejunium, Sacrum. Inſtituitur vero quæſtio tam de veteris, quam de legis Evangelicæ ſtatu, & de hoc quidem an fides explicita tam ad juſtificationem, quam ad ſalutem neceſſaria ſit, ſunt enim qui ad ſalutem illam requirunt, ſed ad juſtificationem non aliam fidem, quam Dei auctoris gratiæ, ſine explicita Incarnationis ac Trinitatis exigunt. Tribus ergo theſibus quæſtio univerſa concluditur.

PROPOSITIO I. In veteri Teſtamento neceſſaria erat fides Mediatoris, ſed non *explicita* in ejus divinitatem, ac individuæ Trinitatis Myſterium.

Demonſtratur 1. ex Apoſtolo ſcribente ad Galat. iii. 11. *Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia juſtus ex fide vivit*: & ad Hebræos xi. 2. *In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes*. Profecto loqui Apoſtolum etiam de fide Mediatoris liquet ex cap. iii. Epiſt. ad Romanos, ubi verſu 22. inquit: *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio*. Et de hac fide paullo infra: *Unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*. II. Probatur ex S. P. Auguſtino, qui Epiſtola 157. ad Hilarium num. 14. inquit, *etiam antiquos juſtos habuiſſe ipſum ſpiritum fidei, hoc eſt Incarnationis Chriſti*. De Catechiz. rudibus 28. *Ipſum antiqui ſancti venturum in revelatione Spiritus cognoverunt, & prophetaverunt: & ſic ſalvi facti ſunt credendo quia veniet, ſicut nos ſalvi efficimur credendo quia venit*: & de Nat. & Grat. c. 44. n. 51. *Ea quippe fides juſtos ſanavit antiquos, quæ ſanat & nos, id eſt, mediatoris Dei, & hominum hominis Jeſu Chriſti, fides ſanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis, & reſurrectionis ejus*. III. Confirmatur ratione, nam fides eſt una, & unum ſpiritum ingenerat, eamdem ſalutem affert, & ab exordio generis humani fuit ſemper una & invariata, ut idem S. Pater commonſtrat in Epiſtola ad Deogratias cii. 2. 11. ad Optatum cxc. 6. & in Pſalmum l. 17. Hoc loci aliam rationem S. Pater indigitat, quia nemo ſine Chriſto ſalvari potuit. Videſis Act. Apoſt. iv. 12. & quæ ſcripſimus c. 4. hujus libri.

At non fuiſſe neceſſariam fidem *explicitam* divinitatis Chriſti liquet I. ex Apoſtolo ſcribente ad Hebræos x. 1. legem habuiſſe *umbram futurorum bonorum*. II. ex Auguſtino ſcribente ad Dardanum Ep. 187. cap. xi. num. 34. *Erat tamen antiquis juſtis aliquod occultum, cum tamen & illi eadem fide ſalvi fierent, quæ fuerat ſuo tempore revelanda*. III. ex diſcrimine utriuſque Teſtamenti, in quorum primo myſteria, quæ nunc ſunt revelata, legalium involucris tegebantur.

Opp. adverſus primam partem. At qui lege deſtituti erant? Hi per rationis lumen abſque ulla fide legem implebant, ideoque ſalutem conſequebantur. Id affirmat Apoſtolus ad Rom. ii. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt*. Confirmat Joannes in Apocalypſi vii. 9. connumerans præter Judæos turbam magnam, *ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis*. Aſſerit & Clemens Alexandrinus inter electos recenſens in 6. Strom. Græcorum Philoſophos præſtantiſſimos.

Reſp. eos, qui lege deſtituti erant, niſi ſingulari beneficio ſupernum illis lumen affulſit, periiſſe. De Verbis Apoſtoli in 2. ad Romanos plura diximus hoc Tom. ii. pag. 120. & 124. nec neceſſum eſt ea repetere. Abſque fide exercentur aliquando officia virtutum, at non quæ vitam ſempiternam promerentur; & Apoſtolum loqui de Gentibus ad fidem converſis demonſtrat Auguſtinus de Spiritu & lit. cap. xxvi. num. 44. & ſeqq. De iiſdem Gentibus, quæ ſunt ſpolia Iſraelitarum, & linguis, populiſque ſejunctæ, fit ſermo in Apocalypſi, ut recte idem Auguſtinus in iii. de Doctrina Chriſt. cap. xxxv. num. 51. Ipſæ enim ſimul cum electis Judæorum conſtituunt Sanctorum univerſitatem, de quibus eodem cap. 7. Apocalypſeos v. 14. *Laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni*. Clemens Alexandrinus docet tantum Gentilium philoſophorum aliquos divinitus luce fidei illuſtratos, quamquam extra Judæorum fines, ſalutem fuiſſe conſecutos, quod & Origenes, & Chryſoſtomus alicubi docuerunt; ſed Gratiam fidei cuique neceſſariam Clemens affirmat in ii. Strom. pag. edit. Morelli 364. & Chryſoſt. hom. 2. in Epiſtolam ad Rom. pag. edit. Commel. 22. Idem diſertiſſime Origenes lib. 4. in Epiſt. Pauli pag. edit. Frobenianæ 387.

Adverſus 2. partem objicies. Sacerdotes Matth. xxvi. 63. Chriſtum interrogarunt, *Dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei?* Nathanael Joan. i. 49. ait: *Tu es filius Dei*. Martha Joannis xi. 27. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*. Quomodo, niſi *explicite* in Chriſti divinitatem Judæi credidiſſent, tam ſingularis confeſſio? Eſtius in diſt. 25. lib. 3. §. 4. reſpondet fortaſſis Nathanaelem non intellexiſſe *filium naturalem*; cenſendum quippe eſt aliquid minus enuntiaſſe, quam Petrus Matthæi xvi. 16. Probo reſponſionem Eſtii: de Nathanaele namque idem ſcribit Auguſtinus Tract. vii. in Joan. num. 20. Aliter aſſerendum de Martha cum eodem S. Patre Tract. xlix. num. 15. Sed hæc pia mulier quamdiu a Domini ore pependerat? Caiphas hæccine a ſemetipſo dixit? Si id putas, dico aut principi Sacerdotum aliquid manifeſtum quod plebs ignorabat, aut illum commemoraſſe attributum a Patribus Meſſiæ characterem non tamen ſibi plane compertum. Si afflatu divino loquutus eſt, ut dum ait Joan. xi. 50. *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo*: nil urget oppoſita argumentatio.

PROPOS. II. In hoc novæ legis ſtatu neceſſaria eſt ad ſalutem fides *explicita* Dominicæ Incarnationis, ac Trinitatis.

Quod hæc fides neceſſaria ſit demonſtratum eſt ſupra c. iv. p. 353. idemque firmatur præcedenti propoſitione. Quod vero hæc fides debeat eſſe *explicita* probatur primo ex Scripturis; nam Marc. xvi. 15. legitur: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur*. Evangelium autem fidem *explicitam* Incarnationis ac Trinitatis inſinuat, eamque fidem Matth. ultimo verſ. 19. profiteri debemus in ſuſcipiendo baptiſmate, ſine quo Dei regnum non obtineri affirmat Dominus Joan. iii. 3. Deinde confirmatur ex Auguſtino, qui Epiſtola 157. n. 24. ait: *Poſtea vero quam magnum pietatis ſacramentum manifeſtum eſt in carne, & vocandis omnibus Gentibus Chriſti adventus illuxit, in quem & illi Patres crediderant, ſed hujus fidei olivam ſuo tempore manifeſtandam, in illius arboris, de qua Apoſtolus loquitur, tamquam radice ſervabant, &c.* Ac Ep. 177. n. 12. *Puto autem fidem Chriſti, quæ poſtea in revelationem venit, in occulto fuiſſe temporibus patrum noſtrorum, per quam tamen etiam ipſi Dei gratia liberati ſunt*. Et infra n. 14. *Cum dicit, Apoſtolus, manifeſtata eſt, oſtendit quia tunc erat, ſed tamquam illa pluvia, quam Gedeon impetravit, tunc velut in vellere occulta, nunc autem velut in area manifeſtata*. His Auguſtinus fidem, quam, ut vidimus ſupra, in utraque lege requirit, nunc, ob Evangelii revelationem, exigit manifeſtam, apertam, *explicitam*. Accedit ratio: etenim in hoc lex nova differt a veteri, quod tunc Chriſtus ſub legalium cæremoniarum nube promittebatur; nunc annuntiatur veniſſe, divinitatem ſuam comprobaſſe, ac antiqua vaticinia compleſſe. Ut ergo Judæi ſub legis velamine implicitam fidem habebant, ita Chriſtianis Evangelii lumine effuſo, fides explicita neceſſaria eſt.

PROPOSITIO III. Hæc fides non ſolum ad ſalutem, ſed etiam ad juſtificationem omnino requiritur.

Demonſtratur primo ex Apoſtolo ad Galatas ii. 16. *Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per*

ſi per

ſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti. Et ad Hebr. x. 19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti*. II. Ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata ac promiſſa ſunt; atque illud in primis a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. III. Ex magno Auguſtino de Nat. & Grat. cap. 2. num. 2. *Si autem non gratis Chriſtus mortuus eſt; ergo omnis humana natura juſtificari & redimi ab ira Dei juſtiſſima, hoc eſt vindicta, nullo modo poteſt, niſi per fidem, & Sacramentum ſanguinis Chriſti*. Et de peccato Originali cap. 24. num. 28. *Itaque ſine iſta fide, hoc eſt, ſine fide unius mediatoris Dei & hominum hominis Chriſti Jeſu, ſine fide, inquam, reſurrectionis ejus, quam Deus hominibus definivit, quæ utique ſine incarnatione ejus ac morte non poteſt veraciter credi: ſine fide ergo incarnationis & mortis & reſurrectionis Chriſti nec antiquos juſtos, ut juſti eſſent, a peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia juſtificari veritas Chriſtiana non dubitat*. IV. Ex ratione: enimvero ſi quis abſque fide in Chriſtum poteſt juſtificari, poterit etiam ſalvari, quoniam & de juſtificatione & glorificatione idem prorſus tradunt divinæ literæ ac Patres, fidem in Chriſtum ad unam atque alteram requirentes; & juſtus niſi a gratia excidat, habet arrham promiſſionis, & adoptionem filiorum, ideoque & jus ad gloriam: quare ſi ſalus eſt ex fide Chriſti; etiam vita, etiam gratia, etiam juſtitia, dicente Apoſtolo, ut redeat, unde proceſſit oratio, *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti*.

Opp. 1. Neceſſitas fidei in Chriſtum *explicitæ* nequit ex Scripturis evinci, primo quia indiſcriminatim loquuntur tam de juſtis antiqui Teſtamenti, quam de Chriſtifidelibus, & conſequenter ſi illi per fidem in Chriſtum *implicitam* juſtificati ſunt, ſat eſt hæc fides in præſenti quoque ſtatu. Atque idem dicendum eſt de Auguſtino exigente in omnibus juſtificandis cum Apoſtolo *eumdem ſpiritum fidei* pro quocunque, ſive vetuſta, ſive nunc labente hominum ætate, ut liquet ex prima propoſitione. Rurſus quia Act. 2. 22. Cornelius Centurio dicitur *juſtus, & timens Deum*, nec tamen tunc erat per Apoſtolum Petrum fide in Chriſtum *explicita* imbutus. Deinde Apoſtolus ad Heb. xi. 6. non aliam fidem neceſſariam affirmat, quam in Deum remuneratorem: nam ait: Credere enim oportet *accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Non ergo fides ſaltem *implicita* ad juſtificationem neceſſaria eſt.

Ad primum reſpondeo non ſolum Apoſtolum & Auguſtinum agnoſcere unum ſpiritum juſtorum omnium, unam Chriſti fidem, unumque Mediatorem, verum etiam affirmare legem veterem fuiſſe umbram futurorum, & fidem Chriſti tanquam pluviam in vellere, nunc autem manifeſtatam ac revelatam, & quaſi pluviam in area. Quare ſicut ex unitate fidei, Mediatoris, & juſtificantis gratiæ infertur antiquis juſtis neceſſariam fuiſſe fidem Chriſti, & gratiam Reparatoris; ita ex utriuſque Teſtamenti diſcrimine in quorum uno latebant, quæ fuerant in altero ſuo tempore revelanda, concludites fidem olim *implicitam*, nunc apertam & abſque velamine requirendam. Quod ſequitur hac ratione expeditur. Aut Cornelius nondum manifeſtata Evangelii veritate habebat fidem *implicitam*, ut inquit S. Thomas 2. 2. quæſt. 10. art. 4. aut ſi Evangelium jam promulgatum erat, habebat quidem juſtitiam operum per gratiam actualem, at non juſtificationem per gratiam *habitualem*, & Spiritum ſanctum inhabitantem. Hoc ſecundum videtur conforme Auguſtino, qui de Prædeſt. SS. cap. VII. num. 12. ait Cornelii acceptas fuiſſe eleemoſynas & exauditas orationes antequam crediſſet in Chriſtum, *nec tamen ſine aliqua fide orabat, & donabat*: nimirum quia per gratiam moventem & fidem *implicitam* recte operabatur, at nondum fuiſſe juſtificatum affirmat S. Pater verbis ſequentibus: *Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſalvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſtolus*. Poteſt tamen utraque ſententia ad concordiam revocari, dicendo quod ſicut Cornelius vixit cum legis fieret tranſlatio, ante promulgationem Evangelii juſtificatus erat per fidem *implicitam*; Evangelio promulgato in juſtitia confirmatus eſt per fidem *explicitam*. Neque enim Auguſtinus ait, *ſi fuiſſet juſtus*, ut legit Aurelius Piatte Tom. III. pag. 293. ſed, *ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſalvus*. Neceſſarium quippe erat ad ſalutem, ut qui per fidem *implicitam* fuerant ante promulgatum Evangelium juſtificati, eo promulgato in ædificium Chriſti per fidem *explicitam* coaptarentur. Ait quidem S. Pater Cornelium juſtificatum ante baptiſmum Quæſt. 84. in Levit. & 33. Num. 9. necnon lib. IV. contra Donat. cap. 21. num. 28. & cap. 22. num. 29. At ſi putas Cornelium ante Petri prædicationem non fuiſſe ſanctificatum, dicas Auguſtinum loqui de tempore, quo ante ſuſceptum baptiſmum jam fide imbutus erat, & Spiritum ſanctum acceperat, ut legitur Act. x. 44. Si juſtificatum velis antequam ad Petrum accederet, explicabis Auguſtinum de juſtitiæ augmento, & de viſibili Spiritus ſancti deſcenſu. Proximum hac ratione diluitur. Aut Apoſtolus illa duo tantum commemorat, quia non agit de fide juſtificante ex toto, ſed nominat quæ potiſſimum extimularunt antiquos juſtos ad pie Deum colendum, & adverſa toleranda, quod nempe Deum ante oculos haberent, & remunerationem ſperarent: aut ſi exponit fidem quæ ad ſalutem ſufficiat, ea verba *Inquirentibus ſe* etiam fidem Mediatoris comprehendunt, in quantum debemus Deum inquirere ipſum orando pro ſalute, pro juſtitia, pro remiſſione peccatorum eo modo & ordine præſtandis, quo ipſi viſum fuerit. Ita in Paulum Eſtius.

Præterea objicies. Haud credibile eſt, Deum, qui *vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, damnaturum eos, qui legem naturalem ſervantes nequeunt audire Evangelium, laborantque myſteriorum fidei ignorantia invincibili. Ob quam enim culpam inter barbaros degentem, honeſtamque ducentem vitam juſtus & miſericors Dominus deſeret? Sane, etſi Evangelium per univerſum orbem dicitur annuntiatum, non deſunt tamen juxta Auguſtinum de Nat. & Grat. cap. 2. *ultimæ gentes, licet, ut perhibetur, pauciſſimæ*, ad quas nondum Chriſti nomen pervenit. Hanc Auguſtini opinionem, quamvis ei diſſentiant nonnulli, comprobant remotiſſimæ a nobis gentes adhuc magna ex parte Chriſtianam fidem penitus ignorantes. Saltem iis ſufficiens erit fides *implicita*, aut in animi præparatione; nam ſi credentibus ſat eſt baptiſmus in voto, quando re ipſa applicari non poteſt: cur facientibus quod in ſe eſt non erit ſufficiens fidei votum ac deſiderium, quando *explicita* fides nequit haberi? Poſtremo ſi puer baptiſmate regeneratus derelinquatur in ſylvis, aut mutus ac ſurdus ſit, neque Evangelium perveniens ad uſum rationis valeat audire, nonne ſaltem iſte Chriſti ſacramento expiatus, & ornatus inhærente juſtitia ſalutem conſequetur? Non eſt ergo fides in Chriſtum *explicita* adeo neceſſaria, ut in aliquo ſaltem caſu nequeat ſine hujuſmodi fide haberi juſtitia, regnumque cælorum.

Reſp. Non ſufficere ad ſalutem, ſi quis naturalem legem non frangat, quamquam & id abſque gratia actuali, & aliqua in Chriſtum fide, juxta ſententiam noſtram alibi confirmatam fieri non poſſit, *ut oportet*, & omnium conſenſu fieri non poſſit, ut ſufficiat ad juſtificationem. Enimvero, *ſi de lege, quam accepit gens una Judæorum*, ait *Apoſtolus* (ad Galatas II. 21.) *Si enim per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt, quanto juſtius dicetur de lege naturæ, quam accepit univerſum genus humanum?* inquit Auguſtinus cit. cap. II. De Nat. & Grat. num. 2. Vult quidem Deus ſalutem hominum univerſorum; ſed non voluntate abſoluta, efficaci, &, ut inquiunt, conſequente. Hæc ad ſolos ſpectat prædeſtinatos. *Ac per hoc*, ait S. Pater de Corrept. & Grat. cap. 7. num. 11. *& qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperunt, & qui Evangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt, in eum credere noluerunt, quoniam ipſe dicit, Nemo venit ad me, niſi ei datum fuerit a patre meo: & qui per ætatem parvulam non credere potuerunt, ſed ab originali noxa ſolo poſſent lavacro regenerationis abſolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non ſunt ab illa conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem*. Barbaræ ergo gentes reprobatæ propter originale peccatum juſto Dei judicio in maſſa perditionis derelinquuntur, nec tamen damnantur ob ignorantiam invincibilem Chriſtianæ fidei, ſed vel *reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis*, ut ex ipſomet Auguſtino dixi pag. 242. Quod ſi gentes illæ ſint ab originali damnatione divinæ gratiæ largitate diſcretæ, *Non eſt dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, uſque in finem perſeverant*: inquit idem S. Pater citato cap. VII. num. 13. Ex his liquet quid dicendum ſit de puero. Si poſt baptiſmum ad uſum rationis perveniat, nec Deum voluntaria tranſgreſſione deſerat, ei Evangelium annuntiabitur aut ab homine, aut ab Angelo, aut per intimam divinamque inſpirationem. Oſtendit enim Deus in Cornelio, in ſpadone Reginæ Candacis, & in Macedone, quem vidit per noctem Paulus Act. XVI. 9. quantam electorum ſuorum curam gerat. Si decedat ante rationis uſum, aut ſuſcipiendæ prædicationis ſit incapax, ſalvabitur per Sacramentum regenerationis: in quo, *vi ſacramenti & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Eccleſiæ*, dum parvuli *fidem per verba geſtantium quodammodo profitentur*, conſtituuntur *fideles*, & *eorum per quos renaſcuntur juſtitiæ ſpiritus reſponſione ſua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt*, ſicut *eorum, per quos naſcuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt*. Vide Auguſtinum de peccatorum meritis lib. I. cap. 19. num. 25. & lib. III. cap. 2. num. 2. Quid vero, ſi ad gratiam baptiſmi non perveniant? Jam audiſti ſanctum Parentem: *Non ſunt ab illa conſperſione diſcreti*.

At enim, inquis, ſufficit baptiſmus in voto: ergo ſufficit fides *explicita* in voto. Non video hujus conſequentiæ æquitatem. Principio, in ipſo voto baptiſmatis eſt fides in Chriſtum *explicita*: nemo enim cupit baptizari, niſi ut conſepultus cum Chriſto ipſius juſtitia vivificetur. Deinde fides in voto eſt fides *explicita*, quæ enim non cre-

dantur, nec deſiderantur; ſicut non deſideraretur baptiſmus, niſi crederetur ipſius neceſſitas & efficacia. Præterea ſuſceptio baptiſmatis, cum ſit actus a voluntate *imperatus*, & exercendus extrinſecis adjumentis, poteſt abſque voluntatis culpa impediri; ſecus fides, cum ſit actus *elicitus*, ſi quis velit credere, nequit ab aliqua exteriori cauſſa a fidelium corde amoveri. Prætermitto vulgarem objectionem de iis, qui abſque fide *explicita* Deum ſuper omnia diligerent. Sententia enim noſtra, ut diximus lib. XIII. cap. 4., *hæc dilectio eſt a Deo Patre per Jeſum Chriſtum in Spiritu ſancto*. Imo & ii, qui docent poſſe ſine gratia Chriſti diligi Deum tamquam auctorem naturæ, fatentur quod diligi nequeat ut auctor gratiæ abſque ordine ad Chriſtum, & ſine ipſius gratiæ largitate, ita ut dilectio ſine fide non poſſit ad juſtificationem ſufficere. Addo tantum pro hujus quæſtionis coronide, Sanctum Franciſcum Xaverium percontanti Japoniæ Regi cur illuc acceſſiſſet, hoc dediſſe reſponſum, eo ſe miſſum *divinæ legis prædicandæ gratia, quippe cum nemo, quin Deum ejuſque filium Jeſum Chriſtum omnium gentium vindicem ac Salvatorem caſte, pieque coleret, ſalvus atque incolumis eſſe non poſſet*. Ita Indorum Apoſtolus Epiſt. 7. libri III. ab Horatio Turſellino latine reddita, pag. edit. Rom. 115. Revera ſi abſque fide in Chriſtum qui Evangelium non audierunt ſalutem conſequi poſſunt, cur Xaverius Japoniam, cur e noſtratibus Didacus Ortiz, Joannes Ximenes, Eſtathius, aliique Mexicanam ac Peruanam, & regiones reliquas barbarorum incultiſſimas ac remotiſſimas, Apoſtolorum exemplo, adierunt? Jure itaque Facultas Lovanienſis vetuit ne edoceatur in hoc ſtatu fidem *explicitam de Deo Trino, & Salvatore Chriſto Jeſu non eſſe ita neceſſariam, ut ſine tali fide non poſſit obtineri ſalus*, ita refert in Theſibus Lovanienſibus anni 1721. Antonius Rolliers. Jure Innocentius XI. declaravit prop. 64. non eſſe capacem abſolutionis qui ignorat ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis myſteria. Jure denique Eccleſia in Symbolo, quod tribuitur Athanaſio, iiſdem myſteriis expoſitis inquit: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*.

CAPUT VIII.

De externa Fidei Confeſſione.

DIXIMUS de interno fidei actu, nunc de externo dicendum eſt: atque inquirendum primo an liceat fidem negare; deinde an ſaltem fides diſſimulari poſſit ſervando infidelium ritus, & conſuetudines: tertio an tyranno interroganti fas ſit fidem occultare; poſtremo an liceat in perſecutione fugam arripere. Omnia hæc uno capite expediemus: nam libro Viceſimo cap. x. agentes de ſimulatione in ſervandis legalibus omnia fere argumenta diluimus.

PROPOSITIO I. Nunquam licitum eſt negare fidem.

Eſt hæc theſis contra Elceſaitas, qui apud Euſebium lib. VI. H. E. cap. 38. & Patrem Auguſtinum de Hæreſ. h. XXXII. docuerunt fidem in perſecutione negandam ore, & corde ſervandam: contra Priſcillianiſtas, qui apud eumdem Auguſtinum h. lxx. propter occultandas contaminationes & turpitudines ſuas, habebant in dogmatibus ea verba,

Jura, perjura, ſecretum prodere noli;

& contra Georgium David Anabaptiſtam, Angloſque Libertinos.

Probatur I. ex Scripturis. Ait enim Apoſtolus ad Rom. x. *Corde creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Oris ergo confeſſio neceſſaria eſt. Quo autem tempore, niſi eo potiſſimum, cum interrogante Tyranno, atque de religione percontante, debemus fidem noſtram profiteri, & aperta confeſſione Chriſto debitum obſequium reddere? Deinde cur Salvator nos tam ardenti oratione Matt. x. hortatur, ut imitemur prudentiam *ſerpentis*, ideſt Capitis noſtri tueamur honorem, etiamſi corpus nobis dilanietur? Cur ait, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere?* Cur non inquit potius, Servate interiori animo fidem, ſi forte neceſſum ſit ad evitandam tyrannorum ſævitiam, aut dejerare, aut uti ſimulatione, aut mentiri? Præterea quid proferri poteſt expreſſius dominica illa ſententia, citato capite x. 33. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*; aut altera Lucæ IX. 24. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam?* Etiam Apoſtolus in 2. ad Timotheum II. 12. *Si negaverimus*, inquit, *& ille negabit nos*. Secundo demonſtratur auctoritate Eccleſiæ: quæ, ut colligitur ex libro Cypriani de Lapſis, *Libellarios*, ſcilicet habentes de facta idolis immolatione chirographum, quod ſæpenumero a tyrannis ad evitandam mortem pecunia extorquebant, etiam ſcelere non patrato, ad pœnitentiam vix recipiebat poſt vehementem notiſſimamque concepti doloris amaritudinem. Innocentius XI. & ipſe propoſitionem illam num. 18. confixit: *Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo; ut peccaminoſum per ſe non damno*. Tertio confirmatur S. Patris Auguſtini doctrina: nam ait S. Pater de Fide, & Symbolo num. 1. *Fides officium a nobis exigit & cordis, & linguæ*. Tract. lxvi. in Joannem: *Qui negat hominem Chriſtum, non reconciliabitur per Mediatorem Deo*; & Tract. cxiii. *Petrus ſi negato Chriſto iret, quid aliud, quam periret?* Auguſtino omnes alii conſentiunt. Deinde probatur ratione. Quum enim quodlibet mendacium iniquum ſit, & veritati contrarium: quale putas flagitium eſſe, cum magno Chriſtiani nominis dedecore aut Chriſti fidem, aut, quod perinde eſt, ſe ejuſdem diſcipulus abnegare? Si vitam animæ tribuit, auctore Auguſtino Tract. in Joannem 36. Chriſtum profiteri, nonne maximum detrimentum affert negare ipſum Chriſtum? Poſtremo, ut adverſus Priſcillianiſtas ſcribit Doctor ſanctiſſimus lib. contra Mendacium cap. 2., ſententia propugnans quod cum iis, qui nobiſcum non ſunt ſocietate ac religione conjuncti, liceat loqui mendacium, nonne *Martyres exhonorat, imo vero non aufert ſancta omnino martyria?*

Contraria argumenta digna non videntur, quæ proponantur Theologiæ candidatis. Inquiunt Adverſarii, ſcriptum eſſe Pſalmo XIV. 3. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo*, tanquam id ad juſtitiam ſufficiat; at ſequitur in Pſalmo, *Qui non egit dolum in lingua ſua*: & inquit Apoſtolus, *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Addunt Chriſtum interroganti Herodi, ac Præſidi Lucæ XXIII. 9. & Joannis XIX. 9. nullum dediſſe reſponſum. Verum tunc non de fide Dominus interrogabatur, ut ſupra Lucæ XXIII. 3. & Joan. XVIII. 33. quando ad interrogata reſpondit; fuitque in ceteris ſilentium ejus humilitas ſingularis, ſumma prudentia, atque deriſionum, contumeliarum, mortiſque contemptus. Aſſerunt Tyrannum non eſſe judicem legitimum, cui neceſſum ſit reddere fidei noſtræ rationem. Sed niſi confeſſionem ſinceram exigat obſequium debitum Poteſtati, eam poſtulat veritas, religio, & honor illi exhibendus, qui etiam de mercede paciſcens, *Qui confitebitur*, inquit, *me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo*. Quamobrem illiuſmodi argutiolas, gerraſque Siculas prætermittimus.

PROPOSITIO II. Nunquam fas eſt uſurpatione rituum, ciborum, veſtium, nominumque gentium idololatrarum, ubi ſint ſuperſtitioſi cultus indicium, religionem callide ſimulare.

Demonſtratur I. ex Scripturis. Enimvero 2. Machab. VI. Eleazarus hortantibus amicis *iniqua miſeratione* commotis, ut ſimularet veſci ſacrificii carnibus, reſpondit non eſſe ætati ſuæ *dignum fingere*, ſed futuram potius ſimulationem illam ſenectuti ſuæ *maculam & execrationem*: & quod præcipuum eſt, *Etſi*, inquit verſu 26. *in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar; ſed manus omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam*. Narratur proximo capite VII. illuſtre ſeptem fratrum ob eamdem cauſſam martyrium. Etiam Apoſtolus in 1. ad Corint. x. 28. ait: *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis; nolite manducare propter illum qui indicavit, & propter conſcientiam*. Ad hæc non ſolum Matt. x. prohibemur negare Chriſtum, ſed etiam jubemur illum confiteri: & Lucæ IX. 26. *Qui me erubuerit*, inquit Dominus, *& meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua*, &c. At fidem ſimulare eſt illam non confiteri, & Deum pro nobis crucifixum erubeſcere. Prob. II. ex Patribus: veſcentes enim immolatitias carnes, quamvis illas ſimulate manducaſſent, Irenæus lib. 1. cap. 1. Tertullianus de Idololatria cap. 13. Cyprianus de lapſis, S. P. Aug. de Bono conjugali cap. 16. aliique omnes, imo & antiqua Concilia damnant, ac reprobant. Vide pag. 194. & 197. Deinde docent confeſſionem fidei faciendam nulla ambiguitate, nullaque adhibita ſimulatione: *Non enim ſatis eſt*, ait S. Ambroſius lib. x. in Lucam, *involuta reſponſio confitentis Jeſum, ſed aperta confeſſio. Quid prodeſt verba involvere, ſi videri vis denegaſſe?* S. Pater Auguſtinus contra Mendacium cap. 6. retundens illorum conſuetudinem, qui ut facilius hæreticos, ethnicoſque vitent & refellant, horum dogmata & ritus approbant mentiendo, ait: *Sed multo facilius, inquies, eorum latibula penetramus, ſi quod ſunt nos eſſe mentiamur. Hoc ſi liceret aut expediret, potuit Chriſtus præcipere ovibus ſuis, ut lupinis amictæ pellibus ad lupos venirent, & eos hujus artis fallaciis invenirent*. Plura ibidem Auguſtinus ad rem noſtram utiliſſima. Fulgentius lib. 1. ad Traſim. cap. 1. inquit: *Compertum eſſe non ambigo apud eos, qui Chriſtianæ gratiæ participatione redempti ſunt, pene id eſſe fidem nolle aſſerere, quod negare*. Et infra: *Cum de Deo res agitur non levis reatus eſt, ſi quod ad ſalutem pertinet taceatur*. Corroboratur III. præfata theſis ratione. Nam veritas poſtulat, ut unuſquiſque talem ſe exhibeat exterius, qualis eſt; id enim veritatis idea ſuadet, traditque S. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. Atque ideo pag. 197. omnem ſimulationem eſſe illicitam pronunciavimus. Accedit, quod ſicut interiorem animum patefaciunt non ſolum verba, ſed etiam cetera ſigna: ita eodem crimine ſeſe obſtringit, qui verbis oriſque confeſſione, & qui moribus, conſuetudine, ritibus tali ratione ſe gerit ut Chriſtum videatur aut negare, aut erubeſcere. Argumenta, quæ videntur poſitionem hanc oppugnare petita ab obſervatione legalium, ab auctoritate Græcorum Patrum, a nonnullis divinarum Scripturarum, nec non Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ exemplis, ſoluta a nobis ſunt lib. xx. cap. 10. ubi de concer-

ratione

tatione S. Parentis Auguſtini cum beato Hieronymo liberiori ſtilo diſputatum eſt.

Duntaxat animadvertendum eſt, quando ritus, ſigna, verba, epulum, veſtimenta, aliaque hujuſcemodi ſuperſtitionem redoleant, quando vero civilem tantummodo conſuetudinem. Nam qui neceſſitate coactus templum prolanum ingreditur, ac domino etiam thura adolenti exhibet famulatum, ut diximus de Naamano, & contingere interdum poteſt cuilibet barbarorum mancipio, is dummodo non prætergrediatur civilis obſequii jura, nullumque exhibeat cultum idolis, ab omni culpa eſt immunis. Ab his pendet gravis de Sinenſibus Ritibus controverſia tanta animorum contentione agitata: nam quæ cultum politicum referunt, ut die natali coram parentibus procumbere, & Imperatoris quoque nomen menſæ impoſitum venerari, Confucium etiam in gymnaſiis honore proſequi, tamquam philoſophicæ diſciplinæ præceptorem, non viderentur omnino flagitioſa. At inſpiciendum, num cetera ſint hujus generis, neque in his lateat ſpecimen cultus idololatrici. Fas pariter erit juxta patrium morem Regem Anglorum ſalutare genu flexo. Veſci idolothytis, ſi abſit periculum ſcandali, neque præſeferet pravi animi ſuſpicionem, licitum eſt. *Omne quod in macello venit, manducate*, inquit Apoſtolus in 1. ad Corinth. x. 25. ſecus ſi adſit ſcandalum, aut id jubeat princeps idololatra ad conteſſerandam religionem; ut diximus pag. 200. Imitari eo in caſu debemus Eleazari fortitudinem, ac traditam ibidem ab Apoſtolo præceptionem: *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis; nolite manducare*. Idem aſſerendum eſt de Judæorum azymis, de conviviis hæreticorum, de fidelium in horum domo, templiſque conventibus. Servanda eſt eadem regula in uſu veſtium; ut quæ regionis ſunt, ubi opportunum eſt, adhibeantur: ita Apoſtolici viri aliquando Perſicis, Indiciſque, cum non poſſint propriis incedere, induuntur. Idem aſſerendum de veſtibus, quæ ſunt honeſti muneris, aut collatæ dignitatis argumentum; ut quas induerunt Joſeph inter Ægyptios, Daniel inter Chaldæos, & Jeſuitæ, quos Mandarinos appellant, inter Sinanſes. At cavendum, quod paullo ſupra monuit Auguſtinus, ne Chriſti oves pellibus lupinis ſe contegant; nam indumenta ſuperſtitionis *proteſtativa* ſunt penitus abjicienda. Adhibenda autem hæc regula in rebus ceteris. Quidquid hæreſim, aut impietatem redolet, fugiendum omnino; huc ſpectant intereſſe cœnæ Calviniſtarum, ſuſcipere a Lutherano miniſtro Euchariſtiam, & extra caſum neceſſitatis etiam baptiſmum, communicare hæreticorum ritibus, adire illorum templa & frequentare conciones alio fine, quam irridendi, & refutandi doctrinam hæreticam: atque ita ratiocinandum de reliquis ſuapte natura Catholicæ, & Orthodoxæ fidei contrariis.

PROPOSITIO III. Inculpatim Chriſtiani, etiam Epiſcopi, Perſecutoribus ſe fugiendo ſurripiunt, niſi aliter ſuadeat Fidei cauſſa, plebiſque Chriſtianæ periclitatio.

Demonſtret apertiſſime hanc propoſitionem S. Athanaſius in Apologia de Fuga ſue ſcripta anno 337. cum Leontius Antiochenus, Narciſſus Neroniadis, & Georgius Laodicenus Ariani Epiſcopi ægre ferentes, quod Syriani Ducis cruentas manus evaſiſſet, criminabantur illius fugam. Sunt autem argumenta Athanaſii quæ ſequuntur. Primum demonſtrat pag. 326. Tom. 1. edit. ultimæ Pariſienſis, quod fas ſit in perſecutione fugam arripere exemplo Moſis, qui fugit in terram Madian commendatur ab Apoſtolo ad Hebræos xi. 27. Davidis qui latuit in ſpelunca, ut Abimelechum, ejuſque inſidias declinaret, Heliæ qui Jezabelis & Achabi ſe ſubtraxit indignationi. Addit exemplum diſcipulorum, qui ſe occultarunt metu Judæorum perculſi, & Pauli qui ad vitandas inſidias Aretæ Damaſci præſidis per murum in ſporta demiſſus eſt. Idem confirmat pag. 327. Chriſti doctrina & operibus, producitque fugam in Ægyptum, narratam Matth. ii. 13. fugam de templo Joan. viii. 59. fugam in Ephrem Joan. xi. 54. demonſtrans ea, quæ de Salvatore ſecundum humanitatem ſcripta ſunt, ad commune hominum genus referenda. Nec prætermittit Dominicam ſententiam Matth. x. 23. *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*: quam in Evangelica lectione repetit Eccleſia in ipſa beatiſſimi Athanaſii feſtivitate. Profert etiam rationes perſpicuas. Ac prima eſt, quoniam fugæ ærumnas perferre gravius aliquando eſt ipſa morte, ideoque fugam arripere non eſt ſemper inanis timoris argumentum: quod pag. 330. confirmat exemplo Jacob, qui fugiens a facie Eſau præſentem mortem nequaquam timebat, & pag. ſeq. exemplo Apoſtolorum Petri & Pauli, qui cum aliquando perſecutores vitaverint, Romam tamen venire non detrectarunt ibi mortis ſubituri ſupplicium. Altera ratio eſt, quod Deus Sanctis ſuis in ipſa fuga plures impertivit honores, ut Jacob, & Moſi. Poſtrema ratio eſt, quod ea ipſa fuga multum utilitatis accedit Eccleſiæ: nam qui prædicaſſent Evangelium, niſi fugam Apoſtoli arripuiſſent? Fugientes itaque ſancti quaſi medici in uſus indigentium ſervantur. Has rationes proponit S. Athanaſius pag. 332. & ſequenti. Hæc ſatis aſſertum corroborant. Legi tamen poterit etiam Cyprianus de Lapſis pag. 375. edit. Baluzii, necnon Epiſtola 54. ad Cornelium pag. 273.

Dixi tamen nefas eſſe in Perſecutione fugam arripere, dum fidei cauſſa, & ſalus Chriſtianæ plebis periclitatur. V. G. Si populus abſque Rectore ullo ſub Tyrannorum ſævitia permaneat, & ad eum qui fugit cura ovium Chriſti pertineat, nec totus grex fugiens perſecutoribus ſe ſurripiat. Egregie id commonet, probatque in Epiſtola ad Honoratum 180. nunc 228. S. Pater Auguſtinus. Primo ait num. 2. verba Domini dicentis: *Cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*, non ita ſervanda, *Ut neceſſario miniſterio, ſine quo vivere nequeunt, deſerantur greges, quos ſuo ſanguine comparavit*. Oſtendit in eo caſu non valere exemplum Chriſti fugientis in Ægyptum, *quia nondum Eccleſias congregaverat*, nec Apoſtoli, qui per feneſtram in ſporta ſubmiſſus eſt, quoniam *deſerta non fuit Eccleſia qua ibi erat neceſſario miniſterio*. Deinde num. 3. urget præceptum Caritatis, de quo Joan. Epiſt. 1. cap. iii. 16. *Quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere*: commonſtratque id non quadrare iis, qui *dum fugiunt, vel ſuis devincti neceſſitatibus fugere non poſſunt, & comprehenſi patiuntur*; ſed illis tantum, *Qui propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad Chriſtianam ſalutem indigebant, deſerere noluerunt*. Quod profecto per ſe ſatis compertum eſt. Præterea demonſtrat num. 6. Epiſcopos nequaquam debere imitari mercenarium, *qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non eſt ei cura de ovibus*; ut Chriſtus ait Joan. x. 13. *Cum* enim (inquit Auguſtinus) *plebs manet, & miniſtri fugiunt, miniſteriumque ſubtrahitur; quid erit niſi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non eſt cura de ovibus?* Excuſat ibidem fugam Athanaſii, de qua ſupra, quoniam fugit, *nequaquam a ceteris miniſtris deſerta plebe Catholica, qua in Alexandria commanebat*.

Solvit ex loci Auguſtinus quæ poſſunt in contrarium opponi. Ajebat Honoratus nil aliud efficere Epiſcoporum præſentiam, niſi ut irritentur magis perſecutores, ita ut ſpectantibus paſtoribus viri cadant, fœminæ conſtuprentur, incendantur Eccleſiæ. At reſpondet S. Pater, propter iſta quæ incerta ſunt non debere noſtri officii eſſe certam deſertionem: ſi certa mala iſta forent, omnes fugam arrepturos, atque Antiſtiti tunc non futuram manendi neceſſitatem: magis timendum ne lapides vivi extinguantur deſerentibus Epiſcopis, quam ne illis præſentibus incendantur lapides & ligna terrenorum ædificiorum: majus fore detrimentum ſi interiori ſenſu pereat caſtitas fidei, quam ſi fœminæ violenter conſtuprentur in carne: in perſecutione denique magnum fieri in Eccleſia utriuſque ſexus concurſum, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, Sacramentorum confectionem, & erogationem. Hæc ad num. uſque 8. Quærenti an liceat fugere, ut ſerventur alii, qui reſiduis fidelibus miniſtrent; reſpondet quando eſt commune periculum, cavendum Epiſcopo ne magis fugiendi obſit exemplo, quam vivendi proſit officio: fugiendum ſi non deſint alii, per quos ſuppleatur Eccleſiaſticum miniſterium: ſi laici non quærantur ad mortem, poſſe ab iis occultari Clericos, & Epiſcopos ſuos; ceterum non tanti pendendam eſſe Eccleſiæ navim, ut debeant eam nautæ, & maxime gubernator periclitantem deſerere, etiamſi in ſcapham tranſiliendo, vel etiam natando poſſint effugere. Atque hæc ad num. 12. Petenti denique quid agendum ſit dum plebes decipiuntur, cum ideo non fugiant, quia manere ſuos præpoſitos cernunt; ait declinandam hanc invidiam alloquendo eaſdem plebes, eiſque ſignificando quod ideo Epiſcopi remaneant, ut fidelibus miniſtrent quicquid eorum ſaluti noverint neceſſarium; nec omittendam hanc orationem, ſi utile videatur ad loca tutiora migrare: ſi abire plebs nolit, aut non poſſit, aut eundum ſit ad incerta ſuffugia, & non ad finienda, ſed ad mutanda pericula, non eſſe Chriſtiano miniſterio deſerendam: ſi autem abire maluerit, nec Epiſcopis manendum eſſe, qui propter ipſam plebem manebant. Hæc ad numerum uſque poſtremum. Ergo cum Auguſtinus tam valide nervoſeque quæſtionem iſtam diluerit, recte ipſa Doctoris omnium præclariſſimi documentis concluditur.

CAPUT IX.

Quænam ſit de Sinenſium ritibus controverſia.

CONSCELERATAM non eſſe Sinenſium rituum conſuetudinem in iis, quæ referunt duntaxat cultum politicum & civilem, dixi prop. 2. Capitis præcedentis. An autem interſit idololatrica ſuperſtitio, ignaros rerum, ac tanta locorum intercapedine diſſitos definire vix poteſt. Standum omnino Apoſtolicæ Sedis definitionibus: quæ ſpectatis diverſis circumſtantiis, & Miſſionariorum relationibus, diverſa ſancivit, judicio ſemper libero, atque irreformabili. Nam anno 1645. die 12. Septembris ad quæſita Patris Joannis Baptiſtæ Moralis Ordinis Prædicatorum, reſpondit Sinenſium cultus eſſe illicitos: anno autem 1656. die 23. Martii affirmavit permitti poſſe, ſublatis ſuperſtitionibus, fideique proteſtatione præmiſſa, audita tunc relatione P. Martini Martinii Societatis Jeſu in Sinarum Regno Miſſionarii. Remanet ergo difficultas, an poſtremo

decreto emanato Sinenſium ritus ſuperſtitioſi cenſeri debeant, an permitti, & num decretum primum adhuc in ſuo robore maneat. Cum pro utraque parte innumera ſcripta prodierint, miſſus ad Sinas Reverendiſſimus Carolus Maigrot prohibuit anno 1693. cultum a Sinenſibus Confucio, & Progenitoribus exhibitum, tabellas eiſdem appenſas, vocabulum *Xang Ti*, ac *Tien*, quo ſignificant ſummum Deum, & inſcriptionem alteram *King tien*. Grave hinc ſubortum diſſidium circa Edictum Domini Maigrot: ac pro uſu ipſarum tabellarum ſcripſerant plures Apologiſtæ; plures quoque illas reprobarunt; horum autem Scriptorum illuſtriores paullo infra commemorabo. Tandem in Sinam profectus juſſu & auctoritate Clementis XI. Carolus Thomas de Tournon, decreto ſuo emanato Pudicherii die 23. Junii anno 1704. complura alia Sinenſium uſu recepta proſcripſit, poſtea Vaticana purpura ornatus: ejuſque decretum confirmavit anno 1710. die 25. Septembris idem Clemens XI. & anno 1727. die 12. Decembris Benedictus XIII. Etiam de Cardinali ampliſſimo ætate hac diſputatur, an conſuetudines Sinenſium ſatis exploraverit, an innocuas tamquam ſuperſtitioſas deceptus errore inhibuerit: etenim de Confirmatione ſummi Pontificis, dummodo Cardinalis de Tournon explorare ſententiam dixerit, nemo ambigit quin rata ſit, & religioſe ſervanda. Videtur ergo mihi ampliſſimam de Sinenſium ritibus controverſiam ad tria capita poſſe revocari; nimirum an juxta decretum Sacræ Congregationis anni 1656. Sinenſes ritus permitti debeant: an edictum Reverendiſſimi Maigrot fuerit librate emanatum: an conſuetudines proſcriptæ ab Eminentiſſimo Cardinali de Tournon ſint revera ſuperſtitioſæ.

Quantum ad primum caput attinet; dico per decretum anni 1656. non fuiſſe permiſſos ritus omnes Sinenſes, ſed tantum aliquos, qui ex relatione P. Martinii videbantur eſſe politici; ideoque decretum emanatum a S. Congregatione de Propaganda anno 1645. ſemper in ſuo robore viguiſſe. Probatur 1. quoniam Sacra Congregatio præfato anno 1656. cenſuit permittendas Sinenſibus Chriſtianis ceremonias a P. Martinio *prænominatas*, & *propoſitas*. At Martinius retulerat in cultu Confucii nullum intereſſe ſacrificulum, nihil omnino fieri ab idololatris inſtitutum, nullas oblationes, aut ſacrificia, ſed inclinationes tantum, quales fiunt viventi Magiſtro, neque in templo, & ſacra æde, ſed in aula, aut gymnaſio: diſſimulavit etiam inſcriptionem tabellarum, de quibus infra; tametſi e Sinarum regno grande volumen detulerit, in quo omnes Sinenſium conſuetudines erant expoſitæ, ut ad illius ingenuam fidem comprobandam teſtati ſunt PP. S. J. in ſupplici libello exhibito Summo Pontifici Innoc. XII. At quicquid in amplo illo volumine contineretur, numquid Sacræ Congregationi ſignificavit Confucio ſacras ædes erigi, appendi tabellas inſcriptas aureis literis, *Sedes animæ ſanctiſſimi, & ſuperexcellentiſſimi Confucii*, celebrari in ejus honorem ſolemnitates in æquinoctio veris, & autumni, longi ſacerdotum munere Mandarinos, adolere thura, immolare victimas, offerre pilos & ſanguinem porci, effundere calicem vini in homunculum e paleis fictum, comburere pannum ſericum, nummoſque papyraceos, literatos omnes gradibus initiatos in ſacram Confucii ædem venientes accenſis cereis quater genua flectere, proſtratoſque ſpiritum Confucii adorare, & frontem in terram percutere? Numquid expoſuit Sinenſes parentibus aviſque conſtruere templa, locare ibidem tabellas inſcriptas literis cubitalibus, *Sedes, aut thronus animæ, vel ſpiritus NN.*, vere & autumno inſtitui ſolemnia, patremfamilias gerere Sacerdotis vicem, mactare porcum capramque, effuſo in aurem vino probare victimas, libare fructus, & legumina; & qui tenuis fortunæ ſunt, eadem peragere aut privatis in domibus, aut extra urbes ad mortuorum ſepulcra? Hæc, quæ a Sinenſibus exercentur, ut non ſolum narrat Navarretta, & Varus inclyti Prædicatorum Ordinis, ſed etiam docti viri Sinenſium ceremoniarum Apologiſtæ, Didacus Morales, Jacobus Faber, Franciſcus Brancatus, Bartholomæus Roboredus, aliique complures: hæc, inquam, Martinius alto ſilentio præteriit; ideoque vi decreti emanati anno 1656. cenſeri non poterant permittenda. II. Laudatum P. Martinium plura præteriiſſe ſilentio commonſtrant ejuſdem quæſita appoſita ad calcem Apologiæ FF. Prædicatorum editæ typis Colonienſibus anno 1699. comprobant quæ apud Sinas evenerunt poſt Martinii reditum; nam, ut refert Navarretta Tom. 2. pag. 332. Pater Adamus Schaal Mandarinus S. J. decretum anni 1656. improbavit ob minus ſinceram Martinii expoſitionem: quod & feciſſe P. Antonium a S. Maria Ordinis Minorum teſtatur in ſua Epiſtola etiam F. Dominicus Sarpetri Jeſuitarum partibus addictiſſimus: confirmat ejuſdem P. Antonii a S. Maria juramentum, quo anno 1659. aſſeruit P. Martinium in Civitate *Nang Chen* palam affirmaviſſe corruptelam exorandi animas defunctorum apud Sinas ab hinc retro trecentis annis inductam, cum tamen cultus proavorum eſſet ab antiqua inſtitutione civilis tantummodo, & politicus. At hanc corruptelam Sacræ Congregationi, Romanoque Pontifici minime ſignificavit. III. Anno 1669. die 13. Novembris in Congregatione Generali S. Officii Eminentiſſimi PP. declararunt, *Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide latum ſub die 12. Septembris 1645. ſecundum tunc expoſita in dubiis, eſſe in ſuo robore, neque per decretum S. Congregationis S. Officii latum ſub die 23. Martii 1656. fuiſſe circumſcriptum, ſed omnino ſecundum quæſita, circumſtantias, & omnia in dictis dubiis expreſſa eſſe ſervandum, ut jacet: quemadmodum ſervandum declararunt decretum Sacræ Congregationis S. Officii, latum ut ſupra die 23. Martii 1656. juxta quæſita, circumſtantias, & omnia in eis expreſſa*. Similiter an. 1674. ad quæſitum P. Dominici Navarrette XIII. ex mandato ejuſdem S. Congregationis Clariſſimi viri Laurentius de Laurea, poſtea S. Rom. Eccleſiæ Cardinalis ampliſſimus, & P. Cajetanus Miroballus S. Officii qualificator reſponderunt, *Quod ſi obſequia illa, quæ Confucio exhibentur, ſint mere politica, poſſunt permitti; ſi religioſe, nequaquam*. Ex quo ergo per decretum anni 1656. permittantur politicæ quædam ceremoniæ, non conſequitur permitti tabellas cum inſcriptionibus paullo ſupra commemoratis, neque oblationes, neque adorationes factas ſpiritibus, aut progenitorum, aut Confucii, neque ſolemnia æquinoctiorum, neque alia quæ redolent ſuperſtitionem, & quæ decreto anni 1645. fuerant prohibita: ſed utrumque decretum appoſite, librate, & juxta Miſſionariorum quæſita latum fuit, nec unum alterum irritat, abrogatque; quod de iiſdem decretis erat demonſtrandum.

II.

Edictum quoque Caroli Maigrot recte, provideque ſuperſtitioſos cultus eliminabat. I. Revere ædes Confucii templum eſt, non gymnaſium, & oblationes ibidem factæ, præſertim in æquinoctio veris & autumni, ſuperſtitioſæ ac profanæ: primo quoniam Ædes illa Sinarum lingua appellatur *Miao*, quo vocabulo appellantur quoque Bonziorum *Pagodæ*, ſive templa idolorum: & revera fanum ac templum eſſe, ſcribunt Matthæus Ricci lib. 1. de Chriſtiana expeditione apud Sinas cap. 10. pag. 108. Daniel Bartoli lib. 1. pag. 72. Kirkerus in ſuo libro, qui inſcribitur *China illuſtrata* p. 3. cap. 1. aliique S. J. præclari Scriptores; tametſi Ædes Confuciana non ſit templum commune, ſed *fanum literatorum*, ac prope gymnaſium erigatur. De laudato Matthæo Riccio Maceratenſi tradunt primum fuiſſe, qui anno 1581. ad Sinas penetraverit: ſed ibidem antea Evangelium prædicarunt Dominicani, noſtrique ordinis Fratres, & præſertim anno 1575. P. Martinus Herrada, ut non ſolum affirmat Auctor Apologiæ FF. Prædicatorum pag. 109. ſed etiam demonſtratur ex libro, cui titulus, *Hiſtoria Regni Sinarum* auctore noſtro Joanne Gonzalez de Mendoza edito Itala lingua Romæ an. 1586. pag. 136. Deinde Confucii cultum illicitum ac ſuperſtitioſum declararunt die 23. Novembris ann. 1669. ex mandato Sacræ Congregationis Laurentius Brancatus de Laurea, & Joannes Bona, uterque Romana purpura clarus, doctrina autem clariſſimus: imo idem definivit Summus Pontifex Clemens XI. in Bulla emanata die 19. Martii, anno 1715. quæ incipit, *Ex illa die*. Præterea cultum Confucio exhibitum eſſe ſuperſtitioſum, nonne evincit ipſius ſimulacrum cum adoratoribus pictum in libro Italo, *Raccolta di varie principali Scritture de' PP. della Comp. di Gesù*, pag. 34. inſcriptio tabellæ, oblationes, & libamina ſuperius commemorata, & comparatio eum oblationibus factis idolo *Chin hoan*, ſive Spiritui tutelari urbium, ab omni etiam aliorum rituum propugnatore damnatis? Sunt enim Confucio, & idolo *Chin hoan* eædem omnino ſacratæ victimæ, iiſdem ceremoniis, eædemque miniſtrorum pompa, & actione; ſi verum refert auctor Hiſtoriæ Cultus Sinenſium pag. 57. Denique Confucii cultum, & idololatricas cæremonias etiam Miſſionarii Jeſuitæ interdixerunt anno 1628. decretis editis in urbe *Kia Ting* provinciæ Nankinenſis, ut Navarretta demonſtrat Tom. II. pag. 110. ideoque falſum eſt a primo ipſorum in Sinarum regnum ingreſſu fuiſſe permiſſas. II. Idem afferendum de cultu progenitorum: quem politicum non eſſe liquet primum ex tabella, in qua non tantum defunctorum nomina inſcripta ſunt, quod tolerabile foret, verum & *Xin Goey*, aut, *Xin Chu*, quæ vocabula idem valere ac, *Sedes, aut thronus animæ, vel ſpiritus*, fatetur eruditus Apologiſta Tellier Tom. II. pag. 254. ideoque non ſunt appoſita tantum ad excitandam, ut inquiunt, memoriam parentum, verum etiam ad commonſtrandum, quod tabellis inſideat ſpiritus defunctorum. *Sufficeret* enim ad revocandos parentes in memoriam filiorum inſcriptio nominum demortuorum. Ad hæc fatentur Apologiſtæ ſuperſtitioſam rem fore, ſi a defunctis eorumque ſpiritibus viventes aliquid peterent & expectarent: & Martinius, ut diximus, cum tabellarum inſcriptionem, tum expectatam a ſpiritu proavorum beneficiam obticuit. At compertum eſt Sinas, cum ejuſdem cæremoniis interſunt, bona & proſpera a defunctis petere, neque id poſſe in dubium revocari; ut ſcribit Gregorius Lopez Ordinis Prædicat. Epiſcopus Baſilitanus, quem alias Apologiſtæ pro ſe laudant, apud Varum, & Scriptorem Hiſt. Cult. Sinenſ. pag. 42. imo idem affirmant Jeſuitarum Hiſtorici Alexander de Rhodes lib. 1. c. 27. Operis cujus inſcriptio, *Relazione de' felici ſucceſſi della S. Fede*, Joannes

Maffei

Maffei Hiſtoriarum Indicarum lib. *6.* p. 101. aliique narrantes impias Sinarum in defunctorum cultu ceremonias. Rhodes quidem de Tunkinenſibus loquitur; ſed Tunkinenſis ac Sinicæ gentis eumdem eſſe circa demortuos cultum, haud diffitetur Tellier in ſua defenſione Parte 2. pag. 314. Ac Martinius ipſe, ut diximus, minime negavit corruptelam, & ſuperſtitioſam conſuetudinem exorandi ſpiritus defunctorum in politicos Sinenſium ritus irrepſiſſe. Quare ſi progenitorum cultus dubio omni procul ſuperſtitioſus eſt, cum aut ſpiritus inſidere tabellis creduntur, aut defuncti referuntur in Numina, aut ab illis ſine Chriſti fide demortuis temporalia beneficia expectantur: nequit iſtiuſmodi cultus tamquam politicus permitti, quemadmodum anno 1674. de Laurea & Miroballus declararunt, & laudata Conſtitutione *Ex illa die*, definivit Pontifex. Opt. Max. Clemens XI. Quis inſuper credat quod in ſuo Præludio edito anno 1682. nititur demonſtrare P. Franciſcus Xaverius Philippuci, oblationes ſuperius recenſitas, exhibitaſque defunctis porcorum, caprarum, libaminum, ſuffimentorum, eſſe munera defunctis oblata, non ſacrificia? Ac ſi munera ſint, nonne qui illa exhibent, putant ſpiritus adeſſe qui munera illa recipiant? Quid, ſi rogum, pyramque excipias, intereſt diſcriminis inter Sinenſium deliramenta, & parentalia ab Ethnicis celebrata, ut defunctorum animæ excitarentur, & oblata munuſcula gratanter exciperent? Parentalia illa ita in 11. Faſtorum narrat Ovidius:

Eſt honor, & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras,
Parva petunt manes: pietas pro divite grata eſt
Munere; non avidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſæ fruges, parvaque mica ſalis,
Inque mero mollita ceres, violæque ſolutæ.
Adde preces poſitis & ſua verba focis.

Sane parum diſcrepant iſtæ a Sinenſium ritibus cæremoniæ. De his propterea quærimus, cur ſuperſtitioſæ non ſint; & interrogamus:

Ecce Deos manes cur inficiaris haberi?
Ipſa patrum monumenta probant: Dis manibus illis
Marmora ſecta lego,

cum Prudentio in priori ad Symmachum: at pro *marmore* ponam e ligno caſtaneo tabellam inſcriptam, *Xin Goey.* III. Opportune Maigrotius vetuit, ne Deus Sinica lingua appelletur *Xang Ti*, aut *Tien*, & ne templorum aris appendatur tabella cum inſcriptione, *King Tien*, & tabella hac prohibita decrevit appellandum Deum recepto a Miſſionum origine vocabulo *Thien Chu*: quæ omnia ſancivit quoque laudata in Bulla Clemens XI. Enimvero *Xang Ti*, quod latine reddunt, *Supremus Imperator*, auctore Nicolao Longobardi S. Jeſu in lingua Sinica plurimum exercitato, conſtat ſignificare ſubtiliſſimam materiam, & quaſi quintam eſſentiam, quam Sinenſes idololatras ſummum Deum credere, nedum nos ſcripſimus libro 1. cap. 2. ſed & aſſerunt P. Alvarus Semedo in Relatione Monarchiæ Sinenſis P. 1. cap. 17. P. Jo. Maffejus Indicarum Hiſtoriarum lib. *6.* p. 100. P. Ludovicus Le Comte de Præſenti ſtatu Sinici Imperii Tom. 2. pag. 181. oppugnatores vero Sinenſium Rituum prorſus omnes. *Tien* vero ſignificare cælum, & *King Tien*, idem eſſe, ac *Cælum colito*, nullus negat. Quomodo ergo hæc nomina uſurpanda ſunt, quibus idololatræ percipiunt eumdem eſſe Chriſtianorum numen, & diffuſum ætherem, orbiumque cæleſtium gyros, & neophyti pariter & Chriſtianam religionem amplexi ante iſtiuſmodi tabellas proſtrati antiquam retinent ſuperſtitionem? Deinde quod ajunt Apologiſtæ, & in ſupplici libello exhibito Innoc. XII. ampliſſima Societas Jeſu, Dei nomen a Sinenſibus proferri non poſſe latino vocabulo, etiam Dei nomen ab Ethnicis tributum cælo, lunæ, ſideribus, nec tamen a nobis repudiari, divinam quoque Scripturam interdum cæli nomine Deum ſignificare, conſuetam eſſe locutionem iſtam, *Roma Pelagium damnavit*, *Curia hunc abſolvit*, perſuaſum denique eſſe Sinenſibus unum Deum a Chriſtianis coli, non cælum materiale: id, inquam, nullum movere debet, poſtquam iis omnibus ponderatis, Apoſtolica Sedes præfata vocabula expreſſe prohibuit. Et quidem non jubentur Sinenſes adhibere latinum vocabulum *Deus*, ſed ab ipſis receptum *Tien Chu*, ideſt, *Cæli Dominus*: neque *Xang Ti*, ac *Tien*, nomina ſunt appellativa, quemadmodum eſt *Deus*, ut poſſint vero, falſiſque nominibus convenire; nec quæritur quid prædicta vocabula poſſint metaphorice ſignificare, ſed quid nativa inſtitutione ſignificent, & an Chriſtianis fas ſit eidem tabellæ cum idololatris genua flectere, & profiteri ſe colere *Xang Ti*, ac *Tien*, numen ſcilicet, quod alii omnes tenent eſſe cæleſtem materiam: ideoque Apologiſtarum conjecturæ videntur futiles atque ineptæ. Poſtremo ipſi Miſſionarii Jeſuitæ circa ſignificationem, uſumque vocabuli *Xang Ti* minime convenerunt: nam, ut dixi, Nicolaus Longobardi contendit ſignificare ſubtilem, æthereamque materiam, Miſſionarii Societatis anno 1628. in Conventu celebrato in urbe *Kiating* ſtatuerunt *Xang Ti* non eſſe verum ſpiritum: Palmerius Miſſionariorum viſitator anno 1629. prohibuit ejuſdem vocabuli uſum. At Riccius qui anno 1581. ad Sinas pervenit, tradiderat vocabulum illud ſignificare verum Deum: atque id in cauſſa fuit, ut revocaretur in uſum, & P. Franciſcus Hurtado anno 1645. ad componenda diſſidia ſcriptum P. Nicolai Longobardi flammis damnaret; ſi verum narrat Auctor Hiſt. Cultus Sin. pag. 121. Saltem ergo *Xang Ti*, tamquam ſignificationis ambiguæ erat proſcribendum: ac ſapientiſſime Clemens XI. definivit admittendum eſſe *Tien Chu*, nomina vero *Tien*, & *Xang Ti* penitus rejicienda.

III.

Caput hujus diſquiſitionis tertium ſpectat decretum Cardinalis de Tournon a Clemente XI. & Benedicto XIII. confirmatum, quod univerſam controverſiam definiret, ſi liquido conſtaret virum illum integerrimum vera ad Apoſtolicam Sedem retuliſſe. Id vero mihi non videtur in dubium revocandum. Enim vero idem Clemens XI. Pontifex Maximus decretum illud inviolabiliter obſervandum eſſe ſancivit die 25. Septembris anno 1710. pro illius executione dedit Epiſtolas officii, & ſolicitudinis pleniſſimas ad Joannem Portugalliæ Regem die 20. Januarii an. 1711. Deinde accepto nuncio mortis Cardinalis eximii, in Epiſtola ad Franciſcum Archiepiſcopum Manilæ data ſub die 15. Junii anno 1713. ipſum Cardinalem appellavit *magnum Catholicæ Religionis præſidium*, *magnum Apoſtolicæ Sedis propugnaculum*, *magnum Romanæ Eccleſiæ decus ac lumen*; atque Apoſtolicis verbis iſtud eidem contexuit elogium, *Bonum certamen certavit*, *curſum conſummavit*, *fidem ſervavit*. Die denique 19. Martii anno 1715. Bulla, *Ex illa die*, poſt maturam diſcuſſionem, nec ſola relatione Cardinalis de Tournon ad examen revocata, ſed Miſſionariorum plurium cujuſque Ordinis, etiam formulam juramenti præſcripſit, qua omnes ac ſinguli Sinarum regno miſſionem exercentes ſpondeant ſe ritus ac tabellas, & nomina ſuperius expoſita reprobaturos, & decreta ſervaturos Cardinalis præclariſſimi. Quis ergo de tanto viro, tali Romani Pontificis commendatione exornato, ac poſt tam longam accuratiſſimamque dijudicationem, accedente etiam Benedicti XIII. ſententia: quis, inquam, niſi audacter ac temere pronuntiabit aut decreta edidiſſe rebus omnibus non inſpectis, aut Sinenſibus Chriſtianis ſuperſtitionem affricaſſe, aut Sedi Apoſtolicæ impoſuiſſe, maxime cum innumera pericula & vitæ rerumque diſcrimina invicto animo pro Catholica fide ſubierit? Quæ autem Edicto Cardinalis de Tournon inhibentur, ſcite, opportune, ac juſte prohiberi demonſtrat erudito Opere Aloyſius Maria Lucini Ordinis Prædicat. S. Officii Commiſſarius Generalis: quem oppugnare conatur Scriptor Anonymus, Opere tripartito, cuſo ante paucos annos typis Genuenſibus. Hujus quidem Auctoris commendamus ſtilum, eruditionem, ingeniique acumen: ſed in Cauſſa Apoſtolicæ Sedis judicio finita parum valet mentis acies, verborumque delectus. Miſſis etiam quæ Lucinus nervoſe & luculenter pertractat: aperte damnat teſſeram illam nuptialem cum imagine idoli *Polleyaris*, ſola effigies apud eumdem Scriptorem pag. *169.* poſtremæ editionis, & reſticula centum & octo filis contexta, & croceo ſucco delinita. Negantibus autem adeſſe effigiem idoli, præfixumque filorum numerum, ne illos arguamus mendacii, reſpondemus ampliſſimum eſſe Sinarum regnum, nec ubique coli nuptiarum genium aut *Dittam*, aut *Polleyarem*: at ubi colitur, tam apertam ſuperſtitionem eliminandam. Quis præterea æquo animo ferat inſtitutionem feſtorum ob muliebria, dum primum fluunt in pubertate, & apparet puella apta viro? Quis ob ſordidiſſimum fluxum templum, & Sacramenta mulieribus interdicat, tametſi eo decidente fas eſſet feminam latitare? Quis in nuptiis arborem Areſciomaram, & palmæ nucem ad auſpicia confractam patiatur in profanis ſimul, Chriſtianiſque conjugiis? Illud præterea, quod Miſſionarii accedere nolint ad Sacramenta miniſtranda infirmis infimæ conditionis, *Parreas* vulgo dicunt, qui a nobilioribus ſummo ludibrio habeantur propterea quod boum carnibus veſcuntur, quas occidere Brahamanis flagitium eſt inexpiabile, ut Vincentius Maria Carmelita excalceatus ſcribit lib. III. pag. 314. illud, inquam, aperte immanitatem, nobilium ſtudium, ac ſuperſtitionem præſefert. Denique conſperſos in fronte cineres confectos e vaccæ ſtercore, impreſſaque ſigna delineata in Opere Lucinii pag. 412. neſcio quo jure poſſint a nota ſuperſtitionis excuſari. Atque hæc eſt mea de Sinenſium Ritibus perſuaſio. In quibus tamen, ſi nullum adeſſet ſuperſtitionis indicium, ut contendunt Aloyſius Le Comte, Jacobus Faber, Scriptores librorum, qui inſcribuntur, *Vera Sinenſium ſententia*, *Monumenta Sinica*, *Expoſitio facti oblata ſacræ Congregationi juſſu Innocentii XII. anno 1699.* aliorumque editorum anno 1700. atque ſi inconcuſſa eſſent teſtimonia Proſperi Intorcetta, Martini Martinii, & Dominici Mariæ Sarpetri, aſſerentium ſuperſtitionem omnem a Chriſtianis vitari, poſſent Miſſionarii omnes facile convenire, eademque doctrinæ conſpiratione commiſſum munus explere. Id gravi Concione nuper, ideſt, die XXI. Decembris præteriti anni 1739. in Quirinali aula coram Purpuratorum Patrum Senatu proloquutus eſt vir doctrina, ætate, exemplo plurimum venerandus F. Bonaventura Barberini Concionator Apoſtolicus,

& Generalis *Capuccinorum*. Fieri id poteſt, ſi penitus rejiciantur vota, ſacrificia, ſuffimina, ac libamenta,

Quæ non miſſa Deo vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant ſuperi ſtellantem Regis in aulam;

ut S. Paulinus ſcribit in quarta ad Auſonium Epiſtola.

C A P U T X.

An permaneat fides in homine impio, in homine hæretico, in homine vita functo.

INQUIRENDUM nunc eſt de Fidei *ſubjecto*: nam Heterodoxi, qui ſanctificantem gratiam a fide non diſtinguunt, docent conſequenter juſtum eſſe quiſquis fidem ſervat; nec gratiam amitti niſi peccato apoſtaſiæ & infidelitatis: eiſque accedunt, qui autumant fidem diviſam a caritate non operari Chriſtianas virtutes, neque fidem, quæ eſt bonum germen ac ſemen, eſſe abſque amore & fiducia; ut habetur in propoſitione lI. & lII. Queſnelliana. At in iis, qui in hæreſim prolabuntur, & pravo dogmati hærent pertinaciter, fidem deficere communiter docent contra Durandum Scholaſtici: quamquam multi diſtinguant inter Catholicam, integram, inviolatamque fidem, & fidei partem, teneantque illam quidem in hæretico deperire, ſed remanere fidem aliquam, ſive priorem ſupernaturalem illuminationem falſitati permixtam, ut docet S. Bonaventura, & probare videtur in III. diſt. 23. §. 13. magni nominis Theologus Guilelmus Eſtius; etſi in utramque partem diſputet, nec rem definiat. At iſtud inter Scholaſticos diſſidium facili ratione componitur, ſi quod appellant objectum *materiale*, & quod *formale* dicunt, diſpeſcimus. Enimvero hæretici plura nobiſcum tenent, ut Trinitatem, Incarnationem, Baptiſmum, quæ etiam divina revelatione, non perceptione naturali ad illorum notitiam pervenerunt, ſed hiſ minime aſſentiuntur ob divinam auctoritatem ab Eccleſia propoſitam, ideoque non fide divina, ſed humana duntaxat, acquiſita, & hiſtorica. De illis autem, qui conceſſerunt naturæ, exceptis animis purgantibus adhuc a cæleſti patria extorribus, quæritur, num in iis ad ornatum, aut ad religionis ſymbolum *habitus* fidei perſiſtat. Atque hæc congrue brevitate reſoluturus de priori parte ſic ſtatuo.

PROPOSITIO I. Remanet fides in homine impio, dummodo infidelitatis crimine non ſe commaculet.

Liquet primo ex Apoſtolo, qui in I. ad Corinth. XIII. 2. aperte fidem a caritate ſejungit, quod & præſtat Auguſtinus de Fide & operibus cap. 14. Produximus loca Volumine II. pag. 159. Accedit definitio Tridentini ſeſſ. 6. can. 28. *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem quæ remanet non eſſe veram fidem, licet non ſit viva; aut eum qui fidem ſine caritate habet non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.* Huc ſpectat propoſitio 12. damnata ab Alex. VIII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides divina, ſed humana*: & 52. Queſnelliana, *Fides non eſt abſque amore & fiducia.* Suffragatur & ratio; nam fides & caritas diverſum habent *objectum*, atque illa tendit in Deum ut verax eſt, hæc in Deum ut ſumme bonum; poſſumus autem odiſſe etiam ea, quæ exiſtere non ambigimus, dummodo non ſic appareant, ut animum ad ſe trahant neceſſaria & vehementiſſima dilectione, uti contingit in patria. At fides, etiamſi ſit *rerum ſperandarum ſubſtantia*, ſcilicet, ſummum bonum tam firma perſuaſione credat, ut de ejus exiſtentia non hæſitat, non eo tamen præſenti ac perſpicue viſo adeo allicitur, ut nequeat ab illo ulla dilectione divelli. Adde nullum virtutis *habitum* in hac mortali vita deperdi, niſi per oppoſitam qualitatem; unde Synodus Tridentina cit. ſeſſ. 6. cap. 15. recte ſancivit ſola *infidelitate* ipſam fidem amitti.

Moverunt adverſarios nonnulla, quæ ex hactenus diſputatis habent facillimam ſolutionem. Ajunt fidem, Scriptura divina conclamante, ſine operibus mortuam eſſe, & a caritate ſejunctam eſſe nihil, nihil prodeſſe: addunt juxta Auguſtinum ſolam fidem, quæ per dilectionem operatur, mundare cor, piamque fidem ſine ſpe & caritate non eſſe; ita nimirum S. Pater in Pſalm. 31. num. 6. ſerm. 53. in Matth. cap. 9. num. 11. & Epiſt. 140. num. 8. Poſtremo, inquiunt, nulla, ſi deſit caritas, datur virtus, quæ faciat Chriſtianas actiones; nulla ſine ordine amoris in Auguſtiniana Theologia vera virtus cenſenda eſt.

Sed hæc nimium futilia ſunt, & recocta. Fides enim ſine caritate *informis* eſt, mortua eſt, & etiam ab actuali amore penitus ſeparata ad juſtificationem non ſufficit; ſed numquid omnino extinguitur, & ſine gratia ſanctificante exercere nequit actus ſuos? Mortua ſine hujus gratiæ ornatu appellatur, quia non eſt illa fides, qua juſtus vivit, qua promeremur vitam æternam, qua ſeparamur ab immundis; at etiam in peccatore pios ſine gratia habituali motus operatur, qui non imputantur, niſi inchoata, ad juſtificationem ac vitam: ad quam impii diſponuntur, *dum credunt vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt, atque illud in primis a Deo juſtificari impium per gratiam ejus*; ut loquitur Tridentinum. Recte proinde Auguſtinus aſſirmat piam fidem eſſe cum dilectione, & ſine dilectione cor non emundari per fidem; quoniam *Fides per dilectionem operatur*, inquit Apoſtolus ad Gal. V. 6. &, *Si caritatem non habuero, nihil mihi prodeſt*, I. ad Corinth. XIII. 3. Igitur concludit fidiſſimus Apoſtoli interpres Auguſtinus Tract. 6. in Joannem n. 21. *Magna eſt fides, ſed nihil prodeſt, ſi non habeat caritatem*: & alibi, *Fides ſine caritate poteſt eſſe, non tamen prodeſſe.* Verum, inquis, quomodo id, ſi nulla abſque caritate datur virtus? Principio ad virtutem non requirit Schola Auguſtiniana caritatem *habitualem*; ſed ordinem dilectionis, qua virtus non ſit inflata dum ad ſeipſam refertur, nec vitio labefactetur dum marceſcit cupiditate; de quibus plura lib. XVIII. cap. 3. Deinde profitetur *habitus* virtutum etiam ſupernaturalium a caritate diſtinctos; tametſi caritas actibus ceterarum virtutum tribuat formam, ac perfectionem: ut explicavi ſupra pag. 230. Denique contendit humanam voluntatem in quolibet exercitio virtutis duci vario ipſius amoris affectu, ſive boni cupiditate, quæ nec deeſt in fide *informi*, auctore Sancto Thoma 2. 2. q. 5. art. 2. ad 2. ſed non requirit ad cujuslibet virtutis actum *explicitum* illum amorem, qui tendit in Deum ut ſummum bonum, conſtituitque virtutem peculiarem, ceteriſque præſtantiorem, quæ ſpeciali quadam ratione dicitur *Caritas*.

PROPOSITIO II. Non permanet vera fides in homine hæretico.

Solet a quibuſdam hæc theſis comprobari verbis Apoſtoli in 2. ad Tim. II. 17. *Sermo eorum, ut cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui a veritate exciderunt*: at non ſatis percipio hujus argumenti robur, docente ibidem Paulo Hymenæum ac Philetum aberraſſe a fide reſurrectionis, ut conſtat ex textu, ex Tertulliano de Reſurrect. Carnis, & ex Auguſtino ſerm. 362. num. 22. an vero hi fidem omnem amiſerint, hæc tantum verba minime evincunt. Videntur magis efficacia quæ idem Paulus ſcribit ad Galatas V. adverſus aſſerentes legalium ad ſalutem neceſſitatem, dicens v. 4. *Evacuati eſtis a Chriſto*, ſcilicet *a ſpiritu fidei*, ut explicat verſu proximo: cujus rei & rationem ſubinde affert, quoniam non auctoritatem Dei revelantis ſectabantur, ſed humanam, erroribusque obnoxiam opinionem: *Perſuaſio*, inquit, *hæc non eſt ex eo, qui vocat vos.* Quod ſane faciunt hæretici omnes, dum privato ſpiritu, aut hominum doctrinis ſeducti ea duntaxat credunt, quæ proprio ingenio & voluntati magis conſentanea ſunt. Quare S. Pater Auguſtinus ita Manichæos alloquebatur lib. contra Fauſtum XVII. cap. 3. *Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis.* Addit laudatus Apoſtolus in I. ad Corinthios III. 11. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt*: quæ verba S. P. Auguſtinus in Enchirid. cap. 5. num. 1. explicans de fide Catholica inquit: *Neque hoc ideo negandum eſt proprium fundamentum eſſe fidei catholicæ, quia putari poteſt aliquibus hæreticis hoc nobiſcum eſſe commune. Si enim diligenter quæ ad Chriſtum pertinent cogitentur, nomine tenus invenitur Chriſtus apud quoslibet hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt: reipſa vero non eſt apud eos.* Ex quibus omnibus hoc pacto ratiocinamur. Qui credunt humana perſuaſione, nec fidei catholicæ fundamentum tenent, hi ſupernaturalem fidem nequaquam ſervant. At hujuſmodi ſunt hæretici.

Ratio ex his depromitur manifeſta. Fides enim non humanæ perſuaſioni innititur, non privato ſpiritui, non anteceptæ hominum inſinuationi; ſed cum ſit divina, eliciatque aſſenſum immobilem, atque firmiſſimum, nititur divinæ auctoritati per Eccleſiam propoſitæ. Cum ergo nullus hæreticorum unum aut alterum fidei articulum in dubium revocans, aut præfracte negans ad hanc inconcuſſam, certiſſimamque normam propriam fidem exigat, quomodo credit fide ſupernaturali ac divina? Audiatur S. Thomas, cui major Scholaſticorum pars aſſentitur, 2. 2. q. 5. art. 3. *Dicendum*, inquit, *quod in hæretico diſcredente unum articulum fidei non manet fides, quia ſpecies cujuslibet habitus dependet ex formali ratione objecti, qua ſublata ſpecies habitus remanere non poteſt. Formale autem objectum fidei eſt veritas prima, ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis ſacris, & doctrina Eccleſiæ, quæ procedit ex Veritate prima. Unde quicunque non inhæret, ſicut infallibili, & divinæ regulæ, doctrinæ Eccleſiæ, ille non habet habitum fidei.*

At dices: Diſcipuli, quibus Marci ult. verſu 14. exprobravit Dominus *incredulitatem, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt*; & Thomas, cui Joan. XX. inquit, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*, numquid fidem prorſus amiſerant? Reſpondet Lyranus, utique diſcipulos, de quibus Marci ultimo, tunc fuiſſe incredulos, quoniam Reſurrectio Domini pluribus argumentis fuerat declarata; niſi velimus dicere increpatam a Domino incredulitatem, quæ antea in illis fuerat, dum mulieribus, ceteriſque diſcipulis credere noluerunt. Arbitror tamen per incredulitatem, qua aliquis non vult præſtare fidem privato homini myſterium nondum ſibi exploratum narranti, ſi habeat paratum animum credendi aut Eccleſiæ proponenti, aut Domino revelanti, fidem nequa-

nunquam amitti; & hanc fuiſſe incredulitatem Thomæ, aliorumque diſcipulorum, longe diverſam ab hæreticorum pervicacia. Legitur quidem in vulgaribus libellis candelas, quæ in majori hebdomada extinguuntur, ſignificare extinctam in Chriſti morte fidem Apoſtolorum: verum id a Theologis explodi obſervat Gavantus ſect. VI. cap. 13. n. 22. & Rupertus Abbas lib. V. de divinis Officiis cap. 26. docet ſignificare tenebras factas Chriſto mortuo ſuper univerſam terram, Judæorum cæcitatem, & mortem Prophetarum, qui, ut candelæ poſt ſingulos extinguuntur pſalmos, occiſi ſunt expleto prophetiæ ſuæ miniſterio: candelam vero ceteris ſublimiorem ſignificare ipſum Dominum, tamquam unum ex prophetis occiſum, & poſtea redivivum a mortuis: quod poſtremum probat etiam noſter Angelus Rocca de Campanis cap. 25.

Præterea objicies: Auguſtinus de unico baptiſmo cap. V. num. 7. Judæo ad Eccleſiam venienti ait, *Tene fidem reſurrectionis mortuorum ſicut tenebas, ſed crede jam Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis quod non credebas:* ac ſimiliter hæretico, *Tene Chriſtianum baptiſmum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſicut tenebas, ſed agnoſce Chriſti Eccleſiam, toto, ſicut prophetatum eſt, orbe creſcentem, cui ſacrilega voce maledicebas*; agnoſcit ergo Auguſtinus in Judæo veram fidem reſurrectionis, & in Donatiſta veram fidem baptiſmatis. Idem S. Pater de Patientia cap. 26. num. 23. laudat patientiam Schiſmatici, qui *ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem, &c.* & proximo num. demonſtrat, non eſſe *viribus tribuendam voluntatis humanæ*, ſed eſſe donum Dei, licet donum *exhæredatorum*, quoniam per elationem vel timorem, non per dilectionem operatur. Ac ſimilia docet lib. II. de Baptiſmo cap. XIX. num. 27. Agnoſcit ergo Auguſtinus in hæreticis & ſchiſmaticis fidem inter Dei munera computandam.

Reſp. Sive in Judæis, ſive in hæreticis eſſe aliquam fidem *materialem*, inſpecto ſcilicet aliquo objecto, quod credunt, V. G. reſurrectionis articulo, & neceſſitate baptiſmatis; at non fidem *formaliter* talem, quæ nimirum aſſenſum præbet ob divinam auctoritatem propoſitam ab Eccleſia: nam S. P. in libro de unico baptiſmo demonſtrat non ſolum in hæretico vel Judæo, verum etiam in idololatra aliquid eſſe, quod probat fides catholica; & quemadmodum dicitur Judæo, *Tene fidem reſurrectionis*, aut hæretico, *Tene Chriſtianum baptiſmum*, ita dicitur idolorum cultori, *Tene ab uno vero Deo mundum conditum eſſe, quod tenebas, ſed noli credere Deos eſſe ligna, & lapides, & ipſius mundi quaslibet particulas, quas colebas: Dei enim veritatem, qua credis ab ipſo mundum conditum, in tua detines iniquitate, qua Deorum cultor vis eſſe falſorum.* Ergo quemadmodum hæc idololatræ fides, qua credit mundum a Deo conditum, orta ex naturali philoſophia, ſupernaturalis non eſt, ita neque fides Judæi, vel hæretici acquiſita monitis parentum, atque hominum inſtitutis. Sed, inquis, hanc Auguſtinus computat inter Dei munera in libro de patientia, & in 3. contra Donatiſtas. Si naturam *objecti* inſpicias, fides etiam hæretici hominis ſupernaturalis eſt, niſi enim Deus revelaſſet myſteria, nunquam ad ejus notitiam perveniſſet; at ſi ſpectetur *motivum credendi*, naturalis eſt, neque enim captivat voluntatem in Dei revelantis obſequium, ſed vel eſt coacta, & rerum evidentia, ut in Dæmonibus, naturaliter gignitur; vel imbecillis & fallax eſt, & humanæ innititur perſuaſioni. Agnoſco itaque librum de patientia tamquam genuinum Auguſtini opus, licet aliter viſum Eraſmo: & nego laudabilem eſſe aut patientiam ſchiſmatici, aut fidem hæretici, niſi ut laudatur Fabricius a Catilina: quod monuerunt in Præfat. ad hunc librum PP. Benedictini, & nos diximus Tom. II. pag. 557. quamquam eſt in fide hæretici aliquid divini muneris ſenſu explicato. Atque ex his corruunt, quæ opponit Eſtius, fieri poſſe ut innoteſcant credenda ſine Eccleſiæ propoſitione, aut revelatione ſpeciali, ut Abrahamo, aut virtute miraculorum, ut Apoſtolis, aut ſine ullo hominum miniſterio, ut parvulis infunditur in baptiſmo fides *habitualis*; etenim quiſquis hoc pacto vocaretur ad fidem, ſi recte crederet, haberet ſaltem animi præparationem credendi quicquid divina auctoritate firmatur: quod non faciunt hæretici ab Eccleſia alieni, & tamquam ſarmenta inutilia de vite præciſa.

Quod ſi opponas: Nonne in hæreticis remanet eadem credendi facilitas, eademque immobilis perſuaſio? Reſpondeo in primis nec eamdem fidei firmitatem manere, quoniam medio fallaci & labili, non fundamento Eccleſiæ fides hæreticorum innititur: atque hinc eſt tanta hæreſum variatio, tanta Apoſtatarum inconſtantia, tanta novorum dogmatum ſeges. Deinde cum doctiſſimo Cardinali de Laurea diſput. II. de Fide art. 14. præter fidem ſupernaturalem *infuſam*, admitto habitum fidei *acquiſitæ*, aut majorum inſtitutione, aut conſuetudine, aut Catechiſtarum doctrina; qua fide permanente, etiam habitu fidei ſupernaturalis per infidelitatem deleto hæretici adeo nonnulla credunt, & tam firma adhæſione, ut pro illis fundere ſanguinem parati ſint, & martyrium affectent, quemadmodum de Donatiſtis ſcribit Auguſtinus in Breviculo, & in III. contra Creſconium, necnon de Montaniſtis Euſebius lib. V. H. Eccl. cap. 6. quod tamen Balduinus in Hiſtor. Carthag. Collat. pag. 364. recte appellat *fortunam κενόδοξον*.

Si denique objicias non deſtrui ſcientiam, per hoc quod in una concluſione aberretur, non violari omnia præcepta per hoc quod unum frangatur, non denegari fidem homini, per hoc quod in una re ipſi non præbeatur aſſenſus; optimam arbitror reſponſionem S. Thomæ cit. artic. 3. quod concluſionibus unius ſcientiæ aſſentimur propter diverſa media, fides autem propter unum medium, ſcilicet divinam veritatem ab Eccleſia propoſitam, ſingulis inhæret articulis: & præcepta etiam ob diverſa motiva ſervantur; nam ſi quis unum tranſgrediatur ob motivum principes, quod nolit Deo perfecte obedire, ut Jacobus inquit cap. II. 10. *factus eſt omnium reus*. Atque huic Sancti Thomæ reſponſioni addo, poſſe nos ſimiliter ratiocinari de fide *acquiſita*, & naturali, quæ diverſis motivis inniti poteſt: ut non de ſupernaturali, quæ ob unam tantum rationem aſſenſum præſtat revelatis a Deo veritatibus. Cum Deo ipſo fallere & falli neſcio comparari nequeunt,

Cimmerias inter tenebras quas error opacat,
Vanaque pro vero ſe oſtentat opinio mentis.

PROPOSITIO III. In animabus corpore ſolutis, ſuoque in termino conſiſtentibus habitus ſupernaturalis fidei non permanet.

Vel enim de beatorum ſpiritibus loquimur, vel de in gehennam detruſis. Si de illis verba faciamus, ſaltem quoad præcipuum *objectum* fides non manet; quoniam non videnr *per ſpeculum & in ænigmate, ſed facie ad faciem*. Videtur id ab Apoſtolo definitum in priori ad Corinth. XIII. 12. ubi etiam ceteris virtutibus præfert caritatem, eo quod nunquam excidat. Apoſtolo conſentit Auguſtinus ſcribens lib. XIV. de Trinit. II. num. 4. *Neque enim jam fides erit, qua credantur quæ non videntur; ſed ſpecies qua videantur quæ credebantur*. Neque neceſſum eſt fidem beatis ſpiritibus tribuere ad ornatum, quum omnem ipſis decorem conferat ſplendor gloriæ; & virtutum munera ob ſupernaturalia præſertim opera ſint collata.

Si autem ſermo ſit de damnatis; hi omnium ſupernaturalium donorum ornamento expoliantur, permanente duntaxat *charactere* quo fideles ab infidelibus ſecernuntur. Ait quidem Jacobus cap. II. 19. *Et dæmones credunt, & contremiſcunt*: ſed ut oſtendat non prodeſſe ad ſalutem fidem, qua malorum vindicem pertimeſcimus, niſi ſerventur mandata; non ut comparationem inſtituat inter fidem dæmonum, hominumque fidelium. Illi namque credunt perſpicaci mentis acumine, rerum eventu, expletis vaticiniis, proprioque experimento coacti; iſti Spiritus ſancti illuſtratione, pio mentis affectu, ac libera voluntate.

CAPUT XI.

De Spe fidelium, ejuſque neceſſitate, & certitudine.

EX *fide*, inquit S. P. Aug. cap. CIV. Ench. n. 30. *naſcitur ſpes bona fidelium;* cum enim fides rerum ſperandarum præſtantiam ſtatuet ob oculos, illarum gignit deſiderium atque expectationem, ſine qua humana ſtudia, laboraſque flacceſcerent. Nam ut temporalium actionum altrix eſt præterfluentium bonorum fiducia, canente Tibullo,

Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager:
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus:

ita fideles bonis operibus vehementius inſudant, dum *fiduciam, & gloriam ſpei*, juxta Apoſtoli monitum ad Heb. III. 6. *firmam* retinent. De Spe itaque hoc loco pertractandum eſt. Spei autem nomine non intelligimus rerum adverſarum expectationem, ut Virgilius in IV. Æn. ab Auguſtino laudatus cap. 8. Ench. dum ait,

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,

& ipſemet Auguſtinus in Pſalmum 64. ſcribens, *Profers ſpinas? ignem ſpera;* ſed expectationem duntaxat bonorum: atque utimur hoc vocabulo *ſpei*, non tantum ad ſignificandum ſpei noſtræ objectum, ut dum dicimus cum Pſal. XXIX. 6. *Dominus ſpes ejus eſt*, vel gratiam & auctoritatem eorum, quibus intercedentibus ſempiterna bona ſperamus, ut dum quotidie ſalutamus his verbis Deiparam, *Spes noſtra ſalve*; verum etiam ad ſignificandam inditam divinitus virtutem, qua pium deſiderii & fiduciæ motum exerimus. Atque virtutem hanc definire ſolent Theologi: *Spes eſt virtus divinitus infuſa, per quam certa cum fiducia noſtræ ſalutis, & æternæ vitæ bona expectamus*: aut cum Haymone, *Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis veniens ex Dei gratia, & meritis præcedentibus*.

Hujus Spei *objectum*, ut appellant, *materiale* eſt ipſe Deus, in quantum eſt immortalium animorum vita, merces, & finis ultimus; nam alioqui ſpes non eſſet inter virtutes Theologicas connumeranda; cum illa ſit virtus Theologica, quæ Deum habet pro objecto. At cum permulta nos ad Deum ipſum perducant, gratia præſertim, peccato-

rum

rum remiſſio, & finalis perſeverantia; etiam hæc ſunt ſpei noſtræ *objectum*, ſed veluti ſecundarium, eo quod a nobis ratione ultimi finis tamquam media expetantur, neque cor noſtrum attrahant, niſi ob ſummi boni conſecutionem. Nam ſicut fides Catholica, quæ Deum ſummam veritatem credit, etiam alias veritates complures profitetur ſub ea ratione, quod ore ipſius Dei revelata ſunt; ita ſpes, quæ in Deum ejuſque beatitudinem tendit, reſpicit etiam gratiarum munera, quatenus viam ſternunt ad ipſam beatitudinem capeſſendam; ac etiam caritas, qua Deum ſummum bonum diligimus, ſeſe extendit ad proximum, quem tamen ob ſummum bonum directo amore proſequimur. Ac juxta hanc finis mediorumque diſtinctionem accipiendum eſt, quod vulgo a Theologis traditur, ſpem oratione Dominica, fidem Symbolo, caritatem decalogo contineri. Objectum autem *formale* ſpei non eſt iu Schola noſtra finis ultimi arduitas, ſed potius Dei omnipotentia ac miſericordia, quibus opitulantibus æterna vita, quæ nobis repromiſſa eſt, acquirere poſſumus, & ſine quibus arduitas illa animum noſtrum potius excruciaret, ac deterreret. Extat in ſententiis a Stobæo collectis pag. 460. illud Lini,

Omnia ſunt ſperanda, nihil ſperare negatum,
Nam nihil eſt, quod non valeat divina poteſtas.

Poteſtati autem divinæ ſi beneficentiam, miſericordiam, largitatemque ſupremi Numinis addas, habes quo in ſpem vivam animus erigatur.

Spes a fide, & a caritate diſtinguitur, etiamſi ad actum ſpei requiratur amor aliquis inchoatus, quo Deus diligitur, ut inquit Eſtius in III. diſt. 26. §. 2. quatenus ab intellectu proponitur, ut ſummum ac beatificum noſtrum bonum, licet ſemper non adſit amor caritatis, quo voluntas affecta cetera omnia ſummo bono poſtponat. Et ſpem quidem a fide diſtingui ſatis liquet, cum aliqua credantur, quæ ſpei noſtræ objectum non ſunt, ſed potius horroris, atque timoris. *Quis namque fidelium pœnas non credit impiorum? nec ſperat tamen*, inquit cap. 8. n. 2. Enchiridii Auguſtinus. Diſtingui autem ſpem ab habitu caritatis docent Catholici omnes, atque his momentis evincunt. Primo Tridentina Synodus ſeſſ. VI. cap. 6. ait peccatores ad juſtificationem diſponi, dum *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*: & can. 3. definit poſſe hominem ſuffultum præveniente Spiritus ſancti inſpiratione & adjutorio, *ſperare ſicut oportet*: ideoque ſpes tamquam diſpoſitio juſtificationem præcedit, & ab ipſa ſejungitur. Deinde proſcripta eſt a Clem. XI. 57. propoſitio Queſnelli, *Totum deeſt peccatori quando ei deeſt ſpes; & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei*: quam ſecundam propoſitionis partem *de amore Dei regnante*, ſcilicet de caritate, quæ juſtificat, recte exponit Fulgentius Bellelli poſtremo in Opere Vol. 2. pag. 192. Præterea S. P. Auguſtinus Tract. 83. in Joannem ſpem aliquam eſſe *informem* aperte affirmat his verbis: *Fruſtra quidem, ſed tamen poteſt ſperare veniam, qui non diligit*. Poſtremo qui inops eſt meriti, ſed illud tamen cupit propria induſtria, aliorumque beneficio comparare, etiam ſine præſumptionis nota præmium expectat, non abſolute & immediate, ſed conditionate, meritoque præmiſſo. Hoc enim pacto laudabiliter adoleſcentes literis dant operam, ut ſcientia præditi acquirant virtutis mercedem atque ornamentum; & qui poteſt augere divitias, ſperat ampliorem rei domeſticæ poſſeſſionem. Quamvis ergo iniquus & ſceleſtiſſimus nullum habeat gloriæ meritum, quia tamen donec vita fungitur, poteſt a Dei munificentia gratiam & remiſſionem obtinere, perſeverat in illo virtus ſpei, qua confidit ſe æternam vitam conſequuturum, conditionate tamen, & ſi reſipiſcat; nam alioqui foret hæc inanis fiducia, ac temeraria præſumptio.

Itaque dum Apoſtolus ait ad Rom. v. 5. *Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*; & dum Auguſtinus docet ſerm. 31. de Verbis Domini, nunc 110. *Solis filiis ſpem eſſe*, & in cap. 8. Enchiridii, *Spes vero eſſe ſine amore non poteſt*, cujus generis plura occurrunt in aureis ipſius libris frequentiſſima: ſi amorem & caritatem accipiamus pro gratia ſanctificante; non intelligenda ſunt hæc, & ſimilia de ſpe *informi*, ſed de ſpe *viva*, qua aliquis expectat beatitudinem *per merita, quæ jam habet*, ut exponit S. Thomas 1. 2. q. 65. art. 4. ad 3. & Fulgentius Bellelli loco citato. Quamquam Auguſtinum loqui de amore tantum inchoato ſcribant viri alii in Auguſtiniana lectione exercitatiſſimi, Guilelmus Eſtius paullo ſupra laudatus, Joannes Lenſæus lib. VI. Summ. Chriſt. Piet. cap. 3. Florentius De Cocq. Tract. IV. cap. 5. aliique permulti. Sane ſpem eſſe cum aliquo amore conſtat, quoniam nihil ſperatur ſi nulla ratione diligitur, & quemadmodum ſpes humana & carnalis non eſt abſque amore humano, & carnali, ita ſpes Chriſtiano homine digna, & ſpiritualis non eſt abſque omni prorſus amore ſpirituali & recto, amore ſcilicet ſempiternæ felicitatis.

Liquet ex his Spei *habitum* etiam in magnis peccatoribus permanere, uti erat ante juſtificationem in Publicano, quem dum adhuc premebat conſcientia, ſpes ſublevabat. In Beatis ſpes, ſaltem quoad *objectum primarium*, non adeſt; nam inquit Apoſtolus ad Rom. VIII. 24. *Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat?* Et S. P. Auguſtinus cap. 8. Ench. *Spes autem nonniſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum*. Exiſtere adhuc in illis ſpem futuræ gloriæ corporis, in qua Deo adhæreant vehementiori dilectione, poteſt propugnari; quamvis mihi oppoſitum videatur veriſimilius, & quia ſublato objecto principe neceſſum non eſt permanere virtutem; & quia in beatis expectatio futuræ glorificationis non ſolum eſt firma certitudine ſpei, ſed etiam certitudine immutabilis cognitionis, orta ex æternæ vitæ ſecuritate, ac ſtatu patriæ. Aliter de animabus in Purgatorio degentibus aſſerendum eſt; nam in his quemadmodum fides, ita ſpes manet proculdubio. At in dæmonibus ac damnatis, quoniam extrema miſeria non compatitur rerum meliorum expectationem, etſi ad maximum cruciamentum perſeverat inditus animo amor beatitudinis, nullum ſpes locum habet. Quid vero de hæreticis? Qualemcunque hi fiduciam jactitent, nequit eſſe ſpes Chriſtianorum; nam deſtituti ſunt fide, quæ eſt *ſubſtantia rerum ſperandarum*. Hinc S. Pater Tract. 45. in Joannem num. 2. ait: *Non eſt autem cuiquam ſpes vera & certa ſemper vivendi, niſi agnoſcat vitam quod eſt Chriſtus, & per januam intret in ovile*.

Vertunt in quæſtionem Scholaſtici, an ſpes in eo perſiſteret ulla, cui divinitus facta eſſet futuræ damnationis revelatio. Ac affirmativam partem tenent Hurtadus, Azorius, Gavardi; negativam Gonet, Suarez, Salmanticenſes, cum quibus in partes ceteri diſciſſi ſunt. Nituntur vero qui affirmativam ſententiam propugnant argumentationibus iſtiuſmodi. Primo, inquiunt, ſtat cum certa revelatione ſalutis timor, ut in Paulo 1. ad Corinth. IX. 27., ideoque conſiſtere poteſt ſpes cum futuræ damnationis revelatione. Deinde revelatio hæc nequaquam everteret teſtimonia apertiſſima Scripturarum, quibus divina miſericordia pœnitentibus repromittitur; & conſequenter eſſent in eo caſu divina eloquia Chriſtianæ ſpei baſis ac fundamentum. Accedunt PP. docentes de nullo eſſe deſperandum, quandiu in hac mortali vita deget impius. Videtur denique niti hæc ſententia rationi, quoniam in hac hypotheſi teneretur quiſque vitare peccata, & legem implere, non enim præſcientia futuri affert neceſſitatem, nec arbitrium evertit, nec legis naturam immutat: imo poſſet quis reprobari ob peccatum deſperationis, quod adhuc teneretur effugere; ac proinde ſemper ei incumberet ſperandi præceptum.

Oppoſitæ tamen ſententiæ aſſertores ſuis minime deſtituuntur præſidiis. Ac primo proferunt auctoritatem Auguſtini ſcribentis lib. XXV. de Civ. Dei cap. 14. Eccleſiam, ſi ſciret quinam ſint reprobati, pro eis non oraturam, *quemadmodum non orat pro dæmone*. At oratio ſpei invictiſſimum eſt argumentum. Addunt eumdem Auguſtinum lib. 2. de Geneſ. ad lit. cap. 17. & 18. affirmare Angelum non præſciſſe proprium lapſum, quia alias non poſſet ſperare. At S. P. eo loci diſputat adverſus Genethliacos propugnatores fati, quo ſane orandi cauſſa & ſpes auferretur; unde locus ille ad hanc rem nihil valet. Producunt & S. Thomam q. 23. de Verit. art. 8. ad 2. ubi ait Deum non poſſe ordinata potentia revelare alicui ſuam damnationem, *quia talis revelatio cogeret eum deſperare*. Addunt validam rationem, quia actus ſpei dependet a practico judicio, quo æterna ſalus nedum percipiatur poſſibilis, ſed etiam proponatur tamquam probabiliter futura; *ſpes* enim, ut Auguſtinus ait, *eſt futurorum*. Alioqui ſi ad excitandam ſpem ſat eſſet metaphyſica beatitudinis poſſibilitas, ſperare poſſent etiam dæmones ac damnati.

Sententia noſtra eſt non poſſe hujuſmodi caſum contingere in hac rerum conſtitutione, in qua Deus decrevit unumquemque, quandiu vivit, poſſe conſequi ſalutem, præcepitque ſingulis ut gratiam & gloriam a divina miſericordia expectent: unde ſi alicui fieret damnationis revelatio, hæc nonniſi comminatio foret, & accipienda de rebus ſic ſtantibus, nimirum ſi ad meliorem frugem non revocaretur peccator. Quare revelatione accepta non ſpem deponere deberet, ſed Ninivitarum exemplo in cinere & cilicio agere pœnitentiam. Ille enim, qui iniquo diceret, *Imminet tibi inevitabilis perditio*, ait quoque: *Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat*. Atque idem docet citato loco S. Thomas, necnon S. Bonaventura in 1. diſt. 48. & in libro de Judicio animæ Richelius. At nonne, inquiunt, revelavit Deus ſempiternum interitum Antichriſti? Utique: præmonuit quomodo ſeductor ille dignoſcetur, ait futurum ejus adventum in ſignis, & prodigiis mendacii, exitum ipſius miſerrimum prænuntiavit. At quis Antichriſtum ſalvum fieri ſperaret? quis pro ipſo oraret Deum? De Antichriſto itaque, & ceteris hominibus impiis diſſimilis ratio eſt; quia ille in hac rerum ſerie, in hac Scripturarum ſanctarum revelatione eſt filius perditionis manifeſtus; alii occulti ſunt, iiſque indictum ut convertantur, ut ingemiſcant, ut ſperent.

At ſi de abſoluta, ut inquiunt, potentia hæc fieret revelatio, nec in dubium poſſet revocari, nec eſſet comminatio, ſed definita & immutabilis præſcriptio ac ſententia; ſubſcribo iis, qui tenent ſpei locum non ſupereſſe: quoniam ſpei *objectum* non eſt bonum duntaxat poſſibile, ſed quod apprehenditur tamquam futurum. Quis autem futurum eſſe probabili ratione percipiat, quod certa præſcien-

tia non futurum præſenſit? Neque enim invictæ ſunt argumentationes contrariæ. Nam Paulus dum ad Corinthios ſcripſit, non habebat plenam ſalutis ſuæ certitudinem, ut Gregorii Magni, & Proſperi auctoritate demonſtrant Eſtius, Menochius, Tirinus, A Lapide, Tom. xv. Bibl. Max. pag. 473. Quamquam dicere poterat, *Caſtigo corpus meum, &c.* non pertimeſcens damnationem, ſed commonſtrans aſflictationes corporis ad illam evitandam requiri. Scripturæ, ac Patres univerſim loquuntur, rebuſque ſic ſtantibus: non vero in hypotheſi, de qua diſceptatur, nec de homine impio ſingillatim, ac in individuo. Ratio denique nihil evincit, quoniam ut quis teneatur ad implenda præcepta, ſufficit quod hæc poſſibilia ſint, vigeatque libertas: at ad ſpem excitandam non ſat eſt beatitudinem eſſe poſſibilem, niſi etiam prudenter apprehendi poſſit tanquam futura. In illa ergo hypotheſi, quamvis nemo poſſet deſperare *ex motivo contrario ſpei theologicæ*, ut inquiunt Salmanticenſes, ſcilicet ex parte omnipotentiæ, & miſericordiæ Dei, quod ſane ſceleſtum eſſet atque nefarium; nihilo tamen minus ſperare non poſſet ex eo capite, quod beatitudo non eſſet futura, neque ut talis poſſet prudenti judicio proponi. Sed adeat qui adhuc dubitatione diſtrahitur recenſitos, accuratiſſimoſque Scriptores.

Hac, quæ nunquam re eveniet, excepta hypotheſi, tenetur quilibet ſperare a bonorum omnium largitore gratiam & gloriam. Nam Paralip. I. cap. x. 14. inter iniquitates Saul ea præſertim perſtringitur, quod *non ſperaverit in Domino*. Sublata ſpe immortalitatis impios noxias tantum appetere voluptates, liquet ex cap. 2. Sapientiæ: & Alex. VII. eam propoſitionem confixit: *Homo nunquam ullo vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & caritatis ex vi præceptorum divinorum*. Revera quis non videat ſpem a nobis exigere divina promiſſa, ſacra eloquia, accepta hactenus beneficia, & in omnes profuſam Salvatoris noſtri Dei caritatem, miſericordiam, & redemptionem? Sperandum eſt ergo, ac præſertim dum accedimus ad Sacramentum reconciliationis, & dum ad januam magni Patrisfamilias oratione pulſamus; nam ſpem ad juſtificationem diſponere definit Seſſ. VI. cap. 6. Synodus Tridentina; & orationem eſſe ſpem, ac *deſiderium pauperum*, ait in Pſalmo IX. 17. regius Vates.

At quanta eſt ſperantium certitudo ac fiducia? Maxima quidem, ac multiplici ex capite orta. Primum ex iam apertis Dei in ſacra Scriptura promiſſis, de quibus Apoſtolus 2. ad Timoth. 1. 12. *Scio, cui credidi, & certus ſum, &c.* & Auguſtinus in Pſalm. 123. num. 2. *Spes autem noſtra tam certa eſt, quaſi jam res perfecta ſit; neque enim timemus promittente veritate. Veritas enim nec falli poteſt, nec fallere*. Deinde ex Chriſti Redemptione, dicente Apoſtolo Petro Epiſtola II. cap. 1. 3. *Secundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis*; & S. Pater in 1. de Doctr. Chr. cap. 15. *Quanta ſe fiducia ſpes credentium conſolatur conſiderans quantus quanta pro nondum credentibus paſſus ſit!* Vide & ſerm. 157. alias 23. de Verbis Apoſtoli. Præterea ex collatis in nos innumeris beneſactis, & accepta præſertim baptiſmatis gratia, & mortis Chriſti beneficiis quamplurimis, unde Paulus ad Rom. v. 5. *Spes*, inquit, *non confundit, quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*: & magnus Auguſtinus in Pſalmum 148. num. 8. *Promiſſionis Dei tales arrhas accepimus, tenemus mortem Chriſti, tenemus ſanguinem Chriſti, &c.* Atque ex his liquet quam imbecillis ſit & infirma terrena ſpes, cujus nec objectum eſt certum, nec incommutabile, nec ſumme bonum: ſponſor autem infidus, impotens, iniquus, & ſine arrha, ſine vade, ſine futurorum eventuum præſcientia.

Hæc tamen certitudo ſpei ſalutarem timorem minime excludit; ut adverſus Heterodoxos demonſtravi Tom. II. pag. 171. Cavenda eſt ergo inanis jactantia, ac temeraria præſumptio: & juxta Apoſtoli monitum ad Philipp. II. danda bonis operibus opera, *cum timore & tremore*: apprehendenda eſt diſciplina, *ne quando iraſcatur Dominus*, ut inquit David Pſ. 2., & humilitas exercenda, *ne homo dum quod Dei eſt deputat ſuum, amittat quod Dei eſt*, ait de Nat. & Gratia cap. XXXII. num. 36. præſtantiſſimus morum magiſter Auguſtinus. Illuſtria ſunt etiam, nec prætermitti debent verba S. Hieronymi de Cuſtodia Virginitatis ad Euſtochium. *Nolo tibi venire ſuperbiam de propoſito, ſed timorem. Onuſta incedis auro, latro tibi vitandus eſt. Stadium eſt hæc vita mortalibus, hic contendimus ut alibi coronemur. Nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur. Et inebriatus eſt, inquit Dominus, gladius meus in cælo: & tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat & ſpinas, quam ſerpens comedit?* Et infra: *Quandiu hoc fragili corpore detinemur, quandiu habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & concupiſcit ſpiritus adverſus carnem, & caro adverſus ſpiritum, nulla eſt certa victoria*. Plura ibidem Hieronymus ſcite & eloquenter, etſi affirmat nullam eſſe in illa Epiſtola *Rhetorici pompam ſermonis*. Ex quibus patet quod definitum eſt alibi, certitudinem ſpei conditionatam eſſe, neque hæſitationem, & formidinem omnem expellere.

CAPUT XII.

Timorem Domini eſſe bonum, & commendandum.

POST Lutherum, etiam Janſeniani peſſime de timore Domini diſſeruerunt; quos præſtat breviter hoc loco refutare: nam utrum timor ad talem perfectionis gradum perveniat, ut excludat omnem voluntatem peccandi, & ſufficiat ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, non eſt loci hujus definire. Oſtendam duntaxat timorem, quem *ſervilem* appellant, eſſe ſubſtantia ſua bonum, utilem, donum Dei, neque reddere hominem impium, neque viam ſternere ad deſperandum, neque ſibi repræſentare Deum tamquam durum & intractabilem; ut hæretici, novique dogmatiſtæ contendunt. Exponam autem veram Auguſtini ſententiam, quam præ ceteris aſſecutos arbitror beatum Thomam 2. 2. q. 19. S. Bonaventuram in III. diſt. 34. p. 2. Ægidium noſtrum lect. 25. in cap. 8. ad Romanos, Eſtium in diſtinct. 34. lib. 3. Joannem Morinum in poſthumo Opere de Contrit. cap. 4. Chriſtianum Lupum in Tract. ejuſdem argumenti cap. 15. & ne ceteros perſequar, Fulgentium Bellelli lib. v. adverſus Bajanam & Janſenianam hæreſim; tametſi ex uno Auguſtino curabo controverſiam dirimere.

Ac principio timoris ſpecies accurate ſunt diſtinguendæ. Alius eſt ergo timor naturalis incuſſus a malo, quod unuſquiſque naturaliter refugit, nec imperatus a voluntate; alius rationalis & liber, elicitus ex aliqua cognitione & amore. Naturalis timor paſſio animi potius dicendus eſt, quam liber ipſius animi motus: unde nulla ratione poteſt inter peccata connumerari, ſcribente Auguſtino q. 77. inter LXXXIII. *Omnis autem paſſio, in quantum ipſa paſſione patimur, non eſt peccatum; ſic & ſi patimur timorem, non eſt peccatum*. Timor autem voluntarius & rationalis eſt, qui ex libero amore proficiſcitur: vel ex amore, quo animus inhæret bonis fluxis ac mutabilibus, tamquam ultimo fini; vel ex amore ſui ipſius; vel ex amore ſimul ſui ipſius, & Dei; vel ex amore Dei tantummodo. Primus dicitur timor *mundanus*: de quo ait S. Pater in Pſalmum 127. num. 7. *Tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur, ne illis ægritudo accidat, ne damnum, ne alicujus amiſſio cari, ne exilium, ne damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio*. Alter eſt timor *ſervilis*, de quo ibidem Auguſtinus: *Alius timet unde terruit & Dominus. Audiſtis cum Evangelium legeretur, Ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia vere futura ſunt impiis, timent, & continent ſe a peccato: timent quidem, ſed non amant juſtitiam*. Tertius eſt timor *initialis* medius inter ſervilem & caſtum, quo abſtinens ſe a malo ob timorem pœnæ concipit aliquem Dei amorem, de quo ſequitur Auguſtinus: *Cum autem per timorem continet ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amare*. Poſtremus eſt amor *filialis & caſtus*, non alia ratione timens, niſi quatenus filii timent offenſam patris, & caſta ſponſa timet ne illam ſponſus deſerat; de quo S. Pater ibidem: *Jam incipit propterea juſte vivere, non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem. Excluſus eſt ergo timor a caritate, ſed ſucceſſit timor caſtus*.

In timore ergo *ſervili*, qui ita appellatur, quoniam ſervorum eſt ob timorem pœnæ dominis obtemperare, intervenit fides eumdem timorem excitans, dum gehennam impiis proponit, æternumque ſupplicium, & amor quo rationalis homo bene ſibi ipſi vult eſſe futuro in ſeculo. Secundum hunc amorem timor inordinatus eſſe poteſt, atque, ut vocant, *ſerviliter ſervilis*; ſi nempe timens ſui ipſius delectatione fruatur, atque ea de re pertimeſcat quicquid ſibi talem damnum infert, nullam ſentiens honeſtatis & juſtitiæ delectationem. Poteſt etiam eſſe ordinatus & rectus; quia poteſt formidare gehennam ob ſui amorem, qui non ſit vitioſa cupiditas, nec ſummum bonum ſibi ipſi poſtponat, ſed ita ſeipſum diligat, ut in ſummi boni comparatione ſibi ipſi vileſcat. Quare *ſervilitas* ad ſubſtantiam timoris non pertinet; ſed poteſt a timore *ſervili* ſejungi: quoniam poteſt quis ita timere gehennam, ut tamen ſemetipſum non diligat inordinate. Timor ergo *ſervilis* natura ſua reſpicit duntaxat ſempiternum gehennæ ſupplicium, & recte definitur ab Auguſtino ſerm. 18. de verbis Apoſt. nunc 161. cap. 9. num. 9. *Servilis timor eſt, quo times cum diabolo ardere*. Sed an id timeatur ob vitioſam cupiditatem, ſive ob directum amorem ſui, ad ſubſtantiam timoris non attinet. Quibus prænotatis ſit

PROPOSITIO I. Mundanus timor vanus eſt, perverſus, & noxius.

Ita ſacræ literæ, Auguſtinus, omneſque Theologi. Divina enim Scriptura ſuadet, ut iſtum a nobis timorem pellamus. *Nolite*, inquit Dominus Mat. x. 28. *timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. Et Petrus Epiſt. prima cap. III. 14. *Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini*. S. P. Auguſtinus citato ſerm. 161. num. 7. ait: *Timor vanus eſt omnium hominum timentium amittere temporalia, quandoque migraturorum, & migrare trepidantium, volentium ſemper differre quod non poſſunt auferre. Vanus eſt iſte timor hominum*,

minum,

minum, & tamen eſt, & vehemens eſt, & reſiſti ei non poteſt. Hinc increpandi, hinc objurgandi, hinc lugendi homines timentes mori, & nihil aliud agentes, niſi ſerius mori. Theologi idem probant, quoniam cum timor oriatur ex amore, *metuendi enim cauſſa eſt ne quod amamus aut adeptum amittamus, aut non adipiſcamur ſperatum*, ut docet idem Auguſtinus q. 33. inter LXXXIII. nec non S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 3., mundanus timor procedens ex noxia cupiditate, & amore, quo rationalis creatura hæret tanquam fini fluxis bonis, nonniſi *ex mala radice* gignitur, & malus eſt. Advertas tamen, quod ſi hujuſmodi timor naturalis ſit, neque ex perverſa cupiditate, & prædominante rerum creaturum dilectione oriatur, nequaquam culpandus eſt, ſed eſt innoxia *paſſio* naturæ imbecillis, atque infirmæ; ut paullo ſupra diximus cum Auguſtino. Illud quoque animadvertas non eſſe timorem mundanum & malum eum, quo aliquis timet ſæcularem poteſtatem, judicemque terrenum; dummodo hunc timeat, quatenus a Deo conſtitutus eſt, nec *ſine cauſa gladium portat*, ut ait Apoſtolus ad Rom. XIII. 4. *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Nam iſtiuſmodi timor rectæ rationi conſentaneus eſt, neque natura ſua excludit amorem juſtitiæ. Sed ille eſt timor mundanus, qui innixus temporalium bonorum cupiditati corporis vitam vitæ animæ, & corporis interitum præfert gehennæ ſuppliciis; ideoque nec recta ratione ducitur, neque ullo amore æquitatis. *Timet enim carcerem, & non timet gehennam, timet quæſtionarios tortores & non timet infernales angelos, timet cruciatum temporalem & non timet pœnas ignis æterni, poſtremo timet ad modicum mori, & non timet in æternum mori*: inquit S. Pater eodem ſerm. 161.

PROPOSITIO II. Timor ſervilis eſt bonus, utilis, ſupernaturalis, & donum Dei.

Hoc etiam commonſtrat divina Scriptura, Auguſtinus, cœtuſque Orthodoxorum Scholaſticorum. Et quidem ipſe Dominus, poſtquam Matt. X. humanum timorem reprehendit, ad ſervilem his verbis hortatur, *Sed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Atque de hoc timore legitur Prov. XIV. 27. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis.* Et Iſaiæ XXVI. 18. *A facie tua Domine concepimus, & peperimus ſpiritum.* S. Pater laudato ſermone 161. num. 8. adductis Evangelicis verbis, *Modo*, inquit, *cum dicit mihi, Gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus ſum? Male times? vane times? Non audeo, quandoquidem ipſe Dominus ablato timore ſubjecit timorem*: pauciſque interjectis; *Cum ergo Dominus timorem incuſſerit, & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum comminationem ingeminaverit, dicturus ego ſum, Male times iſta? Non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil eſt quod magis timere debeas.* Et in Pſalmum 127. num. 8. delineato timore ſervili, quo aliquis *non timet ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam*, de ipſomet timore inquit: *Bonus eſt & ipſe timor, utilis eſt.* Eumdem timorem commendat S. P. in libro de ſancta Virginitate cap. 38. De Catechiz. rudib. cap. 5. num. 9. ſerm. 13. de Verbis Apoſt. nunc 156. cap. 13. aliiſque in locis. Et Auguſtino aperte conſentiunt Tertullianus cap. 12. de Pœnit. Cyprianus de Lapſis, Baſilius Hom. in Pſalm. 33. & Patres omnes. Theologica autem ratio eſt, quod hunc timorem, ut diximus, excitet fides ſupernaturalis, qua credimus futurum judicium, & ſempiterna reproborum ſupplicia, coerceat a malo, ac plura afferat ſalutis virtutiſque adjumenta mox ex Auguſtino enumeranda: atque ex alia parte nullam natura ſua inſerat perverſam cupiditatem, reſpiciatque tantummodo pœnas a juſto Judice reprobis infligendas, quas ſine ulla noxia delectatione poſſumus pertimeſcere.

Inter bona autem provenientia ex timore primum eſt, quod *ſaltem intra clauſtra cogitationis coercet malam cupiditatem*, ait S. Pater lib. 2. contra Epiſt. Petiliani cap. 83. Alterum, quod ita malam cupiditatem coercet, ut impium contineat, & quaſi pædagogus legis, & animæ cuſtos, *volentem peccare animo interiore non ſinat.* Serm. de verbis Apoſt. 18. num. 8. Tertium, quod cohibendo cupiditatem, & continendo ab externo peccati actu eradicat habitus pravos frequentatione malorum actuum ingeneratos; & *præmiſſus timor in cor noſtrum pellit inde conſuetudinem malorum operum*: Epiſt. 120. ad Hon. nunc 140. Proximum, quod viam ſternit caritati, quoniam *ex eo quia mala caves, corrigis te, & incipis bona deſiderare*: Tract. IX. in Epiſt. Joannis num. 5. Poſtremum, quod adverſus tentationes corroborat, dum ne impius relabatur in priſtinum, inſtat Dominus *in occultis ſevera miſericordia flagella ingeminans timoris, & pudoris*: Lib. VIII. Confeſſ. cap. 11. Quamquam vero huic timori aliqua imperfectio permixta eſt, quoniam, auctore eodem Aug. de Nat., & Grat. cap. 57. ille, *qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſenſit abſtinere ab opere peccati, nondum liber eſt, nec alienus a voluntate peccati*: id tamen non timoris vitium eſt, ſed timentis, qui adhuc viſco cupiditatis detentus timet ne damnetur, ne puniatur, ne crucietur, non vero ne offendat gaudium paternum, ne diſpliceat oculis amantis. Quod ubi paullatim exuit introeunte delectatione juſtitiæ, timor *ſervilis* fit *initialis*, remanetque ſubſtantia idem, *ſervilitate* abjecta. Hæc proinde *ſervilitas*, quatenus conglutinata eſt pravæ cupiditati, non eſt a Deo, a quo tamen eſt timor incuſſus horrore gehennæ: quod affirmarunt etiam Scholarum lumina S. Thomas, & S. Bonaventura: quorum ille 2. 2. q. 19. art. 4. ait: *Dicendum quod timor ſervilis ex parte ſervilitatis habet quod ſit malus*: quod probat, *quia contra rationem ſervilitatis eſt quod aliquis ex amore operetur*; alter vero de VII. donis Spiritus ſancti: *Timor dicitur ſervilis, quo quis magis timet pœnam, quam culpam: qui ſecundum eſſentiam dicitur eſſe a Deo, non tamen ſub ratione qua ſervilis eſt, &c.* His ſubſcribit cum Theologis, qui de Auguſtini nomine gloriantur, Eſtius in III. diſt. 34. §. 7. dicens: *In timore ſervili duo conſideranda, timor & ſervilitas; quorum alterum bonum eſt, alterum malum*, eadem allata ratione, *quod ſervilitas iſta contraria ſit caritati.* Verum hæc *ſervilitas*, ut præmonui, non eſt de eſſentia timoris, ideoque non efficit quin ſit ſubſtantia bonus, ſupernaturalis, & donum Dei; quemadmodum fides ſupernaturalis & utilis eſt, licet *informis*: *quia*, ut inquit ibidem S. Thomas, *ſervilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis, ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei informis*; ſive quia *timor ſervilis ſecundum ſe non importat niſi timorem pœnæ.*

Liquet ex dictis etiam hunc timorem eſſe *initium ſapientiæ*; quoniam hinc incipit peccator reſipiſcere, dum timor parat locum caritati, & ſicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur, *ſic timor primo occupat mentem, ut introducat caritatem.* Ita docet Auguſtinus cit. Tract. IX. in Ep. Joan. num. 4. Et S. Franciſcus Saleſius Tract. de Amore Dei lib. V. cap. 16. Conſequitur etiam eſſe donum Dei, & ſupernaturalem, quia alioquin non diſponeret ad gratiam; ideoque merito Alex. VIII. perſtrinxit illam propoſitionem, *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.* Num vero ſit connumerandus inter ſeptem dona Spiritus ſancti, licet ſit a Spiritu ſancto, DD. non conſentiunt. Negat S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 9. cui plures ſubſcribunt cum Florentio De Cocq. Tract. 4. cap. 5. ſect. 6. & Bellelli citato libro 5. cap. 3. propterea quod *ſervilis* timor pellitur a caritate, & habet annexam aliquando voluntatem peccandi. At affirmat S. Bonaventura in III. diſt. 34. p. 2. art. 1., & Saleſius eodem lib. cap. 18. nec diſſentit Eſtius in eadem diſt. §. 7. quibus & ego aſſentior, nam *ſervilitas*, quæ a caritate pellitur non eſt de eſſentia timoris, ſed affectio timentis: ideoque S. Thomas loquitur de timore *ſervili* reduplicative ut *ſervili*; nam ſubſtantiam timoris *ſervilis* cum caritate permanere docuerat præcedenti artic. 6. Sequitur tertio jure Tridentinam Synodum definiviſſe ſeſs. 6. can. 8. hunc timorem non eſſe peccatum, neque peccatores pejores facere, & eadem ſeſs. cap. 6. nec non 14. cap. 4. docuiſſe eſſe donum Dei, & hoc timore utiliter iniquos concuti, & ad gratiam diſponi: rectiſſime denique proſcriptam a Clem. XI. in Bulla *Unigenitus* propoſitionem 60. Queſnellii cum ſeptem ſequentibus, timorem gehennæ tamquam exitialem, nihilque boni afferentem temere deprimentis.

Corruunt ex his adverſariorum argumenta omnia. Objiciebat Lutherus in Apologia articulorum ſuorum quod ſcribit Paulus ad Romanos V. 20. *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*, id accipiens de effectu legis, ideſt, de incuſſo pœnarum metu. At fallitur ſeductor. Aliud enim lex præſtat: redarguit nimirum prævaricatorem, ut convictus ad Dei gratiam confugiat, ſine qua lex nec affert juſtitiam, nec efficit quin magis concupiſcentia exardeſcat: ut ait S. Pater q. 166. ſuper Exodum, & de Sp., & lit. cap. 6. explanatque luculenter Eſtius in Paulum. Plura & nos de hoc Pauli loco adverſus vituperatores legis pag. hujus voluminis 185.

Addunt hæretici verba Joannis Epiſt. I. cap. IV. 18. *Timor non eſt in caritate, ſed perfecta caritas foras mittit timorem.* At hujus loci ſenſus legitimus eſt, quod dum timor excruciat animum, niſi per Spiritum ſanctum caritas in cordibus noſtris diffundatur, perſeverat cordis nequitia. *Timor non eſt in dilectione, ſed perfecta dilectio foras mittit timorem, quia timor tormentum habet. Torquet cor conſcientia peccatorum, nondum facta eſt juſtificatio*; ait Sanctus Pater Tract. IX. in Epiſt. Joannis num. 4. Deinde ſignificat Apoſtolus caritatem, quantum perficitur, tantum pellere timorem, non inſpecta timoris ſubſtantia, & objecto, eſt enim etiam timor Sanctorum; ſed ſpectata *ſervilitate*, & defectu quem importat non eſſentia ſua, ſed ex prava diſpoſitione timentis; adeoque primum peccator concutitur timore gehennæ, ſed adhuc prava detinetur cupiditate: tum incipit delectare juſtitia, & ad timorem pœnæ accedit deſolatio offenſæ: deinde hæc expiatur, regnatque caritas juſtificans: poſthac perſeveratur in gratia, & periſtit timor ad caritatis cuſtodiam tentationeſque pellendas: veluti in maris tranquillitate, inquit Saleſius citato lib. V. cap. 17. remi & dolones, ſi forte procellæ inſurgant; ac denique in patria, ubi eſt caritas conſummata, & ſecura, etiam hæc ſolicitudo, ſive cuſtos timor deponitur. Igitur caritas quo magis perficitur, timentis corrigit, roboratque infirmitatem,

Digitized by Google

tatem, ita tamen ut timoris ſubſtantia cum ipſa caritate perſiſtet. Recte Auguſtinus ſerm. 161. n. 9. *Illa intrante incipit timor exire: quanto plus illa intraverit, tanto timor minor erit. Intrat ergo caritas, pellit timorem, non autem intrat & ipſa incomitata. Habet ſecum ſuum timorem, quem introducit ipſa, ſed illum caſtum permanentem in ſeculum ſeculi.* Demum timor, qui e caritate omnino pellitur, eſt timor mundanus, & noxius: de quo S. Pater in libro de S. Virgin. cap. 38. *Timor*, inquit, *non eſt in caritate: ſed perfecta, ſicut ſcriptum eſt, caritas foras mittit timorem, ſed timorem hominum, non Dei, timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii. Noli altum ſapere, ſed time: ama Dei bonitatem, time ſeveritatem.*

Præterea opponunt, Auguſtinum ſæpenumero aſſirmare timorem tormentum habere, ut cit. Tract. 9. num. 4. timentem ardere igne ſempiterno laudandum non eſſe, ut producto ſerm. 161. n. 8. non fieri ex corde quod fit formidine pœnæ, ut in Pſ. 77. num. 10., & alia conſimilia. At liquet ex præmiſſis id non ex timore proficiſci, ſed ex *ſervilitate* timentis, qui etiam timore percolſus retinere poteſt malam cupiditatem, quæ ad ſubſtantiam timoris non pertinet, ſed per accidens, & ex prava timentis diſpoſitione ei annectitur, cujuſmodi eſt in fide *informitas*. Verum *ſervilis* timor etiam nondum *ſervilitate* depulſa, *bonus eſt, utilis eſt*; inquit S. Pater in Pſ. 127. num. 8. *continet te, & volentem peccare animum interiorem non ſinit*; addit eodem ſerm. 161. n. 8. *locum præparat caritati*; ait Tract. IX. in Epiſt. Joan. n. 4. Quomodo ergo filii perditionis aſſerunt timorem nihil prodeſſe? Igitur in eodem Tract. IX. Auguſtinus docet timorem habere tormentum, quia *torquet cor conſcientia peccatorum: quia ſic vulnerat, quomodo medici ferramentum: putredinem tollit, & quaſi videtur vulnus augere*: quia vulnus *plus dolet cum curatur, quam ſi non curetur*: In ſerm. autem 161. non ait laudandum non eſſe timorem, quem ibidem num. 7. appellat *utilem*, & num. 8. *cuſtodem legis*: ſed inquit: *Quia times ardere in igne ſempiterno, nondum laudandus es: non quidem ita dolendus ut ante, ſed tamen nondum laudandus.* Audin? Non te pejorem reddidit timor, cum non ſis, ut antea, dolendus. Nondum tamen laudandus es, quia etſi bene timeas, nec ſit aliquid, *quod magis timere debeas*, adhuc peccati labe inquinearis, & *formido eſt mali, nondum dilectio boni*: quod non eſt vitium timoris te cuſtodientis, ſed pravitas tui, nondum habentis *amorem non peccantem, amorem bene viventem*. Ita quod fit formidine pœnæ, non fit ex corde: quia *quantum attinet ad facta, quæ forinſecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui amant juſtitiam non furantur, & ideo pares ſunt manu, diſpares corde; pares opere, diſpares voluntate*. At cor pravum, & voluntatem malam nunquid tibi indidit timor? Invenit; atque ut curet vulnerat, ſtimulat, torquet, & quomodo medici ferramentum ſecat, ut ſuccedat *caritas, ſanitas*. Bonus ergo timor, malum timentis cor iniquitate tabeſcens.

Denique objiciunt: Servilis timor provenit ex amore ſui. Eſt ergo pravus. At falſa eſt conſequentia. Nam amor ſui non eſt ſemper inordinatus, & noxius. Si quis diligat ſe abſque ullo ordine in Deum, perverſe diligit: & dum illi incutitur timor gehennæ, hanc timet *ut principale malum*, & quia ipſum a voluptaria vita, & temporalibus bonis ſejungit. Malus timor. Si ordinate ſe diligat, timet gehennam, ſed *non tamquam principale malum*, quia magis timet offenſam Dei. Bonus timor. Sane timor *ſervilis* comparari poteſt ad *objectum*, ſcilicet ad pœnam impio infligendam, & ad *ſubjectum*, nempe ad timentem. Ab *objecto* mutuatur naturam *timoris*: e ſubjecto habet quod ſit *ſervilis*, ſi regnet ibi prava cupiditas; quod ſit *initialis*, ſi timeatur pœna, & inchoate diligatur juſtitia; quod ſit *filialis*, ſi timeatur offenſa patris, ac pœne inquantum ab illo ſeparat. Amor ergo ſui inordinatus non eſt de ſubſtantia & eſſentia timoris, quæ in quolibet *habitu* attenditur ex objecto; ſed ad timorem indifferenter ſe habet: ideoque timor *ſervilis* ſubſtantia ſua bonus eſt, & permanet etiam cum caritate; licet *ſervilitas*, ſive pravus amor, per quem timens eſt adhuc ſervus peccati, ſit mala; ut ſupra diximus. Atque hæc doctrina eſt S. Thomæ 2. 2. q. 19. art. 4. & S. Bonaventuræ in III. diſt. 34. p. 2. art. 1. q. 2. & 3. Ideoque dum Auguſtiniani Theologi propugnant in timore *ſervili* eſſe aliquod vitium, quod ſe tenet ex parte timentis, non timoris; nec latum unguem diſtant ab Auguſtino, præcipuiſque Scholæ Luminibus.

PROPOSITIO III. Præ ceteris laudandus eſt timor caſtus, quo timet anima ne a Deo deſeratur.

De hoc enim timore legimus in Pſal. XVIII. 10. *Timor Domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi*. Hunc Auguſtinus ſerm. 161. num. 9. ait eſſe timorem caritatis. Eumdem Tract. IX. in Epiſt. Joannis n. 6. & in Pſal. 127. n. 8. comparat timori caſtæ uxoris timentis ne deſeratur a ſponſo. De ipſo timore proximo num. 9. ſic loquitur: *Si diceret Deus, Faciem meam nunquam videbis: ecce omnis iſta terrena felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona temporalia, non illa amittis, non illa deſeris; quid vis amplius? Fleret quidem, & gemeret timor caſtus, & diceret, Imo tollantur omnia, & faciem tuam videam. Timor caſtus exclamaret de Pſalmo, & diceret, Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam & ſalvi erimus. Timor caſtus exclamaret de Pſalmo, & diceret, unam petii a Domino. Vide quomodo ardeat amor iſte caſtus, amor verus, amor ſincerus.*

Si quæras quomodo timor permaneat in ſeculum ſeculi? Reſpondeo pelli paullatim, ut diximus, a caritate imperfectionem timoris; cumque timor reſpiciat aut pœnam infligendam, aut patris offenſam, aut majeſtatem cui reverentia exhibenda eſt; ac timor *ſervilis* ſpectet duntaxat pœnam, timor *initialis* pœnam ſimul & offenſam, & timor denique *filialis* offenſam ac reverentiam: in Patria, ubi regnat perfecta caritas, tollitur timor pœnæ & offenſæ, permanetque timor reverentiæ: ideoque in beatis neque eſt timor *ſervilis*, neque *initialis*, neque *filialis* in quantum metuit offenſam; ſed tantum ut reverentiam Deo exhibendam præſcribit. Atque ita ſecundum præſtantiorem affectum *timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi*.

CAPUT XIII.

Brevis Dominicæ Orationis Expoſitio.

EA ad ſpem pertinere, quæ in oratione Dominica continentur, recte aſſerit S. Pater cap. 114. Ench. num. 30. De oratione ergo, quæ Chriſtianam ſpem fovet, atque exercet, nonnulla dicam, præſertim de Oratione Dominica ceteris ob auctoritatem Inſtitutoris, ob petitionum ordinem, æquitatem ac plenitudinem, & ob gravitatem brevitatemque verborum præferenda. Ac de oratione in genere plura Myſtici. Eam definiunt aut cum Damaſceno lib. III. de Fide Orthod. cap. 24. *Oratio eſt aſcenſio mentis ad Deum*; aut cum eodem Dam. ibidem, & cum S. Th. 2. 2. q. 83. art. 1. *Oratio eſt decentium a Deo petitio*; aut cum Auguſtino in Pſ. 85. *Oratio eſt locutio hominis ad Deum*. Petuntur vero quæ decent, dum ſervatur ordo deſiderii & amoris, & animus *temporalibus æterna præponit*; ut idem Auguſtinus docet Epiſt. 130. ad Probam num. 14. Hunc ordinem ipſa Dominica Oratio tenet, atque commonſtrat. Eapropter etiam ſine lingua quis orat, dum recte diligit. Demonſtrat orandi neceſſitatem divinum præceptum, noſtra a Deo dependentia, & divinarum gratiarum; maxime finalis perſeverantiæ libera Dei collatio. Videatur S. Pater de Peccatorum meritis lib. II. cap. 4. De Corrept. & Grat. cap. 3. num. 5. Serm. 164. num. 12. Excitat in orantibus fiduciam ac ſpem quod Dei miſericordia orantes prævenit, quod plura non rogatus donavit, vitam, rationalem animam, redemptionem, baptiſmum, filiorum adoptionem; quod Veritas dixit Joannis XVI. 24. *Petite, & accipietis*; quod denique ipſe Chriſtus ſit hominum apud Patrem Mediator, & Patris apud homines fidejuſſor. At de his plura agentes de Myſtica Theologia. Itaque nos brevi Orationem Dominicam explanabimus, ut fecimus de Symbolo ſpectante ad Fidem pag. 280. & de præceptis Decalogi pertinentibus ad Caritatem pag. 190. ut ſpem firmam fidelium anchoram orantes exerceamus. Quæ ſubjicimus deprompta ſunt ex Cypriano Tract. de Orat. Dom. Aug. citata Epiſt. ad Probam, de Dono Perſev. & libro 2. ſerm. Dom. in Monte, ex Commentariis in Matth. Lyrani, Eſtii, & Menochii, ex Venantio Fortunato in Expoſitione hujuſmet Orat. & ex duobus illuſtribus Auguſtinianis Scriptoribus Auguſtino Triumpho, & Angelo Rocca, ex lib. 1. Martene de Antiq. Ritib. cap. 1. art. 12. & cap. IV. art. 11. Hi omnes Exegeſim noſtram colluſtrabunt.

Præmittitur in hac Oratione præfatiuncula, *Pater noſter, qui es in cælis*. Aug. de ſerm. Domini in M. lib. 2. num. 15. docet uſurpari *Patris* nomen ad benevolentiam conciliandam, & n. 16. ad excitandam caritatem. Apud Martenem in Expoſ. antiqui Miſſal. Gallic. dicitur vox plena libertatis, & plena fiduciæ: Lyranus id præmitti docet ob creationem, & gratiam adoptionis. Addit Auguſtinus Triumphus titulum gubernationis ſpectantis ad Patremfamilias. Eſtius notat quoque legis gratiam; quod veteres Patriarchæ Deum orantes minime uterentur Patris appellatione. Idem Angelus Rocca, animadvertens commendari his verbis legem amoris. Pronomen *noſter* Aug. ibidem poſitum declarat, ut nos fratres eſſe cognoſcamus: ideoque nullus hac oratione orat pro ſe tantum, ut animadvertit Venantius Fortunatus. Dicitur, *Qui es in cælis*: ideſt, juxta Auguſtinum ibi. n. 17. in ſanctis & juſtis: non enim ſpatio locorum continetur Deus. Lyranus putat cælos connumerari, quia ibidem Sanctos glorificat, tametſi ubique eſt per eſſentiam, præſentiam, potentiam. *Cæli* dicuntur plurali numero, quoniam non habent in Hebraica lingua ſingulare, inquit Eſtius.

I. PETITIO.

Omnium quæ petuntur primum eſt, *Sanctificetur nomen tuum*. Sic petitur, ut Dei nomen ſanctum habeatur ab omnibus, ait Auguſtinus eodem lib. 2. num. 19. ut nomen ejus ſanctificetur in nobis, addit ex Cypriano de Dono Perſev. cap. 2. num. 4. ut benedicatur inceſſanter omnium linguis, & univerſis in locis, inquit Venantius: ut ſanctificetur in nobis noſtro actu, ait Expoſitio Anonymi

ante ad

ante annos nongentos epud Martenem: ut ſanctitas ejus eluceet in creaturis, exponit Lyranus: ut longe lateque ſama ejus pervedat, eique omnes obtemperent, explicat Eſtius. *Sanctificetur* dictum eſt, non *manifeſtetur*; quoniam Dei notitia omnibus naturaliter indite eſt, inquit Auguſtinus Triumphus. Oratio eutem conteſtatio eſt gratiæ, ait S. Pater de Perfect. juſtit. cap. XIX. num. 40.

II. PETITIO.

Sequitur, *Adveniat regnum tuum:* quibus verbis petimus primo ut Dei regnum per doctrinæ propagationem manifeſtetur hominibus, ait Aug. de ſerm. Dom. num. 20. deinde ut perveniat ad nos beetitudo Sanctis omnibus præparete, inquit Cyprianus, & idem Auguſtinus de Dono Perſ. num. 5. tum ut adveniat Chriſtus Dominus univerſos judicaturus, ait Venantius: id tamen ratione beetitudinis, non ſupplicii; quoniam illud non ſpei objectum eſt, ſed timoris, ut animedvertit Aug. Triumphus. Ampliſſima eſt petitio, at non præſumptuoſe nimis, quia regnum illud nobis paratum eſt a conſtitutione mundi, ut habetur in Evangelio, & Chriſti ſanguine ac paſſione acquiſitum eſt, inquit vetus interpres apud Martenem. Humilitatis noſtræ argumentum eſt, quod petimus ut prius ad nos veniat, quia viribus noſtris aſſequi illud non poſſumus; ita Lyranus. Eſtius cauſſem affert, cur in hac, & in præcedenti petitione non apponitur *nobis*; quia nempe oramus ut perveniet etiam ad alios.

III. PETITIO.

Tertia petitio eſt, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra*. Ad divina præcepta refertur eb Auguſtino, maxime ad caritatem, per quem Angeli in cælis Deo adhærent: de Serm. Dom. num. 21. addit num. 22. *ſicut in juſtis, ita etiam in peccatoribus:* & num. 24. *ſicut in Domino, ita & in Eccleſia*. Similita Triumphus cæli nomine intelligens Chriſtum, Angelos, juſtos. Multe fiunt in terra pro diaboli voluntate, pro ſæculi nequitie, pro deſiderio carnis, inquit antiqua epud Martenem Expoſitio. At in cælo nil fit, niſi ob Dei gloriam. Commendetur etiam hac petitione gratiæ neceſſitas apud Auguſt. de Dono Perſev. num. 6. nem idem eſt *Fiat voluntas tua*, ac, *Fac me facere voluntatem tuam*, & implere præcepta. Similia Venantius Fortunatus. Ideo Pelagius, inquit Eſtius, hanc petitionem deriſit.

IV. PETITIO.

Proxime eſt petitio quarta, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Habent Codices plurimi, *ſuperſubſtantialem*, ex Græco ἐπιούσιον. At hoc vocabulum ſignificat etiam panem *craſtinum*, ideſt, neceſſarium pro tempore, quod imminet, alimentum, & idem demonſtrat vocabulum מחר, in Evangelio Nazarenorum: necnon panem *advenientem*, apud Ambroſium lib. v. de Sacr. cap. 4. Auguſtinus de Serm. Dom. num. 27. interpretatur panem neceſſarium corpori, viſibile Sacramentum, & inviſibile verbum Dei. Cyprianus præſertim Euchariſtiam; & hanc ſolam Expoſitio Miſſalis Gallicani. Græcorum Ἄρτος etiam edulium ſignificat, Tob. I. 10. Haud male Tirinus interpretetur *panem*, cibum frugalem vulgatum. Superfluæ ergo petenda non ſunt. Triumphus obſervat hæc ad cultum corporis pertinentia peti poſt ſpirituelia bona; temporalia enim nonniſi propter beatitudinem ſunt expetenda. Idem docet in Ench. cap. 115. S. Pater. Ea verba *Da nobis* commonſtrant Dei liberalitatem, *qui dat omnibus affluenter*: ait Jacobus cap. I. 5. Plura in hæc Angelus Rocca. *Hodie* nimiam ſolicitudinem demuat: nam idem eſt, ac *in hunc diem*: eſt enim apud Lucam, c. XI. 3. καθ' ἡμέραν. Demonſtrat etiam preces quotidie repetendas.

V. PETITIO.

Quinta petitio: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Omnes *debita* interpretantur peccata, ob quæ pœnas debemus: unde Lucas poſuit ἁμαρτίας. Monemur peccatores nos eſſe, dum pro peccatis orare compellimur, inquit poſt Cyprianum S. P. Auguſtinus de Dono Perſev. num. 8. Quæ ſequuntur demonſtrent & nos veniam impertiri iis, qui in nos deliquerunt, juxta præceptum Domini paullo infra ab Evangeliſta repetitum cap. VI. num. 14. & olim ab Eccleſ. XXVIII. 2. Hanc petitionem etiam juſti facere tenentur, cum in peccata ſaltem venielia frequenter labantur. De his permulta prompta ne Aug. diximus lib. XVIII. cap. 6. Quid vero de Chriſto? Talia orare poterat pro Eccleſia, membriſque ſuis. Etiam Virgo, quam ſine labe conceptam tenet pietas fidelium, dicende eſt hæc verba ſæpenumero protuliſſe propter gratiarum actionem, propter aliorum abſolutionem, propter Filii recordationem. Ita Auguſtinus Triumphus.

VI. PETITIO.

Poſt hæc habetur, *Et ne nos inducas in tentationem*. Quamvis Deus dicatur *tentare* homines, in quantum tentetio nihil aliud eſt, quam ſumptum de illorum obedientia experimentum, quo ſenſu *tentavit Abraham*, Gen. XXII. I. repugnet tamen divinæ ſanctiteti tentere, in quantum tentatio eſt ad mala culpæ incitamentum. *Deus enim intentator malorum eſt*, inquit Jacobus I. 13. Facere tamen dicitur Deus quæ occulto Judicio permittit: ut Exodi VII. 3. ad Rom. I. 24. Orta eſt hæc phraſis ex proprietete verborum hebraicorum in conſtructione *Hiphil*. Itaque idem valet, *Ne inducas*, &, *Ne patiaris induci*. Ita legit Cyprianus. In tentationem induci eſt ita illecebris involvi, & periculis ſubjici, ut non eripiamur. Non tentationes refutamus, ſed ne ſuccumbamus enixe petimus, ut recte Eſtius; aut ne contumaciter euntes ad tentationis laqueos Deus gratie ſue derelinquet, ut Auctor perantiquæ Expoſitionis apud Martenem.

VII. PETITIO.

Ultima petitio, *Sed libera nos a malo*. Videtur membrum priori oppoſitum, & ſignificare, *ſed eripe nos a tentatore*. Sanc Lucas id non appoſuit, nec explicavit Venantius. Extat & in Græco ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *a maligno*; ſcilicet, a pravitatis auctore, ut legitur in Miſſali Gallicano. Expreſſius vetuſtior Interpres, *Hoc eſt a Diabolo, qui totius mali auctor eſt, & origo*. Conſulas eruditum Martenem. Non diſſentit Cyprianus: unde Eſtius putet hanc, & ſuperiorem petitionem non eſſe diſtinguendas. At Auguſtinus, quem ſequuntur recentiores Catechiſtæ, utramque diſtinguit, quia non ſolum orandum eſt ne inducamur in malum, quod ſexto loco petitur, ſed etiam ut liberemur ab illo, quod jam patimur. Vide lib. 2. de Serm. D. in Monte num. 35. Illuſtret opinionem S. Patris Auguſtinus Triumphus: eamdemque confirmet conveniens petitionum numerus: de quo idem S. Pater cit. libro de Serm. Domini num. 36. S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 9. & Angelus Rocca Tom. 2. pag. 458. Nil in oppoſitum probat Græca lectio ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *a malo*. Derivari enim poteſt e neutro τὸ πονηρὸν, *malum*. Hanc petitionem haberi in Græcis Lucæ codicibus affirmat pag. 419. laudatus Ang. Rocca: cui tamen non ſubſcribo; nam deſideratur in Græcis Oxonienſi, & Valeſiano, in editis anno 1628. Periſſit, & in Bibliis Complutenſibus, in Polyglottis autem Regiis, & Waltonianis appoſitis notis dignoſcitur ſtudio intruſa. Quare emendatiſſima eſt hoc in loco Vulgata; licet in quinque petitionibus Lucæ ſeptem Matthæi contineantur, ſicut in quatuor illius Beatitudinibus octo iſtius. Addunt Græci clauſulam, ſed cum orationi Dominicæ, tum Angelicæ ſalutationi ſuperadditæ; pie tamen; nam appoſitam Dominicæ Orationi approbat, explicatque Chryſoſtomus pag. Edit. Commel. 201. Lege & Expoſit. Chromatii Tom. v. Bibl. PP. pag. 987. Hæc de Orat. Dominica, quam Juvencus Presbyter in Evang. Hiſt. his carminibus complexus eſt:

Sydereo Genitor reſidens in vertice cæli;
Nominis, oramus, veneratio ſanctificetur
In nobis, Pater alte, tui: tranquillaque mundo
Adveniat, regnique tui lux ampla patreſcat.
Sic cælo, ut terris fiat tua clara voluntas.
Vitaliſque hodie ſancti ſubſtantia panis
Proveniat nobis. Tua mox largitio ſolvat
Innumera indulgens erroris debita pravi.
Et nos haud aliter concedere fœnora noſtris.
Tetri ſæva procul tentatio dæmonis abſit;
Eque malis tua nos in lucem dextera tollat.

Amen dictis ſuccinit, petita approbat, atque ut fiant poſtulat. Hebraica vox, אמן; quam Græci reddiderunt *vel, profecto*, aut γένοιτο, *fiat*: Latini, *quæſo*, vel, *utinam*. Ex prima Pauli ad Corinthios cap. XIV. 16. liquet idiotas ab Eccleſiæ incunabulis reſpondiſſe *Amen* Sacerdotum benedictionibus, & orationibus: quod etiamnum ſervat fidelium conſuetudo.

CAPUT XIV.

De Caritate, & dilectione Dei.

AD orationem Dominicam cohortans Lucæ XI. 11. ait: *Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ovum: nunquid porriget illi ſcorpionem?* Opponit panem lapidi, piſcem ſerpenti, ovum ſcorpioni; quoniam in lapide dura corda quæ reſpuunt caritatem, & in pane caritas ipſa ſignificatur: in ſerpente qui Evæ venenoſa fraude perſuaſit ne Deo crederetur, infidelitas hæreſumque tergiverſatio; & in piſce propter aquam baptiſmi fides, quæ in hujus ſæculi fluctibus integra eſt: in ſcorpio nunquam ſe in anteriora extendenti, & cui conſuetum eſt retro reſpicere, amor temporalium bonorum: atque in ovo, in quo vita pulli expectatur, ſpes futurorum. Ita oratione Dominica fides, ſpes, & caritas exercentur.

tur. Legite Auguſtini Epiſtolam 121. nunc 130. num. 16., & 18. Congruum eſt ergo, ut poſt fidem atque ſpem, caritatem omnium virtutum potiſſimam, excellentiſſimamque explicemus.

Caritatis vocabulum ſignificat *gratiam*, *benevolentiam*, *amicitiam*: & accipitur ſemper in bonam partem, ſecus ac *amor*, & *cupiditas*, quæ interdum uſurpantur ad ſignificandum pravum animi affectum; & *cupiditas* maxime. Proprie etiam commonſtrat ſanctificantem gratiam, qua regenerati, & juſti redduntur Deo grati, & accepti: ſed aliquando deſignat actum caſti amoris, ſive qui ad juſtificationem diſponit, ſive qui elicitur ab homine juſto: nonnumquam etiam ſignificat piam inſpirationem, & cupiditatem boni, quamvis non ſit actus dilectionis explicitus. Ipſa tamen caritas amor, & dilectio indiſcriminatim appellatur, ut demonſtrat S. P. lib. XIV. de Civ. D. cap. 7. ideoque omnis caritas eſt amor, ſed non e contra omnis amor caritas.

Dividitur ergo Caritas in *habitualem*, & *actualem*. De prima diſputatum eſt libro XIX., & nihil eſt aliud quam *habitus* a Deo infuſus, per quem voluntas redditur recta, & juſta, & ad diligendum Deum propter ſe, & proximum propter Deum vehementiori niſu excitatur. De hac loquuntur Scripturæ, dum affirmant per caritatem nos reddi Dei filios, hæredes, amicos, ſignatos Spiritu promiſſionis ſancto: ac Patres, dum caritatem deſcribunt vitam, qua Deo copulamur, amicitiam hominis ad Deum ſtabilitam per inhabitantem Spiritum ſanctum, Dei hominiſque mutuam communicationem, atque his conſimilia. Plura de hac *habituali* caritate diſputantur; ſed a nobis expedita citato libro XIX. ubi adverſus hæreticos demonſtravimus inhærentem eſſe, & habere æternæ vitæ condignum meritum, ſed non importare firmiſſimam juſtitiæ certitudinem, ac poſſe in hac vita augeri, minui, deperdi; cum aliis Catholicorum Theologorum decretis, quæ modo non repetam. *Habitum* hunc a Deo infuſum eſſe virtutem Theologicam, cum in Deum tendat, in quæſtionem verti non poteſt. Hujus *objectum* præcipuum eſſe Deum, tum cetera quæ propter ipſum diligenda ſunt ordine expoſito in hoc volumine pag. 178. 229. aliiſque in locis, allata Caritatis deſcriptio, omniumque conſenſio demonſtrat. Quod pariter appellant *formale* objectum, eſſe ſummi boni præſtantiam, quæ nos allicit, ettrahitque, nequit controverti.

Reſtat tantum Scholaſtica quæſtiuncula, num hæc per caritatem inter Deum hominesque firmata benevolentia ſit vera amicitia. Negant cum Durando perpauci, ceteris omnibus aſſentientibus. Durandi opinio fulcitur his momentis. Primum eſt, quod in eo ſita eſt amicitia, ut unus velit bonum alteri ex affectu erga ipſum: quod nequit excogitari in Deo reſpectu hominum, cum omnia nobis elargiatur ob ſui gloriam. Alterum, quod amicus alteri benefacit: id vero convenire non poteſt homini erga Deum. Tertium, quod amicitia nonniſi inter æquales intercedit, juxta Ariſtotelis Philoſophiam.

Habemus nos aliam amicitiæ perceptionem ac ideam. Nihil aliud eſt amicitia, *quam rerum humanarum & divinarum cum benevolentia & caritate conſenſio*. Hanc amicitiæ deſcriptionem tradit lib. 3. contra Academicos cap. 6. & in Epiſtola ad Marcianum 155. nunc 258. ſapientiſſimus Auguſtinus. Conſenſit cum omnibus Platonicis Marſilius Ficinus in Platonis Epiſtolas, & in Lyſidem. Ariſtoteles quoque lib. VIII. Moralium cap. 7. tradit ſpeciem amicitiæ, quam appellat *ſupereminentiæ*, in qua eadem utrique ab altero neque exhibentur, neque ſunt requirenda: talis eſt amicitia patris erga filium, & principis erga ſubditum. Etiam de amicitia bonorum ſcripſerat Ariſtoteles capite tertio ejuſdem libri, quod *hi mutuo ſibi bona ſimiliter volunt, quatenus ſunt boni*. Quod eſt ergo per ſe bonum ſummum, & incommutabile, jure amicitiæ nil ab eo, quem redamat, petit, niſi ut ſeipſo fruatur. Legendus in hunc locum Aſpaſius pag. edit. Aldi 410. Iccirco autem inter hominem & hominem amicitia unius alteri benefacit, quoniam in beneficentia melior redditur. Beneficentiam ergo amicitia præſtat, non quia amicitia eſt, ſed quia alter amicorum miſer eſt: & recte illam Auguſtinus conſtituit *in ſola caritatis conſenſione*. Nec ſola perfecta æqualitas amicitiam parit, ſed vel æqualitas in animi pulchritudine, ut mutua Platonis Dioniſque benevolentia: vel in moribus etiam ferinis & agreſtibus ſimilitudo, ut amicitia Oreſtis & Pyladis: vel in eruditione & doctrina, ut amor Socratis in Phœdrum & Alcibiadem. Recte Auguſtinus lib. VIII. de Civit. Dei cap. 25. benevolentiam firmari docet *per bonæ voluntatis ſimilitudinem*: quod eo firmius præſtatur, quo voluntas perfectior eſt, & amor magis caſtus & vehemens.

Eſt ergo inter Deum & hominem juſtum amicitia vera, ceteriſque omnibus longe præſtantior; quoniam inter utrumque eſt caritatis conſenſio: & ſi Deus nil vult propter hominem, tanquam finem ultimum, neque id vult juſtus, ſciens longe melius eſſe hunc finem conſtitui in bono incommutabili, quam in creato & finito; & e contra ſi homo nil commodi Deo affert, neque id quærit Deus felix ſatis, ditiſſimuſque ſe ipſo: ſed cum perfecta voluntas ſit ſummo bono adhærere, eoque frui, utrumque vult tam homo juſtus, quam Deus. Excellentiſſima hæc eſt animorum conſenſio. Igitur amicitia vera, diuturna, mutua, jucundiſſima, optima. De qua amicitia loquebatur Sponſus his verbis Sponſam alloquens Cant. II. 13. *Surge Amica mea, ſpecioſa mea, & veni*. Lucæ XII. 4. *Dico autem vobis amicis meis*. Joan. XV. 14. *Vos amici mei eſtis*; & alia complura.

Contraria itaque argumenta me nihil movent, quoniam legibus illis amicitiam non circumſcribo, niſi ubi uterque amicorum poteſt alterius benefactis augeri: quod ſi ad veram amicitiam requirebant Gentiles Philoſophi, ignorabant hi munera caritatis, divinumque conſortium. Erit tamen qui ad primam objectionem reſpondeat facta diſtinctione finis *cui*, & finis *qui*: ad alteram reponent ad amicitiam ſufficere mutuam benevolentiam in alicujus boni communicatione: ad poſtremam, æqualitatem præſtari a Gratia ſanctificante, per quam efficimur *divinæ conſortes naturæ*, ut ait Petrus Epiſt. 2. cap. I. 4. Egi de hac æqualitate Tom. II. pag. 155.

Veniamus jam ad caritatem actualem. Hanc S. Pater in III. de Doct. Chriſti cap. 10. ait eſſe *motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum*. Brevis, perſpicua, & expedita definitio. Hujus caritatis actus non ſemper in Auguſtiniana Schola eſt juſtificans, ſed quemadmodum caritas *habitualis* juſtificat *formaliter*; ita actualis inchoare, & diſpoſitiva, plus, minuſve, prout caritas vehementior eſt, aut remiſſior; ita ut dilectio tenuis & languida perſiſtat cum peccato, licet in aliquo extremo caſu cum voto Sacramenti juſtificet: vehemens tamen & flagrantiſſima Deo reconciliet priuſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur. Quare nos dividimus caritatem in inchoatam & perfectam, & negamus omnem dilectionem Dei benevolam ſtata lege abſque Sacramenti adminiculo conciliare Deo peccatorem. Caritatem perfectam conſiſtere cum peccato defendi non poteſt, repugnatque Tridentino ſeſſ. XIV. cap. 4. Qua in re peſſime erravit Bajus; & exceſſit etiam Gulielmus Eſtius. At dari caritatem inchoatam ſine peccatorum remiſſione, ad hanc tamen diſponere, haud obſcure colligitur ex eodem Tridentino ſeſſ. VI. cap. 6. maxime ſi legatur Hiſt. Pallav. lib. VIII. cap. 14. & Tridentinum conferatur cum 2. Arauſicano cap. ultimo. Demonſtratur etiam exemplo Magdalenæ, quæ acceſſit ad Chriſtum ægra ut rediret ſana, Catechumenorum, qui ante baptiſmum, etſi Deum amore caſto diligere incipiunt, adhuc tamen portant ſarcinam iniquitatis; nec non Auguſtini, quem Deus ante acceptam baptiſmi gratiam ſagittaverat caritate. At hæc ad trutinam revocabuntur, ubi diſputabitur de Pœnitentiæ ſacramento. Interim ſat eſt repetere verba S. Patris in poſtremo capite de Nat. & Grat. num. 84. *Caritas ergo inchoata, inchoata juſtitia eſt: caritas provecta, provecta juſtitia eſt: caritas magna, magna juſtitia eſt: caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt, &c.*

CAPUT XV.

Quomodo, & quando actualis erga Deum caritas ſit exercenda.

FUERUNT, qui præceptum diligendi Deum ſolis externis actibus impleri autumarunt; adverſus quos calamum ſtrinxit Merbeſius in prima ſecundæ, Vanroy de Carit. cap. 3. Pietre q. 4. aliique permulti: exſtiterunt etiam qui docuerunt nullo unquam vitæ ſuæ tempore teneri hominem ad eliciendum caritatis actum: ſunt fortaſſis, qui ignorant qualis a nobis dilectio exigatur. Magni momenti ſunt iſta, ſed obvia: ideoque explicanda, brevi tamen.

PROPOSITIO I. Deus etiam interiori caritate diligendus eſt.

Probatur 1. His verbis præceptum dilectionis exprimitur Deut. VI. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Repetitur Matthæi XXII. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*. Quis adverſus tantam lucem adeo cæcutiet, ut dicat Deum diligendum non eſſe affectu cordis? Deinde ſi proſcripta eſt ab Innoc. XI. ea propoſitio, *Non tenemur proximum diligere actu interno*: quanto magis hæc damnatio ferit non diligentes interiori affectu ſummum Bonum, cum proximo aliquid externa officia afferant commodi, Deus autem voluntatem attendat, non cenſum? Ad hæc ſi caritas eſt *motus animi*, ut ſupra diximus; ſi ad Deum graditur, ut ait S. Pater ſerm. 344. num. 1. *non pennis & pedibus, ſed affectu*: quid eſt, niſi figmentum, illa ſine affectu, & ſine animi motu dilectio? Præterea ſine caritate, qua creatura intellectualis Deo adhæreat, ut Auguſtinus ait lib. X. de Civ. Dei cap. 4. nullus eſt Dei cultus, nulla vera religio, nulla recta pietas, nulla Deo debita ſervitus. Poſtremo ſi externa ſufficiunt officia; quomodo nobilior hominis pars Creatori ſuo ſubjicietur? quomodo erit ſacrificium Deo cor humiliatum? quomodo adorabitur ſupremum Numen in ſpiritu, & veritate? quomodo abominabiles erunt qui Deum labiis honorant, cor autem eorum longe eſt ab illo? Faceſſat ergo fallax, perniciosa, ac ſtultiſſima eorum opinio, qui affirmare auſi ſunt cordis dilectio-

nem

nem ad præceptum non pertinere: obbrutuerunt enim, factique rebelles lumini, nec inditam legem, nec ordinatam per angelos in manu Mediatoris, nec demonſtratam a Luce, quæ illuminat omnem hominem, paullulum inſpexerunt.

Neſcio autem quid ſibi velint frivolis ineptiſque argutiunculis. Joannis XIV. inquiunt, legimus: *Si diligitis me, mandata mea ſervate*; nulla ergo præter obſervantiam præceptorum nobis dilectio injungitur. Adjiciunt: Nonne poſſumus implere omnia mandata ex ſolo timore pœnæ? Inſiſtunt: At Bernardus Sermone 50. in Cantica ſcribit: *Eſt caritas in actu, & in affectu, & de illa quidem, quæ operis eſt, puto datam legem hominibus, mandatumque firmatum; nam in affectu quis ita habeat ut mandetur?* At nugæ hæ ſunt, ſupra quam dici poſſit archatypæ, atque bullatæ. Enim vero Apoſtoli, quibus dictum eſt, *Si diligitis me, mandata mea ſervate*, jam proculdubio diligebant, eiſque *imperatur ut diligant, & mandata conſervent, ut accipiant*, manifeſta, *Spiritum ſanctum*, atque *innoteſcat quod habent*. Ita Aug. Tract. LXXIV. num. 1. Ergo non diligentibus præcipitur ut diligant: diligentibus vero ut dilectionem factis comprobent, in eaque proficiant. Qui autem præcipit argumenta amoris, vult potius amorem ipſum; ait enim S. Doctor in libro de Magiſtro, cap. IX. num. 25. *Res, quæ ſignificantur, pluris quam ſigna eſſe pendendas*. Timorem laudo, & logit pædagogum appello cum ipſomet Auguſtino ſerm. 161. n. 8. ſed timendum eſt, *ut formido cuſtodiat, & perducat ad dilectionem*; quæ, auctore Apoſtolo ad Rom. XIII. 10., eſt *plenitudo legis*. Ea Sancto Bernardo quid infertur, niſi caritatem actualem præceptam eſſe, non vero quæ guſtat, ſapit, afficitque ſuaviter, & quam appellat caritatem *in affectu*, non ad meritum dari, ſed ad præmium? *Neque hoc dico*, ait ſeq. num. 7. *ut ſine affectione ſimus, & corde arido ſolas moveamus manus ad opera*: diſtinctaque triplici affectione, quam vocat carnis, rationis, & ſapientiæ. *Igitur*, inquit, *per ſecundam opera fiunt, & in ipſa caritas ſedet, non illa affectualis, quæ ſale ſapientiæ condita pingueſcens magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini, ſed quædam potius actualis: quæ etſi nondum dulci illo amore ſuaviter reficit, amore tamen amoris ipſius vehementer accendit*. Caritas ergo *in affectu*, quæ datur in præmium, eſt juxta Bernardi ſenſum caritas reficiens poſt opera, & dulcis beatorum amor. Imo non negat S. Doctor pertinere etiam ad mandatum caritatem *affectualem*, dummodo non intelligatur caritas illa plena, & dulciſſima, quæ eſt merces Sanctorum; ait enim: *Aut ſi placet tibi magis de affectuali datum fuiſſe mandatum, non inde contendo, dummodo acquieſcas & tu mihi, quod minime in vita iſta ab aliquo hominum poſſit, vel poterit adimpleri*. Quid plura? Docet animam non poſſe ſeipſam toto niſu *ad Deum colligere, & divino infigere vultui*, quandiu eam huic fragili, & ærumnoſo corpori intentam, & diſtentam neceſſe eſt *ſubvenire*: ſic enim ſeipſum explicat Tract. de diligendo Deo cap. X. num. 29. At hæc non in gratiam contrarii argumenti, ſed in melliflui Doctoris venerationem dicta ſunto.

PROPOSITIO II. Rationalis creatura ſemper debet aut actu, aut virtute Deum diligere.

Demonſtratur; nam Eccleſiaſticus XIII. 18. ait: *Omni vita tua dilige Deum*: & S. Pater lib. 1. doct. Ch. cap. 22. docet *nullam vitæ noſtræ partem* relinqui, *quæ vacare debeat, & quaſi locum dare ut alia re velit frui, ſed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit*. Rationem affert idem S. Pater de moribus Ecc. cath. cap. VIII. num. 13. quia *Deus eſt nobis ſummum bonum: neque infra remanendum nobis eſt, neque ultra quærendum; alterum enim periculoſum, alterum nullum eſt*. In hoc ſim eſt hæc dilectio continuo tenenda, ut nulli rei creatæ amore tamquam fini ultimo, & propter ſe inhæreamus: quod proculdubio humanum actus inquinaret; ſed ſtudeamus Bono incommutabili toto affectu adhærere, quod, ut docet eo loci S. Pater, reddit hominem optimum: aut ſaltem operemur ob inditam ingenitamque legem honeſtatis, ne opera moralium virtutum inani gloria, aut cupiditate labefactentur. Quamquam igitur actus dilectionis nequeat omni momento elici, neque ad hoc obligent præcepta *affirmativa*; ſic tamen ſemper affecti eſſe debemus, ut amor animi noſtri pondus eos ad fluxa bona non deprimat, neque a caritate Dei creatura aliqua illud prava cupiditate divellat. Vide Riccium in Prop. damnatas diſput. 11. pag. 101.

Actus autem dilectionis quo præciſe tempore ſit eliciendus arduum eſt definire. Alex. VII. die 25. Septemb. anno 1665. proſcripſit mores laxantem, perniciosiſſimamque ſententiam, quod neminem id obſtringat aliquo vitæ tempora: & Innoc. XI. die 2. Martii anno 1676. quod ad hoc non teneamur ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis. Innovandum quotannis caritatis actum cenſuit Ledeſma: ſingulis feſtis diebus Merbeſius, a quo non recedit Vanroy. Urgere hoc præceptum ſtatim ac pervenitur ad rationis uſum demonſtrat S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6. eo quod prima rationalis creaturæ inſpectio ſit præfigere ſibi finem, ad quem cætera ſunt referenda: quam ſententiam propugnant Noſtrates, & Dominicus Viva S. J. in Trutina damnatarum Theſ. Vol. 1. pag. 31. fatetur eſſe inconcuſſam. Perſuaſum nobis eſt requiri actum aliquem benevolæ dilectionis ut peccator Deo reconcilietur, etiam in Sacramento: quamvis oppoſitum teneant permulti. Præterea in mortis articulo conſtitutum teneri ad caritatis actum, perſpicuum eſt: tunc enim dirigenda potiſſimum eſt a nauclero navis, cum in portum conjicitur; illamque prædones diripere, tempeſtates frangere, & anguſtus aditus, litoriſque ſtatio facile poſſunt in naufragium impellere: Si etiam advertas inſtitutionis feſtorum cauſam, Deum colendi, hoſtias immolandi ſpiritales, rebuſque divinis vacandi; haud improbabilis videbitur Merbeſii, Cabezudi, Vanroy, aliorumque ſententia. At in his, quod monet etiam Suareſius de Carit. diſp. V. ſect. 3., ſequere prudentiorum conſilia.

PROPOSITIO III. Diligendus eſt Deus ex toto corde, in tota anima, in tota mente.

Hunc diligendi modum præſcribit Deut. VI. 5. & Matth. XXII. 37. Fit autem dum præcipuum ſtudium in eo locatur, ut ſummo bono adhæreamus: dum nihil Deo præfertur: dum creaturis utimur, ut Deo fruamur. Quod ſedulo implendum *ratio urget, & juſtitia naturalis*, inquit S. Bern. de dilig. Deo cap. 5. num. 15. Ratio petitur ex quo Deus ſit bonum qualibet alia re pluris æſtimandum; necnon ſit ipſe caritatis cauſſa efficiens & finalis: nam ſolus *præcedit benignior, rependitur juſtior, expectatur ſuavior*, ait idem Doctor eodem libro cap. VII. num. 22. Juſtitia oritur ex plurimis ac maximis beneficiis, quibus nos cumulavit, atque ex illo maxime, quod *filii ejus nominemur & ſimus*, Joan. Epiſt. 1. cap. III. 1. noſtrique cauſſa Unigenitum ſuum dederit. Scite, qui ad Crucifixi imaginem in Florentino S. Spiritus Templo ſcripſit:

Hic me ſolus amor ligno confixit in alto.

Diligitur autem Deus ex toto corde, dum in eum referuntur omnia conſilia noſtra, omnis cognitio, omnis vita, omnis intellectus, & dilectio Dei nullum a ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur. Vide Auguſtinum de Morib. Eccl. cap. VIII. num. 13. & in 1. de Doct. Chriſt. cap. XXII. num. 21. Paulini Epiſtolam ad Celantiam, Saleſium lib. 1. cap. 6. Diligit toto corde, qui omnem cognitionem in Deum confert: tota mente, qui intellectum Deo ſubjicit; tota anima, qui appetitus ſecundum Deum regit. Haud male in Matthæi viceſimum ſecundum Lyranus.

At dices: Si ita eſt, nullus in hac vita poterit implere dilectionis præceptum. Reſpondeo, quod aliquid ex toto corde, in tota anima, & in tota mente facere dicimur duplici ſenſu; primo ſi actio tanto caritatis ardore impendatur, ut non poſſit vehementius intendi: ſecundo ſi in ea præcipuam curam ſtudiumque collocemus. Primo modo non impletur præceptum dilectionis, niſi in patria, ut docet S. Pater Auguſtinus de Perfect. juſt. cap. 8. & de Spirit. & lit. cap. ult. ac S. Bern. ſerm. 50. in Cant. & de dilig. Deo cap. 10. Altero modo impletur etiam in hac vita, etiamſi extinguere non poſſimus concupiſcentiæ luctameo præpediens impetum caſti amoris vehementiorem; dummodo nihil appetatur illicitum. *Aliud enim eſt totam non aſſequi caritatem, aliud nullam ſequi cupiditatem*: inquit Auguſtinus eodem libro de Sp. & lit. num. 65. Legite Eſtium in 3. diſt. 27. §. 8. & in caput 6. Deut. Horſtium in S. Bern. Annot. &c. Adde & ſacra, & profana locutione dici aliquid fieri toto corde, & ex tota anima, quando in id mente intenti ſumus. Nam de Joſia IV. Regum XXIII. 3. legitur fœdus coram Domino percuſſiſſe cuſtodiendi præcepta & ceremonias, *in omni corde, & in tota anima*: de Davide Eccleſ. XLVII. 10. *De omni corde ſuo laudavit Dominum*: & III. Regum XIV. 8. *Cuſtodivit mandata, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo*: de ceteris juſtis omnibus Pſalm. CXVIII. 2. *In toto corde exquirunt eum*. Profana exempla ex Catullo, Thucydide, Antonino vide apud Grotium in Matthæum. Jure ergo meritoque Tridentina Synodus ſeſſ. VI. cap. 11. & can. 18. damnavit Sectarios autumantes mortalium neminem poſſe præceptum caritatis implere.

CAPUT XVI.

De Amore, ut vocant, puro, damnatoque Quietiſmo.

POSTEAQUAM anno 1311. damnati fuerant in Viennenſi Concilio Begardorum errores: poſteaquam extincta fuerat Illuminatorum ſecta, quæ Hiſpali erupetat circa annum 1623. præciſuſque anno 1656. ſurculus vetuſti erroris, quo aliqui adeo ſe in Dei amore profeciſſe jactabant, ut nacti ſpiritus libertatem, quicquid agerent, nunquam a caritate deflecterent, erupit idem error, peſtiferumque venenum effudit, navante operam Michaele de Molinos. Perniciosam is Myſticam ſcholam fabricaturus aſſeruit primo annihilandas eſſe potentias animæ, hanc non debere in aliquo opere active ſe gerere, debere ſe regendam committere divinæ voluntati, nihil ab ea petendum, omnemque ſolicitudinem propriæ ſalutis, ſpem, timorem, deſideria quæque virtutum deponenda. Ficta iſtiuſmodi ſine voluntatis actu indifferentia, conſequenter affirmavit, animam

mam in ſua quiete orare etiam dum ſomno abripitur, dum impuræ occurrunt cogitationes, imo dum aut dæmonis inſtinctu, aut externa maris & feminæ ſolicitatione carnales actus exercentur, propterea quod hæc omnia, licet eveniant in vigilia & ſine mentis offuſcatione, non commaculent ſuperiorem partem illius, qui ſemel Deo proprium ſubjecit arbitrium. Proſcripſit tam nefaria dogmata in Bulla *Cœleſtis Pater*, emanata die 20. Novembris anno 1687. Innoc. XI. Romanus Pontifex.

Non quidem in tam fœda & abſurda, ſed in *Quietiſmum* tamen incautus prolapſus fuerat Cameracenſis Antiſtes Franciſcus de Fenelon in libro Gallice inſcripto, *Explication des Maximes des Saints*, in lucem edito an. 1697. Quo in libro docuerat dari ſtatum quemdam *habitualem* amoris Dei, qui eſt caritas *pura*. Hunc eſſe ſtatum ſanctæ indifferentiæ, in quo nec æternam ſalutem volumus: dari in eo extremas probationes, in quibus non ſolum ſpes omnis amittitur, verum etiam poteſt anima invincibiliter credere ſe juſte a Deo reprobatam, & tunc myſtica morte, & a Deo derelictam quaſi cum Chriſto in cruce *ſpirare*: iſtam tamen perturbationem cieri inferiori in parte cæca, & involuntaria paſſione, ita ut in ſuperiori regnet caritas, dum inferiorem percellit deſperatio. Gravi cenſura perſtrinxerunt Cameracenſis Archiepiſcopi errorem ampliſſimi Antiſtites Pariſienſis, Meldenſis, & Carnotenſis; pluraque ſcripta utrinque prodierunt eodem anno 1697. At proximo anno damnatis ab Innocentio XII. iis de Amore *puro*, & indifferentiæ ſtatu documentis, horum auctor ſe Pontificis Maximi ſententiæ ſubmiſit, errorem que ſuum palam, & e ſuggeſtu reprobavit. Quæritur ergo an in caritate proficientibus permitti debeat *oratio quietis*, ſive interior vita abſque facultatum animæ, ſenſuumque motione: an in hoc ſtatu ſit animæ cum indifferentia, ac *puro* amore permanendum: an *purus* ille amor abſque ſpe remunerationis, propriæque ſalutis ſolicitudine rectus ſit, vel perverſus.

PROPOSITIO I. Datur aliquandiu animarum caritate flagrantium *quies*, ſed ei, quam Molinoſius invexit, a diametro oppoſita.

Demonſtratur pars prima. De anima quippe Chriſti ſponſa legimus in Cant. Cap. II. 7. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem per capreas, cervoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam quoadusque ipſa velit*; & cap. v. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. De Maria contemplantium typo, Lucæ c. 39. *Sedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius*. Ac de Joanna in ejus evangelio, XIII. 23. *Erat recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu ejus*. At Myſtici his *quietem* illam explanant, qua anima, quaſi dulci ſomno abrepta, & veluti puer innixus mammis, lacteque ſugens, divinæ dulcedinis jucunditate perfunditur, illamque exteriores potentiæ ac ſenſus ad objecta alia non diſtrahunt, nec evigilare faciant, & evolare: ſed colloquentem Dominum audit, & in ſinu ejus recumbit; ut Sancti viri ſcripſerunt, edocti præſertim experimento, Thereſia, Joannes a Cruce, Saleſius.

Altera pars probatur I. Oratio *quietis*, a Myſticis comprobata, nihil eſt aliud quam dum anima ſe ad cordis intima retrahens nec videt, nec ſentit niſi Deum. Ita eam deſcribit S. Bonaventura de ſtimulo Amoris p. 2. cap. 7. S. Thereſia cap. 14. vitæ ſuæ, Saleſius lib. VI. cap. 7. & 8. Harphius Theolog. Myſt. lib. 3. p. 5. cap. 32. Balthaſar Alvarez Tom. 3. p. 2. cap. 12. Card. de Laurea opuſc. de Contemplat. cap. 6. In hac, ut inquiunt, recollectione ceſſat anima a terrenis tumultibus, & quieſcit a cogitationibus ſupervacuis, ut docet de interiori domo S. Bernardus. At Michael de Molinos e contra in ſua *Quiete* vult animam cum indifferentia pati etiam dæmonum, ſi occurrant, violentias, turpeſque libidinum incitationes, nec *quietem* illam turbari, tametſi anima alia videat, alia ſentiat, etiam impura, & horrenda. II. Etſi in Oratione *quietis*, a Thereſia explicata, aliquando anima dulcedine caritatis perfuſa quaſi dormitans nil agere videatur; ait tamen cap. 14. potentias ſe interius retrahere, non tamen deperdi, aut abripi ſomno: & proximo cap. 15. docet *quietem* illam eſſe Divini amoris ſcintillulam, quam Dominus incipit in anima excitare, & accendere, & quæ ſervilem timorem expellit, inſeritque filialem. Saleſius quoque licet animam in oratione *quietis* conſtitutam comparet puerulo in ſinu matris dormienti, & conſiſtenti in ſede ſimulacro, cap. 9., & 11. ejuſdem libri; imo cap. 8. aſſerat voluntatem *nihil agere*, ſed recipere duntaxat amoris dulcedinem, atque delectationem; ait tamen id evenire, quoniam non de ſe cogitat anima, ſed de eo, cujus præſentia delectatur: eodemque cap. 9. explicat, quo pacto voluntas non exerceat potentias alias, operetur tamen ſuperiori parte, & quamquam nullam habeat ſenſuum exercitationem, in delectatione tamen caritatis non dormitet. Falluntur ergo, qui aut ex Thereſiæ, aut ex Saleſii lectione probari autumant orationem *quietis*, in qua anima nihil agat: cum in ea quiete magis intellectus per fidem Deum intueatur, & voluntas per caritatem magis ſummo Bono adhæreat: quemadmodum dum ageretur de Thereſiæ canonizatione, matura diſcuſſione operum ejus compertum eſt. Vide Annal. FF. Carmel. Diſcalc. lib. 2. cap. 44., & Cardinalem

de Laurea opuſculo paulo ſupra laudato. Huic ergo ſanctæ *quietis* orationi directe illa opponitur, qua voluntas non colligit attrahitque potentias ne avolent, & vagentur, ſed laxatis ipſarum habenis indifferenter ſe habet, nec fidei, ſpei, caritatiſque actus elicit. *Ad quid enim*, inquit de Laurea ſeq. cap. 7., *homo ſe conſtitueret ante Deum, ſi de eo nec vellet cogitare, nec eum amare, neque cum eo mentaliter alloqui petendo, laudando, vel gratias agendo? Mea videri hæc actuum ſuſpenſio, ſi dari poſſet naturaliter, quod non credo, irreverentia potius eſſet in Deum, quam devotio. Operari ergo debet intellectus intuendo per fidem, & voluntas diligendo per caritatem*. III. Debet voluntas exercere in alias potentias imperium, & caritas ceteris affectibus dominari, ut Saleſius demonſtrat lib. 1. cap. 6. ideoque caſtus amor præcipit ſingulis animæ facultatibus, ne contemplationis tempore divagentur, veluti domina ad ſe ornandam in penetralia ſe conjiciens famulas hortatur ad domus cuſtodiam, & rege in aula commorante, ad januam milites agunt excubias: unde in Proverbiis cap. IX. 3. ſcriptum eſt, *Miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis*. Præcipit etiam, ut quandiu in oratione *quietis* fruitur ſponſo, ſileant ſenſuum tumultus, *ne evigilare faciant dilectam*, ut in Canticis ſemel, iterumque repetitur. Quæ eſt ergo illa Molinoſiii *quies* amentiæ, ac diabolica, in qua voluntas non regina, ſed captiva nil imperat, eamque ancillæ tumultuoſæ, atque errabundæ excitant, exturbant, a ſponſi amplexibus ſeparent, adulteriſque amatoribus ſubjiciunt? IV. Tandem *quietem* a Myſticis probatam eſſe ſpecialem Dei gratiam, quam nullus debeat præſumere, docet cap. 11. Chriſti Sponſa Thereſia. At falſi Myſtici commenti ſunt frui hac *quiete* illos, qui ſemel arbitrium Deo ſubjecerunt, nec in poſterum ulla angi ipſos ſolicitudine, ſpecialia Dei beneficia, cuique quantumvis improbo, impuriſſimoque temere tribuentes.

PROPOSITIO II. Status *puri amoris*, & indifferentiæ, in quo anima nullam gerat propriæ ſalutis curam, vel tamquam a Deo reprobata, nullam habeat ſpem nullumque perfugium, atque a ſemetipſa diviſa, unice ſe Divinæ voluntati committat, *fanatiſmus* eſt, non caritatis perfectio.

Demonſtratur primo. Hæc de Amore *puro* doctrina a nullo antiquorum Patrum tradita eſt, ut fatebatur Cameracenſis Antiſtes in damnata prop. 22. *Quamvis hæc doctrina eſſet pura, & ſimplex perfectio Evangelica, antiqui Patres eam non proponebant paſſim multitudini juſtorum*. At nulla Evangelica doctrina verbum ſalutis excludit; neque putandum Eccleſiæ Paſtores tamquam arcanum ſervaſſe neceſſaria *pure* amantibus documenta. Non eſt ergo Evangelica, quæ de Amore *puro* elapſo tantum ſæculo erupit, nova, & inaudita doctrina. Deinde non ſolum Evangelica non eſt, ſed Evangelio repugnat: in quo diligentibus Deum præſcribitur obſervantia mandatorum, Joan. XIV. 15.; ac inter præcepta connumerantur fides, ſpes, caritas, pœnitentia, oratio, jejunium, aliaque virtutum officia a caritate, & amore imperata. Spes præſertim, quæ *puro* amori juxta pravam opinionem repugnet, nonne commendatur ab Apoſtolo in 2. ad Corinth. III. 12. ad Philipp. III. 14. ad Titum II. 13. aliiſque in locis compluribus? Præterea cum ſacri libri nos ad virtutum omnium exercitamenta exhortentur; nihil magis iniquum eſt, nihil ſceleſtius, quam indifferenter ſe gerere, & ſtudia bonorum operum relaxare: nec fruſtra alloquitur Paulus Philippenſes IV. 8. *Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate*. Quæ monita caritati repugnarent, ſi nobis fas eſſet in *puro* amore indifferenter *quieſcere*. Inſuper indifferentia iſta non caritatem purget, ſed trahit ad ſempiternum interitum omnium hominum genere. Enimvero ſi propriam infirmitatem ac patrata ſcelera minime penſitamus, prolabimur in perditionem; cujus primus gradus eſt diſſimulatio propriæ infirmitatis, alter ignorantia, qua vulnera animorum mortales non vident, tertius præſumptio, qua vulnera non eſſe contendunt, ut docet ſerm. 11. in Pſ. *Qui habitat*, S. Bernardus. Si vero dicamus accepta libertate ſpiritus neque nobis orandum, ut Deus nos adjuvet, ne peccemus; ſuperbia eſt Phariſæi, quam ut evitemus vehementer hortatur lib. 2. de Peccat. meritis cap. 5. ſapientiſſimus Auguſtinus. Quomodo ergo poteret in hominum mentem venire, niſi inſpirante dæmone, illud neſarium dogma: *Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet habere curam, nec de inferno, nec de paradiſo, nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem purgare debet*. At hæc eſt *Quietiſtarum* ſententia, ut liquet ex prop. 12. Molinoſii. Ad hæc: derelinquit quidem ad tempus cœleſtis Sponſus, ſubtrahitque conſueta ſpiritualis dulcedinis argumenta, incuſſo quoque reprobationis timore, prædilectis ſibi animabus; quemadmodum feciſſe traditur Florentinæ Sanctimoniali Mariæ Magdalenæ, quæ decus Carmeli eſt, Pazziorumque proſapiæ gloria immortalis. At id præſtat, ut tentationibus vexatæ præbeant exempla humilitatis ac patientiæ; neque illas penitus deſerit: neque purificatur amor certa perſuaſione reprobationis; hæc enim eſt Caini,

& Judæ peccatum, caritatem non purificans, ſed extinguens. Quare Thereſia cap. 17. Vitæ ſuæ ait, nunquam Chriſti ſponſam, animam caritate flagrantem, ſive in cælum, ſive in infernum abſque Sponſo cogitatione deſerri. Ea ergo derelictio, qua anima *puro* affecta amore etiam deſperando, ac ſe reprobatam invincibili perſuaſione credendo, ſuperiori parte Sponſo adhæreat, inferiori ſpiret atque tabeſcat, *fanatiſmus* eſt, ſingularîſque deceptio. Denique nullus amor eſt rectus, qui divinæ voluntati adverſetur. At hæc eſt voluntas Dei, ut abſtineamus ab omni immunditia, ut unuſquiſque vas ſuum poſſideat in ſanctificatione & honore, ut habentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, ſimus *ſolicitudine non pigri: ſpiritu ferventes: Domino ſervientes: ſpe gaudentes*; Ad Rom. XII. 11. Itaque quiſquis in ſtatu indifferentiæ pigritiam, teporem, ignaviam, deſperationem, aut turpitudinem aliquam approbat, ſpecioſo Caritatis nomine tranſgreſſionem divinæ voluntatis condecorat.

Opponebant *Quietiſtæ* exempla Chriſti, Moyſis, & Pauli: quorum primus in cruce a Patre derelictus clamavit, Matth. XXVII. 46. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Alter Exodi XXXII. 32. ait: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro viventium.* Tertius denique ad Rom. IX. 3. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis.* Igitur, *Quietiſtæ* ajebant, perfecta caritas omnem cum Chriſto patitur deſolationem, & cum Moyſe & Paulo etiam propriam reprobationem amori poſtponit.

At primum ab iis, qui in pravum ſenſum hæc exempla detorquent, petimus ubi eluceat hæc omnimoda indifferentia, ſi Chriſtus deſolationem illam refugit, & Moyſes ac Paulus tam vehementer dolent de cognatorum ſuorum ſcelere, & damnatione? Neque enim inferior illorum pars orabat; ſed ſuperior pro inferiore, quam afficiebat deſolatio, ac triſtitia. His ergo exemplis non trahimur ad indifferentiam, & *quietem*, ſed ad gemitum, & orationem, ut Deus ariditatem ac deſolationem noſtram diſſipet rore, ac dulcedine amoris ſui. Atque ita ſe geſſit S. Maria Magdalena de Pazziis, quæ in majori ſpiritus deſolatione magis lacrymabatur, & orabat, ut refert in ejus vita Vincentius Puccini cap. 38. & Act. Bolland. Tom. VI. Maji, cap. 6. Deinde non denegamus inferioris, ac ſuperioris animæ partium ſeparationem, cum ſermo Dei ſit *efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus*; ut inquit Apoſt. ad Hebræos IV. 12. ſed negamus poſſe in ſumma parte ſpiritus eſſe indifferentiam, quæ conciliari poſſit cum deſperatione, certaque perſuaſione reprobationis. De verbis Chriſti in Cruce pendentis, vide lib. XXVI. cap. 9. ubi demonſtro ſupplicem illam fuiſſe Orationem cum ſpe & fiducia conjunctam, & exclamaſſe tantum ob ea quæ patiebatur humana natura, nullum accipiens a divina pœnarum levamen. Sane deſperaſſe Chriſtum blaſphemia eſt hæreticorum; & aperte refellitur, ex quo Patri paullo ante ſpiritum ſuum commendaverit. Quantum ad Moyſen attinet; S. Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam cap. 9. illius verba interpretatur de occiſione corporis, & RR. Salomon, & Jonathan de libro Legis: & interpretatio Hieronymi liquet ex cap. XI. 15. Num. non enim aliquis de libro Prædeſtinatorum deleri poteſt; de qua re ſecurum fuiſſe Moyſen, & ratio commonſtrat, & Auguſtinus affirmat in Pſalmum CV. num. XI. Quare Eſtius cum Hieronymo ait Moſen locutum *de libro viventium hac vita præſenti*, tum in 1. diſt. 40. tum in loca difficiliora Script. Quamquam fieri poteſt, ut hæc Moyſes proloqueretur humano quodam affectu, rationi tamen non repugnante, ad confidentiam fiduciamque ſuam conteſtandam, ut Rachel marito Gen. XXX. 1. *Da mihi liberos, alioquin moriar*: qua loquendi conſuetudine amici familiariter uti ſolent, haud ignari nolle eos, a quibus impenſe diliguntur, ſe tanta anxietate torqueri. Atque hanc etiam reſponſionem tradit S. Pater q. 147. in Exodum. Utraque reſponſio aptari poteſt verbis Pauli, *qui optabat perire in carne, ut alii ſalvarentur in ſpiritu*; inquit eo loci Hieronymus. Videtur tamen Paulus revera loqui de ſeparatione, & exitio animæ, non enim ait duntaxat, Optabam *anathema eſſe*, ſed addit, *a Chriſto*: quare Chryſoſtomus negat Apoſtolum loqui tantum de corporis occiſione; & ſententia Chryſoſtomi multis aliis probatur. Verum nec Chryſoſtomus *Quietiſtas* juvat, nec ait poſſe aliquem reprobationem propriam expetere; ſed primo obſervat, in Græcis extare, non *Optabam*, ſed *optarem*, ηὐχόμην; deinde ait, precatam ſibi Paulum anathema, hypothetice, *ſi modo fieri poſſet* pro Dei gloria, ut ceſſarent Judæorum convicia. Vide Chryſoſt. in Paulum Tom. 1. pag. edit. Commel. 185. Senſus ergo Pauli eſt, Optarem diſcindi a Chriſto pro ejus gloria, ſi per legem, juſtitiamque Dei liceret: in quibus non deſiderium apparet reprobationis, ſed amantium emphaſis, commonſtrata etiam pronominis repetitione, ut adnotavit Eraſmus. Adde nonnullos caritate ſuccenſos exquiſita tormenta deſiderare, ut ipſorum aliorumque animæ ſummo bono agglutinentur: quo ſenſu ajebat Ignatius in Epiſt. ad Rom. n. 5. *Diaboli tormenta in me veniant, tantummodo ut Jeſum nanciſcar*; atque id non eſt propriam contemnere beatitudinem, ſed vehementius illam appetere.

PROPOSITIO III. Non repugnat caritati ſervare legem intuitu ſempiternæ mercedis.

Probatur primo ex Scripturis. David enim Pſalm. CXVIII. 112. ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.* Matth. VI. 10. Chriſtus illam nos orationem docuit, in qua dicimus, *Adveniat regnum tuum*; & verſ. 33. *Quærite*, inquit, *primum regnum Dei.* Apoſt. ad Coloſſ. 1. 4. 5., *Audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes, propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cælis*: atque ad Hebr. XI. 26. loquens de Moyſe, *Aſpiciebat enim in remunerationem.* Confirmatur ex Tridentino ſeſſ. VI. can. 31. *Si quis dixerit juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema ſit.* Corroboratur PP. auctoritate: Ambroſii ſcribentis lib. V. in Lucam cap. 6. *Studia virtutum ſine remuneratione torpeſcunt.* Auguſtini ſerm. 345. ſive 32. inter Sirmondianos, *O tu, homo, ſi titubas in re, eſto firmus in ſpe, ſi autem te opus turbat, erigat ipſa merces*: atque Eccleſiæ univerſæ in Natali Martyrum, *Tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia, ut hæredes fierent in domo domini.* Accedit poſtremo manifeſta ratio. Finis quippe bonorum operum eſt vita æterna, & hunc finem non ſibi conſtituit perverſa cupiditas, ſed ſtatuit divina liberalitas, proponit Evangelium, inquirit fides, præſtolatur ſpes, & inviolata juſtitia rependit. Quis autem dixerit nefas eſſe hunc ſibi finem præfigere tot, tantiſque titulis commendatum? Æquum eſt igitur pro conſecutione æternæ vitæ bonis operibus inſudare.

Dixi pro conſecutione æternæ vitæ, quam ſitam eſſe in Dei fruitione, non in qualibet re creata demonſtravi libro XXI. cap. 5. neque in dubium revocari poteſt, quin pervertat ordinem caritatis quiſquis Deo ſervit fallaci ſpe illectus, & intuitu temporalium fluxorumque bonorum. De iſtiuſmodi fine operantibus Auguſtinus ſerm. XXXI. in Pſ. 144. alias XX. de diverſis, num. 22. interpretatus verba Davidis. *Dextera eorum, dextera iniquitatis*, ſcribens: *Dexteram enim iniquitatis dicit felicitatem hujus ſæculi: non quia non invenitur apud bonos, ſed boni quando illam habent, in ſiniſtra illam habent, non in dextera. Felicitatem perpetuam habent in dextera, felicitatem temporalem habent in ſiniſtra. Cupiditas autem rerum æternarum & felicitatis æternæ non debet miſceri cupiditati rerum temporalium, ideſt felicitatis præſentis, & temporalis.* Atque illa æterna felicitas merceſque Sanctorum, nihil aliud eſt præter ipſum Deum, animorumque noſtrorum perpetuam cum illo unitionem. Quare idem Deus Gen. XV. 1. ait Abrahæ, *Ego merces tua magna nimis.* Ad hanc mercedem excitandum eſt deſiderium illorum, qui nullum aliud præmium ſibi repromiſſum opinantur, quam cæleſte domicilium, ſocietatem angelorum, & corporum immortalitatem: hæc enim conſectaria ſunt longe melioris felicitatis, quæ ſita eſt in Dei perfecta contemplatione, & jucundiſſima caritate: atque hujus intuitu bonis operibus danda eſt opera, aliaque bona, non niſi ut medium, quo ad illud ſummum & incommutabile pervenitur, a nobis ſunt appetenda.

At objiciunt I. Amor perfectus eſt amor gratuitus, nec quærit caritas, quæ ſua ſunt. At qui operatur intuitu mercedis, non amat gratis, & quærit quæ ſua ſunt. Non ergo recte diligit. II. Amor, qui proprium commodum ſpectat, eſt amor concupiſcentiæ, non caritatis. Qui autem æternam mercedem expectat, propriam diligit utilitatem. Igitur non caritate flagrat, ſed amore concupiſcentiæ. III. Quamvis juſta merces poſſit & peti, & deſiderari; magis tamen commendandus eſt amor liberalis, qui nullum impenſi operis præmium quærit. Licet ergo fas eſſet operari propter retributionem; perfectius Deum amat qui ejus retributionis ſpem abjicit.

Reſp. ad primum negando minorem: gratis enim amat, qui nullam aliam quærit mercedem præter bonum ipſum quod amat; quia tunc nulla alia re, niſi bono quod amat, delectatur ac fruitur. In hoc enim ſita eſt natura amoris gratuiti, ut S. Pater Auguſtinus explicat ſerm. 340. alias 39. inter additos a Sirmondo, ubi ait: *Et tamen quia gratis amamus, quia oves paſcimus, mercedem quærimus. Quomodo fiet iſtud? quomodo convenit, Gratis amo, ut paſcam, &, Mercedem poſco, quia paſco? Nullo modo fieret hoc; nullo modo merces quæreretur ab eo, qui gratis amatur, niſi merces eſſet ipſe qui amatur.* Habentur ſimilia Tract. 51. in Joannem, & in Pſalm. 53. Imo niſi ſit ſpes adhærendi firmiſſima caritate ſummo Bono, in qua adhæſione conſiſtit beatitudo, non erit amor gratuitus, quia verus & caſtus amor percipi nequit ſine boni incommutabilis aut deſiderio, aut fruitione. Qui ergo non habet ſpem beatitudinis, perfecte non amat, quia non deſiderat frui ſummo bono. *Frui enim eſt amore inhærere alicui rei propter ſeipſam*: inquit Sanctus Pater lib. 1. de Doctrina Chriſt. cap. 4. Recte S. Thomas conſimili argumentatione probat 1. 2. q. 65. art. 5. non dari veram ſine ſpe (in hac vita) caritatem. Etiam S. Bonaventura in III. diſt. 26. art. 1. q. 1. docet gratuitum amorem non expectare temporalem mercedem, at non ita ratiocinandum de gloria æterna. *Quia maxima caritas maxime deſiderat uniri Deo.* Hinc Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. cap. 8. eos qui dicunt, *Diligimus Deum, ſed non quærimus* præ-

Google

præmium, ne mercenarii ſimus, ait eſſe *tam ſtultas, ut ſe ipſas non intelligant*, aedem producta rationa, quoniem, *ſi aliud quæreres ab ipſo, gratis non amares: ſed non amares, ſi non deſiderares*. Atque his diluitur atiam tertia objectio.

Ad 2. reſpondemus hoc *concupiſcentiæ* nomea ſignificare tam pravum, quam rectum deſiderium, ut explicavimus Tom. I. p. 320. aegamus aatem amorem *concupiſcentiæ*, ſive ſpei, qui fertur in ſempiternam felicitatem, tendere in creaturam rationalem tamquam in ultimum finem. Qui enim finem amoris, quo Deum diligit, in propria utilitate conſtituit, impius aſt, & ſacrilegus: & amor ſpei, quem dicimus amorem *concupiſcentiæ*, debet eſſe amor *concupiſcentiæ* in finem ultimum directæ, ita ut propriam felicitatem quiſque amat comparate ad Deum, ut ſcilicet ipſi amore jucundiſſimo inhæreat. Ita docet S. Franciſcus Saleſius lib. II. de Divino emore cap. 17. Quare emor concupiſcentiæ, & ſpei, qui fertur in propriam beatitudinem, ac poſſet in pravum finem deflecti, non defectu ipſius ſpei, ſad vitio ſperantis, dirigi debet caritate, ita ut præcipous finis ſis Deus, idaſt, ut diligamus quidam æternam vitem, ſed intentione adhærendi Deo ſummo, & incommutabili bono. Id vero fit, quando petimus os regnum Dei adveniat, non ut Deus mutetur in nobis, veluti dum appetimus cibum; ſed ut nos immutemur in Deo, & in ipſo vivamus, perficiamur, beatificemur; eumdemque perpetuo contemplemur, & diligamus. Quapropter ſicut dum appetimus eibum, ut convertatur in carnis noſtræ ſubſtantiam, illum appetimus cauſſa noſtri; ita dum æternam expetimus feliciratem, ut nos caritata convertamur in Deum, tenet ipſe Deus ultimi finis, ac primæ cauſæ rationam. Docuit nos hanc præclaram doctrinam S. Pater Auguſtinus ſcribens lib. VIII. Confeſſ. cap. 10. *Inveni longe me eſſe a te in regione diſſimilitudinis, tamquam audirem vocem tuam de excelſo, Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me: nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me*. Legite librum inſcriptum *Les veritables maximes des Saints*, editum Pariſiis anno 1699. adverſus illum, quem ante duos annos evulgeverat Archiepiſcopus Cameracenſis.

CAPUT XVII.

De Amore proximi, & ordine Caritatis.

CARITATIS *ſecundarium objectum* eſſe proximum, liquet ea præc. cap. 14. ac proximum diligendum eſſa propter Deum, demonſtrat ipſemet ordo caritaris. Inſinuatur præceptum dilectionis proximi Levit. XIX. 18. Matt. XXII. 39. Joannis XIII. 34. & Epiſt. I. cap. IV. 21. aliiſque in locis compluribus. Exercetur autem cum proximo caritas, dum hoc cum eo agitur, ut etiam ipſe toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum, juxte Auguſtini doctrinam in I. de Doct. Ch. cap. 22. Decipitur quiſquis putat ſe proximum diligere, dum eaterna tantum amoris exhibet argumenta, neque illum interno affectu proſequitur: quæ falſae opinio, ut diximus cap. 15. ab Innoc. XI. proſcripta fuit. Nam primo caritas non aſt, quæ ex corde non oritur; ſed caritetis diſſimulatio, improbata ab Apoſtolo 2. ad Corinth. VI. 6. Deinde præcepta recto fine ſervari debent; atque non habetur finis rectus abſque caritate ſinceri cordis, auctore eodem Apoſtolo I ad Timot. I. 5. Præterea niſi omnia membra compatiantur & congaudeant, quod non fit abſque interiori amoris ſenſu, aut mortua ſunt, aut eſt in corpore ſchiſme, ut inquit idem Apoſtolus cit. Ep. ad Corinth. XII. 25. Igitur non *verbo, vel lingua* diligeadus eſt proximus, *ſed*, (inquit Joan. I. Ep. III. 18.) *opere & veritate*; ideſt, cum ſinceritate cordis, tum operum exhibitione. Quænam ſint hæc opera novit quiſque puerulus ex Chriſtianis catecheſibus: nec paucioribus verbis queunt ad memoriam revocari, quam vulgari diſticho:

Viſito. Poto. Cibo. Redimo. Tego. Colligo. Condo.
Conſule. Carpe. Doce. Solare. Remitte. Fer. Ora.

Dixi pag. 178. cur letum non ſit ſpeciale præceptum diligendi ſeipſum: ſed hoc comprehendi in dilectione proximi facile demonſtratur, quoniam cum dictum eſt, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, ſimul & tui abs te dilectio non eſt prætermiſſa. Deinde ille ſe ſatis diligit, qui ſedulo agit, ut ſummo & vero perfruatur bono: ideoque actum ſatis de amore ſui ipſius, ubi præſcriptus eſt amor Dei; ille quippe ſolus ſe novit diligere, qui Deum diligit. Agnoſcis, opinor, ſcita S. Patris ex I. de Doct. Chriſt. cap. 26. & ex libro de Morib. Eccl. cap. item 26. mutuata. Niſi homo ſeipſum diligat, ut perfecto amore inhæreat Deo; erit amor, qui tantum differt e caritate, quantum a virtute vitium, eritque cupiditas radix malorum, quæ non habet Deum creatorem, ſed hominis deceptorem. Appellari ſolet *amor proprius*, quo homo vel ſe, vel quæ ſunt extra ſe, diligit propter ſe. Ne ſubrepat tam pernicioſus amor; gaudendum hominibus de prole temporali, ſi ſpiritu junguntur Deo, ut docuit Chriſtus, quando mulier clamavit, *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*, Lucæ XI. 27. Lucere debet ſplendor doctrinæ, vel probitatis; ut quibus lux illa affulget, *glorificent patrem, qui in cælis eſt*: ait idem Chriſtus Mat. VI. 16. Laudanda eſt animorum virtus, corporum pulcritudo, decus auri, *cum pietate venerandi Creatorem, non cum libidine poſſidendi creaturam*: inquit S. Pater lib. IV. contra Julian. cap. 14. num. 66. Contemnendum denique quicquid ad Dei caritatem non refertur, divitiæ, fama, incolumitas, cultuſque literarum: nam & improbus amator Nemeſis ajebat Elegie 4. libri II.

Ite procul Muſæ, ſi non prodeſtis amanti.

Teſtent in proximorum ordine priorem locum Parentes; quorum tamen amor divino præferri non debet, cum & illos præcipiamur deſerere, quando in via ſalutis experimur adverſarios. Videſis IV. præcepti exegeſim pag. 192. In hac dilectione præſertim ſervandus eſt ordo amoris commendatus in Cant. II. 4. quia in diligendis parentibus, filiis, uxore, ſolet carnalis amor motus vividiores excitare. At memoria repetendum, eſſe nobis Patrem alium, quem oratione quotidiana commemoramus, ſuam nobis hæreditatem cæleſti in patria ſervantem. In hoc præcellit Genitores, quod hi patres quidem ſunt carnis noſtræ, at Deus eſt Pater ſpirituum, ideoque huic *multo magis obtemperabimus*, ait Apoſt. ad Hebr. XII. 9. Præterea genuerunt nos homines, at non formarunt, ignorantes quis, aut qualis eſſet eorum ſemine naſciturus; unde pia Machab. parens 2. lib. VII. 22. ajebat: *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi*. Deinde homines genuerunt filios morituros, Deus creavit in æternitate manſuros. Patres nutriverunt natos, ſed non de ſuo panem pro eſurientibus inſtituerunt; ſed Deus panem de terra produxit, ac terram ipſam frumenti altricem a nihilo. Genitores denique filios hæredes inſtituunt dum moriuntur, eoſque derelinquunt; ſed Deus poſt mortem filios ſuos in hæreditatem aſſumit nunquam poſtea derelicturus. His argumentis demonſtrat Auguſtinus ſerm. 344. alias 31. inter Sirmondianos, quanta cura amor parentum ſit dirigendus in Deum.

Aſſerendum idem eſt de amore parentum erga filios. Ut enim Deus demonſtraret quanta ipſe præ filiis caritate ſit diligendus, præcepit olim, ut ſibi offerreatur primogeniti, qui ſolent impenſius amari. Extat hoc præceptum Exodi XIII. 2. exemplaque Samuelis I. Regum I. 25. Sampſonis Judicum XIII. 7. Joannis Baptiſtæ Lucæ I. 15. Si ergo filii declinent a via Domini, corripiendi ſunt, eliſiſque flagellis plectendi, ne genitoribus fiat ſevera objurgatio, infereturque ſupplicium lib. I. Regum cap. IV. ob nimiam indulgentiam inflictum Heli. In eodem libro Regum cap. VI. legitur vaccas, clauſis domi vitulis, dum plauſtrum cum arca deferrent iiſſe in directum pergentes, & mugientes, & non declinantes ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Præclarum quod erga filios imitentur patres exemplum, omnem rei domeſticæ curam dirigentes in Dei gloriam, neque ob filiorum gemitus vel inopiam a recto caritatis ordine declinantes.

Uxorem diligendam habemus in ſacris litteris Gen. II. 24. Matth. V. 32. ad Coloſſenſes III. 19. & nihil utilius, quam vir & mulier bene ſibi conſentientes, docet Eccl. XXV. I. Licitam eſſe humanam erga conjuges caritatem ob vinculum glutenque neceſſitudinis, & adeo licitam, ut ſi defuerit reprehendatur, demonſtrat S. Pater ſerm. 349. alias 52. de tempore num. 2. At optime advertit caritatem iſtam poſſe eſſe etiam impiorum, paganorum, Judæorum, hæreticorum. Idcirco diſtinguit eo loci caritatem humanam licitam, illicitam, & divinam. Humanam appellat, quam exigit naturæ neceſſitudo, ſentiuntque etiam aſpides, tigrides, leones: illicitam eam dicit, qua una fit caro in permixtione meretricis, & amatoris; non enim locum habet in viro & uxore, ubi licet, ubi conceſſum eſt, ubi honeſtum eſt: ſed ubi turpe, ubi illicitum, ubi damnabile: divinam illam, quæ cum humana licita permanat, ſed amat conjugem, filioſque ſecundum Chriſtum, ſecundum Deum ais conſulent, & in ais odio habens, ſi Chriſtum habere noluerint. Scripſi nonnulla de hujuſmodi honeſto, divinoque amore Tom. II. pag. 121. Legi poterit Ludovicus de Ponte de Chriſtiana perf. Tom. 2. Tract. V. Apoſtolus ad Epheſios V. ait diligendam a viro uxorem, ut diligitur a Chriſto Eccleſia, atque ut diligitur corpus ſuum: ſcilicet, ut ſtudeat ejuſdem ſaluti, neque ullis immunditiis eam polluat, aut pollui ſinat, quemadmodum Chriſtus ſanctificavit Eccleſiam mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut eam ſibi exhiberet non habentem rugam, neque maculam. Exemplum autem corporis eo ſpectat, ut quemadmodum caput corpori, ita vir uxori ſalutaria ac neceſſaria provideat. Quare prior mariti inſpectio eſt, ut uxor vitam ducat probam, honeſtam, mundiſſimam.

Refelluntur tam expreſſa Apoſtoli doctrina, qui poſt Nicolaitas probantes promiſcuum uſum mulierum, aſſeruerunt licere uxori viro conſentiente alteri ſeipſam ſubmittere: quod tam abſurdum eſt, quam opinari, an Chriſtus queat tradere diabolo Eccleſiam ſuam. Adverſus obſcenos illos conclamant fœdiſſima adulterii flagitia: quæ damnat lex naturæ, nec ignota Ciceroni libro 2. de legibus, Horatio libro I. ſerm. Sat. 3. & Ulpiano adulterium recenſente *inter probra*

natura turpia: damnat lex divina Exodi xx. 14. Matth. v. 32. Ad Theſſalonicenſes prima iv. 4. damnant humanæ leges citatæ libro xx. 20. damnat Auguſtinus ſerm. 9. de decem Chordis num. 11. ſerm. 51. num. 22. lib. 1. de ſerm. Dom. in M. cap. 16. ac in 1. de libero arb. cap. 3. num. 6. Auguſtino conſentiunt alii Patres apud Nat. Alex. diſſert. xiii. primi Sæc. Accedunt illata marito injuria, morum corruptela, confuſio prolis, ac patrimoniorum alienatio. Adde quæ conſequuntur ſcelera, tum veneficia ad partum abjiciendum ne formæ diſſimilitudine prodant maternum crimen, tum virorum cædes, ut Candaulis Lydii, Agamemnonis, Fabriciani, Argyropili, ac ne aliunde petamus exempla, quam ex hiſtoria ſacra, Uriæ. Demum adulterii turpitudinem confirmant condigne mulctati auctores, necati ab Hippomene juncti curribus, cæſi mille plagis, ſectione ab Ægyptiis, Romæ præcipitati e Tarpejo, obruti Hebræorum lege lapidibus. Legite Heraclidem, Briſſonium, & Laurentium Lucenſem, vi. & viii. Volum. Græc. Antiq.

At Jacobus Platelius in Synopſi pag. edit. Duac. 159. ſcribit Auguſtinum lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 29. non audere peccati damnare eum, qui ad evadendam mortem uſum uxoris ſuæ alteri viro permiſerit. Paucis excutiendus Platelii error. Primo citato cap. 29. num. 16. S. Pater ait: *Sed non ita eſt æſtimandum, ne hoc etiam femina viro permittente facere poſſe videatur; quod omnium ſenſus excludit: quamquam nonnulla cauſſa poſſint exiſtere, ubi & uxor mariti conſenſu pro ipſo marito hoc facere debere videatur.* Quorum verborum ſenſus eſt, nunquam eſſe licitum conſentiente marito uxorem adulterari, quoniam, tametſi videatur id aliquando exigi ab amore maritali ad ſalvandam conjugis vitam, id tamen *OMNIUM SENSUS EXCLUDIT*, ut pro vita corporis anima fornicationis crimine commaculetur. Deinde affert quod imperante Conſtantio narrabatur contigiſſe Alexandriæ circa annum 343. excuſatque amorem mulieris, quæ non libidinis cauſſa, ſed ut vitam mariti redimeret, eo jubente, ſui copiam fecerat Acindyno. Tum facto narrato: *Nihil*, inquit, *in alteram partem diſputo, liceat cuique æſtimare quod velit; non enim de divinis auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt, ſed tamen narrato hoc facto, non ita reſpuit hoc ſenſus humanus quod in illa muliere viro jubente commiſſum eſt, quemadmodum antea cum ſine ullo exemplo res ipſa poneretur, horruimus.* Quibus duo affirmat: unum, nolle diſputationem inſtituere de veritate hiſtoriæ quæ negari poſſet; cum non ſit e ſacris libris deprompta: alterum hoc factum non *ita* horrorem incutere, ut adulteria patrata abſque ullo mortis diſcrimine, neque illud *ita* reſpui ab humano ſenſu; reſpui tamen, quia omne adulterium *omnium ſenſus excludit*. Accurate iſta notanda ſunt, nam alii cum Platelio mentem Auguſtini non perceperunt. At legite Norbertum Elbecque in diſſert. Theolog. de Advert. req. ad peccandum pag. 210.

Quæ dixi de amore conjugum, eadem affirmo de dilectione omnium propinquorum & amicorum: hos enim recte diligimus, dum recti rerum æſtimatores ordinatam habemus caritatem, non æque diligentes quod vel minus vel amplius diligendum eſt, omniaque diligentes propter Deum, Deum vero propter ſeipſum. Vid. Aug. in 1. de Doct. Chriſt. cap. 27. At religioſi fratres etiam majori, quam fratres carnis, ſunt amore diligendi, propterea quod inſtitutæ ſunt cœnobiorum regulæ, ut imitemur Chriſti diſcipulos, & naſcentis Eccleſiæ fervorem, atque mutua dilectione gratiæ ſpiritum foveamus & augeamus, ut Chriſtus præcepit Joan. xiii. 34. Quo in loco caritatis ordinem non prætermiſit, ſed præcipiens ut diligamus invicem, ſicut ipſe dilexit nos, oſtendit fratres diligendos propter Deum, illorumque ſalutem exemplo Chriſti curandam, ut una fruamur Patris hæreditate, quam nobis Salvator tanta dilectione promiſit, acquiſivit, diſpoſuit. Habet hæc fraterna caritas perfectionis ſuæ formam, ſi, quantum ad animum ſpectat, idipſum dicamus omnes, in *eodem ſenſu, eademque ſententia*: quantum ad corpus attinet, *habentes alimenta, & quibus tegamur*, his contenti ſimus: quantum ad officiorum munera, exequamur omnia *ſine murmurationibus & hæſitationibus*. Tradidit hæc præcepta Apoſtolus 1. ad Corinth. 1. 10. Prima ad Timoth. vi. 8. ad Philip. ii. 14. ut diligentius ſervanda ſunt, quam vota ſcribentis carmine cvii. ad Leſbiam,

Ut liceat nobis tota producere vita
Alternum hoc ſanctæ fœdus amicitiæ.

Diligendi præ ceteris pauperes, ſubſidioque eleemoſynarum juvandi. Nil vehementius urgent ſacræ literæ: nam largiri eleemoſynam Eccleſiaſticus iv. 8. appellat *reddere debitum*: ſemen illam eſſe gratiarum ac repromiſſæ benedictionis, teſtatur Apoſtolus 2. ad Corinth. ix. 6. non poſſe Deum diligere, qui habens hujus mundi ſubſtantiam non ſublevat pauperum indigentiam, docet Joan. 1. Ep. iii. 17. de hoc præſertim in extremo judicio reddendam eſſe rationem, liquet ex Mat. xxv. 42. Pluribus argumentis eamdem eleemoſynam inculcant Patres: Baſilius hom. adverſus divites, in quo meminiſſe oporteat communis naturæ: Chryſoſtomus hom. 2. de Lazaro, ex quo rapina ſit ſuperflua denegare iis, pro quorum neceſſitate nobis collata ſunt: Auguſtinus tract. 5. in Epiſt. Joan. ex quo divites ac pauperes redempti ſint uno pretio: Thomas de Villanova Conc. de Divo Martino, ex quo tenacitas convincat incredulitatem noſtram, & exprobret maximam erga bonorum omnium largitorem, ingratitudinem. Veterum quoque Gentilium legibus filii pauperum ac divitum eodem cibo alebantur, nec fas erat publice feſtum agere, niſi iis, qui omnibus vici ſui pauperibus proſpexiſſent. Legi poterit in Strenarum hiſtoria Lipenius.

Quæri ſolet, qui ad faciendam eleemoſynam teneantur, quid debeant elargiri, & quibus mendicis. Tenentur ii, quibus eſt liberum diſtribuendarum rerum dominium: unde uxor, filiique ſuppetiri non poſſunt, niſi quæ iis, ut impendant pro libito, conceduntur, ut ſunt in conjuge *paraphernа*, ideſt, quæ ſponſo dantur præter dotem; & in filiis familias *caſtrenſia*, ſcilicet, quæ aut ex officinis, aut in militia acquiruntur. Utrique tamen diſtribuere poſſunt, quæ Rector domus tacita conſenſione permittit, nec gravans familiam inopia. Idem aſſerendum de iis, qui voto paupertatis ſeſe obſtrinxerunt: in quibus tamen animadvertendum eſt, cedere quicquid acquirunt in jura communitatis. Diſtribuendum autem eſt *quod ſupereſt*, ex cap. xi. Lucæ 11. & xi. 41. at non quod ſupereſt cupiditati, & avaritiæ, cui nihil ſupereſt; nunquam enim impletur avaritiæ cupido, ut inquit cap. v. 9. Eccleſiaſtes. Quærendum igitur quod ſufficiat operi Dei, non quod ſufficiat cupiditati, ut inveniantur ſuperflua pauperibus eroganda, juxta Auguſtini præceptionem in Pſalmum cxlvii. n. 12. Quicquid poſſidetur mala fide, aut furto, aut otioſo ludo comparatum, clamat ad Dominum; neque poteſt pauperibus erogari: nam ſcriptum eſt, Tob. iv. 7. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam*, & Prov. iii. 9. *Honora Dominum de tua ſubſtantia:* Falluntur ergo qui ad pecuniam iniquitate acquiſitam referunt ea verba Lucæ xvi. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; nam eo ſenſu *mammona iniquitatis* dictum eſt, quo *dextera iniquitatis*, cap. præcedenti: quia nempe divitias hujus ſæculi *habent etiam iniqui*. Ita Auguſtinus ſerm. 41. num. 6. & 49. num. 11., aut quia umbræ divitiarum ſunt, non veræ divitiæ, & in illis ſolis iniqui *conſtituunt ſpem, atque copiam beatitudinis ſuæ*; inquit idem Auguſtinus lib. 2. qq. Evang. q. 34. Demum eroganda eſt eleemoſyna pauperibus etiam improbis, neque evertenda facies *ab ullo pauperum*, ut inquit eodem loco Tobias; ut quoniam *multam malitiam docuit otioſitas*, auctore Eccleſiaſt. xxxiii. 28. contingere poteſt, ut melius ſit erroneos in operationem mittere, quam ſovere beneficiis acediam.

Eleemoſynarum ordo eſt, ut prius quiſque ſibi victum, & veſtitum provideat *ſufficientem ac mediocrem*, non delicioſum ac pompoſum: deinde parentibus, ſi pauperes ſint, quantum prævalet, largiatur: poſtea ſervos, & ancillas nec eſurire, nec algere permittat: poſthac quicquid, excepto mediocri, & congruo victu, & veſtitu, ſive de militia, ſive de agricultura, ſive aliunde provenerit, tanquam Chriſto petenti, & eſurienti, pauperibus humiliter, hilari vultu, ac profuſa beneficentia diſtribuat; eo quidem fine, ut orationes ejus exaudiantur, vita commutetur in melius, deleantur mala præterita, adveniatque ſempiterna felicitas. Hæc ex Auguſtino epiſt. 243. num. 12. ſerm. 39. num. 6., & lib. 2. de ſerm. Domini in M. cap. 2. quibus & caritas erga proximum, & hujus caritatis ordo explicatur, *breviſſimis teſtimoniis, ſed niſi fallor, idoneis, & quibus ſuſceptæ rei ſatisfiat*. De morib. Eccl. Cath. cap. xxvi. num. 50.

CAPUT XVIII.

De dilectione inimicorum, necnon de bello, & monomachia.

INIMICORUM quoque dilectionem eſſe in præcepto, liquet ex Matth. v. 44. ubi Scribis interpretantibus verſum 18. cap. xix. Levitici, *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum*, de ſolis Judæis, ac ſibi ſanguine ac progenie conjunctis, ait Chriſtus, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*: non novam legem ferens, ſed interpretans veterem, in qua præſcriptam etiam dilectionem inimicorum, haud obſcure colligitur ex cap. xxiii. 5. ubi præcipitur ſublevandum & aſinum odientis jacentem ſub onere. Infertur eadem inimicorum dilectio ex Matth. vi. 12. ubi oratione dominica petitur debitorum dimiſſio ea pactione, ut pariter homo dimittat injurias odio habentibus. Eamdem urgent Paulus ad Rom. xii. 17. ac Petrus in priori Epiſtola, iii. 9. Patres, ac Theologi omnes, docentes teneri nos ad exhibenda hoſtibus communia dilectionis officia; cum externa ſalutationum, hortationum, eleemoſynarum; tum interna affectus, compaſſionis, & precum. Quod & rationi conſentaneum eſt, quia habent nobiſcum communem naturam, quia eodem pretio redempti ſunt, quia eamdem hæreditatem expectant.

Si forte objicias, præcepiſſe Dominum Deut. xx. 17. ut Hebræi omnes hoſtes in ore gladii interficerent, neque fœdus cum Amalecitis unquam inirent. Eſt in prompta reſponſio, quod bellum erat adverſus idololatras,

quos

Digitized by Google

quos Dominus juſſerat delendos, Amalecitas quidem, quod populum Iſrael proficiſcentem in terram Chanaan injuſto bello laceſſirent; Amorrhæos, alioſque idololatras, quod abominationes Deorum ſuorum promoverant. Neque enim caritati repugnat gerere juſtum bellum, præſertim ſi intersit religio, & reipublicæ cauſſa; ſed caritas, quæ præcipit ut diligatur inimicus, præſcribit etiam, ut majus bonum præferatur minori. Quare de bello hic breviter acturi ſumus, maxime quod illicitum dixerint Manichæi, Anabaptiſtæ, atque Eraſmus: quos refellunt cum omnibus Theologis Bellarminus Controverſia v. lib. III. cap. 14. Eſtius in 3. diſt. 37. §. 20. Lupus de antiq. diſc. Chriſt. milit. Stephanus Valentinus de Juſto Bello, Abulenſis in Deuter. nec non Hugo Grotius de Jure belli & pacis lib. 2. cap. v. At hic videtur nobis pingere virtutem Gentilium, dum probat licitum eſſe tractare arma, ex quo principium juſte ſit ſludere propriæ conſervationi; ac oratorem agere, non philoſophum, dum argumentum petit ex armis brutorum, tot poetarum accitis teſtimoniis. Bruta enim utuntur armis, quia ratione carent, nec homini fas eſt vim adhibere, ſi hoſtem compeſcere poſſit ratione. Imo & Gentiles vitam profuderunt pro incolumitate Reipublicæ, quo titulo laudantur; tametſi fuerit hæc virtus inanis, & gloriæ cupiditate marceſcens. Hinc merito Grotius in pluribus a Joanna Feldeno refellitur.

Prænotandum eſt autem tria ad juſtum bellum requiri, legitimam auctoritatem, ordinem æquitatis, ac rectitudinem intentionis. Adeſt legitima auctoritas, dum bellum ſuſcipitur, *ſive Deo, ſive aliqua legitimo imperio jubente*, inquit S. P. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. & cap. proximo, *Suſcipiendi bellum auctoritas atque conſilium penes principem ſit*. Eſt ordo æquitatis, ſive juſta cauſſa, dum bellum geritur, *vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad ſubjugandam mortalium ſuperbiam*, inquit eo loci Auguſtinus, idest, dum homines impii aut Religionem perturbant, aut contra mores peccant, aut patriam libertatem invadunt, nec poſſunt ratione frenari, ut explicat Reginaldus Polus S. R. E. Cardin. in Epiſt. ad Philippum Angliæ Regem ſcripta, dum huic Julius III. R. P. enſem ac pileum dono mitteret, nec non Oratione habita in funere Nannis Strozzæ vir eloquentiſſimus Leonardus Aretinus. Rectus finis eſt, *ſi totum bellum agit ratio, & nihil ſibi vindicet furor*, ut inquit Hugo Floriacenſis in Miſcel. Baluz. lib. IV. pag. 42. ſcilicet, ſi nequaquam interſit *nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi*, ait S. P. Auguſt. cit. cap. 74. & Cap. *Quid culpatur*, XXIII. quæſt. 1. ſed pugnetur pacis ſtudio, ut mali coerceantur, ac boni ſublaventur, ut docet idem Auguſt. Epiſt. 189. num. 6. & Cap. *Apud veros*, citata Cauſſa XXIII.

PROPOSITIO I. Dummodo interſint hæ conditiones, fas eſt Chriſtianis bellum gerere.

Demonſtratur primo. Niſi enim bellum eſſet aliquando licitum, nunquam Deus bellandi jura præſcripſiſſet, neque bellatores viri in ſacris libris, atque ab Eccleſiæ Patribus ſummis laudibus cohoneſtarentur; ſed eſſet Deus veteris Teſtamenti auctor diſſenſionis, ac malus: Moyſes vero, Joſue, Gedeon, Machabæi, aliique fortiſſimi viri improbi, ac ſceleſtiſſimi. At ipſe Deus Deut. XX. bellandi præſcripſit leges; & qui adverſus hoſtes ſalva æquitate præliarunt, commendantur ab Eccleſiaſtico 46. ab Apoſtolo ad Hebræos 11. ab Ambroſio lib. 1. de Officiis cap. 4. atque ab Auguſtino citato libro XXII. adverſus Manichæorum criminationes vindicantur. Licitum eſt ergo, & aliquando neceſſarium cum hoſtibus dimicare. II. Ne quis putet aliud in Evangelica lege, aliud in veteri fuiſſe jus belli; Lex Moyſis in iis, quæ cum lege naturæ habet communia, ac ſpectant ad civicam pacem, tutelam populi, & improborum vindictam, viget adhuc; ideoque ut Moyſes Amalecitas multitudini vim inferentes, ut Joſue Amorrhæos, Jephte Ammonitas, Sampſon & David Philiſthæos oppugnarunt; fas nunc erit Chriſtianis principibus infideles aggredi, hoſtes pellere, tumultuarios compeſcere. III. Joannes Lucæ III. 14. interrogantibus eum militibus, quid ipſis agendum eſſet, *quia ſciebat*, inquit Auguſtinus cit. cap. 74. *non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, non ultores injuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicæ defenſores*; non reſpondit, *Arma abjicite, militiam iſtam deſerite, neminem percutite, vulnerate, proſternite neminem*: ſed inquit, *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris*. Chriſtus pariter Centurionis dicentis Matth. VIII. 9. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, &c.*, ut ibidem S. Auguſtinus animadvertit, *fidem laudavit, non illius militiæ deſertionem imperavit*. Idem contigiſſe Cornelio liquet Act. cap. 10. Joannes ergo, Apoſtoli, Chriſtus militiam non prohibuerunt. IV. Finis præcepti non eſt res illicita, ſed provehens communem utilitatem caritas. At Chriſtus præcepit Matth. XXII. 21. ut tributa pendantur Cæſari; & iccirco tributa præſtantur, quoniam principes miniſtri Dei ſunt, & gladium portant tamquam vindices in iram iis, qui malum agunt, auctore Apoſtolo ad Rom. XIII. 4. 6. Unde Auguſtinus ibidem, *Ad hoc enim tributa præſtantur* (inquit) *ut propter bella militi ſtipendium præbeatur*. Bellare ergo fas eſt, alioqui injuſtum foret tributa & vectigalia perſolvere. V. Nunquam ab Eccleſia ob ſolam militiam fuerunt fideles rejecti, ac objurgati; ſed militibus baptiſmum petentibus hoc injunctum tantummodo, ut ab immolationibus & venationibus abſtinerent ſuis contenti ſtipendiis. Vide Apoſtolic. Conſtit. lib. VIII. cap. 32. Militaſſe in caſtris Decii, Valeriani, Maximiani, Licinii Chriſtianos milites probatiſſimos, nec cingulum abdicaſſe, niſi ubi traherentur ad ſimulacra, narrant Sanctorum Acta. Precibus Chriſtianorum militum ſub Aureliano Imperatore impetratum imbrem, narrat in Apolog. Tertullianus. A Romanis Pontificibus ſolemni ritu benedici enſem, & dono mitti imperatoribus militum, conſtat ex 2. p. Pontif. VI. Tandem ipſe caritatis ordo aliquando poſtulat, ut bellum geratur: primum, quia juſtiſſimæ rationis imperium eſt ſceleratos punire; ut docet S. Pater lib. 1. de Civit. Dei cap. 21. poteſt autem contingere, ut niſi armis arceantur, conveniant prædonum manus, irruatque ſcelerum omnium illuvies. Deinde etiam hoſtibus aliquando conſulitur infeſtis pugnis: quia *debilitata membra, quibus non bene utebantur, ceſſabunt a malo opere*: cap. *Si quis*, XXIII. q. 2. Denique ſine hoſtium everſione haberi nequit Reipublicæ ſalus, & civium tranquillitas: ideoque dum pacem habet voluntas, indicit bellum neceſſitas, ac ſervata æquitate pugnatur, *ut liberet Deus a neceſſitate, & conſervet in pace*, inquit S. Pater in Epiſt. ad Bonifacium Comitem 189. alias 205. n. 6.

Opponunt adverſarii I. quod lex Chriſtiana præcipit ne reſiſtamus malis, Matt. v. 39. ne malum pro malo reddamus, ad Rom. XII. 17. ne militemus ſecundum carnem, 2. ad Corinth. X. 3. ne ſit nobis adverſus carnem & ſanguinem colluctatio, ad Epheſ. VI. 12. II. quod nobis imitanda ſit Chriſti manſuetudo, & implendum ſub Evangelio propheticum vaticinium Eſaiæ II. 4. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces*. III. quod ex Canone Nicæno indicta ſit decem annorum pœnitentia iis, qui depoſito militari cingulo redeunt ad militiam. IV. quod Patres bella damnent tamquam cædium, rapinarum, omniumque flagitiorum diluvium.

Sunt hæc omnia faciliimæ expeditionis. Ad primum enim reſpondemus Mat. v. & ad Rom. XII. prohiberi privatam vindictam, non bellum ſuſceptum legitima auctoritate imperante: in 2. autem ad Corinthios nobis præcipitur, ne vivamus ſecundum deſideria carnis, & more politicorum; ac in Epiſtola ad Epheſios admonemur graviora eſſe certamina, quæ nobis ſunt cum immundis ſpiritibus, quam pugnæ adverſus homines; ut recte Auguſtinus ſerm. VIII. de Verbis Dom. nunc 67. num. 4. & Prudentius in Hamartigenia. Ad 2. reſpondemus non adverſari Chriſtianæ manſuetudini hanc pugnam, dum pacem habet bona voluntas, bellum neceſſitas; & dum bellando expugnentur iniqui, ut victi ad pacis utilitatem perducantur: quemadmodum non opponebatur Chriſti manſuetudini percutere templi profanatores texto e funibus flagello, nec Apoſtolis ſpiritualibus armis enſe quolibet ſeverioribus punire Ananiam, Simonem, Elimam, Corinthium inceſti reum, Hymenæum, Alexandrum; cum ſalus totius corporis magis curetur, dum putrida membra ſecantur, ubi nullum prodeſt vulneribus medicamentum. Eſaias vero prædixerat tempus nativitatis Chriſti, qui natus eſt imperante Auguſto, clauſo Jano, ac toto orbe in pace compoſito: quamquam & in lege Evangelica pax illa regnat, ubi omnes Chriſtiani vivunt projecta invidentia, ac pernicioſa cupiditate. Ad 3. dico Imperatores idolorum cultores, milites qui nollent Diis ſacrificare, militari cingulo ignominiæ cauſſa exuiſſe; unde in ſacra hiſtoria legimus pro Chriſto cingulum abjeciſſe ſub Diocletiano in Armenia milites MCIV. ſub Licinio Arſacium, & Auxentium, & ſub Juliano Apoſtata Victricium, & Valentinianum poſtea Imperatorem, a S. Ambroſio funebri præconio condecoratum, alioſque ab Euſebio, ac Theodoreto laudatos. Qui ergo cingulum ſemel abjecerant, ad militiam redeuntes videbantur probare cultum idolorum. Addo cum eximio Lupo ad præcitatum canonem, duplex fuiſſe militiæ genus, ſuperioris, cui erat neceſſitas immolationis, & inferioris, quam Tertullianus lib. de Idololatria cap. 14. appellat *caligatam*, & canonem latum eſſe adverſus priorem. Præterea a pœnitentibus, & a Clericis ſeverior exigebatur diſciplina, ab illis ad aliorum terrorem, ab iſtis vero ad exemplum. Ad poſtremum reſpondeo utique a bello derivare multiplices clades, diraſque neceſſitates; ſed iniquitas partis adverſæ, etiam dolenda, ſi nulla ex ea bellandi neceſſitas naſceretur, *juſta bella ingerit gerenda ſapienti*, ut inquit S. Pater XIX. de Civit. Dei cap. 7. quare Patres damnant iniquitates quæ bellum pariunt, non bellum quod geritur ut iniquitas puniatur, ut pax acquiratur, ut genus humanum vexationes non patiatur.

PROPOSITIO II. Illicita eſt monomachia, ſive initum ex condicto ſingulare certamen.

Probatur, quoniam Tridentinum Concilium ſeſſ. 25. cap. 19. declarat deteſtabilem duellorum uſum fabricante diabolo fuiſſe introductum, ut cruenta corporum morte animarum quoque perniciem lucraretur: provocantes autem, & ineuntes plectit excommunicationis pœna, perpetua

 infa-

infamia, proſcriptione bonorum, & ſi moriatur in pugna, Eccleſiaſtica ſepultura. Idem decreverunt ſummi Pontifices Pius IV. Gregorius XIII. Clemens VIII. Etiam Alex. VII. proſcripſit illam propoſitionem: *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. Idem demonſtrat evidens ratio; nam ſi duellum inſtituatur ad oſtentationem virium, deteſtabilis ſuperbia eſt, & immanis crudelitas haud honeſtior flagitioſo gladiatorum congreſſu: ſi ad notam timiditatis vitandam, eſt ſingularis dementia ac temeritas, ob improborum exiſtimationem præſentis, ac ſempiternæ vitæ inire periculum; necnon imprudens rerum dijudicatio fortitudinis præſtantiam in corporis viribus, non in virtute animi conſtituere, cum illæ brutis, barbariſque hominibus ſint communes; hæc propria rationalium, honeſtiſſimorumque virorum: ſi denique ſingularis pugna ſuſcipiatur honoris cauſſa, cum honor vitæ hominis non debeat æquiparari, niſi ſit verus honor ſitus in vitæ honeſtate, virtutiſque decore; extrema ſtultitia eſt ob famam ſterilem atque manem corpus & animam devovere. Hæc tamen non tenent, ſi ad finem imponendum truci bello, ex condicto utriuſque partis, aut duo, aut plures decertent monomachia; tunc enim non temere, ſed juſſu legitimæ poteſtatis pugnatur, ac propria vita non pro ſterili fama, vel inani oſtentatione profunditur, ſed pro reipublicæ incolumitate, & communi ſalute. At de his plura qui data opera moralem Theologiam exornarunt.

Si objicias in Religione Equitum D. Jacobi in Hiſpania celeberrima, & S. Sedis approbatione confirmata, exigi a candidatis juramentum, quod nunquam recuſarint ſingulare certamen; reſpondet Andreas Mendo diſquiſit. III. q. 2. num. 16. non ejici a nobiliſſimorum Equitum numero, qui recuſarit duellum, ne Deum offenderet; ſed qui id egerit præferendo timiditatem, & commonſtrando ſe apud pugnam vel pro religione, vel pro Regni tranquillitate ineundam nequaquam idoneum eſſe.

CAPUT XIX.

An violetur caritatis præceptum, ſi occidatur vitæ injuſtus aggreſſor.

QUAMQUAM non continet hoc volumen moralis Theologiæ quæſtiones ſingulas, ſed univerſales tantum caritatis, cæterarumque virtutum præceptiones: quæſtio tamen de occiſione invaſoris tam eſt difficilis & implexa, ut jure expoſtulet peculiarem aliquam diſquiſitionem. Abeunt enim in diverſas partes Theologi; affirmantque licite injuſtum aggreſſorem occidi non ſolum benigniores quidem, ac pervulgati Caſuiſtæ, verum etiam graves, accuratique Theologi, inter quos non abſque præconio laudis commemorandi ſunt Dominicus Soto lib. V. de Juſtit. & Jure cap. 1. art. 8. Eſtius in diſt. 37. libri 3. §. 21. ac fere omnes Thomiſtæ in 2. 2. D. Th. q. 64. art. 7. Continuator Theologiæ Tournely de Juſtitia P. 3. cap. 3. art. 2. ſect. 5. aliique ab eodem auctore laudati, nec non ex Noſtratibus Salonius in præcitatum articulum S. Thomæ, Petrus de Aragona ibidem, ſtilo autem fuſiori Barth. Riccius ad propoſit. XXX. damnatam ab Innoc. XI., in qua invenies quicquid alii, etiam poſterioris ævi, collegerunt. At lædi ea occiſione caritatis præceptum docent viri alii doctiſſimi; atque ut mittam Accurſium, Gerſonem, Ricardum a S. Vict. a Petro de Aragona eo loci commemoratos, alioſque a Friderico Gavardi q. 2. de lege nat. §. 4., inter Noſtrates idem exquiſitis argumentationibus contendunt Auguſtinus Triumphus de Poteſt. Eccl. q. 51. art. 3. Cardin. Noriſius in Vindiciis cap. IV. §. 9. Chriſtianus Lupus de Opin. Probabili cap. 8. Leonardus Vanroy de Juſtit. & Jure cap. 6. q. 9. prælaudatus Gavardi Tom. IV. cit. loco, Aurelius Pictte P. IV. cap. 4. q. 4. aliique recentiores.

Prænotandum eſt autem, Doctores, qui propugnant licite occidi aggreſſorem in vitæ ſuæ defenſionem, neceſſario requirere *moderamen inculpatæ tutelæ*, quod in eo ſitum eſt, ut defenſor nihil aliud moliatur, quam id, quod neceſſarium putat ad intentatam necem propulſandam; ita ut ſi evadere poſſit ferientis ictus arripiendo fugam, non tractet arma: ſi hoc ſat eſt, nec invaſorem vulneret: ſi poſſit levi vulnere aggredientem repellere, non infligat lethale. Neceſſe eſt etiam, ut aggreſſor ſit injuſtus, ſcilicet in alterum non irruat abſque accepta auctoritate; alioqui peccaret quoque miles & carnifex, quod nullus dixerit. Addit S. Thomas conditionem hanc, ut defenſor intendat conſervationem propriæ vitæ, non mortem aggreſſoris ſui: quam conditionem non eadem ratione interpretantur Theologi. Nam Cajetanus in 2. 2. q. 64. art. 7. ait mentem eſſe Doctoris Angelici, ut nullo modo intendatur mors invaſoris, vel tamquam finis, vel tamquam medium, itaut mors illa ſequatur tantum per accidens, tamquam aliquid conſequens ex neceſſitate finis, ut *ex medicinæ ſanatione ſequitur ægroti debilitatio*. At Soto contendit mentem S. Thomæ eſſe, quod fiat illicitum homicidium ex intentione, quando quis alterum aggreditur ipſum præveniens vel ad vindicandam præteritam injuriam, vel ad cavendam futuram: ſecus ſi laceſſitus videns ſe non poſſe alio pacto mortem evadere, intendat mortem aggreſſoris, & etiam ſi opus ſit, mucrone ipſius jugulum petat. Si enim Thomas, inquit Soto, ſeipſum explicat, dum ait occidere ex intentione licere tantum ei, qui habet publicam auctoritatem, cui profecto fas eſt aggredi hoſtem, ac prævenire occidendum, ut defendatur reſpublica. Accedit Soto Continuator Theol. Tournely, dicens fieri non poſſe, ut qui plumbeam glandem explodit in caput inimici, mortem ejus non intendat. Et tamen, ni fallor, melius mentem D. Angelici aſſecutus eſt Cajetanus. Enimvero S. Thomas aperte docet, ejuſdem actus aliquando dari duos effectus, *quorum alter ſit in intentione, alius vero ſit præter intentionem*; morales actus ſuam ſpeciem deſumere ab eo, *quod intenditur, non autem ab eo quod eſt præter intentionem, cum ſit per accidens, ut ex ſupradictis patet*: atque ex S. Thoma illud *per accidens* dicitur evenire, *quod eſt præter intentionem agentis*, ut idem Doctor explicat ſupra q. 43. art. 3. & 1. 2. q. IX. art. 7. At qui aggreſſoris mortem intendit, ut propriæ ſaluti conſulat, non ita ſe gerit, ut mors illa ſequatur tantum per accidens, & præter intentionem, cum tam finis, quam medium ſint intentionis objectum, ut evidenter demonſtrat Salonius noſter, atque abſque ulla demonſtratione per ſe manifeſtum eſt. Igitur S. Thomas permittit tantum occiſionem invaſoris, ſi ſequatur *per accidens*, ut in ægroto deliquium, non vero ſi intendatur, ut finis, aut medium, quemadmodum explicat Cajetanus. Nec urget Soti animadverſio, quod S. Thomas proferat exemplum occidentis publica auctoritate; is namque iccirco non peccat, quia intendit publicum bonum, ad quod referri debet vita privati hominis. Quod ſi cum Salonio ſupponas veram eſſe interpretationem Cajetani, ſed fieri non poſſe, ut in praxi, atque in actuali conflictu mors aggreſſoris non intendatur *ut medium* ad vitam propriam ſervandam; ſubinferent Noſtrates etiam illicitum eſſe petere cor, aut jugulum aggreſſoris, quod licitum alii putant; & perperam adverſarios in ſuas partes S. Thomam pertrahere.

Præmittendum pro noſtra ſententia, in hoc ſitum eſſe ordinem caritatis, ut homo rerum integer æſtimator ordinatam dilectionem habeat, nec amplius diligat quod minus eſt diligibile, ut liquet ex ſupradictis, & docet S. P. in 1. de Doctrina Chriſt. cap. 27. num. 28. Diligendum quoque eſt corpus noſtrum, & citra vitium amari poteſt corporalis vita, ut idem Auguſtinus docet præcedenti cap. 25. n. 26. ſed præcipiendum eſt homini, *quomodo corpus ſuum diligat, ut ei ordinate prudenterque conſulat*; ita ut amplius alius homo diligendus ſit, quam corpus noſtrum, quia cum omnia diligenda ſint propter Deum, nobiſcum alius homo poteſt Deo perfrui, quod non poteſt corpus, cum corpus per animam vivat, qua fruimur Deo. Atque id negari nequit, niſi palam repudiata Auguſtiniana doctrina, imo ipſa caritatis lege confracta, præſcribente talem dilectionis ordinem, quo cetera in Deum confluant. Id etiam ſcribit Noriſius culpans duntaxat amorem libidinis, quo vita corporis fruimur, eique conglutinamur, implicati amore rerum, quæ amitti poſſunt, & quas rationi ſubjectas eſſe oporteret. Quare Barth. Riccius immerito Noriſium redarguit pag. 314. quaſi ſcriptor clariſſimus aſſeruerit *dilectionis corporis affectum eſſe brutalem*, perperam acceptis Auguſtini teſtimoniis, ubi affirmatur dilectionem corporalis vitæ eſſe licitam: nam iiſdem locis, quæ Riccius objectat, ac præſertim de Doctrina Chriſtiana, requirit S. Pater, ut corporalis vita diligatur *ordinate ac prudenter*, ut conſtat ex dictis. Puto idem tradere S. Thomam, ubi demonſtrat 2. 2. q. 25. art. 4. quomodo debeat unuſquiſque ſeipſum amare *ſecundum naturalem rationalem, ut ſibi velit ea bona, quæ pertinent ad perfectionem rationis*.

PROPOSITIO. Occiſio injuſti aggreſſoris licita eſt, ſi talis occiſio a noxia cupiditate ſequeſtratur, ideſt, amori proximi non præferatur amor corporis, & defenſionem ſui moderetur pacatum rationis imperium; quod tamen in praxi raro, difficulter, & forte nunquam contingeret.

Hæc eſt ſententia, ni fallor, Auguſtinenſium Doctorum, etſi videantur affirmare nefas eſſe iniquum graſſatorem occidere: ſaltem id ſentit, qui mihi inſtar omnium eſt, Henricus Noris Tom. I. p. 1094. male pro ſententia negativa abſolute citatus, cum accurate utramque ad Auguſtini effata componat, & perperam a Riccio impugnetur. Licitum eſſe cum pacato rationis imperio, & non violato ordine caritatis eum, qui mortem intentat, occidere, probatur primo. Exodi XXII. 2. legitur: *Si effringens fur domum, ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſanguinis. Quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & eſt reus ſanguinis*. In quem locum S. P. Auguſtinus q. 84. in Exodum ait: *Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, ſi fur nocturnus occidatur: ſi autem diurnus, pertinere. Hoc eſt enim quod ait, Si orietur ſuper eum ſol. Poterat quippe diſcerni quod ad furandum non ad occidendum veniſſet, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis ſæcularibus, quibus tamen iſta eſt antiquior, invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, ſi ſe cum telo defenderit; jam enim plus eſt, quam fur*. Licite ergo occiditur, qui venit ad occidendum, &c.

Re-

Reſpondet Vanroy legem Exodi eſſe judicialem, ideſt, præſcribere formam qua in judicio adverſus reos procedendum eſt; præſertim, quod in eadem lege dicitur quod poſſit occidi fur diurnus, qui ſe telo defendat, quod in ſolo foro externo licitum eſſe docet univerſa Auguſtiniana Schola. Addit in veteri lege multa fuiſſe impunita, quæ tamen erant illicita, ut pœna talionis, & libellus repudii: obſervet etiam Auguſtinum ſcribere furem nocturnum *impune occidi*, non, *licite occidi:* addit quod niſi hæc accipiamus de ſolo foro externo, fiet conſequens, poſſe occidi furem etiam quando alias poteſt repelli, & ejus occiſio ad propriæ vitæ conſervationem non eſt neceſſaria.

Hæc non abſque magna probabilitate dicta ſunt: & in eorum confirmationem addi poteſt, quod verſio Græca, *ἐκ ἔςιν αὐτῷ φόνος*, *non eſt illi cædes*, Arabica, *erit impunitas*, Syriaca, *non habebit actionem capitalem*, aperte commonſtrant legem Exodi eſſe judicialem, & ſpectare ad politiam, & Reipublicæ tranquillitatem. Falſum eſt tamen in foro interno reum eſſe homicidii, qui neceſſitate coactus, & propriam vitam defendens, graſſatorem interimit. Primo, quia Vulgata noſtra habet, *Non erit reus ſanguinis*, & Auguſtinus, *Intelligitur tunc non pertinere ad homicidium*, & olim R. Jonathan, *Non erit ei reatus effuſionis ſanguinis*, & R. Salomoh, *Non eſt hoc homicidium, de quo in Decalogo.* Quod ſi occiſio non pertineat ad homicidium in Decalogo prohibitum, porro nec in foro interiori labes contrahitur. Deinde, ut argumentatur Noriſius, licet lex illa data fuiſſet ad regendam rempublicam Judæorum, in ea tamen lege divina voluntas permiſit homicidium, uti permiſit lex Aquilia, & aliæ antiquæ ſæculares: at qui occidit invaſorem, non agit contra voluntatem ſæcularis legiſlatoris; ergo neque adverſus voluntatem divinam, ideoque non peccat. Præterea tam lex Exodi, quam verba Auguſtini comprehenduntur in cap. *Si perfodiens*, De homicidio: leges autem Canonicæ etiam pro interiori foro latæ ſunt. Sane prior reſponſio Vanroy, quod poſſet occidi etiam fur diurnus, *qui ſe telo defendit*, inanis eſt; quoniam id nec habetur in Exodo, nec citatur ab Auguſtino ut lex divina, ſed ut lex civilis, ex ff. ad leg. Aquiliam l. 4. de qua proinde inquit, furem illum qui telo ſe defendit, occidi *impune*: at de occiſione furis nocturni ait hanc *non pertinere ad homicidium*. Falſum eſt etiam fuiſſe illicitum dare libellum repudii, & infligere talionis pœnam, dum hæc permittebantur e lege: ſed illicitus erat finis, quo Judæi lege abutebantur cauſſa odii, aut vindictæ; quam ob rem neceſſe fuit, ut Chriſtus poneret Judæorum licentiæ repagulum. Neque fit conſequens poſſe occidi, aut nocturnum furem, aut graſſatorem, ſi poſſit mors aliunde vitari, quoniam eo in caſu pervertitur, ut paullo poſt explicabo, ordo caritatis.

Probatur 2. ex Romano Catechiſmo P. 3. De quinto præc. n. 8. ubi legitur: *Qua etiam ratione, ſi quis ſalutis ſuæ defendendæ cauſſa omni adhibita cautione alterum interemerit, hac lege* (Non occides) *non teneri ſatis apparet*. Reſpondet idem Vanroy agi ibidem de homicidio caſuali: quod, inquit, planum fit ex textu, quia loco citato numerantur cædes aliquæ non peccaminoſæ, quæ præter voluntatem inferuntur, unde mox ſubjungitur, *Qua etiam ratione*, &c. Verum falſa eſt reſponſio Vanroy: de caſuali enim homicidio agitur ſuperiori num. 6. & 8. pertractatur de occiſione aggreſſoris, quæ fit non fortuito, non caſu, *ſed ſalutis defendendæ cauſſa*; ac ſat eſt Catechiſmum legere, *non enim eget majori explicatione*, inquit in Elucidatione Scholaſtica Catechiſmi Joannes Chapeaville Leodienſis. Profecto illis verbis: *Qua ratione*, &c. innuitur, quod ſicut homicidium caſuale non imputatur ad culpam, *quia non infertur voluntate, & induſtria*; ita non ſpectat ad ſceleroſam cædem homicidium aggreſſoris, quo intenditur duntaxat conſervatio propriæ vitæ, quoniam homicidium illud præter intentionem infertur, uti medicinali pharmaco accidit ægroti deliquium. Ubique enim Romani Catechiſmi auctores ſequuntur præceptiones S. Thomæ, cujus ſententiam ſupra explicavi.

Tertio probatur ex PP. Cyrillus enim lib. 1. in Joannem cap. 35. ait: *Unde nam Petrus gladium habuit?* Ac reſpondet, *Quia ſecundum legem gladio ſe defendere licebat.* Et ibidem, *Si vi multitudinis invitus ad necem traheretur Chriſtus, omni modo fortaſſis debuiſſent illum diſcipuli defendere.* S. Ambroſius lib. 1. de Officiis cap. 36. num. 178. *Neque in inferenda*, inquit, *ſed in depellenda injuria lex virtutis eſt. Qui enim non repellit a ſocio injuriam ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam ille qui facit. Unde ſanctus Moyſes hinc prius orſus eſt tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidiſſet Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem defendit, ita ut Ægyptium ſterneret, atque in arena abſconderet.* Plura Eſtius in cit. diſt. 37. ubi ex auctoritate Ambroſii infert, quod ſi hoc pacto defendere ſocium liceat, liceat & ſeipſum. Verum tamen eſt, quod S. P. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum c. 70. conſulta æterna lege non debuiſſe virum Ægyptium, licet injurioſum, & improbum occidi ab eo, qui nullam ordinatam poteſtatem gerebat: unde nos ſupra lib. xx. cap. 7. alia ratione Moyſen defendimus. Hæc vero quomodo cohæreant, dicam infra.

Probatur quarto; nam occidere injuſtum aggreſſorem, niſi aliter propriæ ſaluti poſſimus conſulere, omnes leges, omniaque jura permittunt, ut habetur in cap. *Significaſti* 2. de Homicidio, & cap. *Si vero*, de ſent. Excommunicat. In cap. etiam *Si furioſus*, decernitur eum, qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit, vel mutilat invaſorem, non contrahere irregularitatem. Nec quicquam officit, quod de irregularitate ante hanc Clementis V. conſtitutionem contrarium ſenſerint antiqui Scholaſtici, nam irregularitas etiam abſque delicto contrahi poteſt, ut a milite, ac judice. Poſſe vim vi repelli, ſi fiat cum moderamine inculpatæ defenſionis, dictat lex naturæ, de qua Cicero in Orat. pro Milone: lex civilis ſuperius laudata: lex Canonica, de qua modo. Quare in Edicto Theodorici cap. 15. habetur: *Qui percuſſorem ad ſe venientem repulerit ferro, non habetur homicida; quia defenſor propriæ ſalutis videtur in nullo peccaſſe.* Quomodo ergo damnabimus, quem omnes prorſus leges abſolvunt?

Dixi tamen licitam eſſe occiſionem graſſatoris, ſi ſequeſtretur a noxia cupiditate. Noxia autem cupiditas intervenit, ſi vel ſubrepat deſiderium ulciſcendi, vel animus conglutinetur dilectione proprii corporis, ita ut pro hujus vita, quam unice intendat, nullam adhibeat in repellendo hoſte cautionem, & ſalutem proximi parvipendat; vel denique ſi non ſiſtat in actu defenſionis, dirigatque in aggreſſorem gladium vel enſem eo fine, ut ipſum interimat. Ita ut in foro interiori reus ſit homicidii quiſquis injuriam propulſans agitur vindictæ libidine: quiſquis in ſui defenſionem impellitur ea cupiditate, qua etiam brutæ ſeſe roſtro unguibuſque tutantur, non dirigens naturæ motum rationis imperio, ne hæreat tamquam ultimo fini vitæ corporali: quiſquis denique tali animo comparatus eſt, ut ferveſcente ira ſterneret invaſorem, quamquam poſſet alia via intentatam ſibi cædem evadere.

Illicitam eſſe occiſionem aggreſſoris, ſi interſit ulciſcendi libido, patet ex Scriptura, Matth. v. 39. 1. ad Corinth. vi. 7. 1. ad Theſſalon. v. 15. aliiſque in locis. Unde Auguſtinus in Epiſtola ad Publicolam 154. nunc 47. num. 5. ait: *De occidendis hominibus, ne ab eis quiſque occidatur, non mihi placet conſilium, niſi forte ſit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis, vel pro Civitate, ubi etiam ipſe eſt, accepta legitima poteſtate, ſi ejus congruit perſonæ.* Liquet autem Auguſtinum loqui de occiſione, qua Chriſtianus, cum poſſit repellere aggreſſorem, illum interimit ut hoſtem ulciſcatur, quod nulli licet, niſi fulciatur publica auctoritate: nam & de hoc interrogatus fuerat a Publicola præcedenti Epiſt. 9. 12. & S. Pater poſt recitata verba, inquit: *Qui vero repelluntur aliquo terrore, ne male faciant, etiam ipſis aliquid fortaſſe præſtatur. Hinc autem dictum eſt, Non reſiſtamus malo, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum paſcit, non ut correctionem hominum negligamus.* Quibus verbis S. Pater, uti permittit correctionem, qua aggreſſores ſine interfectione repelluntur, vel impugnantur: ita damnat occiſionem quæ non fit publica auctoritate, quæ non ſpectat commodum civitatis, & quæ peragitur ulciſcendi libidine.

Peccare etiam, qui aggreſſorem interimit inhærendo amore vitæ corporis, & huic poſthabendo proximum ſuum, nequit in Auguſtiniana Schola controverti. Ac probatur, quia S. P. Auguſtinus lib. 1. de lib. arbitrio cap. 5. probat ſententiam Evodii dicentis: *Quomodo poſſum arbitrari carere iſtos libidine, qui pro his rebus digladiantur, quas poſſunt amittere inviti; aut ſi non poſſunt, quid opus eſt pro his uſque ad hominis necem progredi?* Id confirmat ex quo ſi vita corporalis amitti poteſt, debet contemni, nec haberi in tali pretio, ut ejus intuitu frangatur æterna lex, quæ vult ut omnia ſint ordinatiſſima, & proximus pluſquam corruptibile corpus diligatur. *Quomodo enim* (ait) *apud eam legem ſunt iſti peccato liberi, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?* Idem corroborat cap. 15. ejuſdem libri, ubi poſteaquam docuit temporali vita utendum eſſe, non fruendum, ait: *Cum igitur eiſdem rebus alius male, alius bene utatur, & is quidem qui male amore inhæreat, atque implicetur, ſcilicet ſubditus eis rebus, quas ſibi ſubditas eſſe oportebat, & ea bona ſibi conſtituens, quibus ordinandis beneque tractandis ipſe eſſe utique deberet bonum: ille autem qui recte his utitur, oſtendat quidem bona eſſe, ſed non ſibi, non enim eum bonum melioremve faciunt, ſed ab eo potius fiunt. Et ideo non eis amore conglutinetur, neque velut membra ſui animi faciat, quod fit amando, ne eum reſecari cœperint, cum cruciatu ac tabe fœdent, ſed eis totus ſuperferatur, & habere illa atque regere cum opus eſt paratus, & amittere, aut non habere paratior.* At qui pro libidine corporalis vitæ occidit aggreſſorem, temporali bono quod poteſt amitti hæret amore, & corpori conglutinatur; igitur corporali vita non utitur, ſed fruitur, & caritatis ordinem pervertit. Hanc doctrinam tradit S. P. de Doctrina Ch. ut ſupra diximus; ideoque falluntur, qui putant illum retractaſſe quæ ſcripſerat de libero arbitrio, tametſi hoc opus exornaret nondum ſacra eruditione imbutus, in eoque plura inquirendo potius, quam definiendo tradiderat. Noriſius, *Non eſt neceſſe*, inquit, *ut dicamus ſanctum Doctorem priorem ſententiam retractaſſe, cum præcipue ab ſcripto libro primo de libero arbitrio poſt triginta, &*

amplius annos libros retractationum ſcribens illam priorem ſententiam non expungens, iterum approbaſſe cenſendus ſit. Male itaque de Noriſio ſcribit Riccius pag. 307. *Falſe dicit Auguſtinum eam retractaſſe, &c.*

Non latuit S. Thomam hæc Auguſtiniana doctrina; citata enim quæſtione 64. docet illicitum eſſe, *quod homo intendat occidere hominem ut ſeipſum defendat, niſi ei qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere ad ſui defenſionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hoſtes, & in miniſtro judicis pugnante contra latronem, quamvis etiam & iſti peccent ſi privata libidine moveantur.* Si ergo privata libido reddit illicitam occiſionem patratam ab eo, qui habet occidendi publicam auctoritatem; a fortiori damnabilem reddet cædem a privato homine illatam. Huc etiam ſpectat momentum, quo utitur Auguſtinus Triumphus; quia ſcilicet animam proximi plus tenemur diligere, quam corpus proprium, quod poſſumus amittere inviti; unde qui ne perdat temporalem vitam non conſulit ſaluti animæ aggreſſoris, diligit ſemetipſum inordinate, ac pervertit ordinem dilectionis. Sunt ejuſdem generis argumenta a Magiſtro Gavardi producta. Quibus reſponderi ſolet cum Soto lib. v. de Juſtitia, & jure q. 1. art. 8. exigere quidem caritatis præceptum, ut corporalem vitam pro incolumitate reipublicæ, & pro ſalute proximorum ſpirituali impendamus, at non quando ipſimet proximi ſciunt ſe male agere, & poſſunt a monomachia, & infeſtatione ceſſare, nec ceſſant ſua culpa; quippe neceſſum non ſit ob aliorum voluntariam pervicaciam vitam profundere. At primo ex ſententia Soti ſequitur, quod nefas ſit occidere etiam cum moderamine defenſionis inculpatæ ebrium, aut amentem, quem probabiliter exiſtimes non eſſe in gratia, eo quod per peccatum mortale inciderit in amentiam, vel ebrietatem; tunc enim invaſor neſcit ſe male agere: atque id arbitror inconcuſſum, & ex momento Auguſtini Triumphi legitime illatum; ut vidit etiam Florentius de Cocq Tom. 1. Tract. v. cap. 3. Præterea diſtinguendum eſt opus externum ab animi intentione: & licet non tenear ob furorem alterius vitam profundere; vitam tamen meam tueri debeo pacato rationis imperio, ob bonum reipublicæ, ob neceſſitatem familiæ, atque ut moriar cum majore probabilitate ſalutis, non motus illa cupiditate, inquit Noriſius, qua ad ſui defenſionem etiam bruta impelluntur: non quod amor propriæ vitæ ſit illicitus & brutalis, ſed quia *motus naturæ ſenſitivæ*, in qua communicamus cum brutis, regi debet imperio rationis juxta ordinem caritatis, quæ præcipit ut magis diligatur anima proximi, quam corpus proprium, ut inquit in reſponſ. ad 1. Triumphus.

Poſtremo peccare qui ita aggreſſorem proſternit, nec vitæ ſuæ defenſionem, ſed alterius mortem intendit, expreſſe docet ibidem ſanctus Thomas, demonſtratque lex naturæ, quæ nullum nobis in alterius vitam jus impertitur, niſi in caſibus enumeratis pag. 192. quando nempe id poſtulat ſalus reipublicæ, juſtitiæ æquitas, bonumque præſtantius. Atque hinc ſequitur vix in praxi poſſe contingere, quando ſine culpa occidatur aggreſſor. Enim vero fieri non poteſt, ut in promptu ſit recta rationis conſideratio, qua pacato imperio frenetur motus cupiditatis, nec animus vitæ temporali ſubjiciatur: ut ita repellatur injuria, ne ira & indignatione animus concitetur: ut *per accidens* tantum, non intentione occidentis proſternatur graſſator. Quamobrem Theologi Auguſtinenſes, nec non PP. S. Mauri in Notis ad Auguſtinianam Epiſtolam 47. negativam ſententiam propugnant; illamque tradidit S. Ambroſius lib. III. de Off. cap. 4. num. 27. ſcribens: *Non videtur quod vir Chriſtianus & juſtus, & ſapiens quærere ſibi vitam aliena morte debeat, utpote qui etiamſi in latronem armatum incidat ferientem referire non poſſit, ne dum ſalutem defendit, pietatem contaminet. De quo in Evangelii libris aperta, & evidens ſententia eſt*, Reconde gladium tuum; omnis enim qui gladio percuſſerit, gladio ferietur. *Quis latro deteſtabilior, qui venerat ut Chriſtum occideret? Sed noluit ſe Chriſtus perſecutorum defendi vulnere, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare.* Ex hoc loco intelligitur, cur idem Ambroſius lib. 1. cap. 36. commendaverit fortitudinem Moyſi, qui non per accidens, ſed data opera percuſſit Ægyptium, quia ſcilicet non contaminavit pietatem, nec vitam ſibi aliena morte quæſivit, ſed quia præclare animi intentione, in qua prima vis fortitudinis, honeſtas & illud *πρέπον* cernitur, ut inquit eodem cap. n. 181. ſtuduit proximum eripere; quod non licet carnali affectu impellente, nec in illud, quod honeſtum ac decorum proponitur, intentione directa. Quoniam vero occidere ex intentione non licet, niſi ordinata poteſtate; Moyſen, quem Ambroſius defendit ex fortitudine animi ob quam non contaminavit pietatem, Auguſtinus ſcribens contra Fauſtum lib. 22. cap. 70. ait dediſſe ſigna vitioſa magnæ fertilitatis, quia peregrinum fratrem non obſervato ordine poteſtatis multum eſſe non pertulit, ſed Quæſt. 2. in Exodum etiam ex hoc capite excuſat, quoniam videtur jam divinitus fuiſſe admonitum, dandam per ipſum ſalutem fratribus, ut colligitur ex cap. VII. Act. Atque ex his Auguſtini & Ambroſii ſententiæ facile conciliantur.

DIFFICULTATUM ENODATIO.

At nunquam abſque culpa occidi injuſtum vitæ aggreſſorem probant 1. ex quo *Non occides*, præceptum divinum ſit, in quo nulla præſumi debet exceptio, niſi ipſa divina lege exprimatur. Quare S. P. Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 21. aſſignatis tribus capitibus, ex quibus occiſor excuſatur a culpa, quæ ſunt, ſi bella Deo auctore geruntur, ſi occidatur iniquus publica poteſtate, & ſi aliquis ſeipſum interimat ſpeciali inſtinctu. *His igitur exceptis*, inquit, *quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel alium quemlibet occiderit homicidii crimine innectitur.* Et lib. 22. contra Fauſtum cap. 70. *Ille utitur gladio male, qui nulla legitima poteſtate vel jubente, vel concedente in ſanguinem alterius armatur.*

Reſpondemus illum, qui ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ defenſans interimit graſſatorem, uti publica auctoritate; talem quippe occidi lex naturæ, lex divina, lex canonica, & lex civilis permittit, ideoque niſi violetur ordo caritatis, & niſi intendatur mors aggreſſoris ob concitationem iræ, & noxiam libidinem, qua vita proprii corporis præferatur ſpirituali proximorum ſaluti, damnari nequit occiſor. Sane Auguſtinus in lib. 1. de Civitate Dei demonſtrat, *nullam eſſe auctoritatem, quæ Chriſtianis jus voluntariæ necis attribuat*; & contra Fauſtum loquitur de illo, qui cædem intentans *in ſanguinem alterius armatur*. Non intentat vero mortem, non arrogat ſibi jus voluntariæ necis, non armatur in alterius ſanguinem qui intendit propriæ duntaxat vitæ conſervationem, idque non affectu brutis communi, ſed per rationis imperium directo. Eodem pacto explicatur quod ſcribit Epiſt. ad Publicolam, in qua prohibet ne quis adverſus aggreſſorem armetur ut illum occidat, ſive id faciat ulciſcendi libidine, ſive abſque ordinata poteſtate, ut ſupra diximus: ideoque S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. ad 1. ait: *Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas Auguſtini intelligenda eſt in eo caſu, quo quis intendit occidere hominem, ut ſeipſum a morte liberet.* Quoniam tamen vix percipi poteſt, quomodo in praxi non intendatur mors aggreſſoris, & animus ſuperferetur vitæ corporali, quæ poteſt amitti; fatemur quoque vix contingere, ut iniquus aggreſſor abſque culpa occidatur.

Præterea objicies. Prohibentur Chriſtiani reſiſtere malo, Matth. v. 39., & malum pro malo reddere, ad Rom. XII. 17. At quomodo non reſiſtit malo, quomodo malum pro malo non reddit, qui invaſorem mutilat, & obtruncat? Chriſtus etiam Petro gladium in ejus defenſionem evaginanti, Matth. XXVI. 52. inquit: *Converte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt.* Quæ autem juſtior eſſet occiſio ea, quam pro Chriſti vita diſcipulus intentabat? Si ergo non licuit Petro gladio ſatellites coercere, nec licet cuilibet in ſui, vel alterius defenſionem alium percutere, & enecare. Hinc Ambroſius lib. x. in Lucam cap. 22. num. 53. Petri factum expendens ſcribit, quod referire licuit tantum *uſque ad Evangelium*. Habet ſimilia lib. III. de off. cap. 4. de quibus ſupra.

Reſpondemus his locis redargui tantum ulciſcendi cupidinem, ut vidimus præcedenti cap. 18. alioquin nefas quoque eſſet Chriſtianis bellum gerere, ſeipſos defendere, & iniquos hoſtes coercere, quod nullus dixerit, niſi heterodoxus. In Petro quid reprehendendum fuerit, paucis oſtendam. Primo ad repellendos hoſtes gladio utendum non eſt, niſi prius adhibeatur ratio ac prudentia; hæc enim arma nobis natura dedit, non roſtra, non cornua, non ferarum ungues; ac Petrus non ratione ac prudentia, ſed cæco amoris impetu ducebatur: quid enim adverſus multitudinem ſolus poterat conſequi tractando gladium? Id obſervat Victor Antiochenus in Catena Græcorum Poſſevini pag. 327. Deinde, quia ſponte Dominus mortem ſubibat, & implendæ erant Scripturæ: quamobrem alias Petrum redarguerat Matth. XVI. XX. quum prædicente Domino futuram paſſionem, inquit Apoſtolus, *Abſit a te, Domine*. Atque id obſervat Chryſoſtomus Hom. 84. in Matth. pag. edit. Commel. 327. Tandem impedienda non erat mors decreta pro humani generis redemptione, ut docet cit. lib. 3. de Offic. S. Ambroſius. Illa autem verba, *Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt*, auctore ibidem Chryſoſtomo non ad Petrum ſpectant, ſed *ad illorum, qui Chriſto inſidiabantur, ſupplicium:* ſive ad illos, qui mortem vel punitionem intentant abſque legitima poteſtate, ut exponunt Lyranus, Eſtius, & Menochius XIII. Volum. Bibliorum Max. pag. 312. Porro Ambroſius in Lucam ait quod non referire pertineat ad perfectionem Evangelii; atque id nullus negat. Ait enim: *Lex tamen referire non vetat, & ideo fortaſſe Petro duos gladios offerenti, Satis eſt, dicit, quaſi licuerit uſque ad Evangelium, ut ſit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio.* Aut Ambroſius culpat *referire* abſque præclara intentione animi, quod magis bonum eſt, præterentis: ob quam intentionem lib. 1. cap. 36. commendavit Moyſis fortitudinem.

Inſuper objicies: Ait Auguſtinus in 1. de lib. arbitrio cap. 5. demonſtrantque Auguſtiniani Theologi, illum qui in

ſui

Digitized by Google

ſui defenſionem occidit alterum, amore corpori conglati. oari, & noxia moveri libidina. Producta ſunt paullo ſupra taſtimonia Auguſtini, & Auguſtinenſium argumenta.

Raſp. nos neque ab Auguſtino, neque a noſtratibus recedere: negamus tantum intaraſſe noxiam libidinem, dum occiſor non movetur ulciſcendi cupidina, dum in ſui defenſionem vigilat pacato imperio rationis, dum non intentat aggreſſori mortem, & hæc accidit præter intentionem ſe defendentis: quod fatemur perraro in praxi contingere. Hinc S. Pater Epiſt. 153. alias 54. ad Macedonium inquit: *Cum homo ab homine occiditur, multum diſtat utrum fiat nocendi cupiditate, vel injuſte aliquid auferendi, ſicut fit ab inimico, ſicut a latrone; an ulciſcendi, vel obediendi ordine, ſicut a judice, ſicut a carnifice; an evadendi, vel ſubveniendi neceſſitate, ſicut interimitur latro a viatore, hoſtis a milite*. Eam ob rem Noriſius, cui ſubſcribimus, uit diverſa Auguſtini effata componenda ex verbis S. Patris lib. 1. de lib. arb. cap. 5. *Poteſt ergo illi legi, quæ tuendorum civium cauſa vim hoſtilem eadem vi repelli jubet, ſine libidine obtemperari*; ita ut occiſio invaſoris ſit licita, ſi a noxia cupiditate ſequeſtretur, uti ſequeſtratur in milita, qui bonum Reipublicæ, & civium incolumitatem intendit, peccat tamen & ipſe, *ſi privata libidine movetur*, inquit ſanctus Thomas.

Oppones 4. Peccare atiam qui occidit ſalutis ſuæ cauſſa, ſcribit S. Baſilius Epiſt. ad Amphilochium can. 8. 43. 55. S. Bernardus de Præcapto, & diſpenſat. cap. 7. n. 13., & de Nova milit. cap. 5. Sacri atiam Canones citati a Lupo de Opin. Probabili cap. 8. præſertim 28. in Append. ad capitul. Reginonis, indicunt pœnitentiam quadraginta dierum iis, qui Diaboli membra interficiunt, ſine odii *meditatione, & ſe, ſuaque liberando*. Etiam S. Cyprianus Ep. 56., & 37. ait Chriſtianis nefas eſſe occidere *nocentem*, & eſſe neceſſariom *occidi*.

Raſp. His nos nequaquam urgeri, cum aſſeramus illicitam aiſa occiſionam, qua mors aggraſſori intentatur, & quæritur vita corporis morte aliena, non ordinata caritate, ſed noxia libidine. Deinde reſpondemus S. Baſilium cit. canone 8. loqui de occiſore, qui enſem, ſecurim, aut alia inſtrumenta jaculando *ſatis præſetulis ſe animi perturbatione vitam homini non peperciſſe*. Canon 43. illum homicidam appellat, *qui prior percuſſit, ſive ultus eſt*: & can. 55. inquit arcendos ab Eccleſia, qui abſque ordinata poteſtate *ſe latronibus adverſos objiciunt*. S. Bernardus priori in loco agit de homicidio voluntario, quod perpetratur neceſſitara quidem ſe defendendi; ſed intendendo mortem aggreſſoris: nam pertractat da iis, qui libera volontate legem tranſgrediuntur, atque ob diverſum finem inquioantur graviori, aut leviori facinore. Ac de nova militia perſtringit illam occiſionem, *in qua occiſor lethaliter peccat, & occiſus æternaliter perit*: non peccat autem, qui cædem altari non intentat, nec eſt volontaria cauſſa damnationis, quam aggreſſor pervicaciſſime incurrit. In canone 28. Reginonis, primo pœnitentia indicitur iis, qui interficiunt latronem, cum poſſit comprehendi abſque præda; deinde iis, qui ſine odii meditatione interficiunt diaboli membra, voluntarie tamen occidunt pro vita corporali quos ſciunt in æternum perira: atqua in priori caſu deeſt moderamen; in altero pervertitur caritatis ordo. Cyprianus deniqua pertrectat de tempore perſecutionis, quo fidei cauſſa debet quiſque ſubira martyrium: quo ſenſu etiam Lucifer Calaritanus ait in libro ad Conſtantium, *Non occidere, ſed occidi propter Dei filium docemur*.

Ultimo objicies: Si omnia jura permittunt, ut vis hoſtilis vi rapeliatur, ſi occiſor furis nocturni eſt immunis a culpa, ſi ordine caritatis non tenemur magis alienæ vitæ, quam propriæ conſulere; cur etiam non poterit occidi injuſtus aggraſſor mortem illi intentando, & dum nulia alia via aſt evadendi, etiam illius cor, aut jugulum armis petendo?

Reſp. id ſententia noſtra eſſa illicitum, quoniam idem jus naturale, quod permittit ut vim vi repellamus, præſcribit etiam ut vis ſenſuum, qua movemur ad propulſandam injuriam animo ulciſcendi, rapellatur vi rationis præcipientis ut ordo caritatis non pervertatur: quod ſi vis rationis conſequatur, dicimus licite aggreſſorem occidi. Affirmamus eo pacto non peccare qui pro familiæ ſuæ incolumitate occidit furem nocturnum neſciens num venerit ad occidendum aut furandum, ſi alias non ſuccurrat conſilium, ac ratio vitandi periculum; quoniam ſalus ſui ipſius, uxoris, & filiorum præferenda eſt vitæ unius graſſatoris. Eadem ratione aſſerimus prætermittendam non eſſe, ut inquit S. Thomas, moderatam defenſionem *ad vitandam occiſionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ ſuæ providere, quam vitæ alienæ*: ſed negamus poſſa occidere aggreſſorem ut ſeipſum defendat, illi mortem intentando; quia nefas eſt quærere vitam propriam morte aliena, quam ſupremus Judex juri ſuo, ac ordinatæ poteſtati, infligendam improbis reſervavit. Poſtramo dicimus vitam proprii corporis diligendam; ſed cum amitti poſſit, debeatque pro ſaluta ſpirituali proximorum noſtrorum contemni, ita ſervandam illam eſſe, ut hæc ſalus voluntate noſtra non periclitetur, ut animum noſtrum regat caritas, nec frangat ira, nec flectat noxia cupido: ut deniqua nos defendamus non tamquam bruta, quorum præſtantius bonum eſt vita corporis, ſed tamquam rationales homines, quorum ſumma felicitas eſt vita animæ. Hæc autem vita haberi nequit ſine virtutum omnium nobiliſſima ac jucundiſſima, da qua hactenus diſputavi, ideſt, CARITATE.

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

LIBER VICESIMUS QUARTUS,

In quo pertractatur de corporis, animique Oblectamentis.

VIX dum ſuperiorem librum abſolverem, & ecce VIII. Idus Februarias ſupremus Eccleſiæ Rector, Aſſertor Fidei, Juſtitiæ Vindex, literarum Patronus, & Decus Æthruriæ noſtræ immortale CLEMENS XII., ut definitum erat, naturæ conceſſit. Univerſam Urbem ejus munificentia ampliſſimis ædificiis, Capitolino Muſæo, Fontium, Templorumque majeſtate, atque innumeris aliis vetuſtæ, ac novæ dignitatis monumentis ornatam acerbiſſima mors in luctum, mœroremque convertit. Parentatum illi quidem ingentis ſacrorum miniſtrorum holocauſtis, ſplendido funebrium pegmatum apparatu, excultis Epitaphiſtarum næniis, elaborata panegyri, Purpuratorum Patrum frequentia, magno populorum conventu, univerſorum denique precibus, atque lacrymis: ſed hæc omnia neque poterant ſatis Demortui merita celebrare, neque viventium conſolari dolorem. Quamobrem Eccleſiaſtica plebs optimo viduata Paſtore, ſanctiſſimoque orbata Magiſtro inſiſtit quotidianis obſecrationibus, ut cæleſtis Soſpitator, qui pollicitus eſt ſe nunquam nos orphanos derelicturum, Eccleſiæ ſuæ talem Sponſum exhibeat, in quo CLEMENTIS beneficentiam, religionem, pietatem, ſollicitudinem, ſtudiumque erga nos maximum experiamur. Nec aliquem futurum arbitror, qui ægre animo patiatur inhiberi hac de cauſa popularia Bacchanalium tripudia, & præcedentia Quadrageſimale jejunium oblectamenta: in quibus licet ſervent nonnulli debitam moderationem, ſolet nihilominus multitudo, quæ ſemel conceſſis abutitur, vere bacchari, modum excedere, atque inſanire. Quare de his propoſui feſtivo quodam, lepidoque diſſerendi genere pertractare; ut nemo moleſte ferat, ſi careat hujuſmodi voluptatibus, iiſque omnes utantur ſobrie ac temperanter, ſi affluant: ii tandem qui nos patiuntur inſipidos ineptoſque diſputatores, conditum aliquid profana eruditione delibent.

CAPUT I.

De Bacchanalium conſuetudine.

QUo ergo tempore agendis Bacchanalibus dat operam, inſanitque plebs Chriſtianorum, contigit ut ſcribendo libros de humanis Officiis vim facultatemque meam exercerem. Ipſa temporis occaſio me impulit, ut præcedentibus iſtum ſuperadderem & argumento priorum non diſſimilem, & morum inſtitutioni percommodum, & rerum dicendarum lepore & venuſtate jucundum. Pertracto enim de oblectationibus, quarum cauſſa plura exercentur humanorum actuum officia, neque ſolas trado moralis Theologiæ præceptiones, verum etiam Veterum mores, & quædam inſuavis diſputationis condimenta. Primo autem loco de Bacchanalibus inſtituo ſermonem.

PROPOSITIO I. Bacchanalium origo, & uſus antiquus eſt, fuitque olim magnopere deteſtandus, & execrabilis.

Ipſum Bacchanalium nomen, inſtitutio, auctor, & ritus propoſitionem commonſtrant. I. *Bacchanalia* dicuntur, quaſi Bacchi ſacra: Bacchus vero nomen habet *ἀπὸ τοῦ βακχεῖν*, *incompoſite vociferari*, aut *ἀπὸ βακχεύω furore agitor.* Appellatur & Liber a vino, quod liberat a triſtitia: dum enim perpotatur immodice, *Tunc venit riſus, tunc pauper cornua ſumit*, inquit Ovidius. Dixere & Dionyſium, quod fabulæ tradant infantem perductum ad antrum Nyſæ, Semele matre a Jove compreſſa fulgure ac tonitru exanimata & extincta: atque ita a Deo Jove, & Nyſa nympha Dionyſii nomen derivatum eſt. Scribunt Poetæ & a Parcis immanibus cinctum anguibus, diſcerptumque a Titanibus. Cornibus taurinis Bacchi ſimulacra ornarunt Græci, quod *cornu* antiqui biberint; unde vini propinator dictus *Pincerna*. In altera manu thyrſum, in altera ſcyphum defert, inſidetque vehiculo cum Pardis bijugibus. Hæc omnia vini, atque ebrietatis effecta, & ebrioſi inſaniam, furoremque demonſtrant. De ipſius autem Bacchi obſcœnitate & flagitiis vide Lactantium lib. I. Inſtitut. cap. X. Arnobium in V. pag. 72. Clementem Alexandr. in Admonit. ad Gentes, Commodianum Inſtruct. XII. & L. Gyraldum Ferrarienſem Synt. VIII. Deorum. Ab ipſo ergo nomine Bacchi liquet Veterum Bacchanalia fuiſſe quædam ſacra inſanæ, & execrabilis ſuperſtitionis. II. Execrabiliora autem deprehenduntur, ſi dicamus, quinam fuerit Bacchanalium primus inſtitutor & auctor. Conſtat enim ex Jul. Firmico de Errore Profan. Relig. cap. 6. hujuſmodi auctorem fuiſſe Liberum Thebanorum Tyrannum, *ut mente captas nobiles feminas & libidinum miniſtras haberet, & ſcelerum*. Conſentit Tacitus, qui lib. XI. Annal. cap. XXXI. ſcribit Meſſalinam ludicrum tale celebraſſe, ut tegeret adulterium: & Livius, qui lib. IX. dec. IV. appellat Bacchanalia viam unicam corruptelæ. Obſcœniſſimum ergo auctorem habuere Bacchanalia, & obſcœnitatis gratia fuerunt inſtituta. III. Ritus Bacchanalium quanta impudentia, & inverecundia, necnon flagitioſiſſimis verbis fuerit pernicioſum ac turpe, narrat S. P. Auguſtinus lib. VII. de Civit. Dei cap. XXI. Sat eſt honeſtiſſimas matresfamilias palam perfeciſſe, quæ nec meretrix, ſi matronæ ſpectarent, facere poterat in theatro. Nec minus improba erant quæ narrat Blondus lib. 2. de Roma Triumphante, conveniſſe nudos viros cum nudatis omnia membra mulieribus, matronis, viduis, virginibus, veluti omnes amiſiſſent diſcrimen. Iidem pene ritus erant Madianitarum, & Moabitarum in cultu idoli *Beel-Phegor*, de quo Num. XXV. 3. & Pſalm. CV. 28. Idem eſt enim Hebræis פער, ac Latinis, *aperire*, *exponere*, *denudare*: unde *Beel-phegor* idem eſt, ac Deus turpitudinis, quem *πριάπον* dixerunt, ut in caput IX. Oſee animadvertit S. Hieronymus; & quem in ſacris Bacchi ploſtellis impoſitum circumferebant, ut citato loco Auguſtinus; eumque hoc turpiſſimo idolum colerent liquidis ſeminibus fructuumque liquoribus, hortis quoque cuſtodiendis præficiebant. Itaque ſive ſpectes Bacchanalium inſtitutionem, ſive auctorem ac finem, ſive denique celebrationem ac ritum, indubitatum eſt deteſtabiliora eſſe omnibus aliis oblectamentis. Atque hinc eſt, quod etiam Romanus Senatus non modo ab Urbe, ſed ab univerſa Italia olim Bacchi ſacra eliminavit, ut refert Tertull. cap. 6. Apologetici: Scythæ autem apud Herodotum lib. IV. cap. 78. ea reprehenderunt tamquam inſaniæ turpitudinem; & Phœnices hæc & conſimilia deliramenta fieri patiebantur duntaxat in nemore poſito in parte præalti montis, quo nemo honeſtus audebat accedere; inquit Euſebius lib. III. de Vita Conſtantini.

PROPOSITIO II. Bacchanalia quomodo nunc celebrantur ab aliquibus, qui connoventia, & conceſſione Principum abutuntur, connumerari nequeunt inter honeſta & licita oblectamenta.

Si enim ſuperſtitioſæ idololatriæ ritus, & nefariam illam turpitudinem ſacrorum Liberi prætermittimus: hæc Bacchanalia licentiam longe ſuperant antiquorum. I. Primo id comprobat hodiernus uſus perſonarum, ſive larvarum. Primus perſonarum uſus fuit in Scenis auctoribus Cincio, & Faliſco, ut ſcribit M. A. Muretus in Præf. ad Terentium. Cauſſam vero profert Satyra IV. Horatius, ut perſonati actores majori libertate recitarent,

Si quis erat dignus deſcribi, qui malus, aut fur,
Qui mœchuſve foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus.

Priori ergo Bacchantium ætate perſonati improbos notabant: nunc in bonos æque ac malos obloquuntur, & abſque fabularum venuſtate jaciunt in ſingulos dicteria. Imo in Theatris proprio vultu, & perfricata fronte conviciatores bacchantur. Extra ſcenas autem, nunc quoque, ut canit in 2. Georgicon Virgilius,

Verſibus incomptis ludunt, riſuque ſoluto,
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis.

Retinet ergo hac in parte præſens conſuetudo veterum Bacchanalium deformitatem. II. Quod mulieres incedant virili habitu, virique muliebri, dicitur Deut. XXII. 5. *res abominabilis apud Deum.* R. Maimonides ſcribit hanc ſexus permutationem inſtitutam in honorem Martis, ac Veneris: & quidem Veneri in Cypro viros ſacrificaſſe in veſte muliebri, & mulieres in virili veſte, ſcribit etiam Servius in II. Æn. Verum idolorum cultu ſublato, adhuc jure clamat Satyricus:

Quem

Digitized by Google

Quem præſtare poteſt mulier larvata pudorem,
Qua fugit a ſexu?

III. In comœdiis, choreis, conviviis, ludiſque etiam nunc laxari, ut in perantiquis Bacchanalibus, intemperantiam atque libidinem, res per ſe loquitur, nec non evincit veritas proximis capitibus declarande. IV. Quamquam uſus Bacchanalium innumeris flagitiis minime redderetur illicitus; non deberet Chriſtianus, eo tempore, quo Eccleſia deponit veſtimenta jucunditatis atque ad pœnitentiam invitat, quod in Dominica Septuageſimæ, & ſequentibus præſtas, crapulæ & Veneri turpiter indulgere; maxime, quod Catholicis Romanis ſolent hoc præſertim crimen Novatores objectare. Neque enim ſufficientem excuſationem præbet proximum Quadrageſimale jejunium: quippe ad iſtud nequit parari aditus per temulentiam, quomodo ad juſtitiam non devenitur per fraudem, neque ad ſobrietatem per laſciviam; ut docet Hom. 1. de laud. Jejunii Magnus Baſilius.

PROPOSITIO III. Excedens, atque immoderata Bacchanalium voluptas, quamvis expers pervetuſtæ malitiæ, Chriſtiano homine, etiam qua rationali duntaxat, indigna eſt.

Quantum ad Chriſtianum, nulla eſt difficultas: quippe illum non latet, Eccleſiaſten aſſerere cap. II. 11. *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi*. Novit inſuper terrenas voluptates fluxas eſſe, & comparari aquæ, de qua legitur Joannis IV. 13. *Omnis, qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum*. In quem locum Auguſtinus Tractatu in Joan. XV. *Quid eſt* (inquit) *qui biberit de aqua hac, ſitiet iterum? Et verum eſt ſecundum hanc aquam: & verum eſt, ſecundum quod ſignificat illa aqua. Etenim aqua in puteo voluptas ſæculi eſt in profunditate tenebroſa. Hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatum*. Præterea Fidelis credit repromiſſam ſempiternam felicitatem lugentibus, abnegantibus ſemetipſos, crucemque ferentibus. Haud ignorat ſe peregrinari a Domino, iter ſuum dæmones quaſi latrunculos obſidere, inſtare undique pericula, occaſiones peccandi, mortem, incertum exitum, atque exitium irreparabile. Etiam fide deſtitutus reperitur 1. inanium voluptatum amatores ſubſtantiam ac bona temporalia dilapidare, ut de luxurioſo adoleſcente narrat Lucas cap. XV. 2. afficere ſemetipſos ignominia quemadmodum de Salomone legimus Eccleſiaſtici XLVII. 22. 3. in ipſa voluptatum conſecutione ſentire excruciantem ægritudinem, laboremque moleſtum. *Vacat enim* (inquit Seneca) *pudicitia, libido occupatiſſima eſt: omnium virtutum tutela facilior, vitia magno coluntur*. 4. Cum in recte factis abeat labor, & maneat honeſtas, in voluptatibus tranſit delectatio, & remanet turpitudo. Tandem, ut in Proverbio eſt, *extrema gaudii luctus occupat*: atque ut ajebat Boetius:

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes.

Ipſa itaque humana ratio, ipſumque experimentum demonſtrant quam perniciosum ſit voluptate nimia geſtire.

CAPUT II.

De Theatris, & Comœdiis.

POSTEAQUAM noxias Bacchanalium voluptates generali oratione perſtrinximus, operæ pretium eſt illas expendere, quæ ex Theatrorum frequentia percipiantur.

PROP. I. Major interdum apparet luxus & inſaniens libido in quibuſdam hodiernis Theatris, quam in iis, quæ primum in cultum Veneris inſtituere Gentiles.

Demonſtr. 1. ex Theatri ſtructura. Athenienſes non aliud, quam ligneum erigebant, ut illud tranſactis diebus ſpectaculorum ſtatim diſſolverent: atque hinc apud Heſychium Theatra appellantur *lignea tabulata*. Idem ſervatum eſt Romæ, antequam ſaxeum conſtrueret Q. Gallus: unde Auſonius de ludo Sapientum inquit:

Ædilis olim ſcenam tabulatam dabat,
Subito excitatam, nulla molle ſaxea.

Nuda ut plurimum erant, & ſine tecto; ideoque Chryſoſtomus hom. IV. in Eſaiam ait: *Sudant in Theatro, nudo capite ſolis ardorem excipiunt, ut fiant captivi mortis, & ſcorti mancipia*. Scenæ, quamquam Muræna poſuit elegantiſſimam, & argenteam, fuere a principio arborum rami cum frondibus, & corymbis. Servius,

Illic quas tulerat numeroſa palatia frondes
Simpliciter poſita ſcena ſine arte fuit.

Compara nunc, Lector, cum his moles Theatricas in urbibus noſtris erectas, picturis ornatas, undique cinctas, & coopertas, & quotannis ſcenas, & orcheſtras diſpendio maximo renovatas. II. Ex ſubſelliis, eorumque diſpoſitione. Ex quo enim ſpectatores ſedere cœperunt, cum antiquitus ſtarent, Athenis Senatoribus deſtinatus fuerat locus dictus Buleuticus, tum ceteris ſervato ordine, ita ut mulierum, & virorum, auctore Ariſtophane in Avibus, ſedes fuerint ſemper diviſæ. Atque mulieres & hoſpites ſpectabant circa ultimum ſedentes, in loco ſcilicet Theatrorum remotiſſimo. Romæ pariter ſtabant Senatores in Orcheſtra primiſque ſubſelliis, tum cives, & alii diſpoſiti, & a mulieribus ſeparati. Quanto ergo ſunt Chriſtianorum Theatra deteſtabiliora veteribus, cum in iſtis confuſe ſedeant viri ac mulieres, proci & puellæ, nobiles ac plebei? III. Ex facta Actoribus Scenicis donatione. Quinque enim denarios ſingulis tantum diſtributos liquet ex Epiſtola Senecæ LXXX. Cum autem Tiberius munerum corrupiſſet impenſas, Marcus Antoninus ſtatuit, ut Scenici nonniſi quinos aureos acciperent. Nunc vero Cantoribus, & cantantibus feminis, quingentorum ſaltem aureorum munera ſcenica donationis tribuuntur; quæ certum eſt ſubripi ex debita pauperibus eleemoſyna. IV. Ex Hiſtrionum ornatu. Tragici quippe prodibant capite gibbero & perſonato, deferebantque cothurnos, veſtemque talarem, Syrmam dictam: de quo ornatu plura lib. 1. de Theatro Bulengerus. Comicorum vero intorta pallia, exiguos amictus, chlamydeſque deſcribunt Donatus, & Muretus, exhibentque figuris æneis Comœdiæ Terentii Romanis typis nuper impreſſæ. At Scenici Actores qualem modo non oſtentant vanitatem, immodeſtiam, luxuriam, obſcœnitatem? V. Ex feminis, quæ modo cum viris theatra conſcendunt: quod nunquam paſſi ſunt Romani, vel Græci, ut ſancta permotus indignatione ſcribit n. XVII. de Comœdia doctiſſimus Boſſuetius. VI. Ex pretio tandem a Spectatoribus oblato. Solon tres tantum drachmas ſolvendas decrevit. Scholiaſtes Ariſtophanis. *Spectavi* (inquit) *duos obulos ferens*. Ut ſpectarent pauperes, obuli hi duo viritim accipiebantur de ærario. Jam vero ut luxurioſe omnia dilapidentur, nummus ſaltem aureus ſolvendus eſt. Quicquid igitur ad Theatrum ſpectat, undique majorem redolet, quam apud veteres, improbitatem.

PROPOSITIO II. Comparatione antiquarum deſpiciendæ magis ſunt nonnullæ Comœdiæ recentiores.

Nihil aliud erat Comœdia vetus, quam hymnus, aut carmen in honorem Divorum, ad cujus exemplum conſcripta traditur ab Homero Odyſſæa: ideoque non male Florentinus Dantes editum a ſe Etruſcum Carmen elegantiſſimum inſcripſit *divinam Comœdiam*. Huic comœdiæ veteri quis auſit incomptas theatricaſque fabulas comparare. Fertur primus omnium Æſchylus pro uno hiſtriones tres poſuiſſe: parvus adhuc numerus, & abſque feminis; quod ſane Comicorum noſtrorum multitudini, ſexuſque diſcrimini, nota eſt dedecoris, & infamiæ. Adinvente poſthac poemata Dramatica, Tragicum, Comicum, Satyricum, & Mimicum: & Tragœdiam dicitur inveniſſe Theſpis, atque Syracuſis excoluiſſe Epicharmus, Romæ autem Livius Andronicus, omnium primi. Finis quidem horum voluptas: ſed non alia, quam parit ſermo *conſtans rythmo, harmonia, & numero*, inquit Ariſtoteles de Arte Poetica capite 6. Nunc voluptatem Scenici exercitant verborum improprietate ac turpitudine, impudico corporis geſtu, ornatu veſtitu immodico, & moribus debacchantium. Liberior quidem ſermo in aliis a Tragœdia Carminibus, ſed incredibile dictu, verum tamen! honeſtior Thais, & Bacchis Terentiana, quam Coriſca, & Dorinda Guarini. In antiquis Comœdiis etſi aliquando acclamatum; plauſum vix expleto opere captabant Actores: erantque id, ut Quintilianus ſcribit, pars Epilogi. Abſolvebatur enim fabula, ut in Truculento Plauti, verſu, *Spectatores bene valete, plaudite, exurgite*; aut in Eunucho, vel Phormione Terentii, his verbis, *Vos valete, & plaudite*; aut conſimilibus aliis. Plena nunc omnia ſtrepitu, cachinnatione, riſuque ſoluto. Etiam proleno decore expoliata eſt Comœdia recens: in qua invenies Cataſtrophen in Protaſi, nec diſtinguere vales motoriam a ſtataria: nec ſervatum præceptum Horatii in Arte,

Verſibus exponi Tragicis res comica non vult:

imo nec alterum,

Neve minor quinto, neve ſit productior, actu.

Doctis itaque ob dramata incompta ac ſpinoſa, ſciolis propter plebis cachinnos atque tumultus, cunctiſque ob verborum Actorumque licentiam, novæ magis, quam antiquæ Comœdiæ ſunt fugiendæ.

PROPOSITIO III. Hiſtriones inverecundi, aliique inhoneſtæ Comœdiæ actores ſunt hominum iniquiſſimi, & infamia notandi.

Probatur I. ex VIII. libro Apoſtolicarum Conſtit. cap. 32. *Scenicorum ſi quis accedat vir, ſive femina, vel auriga, vel gladiator, vel ſtadii curſor, vel laniſta ſeu ludorum curator, vel Olympicus, vel Choraules, vel Cithariſta, vel Lyriſtes, vel ſaltationem oſtentans, hi aut finem faciant, aut rejiciantur*. II. Tertullianus cap. XXII. de Spectaculis, ait: *Etenim ipſi auctores, & adminiſtratores ſpectaculorum, quadrigarios, Scenicos, Xyſticos, Arenarios illos amantiſſimos, quibus viri animas, feminæ, aut illi etiam, corpora ſua ſubſternunt, propter quos in ea committunt, quæ reprehendunt ex eadem arte, quam magni faciunt, deponunt, imo manifeſte damnant ignominia & capitis mi-*

minutiones, arcentes curia, roſtris, ſenatu, equite, cæteriſque honoribus omnibus, ſimul ac ornamentis quibuſdam: III. Auguſtinus lib. II. de Civit. D. cap. XIII. in hujus rei confirmationem recitat verba Scipionis apud Tullium de Republica, *Cum artem ludicram, ſcenamque totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, ſed etiam tribu moveri notatione cenſoria voluerunt.* Excipiebantur tamen ab hac lege Actores Atellanarum, quæ erant fabulæ ſeveriores ad memoriam revocantes priſcam Italicam diſciplinam. Quamobrem & nos inſectamus tantummodo Comœdias turpes, atque inhoneſtas. IV. D. l. 2. de iis, qui notantur infamia habetur: *Infamia notatur qui artis ludicræ, pronuntiandique cauſa in ſcenam prodierit:* necnon l. 2. §. ultimo ibi inquit Ulpianus, *Qui in ſcenam prodierit, infamis eſt.* Legite etiam Cyprianum Epiſtola 61. Hieronymum in Hilerione, Novellam Juſtiniani XXII., Genettum ad VI. Præceptum, Natalem Alexandrum lib. IV. in Decalogum Reg. XV. & Chriſtianum Lupum ad Canonem LXII. Trullanum.

PROPOSITIO IV. Ingredientes Theatrum, ludicramque ſcenam ſpectantes peccant graviſſime, niſi Comœdie, quod raro contingit, ſit honeſtiſſima.

Rationem profert Lactantius lib. VI. Inſtitut. c. 20. ſcribens: *In ſcenis neſcio an ſit corruptela vitioſior; nam ſcenicæ fabulæ de ſtupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum, & quo magis ſunt eloquentes qui flagitia illa finxerunt, eo magis ſententiarum elegantiam ſuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi & ornati.* Tertullianus pariter citato libro de Spectaculis appellat Theatrum *Veneris ſacrarium*, & adinventa ſcribit *ad ſtuprum, vagamque licentiam.* Exclamat Cyprianus in Epiſtola ad Donatum: *Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum hiſtrionicis geſtibus inquinari!* Tonant conſimili voce Patres reliqui. Nec Patres tantum: etiam Petrarcha dialogo XXX. Bulengerus ipſe citato ſuperius libro, & Hæretici atque Catholici uno ore. Extant Canones arcentes Theatricos e fidelium communione, quod in Spectatorum animis illicitam pariant delectationem, ut V. Synodi, I. Arelatenſis, & Apoſtolicæ Conſtitutiones paullo ſupra productæ. Quid plura? Imperatoriæ leges ſtatuunt graviſſimam eſſe cauſam repudii, ſi conjuges viris invitis & prohibentibus interſint *vel Circenſibus, vel Theatralibus ludis, vel arenarum ſpectaculis*, ut liquet ex L. *Conſenſu*, C. De repudiandis mulieribus.

Quod vero vix poſſit contingere, ut Scenica Opera ad noxias voluptates non præbeant incitamenta; conſtat primum ex eo, quod nullum careat verſu aliquo amatorio, illumque poetæ cantantium affectibus, delinientibus vocibus, & jucundiori ſono debeant accommodare, ut de Comœdiis Lulli ſcribit n. III. Clariſſimus Boſſuetius. Ac præterea ſolent Cantores Scenarum electi ſimul cum fœminis commorari, ac non ſemel turpi conſuetudine implicati verba quoque, ſi qua ſunt, illibata cantus modulatione, ſuſpiriis, voluptaria compoſitione, atque indecentia habitus labefactare. Præterea Scenica ipſa matrimonia quid ſunt aliud, niſi inditæ concupiſcentiæ fomenta ſpectatoribus oculos in ſcenam conjicientibus? quam concupiſcentiam ut Sponſorum connubia frenarent, matrimonia ſerio peracta ſunt inſtituta, addito poſtmodum ſolemni ritu cum Eccleſiæ benedictione. Ad hæc inſectantur Scenici aut maritorum zelotypiam, aut everſionem puellarum, aut rigidam ſolitudinem: unde paulletim diſponuntur mariti ad morem gerendum uxori, virgines ad obſequendum amatoribus, religioſiores homines ad convictum, atque ſocietatem quamlibet frequentandam. Quid inſuper efficiunt Mimici, Satyrici, joculatores, ſervi, ancillæ, & paraſiti ſcenarum, niſi forte complures docent, quo pacto derideant, mordeant, decipiant, ſupplantent? Ipſæ denique ſimulationes, in quibus agendis celebris Comicus Molier indutus perſonam ægroti mortali ac repentino eventu decubuit, ut refert idem Boſſuet n. 5. nihil ſunt aliud, quam inanis oſtentationis, & deteſtandæ hypocriſis documenta. Atque hæc ſunt honeſtiſſimarum comœdiarum condimenta ſalubrima. Videſis quo loco habendæ ſint reliquæ. Prætermitto Feſtorum profanationes; compertum eſt enim Comœdiarum ſpectatores unam vix horam dare divino cultui, unctis vero dimidium ſpectaculis.

Adverſus prædicta opponi ſolet I. quod S. Thomas 2. 2. q. 169. art. 2. doceat officium Hiſtrionum non eſſe per ſe illicitum. II. Scenicas Actiones in nullo Evangelici voluminis textu reprehendi. III. Quæ in Scenis aguntur, non vera eſſe, ſed apparentia. IV. Nihil eſſe quod improbis nequeat exhibere nequitiæ argumentum, ut in 2. Triſtium ajebat Ovidius,

Omnia perverſas poſſunt corrumpere mentes.

Quarto demum aliquam concedendam eſſe unicuique voluptatem.

Ad primum autem reſpondent Natalis Alex. citato lib. IV. Decal. Reg. XV. & Jacobus Boſſuet de Comœdia n. XXXII. a Divo Thoma uſurpatum vocabulum *Hiſtrionis* ampla ſignificatione ad homines, qui honeſtis facetiis delectationem pariunt, deſignandos. Ad alterum num. XX. idem Boſſuet reſpondet, neque in Evangelio expreſſe damnari ludos Gladiatorum, & crates ſanguine in Amphitheatris pugnas: Chriſtum Iſraelitis potiſſimum verba facere, eorumque laudem eſſe maximam nulla excitaſſe theatra: damnari demum illecebras & invitamenta libidinum ubicunque reprehenditur concupiſcentia. Ad tertium vero reſpondet Joannes Chryſoſtomus hom. VI. in Matth. etiam ſimulatione plurimos blande allectari. Ad proximum dico non eſſe morum regulam pulſum in exſilium ob ludicra carmina Poetam: neminem poſſe probare quæ idem addit:

Nec tamen eſt facinus verſus evolvere molles,
Multa licet caſtæ non facienda legant.

Ovidium ipſum hanc præmittere confeſſionem,

Ut tamen hoc fatear; ludi quoque ſemina præbent
Nequitiæ.

Ad ultimum eſto reſponſum: Delectari fas eſt, ſed ſervata regula, quam Epiſtola 12. tradit Auſonius,

Salva mihi veterum maneat dum regula morum.

CAPUT III.

De facie hiſtrionica, perſonis, larvis, & fœminei ſexus imitatione.

TAMETSI quædam de perſonatis attigi ſecunda propoſitione I. Capitis, poſtulant licentia, & abuſus, ut propriis theſibus aliqua ediſſeram.

PROPOSITIO I. In perſonis, larviſque penes nonnullos improbos immoderatior eſt ætate noſtra, quam regnante ſuperſtitione, inanitas.

Antequam facies fictas, ſive perſonas pro ſcenicis ludis excogitaſſet Æſchylus dictus ab Horatio in Arte Poet. *Perſonæ, pallæque repertor honeſtæ*, conſueverunt hiſtriones vultum minio tantum ac fæcibus oblinire; nec in agendis triumphis uſus alius perſonarum, præter factas thriis, ideſt, ficulneis foliis, e quibus derivatum *Triumphi* nomen ſcribit in Diocletiano Zonaras. Motum arbitror e Dæmone primum adverſus pudicitiam perſonarum inventione bellum, unde conſutum Geneſeos III. 7. Adæ, uxoriſque pudori. Cum iſta tamen tam ſimplici conſuetudine perſonatorum, arbitror neminem intemperantiam, & uſum præſentis temporis collaturum: præcellit enim harum perſonarum nequitia non modo ficulneas illas, verum etiam quas Æſchylus, aliique veterum uſurparunt. I. Id ex antiquorum uſu & inſtitutione probatur. Non alia ratione perſonas primus auctor invenit, niſi ut os contectum undique ſonitus ederet claros, atque canoros, ut ſcribit Gellius lib. V. cap. VII., commonſtratque forma earumdem. At ob hoc fine aberrant novæ, quæ ſunt deriſionis, libertatis, inſanientiſque libidinis adminiſtræ. II. Comprobatur ex faciarum ſimilitudine. Fingebantur enim veteres ad riſum quidem accommodatæ, propter quod perſonati dicebantur *gamæ*, aut *manduci*, quæ nomina occurrunt apud Plautum, Juvenalem, & Lucilium, deſignantque perſonas diſtortas, oribuſque deformes: erantque terriculamenta puerorum, unde Martialis ait in Epigrammate 176. lib. 14. *Quæ tu derides, hæc timet ora puer.* Hinc & *Larvæ* dictæ e *Laribus*, foco ſcilicet, & vaporario. Cautum tamen ne alicui ex principibus viderentur adſimiles, tunc enim in certum diſcrimen capitis veniſſent poeta, & actores. Nunc vero tanta perſonati incedunt licentia, ut cujuſque ordinis hominum aſſumant imagines, parumque abeſt, quin ſacros quoque habitus ferant in hippodromo, atque in ambitu platearum. III. Perſonis ipſis curarunt Ethnici inſinuare noſtræ mortalitatis memoriam: conſueverunt enim ponere in cœnaculis larvam, quæ variæ vertebris & articulis flecteretur, hoc prolato diſticho:

Heu, heu, nos miſeros, quam totus homuncio nil eſt!
Sic erimus cuncti, poſtquam nos auferet Orcus.

Nunc autem larvis exultant juvenes, mortiſque imagine triſtique ſenecta quaſi non morituri bacchantur. Atque ideo in ipſorum fronte inſtituit Eccleſia cinerem ſpargere, ſententiæ reſolutionis in pulverem ſingulis repetita. Ita jure merito larvas Chriſtianorum dixi idololatrarum perſonis turpes magis & inquinatas.

PROPOSITIO II. Deteſtabile eſt, mulieres habitu virorum perſonatas incedere, & viciſſim viros veſtimentis mulierum.

Hæc argumenta in hanc rem congeſſere Theologi. I. Depromitur ex capite ſuperius citato Deuteronomii, in quo legitur: *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea: abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc.* Quod non ſolum videtur præceptum ob idololatriam, cujus gratia diximus excogitatam veſtium commutationem; ſed etiam, quod res ſit per ſe turpis & inhoneſta, cum ibidem præſcribantur quæ pietati, & rationi conveniunt. II. Petitur ex antiquo Canone Bracharenſi: *Si*

quis faciem ſuam tranſmutaverit in habitu mulierum, & mulier in habitu virili, emendatione pollicita, tres annos pœniteat. Et ex Canone XIII. Gangrenſi: *Si qua mulier propter eam, quæ exiſtimetur pietatis, exercitationem veſtem mutet, & pro ſolita veſte muliebri virilem ſumat, anathema ſit*. Hoc tamen Canone minime privantur fidelium communione perſonati viri, aut fœminæ, ut ſcribit Nat. Alex. citato lib. IV. Reg. XII. Nam ſeriit anathemate mulieres, quæ aſſumpto habitu virili putabant ſe juſtificari, ut prava docuerat Armenus quidam Epiſcopus: quod liquet ex verbis, & obſervatum a Lupo in Schol. ad LXII. Trullanum. Reprehendit tamen Canon Gangrenſis eam perverſo illo fine veſtium commutationem, & profertur a Theologis, nec non C. *Si qua mulier*, diſt. XXX. III. Sequitur argumentum ab auctoritate Patrum, qui docent ipſam abhorrere naturam, ſi homo mulieris ſpeciem adſumat. Ita nempe tradunt Ambroſius Ep. LXIX. Hieronymus Ep. VIII. & XXII. Petrus Chryſologus Serm. CLV. aliique magno numero laudati a Theologis, atque a Joan. Fabricio, & Alberico Gentili, qui plura de hoc argomento ſcripſerunt.

Vulgaribus iſtis addamus aliqua. Ac primum ſit ab antiquiori hujus mutationis veſtimentorum inſtitutione. Dictum ſupra factam in cultum Martis, ac Veneris. Mulieres togis prætextatis indutæ ſacrificabant in Sacello Mutini, quem Mutunum appellat Lactantius lib. I. Inſtit. c. XX. Adſumebant pariter virilem habitum Ludis Megaleſibus, idest, a die ante nonas Aprilis uſque ad V. Junii, in honorem Matris magnæ. Etiam Antiſtes Herculis ſtolam muliebrem induebat, auctore Plutarcho Græcarum QQ. LVIII. Eſt ergo inceſſus mulierum in veſte virili ſuperſtitionis & idololatriæ purum putum veſtigium: & quamvis non exerceatur modo cum idololatrico cultu, ſingularis ſaltem dementia. Addo præterea profanorum Auctorum teſtimonia. Philo de Fort. *Voluit lex* (inquit) *virum in veſtitu, ſe ut virum gerere, longe ſubmovens tum effeminatos viros, tum plus æque viriles fœminas*: Joſephus ſub finem IV. libri Orig. *Cavete autem, ut neque mulier habitu virili utatur, neque vir ſtola muliebri*. Zeno apud Laertium in ejus vita magnopere vituperatur, quod præceperit promiſcuum uſum veſtimentorum. Columella lib. I. affirmat ſe mirari geſtus effeminatorum, quod a natura ſexum viris denegatum muliebri motu mentiantur. Sed plura de his illuſtris Scriptor Albericus Gentilis de Act. & Spect. Fabularum cap. V. Poſtremo, quænam hujuſmodi veſtimentorum prudens cauſſa? Quænam honeſta delectatio? Qualis in hac permotatione forma decoris? Recte Poeta, etſi alias polluti oris, Faſtorum VI.

Cur vagus incedat tota Tibicen in urbe?
Quid ſibi perſona, quid toga picta volunt?

Oppones I. adhiberi has perſonas lætitiæ cauſſa, non ſuperſtitionis, ideoque non ſacrilegium eſſe, ſed jocum. II. Etiam Meletium Antiochenum antiſtitem pagani Sacerdotis filium indutum fœminea veſte paterno ſubtraxiſſe furori. III. Virgines quoque integerrimas vixiſſe cum Cœnobitis aſſumpto habitu Monachorum. Vide citato loco Chriſtianum Lupum.

Reſpondet ad I. S. Petrus Chryſologus: *Erras, homo, non ſunt hæc ludicra, ſunt crimina. Quis de impietate ludit, de ſacrilegio quis jocatur? Tyrannus eſt, tyranni habitum qui præſumit. Imaginem Dei portare noluit, qui Idoli voluerit portare perſonam*. Alterum diluitur dicendo factum Meletii pueri periculo excuſari: nec reprehendi quæ fiunt cauſſa religionis, aut caritatis, ſed quæ patrantur immodice, intempeſtive, licenter. Reſpondeo ad ultimum in Theodora, aliiſque fœminis, quæ dicuntur Monachorum induiſſe cucullum, mirari nos extraordinariam vocationem, ſeveram pudicitiæ cuſtodiam, exemplum rarum, & ſingulare, quæ in perſonatis deſiderantur: atque his libenter largimur commutandas veſtes, ſi vitæ, pudoriſque immineat periculum; damus, ut imitentur Achillem, qui hortante matre adſumpſit ſpeciem fœmineam ad fatum Trojæ vitandum; de quo Ovidius in Arte:

Turpe, niſi hoc matris precibus tribuiſſet Achilles.

CAPUT IV.

De Choreis, Saltatoribus, & Funambulis.

CONSEQUITUR, ut quarto loco dicamus de tripudiis, quæ corporis motu ſaltuque peraguntur, & quibus florens ætas non paullum oblectatur, & ducitur.

PROPOSITIO I. Saltationes, quarum in ſacris literis fit mentio, damnant quamplures præſentium chorearum abuſus.

Occurrit primo commemoranda ſoror Moſis Maria ductrix fœminei chori, de qua Exodi XV. 20. *Sumpſit ergo Maria propheteſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis, & choris*. Porro in hoc tripudio habetur finis laudis, & jubilatio pro ſoluta populi captivitate: quo fine carent adoleſcentularum noſtrarum choreæ. Deinde mulieres plaudebant hymno, & ſalto ſeorſim a choro virorum, ut colligitur ex textu, & adnotavit Philo in primo libro de Vita Moyſi; ſaltant vero noſtrates cum viris, junctis palmis, brachiiſque quandoque implicatis. Ducebat præterea choros puellarum ſoror principis: eamque reliquæ proſequebantur, cum ſint modo in ſaltatione ductrices vulgares, & meretriculæ. II. Addunt ſacræ literæ exemplum filiæ Jephte, quæ patri revertenti a cæde Ammonitarum, Judic. XI. 34. *occurrit cum tympanis, & choris*. Plaudebat enim ſingulari patris victoriæ. Quod & præſtiterunt mulieres egreſſæ de univerſis urbibus Iſrael, poſteaquam David percuſſerat Philiſthæum. Habes utrobique ſingularem lætitiæ cauſſam, idest, idololatrarum proſtrationem: unde hæc fœminarum tripudia dicuntur a Joſepho libro XII. Originum XII. *αὐλῶδος ἐν ταῖς ἐπινικίοις*, *Luſiones in victoriis*. Funeſtæ fuere ſaltationes iſtæ, nam ex una Jephte amaritudo, filiæ mactatio, & puellarum Iſrael anniverſarius planctus derivarunt; ex altera vero ira, & indignatio Saulis, & tam impia in Davidem perſecutio. Vide cap. XVIII. libri I. Regum. Et tamen hæc filiarum Iſrael tripudia ob ſejunctum a viris choros virginum, communemque lætitiam ſunt harum comparatione honeſtiſſima. III. Habes exemplum aliud in Davide, quem legimus II. Regum VI. 15. 16.: *In jubilo, & in clangore buccinæ, ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino*. Hanc in Dei obſequium choream vetus religio commendat: atque ut ſcribit Ambroſius in Pſ. 118. n. 27. *Saltatio in honorem Dei laudabilis habetur*. Vidimus alicubi in Feſto Corporis Chriſti caſtas adoleſcentulas choros ducere ante Arcam viventem, meminimus Davidis, nec reprehendimus conſuetudinem, niſi tamen avertat a devotione. Verum quid hæc myſteria cum circulis Satanæ? IV. Saltationum documentum, ac ſpecimen exhibet filia Herodiadis apud Marcum cap. VI. 22. & ſeqq. Nemo quidem tam horrendam tripudii cataſtrophen pro choreatum ſtatuenda honeſtate producturus eſt. Audiemus infra de hac ſaltatrice orationem Ambroſii, nam ſufficit in præſentia, nullam aliam fuiſſe Prænuntii Chriſti necatricem, niſi quam his verbis deſcribit lib. 3. Presbyter Juvencus:

In medio Juvenum regina filia virgo
Alternos laterum clinans ſinuamine motus,
Compoſitas cithara jungit modulante choreas.

At de ſacrorum librorum exemplis hæc tantum.

PROPOSITIO II. Ab antiquis Ethnicis ſaltatoribus edocemur quantum dedecet inhoneſtas frequentare choreas.

Legimus quarto libro Antiqq. Homericarum cap. 5. etiam apud Cultores idolorum antiquum morem extitiſſe, ut ſeorſim viri, ac mulieres choreas agitarent, ac primos omnium ſeptem adoleſcentes, qui cum Theſeo fuerunt ſervati, cum totidem puellis ſaltaſſe: quod illuſtris auctor confirmat teſtimonio Euſtathii. Damnatur ergo antiquiori hac conſuetudine promiſcua virorum, ac mulierum ſaltatio; & etiam mos per ſocios Theſei inductus reprehendit adoleſcentium cum nuptis, & adultorum cum virginibus motus ſaltatorios. II. Tradunt hiſtorica monimenta Juvenes tam Romanos, quam Cretenſes ſaltaſſe cum armis; atque ob eam rem ſcribit Socrates optime ſaltantes eſſe bello aptos, exaggeratque Homerus Iliad. XVI. Morionis cujuſdam fortitudinem, quod bonus eſſet ſaltator: & e contra lib. XXIV. ait Priamum reprehendiſſe filios, quod choreas effeminatas molleſque agitarent. Igitur veterum ſaltatio fuit honeſtum pro bello gerendo exercitium, & hoſtes oppugnandi, non pudicitiam contaminandi gymnaſium. III. Saltatores poſthac inſtituti in cultum Deorum. Conſueverunt Atticæ mulieres ad Bacchi ſacra proficiſcentes ſaltare per viam. Idem factum in ſacris aliorum Deorum, & maxime Apollinis in Delpho: ac Romæ inſtituti in honorem Martis, & Herculis Salii, idest Sacerdotes juxta Aram ſaltantes. Veruntamen hinc infertur agitare choreas, quales adhuc aguntur, imitando Herculem furentem, Cyclopa, Daphnem, Nioben, Satyrum, eſſe profanum morem idololatrarum. IV. Inſtituta etiam fateor inhoneſta tripudia, præſertim Feſcennina, & Lupercalia; ſaltationeſque impudicas, uti fuere Bachtriaſmos, Machteriſmos, Apochinos, de quibus eruditus Meurſius. At hæc ſoli probarunt, qui impenſius Venerem coluere: imo eadem aſpernatur etiam contaminatus Poeta, dum ait in Epigrammate LXXIX. libri V.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt ſine fine prurientes
Laſcivos docili tremore lumbos;
Sed quod non grave ſit, nec infacetum,
Parvi tibia condyle ſonabit.

V. Quem corporis motum in ſaltantibus noſtris ab idololatris iſtis uſitatum non offendis? Eſt quidem, ut demonſtrat Julius Cæſar Scaliger de Comœdia cap. XIV. ſleſſus, procurſus, ſaltus, conquinſcentia, divaricatio, claudicatio, ingeniculatio, manuum connixio, conſertio, compectinatio, comploſio, agitatio, commutatio, elatio, jactatio, pedum permutatio, alternatio;

quid

quid plura? etiam ſemorum fluctuatio, quæ ab eodem Scaligero appellatur abominandum ſpectaculum, & in uſu dicitur in ſaltantibus more Hiſpanico. VI. Ne quid veteris inſaniæ obſoleſcat, dantur inter Chriſtianos etiam funambuli, ideſt, ſuper funes ambulantes & ſaltantes. Horum inſaniam deſcribunt Manilius lib. 5. Petronius, & alii apud Bulengerum Tom. IX. Antiqq. Rom. pag. 903. & Joan. Baptiſtam Caſalium de Trag. cap. 2. Nos contenti erimus aſcribere Prudentii verſus.

Inde per aerium pendens audacia funem
Ardua ſecuris ſcandit proſcenia plantis:
Inde feras volucri temeraria corpora ſaltu
Tranſiliunt, mortiſque inter diſcrimina ludunt.

PROPOSITIO III. Qui choreas immodice agit, & ſaltat, a culpa vix erit immunis.

Habes enim, Saltator, in Eccl. cap. IX. 4. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Damnant præterea ſaltationes Eccleſiæ Patres. S. Baſilius Hom. de Ebrietate & lux. ſcribit *terram pedibus laſcive ſaltando contaminari, & pedibus geſtientes juvenum intemperantiam in ſe provocare.* Tertullianus de Corona ſcribit in ſaltatione hominem contaminari ipſo ritus & apparatu idolothytorum. Hieronymus in Epiſt. ad Marcellam idem probat ex eo quod ſaltator *nunc Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in Venerem frangitur:* addit in Hilarione, *nunc tremulus in Cybelem.* S. Ambroſius lib. 2. de Pœnit. docet cap. 6. ſaltationem comitem eſſe deliciarum, atque luxuriæ. In tertio autem de Virgin. inquit: *Ibi enim in tuta verecundia, illecebra ſuſpecta eſt, ubi comes deliciarum eſt extrema ſaltatio. Ab hac virgines Dei procul eſſe deſidero. Nemo enim, ut dixit quidam ſæcularium Doctor,* (Cicero in Orat. pro L. Murena) *ſaltat ſobrius, niſi inſaniat. Quod ſi juxta ſapientiam ſæcularem ſaltationis aut temulentia auctor eſt, aut dementia: quid divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis, cum Joannes præcuntius Chriſti ſaltatricis optione jugulatus exemplo ſit plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quam ſacrilegi furoris amentiam?* Atque poſt multa eloquenter de morte Præcurſoris, iterum ad mulieres orationem convertit: *Quid dicitis vos ſanctæ feminæ? Videte quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Saltet, ſed adulteræ filia. Quæ vero pudica, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem.* Ita alii Patres. Accedit ratio: cum enim mulier, virgo etiam & pudica nimis virorum ſenſus illiciat: quid futurum ſperas, ſi cum ſaltatrice ſaltans & ipſe verſaris? Quantum ſit amoris in ſaltatione lenocinium, novit Poeta qui artem amandi impuro carmine tradens ajebat:

Quis dubitat, quin ſcite velim ſaltare puellam?

Adde incitamento ſaltationis verba, manus, oculos: quæ Franciſcum Petrarcham Scriptorem præclariſſimum impulerunt, ut in Dialogo XXIV. ſcriberet: *Choream Veneris præludium, libidinum ſtimulum, laxamentum licentiæ; ubi libera manus, liberi oculi, liberæ voces.*

PROPOSITIO IV. Feſtis diebus a choreis, & ſaltationibus eſt omnino abſtinendum.

Mandant enim ne feſtivitates Sanctorum, & dies præſertim Dominici tripudiis, & ſaltationibus polluantur, innumeri Canones. Profert canonem 23. Concilii tertii Toletani, decretum Concilii III. Mediolanenſis Tit. I. de Feſtorum dierum cultu, præſcriptionem Concilii Turonenſis anni 1583. alioſque Canones Natalis Alex. lib. IV. Theolog. moralis, de III. Præcepto Regula III. Canones Africanos, qui etiam ſtatuunt eſſe hac in re interpellandam legem Imperialem, producit Lupus ad Canonem II. Trullanum. II. Auguſtinus de X. Chordis cap. XIII. inſtituens ſermonem de obſervatione Sabbati: *Dicitur* (inquit) *tibi ut ſpiritaliter obſerves ſabbatum, non quomodo Judæi obſervant ſabbatum, carnali otio. Vacare enim volunt ad nugas, & ad luxurias ſuas. Melius enim faceret Judæus in agro ſuo aliquid utile, quam in Theatro ſeditioſus exiſteret; & melius fœminæ eorum die ſabbati lanam facerent, quam in Neomeniis ſuis impudice ſaltarent.* Atque Conc. I. in Pſ. XXXII. *Melius utique tota die foderent, quam tota die ſaltarent.* III. In promptu eſt ratio manifeſta. Cum enim prohibeantur diebus feſtis ſervilia opera, non quod ſuapte natura mala ſint, ſed quia a divino cultu poſſunt retrahere: conſequens eſt, ut ſpeciali titulo vetita dicantur tripudia, choreæ, & oblectamenta iſtiuſmodi, quibus non ſolum a Dei cultu avertitur animus, verum etiam torpeſcit noxiarum cupidinum retibus illaqueatur, & irretitus. IV. Civilia quoque jura proſcribunt habitas in feſtis ſaltationes; & ne proferamus plura, liber VI. Capitularium Caroli Magni, & Edictum Henrici II. emanatum an. 1579. in Comitiis Bleſenſibus. Epiſcoporum autem objurgationes & monita ad Saltatores, & Profanatores Feſtorum exhibent omnes de Theologia morali accuratiores Tractatus, Diœceſanæ Synodi apud Genettum, editæque de Chriſtiana Inſtitutione Catecheſes.

Objicies probari a doctis viris ſententiam Cornelii Nepotis ſcribentis in Præfat. ad Vitas Vir. Illuſtrium, ſaltationes non omnibus honeſtas eſſe vel turpes, ſed judicari ex inſtitutis Majorum. Sed reſpondeo habere nos loco majorum non Bathyllum, non Theſeum, non Lucianum, ſed Arnobium, Lactantium, Baſilium, Ambroſium, cœtumque Sanctiſſimorum Epiſcoporum. Quamquam Cornelius ipſe ſcribit eodem loco leve multis viſum iri, quod in Epaminondæ virtutibus commemoretur ſaltaſſe eum commode. Animadverti etiam paullo ſupra ſaltationes veterum fuiſſe exercitationes ad bellum, & adoleſcentium ac puellarum ſeorſim. Demum etſi talia habenda videantur indifferentia, atque ex majorum inſtitutis judicanda; longe eſſe diverſa in praxi, ſive, ut loquuntur Theologi, *in individuo*, commonſtrat juvenum intemperantia, multiplex libidinum incitamentum, ipſaque magiſtra rerum experientia.

Præterea objicies, beatiſſimum Franciſcum Saleſium ſaltationes permittere P. tertia Introductionis ad Vitam devotam cap. 34. Verum quos alloquitur Director ille caſtiſſimus? *Philotheam* ſuam, Virginem ſcilicet honeſtiſſimam, Dei amore ſuccenſam, cum propinquis notiſque, coram parentibus, cœtu honorifico, maximoque ornamento decoris commorantem. Quid putas dicturum Saleſium cum ignotis fœminis, facie oblinita, blandiloquis, perſonatis, ornatiſque citra pudorem, choreas incompoſitas, aſſiduaſque ducentibus? Sed & Philotheæ præſcribit Franciſcus ne ſaltet hiſce ni... I. Animi duntaxat recreandi gratia. II. Ut id agat ad breve tempus. III. Perraro. IV. Servatis prudentiæ regulis. V. Ita ut ad choream invitanti obſequatur puella non deviando ab ordine caritatis. Quæ nonniſi Philothea ſervabit, bene ſcilicet morata, ſanctis imbuta inſtitutis, præventa divino auxilio, tripudia anxioſe non quæritans, & quam albo notabis carbone. Conſueta ergo tripudia devites; nam & Perſius Satyra VI. inquit:

Hæc miſcere nefas, nec cum ſis cetera foſſor,
Tres tantum ad numeros Satyri movere Bathylli.

CAPUT V.

De Cantu Muſicorum, & Symphoniis impuriſque carminibus.

PROXIMO a voluptariis ſaltationibus loco ponenda ſunt oblectamenta, quæ capiuntur Muſicis cantilenis, & concenſo ſono inſtrumentorum.

PROP. I. Quidam cantores & Muſici, niſi ſuperant, adæquant veterum improbitatem; & ſingulare erit exemplum, niſi aliqui ſint flagitioſi, flagitiorumque adminiſtri.

Fuerunt I. olim Citharœdi, Tibicines, aliique pulſatores inſtrumentorum frugi & modeſti. Præter exemplum Davidis, legimus apud Athenæum, Agamemnonem cantorem reliquiſſe monitorem Clytemneſtræ, cui non prius intulit ſtuprum Ægiſthus, quam in inſula occidit cantorem. De hac Cantorum modeſtia legatur Joſeph Laurentius Lucenſis in libro de Præconibus, & Cytharœdis. Quis nunc relinqueret Muſico pudicam uxorem cuſtodiendam? II. Non alia veſte utebantur olim Muſici, quam ad pedes uſque demiſſa, ut ſcribit Apul. II. Florid. atque hanc veſtem pallam dicebant. *Salta ſic cum palla*, inquit Plautus in Menæch. Neque fas erat Muſicis ſudorem abſtergere, niſi ea ipſa veſte, qua erant induti, auct. Tacito lib. Annal. XVI. At noſtræ ætatis Muſici veſtimentorum luxu ſuperant Optimates, principeſque Matronas; quibus etiam ſuperbia elati, plauſuque tumidi audent ſe comparare. III. Ad cantus quod attinet cantus, veteres *probarant tantum ſimpliciores modulationes*, inquit Plutarchus in Inſtitutis Laconicis. Antiquam hanc muſicam immutari prohibet Plato in lib. de Muſica, *ne priſtini mores labaſcant*: Lacedæmoniorum autem *erat muſica modeſta, & ſevera, moribuſque eorum conſentanea, gravitatem cum vetuſtate repræſentans, non levis aliqua, vel ludicra aut aures voluptate demulcens*, ait lib. 3. de Repub. Laced. Tab. VIII. Inſt. 9. Nicolaus Cragius. Ad morum nunc corruptelam omnis modulatio theatrica, hilaris & profana, cantica etiam ſacra corrumpit. IV. Cantare maxime in ſacris cum Tibiis Alcibiades apud Plutarchum refugit tamquam rem ſordidam & illiberalem, quod vix poſſis vultum dignoſcere inflantis tibiam, & hujus ſonus obſtruat vocem, & verſus incidat. Utebantur tali ſono Spartani, & Cretenſes in Bello, ut refert Jo. Meurſius. Quis ergo rationis compos probet in templo tumultuoſam muſicen, qua perſonantia exultant theatra, currunt equi, & armati diſponuntur ad pugnam; & non gravem illam, dulciſonam, nobiliſſimamque, qua Romæ in Pontificio Sacello divina celebrantur officia? V. Donatio Muſica olim tenuiſſima, licet poſtea modum exceſſerit, ut Poetarum, unde miratur Horat. lib. 2. Ep. I. Cherilum pro ſingulis verſibus, iiſque incultis, accepiſſe ab Alexandro aureos ſtateres. Verum quis Cantoribus noſtris locupletior, in quos effundi videmus ſubſidia pauperum, philoſophorum ſtipendia, nec non poetarum, quorum illi carmina concinunt, mercedes? VI. Inter vitia Neronis connumerat cap. XX. Suetonius artes, quibus ad molliendam vocem utebatur: neque has duntaxat adhibent hodie Muſici; evitant præterea pueros, ut vocem

Digitized by Google

eam imitentur femineam: quod ſane deteſtandum eſt, & crimen proximum homicidio: & cum omnes reprehendant jure merito Origenem, qui ſe ſervandæ caſtitatis gratia imprudenter exſecuit, nonniſi ſceleſtiſſimus erit exiſtimandus, quiſquis ad vocis illecebram, & lenitudinem, facit ſpadones, ſive, ut veteres appellant Canones, τὰς ἀνάγκης ἐξ ἐπηρείας, eunuchos per injuriam. VII. Etſi non perſequor mores ad civilem inſtitutionem; otii tamen, & peſſimæ occupationis apertum eſt argumentum, quod cantores ignorant *tempus flendi & tempus ridendi*, quod diſtinguendum monet Eccleſiaſtes cap. III. v. 4. nam & in hos quadrat prologuium vetus Horatii lib. 1. Sat. 3.

Omnibus hoc vitium cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati;
Injuſſi nunquam deſiſtant.

Atque ex his conſtat, ſæpe modum excedere oblectationes, quibus Chriſtiani recreantur in Muſicis cantilenis, fidibuſque numeroſe ſonantibus.

PROPOSITIO II. Oportet, ut Chriſtianus gravem, & honeſtum cantum, vel ſonum amet; aſpernetur autem mollem, inverecundum, & illiberalem.

Neque enim damnamus ſacra Cantica in Eccleſijs, vel uſum Organorum, in quæ ſolent Novatores, contemptoreſque ſacrilegi Eccleſiaſticorum rituum contumelioſa verba profundere. I. Commendat iſtorum uſum Sacrum antiqui fœderis volumen. Moſes Domino cecinit, & cantavit, idemque præſtitit Maria, Exodi XV. Canendum ſuper holocauſtis, & pacificis victimis, præcipitur cap. X. Num. 10. A Salomone parata pro Sanctuario Muſicalia inſtrumenta narrat caput X. tertii Regum. Numerum Cantorum habes apud Eſdram lib. 1. cap. II. 65. Neque in veteri teſtamento tantum; lætandum eſſe pſalmis, & hymnis ſpiritualibus, docet Apoſtolus ad Epheſios V. 19. ad Coloſſ. III. 16. Conſentiunt Patres: Tertullianus in Apologetico, *Quiſquis de Scripturis ſanctis*, inquit, *vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere*. S. Pater Auguſtinus lib. IX. Conf. cap. XII. ait, *Pſalterium arripuit Evodius, & cantare cœpit pſalmum, cui reſpondebamus omnis domus*. Ambroſius, & Gregorius etiam cantus rudimenta Clericis tradiderunt. II. At cantus non diſplicet hæreticis omnibus: nolunt in Eccleſiis pulſari organa. Attamen hæc etiam ſacri libri traditio, eademque ratio defendit. Legimus enim 2. Paralip. XXXIV. 12. fuiſſe Levitas, *ſcientes organis canere*, & Pſalmiſta ait Pſ. cl. 5. *Laudate eum in chordis, & organo*. Traditionem in his, quæ ad ritus, & diſciplinam pertinent, neceſſum non eſt explorare; cum poſſit Eccleſia inſtituere quicquid ad pietatem excitandam loco, ac tempori videt magis congruere. Legi tamen in Theſauro Martena Tom. 3. p. 488. Chronicon Sancti Bertini ſcribentis Conſtantinum Imperatorem Leonis filium anno 78. miſiſſe Popino encænia quædam, & Organum unum. Non negis veteres Chriſtianos frequentes ceciniſſe abſque inſtrumentis, ſive, ut ſcribit Auctor QQ. ad Orthod. Reſp. CVII. *aſſa voce*. Sed non omnia, quæ ad templi ornatum, & Sacrificiorum decorem conferunt, habere potuerunt antiquiores Chriſtiani. Fallitur autem Calvinus dicens, organa reponenda inter ritus legis Moſaicæ abrogatos: nam organa non ſunt figuræ quædam futurorum poſt conſummationem abjiciendæ: ſunt, quomodo hymnorum cantus, ſpiritualis lætitiæ cauſſa; nec adinventa a Moſe, ſed perſiſtente lege naturæ, a Jubal, Gen. IV. 21. Similiter ſacræ veſtes, candelæ, incenſum, & alia a Romanis Clericis uſurpata, quos excitent devotionem in populo, & diſtinguant ſacra miniſteria a profanis, perperam ab impiis ſubſannatoribus irridentur. III. Idcirco fateor modulationes a devotione amoventes, aut theatricarum cantionum numeris conformatas a Templis eliminandas Chriſtianorum, ne videantur hi minus ſapere Plutarcho, Platone, & Lacedæmoniis, de quibus prop. præced. n. 3. necnon Decemviris, quorum lex erat in Tabulis: *Popularem lætitiam in cantu, & fidibus moderanto, eamque cum Divum honore jungunto*! Laconicis demum, quos in feſtivitatibus adhibuiſſe cantum ſimplicem, & gravem, liquet ex libro Ubbonis de Laconum Republica. Devotionis autem incitamento addimus ſacrorum hymnorum, pſalmorumque caſtiſſimam venuſtatem; quam violare non debent cantores ſcenici, ne de Eccleſiæ Canticis ſit repetendum, quod de Oſcis impuris cantoribus, unde nomen obſcœnitatis deductum, quoniam eodem modulamine canebant ſacra, arbitror dictum a Juvenali Sat. III.

Et divina Opici rodebant carmina mures.

IV. Præter ſacra, honeſta Cantica dummodo cum ſobrietate temperentur, arbitror permittenda. Tympaniſtrias enim virgines, & Citharœdos ſæpe divinæ literæ laudant. Cantent & ruſtici culturæ agrorum intenti. Vocem molæ, ideſt, puellarum molam torquentium memorat Jeremias cap. XXV. 10. quale cenſet Grotius canticum illud:

Mola, tu molito, molito.
Facit & Pittacus iſtud
Magnæ dominator Mitylenæ.

V. A cantilenis autem amatoriis, tamquam a veneficio, & peſte animorum caveto. Ait enim Ambroſius in 1. de Officiis cap. XVIII. *In ipſo canendi genere prima diſciplina verecundia eſt*. Et Auguſtinus de X. Chordis cap. IV. *Quare ambulemus delectati vanis canticis, nulli rei profuturis ad tempus dulcibus, in poſterum amaris? Talibus enim turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, & decidunt a virtute defluentes in turpitudinem, & propter ipſas turpitudines poſtea ſentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt, quod cum dulcedine temporali biberunt*. Verum in eundem ſcopum collineant mox dicenda de Carminibus Poetarum.

PROPOSITIO III. Chriſtiani prohibentur figmenta legere poetarum.

Habetur cap. *Ideo prohibetur*, diſt. XXXVII. & ratio ibidem redditur: *quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiva libidinum*. Deſumptus eſt Canon ex lib. 3. Sent. Iſidori de ſummo Bono cap. XIII. Perſtringit fabulas Poetarum S. P. Auguſtinus in Epiſt. ad Memorium, lib. X. de Civit. Dei cap. XIV., alibi. *Dæmonum cibum* appellitabat Hieronymus. Inter Regulas damnandorum librorum ad calcem Tridentini, habetur conſequens: *Libri, qui res laſcivas, ſeu obſcenas ex profeſſo tractant, narrant, aut docent, omnino prohibentur, &c.* Et jure, meritoque; cum enim corrumpant bonos mores colloquia mala; nil poteſt illos magis inquinare, quam cantus, & carmen obſcenum, quoniam & hæc colloquia mala ſunt, atque ſermonis venere, numeris, fabulis, verbiſque flexanimis aures artificio, veneficioque demulcent. Atque idem aſſerendum eſt de fabulis ſoluta oratione conſcriptis, & extra pudoris limites divagantibus.

CAPUT VI.

De ludis, in quibus homines delectationis cauſa exercentur.

JAM vero dicam de ludis, quorum nomine non ſcholam ſignifico, unde appellatur præceptor cum Iſocrate, & Epicuri patre Ludi magiſter, ſed de iis, quos Tullius dixit ludos luſionis, ſcribens ad Q. Fr. *Ducebam Ciceronem meum in ludum diſcendi, non luſionis*.

PROPOSITIO I. Ludere permittantur pueri communibus, & perantiquis luſionibus, quæ innoxiæ ſunt, & ab adultis ratione ipſa ſuadente rejiciuntur.

Sunt hi ludi. I. Trochus, & bombex cujus generis duo ex Magno Baſilio Orat. 5., Platone lib. 4. de legibus, & Ovidio 2. Triſt., etiam antiquitus extiterunt: trochi ſcilicet, qui ſcutica agitantur, & qui cuſpidem habentes loro ejecti circumvolvuntur: atque iſtud ludi genus dixere latini, *trochum agitare*, aut, *buxum torquere*. II. Muſca ænea, quo ludo puer clauſis oculis circumambulat, donec aliquem manu apprehendat; ſic luſio dicta, quod apud Græcos puer ille olim dixerit, χαλκῆν μυῖαν θηράσω, *Æneam muſcam venabor*; ceteri reſponderent, θηράσεις, ἀλλ' οὐ λήψει, *venaberis, ſed non capies*. III. Ludus dictus Pentalitha, ideſt, quinque lapillorum, de quo Pollux lib. IX. cap. 7. ſcribit, lapillos aut calculos ſurſum propelli, & cadentes recipi vola converſæ manus ſuperiori. IV. Accedit quem vocant Græci Artiazein, dum in talorum multitudine jubetur puer divinare numerum, aut par, vel impar: de quo ludo Pollux ibidem, Suetonius in Auguſto, & Venuſinus Poeta lib. 2. Sat. III.

Ludere par, impar, equitare in arundine longa.

Reliquas puerilium ludorum ſpecies tradit ſingulari libro Meurſius. Fortaſſis præter modum, hæc perpauca exempla propoſuiſſe.

PROPOSITIO II. Permitti poteſt Adoleſcentibus ludus latrunculorum.

Latrunculorum ludum appello, quod Itali dicimus Scacchia, vel Scacchos, appellabant autem antiqui Græci ζατρίκιον; quamquam nonnulli putant inter latrunculos, Scacchia, & zatricion aliquid intereſſe diſcriminis. At referebant hi omnes ludi belli imaginem, ut obſervarunt Meurſius, Daniel Souterius, Dempſterus, alii. Hoc ludi genus innoxium ſcribunt Panormitanus, Navarrus, & complures laudati a Cl. Ordinis Scriptore Angelo Rocca in Commentario contra ludum Alearum. Probant omnes licitam hanc luſionem, propterea quod non ſorte aliqua conſiſtit, ſed ingenio. Præter iſtos viros illuſtres non probarunt ſolum, verum & celebrarunt ludum hujuſmodi carmina Poetæ, ac Theologi perecelebris Hieronymi Vida Epiſcopi Albenſis. Inter ejus Poemata extat Scaccheides, cujus initium eſt:

Ludimus effigiem belli, ſimulataque veris
Prælia, buxo acies fictas, & ludicra regna:
Ut gemini inter ſe reges, albuſque, nigerque
Pro laude oppoſiti certant bicoloribus armis.

Ve-

Digitized by Google

Verum tamen eſt, S. Petrum Damianum Epiſt. x. libri I. ludum latrunculorum reprehendere non minus, ac alearum. At, quomodo animadvertit laudatus Angelus Rocca, ſcribit Damianus ad Epiſcopum, qui nimia frequentia, & coram ſæcularibus tempus latrunculis ludendo terebat. Tenendus eſt autem etiam in oblectamentis modus; pluraque exerceri poſſunt ab adoleſcentibus, quæ non decent Epiſcopum. Poteſt etiam loci, & perſonæ conditio honeſtatem ludi vitiare: neque enim in ludo latrunculorum laudanda eſt ars, quam puellæ tradidit Ovidius in III.

Cautaque non ſtulte latronum prælia ludat.
Unus cum gemino diſcolor hoſte perit.

PROPOSITIO III. Ludus alearum, tanquam omnis nequitiæ ſeminarium, eliminandus, & abjiciendus omnino eſt.

Dicitur Alea non ſolum ludere depictis chartis, verum & quolibet ludo, in quo rationi conſilioque prævalet caſus, & temeritas, ſive chartis ludatur, ſive taxillis. Hujus autem ludi pravitatem Ethnici ipſi, Patres, Leges, Canones, & manifeſta ratio commonſtrant. I. Commemoravi Gentiles ipſos Scriptores; nec immerito. Etenim inter Latinos Cicero 2. Philipp. Antonium appellat hominem nequiſſimum, quod non dubitaret vel in foro alea ludere. Suetonius in Auguſto ſcribit, juvenem infamia notatum, quod luſiſſet alea. Seneca eam ſententiam protulit: *Aleator quanto in arte melior eſt, tanto eſt nequior.* Horatius lib. III. Od. 24. ait, *Vetita legibus alea:* & Ovidius 2. Triſt.

Sunt aliæ ſcriptæ, quibus alea luditur, artes:
Hac eſt ad veſtros non leve crimen avos.

Ex Græcis autem, legimus apud Laertium lib. 3. a Platone graviter cæſum adoleſcentem, quod alea luſiſſet. Chilus a Spartanis miſſus Corinthum, ut una jungeret fœdera, videns ibidem nonnullos ludentes alea, *Abſit*, inquit, *ut Spartani cum Aleatoribus ineant ſocietatem*. Ariſtoteles ajebat, tam aleatorem, quam furem eſſe illiberales, & turpis lucri ſectatores. Xenophon aleæ luſum dicebat deceptricem dominam voluptatem. Plura de his Angelus Rocca, & Daniel Souterius.

At veniamus ad Patres: Clemens Alexand. lib. 3. Pæd. cap. 2. ait: *Inconſideratum luxuria amorem otioſis iſthæc aleæ oblectamina ſuppeditare, deſidiamque in cauſſa eſſe.* S. Cyprianus, aut alius antiquus Scriptor de Aleatoribus inter Cypriani Opera: *Alea tabulam dico, ubi Diabolus præſto eſt, ad capiendum ſummiſſus, & cum cœperit de captivo triumphum, perfidia, falſa teſtimonia. Tabulam aleæ dico, ubi dementia, & furia, & venale perjurium, & colloquium ſerpentinum: Illic rabioſa amicitia, illic atrociſſimi ſceleris fraternitas diſcordans, illic convicia, & audacia ſæva, & mens inſana, & fera impatientia. Alea tabulam dico, ubi poſſeſſionum amiſſio, & pecuniarum ingentium perditio, monſtrum, & demonſtrans litigioſum furax dementia.* Appellat idem Auctor Aleatores crudeles, truces, noxios, inſomnes, armigeros. Chryſoſtomus hom. XXXIII. in Ev. Joan. *Quæ enim Aleatorum* (inquit) *aliquod Chriſtiano dignum opus aggreditur?* Et Iſid. lib. XVIII. Orig. cap. 67. *Ab hac arte fraus & mendacium nunquam abeſt, poſtremo & odium, & damna rerum.*

Quantæ autem leges in Aleatores latæ fuit! Prohibuerunt ludum aleæ Ferdinandus Rex Aragoniæ, Philippus Adeodatus Rex Galliarum, Jacobus I. Rex Magnæ Britanniæ, S. Ludovicus, Henricus III. Carolus VII. Reges Franciæ; quorum omnium, aliorumque Principum adverſus Aleatores Statuta affert citato libro Souterius. Producimus nos tantummodo legem Juſtinianeam, *Commodis ſubjectorum proſpicientes hac lege decernimus, ut nulli liceat in publicis vel privatis domibus, vel locis alea ludere:* l. 3. tit. 43. Cod., & Ulpianus docet juxta leges non dari judicium, ſi quis verberaverit, aut damnum intulerit ei, apud quem habetur ludus aleæ, D. tit. v. de Aleatoribus L. *Prætor*. Conſentiunt leges Canonicæ, cap. *Inter dilectos*, de Exceſſu Prælatorum, & c. 8. diſt. 35. canon. I. Synodi VI., Concilii Lateranenſis ſub Innoc. III. caput XVI. Concilium Mediolanenſe ſub S. Carolo, & Aquilejenſe celebratum regnante Clemente VIII. Sed hos Canones accurate collegit Angelus Rocca, quem videas.

Rationem experimento comprobatam jam teneto. Nemo quantumvis flagitioſiſſimus univerſum decalogum frangit, quemadmodum Aleator. Is Deo cultum denegare convincitur ab erudito Scriptore inter Opera Cypriani, de quo paullo ſupra; quoniam diabolus, *cum olim ſe in ſtatunculis & ſimulacris formaret, aliud crimen adinvenit, quo ſe ab imitatoribus ſuis colendum, & ſibi ſacrificandum inſtituit.* In Divos vero quantum Aleatores irreverentes ſint, cum quotidianum experimentum avincit, tum ſeries mirabilium eventuum, quæ ſub finem laudati Operis enarrat Rocca. Divinum nomen contemnere qui ludunt aleam, dum *inſaniunt, & ferociſſimis vocibus pejerant*, res eſt in propatulo, nec mala de Aleatoribus quidam apud Souterium,

Vulnera per Chriſti jurant, per numina Patris:
Omnes per divos, omnia perque ſacra.

Quantum vero præcepta ſecundæ tabulæ tranſgrediantur Aleatores, teſtatur ipſemet Auctor inter Opera S. Martyris Cypriani, ſcribens: *Invicem ſibi manus inferunt, maledicunt, ſe devovent, parentum originem turbis præſentibus dehonorant.* Et ibidem: *Hic concrepat aleæ ſonus, illic ſilentio operatur inceſtus, &c.* Etiam Livius ſcripſit lib. XLV. Ludentes aleam *eſſe in venerem proniores*. Haud male ergo appellavi aleam ſeminarium omnis nequitiæ: & cum plura adverſus Aleatores ſcripſerim, majora tamen prætermitto legenda apud Scriptores nuper laudatos, aliosque, Juriſconſultos, Concionatores, atque Theologos.

CAPUT VII.

De haſtiludio, & ferocium Animalium venatu.

Et cum ſint aliqui ita a natura, & ingenio comparati, ut oblectentur ludis interdum amentis, cujuſmodi eſt torneamentum, vel Trojæ luſus; aut qualibet decurſio ludicra, necnon venatione immaniorum beſtiarum, & furentibus in circo tauris, operæ pretium erit hæc quoque oblectamina vellicari.

PROPOSITIO I. Chriſtianis decurſio ludicra, vel agmen Trojicum prohibetur.

De iis loquor, quæ ferino animo ad vires oſtentandas cum magna animi audacia peraguntur. Vetari enim conſtat a Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. cap. 20. & hab. cap. *Felicis memoriæ*, Extra, de Torneam. *Deteſtabiles illas nundinas, vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum & audaciæ temere congrediuntur, unde mortes hominum & animarum ſæpe proveniunt, fieri prohibemus, &c.* Privandi ibidem dicuntur Eccleſiaſtica ſepultura, qui in hujuſmodi congreſſione occumbunt, tametſi ante mortem pœnitentiam poſcant, eamque obtineant: quod confirmat proximum cap. *Ad audiendam* depromptum ex Romana Synodo ſub Innoc. II. nec non Remenſe Concilium canone x. Item Clem. V. in Conc. Viennenſi hujuſmodi decurſiones prohibuit ſub excommunicatione Sedi Apoſtolicæ reſervata, & ſub interminatione generalis interdicti: quas tamen cenſuras revocavit Joan. XXII. Extrav. unica de Torneamentis. Accedit ratio; quandoquidem inſanientis eſt ludere cum vitæ periculo: &, ludus omnis ut inculpatus ſit, oportet. Neque vitatur periculum ſi milites congrediantur cum haſtis ligneis: ut comprobat miſerabilis caſus Henrici II. Regis Galliarum. Quamobrem requiri arbitramur etiam in ludo Piſanorum, quem Pontis appellitant, aliquod moderati animi temperamentum. Fertur Selimi Turcarum Regis frater cum ludicras has decurſiones ſpectaſſet, dixiſſe, parum ſibi videri, ſi Trojæ luſus fiat ſerio: ſi joco, nimium. Vide Gonzalez ad Tit. XIII. lib. V. Decretalium. Prætermittendum non eſt, exhiberi his ſpectaculis imaginem quamdam veterum Gladiatorum: qui, ut Iſidorus ait lib. XVIII. Orig. cap. 53. ſic atroci perſeverantia inibant pugnam, ut alter in alterius mortem proſiliret. Hanc vero monomachiam ſpectare, nobis interdictum docent antiqui Patres, & præſertim Theophilus Epiſcopus Antiochenus apud Baronium ad annum CXX. n. 30. Dicuntur habuiſſe originem ab excidio Trojæ, in cujus memoriam Aſcanius inſtituerit hos ludos, ut innuit Virgilius in V. Æn.

Hunc morem, hos curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius longam muris cum cingeret Albam
Retulit, & priſcos docuit celebrare Latinos.

Ac propterea dicitur Trojanum agmen, & torneamentum; non, ut, vulgaris fert opinio, e græco, *τορνεύε*, quod eſt *circuire*. Nec opponas permitti certamina, quæ virtutis cauſſa fiunt, ut habetur L. Unica, Cod. de Glad. l. II. Id enim nullatenus tenet, ubicunque aliquod occurrit periculum.

Ad hunc fere modum ſe habet congreſſio Senenſium pugnis certantium, ubi tamen minus occurrit periculum, ideoque & levior noxa: maxime quod bene morati ſunt juvenes congredientes, imbuti optimis diſciplinis, & præ ceteris Italis honeſtatis, literarumque cultores. Quos pugno contendentes pingere videtur Plautus in Bacchide Act. 3. ſc. III.

Ibi curſu, luctando, haſta, diſco, pugilatu, pila,
Saliendo ſe ſe exercebant magis, quam ſcorto, & ſuaviis.
Ibi ſuam ætatem extendebant, non in latebroſis locis.
Inde de hyppodromo, & palæſtra ubi reveniſſes domum,
Cinticulo præcinctus in ſella apud magiſtrum aſſideres;
Cum librum legeres, ſi unam peccaviſſes ſyllabam,
Fieret corium tam maculoſum, quam eſt nutricis pallium.

PROPOSITIO II. *Deteſtanda præ ceteris ſunt ea ſpectacula, in quibus tauri & feræ agitentur in circo, maxime ſi cum illis homines congrediantur.*

Sub Eccleſiaſticis enim cenſuris a ſummis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Clemente VIII. fuere damnata, nec non reprehenduntur a Patribus, & a profanis quoque Scriptoribus. I. Bulla S. Pii, quæ incipit, *De ſalute Gregis*, *Conſiderantes* (inquit) *hæc ſpectacula, ubi tauri, & feræ in circo vel foro agitantur, a pietate & caritate chriſtiana aliena eſſe, ac volentes hæc cruenta turpiaque dæmonum, & non hominum ſpectacula aboleri; ſub excommunicationis, & anathematis pœna ipſo facto incurrendis prohibemus & interdicimus*. Privatur Eccleſiaſtica ſepultura quiſquis ibidem mortuus fuerit, & Clerici prohibentur ſub excommunicationis pœna iiſdem ſpectaculis intereſſe. Habent ſimilia aliorum Pontificum Conſtitutiones. II. Athenagoras in Apologia pro Chriſtianis ait: *Sed nos exiſtimamus cernere cædem affine eſſe homicidio, prohibemus gladiatoria munera, venationes, & hujuſmodi ſpectacula*. Legentur etiam Lactantius lib. VI. divin. Inſtit. cap. c. Ambroſius ſerm. VIII. in Pſalmum 118. Salvianus lib. 6. &c. III. Ipſemet Cicero libro VII. Epiſt. Ep. I. *Quæ poteſt eſſe*, inquit, *homini polito delectatio, cum homo imbecillus a valentiſſima beſtia laniatur?* Bulengerus in libro, quem inſcripſit de Venatione Circi, demonſtrat ideo hanc fuiſſe inſtitutam, ut homines Manibus litarent, & civium animos ad cædes aſſuefacerent. At plura de hoc argumento hiſtoriarum Romanorum Pater Onuphrius noſter Panvinius in Opere de Ludis Circenſibus, & in Notis ad Panvinium Joannes Argolus.

Ferarum tamen inter ſe congreſſio, dummodo nulla hominum cædes impendeat, neque ſpectatores ſint Clerici, tali caret immanitate. Hujuſmodi ſunt, quæ deſcribit lib. I. ſive de Spectaculis Martialis, & Ovidius XI. Metamorph. ut pugna cervorum cum canibus, tauri cum leone, rhinocerontis cum urſo, aquilæ cum tauro. De tali congreſſione ait Prudentius prope finem lib. 2. in Symmachum,

Jam ſolis contenta feris infamis Arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

PROPOSITIO III. *Venatio ſylvatica ſolet conjungi cum violatione tectorum, ideoque non recte omnino exercetur feſtis diebus aucupium, ferarumque captatio.*

Liquet propoſitio I. ex his, quæ diximus cap. IV. prop. 3. & in Expoſitione III. Præcepti Decalogi cap. VIII. de Legibus. Non enim vacandum eſt ad nugas, & oblectamenta, ſed ut reddamus Domino cenſum ſervitutis. II. Nulla apparet in venatione neceſſitas, nullaque excuſatio, ob quam permittetur in die feſto; quemadmodum apparet in teſtamentis, & venditione rerum, quæ aut ad illius diei victum ſunt neceſſariæ, aut pro ægrotis parantur, & eapropter non ſunt in feſtis prohibitæ. At venationis, cui dantes operam vix ſacro interſunt, & integro die, cum robuſtiores ſint, ac liberi, recedunt ſponte ab omni Eccleſiæ ſupplicatione, quænam vel minima excuſans cauſa poteſt proferri? III. Expreſſe etiam, ne diebus feſtis exerceatur venatio, præſcribunt Concilium Meldenſe cap. LXXVI. Caroli Magni Capitula, cap. XXII. aliique canones, de quibus pertractantes cumulatius de morali Theologia. IV. Benigniores Theologi, qui aucupium probarunt in feſto, non denegant ſaltem prohiberi venationem, in qua deteruntur calles, cæduntur rami arborum, & ſimilia fiunt ſervitutis officia; quæ penitus contingit a venatoribus prætermitti.

CAPUT VIII.

De immoderato ſumptu circa veſtes, corporiſque ornamenta.

AT quoniam permulti omnem curam ſtudiumque ponunt in cultu corporis, & cum ſpernant voluptates reliquas, mirifice delectantur apparatu, & luxu veſtimentorum, in his præſens diſquiſitio verſabitur.

PROPOSITIO I. *Summopere deteſtandus eſt vigens in præſentia veſtimentorum cultus immodicus.*

Quippe parum diſtat præſens luxus a veteri Romanorum, quem ipſi profani ſcriptores ac Patres tam vehementi reprehenſione proſecuti ſunt, niſi forte quod antiqui luxus nutrimentum erat copia divitiarum & reipublicæ amplitudo, nunc illum fovet intemperantia, licentia, & cum ſordida paupertate libido. Etenim utuntur & nunc mulieres, & effeminati viri veſtibus preſſioribus, quas in veteribus damnat lib. 28. Ammianus, apud Meurſium de luxu Romanorum: nec deponunt conchylia & purpuras, quibus ut ſcribit Plinius lib. IX. cap. 35. *eadem mater luxuriæ paria pene etiam margaritis pretia fecit*. In uſu ſunt & antiquorum lacernæ, vel penulæ, ſi non ſpectata forma veſtimentorum, quam multivola luxuria permutat, immoderatis profecto ſumptibus, ita ut illud Martialis cum admiratione ſit repetendum: *Emit lacernas millibus decem Baſſus*. Gemunt auribus fœminæ, quemadmodum Seneca ajebat de Beata vita cap. 17., *Locupletis domus cenſum*.

Atque inſuant uno filo unionum, auctore Hieronymo in vita Pauli Eremitarum patris, *villarum pretia*. Etiam in peronibus, ut phraſi utar Tertulliani de Hab. mulierum, uniones emergunt de luto. Quid plura? non in unam fœminarum quadrat præclara Propertii lib. 3. ſententia:

Matrona incedit cenſus induta nepotum.

Igitur adverſus tantam veſtimentorum licentiam, producimus primo ſententiam graviſſimam Apoſtolorum. Nam horum princeps beatiſſimus Petrus Epiſtolæ prioris cap. III. v. 3. *Quarum* (ait de fœminis) *non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus*. Capillaturam appellat Petrus flexum capillum, ſive, ut loquitur Cicero, calamiſtratam comam, ideſt, crinem criſpatum: cultum autem veſtimentorum, mundum omnem muliebrem. Et Paulus in I. ad Timoth. cap. II. v. 9. *Mulieres*, inquit, *in habitu ſancto, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe*. Deinde plura adverſus veſtimentorum ornatus ſcripſere Patres, ac præſertim Tertullianus de Habitu mulierum, Clemens Alexandrinus in libro Pædagogi ſecundo, & tertio, S. Cyprianus de habitu virginum, & S. Hieronymus in Epiſtola ad Lætam. Is etiam refert Prætextatam nobiliſſimam quandam fœminam ab Angelo reprehenſam, & manibus areſcentibus punitam, quod jubente viro Hymetio Euſtochii virginis habitum, cultumque mutaverit. Sed hos Patres perlegas, maxime ad Chriſtianam plebem verba facturus. Tertio enim loco nonnulla promam ex profanis Scriptoribus. Julius Cæſar apud Suetonium cap. 43. uſum conchyliatæ veſtis, & margaritarum nonniſi certis perſonis, & ætatibus conceſſit, ac veſtem præſcripſit cum forma, tum colore perhumilem. Docet Ariſtoteles in Œconomicis, utendum veſte, & reliquo apparatu minore etiam, quam liceat per leges. Phyntis Pithagorica inter præcepta data mulieribus hoc habet: *Auro aut ſmaragdis prorſus ne ornentur*. Ceteros vide apud Clementem Alex. loco citato. Addam 4. rationem theologicam, ac moralem, quod ſcilicet, *Cum omnes templum Dei ſimus illata in nos, & conſecrata Spiritu Sancto, ejus templi æditua, & antiſtita pudicitia eſt, quæ nihil immundum, vel profanum inferri ſinit, ne Deus ille qui inhabitat inquinatam ſedem offenſus derelinquat*. Atque rationem hanc præclariſſimam exſcripſimus ex libro 2. Tertulliani Op. nuper laudati. Perpleces & quam tradit ep. cit. Hieronymus, doceri ipſum habitum, cui promiſſa, & mancipata ſit mulier. Accedit, omnes Chriſtifideles in baptiſmo pompis ſolemniter abrenunciaviſſe. Nec prætermittenda eſt S. Bernardi ad Sophiam virginem exhortatio Ep. CXIII. ubi demonſtrat muliebrem ornatum aliquem habere decorem, ſed non præbere: talem veſtis dicendum eſſe, ſed non veſtiti: indignum eſſe virginem chriſtianam formam a pellibus murium, & operibus vermium ſibi mutuari: mundum nudæ exeuntibus vano deditis ornamento, iſtud relinque, eodem vano vanas ſimiliter alias ſeducturum. Lege Epiſtolam illam elegantiſſimam. Moralis autem ratio erit, quam innuit Sixtus V. Pontifex Maximus in Bulla emanata anno 1586. quæ incipit, *Cum in unoquaque bene, & recte inſtituta republica*, *&c.* ubi oſtenditur ex immoderato circa indumenta ſumptu, familias imminuto patrimonio, & re familiari abſumpta ad paupertatem redigi, & plurima hinc damna, & pericula provenire, cum tamen ad univerſam rempublicam pertineat cives habere locupletes, ejuſque interſit, ne privati rebus ſuis male utantur. Quam Pontificis rationem comprobant, quæ ſupra recitavi ex Hieronymo, & Propertio, & quod ait Tertullianus lib. I. de Cultu fœm. cap. 8. ab iis *de breviſſimis loculis patrimonium grande proferri*. Mitto, quæ hinc emanant, graviſſima incommoda a Theologis, & Concionatoribus enarrata, blaſphemias maritorum, muliercularum cum matronis comparationem, mutuam fœminarum invidentiam, templorum ludibria, & pericula innumera pudicitiæ. Poſtremo prætermittendum non eſt exemplum tam mulierum ornatarum, quas nos divina Hiſtoria docet in flagitia ruiſſe, ut Dinæ, Herodiadis, & quas Ezechiel commemorat capite tertio, ac viceſimo; quam eorum, qui moderationis veſtium ſpecimen exhibuere; qualis inter viros fuit protoparens Adam animalium pellibus coopertus; inter fœminas vero Rebecca, de qua Paulinus Epithalamio ad Julianum:

Pulchra Rebecca ſacrum cum ſponſa veniret ad Iſac,
Simpliciter velo tecta pudoris erat.
Non legitur variis veniſſe ornata lapillis,
Sed ſuper obducto prædita palliolo.

PROPOSITIO II. *At conſuetudo mulierum, quæ faciem ceruſſa, rubore, & conſimili fuco obliniunt, nequiſſimi flagitii complectitur turpitudinem.*

Adverſus hanc fœminarum inſaniam legendus Clemens Alexandrinus in tertio Pædagogi: ubi illam commaculandi acceptam a creatore formam, muliebrem conſuetudinem belle delineans ait: *Supercilia flava habet aliqua? Depingit fuligine. Alicui, ut ea nigra ſint, contingit? Tollit ceruſſa nigrorem. Sunt alicui nimis alba? Unguento ei rubore*

facte

fallo dedit alborem, &c. S. autem Cyprianus de habitu virginum morem illum diabolicum ſequentibus argumentis perſtringit. I. Demonſtrat dæmones ut Dei imaginem ſummo ludibrio poſſent afficere, docuiſſe *oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crines, & expugnare omnem oris, & capitis veritatem*. II. Docet non virgines tantum, aut viduas, ſed & nuptas, atque omnes omnino fœminas admonendas, *Quod opus Dei, & factura ejus, & plaſtica adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut qualibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine*. III. Probat exemplo artificis, cui gravem afferret injuriam quiſquis, poſteaquam ille vultum alicujus, ſpeciemque pictam formavit, colorem obduceret ſignato jam, conſummatoque ſimulacro; atque ſimiliter *manus Deo inferunt, qui id, quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt, neſcientes quia opus Dei eſt omne quod naſcitur, & Diaboli quodcunque mutatur*. Quam poſtremam rationem tangit quoque cap. 6. de cultu fœminarum Tertullianus ſcribens: *In Deum delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt: genas rubore maculant: oculos fuligine colliniunt: diſplicet illis nimirum plaſtica Dei: in ipſis redarguunt, reprehendunt artificem omnium*. Quod & reprehendit S. Paulinus commemorato ad Julianum Epithalamio, ſcribens:

Non fucis male ficta cutem, neque lumina nigro
Pulvere, nec flavo tincta colore comam.
Purum natura decus aſpernata ſuperbo
Crimine divinum in ſe ſibi damnat opus.
Fruſtra hæc ſe mulier jactaverit eſſe pudicam,
Quæ ſe tam variis ornat adulteriis.

Igitur tam prava feminarum conſuetudo nequit a gravi culpa excuſari: cumque in omni compta, nuptaque ſit deteſtabilis, habet in virgine improbæ temeritatis audaciam: & merito Hieronymus ita Lætam compellat: *Cave, ne ceruſſa, & purpuriſſo conſecrata Chriſto ora depingas*. At vetulæ, quarum nonnullæ in his flagitiis operam quandoque perdunt, ad memoriam noſtram revocant feſtiviſſimum illud Plautinum in Moſtellaria:

Nam iſthæc veteres, quæ ſe unguentis unctitant,
Interpoles vetulæ edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Ubi ſeſe ſudor cum unguentis conſociavit, illico
Itidem olent, quaſi cum una multa jura confundit coquus.

PROPOSITIO III. In cultu veſtium maxima præferenda eſt moderatio.

Servandum id præſertim a Clericis. I. Ex præſcripto Canonum; nam 27. Trullanus ait: *Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati ſunt, veſtem ſibi non convenientem induat*: & Synodus Aquiſgranenſis apud Chriſtianum Lupum in Scholio ad Canonem mox laudatum: *Inter utrumque* (ait de humili, & ornata veſte) *virtus diſcretionis moderatiſſime tenenda eſt*. II. Ex ſententia Patrum, inter quos Hieronymus ſcribens de Clericis qui mollia induunt in Epiſtola ad Euſtochium ait: *Tales cum videris, ſponſos magis exiſtimato, quam Clericos*. III. Exemplo ſanctiſſimi Patris Auguſtini: de cujus indumentis ſcribit in ejus vita Poſſidius: *Ex moderato, & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum, quia iis plerique vel jactare ſeſe inſolenter homines ſolent, vel abjicere*. Ubi animadverte rationem productam hoc loco a Poſſidio nec latuiſſe Ariſtotelem ſcribentem lib. IV. Eth. cap. 7. exceſſum pariter, ac defectum in veſtimentis Lacedæmoniorum arrogantiæ ſpecimen habuiſſe. Quod dictum volo generaliter: quibus enim placuere rudis habitus, cilicium, & ſaccus, ſpeciali ducti ſunt ſpiritu humilitatis, ac pœnitentiæ. Pro mulieribus autem tenenda eſt regula Auguſtini in Epiſtola 199. nunc 262. ad Ecdiciam num. 9. *Quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ adhiberi ſolent, merito reprehenſa ſunt: ſed eſt quidam pro modulo perſonæ habitus matronalis a viduali veſte diſtinctus, qui poteſt fidelibus conjugatis ſalva religionis obſervantia convenire*. Legendum etiam documentum Franciſci Saleſii ad Philotheam P. 3. cap. XXV. Placeat nobis hæc veſtimentorum moderatio ob vitæ honeſtatem, non vero ob pervulgatum, lepidumque proloquium,

Vir bene veſtitus, pro veſtibus eſſe peritus
Creditur a mille, quamvis idiota ſit ille.
Si careas veſte, nec ſis veſtitus honeſte,
Nullius es laudis, quamvis ſcis omne quod audis.

Nos quippe neque tangit veſtimentorum amor immodicus, neque inanis gloriæ, aut popularis exiſtimationis cupido.

CAPUT ULTIMUM.

De celebritate conviviorum, atque intempeſtivis compotationibus.

SUNT denique permulti, quorum oblectatio eſt opipare parare convivia, œnophora delibare, & gelidas calidaſque ſorbere potiones: ad quos dirigere congruum eſt partem hujuſce libri poſtremam.

PROPOSITIO I. Splendidus conviviorum apparatus nonniſi a luxu corruptæ Gentilitatis emanavit.

Et quidem non ſolum divina hiſtoria nos docet, quanta abſtinentia ante diluvium Noeticum ad annos plurimos vitam antiqui Patres protraxerint, verum etiam parce admodum ſeſe Gentes reliquas aluiſſe, ipſarum prodidere Scriptores. Nam Servius in primum Æneidos ſcribit, quod tantum in atrio & duobus ferculis epulabantur antiqui: farre ſolo, ac polte uſi ſunt primi Romanæ urbis habitatores; & ſibi manu ſua paraſſe cibos, ſcribit Seneca de Conſolatione cap. IX. Hinc de Curio ait Juvenalis XI. Sat.

parvo quæ legerat horto
Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula, quæ nunc
Squallidus in magna faſtidit compede foſſor.

At poſteaquam Romanorum luxus confregit temperantiæ repagula, modum exceſſit etiam epulantis accubitus. Nam Suetonius refert Julium Cæſarem ad menſam in aureo lecto decubuiſſe: argenteos legimus poſuiſſe Heliogabalum: eburneos ac teſtudineos magni Principes habuere. Imperator Claudius ſcyphum aureum adhibuit, Lucius Craſſus cælatum artificis manu, cryſtallinum immenſi pretii Cæcilius Agricola. Miræ tenuitatis amphoras in templo Capitolino legimus conſecratas. Acceſſit luxus in menſarum miniſtris: nam Dionyſius Tyrannus, ut ait Tullius in Tuſculanis, eximia forma pueros delectos juſſit conſiſtere, eoſque ad nutum illius intuentes diligenter miniſtrare. Virgilius pariter de convivio Didonis ait interfuiſſe magnam puerorum copiam, *Qui Dapibus menſas onerent, & pocula ponant*. Nec defuit delectus luxuſque ciborum, quem Seneca admirans exclamavit: *Dii boni, quantum unus venter deglutit!* nec male Muſonius: *Coqui majore ſtudio, quam agricolæ parantur, & convivia quidem apparant, in quibus agrorum pretia conſumunt*. Quæ omnia ſi florente Romanorum potentia, divitiarum copia, cultuque ſuperbo ipſorum profanorum Scriptorum confeſſione temperantiæ limites exceſſere, tolerari non debent in hoc rerum ſtatu, & maxime inter fideles: ſed omnes magnifice ac ſplendide convivia illi, de quibus Libro X. cecinit Lucanus:

Infudere epulas auro, quod terra, quod aer,
Quod pelagus, Niluſque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quæſivit in orbe,
Non mandante fame multas volucreſque, feraſque.

Sed de conviviorum luxu hæc pauca. Vide Tomi VIII. Romanarum Antiqq. poſtremas elucubrationes.

PROPOSITIO II. Inebriari vino ſcelus eſt nefarium, deteſtabile, atque turpiſſimum.

Quod demonſtratur I. ex Scripturis. Legitur enim Prov. XX. 1. *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas*. Iſ. V. 11. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis*. Apoſtolus autem ad Rom. XIII. 13. monet, ne ambulemus *in comeſſationibus*, & *ebrietatibus*: & ad Eph. V. 18. *Nolite* (inquit) *inebriari vino, in quo eſt omnis luxuria*. Vide & primam ad Timotheum cap. III. v. 8. atque priorem Petri cap. IV. v. 3. Effecta etiam ebrietatis, ac portentoſum inceſtum filiarum Lot profert liber Geneſeos cap. XIX. 32. Fortuitam quoque ebrietatem Noe, qui primus omnium plantavit vineam, ſanctiſſimi viri inquinaſſe modeſtiam, neque ſcandalo caruiſſe, liquet ex cap. VIII. ejuſdem libri v. 22. in quem locum ornate Victor Maſſilienſis libro III. Alethias:

Forte Noe Domini celebrat dum lætus honores
Indulgens epulis, & dulcia pocula libans,
Perſenſit vivos latices, ſomnoque gravante
Victus membra toro poſuit neglecta fideli:
Et evoluta ſimul veſtis ſecreta retexit
Corporis, ac riſum tibi, Cham deterrime, movit.

II. Demonſtratur ex Patribus; quorum magno ex numero duos tantum producam, unum ex Græcis, Magnum Baſilium, qui adverſus ebrietatem ſcripſit celeberrimam Homiliam ordine XIV., alterum ex Latinis, idest, Doctorem maximum Auguſtinum. Et Baſilius quidem principio ſcribit: *Ebrietas dæmon eſt voluntarius, malitiæ mater, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit laſcivum, juſtitiam ignorat, prudentiam extinguit*. Tum probat ebrium nequaquam a brutis differre hoc ſingulari argumento: *Nonne rationis munere,*

Google

re, quam a Deo omnium conditore accepiſti, reliquæ creaturæ omnis factus es dominus, & imperator? Hic igitur mentis lumine per ebrietatem qui ſe privat, jumentis inſipientibus comparatus eſt, & ſimilis factus eſt illis. Poſthac demonſtrat ebrium eſſe brutis ipſis deteriorem, quod nullum animal, ut ebrius homo, ita viſu audituve debilitetur. *Nonne* (inquit) *ebrii familiariſſimos interdum ignorant, alienis vero ſæpe ut domeſticis congrediuntur? An non umbras ſæpe numero tanquam ſulcos, & loca prærupta tranſiliunt?* Deinde recenſet damna quæ proveniunt ex ebrietate in ſpiritum, quorum præcipuum eſt *voluptatis incontinentia omnis, quæ ex vini fonte originem vimque trahens præceps ruit ad omnem impuritatem, atque intemperantiam.* Ulterius oſtendit quomodo ebrioſi corrumpant ipſum habitum corporis, *dum non ſolum abundantia voluptatum ad laſciviam inſanientium illos labefactat, & diſſolutos reddit; ſed & corpus tumidum, putridum, mucoſum, & vitali humore privatum circumferunt.* Ad hæc comparat ingenioſe ebrios idolorum ſimulacris, de quibus in Pſ. CXXXIV. 16. legitur, *Oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, &c.* quoniam *manus paralyſi affectas habent, pedes infirmos, atque emortuos.* Addit perorationem elegantiſſimam. Ex qua Baſilianæ orationis analyſi ſatis turpitudinem ebrietatis arbitror apparere. At Auguſtinus Latinorum nobiliſſimus in fine enarrationis in Pſalmum LIX. de Sanctis Martyribus inquit: *Modo eos ebrioſi calicibus perſequuntur, quos tunc furioſi lapidibus perſequebantur,* propter ebrietates, & comeſſationes in Sanctorum ſolemnitatibus. In Pſalmum vero CIII. n. 14. exclamat: *Quid inſanius ebrio? quid plerumque iracundius?* Quantam demum diligentiam adhibuerit, ut ab Africanis nequitiam hanc maximam in ſacris præſertim diebus evelleret atque amoveret, conſtat ex illius Epiſtola XXII. n. 3. & ex XXIX. ad Alipium Epiſcopum Tagaſtenſem. III. Hactenus dicta etiam rationes ſuppeditant. Commonſtrant enim oriri ex vinolentia innumera incommoda, profanationem teſtorum, iras, luxuriam, blaſphemias, domeſticorum perturbationes atque contemptum, dilapidationem bonorum, omnemque morum corruptelam: emanare inde corporis, ſenſuumque hebetudinem, ac tantam mentis conturbationem, ut in III. de Rerum natura non male Lucretius:

Denique cur hominem, cum vini vis penetravit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor,
Conſequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt,
Et jam cetera de genere hoc quæcunque ſequuntur,
Cur ea ſunt niſi quod vehemens violentia vini
Conturbare animam conſuevit corpore in ipſo?

Vini tamen uſum non damnamus; ſed in compotationibus ſequentia ex S. Paulo colligimus ſervanda eſſe temperamenta: Ac primum illud ſit, quod ſcribit Apoſtolus in priori ad Timotheum, cap. V. 23. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Utendum ergo vino, ſed bene diluto, & modico, præſertim ſtomacho laborantibus. Nam ut ſcribit Juſtinus ad Zenam: *Aqua neceſſitatis eſt, vinum juvandi corporis gratia datum eſt.* Documentum alterum ſpectans ad Clericos habetur in eadem ad Timoth. Epiſtola, cap. III. v. 8. *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, &c.* Quod attendentes Eccleſiaſtici Canones jubent ab officio, vel beneficio ſuſpendi Clericos, qui in vinolentia ſe exhibuerint culpabiles, niſi a Superioribus commoniti ſatisfecerint; ut habetur Cap. *A Crapula*, Extra, de Vita, & honeſt. Clericorum. Monitum tertium Apoſtolicum ſpectat ad Matronas, quas, ne ſint *multo vino ſervientes*, hortatur, ac præcipit Paulus ad Titum cap. II. 3. Legendum & præclarum exemplum S. Matris Monicæ lib. IX. Confeſſ. Auguſtini cap. VIII. n. 18.

PROPOSITIO III. Argumenta, quæ Cardinalis Franciſcus Maria Brancacius, aliique viri docti producunt ad probandum, quod potione cocolatæ Eccleſiaſticum non frangatur jejunium, non videntur fragi Theologo penitus ſatisfacere.

Eſt argumentorum illorum princeps, quod hauſtus cocolatæ potio ſit, non cibus, atque potu ſorbeatur. Eſt autem potus non pervarus, ſed Americanis, atque Hiſpanorum pluribus familiaris, atque communis. At quod natura ſua ad genera potionum pertinet, ſive Americani, ſive Itali ſorbeant, nequit alimenti induere ſubſtantiam. Atque hoc argumentum Brancacii a priori ſententia revocavit celebrem Hiſpanum Medicum Calderam, qui in Tractatu, cui titulus *Tribunal Medico-magicum*, ſtatuerat cocolatis potu jejunium Eccleſiaſticum frangi. Sed huic argumento reſponderi poteſt cocolatam, etiamſi poculo exhauriatur, inter eſculenta, & quidem majoris ſubſtantiæ, connumerandam. Nam Stube Medicus Anglus experimentum monſtravit plus unctuoſi, & nutrientis humoris elici ex una uncia Cacao, quam ex libra bovinæ carnis, ideoque cocolatam ſolidum eſſe alimentum. Thomas Gage refert audiviſſe ſe a fide dignis Americanis, illic eos, qui plura cocolatis pocula ſorbent, fieri quadratos ac pingues. Atque rationem affert, quoniam licet cacao partes permultæ ſint frigidæ, ſunt tamen & aliæ permultæ butyroſæ ac nutrientes, atque his calida alia ingredientia, cinnamomum præſertim, atque vaginula ſunt ad inſtar vehiculi, ut ad hepar, & viſcera diſcurrant, ibique in carnem & pinguedinem coaleſcant. Et quamvis e contra Brancacius ait non ſemel ſe fuiſſe expertum, quod poculum unius conſuetæ potionis cocolatis vix ad ſeptem horas vires ſtomacho languenti ſuppeditat, unde infert falſum eſſe, quod duæ cocolatis unciæ plus dent nutrimenti, quam tres unciæ carnis: communis tamen eſt Medicorum ſententia cocolatam optimum præbere nutrimentum, ut demonſtrat in Bibliotheca Pharmaceuticomedica Jacobus Mangetus. Et quilibet ſorte experiri poterit falſum eſſe allatum a Cardinali Brancacio experimentum, cum non ſemel uno cocolatæ poculo iter agentes perſeverent uſque ad veſperam viribus validiſſimis: quamquam fateor eſſe, qui poſt ſeptem horas eſuriant, non ſolum exhauſto poculo cocolatæ, ſed a prandio quoque, vel cœna. Porro cocolata, etiamſi ſorbeatur, & ad poculenta quodammodo ſpectet, ut etiam lac, capique ſtillatus liquor, non ad extinguendam ſitim, ſed ad vires refocillandas exhauritur: ideoque eſculenti rationem habet, non potionis; aut ſi potionis, talis quidem, quæ nutriat, atque ſuſtentet. At quod inquiunt Americanis cocolatam potum eſſe communem, poteſt principio retorqueri. Si enim inter Americanos jejunium non frangit, quoniam ibi vulgaris eſt potio; violabis profecto jejunium apud Italos, quorum ſinguli tali luxuria non bibunt. Deinde reſpondet noſter Nicephorus Sebaſtus, qui de cocolatis potione diſſertatiunculam edidit, quod licet cocolata eamdem in America, & Italia habeat naturam, uſus tamen regionum debet attendi. Quippe & Græci jejunium frangunt, ſi certis feriis, & maxime majori hebdomada, non ſe abſtineant a vino, ac piſcibus ſanguine concretis: quod in conſuetudine non eſt apud Italos; ac ſimile exemplum profert de refectiuncula, quam appellitant collationem. Melius tamen reſpondebis, ſi dixeris Americanos ſtomacho eſſe debiliores, & ſpectata regionum diverſitate varias potiones, epulaſque adhibendas. At de uno argumento multa ſatis: cetera jam breviter perſequamur.

Probant ergo ſecundo loco jejunium cocolata non frangi, eo quod neque illud frangat vinum, neque cerviſia, quamvis utrique inſit vis nutritiva, & quidem tanta, ut olim ante certamina vina propinarentur athletis, & aliqua ex Galeno æque nutriant, ac porcina caro. Nec cerviſia inter eſculenta cenſetur, tametſi ex frumento, hordeove paretur. At poteſt hæc argumentatio elidi primum negando cerviſia vinoque jejunium non violari, cum oppoſitum ex ipſa vi nutrimenti demonſtret in Theſibus Lovanienſibus cum magna eruditorum caterva Gummarus Huygens. Atque ut demus Brancacio hanc opinionem communiter eſſe exploſam, ſi loquamur de vino aqua diluto, menſiſque vulgaribus uſitato, certa quidem eſt ſi ſermo inſtituatur de vino meraciori, quale aut Galenus commemorat, aut propinabatur athletis. Deinde ſunt, qui negant habere vinum nutriendi vim per ſe, cum non alat natura ſua, ſed efficiat duntaxat digeſtionem alimentorum. Inſuper nemo dixerit nequaquam jejunium frangi vino, cui ſaccharum, cinnamomum, & aliquid eſculenti permiſceas. Occurrit Brancacius reponens ea permixtione accedere vino alendi vires robuſtiores; cum e contra pulvis cocolatis in aquam demerſus vigore priſtino deſtituatur. Sed fallitur fortaſſe. Enimvero cum cocolatæ maſſa partes habeat aliquas frigidas, ſed permultas unctuoſas, ſulphureas, atque inflammabiles, quæ omnes cacao inſunt, adduntur præterea in cocolatis præparatione ſaccharum & cinnamomum; cocolates redactus in pulverem, & demerſus in cocumam calida aqua, lignoque dentato iterum permixtus fit eſculentum ſtomacho frigido percommodum; & particulæ calidiores, ut dictum eſt ſupra, ſolutæ magis ac liberæ fiunt cum humidis aptius vehiculum unctuoſarum, atque nutrientium: unde cocolata hoc pacto ſoluta non minus nutrit, ac ſi illam ſumas maſſa, aut paſtillis, ſed longe melius, ſalubrius, aptoque ſtomachis tam calidis quam frigidis temperamento. Ex quibus diluitur tertia ratio Brancacii, qui contendit demonſtrare cocolatem aquæ permixtione exuere propriam eſculenti naturam, cum illam e contra nanciſcatur perfectiorem.

Argumentum quartum Cardinalis Clariſſimi eſt, quod parvitas materiæ juxta communem Doctorum ſenſum non frangit jejunium Eccleſiaſticum. Verum ſi uni cocolatis unciæ tanta eſt vis nutritiva, ut præclariſſimi Medici Mangetus, Paſquius, Zacchias, Stubeus, aliique obſervarunt; non minus attendenda eſt cocolatis quantitas, quam potionis, ac nutrimenti natura: idque in jejunio maxime Quadrageſimali, quod credimus in Elia & Moyſa præfiguratum, Chriſti conſecratum exemplo, & antiqua & Apoſtolica traditione firmatum, ut eo religioſius ſervari debeat, quo fuit majori auctoritate præſcriptum.

Poſtremum argumentum ad hunc modum ſe habet. Non læditur jejunium medicamentorum potione. Atqui cocolata (inquit Brancacius) *roborat naturalem calorem, gene-*

rat puriorem ſanguinem, cordis ſubſtantiam vivificat, diſſipat flatus, & prodeſt ad ſtomachum roborandum; habet ergo medicamenti naturam, ac tali medicamento uti poſſumus abſque fractione jejunii. Aſt utraque hujus ſyllogiſmi præmiſſa corruit ſponte ſua, & univerſam molem evertit. Nam quantum ad majorem, ut vocant, attinet: vel ægroto medicamentum exhibes, vel ſano ac robuſto. Si ægroto, ejuſdem ſaluti providendum eſſe demonſtrat lex ipſa naturæ. Si autem ſano ac valenti, oportet, ut expendatur qualitas medicaminis. Quod ſi fuerit nutritivum atque eſculentum, nego conſiſtere cum jejunio. Atque ita prior illa propoſitio fluctuat & labaſcit. Sed altera propoſitione tota machina excidit: nam ſi cocolata roborat naturalem calorem, generat puriorem ſanguinem, cordis ſubſtantiam vivificat, diſſipat flatus, & prodeſt ad ſtomachum roborandum; quomodo frigida eſt admodum, nec nutrit, nec cibus eſt, nec ſuſtentat, nec vim habet eſculentorum? Quomodo ſtomacho roborati, & naturali calore robuſti ſervabunt jejunium, ab Eccleſia en fine inſtitutum, ut fideles ab alimentis abſtinentes carnem macerent, & corporis afflictione ſenſus a noxiis retrahant exceſſibus? Recte ergo ſtatui, argumenta pro cocolatis potione allata nequaquam cuilibet frugi Theologo ſatisfacere.

Ne tamen alicui injiciam ſcrupulum, ſi valida alicui videntur, nec reſponſionibus noſtris ullatenus diſſoluta, meminerit is omnes prorſus Theologos, ipſumque Cardinalem ampliſſimum Franciſcum Mariam Brancacium, definire potionem cocolatis non admodum dilutam, ſed concretam ac denſam jejunio dubio procul opponi. Et licet Turrianus quantitatem permittat non excedentem uncias cocolatis duas, dimidium tantum unciæ quidam alii exiſtimant permittendam: unicam vero unciam idem Brancacius, Sebaſtus noſter, atque benigniorum Theologorum pars major. Sed vereor, ne parvam hanc quantitatem complures excedant; nam ſemel inductæ corruptelæ modum ſervare non poſſunt. Eſt autem illa duarum unciarum portio plurimorum conſuetudine recepta; & vir quidam eximius deſcribens eleganti carmine quomodo cocolatæ pararet ſibi potionem, ut extat in notis ad Dithyrambum viri Clariſſimi Franciſci Redi, canebat:

Quin & ſacchaream deciſa in fragmina metam
Comminuo, cumuluſque pari mihi pondere ſurgit,
Mixtaque ſtat juſto ſimul uncia, & uncia metro.

Atque hunc finem habet noſtra de oblectamentis diſſertatio. In qua ſi oratione uſus ſum feſtiva, & poetarum verſibus phalerata; indulgendum tempori, quo eam ſcripſi, tibique, Lector benevole, propono legendam. Neque enim erit qui mihi jure ſuccenſeat, ſi vel ipſa librorum meorum lectione honeſtam aliquam perceperis voluptatem, vel ego a noxiis oblectationibus retrahar hoc ſcribendi, vel diſſerendi genere nunquam fortaſſe a Scholaſticis uſurpato. Non deerunt tamen in libris noſtris dogmata ſublimiora, atque in his maxime, quos proximis voluminibus exornabo.

Explicit Liber viceſimus quartus.

DIS-

DISSERTATIO
AD PROPOSITIONEM QUINTAM
CAPITIS XVI. LIBRI VIGESIMI.

GRAVISSIMA eſt, & libratis momentis expendenda quæſtio de Romani Pontificis in Reges ſummoſque Principes poteſtate. Ad hanc enim evertendam nervos omnes intendunt cum Libertatis, & Declarationis Cleri Gallicani Propugnatores, tum Jureconſulti complures. Sat eſt perlegere Scriptores, qui de Gallicanæ Eccleſiæ Libertatibus diſſeruerunt, ſive pro iis pugnando, ut Joannes Gerſonius, Edmundus Richerius, Joannes Launojus, Petrus Puteanus, Gallice, *Du Puy*, Petrus de Marca, Stephanus Baluzius, Ellies Dupinius, ceteriſque locupletior Jacobus Boſſuet Meldenſis Epiſcopus. Atque Joannes Gerſonius Cancellarius Pariſienſis eorum Theologorum princeps dicitur, qui Romanum Pontificem errori obnoxium, & generali Concilio ſubeſſe tradunt: quæ ſunt Declarationis Gallicanæ anni 1682. articulus 2. & 4. De priori autem, in quo agitur *de Principum poteſtate*, non tam expreſſe, & abſoluta Gerſonius pertractat. Hujus lucubrationes non poſſe inoffenſo prorſus pede percurri, nec debuiſſe a Richerio de integro novis typis excudi, ajebat anno 1615. in Conventu trium Ordinum Regni Galliarum illuſtris Cardinalis Perronius. Edmundi Richerii liber inſcriptus *De Eccleſiaſtica & Politica poteſtate*, ſtatim ac in lucem prodiit anno 1611. cenſura perſtrictus fuit a Provinciali Synodo Senonenſi, necnon a Concilio Aquenſi: rurſus damnatus eſt Romæ decreto S. Congregationis Indicis anno 1622. Refutatus eſt ab Andrea Duvallio celeberrimo Doctore Sorbonico, deinde a Dionyſio Petavio tom. 3. Theolog. Dogmatum libro 13. atque Auctor a Syndicatu Sacræ Facultatis, quem gerebat, regia auctoritate, & Univerſitatis ſententia amotus eſt. Joannis Launoji vindicis ſecularis Poteſtatis acerrimi rigidiorem adverſus Ven. Bellarminum cenſuram, abuſum doctrinæ de Scriptura ac traditione laudati a ſeſe Tridentini Concilii, & argumenta, quæ nec Theologo, nec Philoſopho, imo nec viro gravi digna videntur, carpit Scriptor Anonymus Tract. *de Libertatibus Eccl. Gallicanæ*, impreſſi Leodii anno 1684. lib. 3. cap. 18. Patri *du Puy* volumina fere omnia conſcripta fuerunt poſt Schiſma exortum inter Pontifices Romanos & Avenionenſes, collecta ex auctoribus ſchiſmaticis, & pleriſque, ſi fides Optato Gallo habenda ſit, hæreticis, eaque fulcita probationibus aut nullius roboris, aut imbecillibus. Petri de Marca *Concordia Sacerdotii, & Imperii* ſpirat ſane undique eruditionem: ſed ipſemet in Epiſtola ad Innocentium X. ſcripta anno 1646. VIII. Kal. Octobris, cujus fragmentum producit in ejus vita præfixa poſterioribus *Concordiæ* editionibus Stephanus Baluzius, fatetur eo in libro *Principis partes foviſſe, Præſidemque potius impleviſſe, quam Epiſcopum*. Prælaudato quoque Pontifici, ejuſque cenſuræ Opus illud ſubmiſit, eumque futurum plena mente profitetur *aſſertorem vindicemque libertatis Eccleſiaſticæ*. Jura item Apoſtolicæ Sedis, quæ cenſebatur violaſſe, variis editis Opuſculis confirmavit, faſſus in Schedula a Baluzio in lucem edita, ex privilegiis Apoſtolicis, non autem mero judicio regio in Galliis obtinuiſſe, quidquid illic agitur *præter canonum, & Decretalium mentem circa res Eccleſiaſticas*. De defenſione doctiſſimi Meldenſium Epiſcopi, opere quidem elaboratiſſimo, nihil aliud affirmabo, niſi poſthumum eſſe, & judicio plurimorum ſuppoſitum: quod non auſim certo & indubitanter aſſerere. Hoc autem, in quo omnia continentur & expenduntur, perlecto, non opus eſt ceteros defenſores libertatum Cleri Gallicani ſingillatim commemorare.

Nec immorabor auctores recenſendo, qui *indirectam* Romani Pontificis poteſtatem in Reges, Principeſque propugnant. Laudavi ſupra Ven. Bellarminum, & B. Auguſtinum Triumphum, cum quo eamdem poteſtatem poſſe *directam* appellari, animi corporiſque exemplo aſſeruimus. Bellarminus quidem, aliique a nomine poteſtatis *directæ* abhorrent: quoniam poteſtas Pontificum Romanorum in Reges non eſt ordinaria, atque immediate ex jure ſpiritalis regni proficiſcens, ſed incidens, acceſſoria, & urgente cauſa adveniens, uſurpanda nimirum, quando Principum civile regimen tendit in deſtructionem regni ſpiritualis. At hanc malo appellare *mediatam*, quam *indirectam*: ideoque nomine tenus, non re, a Bellarmino diſceſſimus; nulla autem ratione ab Auguſtino Triumpho, aliiſque *directam* poteſtatem illam vocantibus. Sane certiſſimum eſſe arbitror, ex data a Chriſto Romanis Pontificibus poteſtate non conſequi collatam iis eſſe æquo jure ſpiritualium ac temporalium rerum curam & regimen: alioqui foret Papa in univerſo terrarum orbe non ſolum Pontifex Maximus, ſed etiam Rex ſummus, ac ſupremus Dominus temporalis; quod utique repugnat ipſorum Pontificum Romanorum teſtimoniis paulo poſt producendis. Quamquam clariſſimus Meldenſis Epiſcopus libro 4. cap. 2. explicata Bellarmini ſententia animadvertit, parum, aut nihil referre, ſi poteſtas illa Pontificum in Reges *directa*, vel *indirecta* dicatur. Propugnatores enim *indirectæ* poteſtatis docent omnia temporalia referenda eſſe ad ſpiritualia tamquam ad finem, ideoque illum, qui præeſt fini, præeſſe etiam mediis, & conſequenter poſſe imperare quæ ad conſecutionem finis conducunt, atque ea, quæ conſecutionem ipſam impediunt, amovere. Quare Ven. Bellarminus *De Rom. Pontifice cap.* 7. ait, omnem ſecularem poteſtatem eatenus in temporalibus eſſe Papæ ſubjectam, quatenus abuſio aut negligentia Chriſtianorum Regum circa temporalia nata ſunt impedire finem ſpiritualem, in quem Papa habet univerſam Eccleſiam dirigere. Hujus ſubjectionis cauſa tradunt poſſe a Romano Pontifice deponi Reges Principeſque Chriſtianos ob crimen hæreſis & Apoſtaſiæ a Fide, & ob aliud graviſſimum ſcelus, quo excommunicationis pœnæ ſubjaceant: idque S. Gregorii VII. potiſſimum exemplo declarant. Nullo etiam patrato ſcelere, docent poſſe deponi Regem, ſi ineptus ſit, & inſufficiens, maxime ſi ejus depoſitio conducat Eccleſiæ utilitati, & ſaluti animarum; quemadmodum, inquiunt, Zacharias depoſuit Francorum Regem Childericum. Addunt etiam Imperium ab uno in alium poſſe transferri, etiamſi ille, a quo transfertur, neque hæreſi, neque alio crimine notatur, neque excommunicatus ſit, neque ad moderandum imperium ineptus, vel inſufficiens, dummodo id poſtulet Eccleſiæ catholicæ utilitas: qua tantum ratione affirmant ab Irene Auguſta religioſiſſima femina translatum fuiſſe imperium ad Carolum Magnum auctoritate Romani Pontificis Leonis III. Etiam docent Pontificis eſſe uno Rege depoſito alterum pro ſuo lubitu ſubſtituere, ut Rodulphum Henrico, Pipinum Childerico, Carolum Magnum Ireni ſubſtituerunt Pontifices Maximi. Tam vero ampliata eorumdem Pontificum in Reges ſummoſque Principes poteſtate *indirecta*, quid amplius poſſent jubere & efficere, ſi *directa* pollerent? *Quæ cum ita ſint*, inquit citato in loco Boſſuet, *non video cur tantopere abhorreant a directa poteſtate Pontifici tribuenda; indirectæ enim poteſtatis nomine idem juris continetur, ut nempe Pontifices de omnibus Regnis ſuo jure decernant, cum e re Eccleſiæ eſſe judicaverint*.

Ea itaque Poteſtas, quæ a Ven. Bellarmino, ab Italis, Lovanienſibus, aliiſque Theologis pluribus, & data opera ab Auctoribus Operum, quæ inſcribuntur *Gallia vindicata*, *Regale Sacerdotium*, Tractatus *de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, omni genere argumentorum ſtatuitur & propugnatur, & contra a permultis, quorum nonnullos ſupra commemoravi, haud minori eruditione, & copia monumentorum impetitur: ea, inquam, Poteſtas in hoc ſita eſt, quod poſſit Romanus Pontifex imperia transferre, Principes deponere, alios ſubſtituere, ſubditos a juramento fidelitatis abſolvere, ac de bello, de pace, de imponendis, ſolvendiſque tributis, ceteriſque rebus omnibus ad ſupremum regimen pertinentibus decernere, ac ferre judicium, non *abſoluta* quidem, ſed facta hypotheſi, quod hoc poſtulet Chriſtianæ Reipublicæ ſalus & incolumitas, Fidei Catholicæ utilitas aut neceſſitas, & fidelium, quæ alias periclitaretur, in finem ſpiritualem, æternamque beatitudinem adipiſcendam directio. In duas modo partes graviſſimam hanc quæſtionem dividere conſtitui: ac primum nihil definiendo, sed referendo duntaxat eorum, qui pugnant pro illa Pontificum poteſtate, proferre momenta, una cum adverſariorum reſponſionibus: deinde eadem ſervare methodo quæ afferunt certantes pro Regum poteſtate temporali, non ſubjecta ſpirituali, niſi in iis, quæ ſpiritualia omnino ſunt, argumenta producere; & demum, quæ in dubium revocari nequeunt, ac pro-

bari debent ab utraque diſceptantium parte, breviſſimo Corollario perſpicue breviterque referre.

PARS PRIMA

ARTICULUS I.

Quibus momentis innituntur, qui pugnant pro Romanorum Pontificum ſupra Reges, ac Principes in temporalibus poteſtate.

PRincipio igitur munitur hæc ſententia auctoritate Scripturarum ſanctarum. Etenim cap. 17. Deuter. 14. extat divinum præceptum: *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, dixeriſque, Conſtituam ſuper me regem; non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus.* Cum ergo ejuſdem periculi ſit eligere in principem virum alienæ religionis, & a Dei cultu extorrem, ac ipſum jam regno potitum non deponere; utrumque in illo Deuteronomii loco prohibetur, ideoque reges ac principes alienæ Religionis, & a Dei cultu extorres a Pontifice deponi poſſunt.

II. Levitici cap. 13. 44. legitur: *Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus fuerit ad arbitrium Sacerdotis, ſolus habitabit extra caſtra.* Fuit ergo Pontificis Aronici munus de lepra judicium ferre, eaque infectum expellere extra caſtra. At majus populi periculum a ſocietate hominis hæreſi, & perfidia inquinati, quam a contubernio leproſi. Quare cum pravæ doctrinæ hominibus, & Evangelii hoſtibus prohibemur cibum ſumere, in domum illos recipere, eiſque *Ave* dicere, ab Apoſtolo cap. 5. epiſtolæ 1. ad Corinth. & a Joanne Epiſt. 2. verſu 10. Accedunt canones producti a Gratiano cauſa 11. q. 3. & can. *Omnis*, 24. q. 1. quibus inhibemur cum hæretico, vel excommunicato ſocietatem habere. Si ergo Princeps vel hæreſim profiteatur, vel patrocinio ſuo hæreticos foveat, aut alia de cauſa exhibeat populo periculum ſubverſionis, plecti excommunicatione, a ſolio dejici, & extra principatus ſui fines debet expelli. Neque enim alia eſt in hac re privati hominis, ac ſummi Principis ratio, niſi quatenus a Principe impio magis timendum eſt, quam ab impio homine privato. Idcirco nec lex vetus jubens ejici maculatum lepra, nec lex nova præcipiens ſeparationem a ſectatoribus hæreſum, diſtinguunt inter privatum, ac principem. Eapropter Ozias rex lepra percuſſus a ſummo Pontifice Azaria depoſitus eſt, & expulſus. Ita habetur in libro 2. Paralip. cap. 26. 23. *Fuit igitur Ozias leproſus uſque ad diem mortis ſuæ, & habitavit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini.* Atque ejectum eodem capite legitur, quoniam lege præſcriptum erat, *Ut quivis leproſus arbitrio Pontificis ſeparatus ſolus extra caſtra urbeſque degeret.* „ Si ob lepram corporalem (ita ratiocinatur Ven. Bellarminus) poterat olim Sacerdos regem judicare, & regno privare; quare id non poterit novæ legis Sacerdos nunc, ob lepram ſpiritualem, idest, propter hæreſim? „

III. Depromunt quoque ex ſacris litteris prælaudatus Cardinalis Bellarminus, Sandarus, Becanus, aliique paſſim exemplum Athaliæ uxoris Joremi regis Juda, quam cum omni ſemine regio interfici mandavit Jojada Pontifex Judæorum. Factum ita narratur 2. libro Paralip. cap. 23. *Cum Athalia tyrannice occupaſſet regnum, & foveret cultum Baal, Jojada Pontifex vocavit centuriones, & milites, & juſſit eis ut Athaliam interficerent, quod & fecerunt, & pro ea Joam creavit regem.* Idem narratur lib. 4. Regum cap. 11. Alia hujus generis proferuntur exempla, videlicet Saulis a Samuele in regem inuncti, ejuſdemque Saulis dejecti, & Davidis in ejus locum ſubſtituti: Roboami ab Azia Propheta regni haud exigua parte mulctati: Azaelis regis Syriæ ab Elia, & Jehu regis Iſrael in loco impii Joram ab Eliſæo inunctorum: Antiochi a Matathia expulſi, &c. Quæ exempla debent ſummopere commendari, atque illud maxime allatum de Elia: cujus in capite 48. Eccleſiaſtici iſta habetur laudatio: *Quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi? qui dejeciſti reges ad perniciem, & confregiſti facile potentiam ipſorum, & glorioſos de lecto ſuo, qui ungis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis ſucceſſores poſt te.*

IV. Eo collineant novi Teſtamenti loca quamplura. Nam primum Matthæi cap. 16. 18. ita Chriſtus Petrum alloquitur: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quo in loco ſupremum Eccleſiæ regimen in iis, quæ ad fidem moreſque formandos attinent, Petro, ejuſque ſucceſſoribus committitur. At iis, quibus poteſtas ſuprema regiminis, & pleniſſima demandatur juriſdictio, etiam media, ſine quibus hæc exerceri non poteſt, in promptu eſſe debent: etenim veriſſimum eſt quod legitur ff. *de Juriſdict.* l. 2. *Cui juriſdictio datur, ea quoque conceſſa videntur, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt.* Atque produxerunt hanc rationem Sanctiſſimi Pontifices Gregorius VII. lib. 8. ep. 21. & Gregorius IX. adverſus præſumptiones Michaelis C. P. capite 13. Legitur præterea apud eumdem Evangeliſtam Matthæum cap. 18. 15. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.* Hinc etiam conſtat eſſe in Eccleſia, ſcilicet penes ſucceſſores Apoſtolorum, ac præſertim Petri, judiciariam poteſtatem circa quæcunque delicta, injuriaſque proximo illatas, ferendi ſententiam, reoſque, cujuſcunque ſint conditionis, tanquam ethnicos, abjiciendi, ut fecit Beatus Ambroſius adverſus Theodoſium ob cædem Theſſalonicenſium: de qua re paullo inferius. Ulterius Lucæ cap. 22. 38. Apoſtolis dicentibus, *Domine, ecce duo gladii hic*, Dominus ipſis reſpondit, *Satis eſt.* Duo autem gladii duplicem ſignificant Eccleſiæ poteſtatem, ſpiritualem videlicet, ac temporalem, ut docet S. Bernardus lib. 4. de Conſideratione ad Eugenium. Inſuper Jeſus apud Joannem cap. 21. 15. ait Simoni Petro, *Simon Joannis, diligis me plus his? Paſce agnos meos*; quæ verba iterum, ac tertio ſunt repetita. Omnes vero fideles oves ſunt Chriſti. Paſci ergo debent a Petro. Nec paſci duntaxat, verum etiam eas cohibere, ſi id poſtulet illarum ſalus, & poteſtatem, quæ ad ſui, aliorumque perniciem abutuntur, coarctare atque auferre: ſiquidem & medicus infirmo in furorem verſo gladium, quo ſeipſum, aut alios vult interimere, adhibita quoque violentia, debet eripere. Poſtremo Apoſtolus in priori Epiſtola ad Corinthios cap. 6. 1. inquit: *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judicetis? Neſcitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis ſæcularia?* Hoc ſane in loco Apoſtolus demonſtrat in Sacerdotibus poteſtatem judicandi etiam ſæcularia; eamdemque poteſtatem comprobat argumentatione a majori ad minus, quoniam nempe ſi angeli ſubjiciuntur judicio Sacerdotum, multo magis eidem judicio ſubjiciendi ſunt homines. Initio propterea fuit in more poſitum, ut Epiſcopi, vel ab iis delegati presbyteri cauſas ſæcularium dirimerent: quod munus progreſſu temporis rejectum fuit in humeros Judicum ſæcularium, ne Sacerdotes negotiis temporalibus implicati ſpiritualem curam animarum, & verbi Dei prædicationem negligerent.

V. Hæc ſunt momenta, quæ ex ſacris litteris depromunt tribuentes Romano Pontifici indirectam poteſtatem ſupra Reges, ſummoſque Principes. At nullius eſſe roboris contendunt oppoſitæ ſententiæ propugnatores. Reſpondent itaque ad primum poſitum ex cap. 17. Deuteronomii, Judaicum Populum, quando ait, *Conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes*, affirmaſſe habere ſe civilem poteſtatem, quam omnes gentes habebant: neque hanc civilem communemque poteſtatem Deus immutavit, ſed juſſit tantum, ut rex eligeretur ex ipſa gente Hebræorum, non ex alienigenis, & idololatris. Quare idem populus 1. Regum cap. 8. 5. Regem ſibi dari poſtulavit a Samuele, & Samueli præcepit *Dominus*, ut populo morem gereret, quamvis exitioſum illi futurum fuiſſet ſe Regis ſubjicere poteſtati, ſpreto Sacerdotum judicio. *Audi*, inquit Deus, *vocem populi*. Samuel quidem Saulem unxit in Regem: ſed hujuſmodi inunctio nullum jus tribuit Sacerdotibus in regem eligendum, aut deponendum. Populus enim Regem petiit, Samuel inunxit, & conſecravit. Ita David elegit Salomonem, quem inunxit Sadoc Sacerdos: eodemque pacto Imperatores conſtituuntur ab Electoribus, regeſque vel electione, vel jure hæreditario creantur, neque aliud ab Epiſcopis accipiunt præter conſecrationem, quæ religionis argumentum eſt, non collatio temporalis juriſdictionis ac poteſtatis.

VI. Ajunt pariter ad rem non facere exemplum Oziæ regis, de quo 2. libro Paralipomenon cap. 26. Nihil inde infertur, niſi Azariam judicaſſe regem illum lepra percuſſum fuiſſe indignum conſortio hominum, ut mandaverat Deus cap. 13. Levitici. Sacerdotes Oziam expulerunt a domo Domini, non regno privarunt: expulerunt autem hortando ut legi obtemperaret, non vi, armiſque cogendo. Ipſemet ſceleris ſui conſcius, & divinam vindictam ſentiens, *Acceleravit egredi*, inquit divina Scriptura eodem capite 26. Paralip. verſu 20. Non ei ablatum fuiſſe jus regni inde colligitur, quod ipſomet capite 26. verſu 1. dicitur conſecratum fuiſſe regnum anno decimo ſexto ætatis ſuæ, poſt obitum Amaſiæ: verſu 3. aſſeritur regnaſſe in Jeruſalem quinquaginta duobus annis; & v. 23. legitur obdormiſſe cum

patri-

„ patribus ſuis, & tunc regnaſſe Joatham filium ejus pro eo. De iſto Joatham, quandiu pater Ozias ejectus de domo Domini in ſeparatis ædibus vixit, non dicitur quod eſſet rex, ſed tantummodo verſu 21. quod regeret *domum regis*, & judicaret *populum terræ*; nimirum cum pater ob pudorem, morbumque id præſtare non poſſet, ſupplebat filius, non patre privato regia poteſtate, ſed ob infirmitatem privatis in ædibus degente.

„ VII. Fruſtra item proferri exemplum Athaliæ, reponunt defenſores Declarationis Cleri Gallicani. Etenim Athalia regina uxor Joram regis Juda poſt mortem Ochoziæ a Jojada Summo Sacerdote fuit interfecta, quoniam juſſerat *omne ſemen regium* occidi, ac per tyrannidem regnum invaſerat, cum tamen e ſanguine regio ſuperſtes foret Joas, quem ſoror Joſabeth e manibus Athaliæ clam eripuerat, & Jojadæ viro ſuo tradiderat occulte cuſtodiendum in templo, ut in avito ſolio aliquando reſtitueretur. Quod factum eſt e vivis ſublata Athalia, non tantum jubente Jojada, verum etiam populi multitudine accurrente cum Centurionibus & Levitis, & pactum ineunte in domo Domini, in qua Joas eductus ab omnibus ſalutatus eſt rex, & a Pontifice filiiſque ejus unctus. Lege librum 2. Paralip. cap. 23. Perperam, inquiunt, ab iis, qui cenſent poſſe a Romano Pontifice iniquos Reges deponi, exemplum iſtud producitur: nam primum Athalia non erat legitima regina, & legitimus Rex vivebat: deinde non fuit a ſolo Jojada, ſed a maxima populi multitudine e regno, quod tyrannice invaſerat, deturbata: inſuper fuit mandato Jojadæ extra templum occiſa, quum tamen Romani Pontifices jus interficiendi reges ſibi non arrogent. Facili negotio exempla alia ſuperius allata exſufflare ſe putant. Nam Azia, Elias, & Eliſeus Dei auctoritate ac mandato reges deſignarunt, nec Sacerdotes maximi erant: non propria auctoritate, ſed Numinis inſtinctu reges nominarunt; ac nominarunt potius, quam ipſi crearent. Matathias vero non depoſuit legitimum Principem, ſed Antiochum iniquiſſimum Judaici regni invaſorem, juſto bello patriæ vindicans libertatem, atque evertens tyrannidem.

„ VIII. Nec arbitrantur Galliarum Theologi magnam ingerere difficultatem quæ ex Novo Teſtamento feruntur propoſita. Ad 1. ex cap. 16. Matthæi reponunt ea verba, *Quodcunque ligaveris*, &c. de ſpirituali poteſtate eſſe accipienda, non de temporali, atque de ſolvendis, retinendiſque criminibus, non de conſtituendis, deponendiſque Principibus; tametſi hæc, & ſequentia ad vindicandam ſibi poteſtatem etiam in temporalibus allegaverint in Decretalibus ſuis S. Gregorius VII. Bonifacius VIII. & Nicolaus IV. At S. Bernardus libro 4. de Conſid. cap. 6. explicans eadem Matthæi verba, *In criminibus* (ſcribit ad Eugenium) *non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra; quoniam propter illa, & non propter has, accepiſtis claves regni cælorum*. Haud ſecus diluunt quod productum eſt ex capite 18. Matthæi, *Dic Eccleſiæ: Sit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus: Quodcunque ligaveritis*, &c. hæc exponentes de correptione fraterna, quam adſpernantes ſunt coram arguendi, & adhuc in improbitate commorantes Eccleſiæ ſunt denunciandi: Eccleſiam vero non audientes ſunt a fidelium communione ſegregandi, quemadmodum Judæi abſtinebant a conſuetudine Publicanorum, & publice peccantium. Ita hunc locum Maldonatus, Eſtius, aliique interpretantur: atque hæc interpretatio cohæret iis, quæ leguntur Matthæi cap. 22. 22. in Epiſtola 2. ad Theſſalonicenſes cap. 3. 14. & in 2. Joannis verſu 10. Duos gladios eſſe in Eccleſia, nemo ambigit, ſed unus gladius, ideſt, ſpiritualis, ab Eccleſia exerendus eſt, & Sacerdotis manu tractandus: alter materialis, manu militis, pro Eccleſia, ad nutum Sacerdotis & ad juſſum Imperatoris evaginandus, ut docet S. Bernardus, de quo alibi. Ad illud, quod ſequitur de trina illa Chriſti ad Petrum admonitione, ita occurrit Meldenſis Epiſcopus p. 2. lib. 5. cap. 13. „ Paſcendi poteſtatem late patere volunt, certe non ita tamen quin iis contineatur finibus, quibus ſe Chriſtus ipſe continuit: pavit autem oves Chriſtus, *ut paſcua invenirent*, vitæ verbum ſcilicet, & vitam æternam per verbum. *Oves enim meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas* (Jo. 10. 27.) *& ſequuntur me, & vitam æternam do eis, & non rapiet eas quiſquam de manu mea*. Ad hoc pavit Chriſtus, ad æterna perduxit, temporalia cujuſvis, ac ſuis cuique legibus habenda, utenda, adimenda permiſit. At ſi ad hæc pavit Chriſtus, ad hæc paſcat Petrus. *Paſce* enim, inquit, *oves meas*, ſed meo more: ne ergo paſtores ad temporalia, eo quo erant jure, locoque relicta a Chriſto, conceſſam a Chriſto poteſtatem conferent „. Hæc Meldenſis Antiſtes. Impertinentia eſſe verba Apoſtoli ex ſexto capite Epiſtolæ 1. ad Corinthios ad poteſtatem Romani Pontificis ſupra Reges comprobandam, facile quidem ſibimet perſuadent, quoniam non tantum Apoſtoli, verum etiam omnes Juſti, atque ii præſertim, qui propter Chriſtum reliquerant omnia,

„ judicabunt angelos, & ſecularia; ſed hoc poſt futuram reſurrectionem erit, non in hoc ſeculo, & circa bonorum, malorumque operum merita judicium iſtud verſabitur.

„ IX. Valere plurimum ad illam Pontificum Romanorum poteſtatem firmandam creduntur, quæ Chriſtus ait de ſeipſo Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*; & Joan. 12. 32. *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*; necnon quæ leguntur in Apoc. 19. 16. *Rex regum, & Dominus dominantium*. Verum hæc, aliaque hujuſcemodi contemnunt, & vix digna putant, quibus reſpondeant. Nemo unus, inquiunt, dubitat, quin Chriſtus Deus & homo pleniſſimam omnemque habeat poteſtatem, & ſit Rex omnium regum, & Dominus principum univerſorum. Quis fidelium id unquam in dubium revocavit? An in mundum adveniens regiam poteſtatem exercuerit, eamque Petro, & illius ſucceſſoribus communicaverit, hoc eſt, quod in præſentiarum controvertitur. Hæc ſunt præcipua Scripturarum momenta, quibus ſummi Pontificis poteſtatem ſupra Reges in temporalibus adſtruant, & hæ ſunt illorum, qui hanc poteſtatem denegant, reſponſiones.

ARTICULUS II.

Argumentationum Pars II.

„ I. PRæter Scripturarum teſtimonia, præſidium ſibi e Jure Canonico petunt prioris ſententiæ Patroni. Urgent principio cap. *Novit*. 13. de Judiciis. Continetur in illo Decretalis Innocentii III. edita occaſione belli exorti inter Philippum Auguſtum Regem Galliarum, ac inter Richardum Regem Angliæ. Ut ad pacem hos revocaret vigilantiſſimus Pontifex Decretalem Epiſtolam miſit ad omnes per Franciam conſtitutos Epiſcopos. In eadem Decretali Pontifex ad ſe pertinere ait cauſæ, & diſſidii diſcuſſionem, quod poteſtatem haberet *non ex homine, ſed ex Deo*. Profert exemplum Valentiniani Imperatoris, qui Suffraganeis *Mediolanenſis Eccleſiæ* dixiſſe fertur, *Talem in Pontificali Sede conſtituite, cui & nos, qui gubernamus Imperium, ſincera noſtra capita ſubmittamus*. Addit & legem Theodoſii, qui ſtatuit, Ut *quicunque litem habens, ſive petitor fuerit, ſive reus, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ Sedis Antiſtitis, illico ſine ulla dubitatione, etiamſi pars alia refragetur, ad Epiſcoporum judicium dirigatur*. Extat edictum Valentiniani Imperatoris in Hiſtoria Tripartita lib. 7. cap. 8. & apud Gratianum c. *Valentinianus*, diſt. 63. & lex Theodoſii in Cod. Theod. 1. de Epiſcopali Judicio. De cauſa vero inter Philippum Auguſtum, & Richardum legantur Annales Eccleſiaſtici, & Hiſtorici ad annum 1203.

„ II. In Bulla Bonifacii VIII. emanata anno 1301. idem Pontifex verbis Jeremiæ Prophetæ cap. 1. 10. ait ſe conſtitutum a Domino *ſuper gentes, & ſuper regna*; atque inde hoc infert, *Quare nemo tibi ſuadeat, quod ſuperiorem non habeas, & non ſubſis ſummo Hierarchæ Eccleſiaſticæ Hierarchiæ*. Alloquitur Philippum III. cognomento Pulchrum, Galliarum Regem, cui & eodem anno in Epiſtola ſcripſit, *Scire te volumus, quod in ſpiritualibus, & temporalibus nobis ſubes*. Habetur inter Extravagantes Decretalis ejuſdem Bonifacii VIII. edita, ut fertur, anno 1302. in qua leguntur hæc verba: *In hac*, ſancta Eccleſia Catholica, *ejuſque poteſtate duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicet, & temporalem, Evangelicis dictis inſtruimur*. Et infra: *Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati*. Ac rurſus, *Porro ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis*. Incipit Bulla Bonifacii, *Auſculta, fili*: & Decretalis, *Unam ſanctam*.

„ III. Concilium IV. Lateranenſe celebratum anno 1215. canone 4. ita ſtatuit: *Si vero Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & cæteros Comprovinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur; & ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, hoc ſignificetur Romano Pontifici, ut ex tunc vaſſallos ab ejus fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis ſine ulla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſervent, ſalvo jure Domini principalis, dummodo ipſe ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege ſervata circa Dominos principales*. Supponitur procul dubio in hoc canone Romanum Pontificem habere poteſtatem regno & principatu expoliandi quoſcunque Dominos, cum feudatarios, tum principales & abſolutos, ſi neglexerint hæreticos e ſuis ditionibus expellere.

„ IV. Accedunt Concilii Conſtantienſis ſanctiones. Concilium enim illud ſeſſione 20. in Fridericum Auſtriæ Ducem, de quo Gregorius Epiſcopus Tridentinus graviter queſtus fuerat, quod jura & bona invaſiſſet Epiſco-

patet ſui, Monitorium expediit, ac ſententiam tulit, ut niſi legitime admonitus uſurpata bona redderet, pœnam incurreret *anathematis*, *ſacrilegii*, & *privationis omnium bonorum feudalium*, *quæ ab Eccleſia*, *ſeu Imperio obtinebat*, & *inhabilitationis ſuæ*, & *filiorum ſuorum maſculorum ad obtinendum tam feuda*, *quam officia*, & *beneficia uſque ad ſecundam generationem*, & *honoris & famæ ac communionis in conſiliis Principum*, &c. Quid eſt autem exercere in Principem *gladium ſpiritualem*, ac *temporalem*, ſi hoc non eſt? Idem Synodus Conſtantienſis decrevit ſeſſ. 28. contra eumdem Fridericum, ſeſſ. 31. in Monitorio contra Comitem *Virtutum*, & ſeſſ. 37. in ſententia adverſus Benedictum XIII. In ſeſſione vero 39. approbavit Conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit, *Felicis*, in qua Conſtitutione, et pœna, ſtatuitur privatio bonorum temporalium cuiqua metum aut violentiam inferenti Electoribus Papæ, *Etiamſi Imperiali*, *aut Regali præfulgeat dignitate*. Haud ſecus colligitur ex Bulla Martini V. adverſus hæreſes Huſſii, & Wiclefi, quæ extat poſt ultimam prælaudati Concilii ſeſſionem. Conſonant Baſileenſis Concilii ſeſſiones 39. & 40. in ſingulis quippe hiſce locis irrogatur pœna privationis cujuſcomque dignitatis, omniumque bonorum fautoribus hæreſum, quamvis Imperiali, Regiaque fulgeant auctoritate.

,, V. Concilium Lateranenſe V. inter Œcumenica recenſitum, & celebratum ſub Julio II. anno 1512. non tantum *excommunicationi*, & *interdicto* ſubjecit Gallias, verum etiam ex *Lugduno nundinas transferri juſſit in civitatem Gebennenſem*, *propterea quod rex Ludovicus XII. regnumque Franciæ*, *excepta Britannia*, *ac maxime Lugdunenſis civitas Conciliabulo*, *ut ajunt*, *Piſano adhæſiſſent*. In quo decreto lato ſeſſione 3. juriſdictio Pontificum etiam in temporalibus ad Reges pertinentibus eluceſcit. Tridentinum denique ſeſſione 25. cap. 19. de Reform. damnans deteſtabilem duellorum uſum definivit, ut *Imperator*, *Reges*, *Duces*, *Principes*, *Marchiones*, *Comites*, & *quocumque alio nomine Domini temporales*, *qui locum ad Monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint*, *eo ipſo ſint excommunicati*, *ac juriſdictione & dominio civitatis*, *caſtri*, *aut loci*, *in quo*, *vel apud quem duellum fieri permiſerint*, *quod ab Eccleſia obtinent*, *privati intelligantur*, & *ſi feudalia ſint*, *directis dominis ſtatim acquirantur*. Quod pariter prædictæ juriſdictionis ac poteſtatis Eccleſiæ argumentum eſt ſingulare. Atque hæc ſunt, quæ ex canonum, & definitionum Conciliorum Generalium auctoritate produci ſolent.

,, VI Prætermiſi Decretalem Innocentii III. *Per Venerabilem*, editam ad ſupplicationes Wilelmi Comitis Montis Peſſulani, qui cum ſuſcepiſſet ex legitima uxore Mathilde unicam filiam, ex Agnete autem pellice aliquot mares, eos a Pontifice legitimari petebat, producto exemplo Philippi Regis Galliarum, cujus filios ſpurios idem Pontifex legitimis accenſuerat. Sed eadem Decretali abſolutam potius, ac independentem Regum poteſtatem firmari plures exiſtimant, maxime ſi legatur prout extat in antiqua Decretalium collectione 3. lib. 4. tit. 12. *Qui filii ſint legitimi*. Rursus Innocentius in ea Decretali ait diſparem eſſe rationem de Philippo rege, & de Wilelmo Comite, propterea quod iſte *ſpecialius* Romano Pontifici ſubjectus erat, nec tanta de legitimatione hujus prolis, quanta de regia ſobole oriebatur, ſuadebatque neceſſitas. Ita enim Innocentius Guilelmum alloquitur: *Cum rex ipſe in ſpiritualibus nobis ſubjaceat*, *tu nobis & in ſpiritualibus & temporalibus es ſubjectus*; & infra: *Inſuper cum rex ipſe ſuperiorem in temporalibus minime recognoſcat*, *ſine juris alterius læſione in eo ſe juriſdictioni noſtræ ſubjicere potuit*, & *ſubjecit*, *in quo forſitan videretur aliquibus quod per ſeipſum*, *non tanquam pater cum filiis*, *ſed tanquam princeps cum ſubditis potuit diſpenſare*, &c. Propter quæ, aliaque his conſimilia hanc Decretalem, quomodo ad veram & perantiquam lectionem revocata fuit a J. C. præſtantiſſimo Antonio Auguſtino, ac legitur in Editione Hiſpanica anni 1576. ac Pariſienſi an. 1609. plurimum pro ſe facere contendunt ſupremæ Regum poteſtatis patroni, necnon Senatus ampliſſimus, quem vulgo *Parlamentum* appellitant, in proſcriptione libri Ven. Bellarmini, inſcripti, *Tractatus de Poteſtate ſummi Pontificis in rebus Temporalibus adverſus Gulielmum Barclaium*, impreſſi Romæ anno 1610.

,, VII. Hac itaque Decretali prætermiſſa, quid ad alia momenta reſpondere ſoleant, videamus. Ad 1. ex cap. *Novit*, de judiciis, Innocentius III. anno 1200. pro pace inter Francos Angloſque componenda, aperte ait, ſe judicare dumtaxat de peccato, & de perjurio eorum, qui juratam pacem abrumpunt: *Non enim* (inquit) *intendimus judicare de feudo*, *cujus ad ipſum*, Regem Francorum, *ſpectat judicium*, *niſi forte juri communi per ſpeciale privilegium*, *vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum*; *ſed decernere de peccato*, *cujus ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura*, *quam in quemlibet exercere poſſumus*, & *debemus*. Eam ob rem producit Summus Pontifex verba Evangelii, *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. atque exempla Auguſtorum, qui ſe Apoſtolico ſubjecerunt judicio, Valentiniani ſcilicet, de quo Caſſiodorus in Hiſt. Tripart. lib. 7. cap. 8. ac Theodoſii, de quo in Cod. Theodoſ. lib. 16. tit. 11. l. *Quotiens*, & apud Grat. can. *quicunque* 11. q. 1. Et quidem Valentiniani III. Novella de Epiſc. judicio, 12. ita decernit: *Quoniam conſtat Epiſcopos & presbyteros forum legibus non habere*, *nec de aliis cauſis*, *ſecundum Arcadii & Honorii divalia conſtituta*, *quæ Theodoſianum corpus oſtendit*, *præter religionem poſſe cognoſcere*. Ambroſius item epiſt. 32. ad Valentinianum Jun. de Valentiniano Seniore inquit: *Auguſtæ memoriæ pater tuus non ſolum ſermone reſpondit*, *ſed etiam legibus ſuis ſanxit*, *in cauſa fidei*, *vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis eum judicare debere*, *qui nec munere impar ſit*, *nec jure diſſimilis*. Haud ſecus Theodoſius Jun. lege ultima de Epiſcopali jud. *Quantum ad cauſas Eccleſiaſticas pertinet*, *quas decet Epiſcopali auctoritate decidi*, *quibuſcunque mota fuerit quæſtio*, *quæ ad Chriſtianam pertinet ſanctitatem*, *eos decebit ſub eo judice litigare*, *qui præſul eſt in ſuis partibus omnium ſacerdotum*. Ex quibus manifeſtum eſſe ajunt, ſpectare ad Pontifices cauſas religionis decidere, & quæ ad fidei ſanctitatem ſpectant cognoſcere, idque tantum affirmare cap. *Novit*, Innocentium III.

,, VIII. De Bonifacio VIII. nemo negat ſibi ſupremam cum ſpiritualem, tum temporalem arrogaſſe poteſtatem. Id jure feciſſe, nequaquam fatentur. Profert Maldenſis Epiſcopus p. 2. lib. 7. cap. 23. Joannis Hæſennii Canonici Leodienſis, Platinæ Itali Hiſtoriæ Pontificum Scriptoris, aliorumque teſtimonia parum honorifica. Bullam *Auſculta fili* anno 1301. palam Pariſiis combuſtam tradunt. Deteriora de Bonifacio VIII. Crantzius, Martinus Polonus, Chriſtianus Mathiæ, ceterique ſcripſerunt. Quantum ad Bullam, quæ incipit, *Unam ſanctam*, eam Clemens V. Declaratione quæ incipit, *Meruit*, ita temperavit: *Meruit chariſſimi filii noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris*, *ſinceræ affectionis ad nos & Eccleſiam Romanam integritas*, & *progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt*; *meruit inſuper Regnicolarum puritas*, *ac devotionis ſinceritas*, *ut tam regem*, *quam regnum favore benevolo proſequamur*. *Hinc eſt*, *quod nos Regi & Regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit*, Unam Sanctam, *nullum volumus & intendimus præjudicium generari*, *nec quod per illam rex*, *regnum*, & *regnicolæ prælibati amplius Eccleſiæ ſint ſubjecti Romanæ*, *quam antea exiſtebant*, *ſed intelligantur in eodem eſſe ſtatu*, *quo erant ante definitionem præfatam*. Contendit Auctor libri, cui titulus, Regale ſacerdotium Romano Pontifici aſſertum lib. 1. §. 9. pag. 236. inferri ex hac Clementis V. declaratione, regem, regnumque Galliarum ante Conſtitutionem Bonifacii VIII. habuiſſe ab Eccleſia Romana *antiquam ſubjectionem temporalem*; at nos lynceis, quibus Auctor iſte excellit, caremus oculis.

,, Prædictum Bonifacium VIII. infenſiſſimum Gallici nominis, & Philippi IV. hoſtem appellat Stephanus Baluzius in Notis ad lib. 2. Concordiæ Sacerd. & Imp. Petri de Marca cap. 5. Ibidem Baluzius ait Bonifacium anno 1303. in Oratione, quam habuit pro confirmando rege Romanorum Alberto, uſum fuiſſe comparatione Solis & Lunæ ad ſignificandam poteſtatem ſpiritualem, ac temporalem, quarum iſta ab illa dependeat, quemadmodum Sol lucem ſuam Lunæ tribuit. Quam comparationem etiam Bernardus Abbas, Innocentius III. & Petrus de Marca præcitato cap. 1. num. 8. adhibuerunt. At iſte hac loquitur præcautione: *Quod tamen ſic intelligendum eſt*, *ut quemadmodum duo illa ſidera invicem non commiſcentur*, *nec in ipſa corporum ſubſtantia*, *nec in ordine*, *quem ſortita ſunt ab omnium conditore Deo*, *ſed Sol diei*, *Luna vero nocti prælucet*: *Sic utriuſque poteſtatis imperiata diſcretio conſervetur*. *Nec eſt quod aliquis ingenio indulgens exiſtimet eo modo*, *quo Luna alieno lumine*, *id eſt*, *a Sole accepto fulget*, *regiam poteſtatem auctoritatis ſuæ lucem ab Eccleſiaſtica mutuari*, &c. Addit Baluzius verba Gregorii Heimburgi Juriſconſulti Germani, qui in Admonit. de uſurpat. Paparum Romanorum pag. 111. ſcripſit: *Ridicula eſt etiam probatio*, *quam adulatores Paparum ad id conſueverunt adducere ex cap.* de major. & obed. *de Luna & Sole*. *Nam quamvis Luna recipiat lumen a Sole*, *non tamen motum & influentiam*. *Ita quamvis Reges*, & *temporales domini per Lunam deſignati recipiant & recipere debeant lumen doctrinæ a Papa & ſuo Clero per Solem deſignatis*, *non tamen eis ex hoc dominari conceſſum eſt*. *Imo ſimilitudo bene intellecta efficit contrarium*. *Nam illa duo luminaria*, *ſcilicet Sol & Luna*, *ſic creata ſunt*, *ut Sol præſit diei*, *Luna nocti*. *Sic Papa & Clerus præſunt diei*, *id eſt*, *Doctrinæ ſpirituali*, & *orationi ad impetrandam divinam miſericordiam*, *ut notatur ad Hebræos* 11. *illa autem*, *quæ Dei ſunt*, *lux & dies ſunt*, *quibus præeſſe debet Papa ſub metaphora Solis*. *Quæ au*-

tem

„ *tem mundi, tenebræ & non ſunt, quibus præeſſe debet Imperator ſub metuphoru Lunæ. Sicut igitur Sol, quamquam illuminat Lunam, nullum tamen dominium babet in eam, ſic Papa & Clerus etſi luce doctrinæ debeunt Imperatorem, & ſeculares illuminare, nullum tamen datum eſt eis dominium a Chriſti inſtitutione in eos, ſicut nec magiſtro in diſcipulos.*

„ IX. Quod attinet ad 4. Canonem Concilii IV. Lateranenſis, Dupinius diſſert. 7. §. 4. principio reſpondet Concilia, etiam Generalia, vim dumtaxat habere definiendi quæ ad religionem pietatemque ſpectans, in ceteris rebus, præſertim civilibus, errori eſſe obnoxia. Quam opinionem confirmare adnititur auctoritate Melchioris Cani lib. 5. de Locis Theologicis cap. 10. Petri de Marea lib. 2. Concordiæ cap. 16. num. 9. imo & S. P. Auguſtini docentis lib. 2. de Baptiſmo cap. 3. aliiſque in locis, plenaria Concilia priora ſæpe poſterioribus emendari. Sunt vero & alii complures aſſerenter ſummo non errandi privilegio cum Romanor Pontifices, tum Generales Synodos frui in iis tantum canonibus, qui aut de fide, aut de morum doctrina feruntur. Addit Dupinius canonem illum quartum, vel eſſe ſuppoſitum, vel ſolius Innocentii auctoritate conſcriptum; nihil enim in Concilio Lateranenſi IV. definitum fuiſſe tradunt Nanclerus ad annum 1215. Platina in Innocentio III. Matthæus Pariſienſis in Hiſtoria Angliæ, & Godefridus Viterbienſis ad prædictum annum 1215. & alii. Deinde reponit idem Dupinius, ſi canones in eodem Lateranenſi Concilio fuerunt conditi, eos tantum fuiſſe receptos, & ab Eccleſia approbatos, qui ſpectant ad fidem orthodoxam, & ad communionem & confeſſionem recurrente Paſchate faciendam.

„ X. Priori ea his reſponſionibus elidi opinantur quæ de Concilio Conſtantienſi, & Baſileenſi num. IV. fuerunt producta. Addunt autem in Conſtantienſi Concilio adfuiſſe Imperatorem Sigiſmundum, hujuſque juſſu Fridericum Ducem Auſtriæ accuſatum ab Epiſcopo Tridentino Gregorio, mulctatum privatione feudorum. Imo res non ad Concilium, ſed ad Sigiſmundum delata fuit: cumque Dux Imperatoris juſſa contemneret, eodem annuente Concilium ſeſſ. 28. edidit monitorium, quo declaravit Fridericum incidiſſe in pœnas *privationis feudorum & inhabilitationis in Conſtitutione Carolina contentas*. Hinc Meldenſis Epiſcopus Parte 2. lib. 8. cap. 10. infert, Synodum Conſtantienſem has pœnas non per ſe decreviſſe, ſed Principum, ac præſertim Caroli IV. & Sigiſmundi Imperatorum innixam Conſtitutionibus. Addunt Gallorum quidam, monſtrum ſibi videri, quoniam Romano Pontifici addictiſſimi devotiſſimique Theologi horum Conciliorum definitiones avidiſſime arripiunt, urgentque magnopere, cum in ea quæſtione, An Papa ſit ſupra Concilium, utriuſque Synodi, Conſtantienſis ac Baſileenſis definitiones nihil faciant, ac parvipendant.

„ XI. Quæ narrata ſunt de Concilio V. Lateranenſi, tanquam nulla auctoritate geſta Galli rejiciunt. Inceptum legimus anno 1512. die 3. Maji. Extant ejus Acta tom. XIV. Conciliorum Labbei, & apud Spondanum, aliosque Hiſtoricos ad prædictum annum 1512. Certum eſt omnia eo temporis fuiſſe in maxima graviſſimaque rerum perturbatione, ut ineuntibus comitiis eleganti oratione ait Ægidius Viterbienſis Ordinis noſtri magiſter, ac poſtea S. R. E. Cardinalis ampliſſimus. Eodem anno Pſeudoconcilium Piſanum tranſlatum Mediolanum die 12. Aprilis protulerat in Julium II. depoſitionis ſententiam. Huic aſſenſum præbuit Ludovicus XII. Galliarum rex, a Julio omni hoſtilitatis genere laceſſitus. Omnia itaque perturbatis animis videntur peracta. Ludovicus excommunicatus a Papa, regnum interdicto ſubjectum, Lugdunenſis civitas, in quam Patres Conciliabuli Piſani Mediolano confugerant, nundinarum quoque privationi addicta. Contra Ludovicus Rex ſpretis Julii Pontificis cenſuris contraria obnunciatione diras revicit, cuſo etiam Neapoli aureo nummo, qui ex una parte effigiem ſuam, ex altera inſignia Neapolis & Siciliæ referebat cum hoc elogio, *Perdam Babylonis nomen*, ut 1. tomo Hiſtoriarum pag. 22. editionis Lutetiæ refert Jac. Auguſtus Thuanus. Fruſtra igitur Gallis hujus Concilii Lateranenſis opponuntur decreta. Sciendum eſt tamen ipſum Ludovicum XII. poſt Julii obitum, anno 1513. hortante Regina oratores ad ſynodum ipſam Lateranenſem miſiſſe rejecta Piſana. Vide Continuat. Hiſt. Fleury lib. 123. num. 98.

„ XII. Concilii Tridentini promulgationem frequentiſſime Cleri Gallicani Conventus ſupplicibus libellis poſtularunt a Regibus, ſed *ea lege, ut imperio ſuo ea capita exciperent, quæ moribus regni, ideſt, libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ adverſarentur*, inquit Petrus De Marca lib. 2. Concordiæ cap. 17. num. 6. Eadem repetit libro 4. cap. 20. num. 1. Boſſuetius cit. lib. 8. cap. 11. ait ea, quæ habentur cap. *Deteſtabilis* de Duellis, quod eſt ſeſſ. XXV. Trid. cap. 19. de Reformat. referenda eſſe inter illas cauſas, *quibus Francia regnum prohibitum ſit ab acceptandis tanti Concilii de diſciplina, & reformatione decretis*. Ipſa Tridentinæ Synodi verba, quibus privantur Reges civitate, & loco, in quo duellum permiſſum ſit, eſſe contraria poteſtati Regis, *Qui temporali ſuo regno, ullave ejus parte privari non poſſit, cum eo reſpectu nullum ſuperiorem agnoſcat, qualiſcunque ille ſit*, declaratum fuit in Conventu Ordinum celebrato Pariſiis anno 1593. juſſu Cardinalis Pellevei, in Conſtitutione Bleſenſi ſub Henrico III. anno 1576. aliiſque.

ARTICULUS III.

Argumentationum tertia Claſſis.

„ I. PEtuntur tertii ordinis momenta ex auctoritate Sanctorum, clariſſimorumque Theologorum. Ac priori loco ſeſe offert privilegium conceſſum a S. Gregorio Magno Monaſterio Sueſſionenſi S. Medardi, Eccleſiæ S. Martini, & Xenodochio Auguſtodunenſi, in quibus ſpirituales ſimul ac temporales pœnæ eadem privilegia temerantibus irrogantur. Comprehenduntur autem in hac pœnarum interminatione ſummi quoque Principes, hac adhibita formula, *Ut ſi quis Regum, Antiſtitum, Judicum, vel qualiumcunque ſecularium perſonarum contradixerit, honore ſuo privetur, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, a conſortio Chriſtianitatis, Chriſtique Corpore, & ſanguine ſegregetur*. De hujuſmodi privilegiis legi poſſunt *Baronius* tom. XI. & Spondanus ad annum 593. *Gallia Vindicata* diſſert. 2. §. 2. num. 8. & 9. *Regale Sacerdotium* lib. X. §. 16. *Dupinius* Diſſert. 7. pag. 501. eadem privilegia ſuppoſititia, aut ſaltem interpolata eſſe contendit. Idem conatur eſt evincere *Joannes Launojus* in Epiſtolis, libro 7. epiſt. 1. & 6. Sed hujus viri argumenta diſſolvit Auctor Operis inſcripti *De libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* libro 4. cap. 6.

„ II. Accedit S. Bernardus, cujus lib. 4. de Conſid. cap. 3. ad Eugenium hæc ſunt verba: *Quid tu denuo uſurpare gladium tentas, quem ſemel juſſus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tua manu evaginandus; alioquin ſi nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apoſtolis*, Ecce gladii duo hic, *non reſpondiſſet Dominus*, Satis eſt, *ſed*, Nimis eſt. *Uterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis; ſed is quidem pro Eccleſia, ille vero ab Eccleſia exerendus eſt. Ille Sacerdotis, is militis manu, ſed ſane ad nutum Sacerdotis, & juſſum Imperatoris.* Maximum hinc ſe habere præſidium exiſtimant, qui utrumque gladium, *ſpiritualem, ac temporalem* Romanis Pontificibus eſſe propugnant.

„ III. Sequitur Scholaſticorum Theologorum decus S. Thomas Aquinas: qui 2. 2. q. 12. art. 2. in corpore ait: *Ad Eccleſiam non pertinet punire infidelitatem in iis, qui nunquam fidem ſuſceperunt, ſed infidelitatem eorum, qui fidem ſuſceperunt, poteſt ſententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quod ſubditis fidelibus dominari non poſſint. Hoc enim vergere poſſet in magnam fidei corruptionem, quia homo Apoſtata pravo corde machinatur malum, & jurgia ſeminat, intendens homines ſeparare a fide. Et ideo quam cito aliquis per ſententiam denuntiatur excommunicatus propter Apoſtaſiam a fide, ipſo facto ejus ſubditi ſunt abſoluti a dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Idem S. Thomas 2. 2. quæſt. 60. art. 6. ad 3. *Ad 3. dicendum*, inquit, *quod poteſtas ſecularis ſubditur Spirituali, ſicut corpus animæ. Et ideo non eſt uſurpatum judicium, ſi ſpiritualis prælatus ſe intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus ſubditur ei ſecularis poteſtas, vel quæ ei a ſeculari poteſtate relinquuntur.*

„ IV. Accedunt Theologi alii præſtantiſſimi: inter quos Auctor Operis inſcripti *Regale Sacerdotium*, enumerat S. Bonaventuram in 4. diſt. 37. dub. 4. & in libro *de Eccl. Hierarchia* p. 2. cap. 1. S. Antoninum p. 3. *Summæ* tit. 22. cap. 5. Joannem Gerſonem p. 4. ſermone *de pace, & unitate Græcorum* conſid. 5. Petrum Bleſenſem epiſt. 146. ſcripta nomine *Eleonoræ* reginæ Anglorum ad Cæleſtinum III. Romanum Pontificem: S. Petrum Abbatem Cluniacenſem lib. 6. *Epiſtolarum*, epiſt. 28. Alexandrum Alenſem p. 3. *Summæ* q. 48. membro 1. a. 3. §. 2. in reſolutione: Henricum Gandavenſem *Quodlib.* 6. quæſt. 23. B. Auguſtinum Triumphum Inſtituti noſtri doctrina, & ſanctitate percelebrem q. 1. *de poteſtate Eccleſiaſtica* p. X. art. 7. Quorum, aliorumque teſtimoniis productis inquit prælaudatus Auctor, quem fuiſſe puto Cæleſtinum Sfondratum hujus Operis merito Vaticana Purpura decoratum, libro 1. §. 16. pag. editionis Monaſterii S. Galli 279. *Illud ergo notatu eſt dignum omnium Scholarum Principes in noſtram ſententiam convenire: ex Schola Franciſcana Alexandrum Alenſem & S. Bonaventuram: ex Dominicana SS. Thomam, & Antoninum: ex Auguſtiniana Anteſignanum Ægidium, & Beatum Auguſtinum Triumphum: ex Carmelitana Joannem Bacconum: ex Carthuſiana præcipuum Doctorem Dionyſium: ex inſigni ce-*

„ *leber-*

leberrimæque Sorbonicæ Henricum Gandavenſem : ex Societate Jeſu Franciſcum Suarez, omneſque ejuſdem Societatis Doctores. Omnes etiam, qui, ob doctrinam eminentem, titulum aliquem & elogium, maximæque eruditionis characterem ſunt conſecuti : Hugonem videlicet cognomento Magiſtrum, *Alenſem* Irrefragabilem, *Thomam* Angelicum, *Bonaventuram* Seraphicum, *Ægidium* Fundamentalem, *Mayronem* Illuminatum, *Gandavenſem* Solemnem, *Bacconem* Reſolutum, *Gerſonem* Chriſtianiſſimum, *&c. Quamplurimos denique Sanctis adſcriptos, V. G. S. Thomam, S. Bonaventuram, B. Ægidium Romanum, B. Auguſtinum Triumphum, S. Antoninum, S. Raymundum, S. Gregorium magnum, S. Joannem Capiſtranum.* Laudat paullo poſt quamplurimos alios, atque e Societate *Jeſu* Venerabilem Bellarminum *De Poteſtate Papæ in Controverſiis*, Azorium Tom. 2. lib. 4. cap. 9. Suarez *de Legibus* lib. 3. cap. 22. & *contra Regem Angliæ* lib. 3. cap. 5. & cap. 23. Molinam *de Juſtitia* tom. 1. tract. 2. diſp. 29. Tannerum in 2. p. diſ. 4. q. 4. Valentiam in 2. 2. diſ. 1. q. 12. Sed quid omnes commemorabo, probum frugique lectorem fatigans tanta prolixitate verborum, quando Poteſtatis Romanorum Pontificum propugnatores ſibi patrocinari ajunt omnes fere Scholaſticæ & Moralis Theologiæ Doctores, atque innumeros clariſſimoſque Jure conſultos ?

V. Ex iis, quorum auctoritate decertant, potiſſimum Theologi Pontificiæ in Principes poteſtatis vindices nituntur S. Bernardi Abbatis ad Eugenium verbis, quæ paullo ſupra produximus. At plura de ipſo Bernardo animadvertit C. Defenſor Declarationis Cleri Gallicani p. 2. lib. 7. cap. 15. Expendens Operis de *Conſideratione* argumentum, ait poſſe quidem Pontificem Maximum *reſpondere hominibus litigantibus pro terrena dignitate, & flagitantibus* ab illo *judicium*, quoniam in ea tempora inciderit, in quibus homo ruſticanus & imperitus, derogans Apoſtolicæ dignitati, & injuria afficiens Summam & præcelſam Sedem, minime pateretur, ſi Eccleſiæ Rector voce Domini ſui reſponderet, *Quis me conſtituit Judicem ſuper vos?* Sed addit Bernardus, neminem Curialium demonſtraturum eſſe unquam, *ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum ſederit Judex hominum, aut diviſor terminorum, aut diſtributor terrarum*. Ne tamen Mellifluus Abbas illorum condemnet conſuetudinem, qui ſponte Judices Eccleſiaſticos adeunt, quod novimus conſtitutionibus quoque Imperialibus permitti, ſi de hac re litigantes conveniant, admonet nequaquam ſibi indignam videri rem, ſi Apoſtolici viri, *quibus datum eſt judicium in majora*, etiam de minoribus judicium interdum proferant. At ſtatim hæc verba ſubjicit alloquens Eugenium, *Ergo in criminibus, non poſſeſſionibus poteſtas veſtra, quoniam propter illa, non propter has accepiſtis claves regni cælorum, prævaricatores utique excluſuri, non poſſeſſores.* Poſt hæc vero S. Bernardus, *Quænam tibi major videtur dignitas & poteſtas dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non eſt comparatio. Habent hæc infima & terrena judices ſuos, & reges, & principes terræ; quid fines alienos invaditis? Quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis?* Atque ex his SS. Abbas Claravallenſis infert non debere Eccleſiaſticum Judicem ſeſe temporalibus immiſcere, niſi *excurſive* quadam & *incidenter*, nimirum, quando homines illius judicium flagitant, non jure ſuo, quo ei expreſſe inhibetur alieni muneris, ac poteſtatis fines invadere. Hinc Vir præſtantiſſimus Declarationis Cleri Gallicani propugnator progreditur ad explicandam S. Bernardi Doctrinam de duobus gladiis: quos eatenus ait ſpectare ad Principem Eccleſiaſticum, quatenus pius & Catholicus Imperator poteſt, ac debet pro cauſa Dei, & Eccleſia, annuente, & hortante Pontifice, bellum agere. Etenim S. Bernardus, tam præcitato libro 4. de Conſideratione, quam Epiſtola 256. ad ipſum Eugenium tertium, in qua idem omnino *de duobus gladiis* affirmat, de magna pertractat Exercitus Chriſtianorum clade in Palæſtina, ubi Cruciferorum copiæ tunc temporis præliabantur; ad quas augendas, & ab ingenti diſcrimine liberandas hortatur Summum Eccleſiæ Paſtorem, ut apud Chriſtianos Principes agat, ne milites pro recuperatione terræ Sanctæ pugnantes deſerant, & a Saracenis deleri permittant. Nemo autem ignorat quanta in beatiſſimo Viro fuerit circa Sacram illam expeditionem ſollicitudo, & quanta de ſiniſtris rebus in Syria evenientibus anxietas ac triſtitia. Hinc Gallicanæ Eccleſiæ Theologi non ſolum auctoritate S. Bernardi minime ſe percelli arbitrentur, verum etiam illa ſententiam communiri ſuam exiſtimant. Vidaſis Dupinium ſeptima Diſſertationum Hiſtoricarum §. v. pag. 254.

VI. De Privilegiis autem a S. Gregorio Magno conceſſis, productiſque a Ven. Baronio ad annum 593. & ad annum 603. doctiſſimus Meldenſis Epiſcopus Boſſuetius p. 2. lib. 6. cap. 9. minus videtur eſſe ſolicitus. Enimvero via aliorum reſponſionibus indicatis, quibus alii eadem privilegia cenſent eſſe ſuppoſita, alii vero inflictas pœnas *diſtributive* tantum, ſive *reſpective* intelligendas eſſe contendunt, quas utique reſponſiones præſtantiſſimus auctor non reprobat; nam adhibet expeditam atque facillimam, verba Gregorii, quatenus de temporalibus agunt, ſolam comprehendere imprecandi formulam iis temporibus uſitatam. Atque reſponſionem ſuam confirmat nobiliſſimus Scriptor, quoniam etiam laici utebantur in Sanctionibus ſuis ea formula, de qua lib. 11. nu. 14. Marculphus, *Si quis huic voluntati meæ vel repetitor, convulſor etiam & tergiverſator extiterit, anathema ſit*: ſive hac alia, *A conventu omnium Chriſtianorum, vel liminibus Eccleſiarum, & a communione extraneus habeatur.* Quemadmodum igitur Judex laicus Spiritualem anathematis aut excommunicationis pœnam interminans, non ipſam infligit poteſtate ſua, ſed diris devovet, & imprecatur tantummodo; ita Judex Eccleſiaſticus iis formulis, quibus utitur S. Gregorius Magnus, *Honore ſuo privetur, Poteſtatis honoriſque ſuæ dignitate careat*, ceteriſque hujus generis, ſua non expoliat ſeculares Dominos *poteſtate*, ſuo non privat *honore*, ſed execrandi, & imprecandi verbis utitur, non *Indicativi*, ut Grammatici inquiunt, modi, ſed *Optativi*.

VII. Quid vero de Theologis, quos appellamus Scholaſticos, præſertim Thoma Aquinate, & Ægidio Romano, quos ſingulari veneratione proſequimur, nequaquam tamen aliorum celebritate ac doctrina contempta? Ut verum fatear, non adprobo illorum reſponſa, qui ajunt Theologos & Canoniſtas quamplurimos, eos maxime, qui ſcripſere poſt excitatam hanc inter Pontifices, & Imperatores Regeſque controverſiam, ſtudio partium fuiſſe arreptos, adeoque argumenta ab illorum auctoritate deprompta, omnium eſſe leviſſima, atque eorumdem auctoritatem eſſe fractam omnino, ac proſtratam. Qua reſponſione utitur diſſert. 7. non ſemel citata §. 6. Ludovicus Ellies *Du Pin*: neque ad rem facere puto quod ab aliis Galliarum Scriptoribus ſolet reſponderi circa S. Thomæ Doctrinam expoſitam 2. 2. q. 10. art. 2. ad 1. Petrum Alliacenſem objicientibus ejuſdem Beati Thomæ auctoritates adverſus immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem, hæc repoſuiſſe, *Nos igitur Doctoris Sanctitatem veneramur, ut ejus doctrinam, quantum fides & ratio patitur, tenendam eſſe cenſemus.* Quæſtio enim, quæ modo agitur, minime ad fidem ſpectat, & pro qua diſputantium parte ſtet veritas, laborioſa perquiſitione diſſeritur. Non eſt S. Thomas ſcriptor treſſis ac proletarius, qui debeat inofficioſe dimitti, & in iis maxime, in quibus ingens & major Theologorum numerus illi adhæret. Exemplum quoque animæ & corporis, quo ad ſpiritualem ac temporalem poteſtatem explicandam utitur 2. 2. quæſt. 60. art. 6. Doctor Angelicus, a ceteris etiam paſſim adhibitum, non eſt adeo incongruum, adeo obſcurum, ut debeat abſque ulla prorſus ponderatione prætermitti. Nihilo tamen minus, quantum ad Scholaſticorum pertinet auctoritatem, doctiſſimo eloquentiſſimoque Melchiori Cano ſubſcribendum eſſe exiſtimo, ſcribenti libro octavo Loc. Theolog. cap. 4. „ Theologorum Scholaſticorum etiam multorum teſtimonium, ſi alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipſorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit: ſed ſi paucos viros, modo graves, ſecum habeat, poterit ſane adverſus plurimos ſtare. Non enim numero hæc judicantur, ſed pondere „. Hæc ille. Sed iſtud quoque liberatum, rectiſſimumque Cani judicium, Doctorum pro cauſa Summorum Pontificum decertantium videtur corroborare ſententiam: quippe illis nec major auctoritas, nec major numerus deeſt, ſi Thomam, & Ægidium, cum innumeris aliis prælaudatis patronos duceſque revera habeant.

VIII. Ceterum S. Thomas præcit. q. art. 2. 2. art. 2. docet nullatenus cum dominio pugnare infidelitatem, illorum etiam, qui apoſtatarunt a Fide, tametſi addat Principes ob infidelitatis crimen poſſe dominio privari. At præcedenti quæſt. 10. art. 10. tradiderat dominii fundamentum non eſſe fidem: quod veriſſimum eſt; quoniam multi infideles regnorum potiuntur, & quidem legitime, eiſque fideles obedire tenentur, ut docet Apoſtolus ad Romanos 13. 1. ad Coloſſ. 3. 22. priori ad Tim. 6. 1. & ad Titum 2. 9. & Petrus in Epiſtola 1. cap. 2. 18. Quibus in locis hortantes Apoſtoli quemcumque fidelem, ut Poteſtati ſubjectus ſit, ſuiſque temporalibus dominis obtemperet, nullatenus infideles impiuſque Principes excludit: præſertim cum eo temporis regnorum dominatores alieni forent a fide. Addens vero S. Doctor Eccleſiam nunquam permittere poſſe, ut infideles præficiantur fidelibus, *Cederet enim hoc in ſcandalum & periculum fidei: de facili enim qui ſubjiciuntur aliorum juriſdictioni, immutari poſſunt ab iis, quibus ſubſunt, ut ſequantur eorum imperium*: id ſcribit recte, ſapienterque: ut hinc eruitur ſolum Infideles Principes non eſſe ab Eccleſia conſtituendos, neque fideles teneri ad iis obediendum, cum fidei diſcrimine, bonorumque morum jactura. Quid vero, ſi infideles, aut improbi Domini jure ſuo imperant, ac præcipiant quæ civili ſocietati congruunt, neque ſunt turpia atque inhoneſta? Deberet ne unuſquiſque fidelium illis obtemperare? Utique, cum Apoſtolis, certiſſime reſponderet

An-

„ Angelicus. Atque idem egomet reſponderem, ſi pro libertate Gallicanæ Eccleſiæ, de qua nihil a me decerni debet, vellem inire diſputationem: quæ reſponſio conjuncta foret debito Principi Theologorum honori. Sane quod Sanctus Doctor ad t. eſt, imperante Juliano Apoſtata, Eccleſiam nondum *in ſua novitate habuiſſe poteſtatem terrenos principes compeſcendi, & ideo toleravit fideles Juliano apoſtatæ obedire in his, quæ non erant contra fidem, ut majus fidei periculum vitaretur*, ita excipit Meldenſis Epiſcopus p. 2. lib. 6. cap. 2. reponens, hoc idem in quovis Eccleſiæ tempore, ſi reges deponerentur, fore pertimeſcendum. Quis enim ſchiſmata, bellaque truculenta poſſet evitare, niſi forte univerſi ſubditi jugum tyrannicæ poteſtatis excuterent? Eo autem in caſu non Pontificum jure, ſed civium tumultu dominatores ejicerentur. Poſſet ulterius reſponderi eſſe utique in Eccleſia, cui præeſt Romanus Epiſcopus, duplicem gladium, ſpiritualem unum, & materialem alterum, atque illum nutu Pontificis, iſtum manu Imperatoris exercendum, ut ſupra cum S. Bernardo dictum eſt: nunc vero habere Eccleſiam poteſtatem *compeſcendi* terrenos principes, quoniam ſunt in Eccleſia Imperatores Regeſque Catholici, qui poſſunt Eccleſiam ipſam gladio *materiali* defendere, & paganorum atque hæreticorum conatus feritatemque, una cum divinæ Majeſtatis potentia conterere. Hæc poteſtas non erat utique in Eccleſie, Imperium moderante Juliano, ipſe namque Imperator erat apoſtata, principes reliqui idololatræ, & qui pro Chriſti fidelibus comparare exercitum, & adverſus Julianum noluiſſent caſtra movere.

„ IX. Quantum vero attinet ad articulum 6. quæſt. 60. ubi S. Thomas animæ & corporis profert exemplum, Franciſcus Sylvius Duacenſis Theologus celeberrimus, quo nemo vehementius pro ejuſdem S. Thomæ doctrina pugnavit, Commentario in ipſum articulum ſextum, inquit: „ Ceterum cum illæ poteſtates, ſecularis & ſpiritualis, in eo differant ab anima & corpore, quod ſint in diverſis ſuppoſitis, non ſimiliter anima & corpus; non eſt exiſtimandum, quod in omnibus & per omnia ita ſe habeant una ad alteram, ſicut ſe habent anima & corpus. Hinc eſt, quod poteſtas ſecularis non in omnibus rebus, neque per omnia omnino ſubjicitur ſpirituali, ſed tantum in his, quæ concernunt ſalutem animæ: in aliis autem magis obediendum eſt Rectori Civitatis quantum ad civilia, & Duci exercitus quantum ad bellica, quam Paſtori vel Epiſcopo, qui non habet de iſtis ſe intromittere niſi in ordine ad ſpiritualia. Ob hanc cauſam B. Thomas ſignificat, Prælatum ſpiritualem poſſe ſe intromittere de Temporalibus, *quantum ad ea, in quibus ſubditur ei ſecularis poteſtas, vel quæ ei a poteſtate ſeculari relinquuntur* „. Hæc Sylvius.

„ X. Ægidius Romanus, quem Scholæ ſuæ ducem ſequitur Eremitana noſtra Familia, prout ab Hoſtienſi producitur V. *de Feudo*, & a Meldenſium Epiſcopo lib. 8. cap. 21. „ Cauſæ mere temporales, inquit, ſunt cauſæ Feudales, & cauſæ ſanguinis & hujuſmodi. Iſtas commiſit Deus immediate & principaliter Imperatori & Regibus, de quibus nec Papa, nec alii Prælati debuerunt cognoſcere in Eccleſia primitiva, licet modo conſuetudine de perſonalibus quibuſdam & temporalibus ad utrumque Judicem recurratur „. His duobus Scholaſticorum Doctorum principibus accedunt, quos præcitata diſſert. laudat Dupin pag. 455. Hugo a S. Victore, Alexander Alenſis, ac Thomas Valdenſis Anglicus.

„ XI. Et quidem Hugonis a S. Victore lib. 2. de Sacram. Fidei parte 2. cap. 7. hæc ſunt verba. *Spiritualis poteſtas non ideo præſidet, ut terrenæ in ſuo jure præjudicium faciat; ſicut ipſa terrena poteſtas quod ſpirituali debetur nunquam ſine culpa uſurpat*: quæ verba profert Alexander Alenſis p. 3. q. 40. n. 5. & ſubjicit, *Regum eſt exercere pœnam corporalem, Sacerdotum ſpiritualem inferre vindictam: Sicut enim Judex terrenus non ſine cauſa gladium portat, Rom. 13. ita non ſine cauſa claves Eccleſiæ Sacerdotes accipiunt; ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; iſti claves habent ad excluſionem excommunicandorum, & reconciliationem pœnitentium. Igitur a Deo tantum eſt rex puniendus*, (ſupple, pœna temporali) *& non habet hominem, qui facta ejus dijudicet*, nimirum ad pœnam corporalem inferendam. At Thomas Valdenſis lib. 2. Doctrinalis Fidei cap. 34. n. 8. pertractans de coactionis poteſtate a Domino Petro collata, & de gladio, *quo extracto aurem mancipii amputavit*, affert explicationem B. Ambroſii libro ultimo in Lucam cap. 12. exponentis quod Evangelica narrat hiſtoria de Apoſtolorum Principe, qui gladio ſervo principis Sacerdotum amputavit auriculam dexteram (Matth. 26. 51. & Lucæ 22. 50.) *de gladio ſpirituali*, *quo* Sacerdos præcidit *aurem interiorem male intelligentem*: eaque expoſitione præmiſſa, inquit ipſe Valdenſis, *Sed dices, Non tollit niſi in gladio ſpirituali. Hoc ipſum verum dicis, Tollit Cæſar ferro, ſed Petrus verbo, ſed & utique verbo Dei pertingit uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus*. Subinde hoc explicat de excommunicatione, & de poteſtate ligandi atque ſolvendi a peccatis, in qua tantum conſtituit poteſtatem illam coactivam, atque, ut eam appellat, *terrificam*, qua Papa ceteris Antiſtitibus antefertur. Capite autem 78. ejuſdem art. 3. idem Valdenſis nu. 4. primum utramque poteſtatem ita diſtinguit: *Terrena poteſtas caput Regem, ſpiritualis poteſtas caput habet ſummum Pontificem. Ad poteſtatem Regis pertinent quæ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia. Ad poteſtatem Summi Pontificis pertinent quæ ſpiritualia ſunt, & vitæ ſpirituali attributa univerſa*. Deinde poteſtatem ſpiritualem terrenæ præferendam eſſe declarat, quoniam ſpiritualis judicare poteſt an poteſtas terrena recta ſit; ſed ait illos aberrare, qui ex præmiſſis verbis ex Hugone a ſe exſcriptis inferunt, *quod radix poteſtatis terrenæ in tantum dependet a Papa, ut ex commiſſione ejus executio derivetur in principem, & principe deviante, poteſt ſummus Sacerdos temporale illud adminiſtrare negotium*. Errare, inquam, docet Valdenſis eos, qui ad hunc modum ſpiritualem extollunt poteſtatem: ac repetit, quæ paullo ſupra produximus ex Hugone. *Hugo* (inquit num. 5. Valdenſis) *Hugo ſeipſum declarat ibi cap. 7. Sicut ſpiritualis ſiquidem poteſtas non ideo præſidet, ut terrenæ in ſuo jure præjudicium faciat; ſic ipſa terrena poteſtas quod ſpiritualis videtur nunquam ſine culpa uſurpat*. Præterea Valdenſis num. 6. tradit Regiam poteſtatem cedere Sacerdotali, ubi de rebus divinis agitur, Sacerdotalem vero cedere regiæ in negotiis terrenis. *Si vero petitur, ait, in quibus ſibi cedunt eventibus? reſpondetur, Ubi de peccatis & divinis offenſis agitur, maxime contra Eccleſiæ, & fidei diſciplinam, regalis poteſtas Sacerdoti ſuccumbit*.

„ XII. Ex his inferre nituntur regiæ ac ſupremæ poteſtatis vindices, illam nullatenus Scholaſticorum teſtimoniis labefactari aut infringi, primum quoniam non una eſt illorum ſententia; deinde quia ideo ſpiritualem poteſtatem temporali præferendam eſſe declarant, quod animam, ejuſdemque in æternam vitam directionem reſpiciat, atque finem habeat longe ſublimiorem; judicet etiam de rebus adverſus Chriſti religionem patratis, & peccata ſolvere queat, verbiſque, monitis, et ſpiritualibus pœnis fideles omnes, qualicunque dignitate, & auctoritate pollentes, cohibere valeat & coercere.

ARTICULUS IV.

Argumentationum alia Claſſis.

„ I. SEquuntur rationes, quæ ſuppeditantur ab hiſtoriarum exemplis: quorum exemplorum, ſectorumque duodecim complectitur lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 8. Ven. Bellarminus. Verum duo priora, unum de Ozia, de Athalia alterum, cum paullo ſupra fuerint producta, neceſſum non eſt, ut repetantur. Tertium itaque exemplum ſumitur ex Ambroſii ſanctiſſimi Mediolanenſium Antiſtitis rebus geſtis. Is enim ob cædem Theſſalonicenſem, quæ contigit Valentiniano A. IV. & Neoterio Coſſ. nempe anno Chriſti 390. Theodoſium Imperatorem a fidelium communione amovit, quod ipſius Theodoſii juſſu ſeptem hominum millia fuerint trucidata. Neque dicas excommunicationem eſſe pœnam duntaxat ſpiritualem, quam poſſe a ſummis Sacerdotibus infligi ultro ſententiæ oppoſitæ aſſertores fatentur: Bellarminus enim reponit, nullatenus potuiſſe ab Ambroſio eamdem pœnam ſpiritualem irrogari, *niſi prius cauſam illam cognoviſſet, & dijudicaſſet, licet criminalis eſſet, & ad Forum externum pertineret*.

„ II. Exemplum quartum eſt S. Gregorii I. de quo diximus, quantum inſtituti hujus ratio poſtulabat, in probationum iſtarum collectione tertia. At quintum ſpectat ad Gregorium II. qui Leonem Iſaurum Iconomachum excommunicavit, prohibuitque ne ab Italis eidem Imperatori ſolverentur vectigalia. Exemplum ſextum eſt Romani Pontificis Zachariæ, qui Childericum Galliarum regem propter hujus ſocordiam, ob quam religioni & reipublicæ maxima impendebant pericula, ac detrimenta, depoſuit, ſubſtituto in regem Pipino patre Caroli Magni: quod Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores referunt ad annum Vulgaris Æræ 751. Septimum autem exemplum eſt translatio Imperii a Græcis ad Germanos facta auctoritate Summi Pontificis Leonis III. a cujus translationis tempore, nimirum ab anno Æræ Vulgaris 800. invaluit conſuetudo, ut Papa electionem Imperatorum confirmet, & Imperatores juramentum fidelitatis præſtent Apoſtolicæ Sedi; atque id non tantum Hiſtoricorum conſtat teſtimoniis locupletiſſimis, verum etiam ſanctionibus Juris Canonici, prout liquet ex Cap. *Venerabilem*. Extra de Elect. depromto ex Decretali Innocentii III. ſcripta anno 1208. ad Ducem Carinthiæ, & ex *Clementina* unica, de Jurejurando. *Neque injuſte* (inquit Bellarminus) *id requiritur; qui enim potuit Imperium Germanis conferre propter Eccleſiæ ſalutem, potuit etiam certas conditiones adjungere propter eamdem cauſam, ne videlicet contingeret hæreticum, vel ſchiſmaticum creari*.

„ III.

III. Sequuntur exempla alia quinque. Ac primum, & ex recenſitis a Ven. Bellarmino VIII. eſt Gregorii V. qui anno 996. Sanctionem edidit, ut eligatur Romanorum Imperator per ſeptem Germaniæ Principes, quæ electionis forma ad hanc uſque diem ſemper ſervata eſt. Atque id a Gregorio V. ſancitum litteris tradiderunt Flavius Blondus decade II. libro 3. Nauclerus Generat. 34. & Magdeburgenſes Cent. x. cap. 10. Depoſuiſſe autem S. Gregorium Septimum, & non ſemel diris devoviſſe Imperatorem Henricum IV. & Auguſteum diadema contuliſſe Rodulpho Sueviæ Duci, creato regi Germanorum, cum ea Inſcriptione, *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho*, narrat Eccleſiaſtica Hiſtoria undecimi Chriſtiani ſeculi; & eſt exemplum nonum ceteris illuſtrius atque celebrius. Accedit decimum Innocentii III. qui depoſuit Othonem IV. ex Blondo Decade 2. libro 6.

IV. Exhibet exemplum undecimum Innocentius IV. qui in Generali Concilio Lugdunenſi depoſuit Fridericum II. quo depoſito vacavit Imperium annis 28. ut refert Matthæus Palmerius in Chronicis. Extat vero Sententia in Fridericum lata, cap. *Ad Apoſtolicæ* de Sent. & re judic. in *Sexto*. Idem Innocentius IV. dedit Coadjutorem Regi Luſitaniæ, dum, ob ipſius negligentiam atque ſocordiam in Luſitania regnum & religio periclitarentur. Videſis cap. *Grandi* de ſuppl. neglig. Prælat. itidem in *Sexto*. Poſtremum vero & duodecimum exemplum eſt Clementis VI. qui Ludovicum Quartum Imperatorem a Joanne XXII. & a Benedicto XII. privatum communione fidelium exauctoravit: cujus hiſtoriam tradiderunt Pighius libro 5. Hierarchiæ Eccl. cap. 14. & 15. & Robertus Arboricenſis tom. 2. theoremate 7. *de utroque gladio*. Hæc ſunt duodecim exempla citato cap. 8. allata a Cardinali Bellarmino, qui ſuam de poteſtate Romanorum Pontificum ſententiam in Opere adverſus Guiliel. mum Barclajum ſtuduit acerrime vindicare.

V. Sunt autem præter hæc exempla a Bellarmino producta quædam alia ejuſdem generis. Enimvero Concilium Toletanum XII. exauctorato Vamba Hiſpaniarum rege ad Thronum evexit Ervigium: quod evenit anno 682. juxta Fleury, ſive anno præcedenti. Deinde Concilium Compendienſe anno 833. exauctoravit, regnoque expulit Ludovicum Pium: quæ duo exempla licet ad Pontificem Romanum directe non pertineant, oſtendunt tamen in Eccleſia aliquam ſupra Reges in temporalibus poteſtatem. In Reges quoque Galliarum Philippum primum, & tertium eamdem poteſtatem exercuerunt: in illum ſcilicet anno 1095. Urbanus II. in iſtum vero anno 1296. & ſequentibus Bonifacius VIII. Idem egit anno 1317. exauctorato Ludovico Bavaro Imperatore Joannes XXII. Etiam Sixtus V. anno 1585. Henricum Navarræ Regem excommunicatum, & regno privatum eſſe declaravit, eidemque Henrico laicos obtemperantes anathemate rurſus perſtrinxit anno 1590. Gregorius XIV. Demum Henricum VIII. ubi ſe Anglicanæ Eccleſiæ caput conſtituerat, excidiſſe ab omni jure regni declaravit anno 1538. Romanus Pontifex Paulus III. Immo cum rex Angliæ Jacobus anno 1604. juramentum a ſubditis exegiſſet, quo profitebantur illum eſſe ſupremum ac legitimum dominum, & verum Regem, Papam vero nullam poteſtatem, vel auctoritatem habere ipſum deponendi, Paulus V. anno 1606. declaravit juramentum illud nullius penitus roboris eſſe, neque poſſe ſalva fide exhiberi. His ergo exemplis Romani Pontificis in temporalibus ſupra Imperatores Regeſque poteſtas fulcitur.

VI. Hæc, aliaque hujus generis exempla patroni ſententiæ oppoſitæ non una ratione conantur excutere. Ac primum, quod pertinet ad S. Ambroſium, nil evincit aliud, quam Theodoſium, monente illum, & de cæde Theſſalonicenſi redarguente Ambroſio, eumque ab ingreſſu Eccleſiæ prohibente, ſanctiſſimo Præſuli humillime obtemperaſſe, ac ſeſe publicæ pœnitentiæ ſubjeciſſe. Excommunicatum non fuiſſe Theodoſium ab Ambroſio, ſed tantum pro crimine publico publicæ pœnitentiæ addictum, obſequentem utique, & nullatenus repugnantem, demonſtrat in Epiſtola ſeptima partis ſeptimæ ad Claudium Amelinam Joannes Launojus Conſtantienſis, Theologus præſtantiſſimus. Et revera, ſi partium ſtudio abjecto loqui velimus, nihil aliud colligitur ex quinto libro Hiſtoriæ Theodoreti capite 17. unde Ven. Bellarminus ſuam ratiocinationem mutuatus eſt, ſi eamdem narrationem accurate, integre, diligenterque expendamus. Quare non tam Epiſcopi munus, quam Imperatoris integritatem ac modeſtiam Hiſtorici Patreſque hoc in loco commendant. Paulinum Diaconum, qui Ambroſii vitam conſcripſit, Rufinum Aquilejenſem lib. 11. Hiſt. Eccl. cap. 18. Sozomenum lib. VII. cap. 24. necnon S. P. Auguſtinum lib. 5. de Civit. Dei cap. 26. ipſe Launojus producit. Quorum laudationes neceſſum non eſt, ut exſcribamus; ſed ſufficit commemoraſſe. Contendit quoque prælaudatus Launojus, Bellarminum ſcribentem, *Præcepit* Ambroſius *Imperatori, ut legem ferret*, & poſt pauca, *Coegit Imperatorem ad legem politicam ferendam*, nempe ut latæ ſententiæ per triginta dies penderent, haud recte verbis *præcipiendi*, & *cogendi* uſum fuiſſe. Enimvero in Theodoreti hiſtoria nullum iſtiuſmodi verborum extat veſtigium; ſed narratur duntaxat, Theodoſium dixiſſe Ambroſio, ut ei oſtenderet quale temperamentum foret adhibendum, Ambroſium vero reſpondiſſe, *Scribe legem:* eaque lege expoſita, inquit Hiſtoricus: Conſilium hoc complectens Imperator, idque optimum exiſtimans, legem ſtatim conſcribi *juſſit*. Ambroſius itaque hortantis, & conſulentis munus obivit, non vero cogentis, atque præcipientis. Quare propriæ cauſſæ nimio ardore, nec veritate diligenter inſpecta videtur Bellarminus deſervire, dum ait: *Præterea cogere Imperatorem ad legem politicam ferendam, & præſcribere ei formam legis, nonne manifeſte oſtendit, poſſe Epiſcopum interdum temporali poteſtate uti etiam in eos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt? Et ſi Epiſcopus quilibet id poteſt, quanto magis Princeps Epiſcoporum?* His vero Bellarminus poteſtatem illam indirectam, quam in Pontifice Maximo ſtatuit, haud ambigue cuilibet Epiſcopo adtribuit. Erit fortaſſe qui eadem ratione poteſtatem ipſam adſtruere velint in ſacerdotibus inferioris gradus, qui adprobati ad confeſſiones fidelium excipiendas præſcribunt pœnitentibus modum ſatisfaciendi Deo jejuniis, vigiliis, eleemoſynis, honoris, rerumque ablatarum reſtitutione. Quod utique facere non poſſent, niſi varia crimina cognoſcerent, & dijudicarent: ſed cognoſcunt in foro Eccleſiæ, & in foro conſcientiæ, non autem in foro contentioſo, & externo, decernentes quid expediat ad animarum ſalutem, non quid neceſſarium ſit regimini reipublicæ. Brevius reſponderi poſſet, S. Ambroſium ſpiritualia duntaxat arma adverſus Theodoſium tractaſſe: nunquam illi comminatum fuiſſe privationem Imperii, neque eo tempore, quo illum a templi foribus duxit amovendum, ei obedientiam ſubditorum, & dignitatem poteſtatemque ſupremam, & in rebus politicis independentem, ullatenus denegaviſſe. Plura Dupinius diſſert. 7. §. 3. Boſſuet p. 2. libro 6. cap. 5.

VII. Reſponſionem ad exemplum quintum eruimus ex V. Cl. Antonio Pagio ad annum 726. num. 12. hæc ſcribente: „ Hiſtorici quidem Græci, Theophanes, eumque ſecuti Zonaras, & Cedrenus ſcribunt Gregorium II. Romam atque Italiam ceteraſque Occidentis provincias ab obedientia, imperioque Leonis abduxiſſe. Verum Anaſtaſius & Paulus Diaconus, ut videre eſt apud Baronium num. 24. & ſeqq. verius aſſerunt, eum populos in officio, & in fide Imperio debita continuiſſe. Quare ut recte Marca lib. 3. de Concordia cap. 11. exiſtimandum eſt ex hæreſi (Iconoclaſtarum) a Gregorio damnata occaſionem quidem ſumpſiſſe Italos pellendorum Ducum ab Imperatore conſtitutorum, & vectigalium retinendorum: ſed ille tantum abfuit a rebellione fovenda, ut Exarchum in integrum reſtituerit „. Hæc Pagius, qui etiam monet Hiſtoricos Græcos in enarrandis rebus in Occidente geſtis plerumque allucinari. Profecto quod ait Pagius, veriſſimum eſt. Id enim litteris luculentiſſime tradiderunt Anaſtaſius Bibliothecarius ad annum 658. & Paulus Diaconus lib. 6. de Geſtis Longobard. cap. 49. Idem demonſtratur ex epiſtola prima & ſecunda Gregorii ad Leonem, necnon ex Epiſtola Caroli Magni ad Conſtantinum & Irenem, de quibus pag. 508. & 509. Dupinius. Non ſunt itaque audiendi Scriptores Græci, aut rerum in Occidente geſtarum ignari, ut ait Pagius, aut retorquere ſoliti in odium & invidiam. Eccleſiæ Romanæ jacturam Occidentalis Imperii, ut obſervat Ven. Baronius. Græcos tamen cum Latinis conciliari poſſe putat Petrus de Marca præcitato cap. undecimo §. 3. ſi dicamus Græcos Scriptores ea omnia velut in unum faſcem conjeciſſe, quæ diverſis temporibus acciderunt, remque totam ad Gregorium II. retuliſſe, cujus origo tantum inde peti debeat. Nam cum binis Epiſtolis Gregorius Leonem hortatus eſſet, ut ab evertendis ſacris Imaginibus abſtineret, Imperator autem iconomachus in illas vehementius fureret; occaſionem Itali arripuerunt, excuſſo Ducum jugo, alios ſibi creandi, qui rempublicam adminiſtrarent, electos utique procerum ſuffragiis, ſed Romani Pontificis adprobatione & conſilio; cum nullum Imperium idem Pontifex in Italia eo temporis exerceret, omniaque ordinario jure peragerentur a Senatu populoque Romano.

VIII. Childericum depoſitum, & Pipinum conſtitutum Francorum Regem a Romano Pontifice Zacharia, negant qui pro declaratione Cleri Gallicani inierunt certamen. Id quidem videtur aſſerere laudatus a Ven. Bellarmino Eginhardus in vita Caroli Magni, ubi ait Childericum ultimum e gente Merovingorum *juſſu Stephani Romani Pontificis depoſitum, ac detonſum, atque in monaſterium truſum fuiſſe, Pipinum vero per auctoritatem Romani Pontificis Zachariæ ex præfecto Palatii regem conſtitutum:* ſed idem Eginhardus in Annalibus ad annum 749. ſcribit miſſos ad Zachariam Papam legatos, Burchardum Wirtziburgenſem Epiſcopum, &

„ Fol-

Folradum presbyterum, *ut conſulerent* Pontificem de cauſa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum Regis, ſed nullam poteſtatem *regiam habuerunt*, additque Hiſtoricus, *Pontificem affirmaſſe, melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret*. Dicitur ergo Papa depoſuiſſe & conſtituiſſe Franciæ Reges conſulendo tantummodo, ſeu potius declarando illi obedientiam exhibendam eſſe, qui regnum ſibi a proceribus collatum ſedulo adminiſtrabat, non ſocordi ineptoque principi in monaſterium detruſo. Idem, non aliud, apertiſſime tradiderunt ſcriptores illi præſtantiſſimi, quos prælaudatus Bellarminus commemorat lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 17., Paulus Diaconus cap. 5. libri ſexti de geſtis Longobardorum, Aimoinus lib. 4. de geſtis Francorum cap. 61. Regino Abbas Prumienſis lib. 2. Chronicorum, Marianus Scotus libro 3. Ado Viennenſis in Ætate ſexta, Otto Friſingenſis libro 5. Hiſtor. cap. 21. aliique, a quibus oppoſitum tradi, quam Bellarminus aſſeruit, prolixa demonſtrare nititur diſſertatione Launojus in partis ſeptimæ Epiſtola 5. data ad Ludovicum Meræſium. Illorum omnium Hiſtoricorum ſenſum recte aſſecutus fuerat Blondus libro decimo decadis primæ ſcribens: Invenio apud Alcuinum Paulumque, ac plerosque alios, qui Francorum geſta ſcripſere, proceres populoſque *ejus gentis, Pipini virtutem, & e contra Childerici Regis amentiam debitis penſantes meritis, Zachariam Pontificem Romanum conſuluiſſe, ineptum ne regem ultra tolerandum, an Pipinum merita fraudandum regia dignitate cenſeret. Cumque reſpondiſſet Pontifex illum, qui regia melius obiret munera, eſſe habendum regem, Francos publico totius gentis conſilio Pipinum declaraſſe regem, Childerico in clericum tonſurato*. Ipſi itaque proceres populique Francorum, non Papa, Pipinum Regem crearunt, ut unanimi conſenſione tradidit quoque Flavius Blondus, cui videntur pugnantes pro Romani Pontificis ſupra Reges poteſtate imponere, ut de Hiſtoricis aliis exiſtimat præcitatus Joannes Launojus.

„ IX. Translatum Romanum Imperium a Græcis ad Germanos auctoritate ſummi Pontificis Leonis III. negat etiam Illuſtris Pagius ad annum 800. num. 10. neque enim Irenes in acclamatione Caroli Magni jure ſuo, & Imperiali dignitate privata eſt, & Carolo ob amplitudinem regnorum, quæ in ſuam poteſtatem redegerat, Auguſti nomen, acclamante Romano Populo, collatum eſt. A Romanis, non a Pontifice, appellatum Auguſtum ſcribunt Annales Francorum ad an. 801. Aimoinus, Ado, Goſridus Viterbienſis, Marianus Scotus, noſter Philippus Bergomas, Paulus Æmilius, aliique complures laudati a Dupinio diſſert. 7. pag. 519. & ſequentibus. Quod ajunt Ven. Bellarmino duce, decoratum Carolum Magnum Auguſti titulo non ante, ſed poſt coronationem factam a Leone III. evellitur quamfacillime: coronatio enim & inunctio Pontificum quædam eſt cæremonialis conſecratio ad electionem non ſpectans. Nunquid enim Rex Chriſtianiſſimus regnum accipit ab Archiepiſcopo Rhemenſi, a quo inungitur, aut ipſe Romanus Pontifex ab Epiſcopo Oſtienſi, a quo conſecratur, vel a Cardinali Diacono, a quo ei Pontificiæ dignitatis imponitur diadema? Item parum, aut nihil urget quod de Conſtantino filio Irenis ſcripſit Hadrianus Primus ad Carolum Magnum, ipſummet Conſtantinum *hæreticum decerni*, niſi redderet ablata Romanæ Eccleſiæ ampliſſima patrimonia: ut enim inquit in Defenſione ſua Boſſuetius parte 2. libro 6. cap. 20. „ Quid porro ad rem noſtram, *Hæreticum decernimus?* Eſto: an & illud addidit, *Imperio in æternum privatum declarabimus?* „

„ X. Magis expedite videtur, quantum pertinet ad translationem Imperii, reſponſio altera ejuſdem Meldenſis Epiſcopi Boſſuet citato libro 6. cap. 38. nimirum, cum Romani mortuo Conſtantino matris ejus Irenis pati nollent imperium, Roma autem eſſet prima, & perantiqua Imperii Sedes, ac præterea urbs ipſa, aliæque imperatoriæ civitates juſto bello acquiſitæ in poteſtate forent Caroli Magni, principia ad Chriſtianam religionem, imperiumque gubernendum, & amplificandum aptiſſimi: idcirco Romani omnes Carolum ſalutarunt Auguſtum, plaudente utique, & conſentiente Leone III. atque ad hanc inaugurationem concurrente, non tanquam Pontifice, regnique ſpiritualis, & temporalis domino, & adminiſtro, ſed tamquam Romanorum Procerum uno, & eligentis & acclamantis populi pars nobilior.

„ XI. A quo inſtituti fuerint ſeptem Electores Imperii, incertum omnino eſt atque obſcurum. Enimvero nonnulli eamdem inſtitutionem cum Jordane in Chronico tribuendam cenſent Carolo Magno, aut Leoni III. qui eumdem Carolum diademate cinxit Auguſtum populo proceribuſque, ut dictum eſt nuper, acclamantibus. Id vero inniti videtur cap. *Venerabilem*, de Elect. & Electi poteſt. edito ab Innoc. III. ubi legitur, jus & poteſtatem eligendi regem in Imperatorem Principibus ab Apoſtolica Sede attributum *in perſona magnifici Caroli, qui a Græcis tranſtulit Imperium in Germanos*. Verum etſi Carolus Magnus Auguſtali nomine decoratus eſt adprobatione & voto Sacerdotum, ampliſque Senatus, totiuſque populi Romani, gentiſque togatæ, ut legitur in Concilio Romano anni 877. etiam de Carolo Calvo, conſtat tamen ſubſecutos inde Imperatores non a ſeptem Principibus tantum, ſed ab omnibus ſimul congregatis fuiſſe electos; quod & Onuphrius noſter, & Ven. Baronius ad annum 996. num. 4. Ant. Pagius num. 10. aliique plurimi tradiderunt. Gregorio utique V. eamdem Electorum inſtitutionem Blondus, Nauclerus, Platina, &c. tribuunt, ſed Gregorium pariter non eſſe ejuſdem Sanctionis auctorem invicte demonſtret laudatus Panvinius, propterea quod poſt obitum ipſius Gregorii V. omnes tam Epiſcopi, quam principes laici Germaniæ ad eligendos Imperatores convenerint, non ſolius honorificentiæ cauſa, ut quidam dixere, ſed cum auctoritate ferendi ſuffragii: omniumque explorato aſſenſu electi fuerint Henricus II. IV. & V. Conradus I. & II. Lotharius II. Fridericus I. & alii. Ipſe Onuphrius & Aventinus inſtitutionem de qua loquimur Gregorio X. adſcripſit: plures Ottoni tertio, qui cum legitima ſucceſſione ad Imperii faſtigium perveniſſet; ſed cum ipſe careret liberis, dedit operam, ut prælaudatus Gregorius V. Othone ipſo, & Teutonicis principibus poſtulantibus, ſtatueret imperium, quod hactenus hæreditario jure traducebatur ad poſteros, conferretur liberis electorum ſuffragiis. Quare non colligitur ex Electorum inſtitutione Romanum Pontificem aliis auctoritate Reges, & Imperatores eligere, confirmare, & reprobare, niſi ea, quam ab ipſis Imperatoribus, Regibuſque, & a ſenatu, ac Populi conſenſione accepit. Revera Romani Pontifices negarunt inter Electores locum habere hæreticos; & nihilominus, quia Franciſcum Primum electum ſuffragio Electoris Hannoverenſis legitimum Cæſarem non eſſe auſit aſſerere, quando tidem Romani Pontifices Apoſtolicis litteris, Nunciorum legatione, Eccleſiaſticorum beneficiorum, ac dignitatum ad illius nutum collatione, Auguſtiſſimum Imperatorem, & jure ſervato renunciatum, nullo ſecularium Principum reluctante, fatentur? Recte itaque Meldenſis Antiſtes præcitato libro Sexto cap. 41. inquit: „ Valeant denique, vigeantque omnia, quæ Innocentius III. poſtremis licet ſeculis, ejuſque Succeſſores, in Decretalibus, inque Clementinis, aut quocunque ſub Titulo in Imperatorem Romano Germanicum ſibi tribuerunt: Electum enim Romanus Pontifex confirmet, reprobet, ad proprie dictum fidelitatis juramentum adigat, ſitque *Imperatoris ſuperior atque ordinarius judex*, tanta auctoritate, ut ejus judicia irritare poſſit, quod habet Clementina *Paſtoralis*, tit. de ſententia & re judicata; quamquam hæc quædam a doctis etiam Catholicis, Onuphrio, & aliis in dubium revocata, quædam ut nimis ipſo uſu obſoleta fuiſſe videantur: haud gravate concedimus, dummodo recluſis fontibus recognoſcere liceat auctoritatem illam Romani Pontificis non a Chriſto quidem, ſed a Populi Romani, Ipſiuſque Civitatis conſenſione accepiſſe. „

„ XII. De S. Gregorio VII. non unum eſt Hiſtoricorum judicium. Hæretici illum innumeris calumniis proſcindunt, ambitionis, intemperantiæ, & magiæ quoque impudentiſſima, atrociſſimaque inſimulatione. Quis Catholicorum tantam patiatur arrogantiam atque temeritatem? Joannes Launojus, quemquam liberiori interdum utitur ſtylo, hæc de Gregorio ſcribit in Epiſtola ad Jacobum Malateſtam, *Ceterum ſi de vita Gregorii VII. quæ ad Henrici IV. Imperatoris depoſitionem pertinent velis detrahere, tunc habebis Pontificem, cui anteferatur nemo, cui nulli, vel certe pauci pares putentur*. Solam itaque Imperatoris depoſitionem in beato Gregorio culpant Catholici Declarationis Gallicanæ Propugnatores. Verum hanc non recte peractam totis lacertis conantur evincere. Ajunt univerſum orbem admiratum hujus rei, atque exhorruiſſe novitatem: multos per Germaniam Epiſcopos orthodoxos a Gregorii VII. ſententia deſciviſſe, & nunquam depoſito Imperatori debitum denegaſſe obſequium, etiam Brunonem Trevirenſem Archiepiſcopum maximæ pietatis virum, & S. Othonem Bambergenſem Apoſtolum Pomeraniæ, ceteroſque ratas habentes deſignationes Epiſcoporum factas ab eodem Imperatore ſententia Gregorii exauctorato: infirmiores, qui ab Henrici communione diſceſſerunt, fuiſſe permotos falſa interpretatione interdicti de excommunicatis vitandis, quod eo temporis erat pervulgatum; cum tamen in iis, quæ temporalia ſunt, & reipublicæ cauſa, & utilitate aguntur, ſervari debeat cum principe, etiam anathematizato, communio: eos proinde craſſo detentos fuiſſe errore, qui cum nullam cum Henrico communionem habere poſſent in malis, cujus generis erant ſimoniaca labes, ſchiſma, Guiberti Antipapæ intruſio, ipſius Gregorii legitimi Pontificis violata majeſtas; falſo cenſebant nec in bonis ad civile regimen pertinentibus eſſe Imperatori Henrico communicandum atque obtemperandum. Addunt teſtimonium Eccleſiæ Leodienſis in Epiſtola inſerta tomo 10. Conc. pag. 630.

col-

collect. Labbæi: quam a Schiſmaticis editam affirmat Baronius ad annum 1105. ſed non adhæſiſſe Antipapæ, nec diſceſſiſſe a communione S. Gregorii VII. demonſtrat libro 7. cap. 8. pag. 261. eruditiſſimus Boſſuet. Narrant quoque infelicem bellorum exitum, quem experti ſunt Rodulphus & Hermannus adverſus Henricum caſtra moventes, hortante & ſuadente Pontifice; tametſi prudens Scriptor, quem modo laudavi, ait nolle ſe, ut id ſuæ cauſæ patrocinetur. Reponunt denique nonnullos Romanos Pontifices, etiam ſingulari præditos ſanctitate, ex ignorantia aliquando a recto itinere declinaſſe.

„ XIII. Quæ tamen dixi in fine ſuperioris paragraphi 11. exhibent faciliorem reſpondendi rationem, nempe S. Gregorium VII. in eo, quod ſpectat ad Imperium Romano-Germanicum, quemadmodum & Pontifices alios, habuiſſe, & habere peculiarem auctoritatem, non quidem nativo jure regni ſpiritualis, ſed facta ſibi munificentia Principum, conſenſione populi, & vetuſto jure Romanæ civitatis, cujus largitate Cæſarum potiuntur dominio, decernendi de Imperio poteſtate, quæ ipſis acceſſoria eſt, certis finibus coarctata, nec ſupremi Domini auctoritati contraria. Quæ vero Gregorius, ceterique Pontifices ex ſacris litteris, & canonum vel Patrum auctoritate producunt ad poteſtatis ſuæ dignitatem & præeminentiam extollendam, oſtendere ſolummodo quantum ſpiritualia præſtent temporalibus, & quomodo iſta illis ſubjiciantur in iis, quæ attinent ad finem ultimum, animarumque ſalutem. Porro non eodem pacto de Imperatore, ut *Auguſtali* dignitate præfulget, atque ut eſt abſolutus dominus regnorum provinciarumque ſuarum, quemadmodum & de Regibus, ac Principibus aliis abſolutis, qui ab Apoſtolica ſede in politica gubernatione non pendent, ratiocinandum eſſe monet Illuſtriſſimus Petrus de Marca libro 2. Concordiæ Sacerd. & Imp. cap. 2. num. 9. ubi ait: „ Auguſtiorem ceteris Europæ regnis Imperialem dignitatem haberi ob Petri Apoſtolorum Principis ſedem, quæ in provincia Imperii ſita erat, teſtatur Concilium Romanum habitum ſub Agathone in Epiſtola Synodica ad Conſtantinum Pogonatum. Par nominis Romani cultus (quod in titulis Imperatoriis hodie fulget, B. Petri memoria, & ſummi Pontificis unctionis conſecratum) apud ceteros Chriſtianos Principes non invitos primum locum Imperatoribus Romano-Germanicis conciliavit. „

„ XIV. Jam vero exempla reliqua a Venerabili Bellarmino ſuperius allata, perfunctorie breviterque percurram. Neque enim Otho IV. ab imperio excidit, quia ab Innocentio III. depoſitus fuit, atque ob invaſionem quorumdam oppidorum Siciliæ, & Apuliæ anathemate percuſſus: ſed quia Imperium jure ſpectabat ad Fridericum II. filium Henrici VI. eoque nondum ad regendum Imperium idoneo, ad Philippum Sueviæ ducem, & fratrem Henrici. Vide pag. 543. Dupinium. In reliquis diſcutiendis non immorabor; non enim quærimus quid poſteriores Pontifices exemplum ſecuti S. Gregorii ſeptimi fecerint, ſed an jure, & indita ſibi auctoritate fecerint. Quod Innocentius IV. geſſit cum Friderico II. in Concilio Lugdunenſi anno 1245. a Matthæo Pariſio, aliiſque Hiſtoricis reprehenditur, actumque fertur, non ſine omnium circumſtantium ſtupore, & horrore, Sacra quidem præſente ſynodo, ſed non approbante. Ludovicus tamen Bavarus a Joanne XXII. ut narrat Nauclerus, excommunicationis ſententiam pertulit, ad Pontificem pro illo victo ab hoſtibus, & in captivitatem redacto, Leopoldo ipſius fratre humiliter recurrente: ſed cum a Joanne, tum a Clemente VI. diris devotus emiſſis diplomatibus declaravit ſe a Deo, non a Pontifice imperium obtinuiſſe, & a mortalium nemine ſuam in temporalibus poteſtatem pendere.

„ XV. Vambam vero Hiſpaniarum regem, neque a Romano Pontifice, neque a duodecimo Toletano Concilio regno dejectum fuiſſe, ſed ſponte illud abdicaſſe, ex ipſius Concilii cap. 1. perſpicue colligitur. In Galliarum Reges pœnam excommunicationis latam invenies, depoſitionis nequaquam. Idem in Reges Navarræ, & Angliæ Pontifices Romani ſuo jure præſtiterunt quantum ad inflictum anathema; ſed quantum ad regale diadema, fruſtra conati ſunt illud e Regum frontibus ſpiritualis regni ſui armis miniſque auferre, & excutere. Et hæc quidem ad hiſtorica exempla defenſores Declarationis Cleri Galliarum, magna rerum geſtarum congerie, eleganti copia verborum, & eruditionis apparatu reponunt.

ARTICULUS V.

Poſtrema argumentorum complexio.

„ I. ARgumentis demum a ratione petitis Theologi indirectæ Romanorum Pontificum in Principes poteſtatis propugnatores ſuam firmare ſententiam adnituntur. Atque hujus generis momenta ad capita, quæ conſequuntur, referri poſſunt. Principio controverſia iſta de Principibus tantum *Chriſtianis* inſtituitur: de iis enim, qui extra Eccleſiam ſunt, judicandi auctoritate caret ſpiritualis Rector, animarumque inſtitutor. In Chriſtiana autem republica utraque poteſtas, ſpiritualis atque civilis, ſacro religionis fœdere, & unius gentis communione copulantur, & unum corpus profeſſione ejuſdem fidei, eorumdemque Sacramentorum participatione conficiunt. Atque hæc ſane Chriſtianorum gens, & reſpublica inviolabili conjuncta ligamine, cum optimis legibus ſit conſtituta, Deum habeat immediatem auctorem, poſſideatque regnum illud ſempiternum, quod omnia regna mundi, prophetante Daniele, comminuet, cunctis aliis nationum conventibus perfectior ſit, firmior, & potentior neceſſe eſt. At quænam, obſecro, bene inſtitutæ reipublicæ perfectio, quænam regni firmitudo ac ſtabilitas, quænam ſummæ poteſtatis dignitas, optimique forma regiminis, ubi inferiora non ſubjiciuntur ſuperioribus, atque duæ Poteſtates vigent æquali virtute pollentes, quarum una non pendeat ab altera? Recta quidem cujuſvis communitatis inſtitutio hanc dependentiam neceſſitate quadam inviolabili poſtulat; ſiquidem ea ſublata duo conſurgunt *Capita*, regnum adverſus regnum conſurgit, abrumpitur unius *Corporis* compago, neque *Capiti* facultas ineſt membra ſingula dirigendi, ſi munere abutuntur ſuo, atque ab officio recedunt, ea coercendi, & quatenus id exigat totius *Corporis* ſanitas, & incolumitas, abſcindendi quoque & reſecandi. Verbo dicam: Una eſt Chriſtiana reſpublica, cujus ſupremum *Caput*, poſt Chriſtum regem regum, & dominum dominantium, eſt Pontifex Romanus: omneſque huic inferti reipublicæ, qualicunque dignitate præfulgeant, eidem Romano Pontifici debent ſubeſſe.

„ II. Philoſopho etiam docente in priori capita Ethicor *ita ſubordinantur facultates, quemadmodum ſubordinantur & fines*. At finis ſpiritualis poteſtatis, qui eſt ſempiterna animarum felicitas, ſibi ſubordinatum habet finem poteſtatis temporalis, ſeu civilis, qui finis eſt felicitas temporalis. Poteſtas itaque ipſa ſpiritualis ſubordinatam habere debet poteſtatem civilem ſeu temporalem. Hujus autem ratiocinationis fundamentum eſt, quod omnis Chriſtianæ actionis finis ultimus, in quem tendunt, & cujus cauſa cuncta creaturæ rationalis opera, ſi fidei Chriſtianæ regulis conſentanea ſint, peraguntur, non eſt civium politica gubernatio, neque pacis bellique jus, neque imperiales ſanctiones, aut quidquid pertinet ad exterarum mundanarumque rerum diſpoſitionem atque adminiſtrationem; ſed finis ille ultimus, & in quo creaturarum rationalium ſiſtit animus, eſt æterna beatitudo, cujus gratia humanæ divinæque leges ſervari debent, ne quidquid agimus noxium ſit, vel ſaltem ineptum, minimeque conducens ad ſempiternam illam beatitatem.

„ III. Ulterius ſpiritualis ac temporalis Poteſtas in Chriſti Eccleſia conveniunt, non tanquam duæ ſegregatæ reſpublicæ, quarum utraque propriis utitur legibus, formamque tenet regiminis diverſam & ſegregatam; ſed conveniunt potius ea ratione, qua ſpiritus, & caro in unum hominem confluunt, ut cum beatiſſimo Gregorio Nazianzeno alii loquuntur Patres: ſive, quod in idem recidit, Poteſtas ſpiritualis eſt ad inſtar animæ, Civilis autem æquiparatur corpori, quod una cum anima eumdem efficit hominem, eamdamque perſonam; qua, ut ſuperius vidimus, ſimilitudine, aut comparatione utuntur in duplici illa Poteſtate explananda cum Angelico Doctore Thoma percelebres e ſchola Theologi. Quid ergo? Dilucide, evidenterque hinc infertur, non ſolum Eccleſiaſticam Poteſtatem eſſe Poteſtate civili nobiliorem atque præſtantiorem, quemadmodum animus ſpiritusque eſt nobilior & præſtantior corpore; verum etiam conſequitur munus eſſe Poteſtatis ſpiritualis inſtruere, & rectum in finem dirigere Poteſtatem temporalem, ipſamque, ſi a recto fine deflectat, ſibique commiſſam plebem vexet injuſte, peſſumdet, moribus improbis corrumpat, & cum hæreticis, ceteriſque infidelibus, aut patriæ hoſtibus jungens fœdera, trahat in animæ corporiſque perniciem, reprehendere, cohibere, exſtirpare; ſicut rationalis anima refrænat carnis motus rebelles, membraque debilia jubet conſolidari, curari infirma, ac putrida abſcindi.

„ IV. Ut bene percipiatur quid ad hæc argumenta, & ſi quæ alia ſunt his affinia, reponunt Galliarum Theologi oppoſitæ ſententiæ adhærentes; operæ pretium eſt nonnullas apponere præceptiones. Prior eſt, revera in Eccleſia, quæ ex clericis, & ex laicis componitur, duas illas Poteſtates convenire, & ſpiritualem longe eſſe temporali præferendam ea ipſa de cauſa, quod ſpiritualis eſt, & de cæleſtibus pronuntiat judicia. Enim vero S. Joannes Chryſoſtomus hom. 15. in ſecundam ad Corinthios Epiſtolam, *Iſte principatus* (inquit de Eccleſiaſtico) *civili tanto melior eſt, quanto terra cælum, imo & multo magis, & non multa illi cura eſt de ſæculari vita, omnia autem de cæleſtibus rebus pronuntiat.*

„ V. Secunda prænotatio ea eſt, revera a S. Gregorio Na-

„ Nazianzenum Oratione 17. quam de Marca lib. 2. Conc. cap. 1. num. 5. recte appellat Chriſtiano ſale conditam, ornatamque ſimul venuſtate dictionum ac ſententiarum, imperium Eccleſiæ comparari animæ, civile autem ſimile eſſe corpori: ſed addit Imperio civili, & ſublimioribus Poteſtatibus creditio, omnes parere, ut heris ſervi, & maritis uxores obediunt, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ut inquit Apoſtolus. Addit prætetea parem eſſe utramque Poteſtatem in imperandi jure, imparem vero in mandatorum dignitate, quoniam uni vitæ tranquillitas, & alteri animarum ſalus commiſſa eſt; neutrius autem Imperii poteſtatem ac libertatem ab altero eſſe infringendam. Eſt itaque Nazianzeni, aliorumque Patrum doctrina, Imperium quidem ſpirituale eſſe Imperio temporali præſtantius, ut anima præſtantior eſt corpore; ſed non ait Nazianzenus, neque ajunt alii Patres utrumque Imperium convenire in Eccleſia in unam, eamdemque perſonam, ſicut anima & corpus ſubſtantiali nexu conveniunt, & colligantur in eodem homine: ac multo minus docent unum Imperium ſubeſſe alteri, quemadmodum corpus ſubjicitur animæ. Idem dicendum de comparatione utriuſque Imperii cum ſole, & luna, quam adhibet Innocentius III. lib. 1. epiſt. 401. relatus de major. & obed. *Nam quamvis luna recipiat lumen a ſole, non tamen motum & influentiam. Ita quamvis Reges ut temporales Domini per lunam deſignati recipiant, & recipere debeant lumen doctrinæ a Papa, & a ſuo clero per ſolem deſignatis, non tamen eis ex hoc dominari conceſſum eſt. Immo ſimilitudo recte intellecta efficit contrarium. Nam duo illa luminaria, ſcilicet ſol, & luna ſic creata ſunt, ut ſol præſit diei, luna nocti. Sic Papa, & Clerus præſunt diei, ideſt, doctrinæ ſpirituali, & orationi ad impetrandum divinam miſericordiam, ut notatur ad Hebr. 11. Illa autem quæ Dei ſunt, lux & dies ſunt, quibus præeſſe debet Papa ſub metaphora ſolis. Quæ autem mundi, tenebræ & nox ſunt, quibus præeſſe debet Imperator ſub metaphora lunæ. Sicut igitur ſol, quamquam illuminat lunam, nullum tamen dominium habet in eam, ſic Papa & Clerus, etſi luce doctrinæ debeant Imperatorem, & ſeculares illuminare, nullum tamen datum eſt eis dominium a Chriſti inſtitutione, in eos, ſicut nec magiſtro in diſcipulos.* Hæc ſunt verba Gregorii Hemburgii JC. Germani in Admonitione de Uſurpationibus Paparum pag. 621. quæ Cl. Stephanus Baluzius producit in notis ad præcitatum cap. 1. Libri ſecundi Concordiæ Sacerdotii, & Imperii pag. 87. editionis Pariſienſis anni 1704.

„ VI. Tertia præceptio eſt, utriuſque Poteſtatis fines eſſe diverſos. Etenim, ut ex vocabulis ipſis perſpicuum fit, ad unam ſpectat ſpiritualia, ad alteram temporalia curare: uni dogmata, alteri reipublicæ negotia commiſſa ſunt; una humana adminiſtrat, altera divina diſpenſat. Hæc vero meridiana luce ſunt clariora. Traduntur expreſſe ab ipſis Romanis Pontificibus, a Gelaſio in Epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, a Nicolao I. in Epiſt. ad Imperatorem Michaelem, a Gregorio II. in Epiſt. ad Leonem Iſauricum, ab Alexandro III. ad Epiſcopum Oxonienſem. Profert hæc, aliaque teſtimonia ipſemet Cardinalis Sfondrati in ſuo Opere inſcripto *Regale Sacerdotium* libro 1. propoſit. 1. Addenda graviſſima verba Oſii Cordubenſis relata ab Athanaſio in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. Modo hæc ſupponimus, ne ſæpius repetantur; producenda ſunt enim inferius. Non poſſe unam Poteſtatem limites alterius invadere, invictiſſime iiſdem momentis evincitur. Neque Sacerdotibus fas eſſe imperium tenere, neque Imperatori habere poteſtatem ſacrorum, & thymiamatum, affirmat in laudata epiſtola Oſius. Pontificem poteſtatem non habere introſpiciendi in Palatium, & Imperatorem introſpiciendi in Eccleſiam, teſtatur Gregorius II. Sunt hæc utique notiſſima.

„ VII. Quamvis autem duæ Poteſtates, quæ ſunt in Eccleſia, ſint ambæ in ſuo genere ſupremæ, finibus ſuis circumſcriptæ, neque una pendeat ab alia; tamen in iis, quæ ſpiritualia ſunt, neque attingunt temporalem juriſdictionem, Imperatores ac Reges Pontificibus ſubjiciuntur: atque hæc eſt præceptio quarta & poſtrema. Hanc tradunt Gelaſius & Symmachus, explanatque exemplum productum a Thoma Valdenſi & a Dupinio repetitum. Gelaſius enim prælaudata ad Anaſtaſium epiſtola ait Auguſtum Principem, tametſi dignitate præſideat humano Generi, rerum tamen divinarum Præſulibus colla ſubmittere in ſumendis cæleſtibus Sacramentis, cauſiſque ſalutis æternæ expetendis; & Symmachus Anaſtaſio ſcribit, debere Imperatorem a Pontifice ſuſcipere Sacramenta, petere benedictionem, abſolutionem peccatorum impetrare, ejuſque diſpenſationi cuncta, quæ ſunt ſpiritualia & divina, committere. Quamobrem, ut ad exemplum deveniamus, ſicuti in eadem navi ad maritimum iter agendum, claſſemque contrariam, prædonumque aggreſſionem vitandam extat naucleros diligens clavum, ut recta tranſvehatur ad litus, nec mergatur fluctibus, neque frangatur ad ſcopulum, ſimulque dux militum indicens armatis rationem pugnæ, invadendi tempus, atque opportunitatem recedendi: ita ſunt in eadem Eccleſia, quæ navis ſymbolo deſignatur, Summus Sacerdos, & Princeps, quorum ille remigibus præeſt, navim ad portum dirigit, gubernat, atque dat operam, ne vitioſam hæreſumque jactetur procellis, ille autem pro incolumitate reipublicæ civiles leges promulget, gladium exerit, belli paciſque jura proponit, annonam providet, omniaque temporalia diſponit. Si vero hæc diſparata munera in unam Pontificis perſonam coirent, repugnante præſertim Poteſtate terrena, & jure Principis violato, annon eadem prorſus ſequerentur incommoda, ac ſi gubernator navis arriperet jus imperatoris exercitus, & is vellet imprudens officium naucleri exercere?

„ VIII. His itaque prænotationibus poſitis, faciliime præcedentia argumenta diluuntur. Ad primum enim reſpondent, utique eſſe in Chriſti Eccleſia utramque Poteſtatem, ſpiritualem ſcilicet ac temporalem, ſed utramque eſſe ſummam, & independentem ab altera. Inde vero nulla confuſio, nullum emergit incommodum; eo quod duæ illæ Poteſtates ſunt in diverſa perſona, in Sacerdote, & in Principe: habent oppoſitos ac diſparatos fines, neque una debet limites ſuos tranſgredi, & uſurpare alienos: ſancte ſalubriterque regitur Chriſtiana reſpublica, ſi illa ſpiritualia, iſta temporalia adminiſtret: confuſionem potius orituram, ut exorta eſt ſæpenumero, ſi una alteri in iis, quæ huic competunt, velit arripere dominatum. Unde enim Schiſmata, unde plurima bella, unde ipſorum Romanorum Pontificum exilia, oppreſſiones, ludibria, niſi ex ipſa alienæ Poteſtatis perturbatione? Neque officit Chriſtianæ Reipublicæ dignitati, atque divinæ inſtitutioni, quod una Poteſtas non ſit dependens ab altera; ſiquidem Chriſtiana Reſpublica, ut *Chriſtiana eſt*, non quærit ea quæ ſunt hujus mundi, nec negotiis ſæcularibus implicatur. Id ei convenit ut eſt ſocietas hominum mortalium, & terrenorum civium in uno cœtu viventium, ſive hæc ſocietas Chriſti fidelium ſit, ſive paganorum, ſive hæreticorum. Ita in Eccleſia ſumma Imperatorum Regumque Poteſtas ſubeſt Poteſtati ſpirituali, non quatenus ſumma Poteſtas eſt, ſed quatenus *Chriſtiana* eſt, in iis nimirum, quæ ſpiritualia ſunt, & ad finem ultimum referuntur, cujuſmodi ſunt dogmata fidei, Sacramentorum perceptio, Chriſtianorum morum inſtitutio, non in iis, quæ ſunt temporalia, & attinent ad regimen politicum, & civile.

„ IX. Secunda argumentatio aliam non poſtulat reſponſionem: quæ ſit enim Poteſtatis temporalis dependentia a Poteſtate ſpirituali, dictum eſt modo. Tertiam pariter facile diluunt. Enimvero ſpiritualis Principatus comparatur animæ, ut ſpiritus immortalis eſt longe præſtantioris, quam ſit corpus, conditionis; non ut anima forma corporis eſt, illud regens ac movens: non enim ſpiritualis & temporalis Poteſtas in eadem copulantur perſona, uti in eadem perſona copulantur anima & corpus. Etiam Sylvius diſcrimen illud patentiſſimum novit. Quod ſi dicat animam vivificare corpus, & Sacerdotes vitam in Chriſto tribuere Principibus, quomodo fidelibus ceteris; & hanc ſimilitudinem probo maxime: ſed vitam ſpiritualem, & ſpiritualibus gratiarum inſtrumentis Corpori Eccleſiæ Sacerdotes impertiuntur, non vitam corpoream ac temporalem. Ita Sol illuminat Lunam, ſed nocti non præeſt; & Sacerdotes luce ſpirituali orbem terrarum perfundunt, ſed orbem terrarum regimine temporali non moderantur. Puto ex dictis hæc ſatis eſſe perſpicua.

PARS SECUNDA.

„ QUibus momentis fulciatur ſententia illorum Theologorum, qui Romani Pontificis poteſtatem *indirectam* ſupra Reges, Principeſque propugnant, & quo artificio, qua ratione ſentientes oppoſitum momenta illa evertere, & labefactare conantur, ſatis, ut opinor, ſuperiori parte demonſtravi. In ea, quæ nunc ſequitur, eorum qui pugnant pro Regum ac Principum abſoluta, ac ſuprema poteſtate, nullatenus dependente a ſpirituali, niſi in iis tantum, quæ pertinent ad Chriſtianæ Religionis inſtituta, animarumque ſalutem, proponenda ſunt argumenta; atque ut eamdem methodum ſervet præſens Diſſertatio, adverſariorum eſt ſubjicienda reſponſio.

ARTICULUS I.

Deprompta e Sacris litteris argumenta.

„ I. SUnt itaque nonnulli qui cum Henrico Cocceio comment. ad librum 1. cap. 3. Hugonis Grotii *de Jure belli & pacis* contendunt ſummo ſecularium Poteſtatum Imperio terram univerſam, ſingulosque homines, Clericos etiam, Epiſcopos, & Pontifices Maximos, omnino, in ordine etiam ad ſacra miniſteria fuiſſe ſemper ac modo eſſe ſubjectos: idque ex Veteri teſtamento nituntur evincere producentes quæ Schichardus *de jure*

„ *Regum*

„ *Regum Hebræorum* cap. 1. Theoremate 2. & Cunæus *de Hebræorum Republica* libro 1. cap. 14. prænotaverunt. Eorum aſſertio eſt, Aaronem accepiſſe ſummi Sacerdotii leges a Moyſe, & huic Dei mandato obedientiam adhibuiſſe, animadverſumque ab eodem Moyſe in Sacerdotes improbos, ſuumque miniſterium dehoneſtantes. Quod ex decimo Levitici capite, ex trigeſimo ſecundo Exodi, atque ex Numerorum duodecimo apertiſſime eruitur. Totam Pontificum Domum a Saule accerſitam coram ipſo Rege cauſam dixiſſe de fuga Davidis narrat libro 1. cap. 22. ſacra Regum Hiſtoria. A Davide fuiſſe conſtitutos Pontifices duos ſecundum vices ſuas & miniſterium, legimus capite 24. primi libri Paralipomenon: Salomon Sacerdotem Abiatharem reum eſſe mortis pronuntiavit, eum amovit a Sacerdotio. In tertio Regum cap. 2. factum illud deſcribitur. Ad Regum dignitatem commendandam animadvertunt *Deos* ſæpius nos appellari, in Exodo cap. 21. & 22. in Pſalmo 81., alibi. Ab Herode Judæorum rege ſummos Pontifices creatos, amotoſque tradunt Hebræorum Annales. Verum id habemus ex Joſepho libro 15. Antiquitatum Judaicarum cap. tertio, & duodecimo, non autem ex Scripturis Canonicis.

„ II. Iſta vero argumenta apud Catholicos Galliarum Theologos primæ propoſitionis Cleri an. 1682. defenſores non lego: parum enim roboris iis ineſt, ad Sacerdotium novæ legis Politicæ Poteſtati ſubjiciendum. Quid enim carnali Sacerdotio jure Sanguinis propagato cum Sacerdotio novæ legis ſpirituali, & ad ſubliniora miniſteria ſingulari divinæ gratiæ beneficio ſpectanti? Quantum inter cruentas victimarum immolationes & ſacratiſſimum Eucharistiæ Sacramentum intercedit diſcriminis, tantum intereſt inter Levitarum ordinem & Eccleſiaſticam Evangelicorum miniſtrorum Hierarchiam. Fuerunt præterea in lege veteri, imo & in lege naturæ ac tempore Regis Salem Melchiſedech, necnon apud Paganos iidem ſimul Reges & Sacerdotes, nec alia de cauſa Romanorum Rex Numa Pompilius conſtituit Pontificem Maximum a ſe diverſum, niſi ne Reges ſacrorum miniſterio a bello gerendo impedirentur, ut libro primo Hiſt. cap. 20. inquit Livius. Ex quo autem regnum ac Sacerdotium in eumdem hominem convenirent vetuſtiſſima ætate apud omnes fere Gentes, & regnantibus Aſmonæis in Judæorum republica, nullus integræ fidei inferet eos, qui regno potiuntur, eſſe ſimul Pontifices, ac poſſe manuum impoſitione clericos ordinare, atque ad aram immaculatam hoſtiam offerre. Eſſe iidem Regem Caput Eccleſiæ nemo unus affirmat, niſi hæreticus execrandus. Vides a veteri Sacerdotio ad Evangelicum argumentationem imperite deduci.

„ III. Quamquam non video quid præmiſſa Scripturarum loca evincerent, admiſſa quoque aliqua inter utrumque Sacerdotium æqualitate. Etenim Moſes Propheta magnus erat, Chriſti typus, populi legiſlator, cunctaque Deo jubente ac præcipiente agebat; neque Sacerdotii carebat honore; nam obtulit ſacrificia, Aaroni fratri ſuo, hujuſque filiis juſſit, ut Sacerdotio fungerentur, ſacras iis veſtes impoſuit, eos conſecravit vitulo, & arietibus immolatis, tunica linea, ſuperhumerali, rationali, baltheo, tiara, & ſancta lamina impoſitis, oleoque unctionis ſuper capite eorum effuſo. Videſis libri Exodi caput viceſimum nonum. Nullus autem Catholicorum Principum, qui non ſit Epiſcopali charactere inſignitus, Sacrificium offerendi, & Sacerdotes inungendi & conſecrandi auctoritatem ſibimet arrogabit. Quænam ergo eorum Principum comparatio cum Moyſe? Saul, dum Achimelech, omneſque Sacerdotes Nobe conjurationis ob fugam Davidis inſimulatos, ad ſe vocavit, damnavit, & cunctos, uno excepto Abiathare, juſſit interfici, impiiſſimum patravit facinus nemini Principum imitandum. Nec ſervi ejuſdem Saul auſi ſunt *extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini*, ut habetur citato cap. 22. 17. primi libri Regum, ſive Samuel. Ceterum an Sacerdos conſpirans in vitam Principis, & rebellionis reus ad laicum tribunal trahi poſſit, & ſupplicio affici, alia eſt quæſtio, quam neceſſum non eſt in præſentiarum diſcutere. Ubi crimen læſæ majeſtatis patratum ſit, id ſat eſſe Summi quoque Pontifices annuunt; & ad antiquiora facta novum & recens in Luſitania acceſſit, quod non opus eſt enarrare. Quare nec ad rem facit quod in 3. Regum cap. 2. legitur de Abiathare: tametſi Salomon voluit hunc morte affici, quoniam portaverat *Arcam Domini*, & impleri debebat *Sermo Domini* 1. Reg. 2. 31. de filiis Heli ad breve tempus ſacerdotio functuris. At David conſtituens ut Pontifices bini, Sadoc, & Abimelech, adminiſtrarent ſecundum vices, & diſtribuens munera Levitarum, horum miniſteria minime uſurpavit, ſed dedit operam, ne in Dei cultu, & in ſacris Domus Domini ritibus officiiſque oriretur confuſio; quam proculdubio peperiſſet magnus ipſorum Levitarum numerus; quippe *inventa ſunt a triginta annis & ſupra triginta octa millia virorum*. Sacris miniſtris inſervire id eſt, non eorum jura temerare; augere, non minuere dignitatem, & in Eccleſia rectum conſtituere ordinem, non pervertere. Nemo inficias ibit poſſe Principes decernere quæ in Dei templorumque cultum referuntur, & Eccleſiaſticis legibus conſentanea ſunt, non contraria, præſertim ſi iidem Principes proprio ære, quomodo David, & Salomon fecerunt, ſacras ædes ædificent, atque in his miniſtrantibus perſolvant ſtipendia. Principes appellari aliquando *Deos* nomine *Elohim*, quod idem ſonat, ac *Judices*, nihil implicat; Dei enim miniſtri ſunt, & gladium portant ad vindictam malorum, laudemque bonorum: at ex quo *Dii* ſint, non ſequitur eſſe illos *ſupra Deum*, ſupra Dei ſanctuarium: cujus etiam adminiſtri, verbi Dei præcones, & in ſortem Domini electi vocantur *Dii*, Joannis cap. 10. 34. maxime Apoſtoli, Matthæi cap. 16. 15. ut libro 3. Commentariorum obſervat Beatus Hieronymus. Poſtremo Herodis, & Synedrii in Judæorum Pontifices acta narrat, non probat Fl. Joſephus. De Veteri Teſtamento hactenus.

„ IV. Potiora ſunt, & a Galliarum Theologis in ſuæ opinionis præſidium afferri ſolent plura, quæ in Teſtamento Novo leguntur. Tria ſunt quæ producuntur in ipſa Cleri Gallicani Declaratione. Primum quod interroganti Pilato reſpondit Chriſtus, Joannis cap. 18. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Alterum, quod diſcipulis Phariſæorum cum Herodianis ab ipſo Chriſto petentibus, an licitum foret dare cenſum Cæſari, an non? dixerit Dominus, Matth. 22. 21. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*. Tertium, quod ſcribit Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos cap. 13. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Ex tribus hiſce locis Gallicanus Clerus hanc elicuit concluſionem: „ Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici, neque auctoritate Clavium Eccleſiæ directe, vel indirecte deponi, aut illorum ſubditos animi a fide atque obedientia, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolvi poſſe, eamque ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minus Eccleſiæ quam Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis conſonam, omnino retinendam „.

„ V. Accedunt vero ad tria illa, nuperrime allata, loca alia quædam. I. Cuidam a Domino poſtulanti, ut fratrem ſuum impelleret ad diviſionem hæreditatis, ille ait apud Lucam cap. 12. 14. *Homo, quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos?* admonens equidem omnes, qui ejus ſectantur veſtigia, & præficiuntur Eccleſiæ, animarumque ſaluti incumbunt, ne ſeſe immiſceant mundanis negotiis, neque illud diſcipuli auſiment ſibi commiſſum iri, quod Magiſter ex æqui recuſavit: ſed ut is ad evangelizandum venit, & ad oves quærendas quæ perierant, nec Octavianum, aut Tiberium Imperio, nec Judææ regno Herodem, nec Pilatum prætorio expulit, ita animarum Paſtores agnos doctrinæ pabulo paſcant, errantes perditoſque requirant, ſinant ſecularibus adminiſtrare reſpublicas, neque ab eorum mente unquam excidat monitum illud ſanctiſſimum, ac ſaluberrimum; *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, nec ſervus major Domino ſuo*. II. Ad hæc quanta ipſe Chriſtus reverentia legibus Principum obtemperaret, illinc conſtat, quod naſci voluerit, quando *Exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis*, Lucæ 2. nempe, ut ſubditum Imperatori Romano ſeipſum cum Maria, & Joſeph profiteretur; nec renuit Cæſari tributum ſolvere, inventoque a Petro in ore piſcis ſtatere, *Illum ſumens* (inquit Matth. cap. 17. 26.) *da eis pro me, & te*. III. Diſcipulorum ſuorum a dominandi imperandique cupiditate avertens animos, eoſque alliciens ad modeſtiam, & cujuſvis Dominii contemptum, appetentibus regni ſolium, ita locutus eſt cap. 20. Matthæi verſu 25. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis*. IV. Demum Petrus epiſtola 1. cap. 2. verſu 13. & ſeqq. fideles omnes, nullo prorſus excepto, hortatur, ut Regibus, horumque officialibus obtemperent, quod ait præcipi a Deo, ut obmuteſcat impudentium hominum audacia. *Subjecti eſtote*, ait Apoſtolorum Princeps, *omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei, ut bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*.

„ VI. His eodem ſervato ordine reſpondendum nunc eſt. Et quod attinet ad Chriſti verba, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, ipſi adverſarii fatentur, obvium planumque ſenſum eſſe, Chriſti regnum eſſe utique

„ *hoc*

„ *hoc mundo*, cum liquido conſtat Eccleſiam militantem, quæ regnum Domini eſt, per totum orbem terrarum eſſe diffuſam, ſed non eſſe *de hoc mundo*, nimirum imperium regnumque non ab hominibus Chriſtum accepiſſe, ſed e Deo Patre. Quare corruit prior cavillatio. Nam ideo Salvator eſt *Rex Regum*, *& Dominus Dominantium*, *heres univerſorum*, *atque princeps Regum terræ*, quemadmodum appellatur in ſacris literis, quoniam eſt naturalis propriuſque Dei Filius, cui ob unitionem, quam *hypoſtaticam* dicimus, uni & individuæ ejus perſonæ, divinam complectenti humanamque naturam, *omnis poteſtas data eſt in cælo, & in terra*, eique ratione humanitatis regiæque proſapiæ jus in regnum Davidis, ratione vero divinitatis jus omne primarium, nulla limitatione circumſcriptum, collatum eſt. Sicut autem Chriſti humanitas e divinitate abſque ſacrilegio ſeparari non poteſt, ita ab illo nequit divelli ſuprema poteſtas ſupra *omnes reges univerſæ terræ*. Quis enim negat Reparatorem noſtrum eſſe verum Deum? quis negat verum Deum facere quidquid vult *in cælo, & terra*, atque ab illo poteſtatem omnem cæleſtem, terrenamque pendere? Id quidem nemo unus negabit.

„ VII. At enim, inquiunt, fruſtra Romanenſes petitum a Chriſti verbis argumentum eludunt. Iis enim verbis, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, voluit Chriſtus os obſtruere Judæis illum accuſantibus, tanquam regem ſe in Palæſtina facientem adverſus Cæſaris principatum. Accuſatores quippe dixere Romano Præſidi, Jo. 19. 12. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris; omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari*. Eſt ergo aperta Chriſti ſignificatio, nil Romanorum Imperatori, ceteriſque Secularibus poteſtatibus e ſe metuendum eſſe, quandoquidem non venit regnaturus in terris, neque terrarum dominatoribus præjudicium aliquod allaturus. Quod inſuper ea ratione confirmat; quoniam ſi regnum haberet *de hoc mundo*, pugnarent ejus miniſtri, ne Judæorum periret livore. *Si ex hoc mundo*, inquit, *eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc*. Oſtendit quoque ſe regem eſſe, ſed qui humilitate, non dominatu præeſſet hujus orbis rectoribus, quando naſci voluit in Bethlehem, quando fugit in montem, ne raperetur ad thronum, quando inceſſit corona ſpinea, lacerata purpura, ſceptro arundineo, quando exaltatus eſt cruci affixus, ſuperſcriptione tituli, *Rex Judæorum*. Hæc Meldenſis Epiſcopus, Maimburgus, Dupinius, alii. Addunt explicationes Patrum, qui prædicta verba, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, ita exponunt, non quod regnum mundi non ſit Chriſti; ſed quod illud non poſſideat; habeatque Imperium, non humanum, ſed ſupra ſeculum, ac longe quovis mortalium principum præſtantius. Non opus eſt, ut commentaria proferantur Chryſoſtomi in Matthæum, Ambroſii in Lucam, Auguſtini in Joannem. Ignorat nemo, Chriſtum eſſe *Regem gloriæ*, in hoc autem mundo *ſpiritualiter* tantum regnare, regendo mentes, idololatriam evertendo, principem hujus mundi dæmonem ejiciendo foras, religione ſibi univerſas nationes ſubdendo, regnum ſuum, quod eſt Eccleſia, ubique propagando, omnia denique trahendo ad ſe ipſum.

„ VIII. Haud invite his omnibus ſubſcribent poteſtatis Pontificiæ propugnatores, ſi de exercitatione uſuque regiæ Poteſtatis, quæ in Chriſto exiſtit, non de jure, & auctoritate, loquantur. Veniſſe illum in mundum *miniſtrare, non miniſtrari*, crucem ſubiturum, non ſolium regium, cæleſte regnum daturum, non ablaturum terrena, ſi quis deneget, inſipiens eſt ac delirus. Verum non potuiſſe Auguſtum Cæſarem, Herodem, regeſque alios e throno expellere, ſi quis autumet, pariter ignarus eſt & inſanus. Non exercitus copiaſque militum tantum, ſed etiam *pluſquam duodecim legiones angelorum* poterat ad Judæorum frangendos impetus, præſidemque Romanum dejiciendum e tribunali, mortemque vitandam, immittere: poterat & de cruce, illum irridentibus Judæis & provocantibus, deſcendere: ſed quomodo impletæ fuiſſent Scripturæ, quibus prænuntiatum erat, oportere *Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*? quomodo peccati *chirographum* affixum fuiſſet cruci, mors fuiſſet morte devicta, animamque ſuam poſuiſſet illa *redemptionem pro multis*? Præcedentia itaque momenta, id, quod Chriſtus fecit, non quod facere potuit, evincunt. Legito Evangelium Matthæi cap. 26. 53. Reſpondent itaque haud vulgares Theologi, regnum Chriſti non eſſe *de hoc mundo*, quia acquiſitum non eſt mundano aliquo titulo: falſas fuiſſe Judaicas accuſationes, quia nunquam adverſus Cæſarem, cui potius tributa perſolvenda eſſe docuerat, concitaverat plebem, nec populum commoverat: non ei fuiſſe miniſtros, qui pro illo inirent certamen, propterea quod non armis pugnaturus erat, ſed mundum ſanguine redempturus; nullam Pilato futuram fuiſſe poteſtatem in eum ferendi ſententiam, *niſi deſuper datum fuiſſet*: fuiſſe nihiloſecius in ſui ipſius facultate, ac libertate ponere, iterumque ſumere animam ſuam.

„ IX. Non poſſum iſtiuſmodi reſponſa refellere. Imo duo addam, judicio tamen doctiorum probanda, ut libuerit, vel refutanda. Ac unum eſt, nihil exemplo Chriſti ſtantis ante tribunal Judicis demonſtrari, & inferri adverſus ſupremam Romani Pontificis auctoritatem ac poteſtatem, quia eo temporis Chriſtus nondum erat Caput Eccleſiæ, *quam acquiſivit ſanguine ſuo*, atque ædificavit, & ſibimet elegit in ſponſam, lancea latere ejus aperto, *unde profluxerunt Sacramenta*; quemadmodum Adam in conjugem accepit Evam eductam e latere ſui ipſius dormientis. Quid evincit, ſi Chriſtus negat habere *regnum* quando *regnum* nondum acquiſierat? quid, ſi non eſt ſe regnare in Eccleſia ſumma in omnes credentes poteſtate, quando nondum *Eccleſiam* ædificaverat? Alterum eſt, Eccleſiam non judicare de iis, neque ullam exercere poteſtatem in iis, qui non credunt. Agitur in hac perdifficili controverſia de regibus, ac principibus fidelibus, non de infidelibus. Ex quo *Regno* Chriſti non eſſet ſubjectus Cæſar, non Herodes, non Pilatus, qui in eum non credebant; ſi a Chriſto ad Romanum Pontificem valeat argumentatio, nihil aliud infertur, niſi Pontificem Romanum nullam habere poteſtatem in Principes, Regeſque, qui in Chriſtum non credunt. Si vero a Chriſto ad Romanum Pontificem, quod probabilius eſt, argumentatio non tenet, unus enim Deus eſt, non alter; fruſtra in hoc argumento dirimendo verſamur, ac tempus inutiliter teritur. Ad reliqua progrediamur.

„ X. Ad illud ergo, quod ſequitur ex cap. 22. Matthæi, *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo:* hoc infertur unum, unicuique ſuum eſſe tribuendum, ſolvendumque Principibus tributum. A quibus ſolvendum ſit, non inquiritur modo: ab Eccleſiaſticis etiam pendenda in ſubſidium reipublicæ, cujus & ipſi ſunt cives, ultro fateor. Quo jure, dicimus diſſerendo de Clericorum Immunitate in eodem libro viceſimo, cui additamentum illius diſſertationis apponimus. Adjicientur paullo inferius nonnulla. Interim prior Dominicæ definitionis pars, *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, explicatur parte altera, *Et quæ ſunt Dei, Deo*. Regi aliquid præcipienti contra legem Dei obediendum non eſſe docent omnes, ipſaque ratio commonſtrat. Cavendum Chriſtianis ne Deum offendant, nec principem, idque tradit Salvator monito illo æquiſſimo ac ſaluberrimo. Quærebant Phariſæi illum capere in ſermone, ut ſi negaret tributum Cæſari perſolvendum, accuſarent apud Romanum præſidem; ideoque ad ipſum acceſſerunt cum Herodianis tributi exactoribus: ſi autem tributum dandum aſſereret, exoſum redderent Judæis ægre ferentibus imperium Cæſaris, tamquam tyrannicum & violentum, & religionis prætextu adſpernantibus legitimam Poteſtatem. Prudentiſſime ea reſponſione ſubdolam Phariſæorum malitiam Chriſtus Dominus compreſſit, & refutavit, adeo, *ut mirati ſint, & relicto eo abierint*, quomodo legitur eodem cap. 22. verſu item 22. Id unum ex hoc loco concluditur. Pari ratione expeditur quod ſcribit Apoſtolus cap. 13. ad Romanos. Nullus privatus inſurgere poteſt in Principes, obtentu ejus tyrannidis, vel ſocordiæ: neque enim nos illorum opinionem ſectamur, qui id licitum eſſe affirmaverunt, latrociniis cædibuſque Regum, ut ætate quoque noſtra evenit, occaſionem præbentes. Pontifex etiam ſpiritualia adhibere debet remedia. Quid autem agendum ſit in extremis reipublicæ, fideique periculis? Iſtud ſubjicitur diſputationi, nec apertiſſime definitur illa generali Apoſtoli locutione, qua præcipit, ut *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta ſit*.

„ XII. Quæ ſequuntur num. V. parum negocii faceſſunt. Etenim legiſlator unitatis & concordiæ auctor nequit diviſionem inter fratres, niſi id religionis cauſa poſtulet, percipere, vel permittere; ſed ejus intereſt dare operam, ne vel avaritia, vel divitiarum affluentia humanas mentes corrumpat. De hac re loquebatur Dominus cap. 12. Lucæ, quando cum fratre volebat quidam ignotus homo dividere hereditatem. Veruntamen ſi frater fratri, & propinquus propinquo in via Domini adverſetur, ut unus relinquat alterum, etiam filius parentem, & virum uxor, mandat Jeſus proximo capite 14. 26. & apud Matth. cap. 10. 35. Quod ſi Apoſtoli inſtituerunt, ut omnia credentium bona, pecuniæ, reditus, cenſus & prædia eſſent communia, ut illorum enarrant Acta cap. 2. 44. cur pariter pro varia rerum circumſtantia ſuadere non poterant, ut eadem bona dividerentur, quemadmodum multiplicatis fidelibus factum eſt? In capite autem 17. Matthæi Petro, cui accipientes tributa dixerant, *Magiſter veſter non ſolvit didrachma?* ait Dominus verſu 24. *Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel cenſum? a filiis ſuis, an ab alienis?* & reſpondente Petro, *Ab alienis; Ergo*, inquit Chriſtus, *liberi ſunt filii*. Quapropter non lege coactus, ſed ad ſcandalum evertendum, tri-

butum juſſit perſolvi. Eam ob rem ait ſequenti verſu 26. *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterem: illum ſumens da eis pro me, & te.* Duo, quæ poſtremum tenent locum, prætereo: ſiquidem Matthæi cap. 20. Apoſtolorum, qui nondum perfecti erant, atque in regno Chriſti occupare primas ſedes expetebant, indignati filiis Zebedæi, quorum mater petebat, ut unus ſederet ad ſiniſtram Domini, alter ad dexteram, opportune cohibet gliſcentis ambitionis primordia, docens ad gloriæ, regnique cæleſtis faſtigium, non æmulatione, & contentione, ſed crucis humilitate perveniri. Præceptum denique Petri Principis Apoſtolorum Epiſt. 1. cap. 2. eo ipſo modo accipiendum eſt, quo explicavimus unum præcedenti verba Apoſtoli Pauli in Epiſtola ad Romanos initio capitis decimitertii.

ARTICULUS II.

Quæ proferuntur ex jure Canonico, & Romanorum Pontificum Epiſtolis.

„ I. DEclarationi Cleri Gallicani cohærere videntur Eccleſiaſtici canones: ac primo can. *Duo ſunt*, diſt. 96. depromptus ex Epiſtola S. Gelaſii I. ſcripta anno 494. ad Anaſtaſium Imperatorem: quo in canone ita una Poteſtas ab alia ſecernitur, ut Eccleſiaſtica nequeat jura Poteſtatis ſecularis invadere. *Duo*, ita laudatus canon, *duo ſunt quippe, Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur; auctoritas ſacra Pontificum, & regalis Poteſtas. In quibus tanto gravius pondus eſt Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus hominum in divino ſunt reddituri examine rationem.* Et poſt pauca: *Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi poſſe voluntatem.* Hæc utique S. Gregorius VII. in epiſtola ad Hermannum Metenſem Epiſcopum ad præferendam Pontificiam auctoritatem Regiæ, & Auguſtali, adduxit anno 1080. ejuſdemque S. Gregorii ſunt verba, quæ ſequuntur in canone apud Gratianum. Sed nihil inde infertur aliud, niſi duas Poteſtates Pontificis, & Regis, principales eſſe, & ſupremas, illamque iſta ſuperiorem, quatenus animarum præficitur regimini, & de his rationem ſummi Sacerdotes reddituri ſunt Deo. Ad frangendam ſuperbiam Imperatoris, qui Eccleſiaſtica jura ſibimet uſurpabat, jubebatque recitari in ſacris diptychis nomen Acacii communione privati, ad eum modum S. Gelaſius locutus eſt. Poteſtatis vero utriuſque ita fines circumſcribit, & jura diſcernit: *Chriſtus memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti congrueret diſpoſitione magnifica temperans, ſic actionibus propriis, dignitatibuſque diſtinctis officia Poteſtatis utriuſque diſcrevit, ſuos volens medicinali humilitate ſalvari, non humana ſuperbia rurſus intercipi, ut & Chriſtiani Imperatores pro vita æterna Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu rerum imperialibus diſpoſitionibus uterentur: quatenus ſpiritualis actio a carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo militans Deo minime ſe ſecularibus implicaret, & viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſecularibus implicatus, ut & modeſtia utriuſque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque ſuffultus, & competens qualitatibus actionibus ſpecialiter profeſſio aptaretur.* Nequit ergo Poteſtas ſpiritualis politicæ juriſdictioni ſeſe ullatenus immiſcere.

„ II. Eadem, inquit Marca lib. 2. Concordiæ cap. 1. num. 6. fuit ſententia Symmachi Papæ, cui cum eodem Imperatori Anaſtaſio in cauſa Acacii fuit decertandum. In ſuo enim Apologetico hæc Symmachus litteris tradidit: *Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis; inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iſte divinarum. Tu, Imperator, a Pontifice baptiſmum accipis, ſacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas. Poſtremo tu humana adminiſtras, ille tibi divina diſpenſat. Ita, ut non dicam ſuperior, certe æqualis honor eſt.* Addunt cum eodem Marca quæ Gregorius Secundus ad Petri Sedem evectus anno Reparatæ Salutis 715. ſcripſit ad Leonem Iſaurum Imp. Iconoclaſtam in Epiſtola, quæ extat ante Acta ſeptimæ Synodi: in qua hæc inter alia leguntur: *Idcirco Eccleſiis præfecti ſunt Pontifices a Reipublicæ negotiis abſtinentes, ut Imperatores ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant, & quæ ſibi commiſſa ſunt capeſſant.* Quare S. Gregorio II. fatente, debet Pontifex ſeſe a ſecularibus Reipublicæ negotiis penitus abſtinere; quemadmodum Imperator ab Eccleſiaſticis diſpoſitionibus abſtinet prorſus, neque illas ſibi arrogat contra Pontificis voluntatem; ad Sacerdotes enim Deus voluit, *quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſeculi poteſtates*, prout habetur can. *Si Imperator*, citata diſt. 96. num. 11. ita non debet Pontifex, renitente Imperatore, vel Rege, aut Poteſtate qualiber, quæ præeſt rebus humanis, præſumere de his judicare.

„ III. Quemadmodum iniqua patrantem Regem Pontifex corripit *directiva* quidem, ſed non *coactiva* auctoritate; ita ſe gerere debet erga Pontificem Rex, ſi illum noverit juſtitiæ tranſgredi fines; ideoque quidquid poteſt Pontifex in Regem circa ſpiritualia, poteſt circa temporalia Rex in Pontificem. Si vero non poteſt Rex deponere legitimum Pontificem, & ſi aliquis hoc facinus attentavit, omnium ſubiit execrationem: quo jure, qua poteſtate, fas erit Pontifici deponere legitimum Regem, atque ſi id evenit aliquando, ab omnibus recte factum exiſtimabitur? Certe Gratianus in Canonem: *Nos ſi incompetenter*, 2. quæſt. 7. num. 41. ait: „ Sicut Reges præſunt in cauſis ſeculi, ita Sacerdotes in cauſis Dei. Regum eſt corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum ſpiritualem inferre vindictam. David ergo etſi ex regali unctione Sacerdotibus & Prophetis præerat in cauſis ſeculi, tamen ſuberat eis in cauſis Dei. Unde Reges a Prophetis & Sacerdotibus ungebantur, & eorum oblatione peccata Regum expiabantur. Sicut ergo Ozias a Domino lepre percuſſus eſt, quia Sacerdotum officia uſurpare voluit; ſic Sacerdotibus & Prophetis officia Regum uſurpare non licet. Nathan ergo Propheta cum Regem redarguit, ſuum eſt executus officium, in quo erat Rege ſuperior, non uſurpavit Regis officium, in quo erat inferior: monuit eum, ut per pœnitentiam peccata ſua expiaret; non tulit in eum ſententiam, ut tamquam adulter & homicida morti addiceretur. Sic & Beatus Ambroſius Theodoſium, & Beatus Innocentius Arcadium excommunicavit, & ab Eccleſiæ ingreſſu prohibuit „. Hæc aliaque plura Gratianus. Et quidem præcitato canone, *Nos ſi incompetenter*, Leo III. in Epiſt. ad Ludovicum Auguſtum conſcripta anno 815. inquit velle ſe rationem reddere viris ab ipſo Ludovico Pio ad ſe miſſis, ſi juſtæ legis tramitem deſeruerit, eorumque illorum judicio emendare, ac petit ut virorum ipſorum examina omnia terminentur, nihilque remaneat ab eis indefinitum & indiſcuſſum.

„ IV. Præcitata diſt. 96. can. *Cum ad verum*, proponitur Epiſtola Nicolai I. data ad Michaelem Imperatorem anno Salutis 865. qua jus, diſcrimen, & munus utriuſque Poteſtatis deſcribitur. Epiſtola vero, cujus canon fragmentum eſt, ita ſonat: *Hi, quibus tantum humanis rebus, & non divinis præeſſe permiſſum eſt, quomodo de his, per quos divina miniſtrantur, judicare præſumant, penitus ignoramus. Fuerunt hæc ante adventum Chriſti; ut quidam typice Reges ſimul & Sacerdotes exiſterent. Quod ſanctum Melchiſedech fuiſſe ſancta prodit hiſtoria, quodque in membris ſuis diabolus imitatus (utpote qui ſemper, quæ divino cultui conveniunt, ſibimet tyrannico ſpiritu vendicare contendit): ut pagani Imperatores iidem & maximi Pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum eſt eumdem Regem atque Pontificem, ultra ſibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium uſurpavit: quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, ſic actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis officia Poteſtatis utriuſque diſcrevit, propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in infernum demergi, ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur, quatenus ſpiritualis actio carnalibus diſtaret incurſibus, & ideo militans Deo minime ſe negotiis ſecularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſecularibus implicatus.* Apertum eſt Nicolaum S. Gelaſii verba num. 1. producta uſurpaſſe.

„ V. Innocentius Tertius in Epiſtola ad nobilem virum Montis Peſſulani anno 1213. ex qua epiſtola deſumptum eſt caput, *Per venerabilem*, Extra, de iis qui matrimonium accuſare poſſunt, &c. inquit: *Rex ſuperiorem in temporalibus minime recognoſcit.* Quæ verba tam ſunt aperta, ut nonnulli mirentur in contrariam partem produci: unde nos art. 2. primæ partis duximus eſſe prætermittenda, atque in hunc potius locum revocanda. Hanc notam hic appoſuit Pithœus: *Ergo nec Imperator: quod tamen Gloſſa contendit in c. Adrianus, diſt. 63. Vide Joannem de Imola, & Jacobum de Sancto Geminiano, in cap. Grave, de ſupplend. negligent. Prælat. &c.* Cur aliud aſſerendum de Regibus, aliud de Imperatoribus dixerint quidam præſtantiſſimi Jureconſulti, præmonui capite 4. præcedentis partis primæ num. 13. prolatis verbis Petri de Marca.

„ VI. Ad hæc non eſt perdifficile reſpondere. Nam duas eſſe in Eccleſia Poteſtates a nemine controvertitur. Utriuſque etiam circumſcriptos eſſe limites, & unam ſpiritualia, alteram temporalia adminiſtrare, perſpicua res eſt, & poſita citra omnem dubitationem. Hoc unum diſputationi ſubeſt, An utraque Poteſtas ita ſit in ſuo genere ſumma, ut nullus advenire caſus queat, in quo non poſſit una ſubjici alteri. Sit in exemplo: permittat Princeps in ſua ditione graſſari hæreſes, liberum permittit noxiæ, & damnatæ religionis exercitium, nullam de animarum ſalute curam gerit, ruunt eo imperante

facte

» ſacra omnia, templa, monaſteria, periclitatur virginum pudicitia, matronarum decor, & vitia quælibet ad bonos mores labefactandos irrumpunt. Sit præterea idem Princeps ſocordia, ignavia, ſtoliditate affectus, corruptus vinolentia ac libidine, ſtipatus improborum aulicorum caterva, impos ad bellum, ad firmandam pacem ineptus: quis reipublicæ, & religionis pericula averteret? Perſiſtentibus paganorum regnis opportunum aderat in tanta malorum exundatione remedium; vel exercitus trucidabant imbellem, Imperatore altero ſalutato, vel Senatus Procerumque conventus abrudebant indignum, vel populi ſeditio, ac tumultus illum compellebat ad fugam. Interdum & hæc in Chriſtianis Regnis eveniunt, nec quid conſilii capiendum ſit ignorant bene inſtitutæ reſpublicæ. At in *monarchia*, quæ tamen a plurimis præfertur ceterorum regiminum inſtitutis, non erit tam facile dominum hæreditario jure, arreptaque dominatione expoliare. Ergone Eccleſia, cujus regnum ſempiternum eſt, componitur autem ex clericis, & laicis, inſtituta erit cum tali forma regiminis, ut que nequeat tyrannici & exitioſiſſimi imperii jugum excuti, ſedeatque rector iniquus pro ſuo arbitratu, contranitente nemine, evertere rempublicam & religionem? Id non videtur rationi conſonum, nec dignum Inſtitutoris Eccleſiæ infinita ſapientia, ac prudentia. Dicendum itaque in eadem Eccleſia, in qua proculdubio omnia ſapientiſſime ac ſaluberrime ordinata ſunt, Poteſtatem ſpiritualem, quæ cæleſtia diſpenſat, ita Poteſtati ſeculari præeſſe, ut quotieſcunque opus ſit, hanc cohibeat, atque refrenet. Etſi enim *directe* ac principaliter ſpiritualia diſponit, & animæ ſaluti curam impendit; ſecundario tamen & *indirecte* intendit corporis incolumitati, ſive politicæ adminiſtrationi; quoniam hac a recto tramite aberrante, univerſa Eccleſia turbatur, Chriſtiana nutat reſpublica, & periclitatur ſalus æterna, de qua Paſtores Eccleſiæ debent eſſe ſoliciti. Eſt autem proloquium, comprobatum quoque auctoritate Doctoris Angelici 3. p. q. 54. art. 4. *Cuicunque committitur principale, committitur etiam acceſſorium.*

„ VII. Videbuntur iſta adverſariis dicta inani pompa verborum. Præcipiente enim Domino, non debent Apoſtoli principatum exercere, ſicuti *principes gentium dominantur eorum*, Matth. 20. & longe diſpar eſt Chriſtianæ, & Politicæ Reipublicæ forma. Illa ſpiritualia tractat arma, hæc corporalia. Adhibeat ergo ad Chriſtiani Principis emendationem Eccleſiæ Caput *arma ſua*, orationes, exhortationes, ſupplicationes; de quibus S. Ambroſius orat. in Auxentium, *Dolere potero, potero flere, potero gemere; adverſus milites Gothos lacrymæ meæ arma ſunt: aliter nec poſſum, nec debeo reſiſtere.* Sane precibus & paternis Sacerdotum monitis reſipiſcere poteſt rex impius, inferiorum comminationibus & tarricelamentis nequaquam commovebitur. Non externa vi, ſed humilitate vincendus eſt. Quid vero, ſi arma hæc ſpiritualia non ſufficiant? Habet & ſui generis *ſpiritualem gladium*, licet in maxima tantum neceſſitate, & pro Chriſto exerendum, quo a communione fidelium pervicaciſſimos præcidat. Gladius *materialis* eſt utique in Eccleſia, ſed non manu Petri exerendus & efferendus. Si vellet Rex uti ſpiritualibus armis, remittendo peccata, ea ſolvando, excommunicando; quid, obſecro, reſponderet Summus Sacerdos? Proculdubio verba Symmachi, *Tu humana adminiſtras.* Itaque ſi humanis rebus ingerere ſe velit Sacerdotum Princeps, viciſſim reponat Rex, *Tu divina diſpenſas.* Si moderante impio Rege rempublicam magna oriri poſſunt incommoda; haud minora exorta ſunt, quando Romani Pontifices depoſitionis Imperatorum, vel Regum protulerunt ſententiam. Proveniunt inde ſchiſmata, bella, & cædes innumeræ. Abunde vel ſola Henrici IV. depoſitio hanc veritatem commonſtrat. Hæc pro Declaratione Cleri Gallicani pugnantes.

ARTICULUS III.

SS. Patrum, aliorumque recitantur ſententiæ.

„ I. PRoducta nuper S. Ambroſii verba nobis ad agendum de ſententia Patrum aperiunt aditum. Duarum itaque diſtinctionem Poteſtatum, & utriuſ limites adeo circumſcripti, ut pervadere nequeant fines alterius, delineat nobis Oſius Cordubenſis Epiſcopus apud S. Athanaſium in epiſt. ad ſolit. his verbis, quibus Conſtantium Imperatorem officii admonet ſui. *Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei, Deo. Neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere: neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes, Imperator.* Atque his verbis, inquit Petrus de Marca lib. 2. Concord. cap. 1. num. 4. ſoli Principi poteſtas in hæc terrena & temporalia imperandi aſſeritur, & Eccleſiæ ſacra & ſpiritualia procurandi ».

„ II. Sunt apud Eccleſiæ PP. alia generis hujus permulta. Eloquentiſſimus Joannes Chryſoſtomus homilia 4. de verbis Iſaiæ, *Regi corpora, Sacerdoti animas committi* docet: atque hom. 15. in 2. Epiſt. ad Corinth. ait principatum Eccleſiæ non multam habere curam *de ſeculari vita, omnia autem de cæleſtibus rebus pronuntiare*. Quod Ambroſius aſſeruit oratione in Auxentium, luculentius tradidit in epiſtola ad Sororem Marcellinam. S. P. Auguſtinus non uno in loco affirmat regnum Chriſti eſſe ſpirituale, Regibus vero ab omnibus Chriſtianis obedientiam eſſe exhibendam. Collegit illius textus ex ſancti Doctoris Expoſitionibus in Evangelium Joannis, & in Epiſtolam Pauli ad Romanos diſſert. 7. de antiqua Eccleſiæ diſciplina Ludovicus Ellies Dupin. Quoniam obvii ſunt, & veritatem notiſſimam continent, neceſſum non eſt eoſdem textus exſcribere, præſertim cum de regno Chriſti, necnon de obedientia præſtanda ſuperioribus poteſtatibus, non ſemel dixerimus. Neminem, quantum pertinet ad Eccleſiam hujus temporis, eſſe *potiorem Pontifice*, neminem *celſiorem Imperatore Chriſtiano*, affirmat libro 1. de veritate prædeſtinationis & gratiæ S. Fulgentius. Eadem vox eſt ceterorum. De S. Bernardo, ejuſque libris de Conſideratione ad Eugenium, ſuperius pertractavimus. Petrus Damiani in epiſtola ad Firm. Epiſc. facta inter regnum, & Sacerdotium diſtinctione, ait nec Regi fas eſſe *officium Sacerdotale* uſurpare, neque Sacerdoti, quod utique laicorum eſt, *arma corripere*. In dialogo item, quem titulo *diſceptationis ſynodalis* inſcripſit, adverſus Cadolaum Antipapam, eamdem utriuſque poteſtatis diſtinctionem late exponit, regnumque, & Sacerdotium *duos apices*, & *mundi vertices* vocat, ſublimem æque, atque *mutuæ caritatis glutino* jungendam ſimul Pontificis, Regiſque perſonam. Id vero Petrus tanta prudentia, & ſalvo unius, & alterius præſtitit privilegio, ut qui Pontificem in *temporalibus* Regibus exiſtimant præponendum, haud vereantur virum illum doctrina, & ſanctitate conſpicuum, & amicitia quoque, & familiaritate S. Gregorii VII. clarum, traducere, tanquam catholicis dogmatibus repugnantem, rati nota hæreſeos omnes illos eſſe notandos, qui Petro *ſpiritualem* tantum gladium concedunt ablato *materiali*. Verſatur in ea ſententia Ven. Card. Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 1053. ſed tanti Præſulis venia non auſim hujuſmodi judicium adprobare; maxime quod iſtiuſmodi Patrum teſtimonia non urgeant plurimum, & commode a contrariam ſententiam tenentibus exponantur allato Regalis, & Eccleſiaſtici Principatus diſcrimine, & ſpectato *principali* objecto, non *acceſſorio*, & veluti contingenti.

„ III. Revera hæreticis accenſere nolumus omnes illos Galliarum Epiſcopos, qui in Comitiis anni 1682. decimo quarto Kalendas Apriles declarationi, cujus primum caput definit eam, quæ nunc agitur, controverſiam, pleniſſimis ſubſcripſere ſuffragiis, una clariſſimo Meldenſium Antiſtite Benigno Boſſuetio, de litteraria republica & de Catholica religione optime merito, qui majorum ſacrem propoſitiones quatuor, maxime priorem, expreſſam verbis productis ſuperiori capite primo num. 4. magna argumentorum copia, & eruditionis ornatu illuſtravit, oppoſitis, quotquot congeſta fuerunt hactenus, momentis expunctis, enervatis, atque contritis. Quis enim in ſummum aiunt ob defenſionem doctrinæ nulli Eccleſiaſticæ definitioni, nulliqua profeſſioni fidei, aut Conciliorum, aut Romanorum Pontificum ſanctionibus emittendæ, aliqua ratione adverſantis, dicacitate verborum inſurget? Sed ne de Boſſuetio, quem illius defenſionis auctorem fuiſſe negarunt nonnulli, etſi leviſſimis ducti conjecturis, in præſentia inſtituatur oratio; triginta quatuor Gallicanæ Eccleſiæ Præſules, omneſque integerrimæ fidei, declarationem, de qua diſſeritur, confirmavere. Neque ii tantum, verum etiam Antiſtites alii, qui non interfuerunt Comitiis. Acceſſit regium Ludovici XIV. cognomento Magni Edictum, ne quis in toto Galliarum regno aliud, quam definitum in Cleri Comitiis a quovis doceretur, emanatum eodem anno 1682. die Martii tertia ac viceſima.

„ IV. Diſplicuerunt utique Romano Pontifici ea Comitiorum Acta, & ubi pervenerunt ad aures Innocentii XI. tunc Romanæ Eccleſiæ Paſtoris ſanctiſſimi atque vigilantiſſimi, de his vehementer conqueſtus eſt repetens verba Cant. 1. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Perſtiterunt tamen Galliarum Doctores in eadem ſententia: quæ non prodiit tunc primum e tenebris, ſed antea quoque ſemperque obtinuerat, prout anno 1663. die 8. Martii declaraverat ſacra Facultas Pariſienſis toto orbe clariſſima in articulis prædicto Chriſtianiſſimo Regi Ludovico XIV. coram Theologis plurimis, a Pariſiorum Archiepiſcopo Harduino de Perafixe pronuntiatis. Quorum articulorum primus eſt: *Non eſſe doctrinam Facultatis, quod Summus Pontifex aliquam in temporalia Regis Chriſtianiſſimi auctoritatem habeat: imo Facultatem ſemper obſtitiſſe etiam iis, qui indirectam tantummodo eſſe illam auctoritatem voluerunt. 2. Eſſe do-*

ctrinam Facultatis ejuſdem, quod Rex Chriſtianiſſimus nullum omnino agnoſcit, nec habet in temporalibus ſuperiorem præter Deum, eamque ſuam eſſe antiquam doctrinam, a qua nunquam receſſura eſt. 3. Doctrinam Facultatis eſſe, quod ſubditi fidem & obedientiam Regi Chriſtianiſſimo ita debent, ut ab iis nullo prætextu diſpenſari poſſint.

V. Inſiſtens eidem doctrinæ Sacra Pariſienſis Facultas proſcripſerat anno 1626. die 4. Aprilis librum Antonii Sanctarelli Societatis Jeſu presbyteri, inſcriptum, *Tractatus de hæreſi, ſchiſmate, apoſtaſia, &c.* quo in libro adſtruitur Summorum Pontificum in temporalia Regum poteſtas. Haud ignoro Cardinalem Sfondratum in *Regali Sacerdotio*, pag. 302. editionis tertiæ anni 1693. reſpondere Sanctarelli librum plura complecti, quæ ſingulis diſplicere debebant, ſcilicet, *reges ob inſufficientiam, minorem regendi habilitatem, & ob quodcunque peccatum, ſeu iniquitatem, ſi non corrigat, regno moveri poſſe, immo etiam morte multari.* Quod vir doctus demonſtret ex Gramondo lib. 15. ad annum 1626. exſcripto etiam Colloquio Senatus Pariſienſis, & P. Coton rectoris Collegii Claromontani. Sed hæc reſponſio non videtur mihi argumentationem elidere. Primum quia in *Cenſura* Sacræ Facultatis hæc diſtincte aſſerta Sanctarelli perſtringuntur. I. *Summum Pontificem poſſe pœnis temporalibus punire reges & principes, eoſque deponere, & ſuis regnis privare ob crimen hæreſis, eorumque ſubditos ab illorum obedientia liberare, eamque ſemper in Eccleſia fuiſſe conſuetudinem.* II. Et propter alias cauſas, *ut pro delictis, ſi expedit; ſi principes ſint negligentes: & propter inſufficientiam, & inutilitatem ſuarum perſonarum.* III. Item, *Pontificem jus & poteſtatem habere in ſpiritualia ſimul & omnia temporalia; & in eo eſſe de Jure divino utramque poteſtatem, ſpiritualem, & temporalem.* Hæc vero nonne ſunt ipſæ omnium propoſitiones enunciatæ ab omnibus poteſtatis Pontificis in temporalia principum aſſertoribus? Deinde quæ auctor *Regalis Sacerdotii* ait merito ſingulis diſplicere, & ſecunda Sanctarelli poſitione enunciantur, ſponte ſua fluunt, & conſequuntur ex prima: idemque Scriptor pag. 252. ait Childericum III. depoſitum fuiſſe anno 751. auctoritate Zachariæ Pontificis, non ob crimen hæreſis, *ſed ob inertiam regendique imperitiam.* Ita ſuperato ſemel alveo, diffluit amnis longe lateque. Præterea in ſuis ad interrogationes Senatus reſponſionibus, ut referuntur ab ipſo Cardinali Sfondrato pag. 303. P. Coton ait, *regi Jus omne eſſe quoad temporalia:* ſibi opinionem eſſe Præpoſito Societatis approbanti Sanctarelli doctrinam *plane contrariam:* ſibi, ſociiſque in Gallia degentibus futurum *cum Sorbona & Gallia Clero aſſenſum in idem doctrinæ unitorum:* ac demum ipſe eum præcipuis e Societate Regi hoc publicum Inſtrumentum exhibuit, proxima pag. 304. tranſcriptum: *Nos ſubſignati declaramus Sanctarellum perperam de Regibus, & eorum auctoritate ſcripſiſſe quam diffitemur doctrinam: agnoſcimus & profitemur Regum immediatam eſſe a Deo poteſtatem, independenſque jus ipſis eſſe in ſubditos: cui ſententia, ut vera, noſtro omnium ſanguine ſubſcribetur, ſi opus, non ſecus ac Cenſuris, ſi quæ a Clero Gallicano, aut Sorbona in ejuſmodi libros edentur. Promittimus inſuper futuram nobis poſthac unam cum Sorbona, Clero, & Regni Gallici Academiis ſententiam. Actum Lutetiæ 16. Martii, anno* 1626. Non ſecte ergo ſuam cauſam egit Sfondratus hæc referens ex Gramondo. Huc referri poſſunt Catholicorum Theologorum juramenta, in Anglia regnante Henrico VIII. & alibi non ſemel facta, agnoſcendi, ac propugnandi regiam Poteſtatem omnino *in temporalibus* ſupremam, nec ab ullo mortalium, *directe*, vel *indirecte* dependentem, ut Pariſiis Jeſuitas præſtitiſſe nuperrime dicebamur.

VI. Planiori, ut reor, occurriſſet via reſpondendo quæri a nobis non quod Sorbona proſcripſerit in Sanctarelli Opere, neque quod Clerus Gallicanus ſentiat, neque quid Jeſuitæ Pariſienſes reſponderint contrariam Præpoſito Generali Societatis ſuæ profitentes opinionem: ſed quæri quod veritati magis ſit conſonum, quodque doceant Theologi liberos habentes affectus: nam ipſe prælaudatus Pater Coton interrogatus a Senatu, an Præpoſiti ſui amplecteretur doctrinam, ſi Romæ eſſet, ait: *Mutaretur nobis cum cœlo animus, ſentiremus ut Romæ.* Dignum ingenuo viro ſubterfugium, dignum ut hoc pag. 303. ſuum *Regale Sacerdotium* Purpuratus Scriptor condecoraret! Nos tamen cum in Latio, tum in Etruria, adeo ignavi, adeo inſipidi ſumus, idem prorſus & loquimur, & ſentimus. Illo equidem reſponſo conſimilis evaneſceret objectatio: nam cum anno 1610. prodiiſſet in lucem tractatus Ven. Bellarmini adverſus Guilielmum Barclajum, *De Poteſtate Summi Pontificis in temporalibus*, a Pariſienſi Curia, quam *Parlamentum* vocant, eodem anno die 26. Novembris proſcriptus fuit, vetitumque ſingulis ſub pœnis læſæ Majeſtatis, ne eumdem librum apud ſe retinerent, vel aliis legendum traderent. Atque ne facta repetantur antiquiora; damnavit, ignique addixit Senatus Toloſanus anno 1757. die Septembris decima, Theologiam Moralem R. P. Herm. Buſembaum Soc. Jeſu, pluribus partibus auctam a P. P. La-Croix ejuſdem Soc., perſtricta ſingillatim doctrina de Poteſtate Pontificis *in temporalia* Principum Laicorum, illic tradita tom. 1. pag. 695. num. 1405. & pag. 307. num. 874. Epiſtola item Anonymi edita Lucæ, ſub nomine *Coſmopolis* adverſus judicium Toloſani Senatus eodem anno 1757. idem ſubiit fatum, combuſta in regio atrio ſtatim ac Lutetiam Pariſiorum pervenit. Quamvis autem reſponderet, ut arbitror, Galliarum aliquis factum id opportune, ſapienterque ad coercendam ſacrilegam improbiſſimorum hominum audaciam conſpirantium in ſacratiſſimam Regum vitam; propterea quod Sanctarelli opus in lucem editum eſt poſt infandam cædem Henrici IV. patratam a nefario parricida Franciſco Ravalliaco die ante Idus Majas anno 1610., & *Medulla* Patris Buſembaum cum additamentis P. La-Croix procuſa Colonienſibus typis ferebatur per florentiſſimum Galliarum regnum, quando ſceleſtiſſimus omnium mortalium Thomas Robertus Franciſcus Damiens regnantem Ludovicum XV. interficere vulnere inflicto tentavit, eodem anno 1757. Nonis Januarii, ac præterea quod in Senatu Pariſienſi P. Coton cum ſuis, idem omnino in Toloſano Pater Villard cum Jeſuitis aliis reſpondit, deteſtari ſe proſcriptam a Senatu doctrinam, ſubſcribere *Declarationi* Cleri factæ anno 1682. & agnoſcere, ſemperque proteſturos fore abſolutam Regis, & a nemine dependentem in temporalibus poteſtatem: Quamvis hæc aliquis Galliarum Theologus poſſet reſpondere; eſt nihilotamen minus reſponſio facilis atque expedita, ſuam opinionem manere iis, qui commorantur in Galliis; ſuamque iis, qui degunt in urbe Roma.

VII. Eadem facilitate excuti poſſunt Jureconſultorum pro abſoluta & independente Regum poteſtate locupletiſſima teſtimonia. Collegit illa, & ſtylo quidem inculto, ſed uberrima copia rerum libri 1. *Regalium Franciæ* editi Lugduni anno 1538. Carolus Degraſſalius Carcaſſonenſis pagina 71. & ſequentibus. Parcat mihi Lector, ſi Petri de Ferrariis Juriſconſulti, & Cardinalis Mazarini addo verba. Ille initio *Practica Papalis* inquit: *In tantum excrevit appetitus juriſdictionum, quod nedum laici, ſed & Summi Sacerdotes, & Clerici ſunt tali morbo ac vitio penitus infecti. Vides enim quod ipſe Papa, qui deberet tanquam verus Vicarius veſtigia ſequi Jeſu Chriſti, poſſidere, & armata manu detinere nititur juriſdictionem in terris, civitatibus, villis, & locis, quæ ſunt naturaliter, & a mundi creatione, & Chriſti nativitate Imperii Romani. Imo ipſe Papa in ipſum Imperatorem nititur ſuperioritatem habere; quod ridiculum eſt dicere, atque abominabile audire.* Meliori temperamento Mazarinus apud Prioluum de rebus Gall. libro 10. in fine ajebat, *Nulli Pontifici jus in Reges, ſed paternum amorem eſſe debere.* Plures alios auctores in hanc rem collegit Henricus de Cocceji ad librum 1. Hugonis Grotii pag. 242. editionis Lauſannæ.

VIII. Ceterum ſi numero Scriptorum certandum ſit, neſcio cuinam debeamus cauſam adjudicare. Ex dictis crediderim rem eſſe manifeſtiſſimam, plurimos Theologos, Jureconſultos, Politicos pro utraque parte pugnare. Pendebit itaque cauſa, ſi multitudine ſolummodo ſit decertandum. Interdum vero ingentes copias minor ſuperavit exercitus: & Ariſtides & Cimon Xerſem, quem Sacra Hiſtoria Aſſuerum appellat, Alexander Macedo Darium regem Perſarum, Joſue Gabaonitas, alioſque reges populoſque quamplurimos expugnavit. Sicut autem in militari pugna, non prævalet multitudo, ſed virtus: ita in litterario certamine præcellit auctorum celebritas, & rationum pondus, non multorum ſtrepitus, verborumque jactantia. Recole allatum tertio prioris partis capite Melchioris Cani Theologi præclariſſimi monitum utiliſſimum. Degraſſalius Regem Galliarum cunctis aliis principibus exiſtimat præponendum, ſæpe ea repetita ratione, quod e cœlis adducta ſacri olei ampulla, etiamnum Rhemis in templo S. Remigii aſſervata, inungatur; ideoque inferior ſit ſolo Deo, quod, ut ut præſtantiſſimum ſit (neque enim ego divinum iſtud beneficium denego cum Janſenio in *Marte Gallico*, & cum Samuele Baſnage in Annalibus Politico-Eccleſiaſticis): certe argumentum fractum eſt, & infirmum; ſiquidem principibus omnibus, qui tributarii non ſunt, ſed abſoluti domini, ſuique juris, puto eamdem ineſſe poteſtatem, etſi unus altero ampliorem habeat principatum, & digniorem conſecrationem. In Petro Ferrario modeſtiorem ſtylum deſidero, atque majorem in unctos Domini reverentiam. Vicarium Chriſti debere ſequi veſtigia magiſtri, norunt omnes; ſed quale ſit Chriſti regnum, & an urgente neceſſitate poſſit *materiale* exerere gladium, illud inquiritur. Jure naturæ, & a mundi exordio terras, civitates, & oppida eſſe *Imperii Romani*, non eſt conſonum veritati. Quis dixerit extitiſſe *a* mundi creatione regnum, quarum illorum, quæ prædixit futura propheta Daniel, aut inſtitutum jure naturæ quod armis fundatum eſt, & propagatum? Chriſtus utique juſſit, ut Cæſari ſolveretur

tribu-

„ tributum, quoniam Cæſar Syriam regebat; at præſtandum aliis legitimis Principibus non inhibuit, ſed commendavit obſequium. Iraſceretur ipſemet Auguſtiſſimus Cæſar, & tamquam improbum ejiceret aſſentatorem, qui illum *univerſi orbis* dominum compellaret, ſpretis aliis Principibus omnibus. Suæ ditionis poſſeſſor eſt, non alienarum invaſos. Si *Imperium* aliquod incœpit ab orbe condito, & undequaque diffunditur, procuIdubio *Eccleſia* eſt, non *Imperium Romanum*. Dicesim Cardinalem Mazarinum celebriorem fuiſſe Politicum, quam Theologum; etiamſi recte monet Pontifici, ubi cum Regibus res eſt, non jure ſemper utendum, ſed amore paterno.

ARTICULUS IV.

Agitur de Exemplis Hiſtoricis.

„ I. UT primæ partis ſectionibus tam numero, quam argumentorum genere iſtæ reſpondeant, agendum in quarto hoc articulo de iis, quæ ex hiſtoriis promuntur. Ac primum fatendum eſt, nihil unquam de Principum auctoritate atque imperio per inſtitutionem ſacerdotii, aut legalis, aut Chriſtiani, fuiſſe immutatum. Qui autem antequam vocarentur ad fidem a Domino conſecuti fuerant regnum, non ea conditione Chriſto nomen dedere, ut principatum ſuum arbitrio ſubjicerent ſacerdotii. Audierunt potius ſibi a Chriſto cæleſte regnum conferendum eſſe, non auferendum terreſtre. Qui vero ſedebant in umbra mortis cultui dæmonum, & idolorum mancipati, non vi, armiſque ad religionem noſtram amplectendam fuerunt adducti, ſed prædicatione Evangelii, miraculorum virtute, martyrum ſanguine, & divina gratia inſpirante. Præſidiis hiſce Chriſtiana Religio exorta eſt, iiſdem ſumpſit incrementa, iiſdemque ad Indos & antipodas cæteraſque mundi plagas ſuum dilatavit imperium. Sub Nerone, Decio, Diocletiano, aliiſque Eccleſiæ perſecutoribus, fideles, Pontificali etiam charactere inſigniti, in iis, quæ ad civile regimen attinent, crudeliſſimis Principibus obtemperabant; & animadvertentes duos ſibi præeſſe Dominos, Deum nimirum, ac Cæſarem, ita uni obſequebantur, ut non læderent alterum. Si princeps idololatra præcipiebat victimarum immolationem, & ſuperſtitioſum profanorum numinum cultum; amabant potius exquiſitiſſimis excruciari ſuppliciis, quam fidem abnegare, vel ſimulare, neque de cruce Domini erubeſcebant: ſi imponebat pedagia ac tributa, ſolvebant libenter, civile regimen non adſpernati. Commendatur a Theodoreto libro 3. H. Eccl. cap. 16. Valentinus adhuc privatus, quoniam in factis, ſeu potius ſacrilegiis, abhorrebat a Juliani Apoſtatæ communione, in ceteris officiis præſto erat Imperatori. Plura alia exempla profert libro 5. partis 2. doctiſſimus Meldenſium Epiſcopus. Edocemur hinc inviolabilem eſſe Principum auctoritatem atque juriſdictionem in omnibus, quæ contraria non ſunt religioni ac pietati, & ipſam auctoritatem a nulla Eccleſiaſtica Poteſtate temerari poſſe, aut infringi.

„ II. Nullus Romanorum Pontificum ante Gregorium VII. adverſus Principes laicos protulit depoſitionis ſententiam. Scripſit Otho Friſingenſis lib. 6. Hiſt. cap. 32. *Lego, & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta; & nuſquam invenio quemquam ante Henricum IV. a Romano Pontifice excommunicatum, vel regno privatum*. Nolamus hujus Pontificis derogare ſanctitati, neque illorum opinioni adhærere, qui recitandum negant *Officium* ejuſdem Sancti ab Apoſtolica Sede adprobatum. Hunc unum abſque piaculo poſſe affirmari arbitramur, non comprobari depoſitionem Henrici venerandæ antiquitatis exemplis: non Gregorii II. non Zachariæ, non Leonis III. non Gregorii V. quorum exempla perperam a Ven. Bellarmino adduci oſtendimus num. 7. & ſeqq. alterius articuli IV. Novitate itaque ſua quod geſſit contra Henricum IV. Gregorius Septimus refutatur, aut ſaltem non comprobatur antiquitate, ac veterum traditione. Idem Rodulphus, quem Gregorius Imperatorem renunciaverat, eique inuſitato exemplo auream coronam miſerat, atque ad bellum gerendum adverſus Henricum incitaverat, profligatus ad Elyſtrum fluvium anno 1080. idibus Octobris, eique circa ilia lethali vulnere inflicto, & dextera manu abſciſſa, morti proximus dixiſſe fertur: „ Condignam ego perjurii mercedem recipio. Hæc eadem præciſa manus eadem eſt, qua Domino meo Henrico fidem ſanctiſſime juraveram „. Atque his dictis mortem oppetiit, & regia pompa *Merſburgi*, quam Miſniæ urbem Latini Martinopolim dicunt, ſepultus fuit. Rodulpho autem ſublato e vivis, Hermannus Bambergæ electus cum jurejurando fideliter obſervandi quodcunque illi præcepiſſet Gregorius, Saxones tantum ſibi obſequentes habuit, Principibus aliis electioni obſiſtentibus ne Germania inteſtino bello conflictaretur: novuſque Imperator Franciam Orientalem diripuit, & figens Imperii ſedem Islebiæ, ubi magnus erat allii proventus, non Imperator Auguſtus, ſed *Rex alliorum* paſſim vocitabatur. Ipſe beatus Gregorius obſeſſa, & expugnata urbe ab Henrico, redacta in poteſtatem exauctorati Imperatoris anno 1082. civitate Leonina, & anno 1084. Henrico triumphantis more per portam Lateranenſem ingreſſo, coactus eſt, ut primum in arcem S. Angeli, deinde Salernum ad Normannos aufugeret, ubi ærumnis & mœrore confectus, ſancto tamen fine, proximo anno 1085. VIII. Kalendas Junias diem obiit. Non ergo quod geſſit Gregorius fortunatim feliciterque proceſſit, & quod geſſit permotus zelo, patientia atque exſilio expiavit.

„ III. Accedit quod antea, & poſt Gregorium VII. conſueverunt Romani Pontifices in Imperatores, ac Reges, urgentiſſima neceſſitate cogente excommunicationis quidem, at non depoſitionis proferre ſententiam. Etenim ante Gregorii ætatem, Gregorius alter, & hujus nominis II. in Concilio Romano anathema dixit Leoni Iſauro ſacras imagines confringenti & comburenti; ſed ab ejus fide, & obedientia nullum ſubtraxit. Excommunicatione pariter, non depoſitione, inſurrexere Pontifices, & Epiſcoporum Synodi in Viſigothos, & Vandalos Arianam hæreſim propugnantes; & Theodoricum quoque Oſtrogothum volentem gladio extinguere univerſam Italiam, niſi Eccleſias redderentur hæreticis, atque crudeliſſimum Hunnericum, Traſymundum, ceteroſque reges Africam devaſtantes immaniſſima illa perſecutione, quam deſcripſit Victor Vitenſis, regnare patiebantur, nunquam regiæ dignitatis immemores, honoremque regibus exhibentes, quemadmodum præcepit Apoſtolus, atque execrantes hæreſim, & reverentes majeſtatem. Zenonem item Auguſtum poſt promulgatum *Henoticum*, ſucceſſorem ejus Anaſtaſium omni ſævitia perſequentem Epiſcopos, qui receperant ſynodum Chalcedonenſem, & S. Leonis Magni celeberrimam contra Eutychianos Epiſtolam ad Flavianum, Lotharium, qui repudiata legitima conjuge Teutberga duxerat Valdradam pellicem, Carolum Calvum alieni regni invaſorem, & Robertum contrahentem inceſta connubia, Pontifices Maximi non alterius pœnæ, quam anathematis interminatione deterruerunt. Atque hæc deceſſorum exempla habebat, quæ ſequeretur, S. Gregorius VII. Poſt Gregorium itidem excommunicatio inflicta ab Alexandro III. Imperatori Friderico Primo magno quidem terrori fuit; ſed depoſitio nulla, irrita, & caſſa. Idem dicendum de Henrici VI. Philippi Auguſti Francorum Regis, Othonis IV. aliorumque depoſitionibus fruſtra decretis, & a Petri cathedra pronunciatis a Papa. Ad hunc modum anathema, quod pœna ſpiritualis eſt, rite inflictum putatur, imperii regnique privatio perperam & inaniter. Spirituali itaque gladio, non autem materiali, vibrare ictus ac ferire poteſt Princeps Eccleſiaſticus. Hæc declarationis Gallicani Cleri defenſorea.

„ IV. Non ignorant Juriſconſulti, & Hiſtorici quid egerit contra Philippum cognomento *Pulchrum* Bonifacius VIII. Sat eſt perlegere libro 1. Extrav. Comm. tit. 8. cap. 1. decretalem, *Unam ſanctam*, editam anno 1302. In qua Pontifex definit, male attendere verbum Domini proferentis Matth. 26. *Converte gladium tuum in vaginam*, eum, qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat. *Uterque ergo*, ait, *eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille vero ab Eccleſia exercendus: ille Sacerdotis, is manu regum & militum, ſed ad nutum, & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati. Nam cum dicat Apoſtolus, Non eſt poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt; non ordinatæ eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio*. Quibus ampliori addita explicatione Bonifacius ſuam perſpicue aperuit ſententiam. Hac autem Decretali definire voluit regem Franciæ, & regnicolas ſubjici in temporalibus Romanæ Eccleſiæ. Sed quinam iſtius Decretalis finis fuit? Audiit Pontifex ut incredibili ambitione elatus, maxime quod Jubilæi tempore inceſſerit cum imperatoria chlamide, gladioque & ſceptro appoſita inſcriptione, *Ecce duo gladii hic*. Philippus Bullam Pontificis ſeſe declarantis mundi Dominum *in ſpiritualibus ac temporalibus*, juſſit lacerari, & flammis palam abſumi: coactis comitiis ſtatutum fuit nullum eſſe Pontifici jus in regnum Galliæ. Bonifacius in Pariſienſi conventu iniquiſſime declaratus eſt ſimoniacus, homicida, hæreticus, Epicureus: captus demum Anagniæ paterna in domo, & paulo poſt mœrore animi extinctus. Pudet me referre Philippi ad Bonifacium epiſtolam, non abſque horrore legendam, fictumque in illius ignominiam turpiſſimum epigramma. Abſit, ut hæc patrata, & dicta in Pontificem Maximum credam laudanda. Sed quid, oro, accidit, dum ille *temporalem gladium* exercendum putavit? quid, inquam, niſi indignatio Regum, populorum commotio, ludibrium Apoſtolicæ Sedis, ejuſdemque Pontificis dedecus, atque interitus?

„ V. Eam ob rem Clemens V. anno 1306. quod in Extravaganti *Unam Sanctam* declaraverat Bonifacius, ſen-

ſuit eſſe abrogandum. Legatur caput *Meruit*, 2. libri 5. Extravagant. comm. tit. 7. *de privilegiis*. Hæc ibidem occurrunt verba: *Meruit cariſſimi filii noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris, ſinceræ affectionis ad nos & Eccleſiam Romanam integritas, & Progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt, meruit inſuper regnicolarum puritas, ac devotionis ſinceritas, ut ſeum Regem, quam regnum favore benevolo proſequamur. Hinc eſt quod nos Regi & regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit*, Unam ſanctam, *nullum volumus, vel intendimus præjudicium generari. Nec quod per illam Rex, regnum, & regnicolæ prælibati amplius Eccleſiæ ſint ſubjecti Romanæ, quam antea exiſtebant: ſed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante definitionem præfatam, tam quantum ad Eccleſiam, quam etiam ad Regem, regnum, & regnicolas ſuperius nominatas*. Objicienti hanc Extravagantem Maimborgo reſpondent Auctor *Regalis Sacerdotii* pag. 298. & *Galliæ vindicatæ* pag. 622. caput illud *Meruit* nihil Regibus Galliarum adimere, nihil concedere, ſed eos in eo ſtatu relinquere, in quo erant ante Conſtitutionem Bonifacii. Recte quidem; neque enim aliud ſignificant Clementis verba. Sed quænam benevolentia, quinam favor, quodnam privilegium eſt, *nihil adimere, nihil concedere?* Quid in Conſtitutione Bonifacii declaratur, niſi gladium eſſe ſub gladio, temporalem auctoritatem ſubjici ſpirituali, & Romano Pontifici ſubeſſe omnem humanam creaturam, Regibus minime exceptis, ac ſi deviet terrena poteſtas judicari a poteſtate ſpirituali? Id ergo attendendum non eſſe definit cap. *Meruit* Clemens V. ideoque ante declarationem Bonifacii non erat gladius ſub gladio, nec Regum auctoritas ſubjiciebatur in temporalibus poteſtati ſpirituali.

„ VI. Ad poſteriora tempora deſcendamus. Notum cuique eſt, Rempublicam Senatumque ampliſſimum Venetiarum anno 1602. legem edidiſſe de bonis immobilibus ab Eccleſia aliqua, vel Monaſterio non acquirendis niſi obtenta prius a Principe facultate; decreviſſe etiam perſonas Eccleſiaſticas ob prætenſa crimina, & illatas præſertim civibus injurias, ad tribunal laicum trahendas eſſe, & quoties opus ſit, mancipandas carceri, & exſilio, aliiſque pœnis multandas. Quid Paulus V.? Promulgavit anno 1606. monitionem, qua nuntiavit Ducem utrumque Senatum excommunicationem ſubituros, omnemque Venetorum ditionem interdicto fore ſuppoſitam, niſi certo præſtituto tempore lata reſcinderentur decreta. At Senatus Venetus eodem anno die 6. Maji, Duce Leonardo Donato, Edictum oppoſuit, quo declaravit a ſe neminem agnoſci ſuperiorem in temporalibus, & Breve Pauli V. injuſtum, nullum, ac nullius eſſe roboris: ac poſtea ſpiritualibus pœnis ab Apoſtolica Sede revocatis, nulla tamen a Venetis petita venia, nulla abſolutione quæſita, intrepide jus ſuum inviolatum ſervarunt, & etiamnum invicte cuſtodiunt, abſque ullo religionis ac pietatis, quam magnopere colunt, diſpendio.

„ VII. Cum ſimilia poſtrema ætate inter Romanam Curiam Venetamque exorta eſſent diſſidia, ob decretum a Senatu emanatum anno 1754. VII. Idus ſeptembris, quo decreto lædi Eccleſiaſtica jura Sedes Apoſtolica exiſtimabat; ad hanc Sedem evectus Clemens XIII. ex nobiliſſima Veneta Gente Rezzonica, Eccleſiæ ſibi commiſſæ, ſimulque cariſſimæ Patriæ ſuæ conſulens tranquillitati, omnem dedit operam, ut prædictum decretum revocaretur, datis ad Senatum Apoſtolicis litteris anno 1758. die 5. Auguſti. In his autem literis ita Clemens ampliſſimum clariſſimumque Senatum alloquitur. „ Nè ſiavi di grazia tra Voi, chi ſi dia, o voglia darvi a credere, eſſer leſiva del voſtro decoro, e di quella Poteſtà legislativa, che ad ogni Sovrano compete, la noſtra Iſtanza. Chi così la penſaſſe, ſarebbe in grand' errore, e farebbe altresì a Noi una grandiſſima ingiuria nel ſupporre, che foſſimo capaci di chiedere alla Patria ciò, che non foſſe per riſultare in ſua ſempre maggiore onorificenza. Si dà a conoſcere, come ad ognuno è ben noto, la Poteſtà del Sovrano egualmente nel far le leggi, che nell' abolirle, mentre quella ſola può toglierle, che può formarle. Onde ſe egli è un atto di Sovranità la rivocazion della legge; come può dirſi che ſi faccia offeſa al dritto del Sovrano a chiederne l'abolizione? „ Hæc Clemens XIII. Quibus fatetur Pontifex Summis Poteſtatibus omnem in temporalibus, & cum iis, quæ temporalibus conjuncta ſunt, auctoritatem ineſſe. Hinc Franciſcus Lauredanus Dux Venetorum reſpondens Pontifici eodem anno die 12. Auguſti, inquit: „ Giunſe il pregevoliſſimo Foglio della Beatitudine Voſtra, ed abbiamo lucidamente riconoſciuto in eſſo il carattere retto, ed ingenuo della B. V. la quale come Capo della Chieſa riconoſce la facoltà legislativa nata colla Repubblica, e ſempre da eſſa eſercitata: ſpiegandoſi V. B. ſteſſa, che qualora ſuccedeſſe per libera autorità del Senato il ritiro del Decreto 7. Settembre 1754. ciò non può, nè potrà mai arrecare veruna leſione alla Poteſtà noſtra Legislativa. „ Crediderunt Regum quorumdam Miniſtri, litteris Clementis XIII. adæquatos Sacerdotii & Imperii limites definiri, debere iiſdem diſſidia componi, & ſumma pace Italos fruituros, ſi Romani Pontifices *temporalem* Principum juriſdictionem non perturbaverint.

„ VIII. Neque apud Venetos tantum, in Etruria etiam, quæ ſub Auguſtiſſimo & Religioſiſſimo Principe ſancte feliciterque gubernatur, quidquid pertinet ad publicum, & civile bonum, ſolius Poteſtatis temporalis jure diſponitur; atque illa etiam, quæ ſpectant ad Clericos, quatenus cives ſunt, membraque politici corporis, æquitate, imperioque Principis decernuntur. Viget lex, quam *Ammortizzationis* appellant, parum diſcrepans a Venetorum ſtatutis: tenentur Eccleſiaſtici ſolvere vectigalia, quoniam Reipublicæ, cujus membra ſunt, ſublevare debent incommoda: Beneficia Romæ collata, & Pontificum Bullæ non recipiuntur abſque Principis permiſſione, ne alicui civium inferatur detrimentum: Clerici, qui laicos offendunt, apud regiæ Juriſdictionis tribunal purgare ſe debent: Judiciis Sanctæ Inquiſitionis Aſſeſſor ſecularis aſſiſtit, ne damnetur civis innocens: aſylis etiam, ne ſceleſtiſſimi homines vagentur immunes, impoſita eſt limitatio. Atque his, aliiſque ſtatutis, Principes aperte declarant, nolle ſibi *quoad temporalia* aliquid Eccleſiaſtico jure præſcribi. Dum iſta litteris conſignamus Genuenſium Reſpublica publicis monumentis teſtatur, quam ægre ferat Summum Pontificem Clementem XIII. miſiſſe in Corſicæ inſulam Viſitatorem Apoſtolicum Creſcentium Signinum Epiſcopum, dubitans ne hujus ſanctæ Viſitationis prætexto inquilini magis alienentur a Reipublicæ obſequio. Labentis anni 1760. hiſtoriam monumenta illa reddent celebriorem. Et tamen vigilantiſſimus Pontifex ſola ſpiritualia munera commiſit Creſcentio exequenda. Quid futurum fuiſſe credas, ſi definitione, & conſtitutione decreviſſet a jure Regni Corſicæ excidiſſe Genuenſium Rempublicam?

„ IX. Poteſt ex his hiſtoriarum exemplis unuſquiſque percipere, quæſtionis hujus reſolutionem vel Pontificibus Maximis, vel Summis Principibus eſſe ingratiſſimam. Quare nos, ut noſtrum erga Petri Sedem obſequium, noſtrumque erga Imperium, cui ſingulari Dei beneficio ſubjicimur, reverentiam teſtemur, a ſententia dicenda abſtinemus. Neque enim ut jura tueantur ſua, aut Pontifices, aut Principes noſtro indigent conſilio. Ad ſolam adoleſcentium inſtructionem, eorumque laborem levandum, Opuſculum iſtud bipartitum conſcripſimus. Et quoniam ſingulis pro utraque parte argumentis aliquam adjecimus reſponſionem; innuam brevi, quomodo hæc ex hiſtoriis contexta aliquatenus reſolvantur.

„ X. Itaque ad ea, quæ priori numero dicta ſunt, reponent, Reges Paganorum, dum ſuſcipiunt religionem Chriſtianam, ſponte jugo ſuaviſſimo collum ſubmittere, & curam animarum ſuarum committere poteſtati, a qua nunquam cohibetur temporalis auctoritas, niſi ubi æterna ſalus periclitatur. Quod non eſt temporalem Principatum evertere, ſed firmare: ſicut putridam abſcindere corpoream partem, vulnuſque igne ferroque curare ad ſanitatem affertur, non ad interitum carnis. Chriſtianis ſubditis, religione non violata, ſub Rege infideli militare fas eſt; cum fidei jactura, nequaquam: id nec animæ adverſatur, nec corpori; ſruſtra itaque hoc loco exemplum illud profertur. Aſſerendum idem de Fide, quæ cum virtus ſit animi, & inſpirari nequeat invito, prædicatione verbi, & gratia voluntatem inflammante gigni poteſt, non armis. Quæ ſecundo allata ſunt numero, dicuntur falſa, & veteris ac novi Teſtamenti refutantur exemplis, priori parte enarratis: res adverſæ, quæ contigerunt depoſito Henrico IV. ad cumulum meritorum, & ad fortitudinem S. Gregorii VII. demonſtrandam conducunt plurimum, nihil ad Pontificium Jus evertendum: pejora tamen acciderunt Henrico, quam ejuſdem nominis pater proſcripſit & abdicavit, Conradus major natu expulit Regno, Henricus minor filius, quem pater *Auguſtum* nominaverat, eumdem parentem truci bello ubique vexavit: exhauſtus ærumnis, & ad eleemoſynam petendam redactus obiit Leodii: quinquennio extra templum Spiræ jacuit vili tumulatus Sarcophago: nunc vix memoratur, Gregorio inter Sanctos relato. Ad rem non faciunt exempla paragraphi tertii; ſiquidem *depoſitio* extremum remedium eſt, ſero, caute, prudenterque adhibendum: Pontifices excommunicatione potius uſi ſunt, quando ſperabant poſſe impiiſſimos Principes pœna tantum *ſpirituali* percuſſos ad meliorem frugem reduci, & quando temporum conditio non ſinebat temporalem pœnam inferre. Sunt etiam qui putant, excommunicationem & interdictum ab obſequio erga Reges arcere ſubditos: quamquam ſententia noſtra eſt, eum, qui excommunicato communicat, dummodo non communicet in divinis, ſed legitimos actus exerceat, non peccare, quoniam excommunicatio eſt ſpiritualis pœna, & aſpicit ſpiritualia. Acta Philippi Pulchri adverſus Bonifacium VIII. a Petro Puteano, a Joanne

„ Vil.

„ Villani, ab Henrico Spondano, a Petro de Marca, aliiſque deſcripta, referunt Bonifacio Philippum obtemperare noluiſſe, cum ille ſubſidia peteret pro terra Sancta recuperanda, negaſſe inſuper indictas a Pontifice decimas, copiaſque militum tranſmittendas in Syriam: implacabile ulterius inter Regem atque Pontificem ortum diſſidium, ob Columnenſes Bonifacio infenſos, Regi autem acceptos: avide Pontificem arripuiſſe occaſionem premendi Regem cenſuris, aſſerendi regnum Francorum ſibi *temporaliter* ſubjectum eſſe, atque poteſtatem ſe habere puniendi peccata in regni adminiſtratione a Philippo patrata: quod poſtremum non pertinere ad Pontificem, datis ad Bonifacium litteris Eccleſia Gallicana affirmavit. Atque hinc apparet, cur Clemens V. Extravaganti, *Meruit*, declaraverit non eſſe in præjudicium Philippi, & Francici regni quidquid Conſtitutione Bonifacii definitum aſſerebatur. Atque hac reſponſione expeditur, quod ſequenti paragrapho quinto comprehenditur. Prætermitto reliqua; nam Paulus V. in Venetos ſolum gladium *ſpiritualem* exeruit: Clementis XIII. epiſtolæ ſpirant undique pietatem, paciſque amorem: ejus de poteſtate Reipublicæ legiſlativa non ſunt fidei ſanctiones e cathedra pronuntiatæ, ac videntur poſſe explicari *hypothetice*: ex quo Principes ad ſe attinere velint judicia rerum perſonarumque Eccleſiaſticarum, quatenus cum politico regimine connectuntur, quæri poteſt, cur pariter *Poteſtas ſpiritualis* nequeat temporalem comprimere, quatenus jura ſpiritualia conculcat. At video eos, qui hæc opponunt, reſponſuros fore id quidem fieri poſſe, modo ſpiritualis poteſtas adhibeat tantum remedia *ſpiritualia*, quemadmodum poteſtas temporalis utitur tantummodo *temporalibus*. Sciunt utique noſtrates Coſmum Etruriæ Dominum anno 1570. fuiſſe a S. Pio V. decoratum titulo *Magni Ducis*; id autem, aliaque hujuſcemodi plura habent ſolam nominis honorificentiam, non incrementum imperii; atque fieri ſolent Principibus aliis interdum indignantibus & obſtrepentibus.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quæ proferenda remanent Theologicæ rationis momenta.

„ I. EXpedio tandem quæ Pontificiæ poteſtatis nulli in temporalibus ſubjectæ propugnatores ſolent afferre, rationi, ut ajunt, admodum cohærentia. Illud principio urgent, quod regia poteſtas *immediate* ſit a Deo, adeoque ſoli Deo ſubjecta. Primum Hebræorum Regem Saul, electum & inunctum a Domino narrat libro 1. cap. 10. ſacra Regum Hiſtoria. De Romanis Imperatoribus ait S. P. Auguſtinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 21. *Qui Auguſto imperium dedit, ipſe & Neroni: qui Veſpaſianis vel patri vel filio ſuaviſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo*. De Galliarum Monarcha ita Concilium Pariſienſe anni 829. lib. 2. c. 5. apud de Marca pag. 92. *Nemo Regum a progenitoribus Regnum ſibi adminiſtrari, ſed a Deo veraciter atque humiliter credere debet dari, qui dicit: Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me principes imperant, & potentes juſtitiam decernunt, &c.* quæ, ut conſtat, ſingulis Regibus aptari poſſunt. Sunt plura, quæ Galliarum Theologi huc referunt ex Juſtino in 2. Apolog. ex Irenæo libro 5. adv. Hær. cap. 24. ex Tertulliano in Apologetico cap. 30. & in libro ad Scapulam, ex concordi Patrum ceterorum doctrina. At neceſſum non eſt quod naturali ratione eluceſcit, auctoritate comprobari. Si ergo, inquiunt, ſolus Deus Reges conſtituit, ſolus Deus poteſt Regibus regnum adimere.

„ II. Altero pugnant argumento, quoniam ſcilicet ſupremi Principes, ſi peccent, a nullo mortalium puniri queant. Alloquebatur Deum ſanctus David Pſ. 50. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*, quoniam cum Rex eſſet, nullum præter Deum timere poterat. Ita enim illa Pſalmiſtæ verba exponunt S. Hieronymus in Epiſt. ad Rufinum, & ad Euſtochium, Caſſiodorus, Euthymius, aliique, qui in Pſalmos ediderunt Commentaria, nec non Theologi cum S. Thoma 1. 2. quæſt. 96. art. 5. ad 3. Ita ea de cauſa S. Gregorius Turonenſis ajebat ad Chilpericum Regem, lib. 5. Hiſt. Franc. cap. 19. *Si quis e nobis, o Rex, juſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, a te corripi poteſt. Si vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi; ſed ſi volueris, audis. Si autem nolueris, quis te damnabit, niſi is, qui ſe pronuntiavit eſſe Juſtitiam?* Allucinantur itaque illi, qui tenent poſſe Reges corripi, & temporalibus pœnis, (de ſpiritualibus enim nulla eſt hæſitatio) coerceri a peccatis.

„ III. Conſimilis eſt, & præcedentem confirmat proxima ratio tertia. Non debet enim Summus Sacerdos gladio uti *materiali* ad vindictam malorum, quem gladium portat ad hunc finem Judex civilis. Necari contumaces *ſpirituali* gladio, *dum de Eccleſia ejiciuntur*, ſcribit epiſtola 11. libri primi beatiſſimus Martyr Cyprianus. Petro gladios duos offerenti dictum a Domino, *Sat eſt*; quaſi utroque uti licuerit uſque ad Evangelium, *ut ſit in Lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio*, ſententia eſt Ambroſii in caput 22. Lucæ. Gladium *materialem* in Eccleſia ceſſaſſe promulgato Evangelio, docet Magnus Auguſtinus in libro de Fide & operibus cap. 2. his verbis: *Phinees Sacerdos adulteros ſimul inventos ultore ferro transfixit; quod utique de degradationibus & excommunicationibus ſignificatum eſt, faciendum in hoc tempore, cum in Eccleſiæ diſciplina viſibilis gladius fuerit ceſſaturus*. Similia reliqui Patres. Sanctitate itaque, exemplo, doctrina, precibus, exhortationibus, prædicatione Evangelica, & ſi hoc non ſufficiat, expulſione ab Eccleſia, adeo ut ſit nobis *tamquam ethnicus & publicanus*, peccator pervicax & ſceleſtiſſimus eſt corripiendus & puniendus. Belle in Carmine de vita ſua, ut latinitate donatum eſt, Gregorius Epiſcopus Nazianzenus:

Suadere quippe æquius eſt, quam cogere,
Magiſque nobis convenit, & illis item
Parere ſummo nitimur quos Numini.

„ Relata propterea eſt inter canones præclara laudati Ambroſii ſententia, lachrymas eſſe *munimenta Sacerdotis*; & Origenis in Leviticum, *Pontificem imitari debere Moyſen, qui vicit inimicos orando*. Legatur Can. *Convenior* 23. q. 8. & c. *Si quis vult*, diſt. 36. q. 3. nu. 21. Suffragatur his ratio; oportet enim, ut qui corripiuntur, a ſe prava deſideria repellant, atque præcidant; quod fieri nequit niſi verbo vitæ, quod pertingit uſque ad diviſionem *animæ, & ſpiritus*, & eſt penetrabilius *omni gladio ancipiti*.

„ IV. Sequitur ratio quarta inde manans, quod in Eccleſia ſint *duæ Poteſtates* ſuis finibus circumſcriptæ, atque objectis omnino diſparatis ſecretæ; quarum una non debet invadere alterius Jura; ut prolixe diximus ſecundo articulo, neque modo repetere neceſſum eſt.

„ V. Poſtremo quænam ſequantur abſurda, ſi Pontifex velit exerto *materiali* gladio bellum indicere Principibus mundi, eoſque aggredi, atque e ſolio dejicere, demonſtrat experientia rerum omnium humanarum magiſtra, idemque comprobant eventus Eccleſiæ, & reipublicæ funeſtiſſimi. Ajebat Commentario in Grotium Henricus de Cocceii tomo 1. pag. 242. „ Paci, & bono publico humani generis quantopere hujuſmodi poteſtas (Pontificum in temporalibus) contrarietur, uſus abunde docuit, & omnium adhuc luculentiſſime ob oculos poni poſſet. Sed mitto ea, & verba ſaltem Ferrarienſis dicto loco in Pract. Pap. pagina mihi 244. ſubjicio: *Bene, & ſancte faceret Papa, ſi totam corporalem Juriſdictionem in manibus Imperatorum remitteret, nec aliter unquam reſpublica, & maxime Italia quieſcet, nec ulterius de Papatu, quale non ſemel fuit, ſchiſma accideret; & ex hoc ſtatus univerſus Clericorum magis redderetur Deo, ac populo devotus: & ipſe Papa cum Cardinalibus viveret quietius, ac Deo devotius, & populo acceptius, & gratius*. Cetera prætermitto „.

„ VI. Quomodo autem argumenta hujuſmodi dirimantur, non eſt operoſum ex præmiſſis eruere. Nam ad primum cenſent adverſæ partis Theologi ſatis ſuperque reſponderi verbis Apoſtoli ad Romanos 13. 1. *Non eſt poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt*: nullum enim futurum ordinem putant, niſi corpus ſpiritui, ſenſus rationi, terrena cæleſtibus, temporalia ſpiritualibus ſubjiciantur. Dependentiam hanc & ſubordinationem videntur ſibi colligere ex verbis Tertulliani in cap. 30. Apologetici, *Inde eſt Imperator, unde & homo antequam Imperator, inde poteſtas illi, unde & ſpiritus*: quo tamen loco abuti ſolent qui a ſolo Deo pendere credunt Imperium. Enim vero ex quo homo ſit creatus a Deo, ac ſpiritus immediate illi ab ipſo conditore inſeratur, nemo dicturus eſt, hominem majoribus ſuis non ſubjici tam corporis, quam animi officiis. Etiam poteſtas Pilati, inquiunt alii, *deſuper erat*, Domino ipſo teſtante Joan. 19. 11. & nihilominus pendebat a nutu Tiberii Cæſaris, Senatuſque Romani. Producunt quidam verba Chryſoſtomi, qui Hom. 23. in Epiſtolam ad Romanos prælaudata Apoſtoli verba ad hunc plane modum exponit: *Non eſt poteſtas, niſi a Deo. Quid dicis? Omnis ergo princeps a Deo conſtitutus eſt? Iſtud non dico. Nec enim, de quovis principe mihi ſermo nunc eſt, ſed de ipſa re. Quod enim principatus ſunt, quodque hi quidem imperant, illi vero ſubjecti ſunt, quodque non ſimpliciter ac temere cuncta feruntur, nec fluctuum inſtar populi huc atque illuc circumaguntur, divinæ Sapientiæ opus eſſe dico. Propterea non dicit: Non enim princeps eſt, niſi a Deo; ſed de re ipſa diſſerit dicens, Non enim poteſtas eſt, niſi a Deo*. Reponunt alii, omnem quidem poteſtatem eſſe a Deo, ſed impios & ſacrilegos poteſtatem arripere, non Deo conſtituente, ſed permittente, quomodo de Pharaone, & rege Babylonis affirmat Epiſt. 216. S. Iſidorus Pelufiota; atque ipſum Concilium Pariſienſe anni 829. eodem in loco, qui paullo ſupra objiciebatur, *Multi namque*, ait *mu-*

„ *nere divino, multi etiam Dei permiſſu regnant*. Sicut etiam, qui negant poteſtatem temporalem *immediate* eſſe a Deo: enimvero inquiunt, ubi appoſuit Apoſtolus adverbium illud *immediate?* Numquid Sacramento aliquo, ut Sacerdotium, regalis poteſtas confertur? Nonne ſæpe Reges eliguntur vel a populo, vel a ſenatu, & frequentiſſime violenter, atque tumultuarie? annon optimo Principi quandoque peſſimus, aut electione, aut hereditario jure ſuccedit? Cernis, opinor, quot artificiis vim prioris argumentationis declinent.

„ VII. Nec ſudant reliquas diluendo, ſed halitu exſufflant uno. Fatentur ab inope ſacerdote non poſſe armigerum, præpotentem ſuperbiſſimumque Principem humiliari. Quis id ignoret, quum videamus non ſemel, non poſſe Principem prudentiſſimum ac potentiſſimum plebem ſeditioſam ac perduellem redigere in ordinem? Fatentur arma, & munimenta Sacerdotis eſſe orationes & lachrymas, atque viros principes magis precibus vinci, quam armis. Non ſemel his, aliiſque ſpiritualibus adjumentis, nec non effuſo ſanguine ſuam erga Regum, regnorumque ſalutem Summi Sacerdotes ſollicitudinem demonſtrarunt: verum ubi hæc adminicula inutilia fuere, & ita fieri oportebat, amplicata Eccleſia, patrimoniis locupletata, Regumque, & Cæſarum patrocinio ſuffulta, ſeveriora applicarunt remedia, non intendentes animum corporum perditioni, sed ſaluti animarum, & unius punitione permultis ſeſe emendandi præbendo monita ſaluberrima. Nam ubi leniora non juvant, aſperiora ſunt adhibenda medicamenta. Petrus etiam, cujus adepti ſunt poteſtatem, ad aliorum terrorem duos repentina morte confecit. Quod fas eſſet Pontifici, ſuorum famulorum conatu repellere vitæ ſuæ ſacrilegum aggreſſorem, idem ſibi licere exiſtimet pro Eccleſiæ, quæ ejus ſponſa eſt, reparando honore, atque integritate ſervanda. Si hinc diſſidia, ſchiſmata, & bella oriuntur, laicorum inobedientiæ, non Pontificum Sanctionibus ſunt adſcribenda. Nemo legum civilium rectitudini tribuendas diceret populi tranſgreſſiones. Ita de Eccleſiaſticis Conſtitutionibus ſentiamus oportet. Sunt denique temporalia damna, quæcunque poſſunt contingere, longe minora ſpiritualibus. Ad hunc plane modum loquuntur qui propugnant *indirectam*, ut vocant, poteſtatem Pontificum Romanorum in temporalia.

COROLLARIUM.

„ Sequitur ex dictis, duas revera eſſe in Eccleſia Poteſtates, Spiritualem unam, & alteram Temporalem; quarum illa divina, illa terrena adminiſtret; Spiritualem tantum eſſe Temporali præſtantiorem, quantum ſpiritus corpore, ſalus æterna incolumitate Reipublicæ, & regnum, quod perpetuo manet, præſtantius eſt mundanis, quæ tranſeunt, atque evaneſcunt. Diverſa munera, ſuoſque limites eſſe utrique poteſtati, atque Spirituali collatas claves regni cælorum, Temporali Gladium ad vindictam malorum, bonorumque tutelam: debere reges Pontificibus conjungi glutino caritatis, ſervandamque & fovendam inter Sacerdotium, Imperiumque concordiam: hac ſublata, & ſuperſeminatis ab homine inimico zizaniis, adhibendam utrinque prudentiam ac tolerantiam: cavendum ſedulo diligenterque, ne una poteſtatis alterius invadat Jura, nec ambitioſa contentione inſletur qui gerit vicem Chriſti, qui venit miniſtrare, non miniſtrari; neque Sacerdoti adverſetur quiſquis ab ipſo ſuſcepit baptiſmum, petit in vita benedictionem & veniam, atque ſperat Viaticum & abſolutionem in morte. Quid in rerum diſcrimine agendum ſit, haud ignorat Eccleſiæ Paſtor, conſtitutus a Domino ut oves ſuas paſcat, omnemque gerat curam, ne pereant, & compertum id quoque habet Princeps Catholicus, qui profitetur ſe quidem eſſe caput Reipublicæ, ſimulque membrum Eccleſiæ. Hoc temperamento de utriuſque Poteſtate diſſerendum exiſtimavi, ut Petri Cathedræ, & Cæſaris throno reverentiam, & obſequium meum patefacerem, humilis Eccleſiæ filius, fideliſſimus Imperii ſubditus. Fruatur prudens ac benevolus lector impolita hac lucubratione, ſi lubeat: imitetur temperamentum, ſi deceat.

DIS-

DISSERTATIO
IN DEFENSIONEM ENCYCLICÆ SUMMI PONTIFICIS BENEDICTI XIV.

Adverſus improbum quatuor dubiorum conſarcinatorem.

PRÆSTANTISSIMO CLARISSIMOQUE VIRO,

THEOLOGORUM OMNIUM PROPUGNANTIUM S. AUGUSTINI DOCTRINAM MINIMUS,

Τὸ φρονεῖν ἐν Κυρίῳ. *Ad Philipp. IV. 2.*

„ NUper e me, Vir præſtantiſſime, epiſtola tua officii ac benevolentiæ pleniſſima poſtulaſti, ut abſque fuco, abſque ambiguitate verborum, perſpicue ſcilicet, enucleate, breviterque tibi ſignificarem, quid ſentiam de *Dubiis* ab Anonymo propoſitis Scripto paullo antee per Urbem & per Italiam pervagante, cum magna ſapientiſſimorum virorum admiratione, nec mediocri ceterorum ſcandalo, jure autem meritoque Apoſtolicis cenſuris confixo e Benedicto XIV. die 5. Sept. an. 1757. cui præfigitur directio, *Ampliſſimis S. R. E. Cardinalibus, & clariſſimis Theologis in urbe Præneſte congregatis, poſt pacem Eccleſiæ Gallicanæ reſtitutam, & methodum propediem edituris pro ſtudiis peragendis ab Alumnis Collegii Urbani de Propaganda Fide ad hæreticos profligandos, ad Gentiles, & atheos in ſinum Eccleſiæ reducendos, &c.* Quamquam de me ingeniique mei tenuitate nihil tibi polliceri valeo, quod abſolutum ſit numeris, libratum elaboratumque, tuoque deſiderio quomodolibet ſatisfaciat; ac prope me talem eſſe cognoſco, quem neque in theologicis doctrinis excultus, neque alius quipiam, qui vix limen contigerit ſcientiarum ſacratum, conſulere debeat: deliberavi tamen tibimet morem gerere, ne forte in animum inducas tuum, vel a me jura amicitiæ temere violari, vel reperiri inter noſtrates, qui magnitudine & abſurditate earumdem dubiorum prættus obruatur, aut reſpondendi difficultate perterritus cogatur inhoneſte turpiterque conticeſcere.

„ Atque ne verbis te detineam, ſervemque præſcriptam a te brevitatem; incunctanter & ſine ulla hæſitatione pronuntio effrontem illum, inſanum perditumque *Dubiorum* architectum maxima graviſſimaque injuria affeciſſe Pontificem omnium Optimum *Benedictum XIV.* cœtumque Purpuratorum Patrum univerſum; ac inſuper conjuncto cum impudentia & ignorantia calidiſſimo veterrimoque conſilio, alias ab ea, quam ipſe ſectatur, Catholicorum Scholas quaſi per cuniculos fuiſſe aggreſſum, ut novitiorum placita, rejectis Sanctorum Auguſtini & Thomæ inconcuſſis probatiſque dogmatibus, tanquam Eccleſiaſticis roborata definitionibus ubique gentium excipiantur. Eſt neque unde ille artifex prædictorum *Dubiorum* impudentiſſimus calumniator, inſipientiſſimus percontator, exitioſiſſimus inſidiator. Quod ne a me injuria dictum exiſtimes, age paullulum, & quæ ille extra omnem controverſiam poſita eſſe arbitratur, mecum pacato animo, atque omni partium ſtudio ſepoſito, aliquantiſper expende; ita enim fiet, ut fundamentis ſubverſis ruat impoſita moles ſponte ſua.

„ Subdolus *Dubiorum* conſarcinator tanquam certum exploratumque ſupponit Celeberrimam Sanctiſſimamque Conſtitutionem *Unigenitus* eſſe *Regulam Fidei*. Ne ſtatim offuſa ſimul cum ſole nebula alucinemur; quid ſit *regula Fidei*, & an hujus *regulæ* characteres prælaudatæ Conſtitutioni conveniant, & rurſus qua ratione conveniant, expendamus oportet.

„ Noſti, Vir Sapientiſſime, tradente Apoſtolo (1), Fidem eſſe rerum, quæ ſperari debent, ſubſtantiam, *argumentum non apparentium*: ambulare nos, dum in hac vita peregrinamur e Domino, tanquam *per ſpeculum & in ænigmate*: evacuari Fidem in Patria, ubi Deum videbimus ſicuti eſt, neque cognoſcemus ex parte, *ſed ſicut cogniti ſumus*: credi, ut docent Eccleſiæ Patres, *quæ non videntur* (2) de iis autem, quæ videntur, *non fidem haberi, ſed agnitionem*. Quamobrem Fides, ut verbis utar Magni Baſilii (3), *eſt aſſentiens approbatio ſine ulla hæſitatione de veritate eorum, quæ nobis divino munere ſunt propoſita*, ſive, ut inquiunt poſt Auguſtinum Magiſter Sententiarum, & S. Thomas, *Fides eſt virtus, qua creduntur quæ non videntur*, ſcilicet, omnium conſenſione Theologorum, Virtus, per quam intellectus iis firmiter aſſentitur, quæ ſunt e Deo revelata. Patiaris obſecro hæc, quæ omnibus obvia ſunt, a me duntaxat commemorari.

„ Quoniam ergo Fides eſt eorum, quæ non videntur; miſſis metaphyſicis quorumdam Scholaſticorum quæſtionibus, de fidei objecto, quod *formale* dicere conſueverunt; credendi ratio eſt ſumma Dei, qui mentiri nequit, veracitas, nobis per Verbum ſuum, divinamque revelationem manifeſtata: atque hinc vides, opinor, *regulam fidei* vere ac proprie eſſe *Dei Verbum aut ſcriptum, aut traditum*. Dixi, *Aut ſcriptum, aut traditum*, ad refellendum abjiciendumque nefarium dogma hæreticorum illorum, qui in ſolo *Verbo Dei ſcripto*, ideſt, in ſolis Canonicis Libris, quorum etiam numerum & canonem proprio marte & ad libidinem ſibi fingunt, *Regulam Fidei* conſtituunt; quum utique nos filii S. Matris Eccleſiæ, & membra myſtici Corporis Chriſti, complura fide teneamus, quæ ſcripta non ſunt, eaque e conſtanti ac perpetua Majorum noſtrorum accepimus traditione.

„ At cum Scripturæ divina, ſecluſo judicio Eccleſiæ, non ſit ſeipſa ſufficiens ad dirimendas controverſias omnes circa fidem moreſque exortas, ſive ad omnia definienda, quæ ad capeſſendam ſalutem credenda ſunt & agenda: quid nobis in *Verbo Dei ſcripto* revelatum ſit, dijudicari neceſſum eſt, non ad humanæ rationis libellam & normam, quæ eſt regula humanarum & naturalium ſcientiarum, non divinorum myſteriorum, fideique ſuperna gratia inſpiratæ, neque, ut paſſim comminiſcuntur heterodoxi, ad illum cujuſque privatum ſpiritum, quem experimento & ratione conſtat eſſe fallacem, obnoxium errori, ſeminarium oppoſitarum opinionum, atque in ipſis hæreticorum ſectis cauſſam diſſidio-

(1) Ad Hebr. XI. 1. & I. ad Corinth. XIII. 9. 10. 12.
(2) Aug. Enchir. cap. 9.
(3) S. Baſilius *de vera fide*. Auguſt. Ench. cap. 9. Gregorius M. hom. 26. in Evang. Mag. lib. 3. diſt. 23. S. Thom. 2. 2. q. 4. art. 1. &c.

vel tradito conſentaneum. At quid ſit *Regula Fidei*, & quando, & quomodo eſſe *Regulam Fidei* competat Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, aliiſque definitionibus Catholicæ Eccleſiæ, dictum eſt hactenus.

„ Jam vero ad pertractandum de Conſtitutione *Unigentius* mea progreditur Diſſertatio. Conſtitutionem ipſam *Dubiorum* artifex affirmat *eſſe Regulam Fidei*, *& tanquam regulam Fidei acceptam ab Ecleſia Univerſali, & a Sede Apoſtolica ita pariter declaratam*. Sed eamdem Conſtitutionem eſſe *Regulam Fidei* non adeo certum eſt, ut artifex ille ſupponit. Principio enim neque in eadem Conſtitutione, neque in altera, quæ incipit, *Paſtoralis Officii*, neque in Apoſtolicis Litteris *Ex omnibus Chriſtiani orbis* ſanctiſſimi ac Sapientiſſimi Patris noſtri Benedicti XIV. quibus, impudens ſcriptor ſacrilege obloquitur, definitur aut declaratur ipſammet Conſtitutionem *Unigenitus* eſſe *Regulam Fidei*. Falſiſſimum tamen eſt, ab eodem doctiſſimo prudentiſſimoque Pontifice Benedicto in iiſdem Encyclicis Litteris eamdem Conſtitutionem *prædicari ſolum tanquam legem Eccleſiæ conducibilem*, *mutationibus obnoxiam*; *quæ tamen obſequium mereatur ac reverentiam*. Suo enim cerebello Conviciator hæc fingit, venditatque commentationem ſuam falſiſſimam & abſurdiſſimam, tanquam ſupremi Eccleſiæ Paſtoris declarationem. Neque animadvertit doloſis hiſce, & a ſe confictis verbis ſibimet repugnare. Quomodo enim recepta foret *tanquam Regula Fidei* ab univerſali Eccleſia Conſtitutio *Unigenitus*, ſi illam univerſalis Eccleſiæ Paſtor prædicaſſet non eſſe *regulam Fidei*, ſed tantummodo *legem Eeleſiæ conducibilem?* Quomodo *immutabilis* foret, uti *regula fidei* proculdubio eſſe debet, ſi Pontifex Maximus prædicaſſet *mutationibus eſſe obnoxiam?*

„ Deinde vero prælaudatam Conſtitutionem *Unigenitus* fuiſſe ab univerſa Eccleſia receptam, ego quidem non inficior, utpote qui teneo ſatis eſſe ut omne habeat robur, cunctoſque fideles obſtringat, ſi Romæ ſolemniter ſit promulgata; quamquam complures, & exteri præſertim Theologi, atque Jureconſulti aliter ſentiant. Scio hæc unum, *Appellantes* denegare iſtiuſmodi univerſalem pleniſſimamque acceptationem. Ajunt enim ab eadem Conſtitutione provocaſſe ad futurum Generale Concilium anno 1717. quatuor Galliarum Epiſcopos, eiſque ex CX. Doctoribus ſacræ Facultatis Pariſienſis adhæſiſſe XCVII, uno tantum repugnante, reliquis perpaucis hinc, inde nutantibus: ejuſdem cum Appellantibus illis fuiſſe ſententiæ ſpectabilem Parochorum, & Religioſorum ordinum multitudinem; complures, qui conſtitutionem acceptarunt, probaſſe illam juxta Explicationes, & Inſtructiones Paſtorales XL. Epiſcoporum anni 1714. & Epiſcoporum Centum anni 1720. qui operam dederunt, ne illius Conſtitutionis inviolabili auctoritate aliqui ſcholaſticorum abuterentur, quod nihilo ſecius facere audent, ad aliorum Catholicorum ſententias, tanquam Baji, Janſenii, & Queſnellii proſcripta dogmata traducendas, ſpretiſque ipſius San. mem. Pontificis Clementis XI. juſſionibus, tanquam hæreſeon portenta inſectandas. Narrant ulterius ſacram Facultatem Pariſienſem, necnon Remenſem & Nannetenſem anno 1715. acta præcedentis acceptationis caſſaſſe & retractaſſe, utpote irrita & nulla, & præmiſſa animo prorſus contrario Theologis Moliniſticæ ſcholæ, Conſtitutionem ad ſcita ſua corroboranda trahentibus: Epiſcopum Sanitii, Appellantium unum, in Synodo Ebroduni ſuſpenſum, atque Epiſcopali juriſdictione & omni ſacerdotali honore exſpoliatum, non ſolum nactum fuiſſe deſenſores ſtrenuiſſimos quinquaginta Pariſienſes jureconſultos, verum etiam ad Regium Thronum Cardinalem de Noailles una cum duodecim aliis Epiſcopis ejus cauſam egiſſe: plurimos, & quidem primi ſubſellii, Theologos, viroſque clariſſimos, quorum ampliſſimum Catalogum referunt, exſilium potius, carceres, Eccleſiaſticorum beneficiorum, omniumque temporalium bonorum paſſos fuiſſe jacturam, atque graviſſimas ſubiiſſe ærumnas, quam Conſtitutionem *ut regulam Fidei* ſuſciperent. Poſtremo, neque enim Iliadem repeto totam, aſſerunt ipſum Chriſtianiſſimum Regem, dum ſolemni actu (1) indixit exhibendam Conſtitutioni reverentiam, ſimul declaraſſe non habere illam *Regulæ Fidei* proprietates & characteres; in Sabaudia autem, in Venetorum Republica, in Belgio, in Germania, non alia ratione Conſtitutionem ipſam, de qua loquimur, fuiſſe adprobatam, quam *religioſo*, ut vocant, *ſilentio*: ad quod comprobandum producunt ulterius tria ſenatus Sabaudiæ edicta, unum anni 1714. & duo anni 1719. necnon Epiſtolam Sereniſſimi Pr. Caroli a Lotharingia, datam anno 1755. VII. Kal. Septembris, annuente Auguſtiſſima ac Potentiſſima Hungarorum Regina, & Imperatrice Maria-Tereſia, ad Gubernatorem inferioris Germaniæ. Quæ num vera ſint, & num evincant Conſtitutionem *Unigenitus* non eſſe ubique receptam, ſaltem tanquam *Regulam Fidei*, tu, vir doctiſſime, qui in pervolutandis Hiſtoriarum voluminibus, & Theologorum lucubrationibus, aſſidue verſaris, poteris me quoque tacente deprehendere.

„ Quidquid de univerſali *Acceptatione* aſſerendum exiſtimes; non eſſe Conſtitutionem *Regulam Fidei*, quidam ex ipſo Acceptantium numero (2) conati ſunt demonſtrare, primo, quia objectum fidei, vel hæreſis, debet eſſe præciſum, & expreſſe ac determinate declaratum, ut tale: qualificatio autem propoſitionum *hæreticarum*, quæ in Conſtitutione prope finem legitur, nulli articulo expreſſe ac determinate applicatur. Deinde quia aliquam proferens propoſitionem in ſenſu auctoris *hæreticam*, ſi illam exponat ſenſu Catholico, *hæreticus* nullatenus eſt appellandus: idque admittuntur evincere exemplo Didymi, qui in bonam partem accipiens damnatas Origenis de Verbo Dei poſitiones, dicitur a Beato Hieronymo (3) *in Fide Trinitatis Catholicus*: exemplo eorum, qui tria *Capitula* Neſtorianam continentia hæreſim propugnaverunt, ſed Catholicorum ſenſu illa exponentes; ac præſertim Facundi, qui pro ipſorum Capitulorum defenſione ſcripſit prægrande ſpiſſumque volumen, atque Theodoreti, cujus anathematiſmos a V. Generali Synodo reprobatos, ab omni hæreſis ſuſpicione vindicarunt Petavius & Sirmondus, ſapientiſſimi duo Societatis Jeſu presbyteri: exemplo Joannis Maxentii, aliorumque monachorum Scytharum, qui magna alacritate certarunt pro illa propoſitione, *Unus de Trinitate paſſus eſt*, licet a Legatis Dioſcori, atque ab Hormiſda Papa tanquam Eutychiana fuerit proſcripta; exemplo demum plurium aliarum propoſitionum, quas alii catholico ſenſu propugnaverunt, alii ex oppoſito in ſenſu pravo & hæretico damnarunt; quarum propoſitiones nonnullas paullo ſupra commemoravi.

„ Credo te dicturum, Conſtitutionem *Unigenitus* appellari *Regulam Fidei* in Concilio Romano, celebrato ſub fel. record. Benedicto Papa XIII. in quo Concilio Tit. I. cap. 2. leguntur hæc verba: „ Ut Conſtitutio a ſan. mem. Clemente XI. edita, quæ incipit *Unigenitus*, quamque, noſtræ uti ejuſdem fidei regulam, agnoſcimus, ab omnibus cujuſcunque conditionis & gradus, omnimoda ac debita obedientia & executione obſervetur „. At me referre pudet, Vir ornatiſſime, quod nonnulli tradunt, ab Epiſcopo Abellinenſi tunc ejuſdem Romani Concilii a ſecretis, poſtea Vaticana Purpura decorato, conſiliis initis, & deliberatione facta in Quirinalibus quorumdam Religioſorum virorum ædibus, ea verba, *Quamque, noſtræ uti ejuſdem fidei regulam, agnoſcimus*, addita fuiſſe actis ſynodalibus: quod ſane non ſcriptores duntaxat exteri, ut Euſebius Philalethes (4), litteris conſignarunt, ſed inſuper nos ab aliquibus Theologis, qui eidem Concilio interfuerunt, & etiamnum vitam agunt, non abſque admiratione, animique dolore audivimus. Quod certo certius ſi verum eſſet, oporteret univerſos Chriſtifideles operam navantes Theologiæ reddi de interpolato autographo certiores, ac tantam in poſterum ſeverioribus legibus compeſcere temeritatem; ne hinc anſam arriperent Novatores, qui Sanctorum quoque Conciliorum ſpernunt ſtatuta, aſſerendi non tantum per Orientem Græcorumque provincias, ſed & Romæ, atque coram Pontifice Maximo inviolabilia Sanctarum Synodorum decreta temerario auſu corrumpi, idque ipſos Pontifices vel ignorare, vel ſilentio & ſimulatione permittere.

„ Tantum ergo facinus, fama quamvis vociferante, perpetratum non credam: cumque ſupra dixerim, tunc definitionem Eccleſiæ eſſe *Regulam fidei*, quando declarat propoſitionem aliquam eſſe hæreticam, & oppoſitam verbo Dei ſcripto, vel Tradito: ultro libenterque fatebor, talem *fidei regulam* eſſe Conſtitutionem *Unigenitus* reſpectu aliquarum propoſitionum, quas reipſa hæreticas eſſe, & verbo Dei contrarias, vel ex ipſarum propoſitionum complexu, vel ex aliis Eccleſiaſticis definitionibus liquido apparet. Hujus generis mihi videntur propoſitio 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat*; & 59. *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium*. Ex Scripturis enim ſanctis, & ex Tridentini Concilii ſeſſione 6. didicimus impios *excitatos divina gratia & adjutos*

(1) Habito anno 1756. die 13. Dec. Extat Epiſtola Auguſtiſſimæ Imperatricis Reginæ ad Maximilianum Vandernoot Epiſcopum Gandavenſem datam anno 1750. die 16. Martii, ex qua conſtat ſereniſſimum Principem Carolum anno 1755. Auguſtæ Dominæ mentem ſignificaſſe occaſione turbarum quas excitaverant Theſes quædam Turnaci ad diſputandum propoſitæ. *Reflex. ſur le refus, &c. pag.* 141.

(2) Vide librum, *Memoire ſur le refus des ſacremens*, cujus auctor eſt Abbas *Guerat* unus Acceptantium, & doctor Sorbonicus.

(3) lib. 6. 2. Apolog. adv. Ruſinum.

(4) *Vingt-unieme Lettre a M. Merenas, pag.* 541.

jator ſeſe ad juſtitiam diſponere, dum utiles concutiuntur divinæ juſtitiæ timore, dum in ſpem eriguntur, dum diligere incipiunt; ideoque illorum fides, oratio, timor, ſpes, dilectio, quæ non habentur ſine gratiæ adjutorio, & *ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione*, præcedunt remiſſionem peccatorum; neque nova peccata ſunt, neque actiones a regnante cupiditate corruptæ. Comparate itaque ad prædictas propoſitiones, & ſi quæ ſunt hujus generis aliæ, in ſenſu planiſſimo & obvio, atque alias ab Eccleſia damnatas ſub anathemata, Conſtitutionem *Unigenitus* eſſe *regulam fidei* nemo Catholicorum diffitebitur. At *regulam eſſe Fidei* in ſenſu alio, quem iiſdem propoſitionibus ſubeſſe ajunt, & S. Mater Eccleſia nondum declaravit, arbitror id ab omnibus cordatis viris minime aſſertum iri.

„ Quædam præterea in Conſtitutione *Unigenitus* occurrunt propoſitiones, quæ poſſunt Catholico ſenſu explicari. Non enim Beatiſſimus Pontifex Clemens XI. damnans propoſitionem Queſnelli 13. *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit*, damnavit Auguſtinum ſcribentem de Corrept. & Grat. cap. 14. *Cui volenti, ſalvam facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium*: nec in Queſnelli propoſitione 61. *Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato additur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur*, damnatus eſt idem Auguſtinus, qui in Pſ. 77. ait: *Ex corde nullo modo fieri poteſt, quod formidine fit pœnæ, & non delectatione juſtitiæ*; & ſermone 15. de Verbis Apoſt. nunc 169. *Qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit*. Propoſitio item Queſnelli 34. *Gratia Adami non producebat niſi merita humana*, dici nequit reprobata in ſenſu Auguſtini, qui libro de Præd. SS. cap. 15. inquit, *Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt in Adam*. Tandem, neque enim per ſingulas vagabor, propoſitio Queſnelliane 44. & 46. quæ baſis & fundamentum dicuntur novæ hæreſeos, *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & amor, quo nos ipſos & mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt non refert, & propter hoc ipſum fit malus*; &, *Cupiditas, & Caritas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt*: hæ, inquam, propoſitiones duæ nequaquam proſcriptæ fuerunt juxta ſenſum prælaudati Auguſtini, cujus lib. 9. de Trinit. cap. 8. hæc ſunt verba: *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde ſuo prius dixerit. Quod verbum amore concipitur, ſive creaturæ ſive Creatoris, ideſt, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis. Ergo aut cupiditate, aut caritate; non quod non ſit amanda creatura: ſed ſi ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, ſed caritas erit. Tunc enim eſt cupiditas, cum propter ſe amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, ſed corrumpit fruentem*. Reſpectu itaque hujuſmodi propoſitionum, quas certum eſt Eccleſiam non damnaſſe in ſenſu Auguſtini, quomodo Conſtitutio *Unigenitus* appellari poteſt *Regula fidei*, niſi prius accedat Sedis Apoſtolicæ declaratio, per quam nobis dilucide evidenterque innoteſcat quo ſenſu ſint hæreticæ, quo ſenſu Catholicæ?

„ Denique nemo ignorat non eodem modo damnatas Queſnelli propoſitiones a Theologis explicari. Etenim Auguſtiniani, quorum libros Romani Cenſores adprobarunt, non rejicientes Centum Galliæ Epiſcoporum Expoſitiones, ita Conſtitutioni ſubſcribunt, ut cenſeant opera deliberata referenda eſſe in Deum, rejiciant jactatum ab impugnatoribus gratiæ per ſe efficacis æquilibrium, aliquando ſubtrahi aſſerant quibuſdam excæcatis peccatoribus, & quibuſdam infidelibus juſto Dei judicio ſufficientis gratiæ adjutorium, conſtituant efficacitatem gratiæ in ſanctæ dilectionis inſpiratione, exigant ad conſequendam remiſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ amorem inchoatum, quo Deus diligatur propter ſe, aliaque doctrinæ capita defendant, quæ exiſtimant Conſtitutioni *Unigenitus* nullatenus adverſari. Contra Moliſtæ vociferantur prædictas Auguſtinenſium doctrinas eſſe Conſtitutioni contrarias, ſuæ autem Scholæ placita ipſa Conſtitutione invictiſſime confirmari. Iidem Gallicani Epiſcopi, qui acceptarunt Conſtitutionem, inter ſe pugnant. Jampridem Archiepiſcopi duo, Viennenſis & Senonenſis, Auguſtinianos Italos accuſarunt tanquam Janſenianis per omnia conſentientes: at Archiepiſcopus Turonenſis de Reſtignac, & Epiſcopus Lutevenſis, aliique Antiſtites, & Theologi præclariſſimi ab Auguſtinenſium illorum ſententia nec latum unguam diſceſſere. Epiſcopi item illi, qui in controverſia de non impendenda abſolutione, & deneganda refractariis Euchariſtia, prudentiſſime poſtularunt Apoſtolicæ Sedis reſcriptum, Epiſtola ad SS. a Cleri Gallicani comitiis, *die* 31. *Octobr.* 1755. circa ſenſum damnatarum propoſitionum convenire non poſſunt, affirmantibus aliis cum Archiepiſcopo Cameracenſi omni proculdubio in Conſtitutione damnatam fuiſſe illorum ſententiam, qui docent actiones humanas eſſe in Deum referendas, aliis cum Epiſcopo Carcaſſonenſi aſſerentibus eamdem ſententiam ab omni cenſura eſſe immunem, ut anno 1720. centum Epiſcopi pariter declaraverant (1). Quid plura? Ipſe Beatiſſimus Papa Clemens XI. anno 1718. in Litteris Apoſtolicis, quæ incipiunt, *Paſtoralis officii*, declaravit neminem ignorare debere, *ſententias illas & doctrinas, quæ palam & libere in Catholicis Scholis, etiam poſt editam memoratam Conſtitutionem* Unigenitus, *docentur atque defenduntur, minime fuiſſe proſcriptas*. Et nihilominus ſunt inter Conſtitutionis Propugnatores, qui ſententias quaſdam & doctrinas hujus generis, quæ nimirum in Scholis Catholicis palam & libere docentur & defenduntur, ſpreta illa Clementis XI. declaratione, audent tanquam proſcriptas traducere, atque infamare. Ad has ergo ſententias dijudicandas Conſtitutionem *Unigenitus* eſſe *Regulam fidei*, crediderim neminem unum dicturum fore.

„ Habes, Vir præclare, ex hac, longiori forſitan, quam optaveras, diſquiſitione Bullam *Unigenitus*, tametſi dicatur *Regula Fidei* in ordine ad propoſitiones acceptas in ſenſu, quem conſtat ex judicio, & definitione S. Matris Eccleſiæ eſſe ſenſum hæreticum, *talem non eſſe regulam*, attenta diverſitate ſenſus quem patiuntur; ac multominus relate ad oppoſitas Epiſcoporum *Acceptantium* opiniones: nullo autem modo comparate ad ſententias ac doctrinas, quæ palam & libere propugnantur in Scholis Catholicis, & a nonnullis oppoſitum ſentientibus temere dicuntur proſcriptæ. Modo ad *Dubia* Anonymi diſcutienda ſtylum converto.

„ Primum, quod proponitur dubium, hiſce verbis concipitur: *Utrum liceat dictis Alumnis* (Collegii Urbani de Propaganda Fide) *cum verſantur inter hæreticos & infideles, articulos Fidei a Romana Eccleſia declaratos occulere, pro bono pacis, & ne hæretici ſcandalo afficiantur?*

„ Nullius omnino ponderis eſt dubium iſtud primum, atque nimium inſulſe illius ſolutio petitur ab Ampliſſimis S. R. E. Cardinalibus, & a Theologis præſtantiſſimis, qui Pręnelle methodum ſtudiorum in prælaudato Collegio ſervandam ſtatuerunt; cum eadem methodus non debeat a doctrina SS. Auguſtini & Thomæ Aquinatis abſcedere. Etenim hi duo, Eccleſiæ Catholicæ ſplendidiſſima lumina, *primum* docent fas non eſſe, præſertim in cauſa religionis & fidei, uti ſimulatione, & Auguſtini apertiſſima doctrina eſt in Epiſtola 82. ad Hieronymum, & 180. ad Oceanum, eademque eſt S. Thomæ ſententia 2. 2. q. 111. art. 1. atque ratio utriuſque eſt, *quia ſimulatio opponitur veritati*. Docent *ſecundo*, nunquam licitum eſſe negare fidem: idque Auguſtinus tradit tractatu 66. & 113. in Joannem, ac Thomas 2. 2. q. 3. art. 2. & ratio utriuſque eſt, quoniam fides a nobis officium exigit & cordis & linguæ, ſcribente Apoſtolo ad Rom. 10. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*: & dicente Domino Matth. 10. 33. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt*. *Tertio* docent, poſt Evangelii promulgationem requiri ad ſalutem fidem *explicitam* Sanctiſſimæ Trinitatis, & Dominicæ Incarnationis, eorumque dogmatum fidei, quæ ad evitandas graſſantes hæreſes ab Eccleſia inculcantur, atque notitiam eorum, quæ ſcitu neceſſaria ſunt ad Chriſtianam vitam inſtituendam: quod Auguſtinus Epiſtola 157. & ubicunque Catechumenos inſtruit, S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. explicarunt, ea innixi ratione, quod nemo poteſt ſalvus fieri, niſi qui crediderit Evangelio, baptizatus fuerit, & mandata ſervaverit.

„ Hæc cum ita ſint; Alumni Collegii Urbani, Auguſtini ac Thomæ doctrinis imbuti, quomodo poterunt prædicta difficultate percelli? Certiſſime ſcient, indecorum turpiſſimumque eſſe de Evangelio erubeſcere: articulos fidei occulere aut denegare, ubi de illis interrogentur a legitima Poteſtate; damnatum ab Innocentio XI. errorem (2) ſectari: cum manifeſtis hæreticis, quos norunt ab Eccleſia præciſos, cuſtodire communionem atque unitatem. Haud ignorabunt interdici ſibi inter Sinenſes & Malabaricos, poſteaquam Roma diſceſſerint, commorantibus Confucio exhibere latriæ cultum, mactare hoſtias, offerre libamina: inter paganos profana numina colere, & genua flectere ſimulacris: Alcoranum inter Saracenos profiteri, veneratione proſequi Pſeudoprophetam, Deum hominem aſſiduum cruci abnegare: inter Græcos ſchiſmaticos primatum

(1) Vide opuſculum inſcriptum, *Lettre d'un Theologien aux Evêques, qui ont ecrit au Roi pour ſe plaindre de l'Arrêt du Parlement &c.*

(2) Damnata propoſitio 18. *Si a Poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei glorioſum, conſulo; ut peccaminoſum per ſe non damno.*

Digitized by Google

„ matum Romanæ Eccleſiæ, & Florentini Concilii definitiones parvipendere: ubicunque vigent hæreſes, neſcire dogmata revereri. Haud ignorabunt, ſcientiam in diſpenſatore myſteriorum Dei, & Evangelii præcone, exigi pleniorem (1), *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*; et in Chriſto parvulis *lac potum* dandum eſſe, *non eſcam*, neque plebis fidem labefieri, neque periclitari ſalutem, etiamſi neſciat quid in Belgio, aut in Gallia, Bajus, Janſenius, & Queſnellus dogmatizaverint. Ne agatur, quæſo, inſulſiſſimus *Dubiorum* objectator tanta animi anxietate. Alumni, qui in Urbe Roma inſtruuntur, hæc aliaque ſcitu neceſſaria a ſapientiſſimis Inſtitutoribus edocebuntur.

„ Sed rogo te, Vir ſpectatiſſime, cur mentem Anonymi ſuorit propoſita dubitatio? Attende arrogantiam, impudentiam, temeritatem. Quoniam, inquit, *in littera Encyclica præterito anno a Benedicto XIV. ad Clerum Gallicanum directa*, Ex omnibus Chriſtiani orbis, &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, die 16. Octobris 1656. *Bulla* Unigenitus *ab Eccleſia Univerſali tanquam Fidei regula accepta, & a Sede Apoſtolica ita pariter declarata prædicatur ſolum tanquam lex Eccleſiæ conducibilis, mutationibus obnoxia, quæ tamen obſequium & reverentiam mereatur: & quod pejus & angue abſtinetur a confitenda Fidei regula, quam Clemens XI. non ſine Janſeniſtarum indignatione in Bulla* Unigenitus *contineri inquit, & univerſam Eccleſiam docendo prædicavit in Bulla incipiente* Paſtoralis *edita anno* 1718. Atque id contrarium eſſe dicitur præmiſſæ doctrinæ S. Thomæ, dictoque Innocentii I. *Veritas cum non defenſatur, opprimitur*; quum ſint, qui negent ſilentium in *Dubio* expreſſum licitum eſſe ob divinum præceptum adigens Fidei præcones ad fidem confitendam, ſive a Poteſtate publica, ſive a privata perſona interrogentur, *ſi in utroque caſu ſubtraheretur honor debitus Deo, & utilitas proximis impendenda*. Hæc Anonymus.

„ At nihil in Summum Pontificem Benedictum, cujus ſingularem ſapientiam, eruditionem incomparabilem, cuſtodiam ſacrorum canonum accuratiſſimam, Eccleſiaſticæ diſciplinæ irreprehenſibilem æquitatem, innumera demonſtrent litterarum librorumque ipſius, & rerum ab eo geſtarum monumenta, cujus inſuper tranquillitatis & pacis flagrantiſſimam ſollicitudinem ſtudiumque maximum hæc quoque Epiſtola Encyclica ſummopere commendet, comprobatque locupletiſſime: nihil, inquam, proferri poterat iniquum magis, magiſque contumelioſum.

„ Primo ſplendidiſſimum impudentiſſimumque mendacium eſt, prædicari in eadem Encyclica Conſtitutionem *Unigenitus* ſolummodo *tanquam legem Eccleſiæ conducibilem, & mutationibus obnoxiam, quæ tamen mereatur obſequium & reverentiam*. De ipſa enim Conſtitutione ad hunc modum loquitur Pontifex Beatiſſimus: *Tanta eſt profecto in Eccleſia Dei auctoritas Apoſtolicæ Conſtitutionis, quæ incipit* Unigenitus, *eademque ſibi tam ſinceram venerationem & obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium poſſit abſque ſalutis æternæ diſcrimine a debita erga ipſam ſubjectione ſeſe ſubducere, aut eidem ulla modo refragari*. Videtur ne tibi, prædicari duntaxat tanquam legem *conducibilem*, & mutationi obnoxiam, illam, cui nullo modo fas eſt refragari, illam, quæ ubique venerationem & obedientiam ſibi vindicat, illam, quam nemo tranſgredi poteſt abſque ſalutis æternæ diſcrimine?

„ Deinde qua fronte affirmare potuit ſceleſtiſſimus homo, Sanctiſſimum doctiſſimumque Pontificem abſtinuiſſe ut patrocinaretur hæreticis a declaranda Conſtitutione *Regula Fidei*, &, quod omnem ſuperat procacitatem, abſtinuiſſe *cane pejus & angue*, dum alloquens Benedictus Epiſcopos Gallicanos laudet illorum *firmitatem atque conſtantiam*, celebrat *perfectam conſenſionem in cuſtodiendo vera ſanaque doctrina depoſito*, teſtatur nullam inter ipſos diſſenſionem vigere *quoad canonicas regulas & principia*? Quæ eleganter ornateque ſcribit, quamquam ſapientiſſimum vigilantiſſimumque Pontificem minime lateat, complures reperiri inter laudatos Gallicanos Antiſtites, qui Conſtitutionem Unigenitus eſſe *Regulam Fidei* aliquando aſſeveranter tradiderunt, atque propugnarunt.

„ Præterea, ut diximus ſupra, ipſam Conſtitutionem eſſe *Regulam fidei* non adeo certum eſt, ut Scriptor ille ſupponit; & licet Regula ſit fidei in quantum proſcribit aliquas propoſitiones hæreticas, non hinc ſequitur in fide naufragari & hæreticos illos eſſe, qui eaſdem propoſitiones ſenſu Catholico exponunt, neque aliter Conſtitutioni refragantur, niſi in quantum ingens Moliniſtarum numerus vociferari non ceſſat, per eamdem Conſtitutionem aliarum Scholarum doctrinas & ſententias fuiſſe proſcriptas. Atque id non eſſe manifeſtam hæreſis notam demonſtrare videntur exempla ſuperius producta illorum, qui in bonum ſenſum traxerunt ſententias quaſdam Origenis ab univerſo orbe damnatas, & qui ſubſcribere diu detrectarunt anathematiſmis S. Cyrilli, atque condemnationi Trium Capitulorum: ne commemorem Polycratem Epheſinum cæteroſque Epiſcopos Aſiæ, aut viros Sanctitate & Sapientia clariſſimos, Firmilianum Cappadocem, Cyprianum Carthaginienſem, in ſua cum decretis Romanorum Pontificum diſſenſione, nunquam a centro unitatis vel a regulis fidei disjunctos, nunquam violata caritate ſegregatos a Catholicæ Eccleſiæ communione.

„ Inſuper Gallicani Epiſcopi non exquiſierunt Benedicti XIV. judicium circa eam quæſtionem, *An Conſtitutio* Unigenitus *ſit regula Fidei*; ſed circa alteram, *Utrum refractariis Sanctiſſimum Corporis Chriſti Viaticum expetentibus denegari debeat*? Quid ergo anonymus garrit, quid inſanit? Prudentiſſimus Pontifex quæſtionem, quam ab illo ſolvendam Epiſcopi petebant, & ſciſcitabantur, certiſſima firmiſſimeque reſponſione curavit explanare ac dirimere, alteram prætermiſit, de qua nemo requirebat Apoſtolicæ Sedis judicium, & quam forte ſagaciſſimus Eccleſiæ Paſtor non admodum opportunam exiſtimabat ad componenda, abſque ulla explicatione proſcriptarum propoſitionum, exorta circa iſtarum ſenſum diſſidia, propterea quod non omnes, qui obtemperant Conſtitutioni, hanc eſſe *regulam fidei* fateantur, neque idcirco putent fidem ſuam peſſumdari aut violari.

„ Porro quæſtionem illam, de qua fuerat interrogatus, non poterat uberius Pontifex Sapientiſſimus definire, quam reſpondendo Sanctiſſimum Corporis Chriſti Viaticum denegandum eſſe expetentibus, *Quoties Conſtitutioni publice & notorie refractarii ſunt*, ſimulque explicando, quinam ſint *publici atque notorii refractarii, in caſu de quo agitur*. Vide, dum vacat, canonem *Pro dilectione*, de Conſecrat. diſt. 2. cap. *Si Sacerdos*, De officio Jud. ordinarii, Inſtitutiones Juris Canonici editas Decretalibus lib. 2. tit. 6. §. 5. S. Thomam q. 80. Supplem. art. 6. Suareſium de Cenſuris diſput. 7. ubi pertractat de Canone 47. Concilii IV. Lateranenſis, cæteroſque, quos tibi adire placuerit, Theologos, pleniſſimo aſſenſu quod in Encyclica ſua docet Benedictus XIV tradentes, eademque ratione explicantes. Et quoniam agitur de ſubortis in Gallia diſſidiis, tuque ſcientiis reliquis adjungere ſtuduiſti Juris utriuſque peritiam, atque S. P. Auguſtini doctrinæ ipſius eſſe addictiſſimus; perlege, ſi lubet, Rituale Eccleſiæ Pariſienſis Tit. *de Euchariſtiæ Sacramento*, ac præſertim, *De Communione Infirmorum*, atque Novellam Imperatoris Juſtiniani Conſtitutionem 123. cap. 11. quod incipit, *Omnibus autem epiſcopis* & presbyteris, nec pervolutare dedigneris tertium Auguſtini librum contra Epiſtolam Parmeniani; ex quo tertio libro deprompti fuere Canones *Cum quiſque*, &, *Non poteſt*, 23. quæſt. 4. num. 19. & 32. Faciliime ex his percipies quam libere, quam provide, quam ſancta Pontifex Optimus Maximus ediderit Encyclicam, de qua pertractatur.

„ Cæterum non moror, quæ de S. Thomæ doctrina, & de Innocentii Primi dicto addidit imprudens Anonymus; cum ex dictis evidentiſſimum ſit, doctrinam Doctoris Angelici de confitenda fide, & Innocentii dictum de veritate defendenda proferri ab Anonymo ad inſultandum, & obloquendum Summo Pontifici Benedicto; neque neceſſum eſt te commonefacere, canonem, *Error*, diſt. 83. quo in canone continentur ea verba, *Veritas cum non defenſatur, opprimitur*, Innocentio attributam a Gratiano, carptim deſumptum eſſe ex Epiſtola s. Cæleſtini ad Epiſcopos Galliæ: quamobrem his omiſſis, ad alterum dubium diſpungendum accedo.

„ Secundum illud dubium eſt hujuſmodi: *Utrum fidei præconibus ad evitandam ſive hæreticorum, ſive infidelium perturbationem liceat uti œconomia reticendo & occultando formulas ab Eccleſia in explicatione myſteriorum Fidei uſurpatas*?

„ Neſcio prorſus, cur angatur Anonymus iſtiuſmodi dubitatione, cum apertiſſimum ſit, omniumque Theologorum conſenſu firmatum, id fidei præconibus non licere. Quoniam, ait, Ampliſſimi S. R. E. Cardinales præterito anno 1756. hanc œconomiam approbarant in littera Encyclica, *in qua bene mereri potius de Janſeniſtis ſtuduerunt, quam fidem explicatam in Bulla* Unigenitus *prædicare*. Addit Eccleſiam Dei ſemper ab hujuſmodi œconomia abhorruiſſe, ut factum ſcimus in cauſa Honorii I. in cauſa Liberii, Henotici Zenonis, Typi Conſtantis: hanc vero œconomiam non ſatis fuiſſe perpenſam in littera Encyclica, *quæ cum fuerit directa ad convincendos Janſeniſtarum errores, præſeferre debuit explicatam Fidei confeſſionem*.

Refu-

(1) Epiſt. ad Titum 2. 9. & 3. ad Corinth. 3. 2.

„ Refutantur verbo uno hæc dicteria, ſi dixeris Bullam *Unigenitus* non eſſe *Regulam Fidei*, aut ſaltem non eſſe *Fidei confeſſionem explicatam*; quum nondum Apoſtolica ſedes damnatarum propoſitionum tradiderit explicationem, tametſi a pluribus expetitam, ratu hoc unum ſufficere, ſi unumquemque admoneret, non comprehendi inter damnatos errores ſententias illas, quæ palam & libere, etiam poſt editam *Conſtitutionem*, in ſcholis Catholicis defenduntur. Immo ta non latere arbitror, addictos Moliniſtarum partibus ſemper Explicationem illam odiſſe, ut licentius jactarent ſuas *Conſtitutione* definiri doctrines, & reprobari alienas. Iſtud ergo cum aliis dubiis evaneſcit, ſi reponas, aut Conſtitutionem non eſſe *Formulam Fidei*, aut ſaltem non eſſe *Formulam Fidei explicatam*.

„ Verum percontator calumnias calumniis accumulat. Etenim Purpurati Patres, quorum exquiſiviſſe conſilia, & ſententias ſcripto exaratas ponderaſſe reſtatur Pontifex Beatiſſimus, non id muneris ſibi commiſſum noverunt, ut proponerent doctiſſimis Galliarum Præſulibus explicatam fidei confeſſionem, vel refellerent errores Janſeniſtarum, quum fides jam explicata ſit, neque Epiſcoporum illorum, quibus Encyclica directa eſt, de fide aliquis hæſitet; erroreſque Janſeniani ſint ab Eccleſia damnati, & quidem propriis affixis cuilibet quinque propoſitionum cenſuris: ſed explicarunt hoc unum, quod quærebatur, quando nempe refractariis denegandum ſit ſacratiſſimum Corporis Chriſti viaticum, unanimiter aſſerentes tunc denegandum eſſe, quando ſunt *refractari notorii*, atque reles cenſendos eſſe, ſi id conſlet per ſententiam a Judice competente prolatam, aut per contumaciæ ſuæ confeſſionem, aut per anteactæ vitæ ipſo facto perſeverantem adverſus Conſtitutionem irreverentiam, ita, ut nondum ceſſaverit publicum ſcandalum inde exortum. Sola Encyclicæ lectione id eluceſcit.

„ Ad hæc, quoniam Anonymus commemoravit Janſeniſtarum errores; annon Innocentius XII. decreto emanato die 6. Januarii anno 1694. præcepit, *Ne quis traducatur invidioſo nomine Janſeniſmi, niſi prius legitime conſtiterit aliquam ex quinque propoſitionibus docuiſſe & tenuiſſe*? Si iniquum eſt traducere aliquem Janſeniſmi nomine, niſi legitime conſtet tenere illum & docere propoſitionem aliquam Janſenii: quanto magis iniquum fores privare ſanctiſſimo corporis Chriſti Viatico fideles illos, qui Janſenianæ hæreſis ſola ſuſpicione laborent, illorum autem hæreſis neque ſententia Judicis competentis, neque præſenti contumacia, neque anteactæ vitæ moraliter perſeverante argumento pateſcat?

„ Rurſus producta ab adverſario ex Eccleſiaſticis hiſtoriis exempla regulas in Encyclica præſcriptas mirum in modum confirmant. Sexta enim Synodus (de cujus ſententia dicam poſtea) dixit actione 13. anathema Honorio, perlecta hujus epiſtola ad Sergium, in qua Patribus illius Synodi videbatur doceri Monothelitarum nefarium dogma. Liberius item Romanus Pontifex non audiit tanquam Arianus, niſi poſteaquam Formulæ Arianorum ſubſcripſit, ipſorum recepta communione. Henoticum Zenonis, ideſt, decretum illud *Conciliatorium*, ſive *Unitivum*, quod reprobavit Felix III. promulgatum fuerat anno 482. eo fine, ut Catholici communicarent Eutychianis: atque Typum Conſtantis cum Ecthesi Heraclii proſcripſit S. Martinus I. una cum Theodoro, Cyro, Pyrrho, Sergio, ceteriſque Monothelitis, ubi evidentiſſime compertum fuit inſtaurari adminiculis illis damnatam hæreſim Eutychetis, & fidem ſacroſancti Concilii Chalcedonenſis labefactari. Vides quam caute, quam prudenter in proferendo judicio ſit procedendum. Ex epiſtolis perlectis & revocatis ad examen, ex publica Formulæ ſubſcriptione, ex promulgatione decretorum, ſcriptorumque editorum ad inſtaurationem damnatæ hæreſis, atque ad ſubverſionem fidelium, memorata ab Anonymo judicia fuere prolata. Recte itaque ſapienterque Sanctiſſimus Pontifex Benedictus, & S. R. E. Cardinales ampliſſimi declararunt, ad expellendum aliquem extra Eccleſiam & communione privandum non ſufficere vel vulgi rumorem, vel adverſariorum delationes, vel levem aliquam ſuſpicionem, ſed ampliora, & ſaltem moraliter certa indicia neceſſario requiri.

„ Aliquid in allatis exemplis ulterius eſt advertendum. Quod enim pertinet ad Honorium perplexa quæſtio eſt de illius damnatione facta a PP. ſextæ Synodi: atque imprudenter hanc Anonymus profert, pugnatque contra ſeipſum, aut certe ludum ludit, quum inde conentur aliqui evincere Judicium Eccleſiæ in factis dogmaticis non eſſe prorſus irreformabile, eo quod Synodus Oecumenica erraverit damnando Honorium, *ejus epiſtolis non intellectis* (13). Sed miſſa ex quæſtione; ipſo Honorii facto ſalabertimæ Pontificis Benedicti regulæ in Encyclica ad Epiſcopos Galliarum præſcriptæ mirum in modum corroborantur. Quod enim ſcripſit ad Sergium Honorius, *Unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti*, etiam aſſerebant Monotheletæ; ſed hi ſenſu Eutychiano *unam* aſſtruentes *in Verbo incarnato naturam*: Honorius ſenſu Catholico docens utriuſque voluntatis Chriſti, *divinæ* ſcilicet *& humanæ concordiam*. Iſtam ego puto apertiſſimam cauſam, cur Synodus ſexta dixerit *anathema* Honorio, & tamen Honorius Fidem Catholicam cuſtodierit. Eadem igitur propoſitio, ut iſta, *Una eſt in Verbo incarnato voluntas*, in ſenſu unius eſt hæretica, in ſenſu alterius eſt Catholica, quod ſupra aliis quoque exemplis demonſtravimus. Quare dum agitur de crimine hæreſis, aut de pœna propter hæreſim infligenda, cum hæreſis pendeat quoque ab interiori animi ſenſu, major requiritur notitia reatus, quam in flagitiis exteriori actu patratis. Idcirco Pontifex ſapientiſſimus ita in Encyclica loquitur: *Præ oculis habenda eſt differentia, quæ intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in ipſa ſola externa actione conſiſtit, ut eſt notorietas uſurarii, aut concubinarii; & aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi diſpoſitione plurimum pendet: de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus ſane probationibus evinci debet; ſed alterum gravioribus certioribuſque argumentis probari oportebit.*

„ De lapſu Liberii idem potiori jure aſſerendum eſt. Etenim ipſe Liberius a plurimis Theologis ab hæreſis nota purgatur, quamvis fractus ærumnis exilii ſubſcripſerit damnationi S. Athanaſii, ſibique exhibitæ formulæ Sirmienſi, quæ ſaltem interpretative, & quatenus ſupprimebat vocabulum *ὁμοούσιον*, erat hæretica, & ab Hilario appellatur *Perfidia*, & quamvis communicaverit Euſebianis. Si judicium illorum, qui Liberium Arianis accenſent, falſum eſt ac præpoſterum; quanta, rogo te, veritatis inquiſitio, quanta teſtium veracitas, quanta rerum geſtarum ponderatio neceſſaria eſt, ut aliquis hæreticus nominatim vocitetur, ut notorie ſit talis, ut in vitæ exitu a Communione arceatur, maxime in hac temporum calamitate, qua tanquam hæreticorum dogmatum aſſertores infamantur Sanctorum Auguſtini & Thomæ diſcipuli?

„ Evidentiſſime pariter *Encyclica* Benedicti conſona eſt Eccleſiæ definitionibus contra Henoticum Zenonis, & Typum Conſtantis. Nam Henoticum Acacio Auctore promulgatum a Zenone, callide tam unam, quam duas Chriſti naturas dici vetans, in cauſa fuerat ut Catholici in communionem reciperent Eutychianos, ut in urbe Alexandrina Petrus Moggus illorum hæreticorum perditiſſimus bis Epiſcopalem Sedem invaderet, dejectis legitimis Paſtoribus Timotheo Solophaciolo & Joanne Talaida, ut rejiceretur ſacroſancta Synodus Chalcedonenſis; ut Petrus Gnapheus addita Triſagio ea clauſula, *Qui paſſus es pro nobis*, initium daret hæreſi Theopaſchitarum, ut Acephalorum ſecta, ſurculus Eutychianæ, magis Eccleſiam ſcinderet ac perturbaret, ut a Romana Sede diu Conſtantinopolitana maneret divulſa: quæ itidem mala longe lateque peſtifera contagione propagaſſe Ecthesim Heraclii Typumque Conſtantis, liquet ex ipſa Eccleſiaſtica hiſtoria, quam, ut conviciaretur Pontifici Glorioſiſſimo, ejuſque Conſiliariis, verſutus Anonymus deflorevit. Hæc omnia, quæ apertiſſima ſunt, illam comprobant œconomiam; illam ipſam, quam Benedictus XIV. præſcripſit Epiſcopis Gallicanis, ut adhibeatur ſeveritas diſciplinæ, & notorie refractarii priventur Sanctiſſimo Corporis Chriſti Viatico. Sed duo quæ remanent dubia, quoniam ex dictis facillime diluuntur, breviter ea ſufflemus.

„ Tertium dubium eſt: *Utrum liceat Miſſionariis de Propaganda fide Sacramenta miniſtrare iis, contra quos gravia & urgentia militant indicia de hæreſi?* Quartum ac poſtremum: *Utrum Sacramenta miniſtrari debeant a Miſſionariis, peccatoribus, qui licet non ſint notorii peccatores, contra eos tamen gravia militant indicia peccati?*

„ Miror, cur Anonymus dubia iſta proponat, quum tam dilucide ipſa Benedicti Encyclica ſint reſoluta. Sed prodit non obſcure ingenium ſuum turbulentus criminator, dum ad primum horum duorum dubiorum ait, S. R. E. Cardinales conceſſiſſe, ut Sacramenta a Miſſionariis adminiſtrentur iis, *contra quos gravia & urgentia militant indicia de hæreſi*. His enim verbis ſupponit, quod ſæpenumero repetit, *notorie hæreticos* eſſe, qui Conſtitutionem non receperunt *tanquam Regulam Fidei*, in horum numero Chriſtianiſſimum quoque Regem & florentiſſimi Galliarum regni Antiſtites Proceresque quamplurimos inexpiabili audacia comprehendens, atque certiſſimum eſſe putat omnes propoſitiones Conſtitutione damnatas non poſſe in ſenſu Catholico ſuſtineri, quique illi reluctantur, quidquid interiori animo ſentiant, conculcare & abjicere *Explicatam Fidei Confeſſionem*: quod non omnes Catholici rem facile fatebuntur.

„ Deinde Anonymus inſigniter ſplendideque mentitur, ſcriptitans Cardinales eruditiſſimos indulſiſſe, ut, ad conſulendum famæ hæreticorum, Sacramenta iis miniſtrentur, de quorum hæreſi habeantur *indicia gravia & urgentia*, quando abſque ulla hæſitatione ore ſummi Pontificis docent *publice & notorie refractariis* denegandum eſſe ſanctiſſimum Corporis Chriſti Viaticum; & gravia inſuper, & urgentia illa indicia deſignans, quibus commaculati labe hæreſeos dignoſcantur, ſententiam ſcilicet Judicis competentis, inobedientiam & contumaciam, perſeverans anteactæ vitæ teſtimonium, aut conſimilem aliam moralem certitudinem prædictis æquipollentem. Hæc in Encyclica traduntur & explicantur paragrapho, *Publici autem atque notorii*, &c. Qua ergo fronte, qua temeritate ponit omnium mortalium audaciſſimos, tertio propoſito dubio, in hæc

„ verba

(13) Vide Ven. Bellarminum lib. 4. *de Rom. Pontif.* cap. 21. num. 33. ubi laudat etiam Joannem *a* Turrecremata lib. 2. *de Eccleſia* cap. 23.

„ verba prorumpere, *Hæc conceſſerunt ampliſſimi Cardinales in. Litera Encyclica ad conſulendum famæ hæreticorum?*

„ Vellem hoc loco ſeipſum, ſuamque conſcientiam (ſi conſcientiam habet tamen) conviciator interrogarret, An tot dicteriis calumniiſque proſcindere Encyclicam Pontificis Maximi, *Generali regulæ innixam*, proponentem Epiſcopis *judicandi agendique normam Apoſtolicæ Sedis judicio probatam*, editamque *perlectis & ponderatis ſententiis ſcripto exaratis S. E. Rom. Cardinalium*, imploratoque flagrantiſſimis votis *divini luminis adjutorio*; proſcindere, inquam, hujuſmodi Encyclicam ſit conciliare Conſtitutioni *Unigenitus* obedientiam, ſit pertrahere refractarios ad unitatem, ſit præſeferre ſtudium pacis & tranquillitatis Eccleſiarum; an ſit potius eludendi Apoſtolicæ Sedis reſcripta, Romanorumque Pontificum irridendi decreta, & auctoritatem ſpernendi, exemplum exitioſiſſimum, & flagitioſiſſimum. Quæ utique quæſtio videtur mihi majori ponderatione, quam ſint dubia iſta, a Theologis expendenda.

„ Fruſtra autem Anonymus eamdem Encyclicam contrariam eſſe autumat praxi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ſemper conſuevit denegare ſacramenta ſuſpectis valde de hæreſi, & per talem denegationem hæreticos ipſos detegere, laudans Canonicas leges in cap. *In fidei favorem*, de Hæreticis in 6. & Sanctiſſimos Pontifices Leonem Magnum & Gelaſium, *qui occultos Manichæos de hæreſi infami vage ſuſpectos detegendos voluerunt per legem adigentem ad communicandum ſub ſpecie quoque vini*. Fruſtra, ajebam, id Anonymus autumat; quum Eccleſiæ praxim Encyclica ſervandam præſcribat, neque ullatenus conſulat illorum famæ, qui ſint refractarii publici atque notorii.

„ Ceterum inepte citat Anonymus cap. *In fidei favorem*, de Hæreticis in *6*. Ibi enim de hac quæſtione non agitur, ſed tantum de illa, An in negotio Inquiſitionis hæreticæ pravitatis admitti poſſint in teſtimonium excommunicati, & participes vel ſocii criminis, præſertim in defectum aliarum probationum, contra hæreticos, fautores, & receptores, ac defenſores eorum: quod ut fiat *in favorem fidei*, minime in Encyclica prohibetur.

„ Neque diſſenſionibus in Gallia exortis circa deneganda, vel miniſtranda Sacramenta refractariis Conſtitutioni *Unigenitus*, quadrat quod Eccleſiaſtica Hiſtoria refert de Manichæis. I. Quia dogmata Manichæorum de duobus coæternis boni & mali Principiis, de repudiando veteri Teſtamento tanquam edito a principe tenebrarum, de umbratili Chriſti carne, & ſpecie tenus peracta crucifixione, de mala animæ ſubſtantia in peccata ineluctabili neceſſitate labentis, aliaque id genus abſurdiſſima & horrendiſſima, omnium conſenſione fidelium adeo contraria ſunt Scripturis Sanctis, Apoſtolicæ traditioni, fideique univerſalis Eccleſiæ, ut nullatenus poſſint ſalva fide ac religione defendi, neque probabili aliquo ſenſu emolliri: ideoque illi, qui propoſitionibus Queſnellianis catholicum ſenſum accommodant, non ſunt hæreticis Manichæis comparandi.

„ Secundo: neque Leo Magnus, neque Gelaſius juſſerunt, ut Manichæorum hæreſi occulte per Urbem ſerpente, accedentes ad ſacram Synaxim deferrent chartulam a Confeſſario ſubſcriptam de præmiſſa ſacramentali Confeſſione, & deteſtatione hæreſis; quam tamen chartulam (neſcio qua lege, ſeu approbata a Patribus noſtris conſuetudine), quidam Galliarum Epiſcopi & Parochi exigebant, antequam ægrotis Janſeniſmi ſuſpicione laborantibus ſacratiſſimum Viaticum adminiſtrarent, diſſentientibus aliis, ad quos in concordiam revocandos directa eſt Beatiſſimi Patris Encyclica.

„ Tertio: In decreto S. Gelaſii contra Manichæos (1) de iis, qui *a calice ſacri Cruoris* in Communione abſtinebant, legitur hæc definitio: *Diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine grandi Sacrilegio non poteſt provenire*: quæ in ſenſu Manichæorum ſuperſtitioſe abſtinentium a vino eſt definitio Catholicę fidei, & in ſenſu ejuſdem Eccleſiæ præſcribentis laicis communionem ſub una ſpecie panis nullam Eccleſiaſticæ definitionis vim habet. Id pariter aſſerendum eſſe videtur de Conſtitutione aliqua proſcribente propoſitiones, quibus ſubeſſe poſſit tam ſenſus Catholicus, quam hæreticus.

„ Plura non dicam de poſtremo dubio, quod ipſamet Encyclica plane ſolvitur. Iniquiſſimum quoque, ut vidimus, teterrimumque mendacium eſt, doceri in eadem Encyclica Sacramenta illis eſſe miniſtranda, *contra quos graves ſunt hæreſis ſuſpiciones*. Id nequaquam in Encyclica traditur. Inique autem in S. R. E. Cardinales invehitur Anonymus, dum ait abuti illos doctrina S. Thomæ, & redargui unanimi ſenſu Theologorum, docentium Sacramenta deneganda eſſe peccatoribus, adverſum quos indicia militent gravia & urgentia. At nihil in Encyclica occurrit, quod huic Theologorum communi ſenſui repugnet. Quid vero, ſi cum doctiſſimo Doctore Sorbonico propugnatore Conſtitutionis reponeretur, ſententia Jeſuitarum, Vaſqueſii, Layman, Sanchez, De Rhodes, Eſcobarii, Tamburini, maxime vero Apologiſtarum P. Pichon (2), eos, qui Conſtitutioni reſtagantur, reos non eſſe lethalis culpæ, neque communione privandos, eo quod proxima humanarum actionum regula ſit conſcientia operantis, quam ſequentes, etiamſi in errore verſentur, immunes ſunt a peccato? *Comment*, inquit Theologus ille percelebris, *ces Théologiens peuvent-ils donc condamner ceux à qui leur conſcience ne permet pas de recevoir la Conſtitution?* Mea tamen cum nihil interſit, num hæc de Sanctiſſimæ Societatis Theologis merito dicantur, vel injuria; affirmabo in Sacramentorum adminiſtratione, non placita Probabiliſtarum, ſed Catholicæ Eccleſiæ regulas præſcriptas in Encyclica Benedicti XIV. ſedulo, diligenterque ſervari oportere.

„ Me demum ignorare fateor, cur Anonymus petat dubiorum ſuorum ſolutionem ab ampliſſimis S.R.E. Cardinalibus, atque a Theologis ſpectatiſſimis, antequam Alumnis Collegii Urbani methodum ſtudiorum proponant; quaſi iiſdem Alumnis tradenda ſit Theologia docens occulere myſteria fidei, conſulere famæ & exiſtimationi hæreticorum, eiſque, & aliis improbis, contra illud Domini præceptum (3), *Nolite Sanctum dare canibus*, ſacratiſſimam porrigere Euchariſtiam. Spondeo, ac ſancte juro, nunquam alumnos perniicioſiſſimis hiſce præceptionibus fore imbuendos. Neque illud percipio, quem in finem producat idem Anonymus verba S. Hieronymi in Epiſtola ad Rufinum, *Sit inter nos una fides, & illico pax ſequetur: omittamus hæreticorum patrocinium, & nulla erit inter nos contentio*; & quem in finem aſſerat novam methodum Alumnis præſcribendam iis diſplicere, qui cum Vincentio Lirinenſi ad novitatem rei putant reclamandum, *creduntque ſemper retinendam antiquitatem, & explodendam novitatem*. Catholici omnes propoſitam firmiſſimamque ſpem habent, nunquam futurum fore, ut prædicti Alumni doceantur, fidem non eſſe unam, aut ſuſcipiendum eſſe patrocinium hæreticorum. *Novitatem* quoque explodent, & retinebunt *antiquitatem*, juxta Vincentii Commonitorium; ſi Scholæ SS. Auguſtini & Thomæ antiquioribus inſtitutis, non junioribus Mediſtarum erunt addicti: tunc enim, quemadmodum monet Vincentius Lirinenſis, *retenta erit antiquitas, exploſa novitas*; nec dabitur opera (4), *ut vetuſtas ceſſet obruere novitatem, ſed potius novitas deſinat inceſſere vetuſtatem*.

„ Admoneret aliquis hoc in loco *Dubiorum* artificem, Vincentium, Virum alioqui ſanctiſſimum ac doctiſſimum, venire apud Scriptores non infimæ notæ in ſuſpicionem Semipelagianiſmi, quoniam exhortando ut exploſa novitate detineatur antiquitas, atque ad id torquendo epiſtolam S. Cæleſtini I. contra detractores S. Auguſtini, viſus eſt hujus de Gratiæ & de Prædeſtinatione ſententiæ *novitatis* notam cum Semipelagianis inurere. Cavendum propterea illi eſt, ne eamdem, & graviorem de ſe ipſo ingerat ſuſpicionem, dum amarulento impudentique ſtilo obloquitur Apoſtolicæ Cathedræ moderatori, qui doctrinæ Noriſii, aliorumque Auguſtinenſium dignam omnium Catholicorum amantiſſimo Patre geſſit ſollicitudinem, & in Apoſtolicis litteris ad Toloſanos cohibuit obloquentium Thomiſticæ Scholæ audaciam: cumque *diis detrahere*, & de Supremo Catholicæ Eccleſiæ Paſtore tam impudenter mendaciterque ſentire & loqui flagitium maximum nefandumque crimen ſit reputandum; vereatur, ne de ſe militent indicia hæreſis graviora, quam ſint in Refractariis Conſtitutioni *Unigenitus*.

„ Colligitur ex dictis, Anonymum calumniis atrociſſimis oneraſſe Sanctiſſimum Pontificem Benedictum XIV. una cum S.R.E. Cardinalibus Eminentiſſimis, ſcriptitando illos tradidiſſe, quod licitum ſit occulere fidem, conſulere hæreticorum famę, ipſorum ſuſcipere patrocinium, eiſque cum fidelium ſcandalo, dum urgentia militant de illorum hæreſi indicia, adminiſtrare ſacratiſſimum Corporis Chriſti Viaticum. Infertur pariter eumdem Anonymum ſumma ignorantia, una cum temeritate maxima, laborare, dum ad corroboranda conficta a ſe dubia urget contra Sanctiſſimi Patris Encyclicam teſtimonia quædam Scripturarum Sanctarum, documenta ſanctorum Patrum, doctrinam Doctoris Angelici, atque exempla Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ; etſi hæc omnia Encyclicæ, quam impetit, conſona omnino ſint, neque illi ratione aliqua ſint oppoſita. Cumque in id cuncta Anonymi artificia, cunctique conatus collineant, ut ſtudiorum methodum, ad mentem potiſſimum SS. Auguſtini ac Thomæ, præſcribendam Alumnis Collegii Urbani de Propaganda fide, traducere ſtudeat tanquam novam, ſciſſurarum altricem, fovendiſque Janſenianis erroribus accommodatam; nemo non videt, eumdem Anonymum callide fraudulenterque inſidias ſtruere, ut inconcuſſa prædictorum ſanctorum dogmata, tanquam damnatis propoſitionibus affinia, eliminentur, neque ad formandos Alumnos cenſeantur idonea; ſed iis præferantur Probabiliſtarum commenta, ubique quanto plauſu, tanto veritatis detrimento vulgata. Quæ num ſint conſectaria Scripti illius, quod hactenus exagitavi, penes te, Vir Optime atque Ornatiſſime, ceteroſque omnes veritatis, nominiſque Beatiſſimi Pontificis Benedicti XIV. cultores, judicium eſto.

„ Abſolvi expetitam a te *Dubiorum* Refutationem: utinam votis tuis ſatisfecerim! Id quidem præſtare curavi, quantum parvitas ingenii mei, temporiſque a te præſcripti patiebatur anguſtia. Addam modo, quaſi Refutationis hujus appendicem, ex pluribus momentis aliqua, propter quæ permulti vehementi deſiderio flagrant, ut ſedente ad clavum Eccleſiæ Benedicto XIV. tantę ſapientiæ ac prudentiæ Pontifice, exhibeatur Conſtitutioni *Unigenitus* exactior obedientia, univerſæ Eccleſiæ affulgeat ſplendidior lux tranquillitatis ac fidei, & cohibeatur tandem aliquando licentia illorum Scholaſticorum, qui cum infirmiorum ſcandalo, ſpretis Pontificum Romanorum mandatis, & violata caritate, ſeſe mutuo dicteriis atque injuriis proſcindunt.

„ Tantum bonum Eccleſiam conſecuturam fore confidunt, ſi declaretur, quomodo ſaluberrima illa, & omni veneratio-

ne &

(1) Can. *Comperimus autem*, de Conſecrat. diſt. 2. num. 12.

(2) *Memoire Sur le Refus des Sacrements*, du M. l'Abbé Gueret num. 13. Cit. Vaſq. in 1. 2. diſput. 223. Layman lib. 1. Tract. 2. cap. 4. Eſcobar Th. moral. p. 39. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 3. §. 3. alioſque &c.

(3) Matth. 7. 6.

(4) pag. 369. edit. Baluzii poſt *Salvianum*.

„ ne & obedientia digniſſima Conſtitutio proſcribat centum & unam propoſitiones; non utique de ſingulis diſſerendo, quod neceſſarium non arbitrantur, neque promerentur ior, ac tantæ diſputantium cavillationes; ſed perpaucis additis præceptionibus; ſit in exemplo, quo ſenſu damnatæ fuerint propoſitiones agentes de voluntate Dei & de Gratia Reparatoris: quo ſpectantes ad cupiditatem & ad caritatem: quo enuntiatæ de lege ac de timore; & quo verſantes circa ſacrorum librorum lectionem, & Eccleſiæ cenſuras; quod proculdubio exigui laboris negocium foret, atque facillimum. Inter momenta, quibus prædicta multorum vota innituntur, ea comprehenduntur, quæ modo ſubjiciam.

„ I. Sunt, qui prælaudatam Conſtitutionem eſſe *Regulam fidei, & explicatam Confeſſionem*, contendunt, ut impudentiſſimus iſte Anonymus. Id vero in præſentiarum cum Chriſtianiſſimo Rege negat major numerus Præſulum Galliæ, & Principes alii diſcuti nolunt, rati plurimum id conducere tranquillitati cum Chriſtianæ, tum Politicæ reipublicæ. Atque ut de Chriſtianiſſimo Rege unum dicam, abſque injuria maxima turpiſſimoque mendacio negari non poteſt in ipſo ſplendere eximiam pietatem ac religionem, cum hereditario erga Apoſtolicam Sedem obſequio conjunctam: quibus nominibus in Encyclica Pontificis Maximi laudatur. Is enim teſtatur *ſemper illius Regii animi ſenſus nos plane deprehendiſſe, qui maxime decent Orthodoxum Principem, & vera in Deum religione, & ſincera erga Romanam Sedem pietate præditum*. Credendum ne, hunc Regem adeo pium, adeo religioſum, adeo Apoſtolicæ Sedi devinctum declaraturum fuiſſe Conſtitutionem non eſſe *Regulam fidei*, ſi talem eſſe definiiſſet Eccleſia? aut, ſi Eccleſiæ definitionibus Rex ipſe eſſet adverſus, (quod iniquiſſimum foret ſuſpicari) futurum fuiſſe a Benedicto XIV. iſtiuſmodi laudibus cumulandum? Non eſt ergo, inquiunt, Conſtitutio *Unigenitus* Regula fidei. Neque arbitrantur ex Romano Concilio ſanctæ memoriæ Benedicti XIII. oppoſitum evidenter evinci; ſive dixeris additamentum illud, *Quamque, noſtræ uti ejuſdem fidei regulam, agnoſcimus*, ad marginem fuiſſe autographo Actorum codici appoſitum, ſive dixeris inſertum exemplaribus Pont. Max., & S.R.E. Cardinalibus, ad ſubſcribendum exhibitis, quoniam inde non conſequitur additionem fuiſſe factam Epiſcoporum conſultatione & ſuffragiis, ideoque pertinere ad Acta Concilii. Immo Epiſcopi acerrimi Conſtitutionis Propugnatores, qui in Synodo Ebrunenſi ſententiam in Senicienſem dixere, hunc expoliatum quolibet munere ſacerdotali redigendum eſſe decreverunt ad communionem laicam, quæ notoriis hæreticis, & denegantibus *Regulam fidei* non debet adminiſtrari; ideoque nec ipſa Ebrunenſis Synodus Conſtitutionem tanquam *Regulam Fidei* agnovit.

„ II. Intentio eorum, qui nollent ab Apoſtolica Sede ſenſum declarari proſcriptarum propoſitionum, non alia videtur eſſe, quam Conſtitutionis auctoritate abutendi ad inſectandam Scholam Auguſtiniano-Thomiſticam. Nondum enim acquieverunt ſummorum Pontificum juſſionibus decretiſque, quibus non ſemel affirmarunt dogmata SS. Auguſtini ac Thomæ eſſe inconcuſſa, prohibuerunt hæc ſugillari invidioſo nomine Janſeniſmi, & declaraverunt proſcriptas nunquam fuiſſe doctrinas illas atque ſententias, quæ palam & libere, etiam poſt editam Conſtitutionem *Unigenitus*, in Scholis Catholicis defenduntur. Nondum obtemperarunt ſanctorum Pontificum, Pauli V., Clementis XII. & Benedicti XIV. mandato omnes promiſcue obſtringenti, *ne vel ſcribendo, vel docendo, vel diſputando, vel alia qualibet occaſione notam, aut cenſuram ullam Theologicam iiſdem Scholis diverſa ſentientibus, inurere, aut earum ſententias convictis, & contumeliis inceſſere audeant*. Ceſſarent autem jurgia quælibet, ac diſſidia, ſi nullam pretendere rationem poſſent ignorandi quid damnatum ſit, quid definitum, quid relictum diſputantium opinioni.

„ III. Quod aliqui confidentiſſime affirmant comprobata fuiſſe *Conſtitutione* placita ſuarum Scholarum, nequit conciliare debitum Apoſtolicæ Sedi obſequium. Experimento enim didicimus, ſedente in Petri Cathedra Benedicto XIII. dum duodecim expenderentur articuli, Thomiſtarum ſententiæ concordes, illos, qui vehementiori ſtudio Romano Pontifici ſeſe profitebantur addictos, nullum non moviſſe lapidem, ne iidem articuli approbarentur, auſos Pontificem pacis amantiſſimum deterrere, per litteras ſignificantes futurum fore, ut per talem adprobationem fieret Eccleſia, regnumque florentiſſimum Galliarum *in combuſtionem, & in flammam ignis*. Eo quoque proceſſit Epiſcopus Santonenſis, ut memoratos articulos condemnaret, atque ob id non reprehenſionem, ſed laudem a nonnullis promereretur. Contra non in Gallia tantum, ſed & in Italia, famoſa P. Aſturmet propoſitio, directe oppoſita doctrinæ S. Thomæ, & judicio doctiſſimorum virorum derogans divinæ Omnipotentiæ, atque blaſphema, patronos adinvenit, ac defenſores. Atque ne alia proferentur exempla; an audaciſſimus iſte homo, qui nulla alia permotus ratione, niſi quia Conſtitutio *Unigenitus* non prædicatur in Encyclica Sanctiſſimi Patris noſtri Benedicti XIV. *tanquam Regula Fidei*, conſcripſit epiſtolam continentem *aſſertiones falſas, temerarias, ſcandaloſas, multimode injurioſas, contumelioſas, impudentes, captioſas, ſeditioſas, & ſchiſmati faventes*, prout omni ſervata æquitate declaravit idem Pontifex Beatiſſimus (1), & prout unuſquiſque comprehendere poteſt ex hac noſtra Refutatione.

„ IV. Pariſienſis Archiepiſcopus in ſua Paſtorali inſtructione promulgata anno 1756. die 19. Sept. (2) plura incommoda enumerat, quæ ex diverſo damnatarum propoſitionum ſenſu, ortiſque ob hanc cauſam diſſidiis provenerunt; queritur magiſtratus invadere Jura ſacerdotum, aſſerentibus illis ſuum eſſe avertere populi commotionem & incentiva tumultuum, atque proſpicere publicæ tranquillitati. Epiſcopus S. Pontii in Inſtructione ſua, ſive, ut Gallice vocant, *Mandement*, die 30. Octobris ejuſdem anni, conqueritur inimicum hominem ſuperſeminaſſe zizania, undique ſurgere pſeudo-prophetas, neque procul abeſſe prænuntiatam a Daniele *abominationem deſolationis*. Antiſtes item Auguſte-Auſciorum in Epiſtola nomine 25. Epiſcoporum ad Benedictum XIV. conſcripta ait cecidiſſe de cælo ſidera, quæ terras illuminabant, impletumque illud Joannis vaticinium (3), *Cecidit de cælo ſtella magna, ardens tanquam facula, & nomen ſtellæ dicitur abſynthium*. Nec defuere, qui per Gallias ceteraſque provincias dictitaverint, attentatum a perditiſſimo homine hoc eodem anno 1757. Nonis Januarii ſacrilegum horrendiſſimumque parricidium in ſacratiſſimam Chriſtianiſſimi Regis Perſonam, ob *Conſtitutionem* fuiſſe nefariis machinationibus excogitatum; quamvis ego indubitanter crediderim inſani hominis tribuendum eſſe furori; Appellantes vero inobedientiæ ſuæ, quæ nequit excuſari, cauſas prætexere non deſiſtunt; ſed procaciores effecti reponunt non ſe compellendos ad excipiendam Conſtitutionem ſententias proſcribentem catholicas: neque ſibi credunt ſatisfieri ab iis, qui reponunt ipſum Clementem XI. in Apoſtolicis litteris, *Paſtoralis Officii*, oppoſitum declaraſſe, dum Acceptantes ſententias Catholicas etiamnum laceſſere non ceſſaverint. Epiſcopis quoque ſibi excommunicationem minitantibus audacter reſpondent imputari ſibi crimen imaginarium, inflictamque excommunicationem illam ejuſdem fore generis, ac eam, qua anno 1096. Wilelmus Archiepiſcopus Rhotomagenſis communione privandos duxit comam, paſſoſque capillos deferentes, productis exemplis aliis conſimilibus (4). His autem, ceteriſque incommodis plurimis, quæ ſilentio prætereo, quis Catholicæ Eccleſiæ filius, quis pacis & veritatis amator non exoptat aliquo opportuno remedio, quale eſſet expetita declaratio, obviam iri?

„ V. Plures Conſtitutione confixæ ſunt Theſes affines, ſaltem quoad ſonum verborum, conſimilibus S. P. Auguſtini enuntiationibus: Auguſtini vero doctrinam, in iis præſertim quæ pertinent ad Chriſti gratiam, Romana & Apoſtolica Eccleſia magno ſemper habuit in pretio. Ad obſtruendum itaque os refractariis, quid contingere poſſet utilius, quam ſi ex Petri Cathedra doceremur quænam ſit Catholica doctrina Auguſtini, & quænam proſcripta illorum, qui ejuſdem Auguſtini auctoritate abutuntur? Fortaſſis & illi, qui Auguſtinianæ Theologiæ dant operam, in quorum numero fatemur nos ipſos comprehendi, in librorum S. Patris lectione decipiuntur, & errant. Ego ſane nunquam adeo de ingenii mei tarditate atque inopia gloriabor, ut me non erraſſe ſuperbe arroganterque audeam jactare. Ac nobiſcum, neſcio quo jure, ſe Appellantes ſentire ajunt, cum in Additionibus ad Ephemerides Eccleſiaſticas anni 1750. & 1753. tum in Opuſculis aliis (5) a ſe in lucem editis. Quamobrem nobis in hac mortali vita nihil optabilius, nihil jucundius evenire poteſt, quam ſi nos errantes magiſtra veritatis Eccleſia commonefaciat, atque ita nos errorum noſtrorum retractatione univerſo orbi teſtatam reddamus, quam ipſi Eccleſiæ profitemur, obedientiam: aut nobis non errantibus in recipienda & defendenda *Conſtitutione* Fideles cuncti eadem fide, eodemque ſpiritu copulentur.

„ VI. Ut vidimus ſupra, iidem, qui pro Conſtitutione pugnant, quorum commendandus eſt zelus, & laudanda ſollicitudo, circa ſenſum damnatarum propoſitionum convenire nequaquam poſſunt. Vienneſis & Senonenſis Præſulum de noſtra Auguſtiniana Schola judicium non repetam, cum fieri id nequeat abſque magna animi mei amaritudine. Nam ſi quis æquo animo ferat inſimulationem hæreſeos; hunc ego neque Catholici nominis veneratorem, neque honeſtum hominem, ſed ſtipitem appellabo. Neque rurſus doctiſſimi Archiepiſcopi Turonenſis vita functi mentionem faciam; qui etſi Conſtitutionem exceperit, pugnans tamen pro Auguſtiniana doctrina, non potuit undequaque Janſenianæ labis notam vitare. At non abs re erit, ad memoriam revocare diſparem Archiepiſcopi Cameracenſis, & Carcaſonenſis ſententiam: quorum unus proſcriptam *Conſtitutione* ait doctrinam Auguſtinenſium Theologorum, propugnantium deliberatas creaturæ rationalis actiones in Deum eſſe referendas, ne careant rectitudine finis: alter id negat; cum tamen uterque ſit *Conſtitutionis* acerrimus propugnator. Sed vide, quam anſam hinc refractarii arripuerint. Immerito, inquiunt Appellantes, redarguimur, propterea quod Catholicis ceteris non conſentimus in *Conſtitutione* acceptanda; quando ipſi Acceptantes, qui aliis doctrina & dignitate præfulgent, inter ſe non conveniunt in explicando quid ipſa Conſtitutio reprobet, quid a cenſura velit immune.

„ Hæc ex pluribus momentis ſelegi, ut a me quoque intelligeres cur ſint hac ætate complures aliquam Bullæ, ſeu potius ſenſus proſcriptarum in illa propoſitionum, expetentes declarationem. Ne tamen credas me alio fine hæc addidiſſe, quam tibi vota aliorum ſignificandi. Haud enim ignorat Beatiſſimus ac Sapientiſſimus Pontifex Benedictus quid neceſſum ſit ad rectam fidei confeſſionem; quid ovibus a ſe commiſſis expediat. Illius eſt nobis credenda & agenda præſcribere: noſtrum autem præſtare illi plenam atque omnimodam obedientiam. Vale. VI. Kalendas Januarias. MDCCLVII.

FINIS TOMI SECUNDI.

(1) In damnatione, quæ incipit, *Cum ad nonnullos*. die 5. Sept. 1757. (2) *Donné à Conflans*. (3) *Apocalypſis cap. 8. 11.*
(4) *Lettres ſur le Peché Imaginaire*, A Conflans 1756. (5) *Les Appellans pleinement juſtifiés. Lettres ſur le peché imag.* 1. & 2.